IN EPISTOLAM B. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES

COMMENTARIORVM
& Adnotationum

TOMVS POSTERIOR.

AVCTORE
P. IOANNE ANTONIO VELAZQVEZ,
Societatis IESV, *in Regio Salmanticensi Collegio sacrarum Litterarum olim interprete.*

Cum Indice & copia ad Conciones per totum annum.



LVGDVNI,
Sumptibus IACOBI CARDON.

M. DC. XXXII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO P.

F. AVGVSTINO DE CASTRO,

è Comite de Lemos, Andrade, & Villalua, Marchione de Sarria, Duce de Taurisano, Siciliæ, & Neapolis Pro-Rege, & apud Pont. Maxim. pro Catholica Maiestate Legato, Benedictini Ordinis Monacho,

Joannes Antonius Velazquez, è Societate JESV, P. F. E.

PRISCA nauigantium religio non ante naues in altum soluere iubebat, (inclyte Franciſce; flos Principum delibate, siue, quod nimio mauis religiosissime Augustine, Monachorum gemma) quàm votis omnibus Tyndaridas fratres adorauissent; quibus enim gemina lampade Castor, & Pollux illucebant, nullus erat omnino timor; seu coniuratis in cœlum fluctibus Neptunus astra corrumperet, seu syrtibus latraret pontus: nec verò nisi geminati numinis reuerentia mulcebat iras pelagi, aliáve ratis feliciter exibat insidias breuium, ridebátque maria tumentibus vndis pacem indignantia; quàm qui fraterna isthæc sydera dextro lumine miscuissent: nam si solitaria flamma vibraretur, infausta omnia portendebat; quasi non vulgare piaculum esset, quòd gemellos fratres vnà fauere vetuerit, quibus eam felicitatem fata indulsêre, vt alternis viuerent, alternis obirent, hæreditario vitæ, mortísque commercio, donec inter sydera vicibus exempti, astro quisque suo mortalibus affulgerent, iam inde tempestatibus imperantes, votorúmque capaces. En igitur & me altera quoque rate nauigantem, sed vobis mea

ã 2 vota

vota nuncupantem, ô magna mihi sydera gemini fratres! Numquid ego Castora sollicitem, Pollucémque? Vos mihi feliciora feceritis auguria: nihil heroïcis sæculis inuideo vestris sub auspiciis Lemenses Comites; & sua quidem Numina nautis sponte dono, dum patronos habeam Petrum, & Franciscum natura, moribus, charitate toties germanos. Quidni verò nolim, aut certè nequeam seditiosa nuncupatione alterum ab altero dissipare indiuiduos fratres, quos eximius amor prope negauit esse duos? aut cur omnia mihi fausta, & fortunata ab vtroque non sperem, cùm vterque proprio iam in cœlo splendeat? Ergo fauete, ô magnum par, & alterno sydere nostris in Paulum monumentis fortunam aspirate.

Sed tu maximè huic libro luceas, optime Augustine, sic vterque meam felicitatem implebitis. Nam & Petri cœlo iam suo radiantis astrum altero quoque libro adeò feliciter salutaui; vt qui, siue ab ingenio, siue à doctrina nostra, exigua, siue (vt quod res est dixerim) nulla æstimatione dignus erat, nominis ipsius reuerentia tanto fauore, & alacritate ab orbe fuerit exceptus, vt vix cudendo, & recudendo exemplaria quærentibus deficiant. Nec minori tu splendore ad fratris morem, ô Francisce, colluceas, qui mortalitate exuta, & immortalitate iam adeptus assertus es in cœlum; cœlum, inquam, Magni Benedicti tot syderibus pulcherrimè varium, vt inde liberiore face clarissimos tuos radios mundo explices, quos mortalibus admixtus ad oculorum nostrorum patientiam temperaueras. Quòd, si verè æstimas, nullis omnino scriptis opportunius illucebis, cùm horum materia à suo patrono nec hilum discrepet. Quid enim in hac epistolæ portione, quàm modò commentariis illustramus de se ad nostri institutionem Paulus maximè moneat; audi: *Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum, propter Christum, detrimenta; verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius configuratus morti eius. Si quomodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.* Nec ea omnia dixisse, perfecisséve contentus; pergit. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim; sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum. Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Sed & post nonnulla, hæc subiicit: *Ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse. Scio & humiliari: scio & abundare (vbique, & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire,*

Ad Philip. cap. 3. v. 8. & seqq.

&

& abundare, & penuriam pati. Omnia possum in eo, qui me confortat. Posséntne alteri mortalium verius, quam tibi hæc omnia Pauli sensa aptari? aut ad alium præter te eorum explanatio non ineptissimè ire? qui Pauli vestigia sic premis, vt Paulum exprimas fidus ipsius imitator, siue interpres? Quàm appositè ergo vel sola inscriptione ista, *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*; ornauero nobilissimum illum triumphum, quem de subactis, non vrbibus, non prouinciis, non regnis, sed de toto orbe, adeóque & de te ipso nuper retulisti; cùm post ingentia laudum semina per omnes vitæ partes intersparsa; post iuuentutem felicissimè cohibitam; populos iustissimè frænatos; Legati, Consiliaríque munera prudentissimè exercita; post fortunam sæpe aduersam sæpiùs insidiantem constantissimè superatam:

———qui dabas olim
Imperium, fasces, legiones, omnia,

ad monasticæ vitæ disciplinam, ieiunia, vigilias, asperrimáque exercitia te ipsum gloriosissimè deiecisti.

Triumphasti igitur non regia pompa, satietate ipsa cupiditatem irritante, sed in augustissima paupertate, *edoctus, in quibus es, sufficiens esse*; non aureis coronis oleagine virentibus, sed suaueolentibus castitatis serris *configuratus morti* Christi; non ardenti purpura, nisi quam charitas flammauerit, cum insigniis non imperij, sed obsequij, inquam, sed super omnia imperia gloriosi, *sciens humiliari*: non delicato Liberi curru vsque ad Thebas à Solis ortu vectus, & Deus vndique consalutatus, sed quæ retro sunt obliuiscens, ad anteriora extendens te ipsum ad destinatum persequens, ad brauium supernæ vocationis in Christo, sed feliciori calamo sic descripserit Ambrosius hunc triumphum: *Nos autem quoniam trophæum iam videmus, & quòd currum suum triumphator ascendit, consideremus, quod non arborum truncis, non quadrijugis plaustri manubias de mortali hoste quæsitas, sed patibulo triumphali captiua de sæculo spolia suspendit. Nam hic gentes brachijs post terga reuinctis, nec excisarum vrbium imagines, oppidorúmque captorum simulacra cernimus, aut submissa captiuorum Regum colla miramur, qualis humanorum solet esse species triumphorum, nec victoriæ terminos regionis fine distinctos, sed fidei arma, victoriarúmque iura toto orbe currentia, captiuum principem mundi, & spiritalia nequitiæ, variarúmque virtutum species non sericis, sed moribus emicantes: fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuuijs deuotio fortitudinis iam resurgit.* Hoc ordine, hac pompa, hoc triumpho processisti, Augustine, non modò Senatu, Populóque Romano conspicuus, sed *spectaculum factus Deo, & Angelis, & hominibus*, præcedente triumphalem currum illo mei Pauli titulo nobilitatem, honores,

Ambrosius lib. 10. in c. 23. Lucæ.

dignitates,diuitias,eáque omnia,quæ in rebus humanis ſplendent; ſiue quibus impotens hominum libido pretium fecit, magnificè calcantis. *Omnia detrimentum feci, & arbitror ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam.* Eſtat nunc Romanæ gloria maieſtatis, oſtentétque ſuos ab vrbe condita triumphos ad vſque Veſpaſianum viginti ſupra trecentos. Quis non videat,illos ab hoc noſtro diſtare, quanto diſcrimine vitia ſordent à virtutibus ? Quidquid illic triumphabat, hîc triumphatur. Ambitio ibi,ſuperbia, crudelitas, auaritia pinguiſſimo illo laſciuientis fortunæ paſtu gliſcebant, virtutibus languida ceruice iuxta currum marcentibus: hîc vice verſa cupiditatibus patrimonio ſuo deſtitutis, & ſeruitio addictis virtutes dominantur. Quid enim referam vectatores equos, leones, elephantos, tigres,ceruos, quaternos canes triumphatoribus ſuis ſimillima monſtra ? cùm aliquis præterea iunctos etiam Reges currui admouerit, vt magnificentiùs quadrigæ rotarentur ? IVSTITIA, PRVDENTIA, FORTITVDO, TEMPERANTIA, (cœleſtibus triumphis aſſueti iugales) quibus animum,vitam,munera,omnéſque terræ,ac maris oras iam impleueras, currum tuum ſubiere, vt illis erectus Eliæ inſtar igneo curru iiſdem quoque iugalibus triumphantis in almæ religionis cœlum, in amœniſſimum Benedicti paradiſum veheréris. Hoc demùm eſt triumphare, hac itur ad ſydera, vbi te victrices coronæ manent,magnorúmque præmia meritorum. Neque enim humanas laureas curas immortalibus adoreis in cœlo donandus : illis decernantur ſtatuæ, quibus mortalia facta non niſi mortalia quoque præmia peperiſſe poterant. Tu mauis hîc abſcondi; tantum non dicens cum Rege, qui verè Rex erat, *elegi abiectus eſſe in domo Dei mei.* *Pſalm. 83. 11.*

At omnino fruſtrà, ô Magne. Non eſt abdere famam tuam; eò pulchrior erumpet omnibus ex latebris; nullas illas tenebras timet.

Bonum virum fama aperit vel in terræ cauis.

An exiſtimas duraturas ad tanti Solis radios, quas nomini tuo prætendis vmbras ? quantumcumque ingenioſus nomina demutes; clarus eris; ſeu Franciſcus ſis, ſeu nuncuperis Auguſtinus, neutiquam vocibus tam inclyta virtus delituerit; media ſub nocte liberiùs aſtra vibrant. O te beatum, qui vno die immortalem ſæculis omnibus memoriam es adeptus ! Lateas; lateas quantum velis, quantum poſſis, iam æternùm es; viuet egregium hoc facinus quamdiu inter homines pietas, ac ſapientia erunt; &, quod virtuti pulcherrimum fuerit, nominis ipſa claritas Proauorum longo ordine felix humillimi ſtatus permutatione illu

illustrior redditur. Vincit communem admirationem terris familiarissimum sydus Luna, non tam, quòd multiformi ambage sinuatur in orbem; crescit ex senio, ex iuuentute senescit, & modò lucens, modò nulla varium præbet naturæ spectaculum, quàm quòd *deficiens, in defectu tamen conspicua est:* hoc ipsum in regiæ fortunæ tuæ prænitenti defectu licet admirari; orbum te temporariæ felicitatis radiis contemplamur; sed vel ea de caussa sacratiori luce modò nites, & Christiani orbis admirationem eblandiris *in defectu conspicuus.* *Plin. lib. 2. cap. 9.*

Sed cur ego ingentem claritatem tuam non nisi cum tota Solis lancea componendam, minori Lunæ lumine metiar? Ergo opportuniùs hanc mentem explicuero apposita Solis imagine ex altissimo Idæo monte aliter, quàm cæteris terris orientis; vt ipsum suauis orbis contemplator ita descripsit: *Namque ex summo eius vertice speculantibus penè à media nocte sparsi ignes micare, & vt lux appropinquat, ita coire, ac sese coniungere videntur, donec magis, magísque collecti pauciores subinde, & vnà ad postremum flamma ardeant, & cùm diu clara, & similis incendio affulsit, cogit se, ac rotundat, & fit ingens globus; diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet: deinde paulatim decrescens, & quantò decrescit, eò clarior fugat nouissimè noctem, & cum die iam Sol factus attollitur.* Vide sis hîc, religiosissime Augustine, & præteritæ, & præsentis claritatis tuæ vmbram. Iure siquidem hac me imagine manuducente dixerim, Lemenses domus magnitudinem clariorem lucem illa, quæ in regiis vestræ familiæ proauis micat, tua hac sacra mutatione accepisse; nam si tuæ gentis originem contemplor, video inter antiquitatis annosas tenebras *sparsos micantes* heroum *ignes*, quos nostræ ætatis luci appropinquantes robustiore lumine coëuntes in Regum curiis, in Regni conuentibus, in regiorum munerum administratione vnà æternum fidelitatis flamma ardentes video; *Cùm diu clara, & incendio simillima affulsit, factus* est *ingens globus lucis* Castrorum splendor. Quod namque iubar clariùs, splendidiúsque apud nostrates illuxit, quàm Lemensis domus, cùm ad te genuinum tantæ felicitatis alumnum deuenit? Sed & tu, ô inclyte Francisce, *diu grandis terris adnexus apparuisti.* Ac enim tandem religiosè decrescens, quantò decrescis, eò clarior sæculi fugata nocte, & cum monasticæ vitæ die Sol factus attolleris, ad æternitatis lumen, ad imitationis exemplar, ad sæculi splendorem, ad nostrarum lucubrationum lucem, atque ornamentum. Foue ergo Sol, & faue. *Pomponius Mela lib. 1. de situ orbis, c. 18.*

Facultas P. Prouincialis Societatis JESV, in Castellana Prouincia.

EGO Melchior de Pedrosa, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Castellæ, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. nostro Mutio Vitelleschi Præposito nostro Generali facultatem facio, vt *Commentariorum Pauli in Epistolam ad Philippenses*, à P. Ioanne Antonio Velazquez nostræ Societatis, sacræ Scripturæ Professore conscripti, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Salmanticæ die 25. Nouembris anno 1629.

MELCHIOR DE PEDROSA.

Censura Illustrissimi, ac Reuerendissimi D.D. Mechioris de Moscoso & Sandoual, Segouiensis Episcopi, Regijq; Consiliarij, ac Serenissimi Ferdinandi Austriaci, Hispaniæ Infantis, Cardinalis, Cubicularij maximi.

COMMISSOS mihi à Regio Senatu Commentarios in Epistolam Pauli ad Philippenses, quos in orbis lucem profert P. Ioannes Antonius Velazquez, olim apud Salmanticenses sacri eloquij publicus Professor, perlegi; & dum ipsos in primis cum cæteris siue libris, siue rebus Societatis IESV composui (hæc enim mihi ad ferendum iudicium prima regula semper visa est) illud de ipsa statim occurrit, quod Deciorum stemmati tribuebat magnus Cassiodorus, *Tot annis continuis simul splendet claritate virtutis, & quamuis rara sit gloria, non agnoscitur in tam longo stemmate variata: sæculis suis producit nobilis vena primarios, nescit inde aliquid nasci mediocre; tot probati, quot geniti, & quod difficile prouenit, electa frequentia.* Opus sanè pulchrum, validum, sublime, varium, elegans, purum, & cum tanta laude diffusum, vt inclyta Societas, quæ sapientiæ Solem ceu Aquila ita sustinet, vt natorum suorum generositatem de pupillarum audacia iudicet, in conniuentem huius auctoris aciem aduersùs tantæ lucis radios firmo obtutu contuentem, seu germanam indolem possit læta suscipere. Magnus hic sententiarum fulgor, non qualis auri imbellis, sed qualis ferri, quo mens, quo visus perstringitur; & *vt corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata ex ijsdem his speciem accipiunt, ex quibus, & vires*; sic pulchritudinem ex robusto sententiarum pondere. Sanctorúmque placitis in absolutissimo hoc opere consurgentem intueor, & in eo sapientiam iis auspiciis militasse, vt vix vnquam felicioribus, quippe in explicandis nodis, & veritate, è quarumuis difficultatum nocte in lucem eruenda, non tam arcana magnetis rapacitate ferrum trahi videris, quàm tacito veritatis ductu Auctoris iudicium, atque eo ipsum modo latentia Pauli mysteria reserasse, vt egregia illa Vincentij Lyrinensis sensa expresserit: *O Doctor ingenio, exercitatione, doctrina, esto spiritualis tabernaculi Beseleel, pretiosas diuini dogmatis gemmas insculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adijce splendorem, gratiam, venustatem; intelligatur te exponente illustrius, quod antea obscurius*

Cass. lib. 3. epist. 6.

Quintil. in argum. ad lib. 8.

Vinc. Lyrinens. aduers. hæres. c. 27.

ſcurius credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quòd antea vetuſtas non intellectum venerabatur, eadem tamen quæ dedicisti, ita doce, vt cùm dicas nouè, non dicas noua. Nec vlli mirum ſit, poſt tot Pauli interpretes nouè multa exarata. *Quos hoc mouet* (inquit Ambroſius) *reprehendant meſſem, quia ſera fœcunditas eſt, reprehendant vindemiam, quia in occaſu anni eſt, reprehendant oliuam, quia poſtremus eſt fructus.* Tantas igitur ingenij opes, & prælo, & æternitate (quam ipſis augurari fert animus) digniſſimas iudico. Sic cenſui Madriti die 1. Auguſti, anno 1624. *Ambroſius lib. 5. epiſt. cōtra Symmachum.*

D. Melchior de Moscosso,
Epiſcopus Segouienſis.

Facultas eiuſdem Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D. Melchioris de Moſcoſſo & Sandoval, Segouienſis Epiſcopi, huic 2. tomo Segouiæ excudendo facta.

Hos P. Ioannis Antonij Velazquez, Societatis Iesv, ſacrarum literarum apud Salmanticenſes olim interpretis, nunc Collegij Segouienſis Rectoris, in Epiſtolam Pauli ad Philippenſes Commentarios paucis retro annis decreto ſummi Senatus inſpexi, & non ſolùm Orthodoxæ fidei conſentaneos, ſed etiam ſolidè doctos, ac multæ eruditionis eſſe iudicaui. Iudicio fidem, famámque conciliauit communis Doctorum plauſus primo volumine vindicatus. Nunc fauſtum hunc fœtum, quem olim euolueram, ſecundis curis vidi Epiſcopali munere ſuadente: & euulgato volumini comparatum, parem eum magis, quàm ſimilem iudico, nec acrior me ignota cognoſcendi, quàm repetendi nota tenuit amor. Dixerim verbis Chryſoſtomi: *Suaue quidem eſt pratum, & hortus, vtroque tamen ſuauius multo ſpirat* (libri huius) *lectio: illic ſiquidem flores inuenire eſt, ſed qui tempore marceſcunt: hîc autem occurrunt ſententiæ in natiuo vigore perennantes: illic ex ipſo aſpectu quiddam oblectationis concipitur: hic autem ex ipſa mox lectione plurimum decerpitur vtilitatis.* Hæc animum alliciunt, vt quà cenſor primi mei iudicij ſententiam nunc approbem, de ſecundo hoc volumine monens *Chryſoſtomus homil. in Eutrop.*

——primo auulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo altè veſtiga oculis, & ritè repertum
Carpe manu.

Et quà Antiſtes facultatem faciam, vt typis mandetur. Segouiæ die prima Ianuarij, anno 1630.

Melch. Epiſc. Segouienſ.

Mandato Domini mei Epiſcopi,

Gaſpar Ponce de Leon.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS in prouincia Lugdunensi.

EGo Stephanus Binetus Societatis IESV, in prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concesso, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque superiorum eius permissione imprimant, permitto IACOBO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt Librum qui inscribitur, *P. Joannis Antonij Velazquez Commentar. in Epistolam B. Pauli ad Philippenses*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 8. Nouembris 1627.

STEPHANVS BINETVS.

APPROBATIO.

NOs infrà scripti S. Theologiæ Doctores fidem facimus, perlectum à nobis Librum, qui inscribitur, *P. Joannis Antonij Velazquez Commentar. in Epistolam B. Pauli ad Philippenses, tomus posterior*, in quo nihil fidei Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ contrarium animaduersum, quin opus ipsum multa eruditione refertum, & probè elaboratum nobis visum est. Lugduni die 8. Decembris 1631.

FR. CLAVDIVS COCHET.

FR. BERNARDINVS MOLLIASSON,
Lector in Conuentu S. Bonauenturæ.

CON

CONSENSVS.

IOANNIS ANTONII VELAZQVEZ *Commentar. in Epistolam B. Pauli ad Philippenses tomum posteriorem*, typis mandari, & in lucem edi, sumptibus IACOBI CARDON Bibliopolæ Lugdunensi, ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio. Die 10. Decembris 1629.

Puget.

PERMISSIO.

LIBRVM qui inscribitur, *Joannis Antonij Velazquez Commentariorum in Epistolam ad Philippenses, tomus posterior*, à IACOBO CARDON Bibliopola Lugdunensi in lucem edi permittimus, ac simul ne quis citra datam ei potestatem denuò excudat interdicimus. Datum Lugduni die 10. Decembris, anno 1629.

De Chaponay.

INDEX

INDEX

Adnotationum, quæ hoc posteriori tomo continentur.

CAPITIS SECVNDI.

VERSVS XII.

Itaque chariſsimi mei (ſicut ſemper obediſtis) non vt in præſentia mei tantùm, ſed multo magis nunc in abſentia mea cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.

ADNOTATIO I.

VERSVS XIII.

Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.

VERSVS XIV.

Omnia autem facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus.

VERSVS XV.

Vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo.

2. Germa

VER

VERSVS XXVIII.

Festinantiùs ergo misi illum, vt & vos eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim.

VERSVS XXIX.

Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote.

VERSVS XXX.

Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit, tradens animam suam, vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Adnotat. 1. Egregij Prælati, & Principis esse, nullum non laborem pro subditis perferre. 250.1

2. Amicitiam non in proprios, sed in amici vsus etiam cum discrimine & iactura deriuandam. 253.1

CAPVT III.

VERSVS I.

De cætero fratres, gaudete in Domino. Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum: vobis autem necessarium.

Adnotatio vnica. Cum recreationibus, & oblectationibus modum, finémque ponendum. 259.2

VERSVS II.

Videte canes: videte malos operarios: videte concisionem.

Adnot. 1. Improborum consortium à iustis omnino vitandum. 271.2

2. Valde consentaneum Pauli monitis esse, vt Religiosi, qui de suis erratis sæpius admoniti non resipiscunt, ex aliorum societate expellantur. 277.2

3. Optima ratione membrum putrefactum resecari, ne lues ad cætera membra sana transiliat. 281.1

4. Mali operarii, siue Concionatoris esse, Dei verbum inanium sermonum fuco, ac calamistris delinire. 285.2

5. Mali operarij, siue Concionatoris esse, Dei verbis inutiles cogitationes, & inuenta ad auditorum gustum ingerere. 289.1

VERSVS III.

Nos enim sumus Circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.

Adnot. 1. Verum hominis esse, siue essentiam en sola virtute censeri. 300.1

2. Proprium perfecti hominis esse, non inuitum, aut pœnarum timore actum Deo inseruire. 304.1

3. Ab hoc dilectionis obsequio virtutis mensuram desumi. 307.2

VERSVS IV.

Quamquam ego habeam confidentiam in carne: si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.

VERSVS V.

Circumcisus octauo die ex genere Israël, de Tribu Benjamin: Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus.

VERSVS VI.

Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela.

VERSVS VII.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta.

VERSVS VIII.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

Adnot. 1. Fallacem, impostorémque, siue præstigiatorem mundum esse, cuius bona extrinsecus splendent, intus nihil sunt. 324.2

2. Mundi bona pueriles nugas: sæculi amatores paruulos, siue puerulos esse. 329.1

3. Quisquilias, & nullius frugi terrena bona esse, quod momentanea, & nullatenus constantia, atque subsistentia sint. 332.2

4. Sæculi bona ideo fluxa, & caduca esse, quod in alieno solo, siue in maledicta terra nata nullis innitantur radicibus. 337.2

5. Sæcularia bona pondus esse, non subsidium, & ad nihilum vltra valere, nisi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus. 342.1

6. Terrena bona, iacturam, pœnam, atque tormentum esse. 347.2

7. Sæculi bona supplicium, & pœnam esse 353.1

8. Temporalia bona virtuti impedimentum, & æternum sæpe sæpius animæ detrimentum esse. 358.1

9. Altitudinem, atque potentiam sæpe animæ peremptoriam, sæpe sæpius periculosam esse. 363.2

10. Oculos Christi pulchritudini, & cœlestibus bonis assuetos vix ad hæc terrena sese conuertere posse. 368.1

11. Non eum sapientem, aut illuminatum censendum, qui mundi bona verbis lacessit, & quisquilias appellat: sed illum qui reapse eorum iacturam, ac detrimentum facit. 374.1

VERSVS IX.

Vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est. Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.

VER

VERSVS V.

Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est.

VERSVS VI.

Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione, & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.

VERSVS VII.

Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo IESV.

VERSVS VIII.

De cætero fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: si qua virtus: si qua laus disciplinæ: hæc cogitate.

VERSVS IX.

Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.

VERSVS X.

Gauisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tamdiu aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis.

VERSVS XI.

Non quasi propter penuriam dico: ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.

VERSVS XII.

Scio & humiliari: scio & abundare: vbique & in omnibus institutus sum: satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati.

INDEX RERVM, QVÆ AD CONCIONES PER TOTVM ANNVM CONFICIENDAS, NON importunè deseruire possunt.

AD CONCIONES DE TEMPORE.

Dominica prima Aduentus.

1. ERVNT *signa in Sole, & Luna, & stellis; in terris pressura gentium*, &c. Chrysostomus in Catena S. Thom. Solem, Lunam, & stellas proprio, & antiquo lumine sic fore exuendas existimat, *vt priore spoliata amictu patiantur*. aliter quidem terræ eueniet. *Nam, cùm alterabitur superior orbis* (inquit indidem Theophyl.) *& elementa inferiora meritò patientur iacturam.* Vt videas, inde iustos, atque eos, quorum conuersatio in cœlis est, à terris, & peccatoribus discriminari, quòd ex tribulatione non modò illæsi, sed etiam clariores, & splendidiores euadant: impij verò funditùs pereant. *Ecce quempiam lapidem lucidum* (inquit Rupertus de victoria Verbi Dei, lib. 1. cap. 17.) *plerunque, dum libet, attollis in faciem Solis sereno cœlo fulgentis, statimque lapis idem in paruam sui quantitatem magni Solis concipit imaginem: supponis continuò materiam peraridam, ignium escam: nónne vnus, idémque splendor solaris, & in lapide radium vibrat innoxium, & in materia prædicta tractus molestum traiicit incendium? Vnus idémque ignis, & in lapide radiat, neque vrit, & in esca fumat, & vrit.* cap. 2. vers. 23. adnot. 1. Iustos à tribulationibus nullo modo lædi, impios illis opprimi.

2. *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Quid tam insolens cœlestium luminarium pallor, & obscuritas portendit? Quò hæ tenebræ eunt? Sanè, vt monearis, nemini, quantuncunque iusto, atque perfecto, de sua sibi salute blandiri non licere; sed ipsam cum metu, & tremore operari debere. cap. 2. vers. 12. adnot. 1. tota, præsertim num. 1. ad fin.

3. *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis.* Eusebius Emissenus homil. 2. de tempore, dum hæc aduenientis Antichristi signa esse existimat, ex illis sic infert: *Sicut enim Christi natiuitatem pax, & exultatio præcessit, cantantibus Angelis*, &c. *Ita & hunc perditionis filium lites, contentiones, dissensiones, terræmotus, pestilentia, & fames, & alia his similia terroris signa præcedent.* Nimirum, Christus Dominus, Dei sanctitas, & iustitia erat, spiritualiáque bona, quibus summa pax, quæ in eis inest, hominibus allaturus veniebat: ille verò homo peccati, & filius perditionis, temporali felicitate fruiturus, in filiis huius sæculi regnaturus est: temporalis autem felicitas, & sæcularia bona mille casibus, & perturbationibus obnoxia sunt. cap. 3. vers. 8. adnot. 3.

Arescentibus hominibus præ timore. Egregius timoris fructus, si tamen opportunus: mundus quidem nunc aruit; & tamen in hominum cordibus viret, floretque, vt Gregorius ait. Quare? quia nihil de futuro iudicio, & gehenna cogitant. Atenim cùm extrema pernicies illorum se oculis ingerit, non modò illis mundus aret; sed ipsimet, nunc virentes, florentésque arescunt. Tanti refert memorare nouissima, & in illis cogitationem figere. cap. 4. vers. 8. adnot. 4. num. 5. & seqq. 4.

Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Augustin. epistol. ad Hesychium: *Quia impiis persequentibus quidam fideles fortissimi turbabuntur.* Meritò ergo præ timore arescant homines, & vlulet pinus, quia cecidit cedrus, dum cælestes stellæ à feriente draconis cauda in terram prostratæ conspiciuntur. cap. 2. vers. 12. adnotat. 1. num. 2. 5.

Et tunc videbunt Filium hominis venientem cum potestate magna, & maiestate. Refert Augustin. in Catena, ad peculiaria, & potentiora auxilia, quibus iustis in Antichristi persecutione periclitantibus, Deus opem laturus est. Ideò tunc *cum potestate magna, & maiestate:* quia maior maiestas, & potestas illius apparebit Sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur: vt videas, quanti sit, bonis operibus Deum demereri, vt opportunum in die belli auxilium afferat. cap. 2. vers. 13. adnot. 5. tota, præcipuè à num. 9. 6.

Tunc videbunt Filium hominis cum potestate magna, & maiestate. Videbunt quidem *tunc* Christum iusti; videbunt etiam peccatores: sed illi ad gloriam; hi ad supplicium. Benè Chrysostom. hom. 3. in cap. 1. Epistol. ad Thessalon. *Sufficit, si adsit Deus, & visus fuerit, & sunt omnes in pœna, & in supplicio. Solùm eius præsentia aliis quidem est lux, aliis verò supplicium.* 7.

supplicium. Sed emphasim habet illud aduerbium, *tunc*,ad denotandum præsentis occasionis lucrum, siue iacturam. cap.2. verſ. 14. adn.5. tota, præsertim num.6.

8. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cùm producunt iam ex se fructum, scitis, quoniam propè est æstas.* Victor Antiochenus ad hæc verba: *Aliud quoque per eandem illam similitudinem à ficu petitam nobis adumbrat: nempe, Dominici aduentus diem, iustos quidem ex hyeme, & tempestate ad æstatem, summámque tranquillitatem translaturum: peccatores contrà de æstate, & serenitate ad hyemem, & tempestatem transmissurum esse demonstrat.* cap.3. verſ.11. adn.3. à num.8.

9. *His autem fieri incipientibus.* Galfridus in allegoriis Gotofredi, ad hæc verba: *His*, inquit, *fieri incipientibus, terra, scilicet, motibus, confusione sonitus maris, & fluctuum, signis in Sole, Luna, & stellis, & cæteris, quæ sequuntur; leuate capita vestra. Non expectemus, vt mundus nos obruat, qui necesse est, ruat. Initia enim malorum illorum, præsentia scandala sunt: imò verò malorum initia sunt præsentia blandimenta.* Relinquamus ergo hæc, antequàm ab illis relinquamur: calcemus, premamúsque illa, antequàm ab illis opprimamur. cap.3. verſ. 8. adnot.5.

10. *Respicite, & leuate.* Quò hic respectus eat? Sanè ad interiorem animi illuminationem: at, quia hæc non sufficit, nisi recta operatio sequatur, subiicit: *Et leuate capita vestra.* Nimirum, non is sapiens, illuminatúsve censendus est, qui mundi res verbis lacessit; sed qui re ipsa illarum iacturam facit. cap. 3.verſ.8.adnot.11.

11. *Leuate capita vestra.* Benè idem Galfridus: *Væ, qui apparere in prosperis, latere cupiunt in aduersis: nec caput demittunt inter prospera humiles, nec leuant inter aduersa securi.* Qui, videlicet, nesciunt humiliari, nesciunt abundare. cap. 4. verſ. 12. adnot. 1.

12. *His fieri incipientibus, leuate capita vestra.* Quia non sperastis in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, & vero. cap.2. verſ.19. adn.1. tota.

13. *Leuate capita vestra.* Galfridus præfato loco: *Leuandum est caput, & resistendum his, qui dicunt animæ nostræ:* Incuruare, vt transeamus. *Sic enim loquuntur tentationes diuturnæ, improbæ, & violentæ, & quodammodo dicunt: Non nos poteris sustinere: cede ad horam: hoc enim melius tibi, ne transeamus: posteà pænitebis. En, quomodo illudunt miseris?* Caue ergo, caue: quid scis, an peccato admisso animam acturus sis? cap.2. verſ. 12. adnotat. 4. num. 5. & seqq.

Dominica secunda Aduentus.

1. *Cum audiisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Ibi non infracto animo, excussis propriis commodis, spiritualia curat. Ita quidem, nec mirum: nam (Auctor Operis imperfect. ad hæc verba) *Corpore tenebatur in carcere: anima autem in cœlo.* c.3. verſ.10. in expoſ. à num.9.

2. *In vinculis.* Quæ hæc locutio fuerit? Nónne vinculis constrictus, & compeditus erat? Quare ergo non aperit; sed in vinculis, quasi ab iis non constringeretur esse ait? Nimirum, quia non contristabit iustum, quidquid acciderit ei. cap.2. verſ. 23. adnot. 1. tota.

3. *Mittens duos de discipulis suis.* Iam inde mutua Doctorum, & ministrorum Ecclesiæ charitas, indiciorúmque consensio adstruebatur. cap.2. verſ.19. adnot.2. tota.

Mittens duos de discipulis suis. Auctor Operis imperfecti: *Vis scire, quod est supra humanam naturam? Missus in carcerem, non de suo periculo solicitus erat; sed de aliorum salute cogitabat, id est, discipulorum suorum.* Nimirum, Ecclesiæ ministros, atque Prælatos maximè decet, non quæ sua sunt, sed quæ aliorum, curare. cap.2. verſ.21. adnotat.2. num.4. 4.

Tu es, qui venturus es: an alium expectamus? Quid? ignorabátne id Ioannes? Apage: quomodo enim de Christi aduentu dubitaret, quem maternis visceribus inuolutus exultans veneratus fuerat? quem baptizare, vt indignus, recusauerat? quem Dei Agnum mundi peccata tollentem digito demonstrauerat? Sed est dubitatio de suorum salute satagentis. Ita Hieronymus epistola ad Algasiam. *Ioannes mittebat discipulos suos in vinculis constitutus, vt sibi quærens, illis disceret; & capite truncandus, illum doceret esse sectandum, quem interrogatione sua Magistrum omnium fatebatur.* Pende illa: *Sibi quærens, illis disceret.* ac si diceret: Non timuit ignorationis argui, & in Christi scientia tyronem haberi, dummodo discipulis suis prodesset: vt noueris euangelicum ministrum, necnon optimum Principem, propriam æstimationem, & lucrum, saluti suorum postponere debere. cap. 2. verſ. 26. adnotat. 1. 5.

Tu es, qui venturus es: an alium expectamus? Ac si dicat: Si tu es expectatio gentium, frustrà alium expectamus, frustra alij fidimus, inaniter aliis in rebus spes nostras collocamus: vni enim Deo fidendum est, &c. c.2. verſ.19. adn.1. tota. 6.

Renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis. Bernard. serm.59. in Cant. ad hæc verba: *Nec breuiùs, nec planiùs intimari valuit fidei certitudo: audita visa confirmant, vt duorum testimonium (auris loquor, & oculi) ratum sit: haud dubius assero, quod auribus, oculísque percepi: intonat tuba salutis, coruscant miracula, & mundus credit: citò enim persuadetur, quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur.* Vt noueris, diuini verbi præcones non priùs audientibus ea, quæ monuerint, fore persuasuros, quàm factis verba comprobauerint. cap.2. verſ.16. adnot.1. tota. 7.

Cæci vident, claudi ambulant. S. Cyrill. lib. 2. Thesauri, cap.4. *Interrogatus, an ipse esset venturus, non statim respondet, neque dicit: Ego venturus sum, sed miraculorum magnitudine, simul & multitudine ostendit seipsum esse.* Quippe filij Dei ex præclaris operibus ostenduntur: dedit enim eis potestatem filios Dei fieri. cap.2. verſ.1. adnot.1. tota, præsertim à num.2. 8.

Mortui resurgunt. Non dubium, quin de mortuis ad vitam reuocatis loquatur Dominus: atenim non abs re hæc etiam acceperis de iis, qui ob peccatum Deo mortui, ad vitam animæ excitabantur: etenim, qui in deliciis sunt, viuentes, mortui sunt. cap. 3. verſ. 18. ad illa verba Pauli: *Flens dico.* in expoſit. litterali, & morali, num.12. 9.

Pauperes euangelizantur. Obserua seriem locutionis: nam, qui dixit, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt.* dicturus videbatur, Pauperes ditantur: vt nimirum ipsis, sicut cæteris, de quibus egerat, eam opem, qua indigebant, ferret: & tamen stylo mutato, inquit potiùs: *Euangelizantur.* Quare? Sanè, quia de beneficiis mundo collatis agens, diuitias, quæ ad bonum mentis non leue impedimentum sunt, connumerare non debuit. c.3. verſ.8. adnot.5. tota. 10.

Pauperes

11. *Pauperes euangelizantur.* Agebat de miraculis,
quæ eousque visa non fuerant: ideò notanter be-
neficia pauperibus collata memorauit:non quidem
quòd ipsi non esset maximè proprium, & naturale
pauperibus benefacere, qui euangelizare pauperi-
bus missus fuerat. Lucæ 4. 18. Sed, quòd mun-
do miraculum videri poterat. Nam totus pauper
5. iuxta diuitem securus est. Venatio leonis, onager
in eremo: sic pascua diuitum, pauper. cap. 2. vers.
26. adnotat. 1. n. 8.

12. *Pauperes euangelizantur.* Signatè pauperum so-
lùm in bonorum spiritualium distributione me-
minit: quia ipsi huic thesauro recipiendo erant
maximè opportuni. c. 3. vers. 8. adnotat. 8. num.
5. Imò his hoc felicissimum nuntium debebatur:
nam ipsorum est regnum cœlorum. c. 2. vers. 17.
adnotat. 1. num. 3.

13. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus in me.* Hila-
rius canone 11. in Matthæum: *Nunquid aliquid
iam in Christo erat gestum, quod Ioannem scandaliza-
ret? Non vtique. Nam in ipso doctrinæ suæ cursu, &
operis morabatur: sed superioris sententiæ vis, & pro-
prietas commenda est: quid illud sit, quòd pauperes be-
nè nuntiantur, id est, qui perdiderint animam, qui
crucem suam acceperint, & sequentur, qui humiles
spiritu sint, quorum regnum preparatur in cœlo.* Ergo
ille in Christo scandalizatur, qui Christi doctri-
6. næ, & cruci repugnat: quippe qui regno cælesti ob-
tinendo obicem, & scandalum ponit. c. 3. vers. 11.
adnotat. 1.

14. *Arundinem vento agitatam.* S. Petrus Damianus
serm. 23. qui est primus de S. Ioanne Baptista: *O
mira testificatio Redemptoris! Quis ingressus est
7. mundum, & mundum vel in aliquo non cognouit?
Quis est, quem vel ventosa felicitas, vel aduersitas
turbida, vel cuiuslibet peccati aura tenuior non in-
flexit?* En notam, & characterem perfecti homi-
nis, quem nec prospera molliant, nec aduersa fran-
gant: sed in vtraque fortuna sibi semper constet.
cap. 4. vers. 12. adnot. 1.

15. *Arundinem vento agitatam.* Miram Ioannis con-
stantiam laudat, qui in primis virtutis vestigiis fir-
miter constitit, & vnum perpetuò hominem egit.
c. 4. vers. 1. adnot. 1.

16. *Arundinem vento agitatam.* Egregiam concio-
8. nandi artem, & modum, quo Ioannes vtebatur,
commendat Dominus: simul traducens Prædicato-
res phaleratam, & calamistris ornatam eloquen-
tiam sectantes, qui iure *arundini comparantur.* Am-
brosius lib. 5. in Lucam, *in quibus solide iustitia
nullus est fructus, qui forensibus criniti phaleris, nodis
obsiti, vacuo oris strepitu sonori, nulla sui vtilitate,
frequenti etiam offensione, intus inania, foris speciosa
9. sectantur.* Plura in hanc rem cap. 3. vers. 2. adnot. 4.

17. *Hominem mollibus vestitum.* Gregorius Magnus
hom. 6. in Euang. *Non cœlesti, sed terreno Regi mili-
tant hi, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, & solis ex-
terioribus dediti, præsentis vitæ mollitiem, & delecta-
tionem quærunt.* O miseros, & infelices! *Nunc iudi-
cium, siue crisis est mundi.* cap. 3. vers. 11. adnotat. 1.
tota, præsertim à num. 7.

10. 18. *Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto
Angelum meum*, &c. Nunquid Ioannes Angelus na-
tura erat? Minimè quidem: sed qui Angeli mune-
ra in prædicatione, & ministerio suo, tanquam car-
ne exutus, egregiè imitaretur. cap. 2. vers. 21. adno-
tat. 1. à num. 2.

Dominica tertia Aduentus.

19. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis.* De æterna sa-
lute agentes, non ipsi profecti sunt: sed
P. Anton. Velasq. in Epist. ad Philip. tom. 2.
hanc curam, quæ tota illorum corda occupare, &
coquere debebat, aliis delegarunt. Vnde, etsi noue-
rint, Ioannem non esse Christum; ipsum tamen Chri-
stum noscere non meruerunt. Qualem enim quis
erga Deum se exhibet, talem ipsum erga se experi-
tur. c. 2. vers. 13. adnot. 5.

Sacerdotes, & Leuitas. Existimat Origenes hos 20.
Sacerdotes, ac Leuitas, Ioannis fuisse cognatos,
ideóque signatè missos fuisse, vt ei ex necessitudine
grati essent. *Volentes per blanditias* (inquit Chryso-
stomus) *eum allicere ad confitendum, se Christum esse.*
Vt noueris nullum in armamentario Dæmonis
fortius telum ad oppugnandam virtutem inueniri,
quàm mali amici, noxiique sodales. c. 3. vers. 2. ad-
not. 1.

Et confessus est, & non negauit. Non dubium, quin 21.
Ioannes, qui Agnum Dei de facie nouerat, fixósque
in ipso oculos habebat, omnem mundanum hono-
rem despecturus, & proculcaturus esset. Oculi
enim Christi pulchritudini, & cœlestibus bonis
assueti, vix ad terrena sese conuertere possunt. cap.
3. vers. 8. adnotat. 10. tota.

Et confessus est, & non negauit: & confessus est, &c. 22.
Vide, quo conatu, imò quam magno impetu, tantæ
dignitatis fastigium à se repellat: minimè quidem
nescius, altitudinem, atque potentiam sæpè animæ
peremptoriam, sæpè sæpiùs periculosam esse. cap. 3.
vers. 8. adnotat. 9.

Et confessus est, & non negauit: & confessus est, 23.
&c. Egregiè vterque Ioannes tanto negationis, &
confessionis apparatu monent, quàm setiò & in-
cunctanter, quidquid virtuti contrarium est, & ad
peccatum allicit, à nobis fuerit remouendum. cap.
3. vers. 8. ad id: *Omnia detrimentum feci.* in expoli-
tione litterali, & morali, à n. 15.

Quia non sum ego Christus. En egregium ministri 24.
Dei, & euangelici Doctoris specimen: sic virtuti-
bus incumbere, & diuinæ gloriæ studere, vt tan-
quam diuinus magnes omnium oculos, & animos
ad se conuertat, atque alliciat: deinde verò ad
Deum statim transferat, & illius gloriæ zelo, tan-
quam adamantis vi, magnetem, hoc est, se ipsum,
accepta præda spoliet. c. 2. vers. 21. adnotat. 1. tota,
præsertim verò à num. 9.

Quia non sum ego Christus. Optimè Gregorius: 25.
*Cum non vult appetere nomen Christi, factum est
membrum Christi.* Maior quidem se ipso ex humanę
gloriæ contemptu factus. Apta illa Fulgentij ver-
ba ad Theodorum: *Nunc consulatu proueheris, nunc
felici triumpho certissimè sublimaris.* cap. 3. vers. 8.
adnot. 5. num. 3.

Elias es tu? Benè Maldonatus: *Sperant se aliun-* 26.
*de ansam arripere criminationis, si saltem se Eliam,
si saltem Prophetam esse confiteatur. Pertentant eius
animam specie obiecta gloria.* Atenim Ioannes, in-
quit Euthymius, *nec Dominicam arripuit gloriam;
nec eam, quæ à multis dabatur, respexit*: ne, quæ priùs
benè destruxerat, malè subinde reædificaret, diui-
nósque honores aspernatus ad infima, & egena
elementa reuerteretur, & maiori certamine supe-
rato, in minori totum perderet. cap. 3. vers. 8. ad-
notat. 10. à num. 8.

Propheta es tu? Videor mihi in his amentibus 27.
videre sæculi amatores ad viuum depictos, qui suis
cupiditatibus adeò occæcantur, vt terrestrium
bonorum mendacium, quod sese illorum oculis
passim ingerit, & de veri boni soliditate admonet,
nolint agnoscere: *Apprehenderunt mendacium,
& noluerunt reuerti.* cap. 4. vers. 8. adnotat. 3.
num. 12.

Respondit: Non. Quare, & Prophetam, & Eliam 28.

se esse negauit, cùm ipsum Dominus, & Eliam, & Prophetam, & plusquàm Prophetam esse dixerit? Sanè, vt qui ad summum gloriæ apicem, cui peccatum inerat, priùs solicitatus fuerat, non modò malum respueret; sed extra omnia mali limina pedes figeret, omnésque peccati ansas præcideret. *Stare volens* (inquit Nazianzenus in Tetrastichis) *extra limina stato mali.* capite 2. vers. 12. adnot. 10.

11. *Ego vox clamantis in deserto.* Cùm potuisset, tum ex sacerdotali genere, & nobilissimis parentibus; tum ex miraculosa conceptione, & felicissima natiuitate se agnoscendum præbere, nihil horum meminit; sed eius officij solùm, quod Deo obsequens gerebat: quòd vni huic rei natus, huic factus fuerit. Ita penè sanctus Thom. lectione 12. inquiens: *Attende Ioannis deuotionem: iam impleuit, quod Apostolus dicit:* Viuo, iam non ego: viuit in me Christus. *& ideò non respondit: Ego sum filius Zachariæ, vel talis, vel talis: sed solùm illud, in quo Christum sequebatur.* capite 2. vers. 15. adnotatione 3. *Germanos Dei filios vni rei, cælestibus, videlicet, bonis, & animæ saluti incumbere.* cap. 34. vers. 3. adnot. 1. n. 9.

12. *Vox clamantis.* Ambrosius sermone 64. *Videte, quid dixerit. Non enim ait tantùm: Ego sum vox: sed & clamantis vox: scilicet, vt ad fidem consequendam, vox aures penetret, clamor corda concutiat, vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur.* Vt documento sit Concionatoribus, Dei verbum ab ipsis purè, seriò, & efficaciter prædicandum, nec inanium sermonum fuco deliniendum, aut inutiles illi explicationes, & inania inuenta ad auditorum gustum ingerenda. cap. 3. vers. 2. adnot. 4. & 5.

12. *Vox clamantis.* Pulchrè, *clamantis vox*, & non vox clamans: vt innuatur, clamorem efficaciter permouentem, internásque animi aures penetrantem, non à Concionatore, sed à Deo potissimùm oriri: quippe ipse est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. cap. 2. vers. 13. in expositione litteræ, à numero 5. adnotat. 2.

14. *Vox clamantis.* Benè Maldonatus ibi: *Poterat se Doctorem, poterat iudicem, poterat praconem, poterat præcursorem Christi appellare: solùm appellat vocem, quasi sonum, quasi aerem, rem vilissimam, omnibus illis, quibus se legati ornare volebant, titulis opponens, Christi, Eliæ, Prophetæ.* Nimirum, volebat reformari corpus humilitatis suæ, configuratum corpori claritatis Christi. Vide c. 3. vers. 21. in exposit. n. 12.

15. *In deserto.* Cur, qui audiri, & exaudiri ab omnibus volebat, in deserto clamabat? Respondet optimè S. Thomas lect. 12. *Vt in deserto manens immunis esset ab omni peccato: vt sic dignior esset Christo testimonium ferre, & ex vita sua testimonium suum credibilius esset hominibus.* Vbi duo pendas velim: alterum in illis verbis, *Vt immunis esset ab omni peccato.* primariam Concionatoris, & ministri Euangelij curam esse debere, vt sibi ipsi consulat: nam nemo aliis nascitur, moriturus sibi: ac proinde opportere calceatos pedes habere, c. 2. vers. 12. adnotat. 10. à num. 7. Alterum, eò magis proficuum, & vtiliorem aliis ipsum futurum, quò puriorem, & sanctiorem se se exhibuerit, cùm ab exemplo totum concioni pondus accedat. c. 2. vers. 16. adnot. 1.

16. *Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Cur signatè ad Christum, aut Eliam Baptismum pertinere putauerunt? Respondet opportunè S. Thomas lect. 13. *Quasi dicant: Non debes baptizare, ex quo negas te esse aliquem illorum, in quibus præfiguratus est Baptismus: si tu non es Christus, qui ablaturus est fontem in ablutionem peccati: & si non es Elias, siue Propheta, id est Elisæus, qui suo vestigio Iordanem transiuerunt.* Ac si non omninò ineptè arguerent, nullum Concionatori ius esse ad bona opera suadenda, nisi ea ipse in se descripta, & factis executioni mandata ostenderit. Vide præfata adnotat. 1. vers. 16. cap. 2.

Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis. 17.
Benè indidem S. Thomas: *Medius vestrûm stetit; id est, in Scriptura, quam vos semper reuoluitis; quem tamen vos nescitis: quia cor vestrum induratum est propter infidelitatem, oculi vestri excæcati sunt, vt non agnoscatis præsentem, quem credidistis futurum.* Sanè, quia praui affectus menti tenebras offundunt. c. 3. vers. 10. adnotat. 1. num. 9. & seqq.

Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Rursus 18.
S. Thomas. In medio stare dicitur, in quantum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Quem tamen vos nescitis,* quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. O rem infelicissimam! salutis opportunitatem non agnoscere. c. 2. vers. 12. adnot. 5.

Dominica quarta Aduentus.

ANno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris. 1.
Lucæ 3. Pende sigillatim, quæ tempora suo aduentu Dominus delegerit: videbis enim omnium ætatum crimina, omnium immanitatem scelerum in ea tempora confluxisse. Nunquam ambitus amentior, nunquam effusior libido, nunquam contractior auaritia, nunquam denique se latiùs effudit peccandi licentia. *Verè enim advesperascebat,* (inquit Bernard. serm. 1. de Aduentu,) *& inclinata erat iam dies: recesserat paulominus Sol iustitiæ, ita vt exiguus nimis splendor eius, aut calor esset in terris. Nam & lux diuinæ notitiæ parua admodum erat, & abundante iniquitate feruor refrigebat charitatis: iam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta: cessabant velut desperatione victi, præ nimia vtique duritia hominum, & obstinatione: at ego (ait Filius Dei) tunc dixi: Ego venio.* Opportunissimè quidem, vt ipsius charitatis, & sapientiæ magnitudo magis eluceret, grauioribus peccatis maiora beneficia, & dona opponens. cap. 2. vers. 15. adnotat. 3. à num. 4.

Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris. Quid 2.
Romani Principis mentionem ei facere oportebat, qui Ioannis prædicationem in Iudæa factam describebat? Num aliquis ex Prophetis alios, quàm Iudæ, aut Israëlis Reges in suæ prophetiæ, aut sermonum initio nominauit? Respondet Origenes homilia 21. in Lucam: *Quando ad Iudæos tantùm sermo propheticus mittebatur, Iudaici Reges ponebantur in titulo, verbi gratia: Visio, quam vidit Esaias, filius Amos, in regno Iosiæ, & Ioathan, & Achaz, &c. Quando verò Sacramentum Euangelij prædicandum erat, & in toto orbe Euangelium disseminandum, cuius Princeps Ioannes in eremo fuit, & orbem Romanum Tiberij regebat Imperium, & tunc in quintodecimo anno verbum Domini ad Ioannem factum esse describitur.* Vt hinc noueris, quo sensu dictum fuerit à Domino: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur:* siue, vt Ambrosius legit, *cogitur,* siue *condensatur.* Maiori quippe gentium multitudine ad certas, & designatas regnis cælestis

itaes

sedes euocata, grauiore cura, & strenuitate salutis certamen arripere opus est. c.2. vers.12.adn.3.n.4.

3. *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: tetrarcha autem Galilææ Herode*, &c. Quàm firmum, atque munitum Israëliticum regnum sub vmbra Romani Imperij, quibúsque Principibus, atque Dynastis conspicuum vides. Quid hæc firmitas, & florens fortuna præ se fert? Certum quidem, & miserabilem casum. Nam in rebus humanis ab ipsa fortitudine, & præstantia fragilitatis, & imbecillitatis ratio oritur, & quò magis crescunt, & assurgunt, propiùs ad casum, & ruinam accedunt. c. 3. vers. 8. adnot.4.n.6.& 7.& seqq.

4. *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: tetrarcha autem Galilææ Herode: Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræa.* Benè Gregorius homilia 20. in Euangel. *Quia Gentilitas colligenda erat, & Iudæa pro culpa perfidiæ dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit; quoniam & in Romana Repub. vnus præfuisse describitur, & in Iudæa regno per quartam partem plurimi principabantur.* Quod quidem in Prælatis, & Reip. Magistratibus maximè locum habet. c.2. vers.19. adn.2.tota.

5. *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Ambros. lib.2. in Lucam: *Factum verbum vox secuta est. Verbum enim priùs intùs operatur, sequitur vocis officium: vnde & Dauid dicit:* Credidi, propter quod locutus sum. *priùs credidit, vt loqui posset.* Id quod ego sic capio, vt is, qui alios admoniturus, & verba Dei prædicaturus est, ipsamet verba in se ipso facta, hoc est, executioni mandata priùs debeat ostendere: alioquin in vacuum laborauit, & pereuntium sanguis de manu eius exquiretur. cap. 2. vers. 16. adnot. 1. tota, præsertim à n.3. ibi: *Factum est verbum Domini in manu Aggæi.*

6. *In deserto.* Cur inibi Ioannes? Quidve illuc eum impulit? Primùm quidem, castitatis amor: ea enim virtus inter mundi bona, & sæculi delicias non opportunè colitur. Audi Hieronymum epist. 4. ad Rusticum: *Ioannes Baptista sanctam habuit matrem, Pontificísque filius erat; & tamen, nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.* Quid ergo tu, qui lubrica es, & ad peccandum propensa natura, inter vitiorum incentiua, & peccandi occasiones castitatem seruaturum speras? c.2. vers.12. adn.10.tota.

7. *In deserto.* Opportunè quidem, vt inde egregius concionator, & diuinæ sapientiæ peritissimus euaderet. Sic Nicænus apud S. Thomam in Catena: *Amotus à conuersatione humana, inuisibilium speculationi vacans, ne huiusmodi fallaciis, quæ per sensus ingeruntur assuetus, quandam confusionem, ac errorem incurreret erga veri discretionem.* Nimirum, tunc maior ad diuinam sapientiam nostris mentibus capacitas inest, cùm à mundo auocamur, & proprias affectiones abnegamus. cap. 3. vers. 10. adnot.1.

8. *Et venit.* Emphasim habet: *Factum est verbum, & venit.* Nulla mora, nulla tergiuersatione interposita; præsertim cùm ardua prouincia nouæ prædicationis, nuntiíque hominibus non adeò grati, qualis erat pœnitentia, illi committeretur: sanè quòd egregius Christi discipulus, verúsque obedientiæ custos Ioannes fuerit: nimirum, qui perfectè obedire nouit, non effectu tantùm, sed mente atque iudicio, nihil curiosè disquirens, data sibi iussa exequitur. c.2. vers.14. adnot.1.

9. *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Scitè Ori-genes præfata hom.21. in Lucam. *Quæ enim alia loca deuenit circuire Baptista, nisi vicina Iordanis, vt quicunque voluisset agere pœnitentiam, præstò essent ad lauacrum aquæ? Porro Iordanis, descendens, interpretatur: descendens autem, & largo impetu currens fluuius Dei, Saluator noster Dominus est, in quo baptizamur.* Disce ergo ab ipso, salutis opportunitatem statim arripere: & vt ipse pœnitentiam agere volenti præstò est, ne occasio elabatur; ita & tu ipsam gratiam, & misericordiam offerenti protinus occurre, ne salutis opportunitate frauderis. cap.2. vers. 12. adnotatione 5.tota. Vbi & illud obserua, Iordanem ab Hieronymo in Ezechiel. 47. interpretari riuum iudicij. *Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Ioannis 3.19. id est, data salutis opportunitate vti noluerunt.
P.Anton. Velasq. in Epist. ad Philip. tom.2.

Regionem Iordanis. Accommodatè ad prædi- 10.
candum Baptismum pœnitentiæ in Iordanem Ioannes descendit: qui, vt vidimus, interpretatur fluuius iudicij. *Pœnitentia enim*, (inquit Cardin. Toletus ad hæc verba,) *quoddam fert secum iudicium, quo homo seipsum condemnat, & dignum pœna iudicat, sibique eam infert.* cap. 3. vers. 10. adnotat. 2. *Perfectam pœnitentiam à sui accusatione incipere*, &c.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissio- 11.
nem peccatorum. Non remittebantur peccata ex Baptismo; sed ex vera pœnitentia ad instar Batismi illius facta: ex illa, inquam, quæ deducit, *sicut torrentem, lacrymas*: vt qui te multùm peccasse consideras, nec in magnitudine, nec in diuturnitate doloris tibi parcas. c.3. vers.10. adnot.4.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem 12.
peccatorum. Matthæus cap. 3. hæc verba sic extulit: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.* Benè Hieronymus inibi ait: *Primus Baptista Ioannes regnum cœlorum prædicat, vt præcursor Domini hoc priuilegio honoretur.* Atenim magno etiam iure à Ioanne, homines ad pœnitentiæ laborem vrgente, regnum cœlorum proponi dixeris, quòd arduus pœnitentiæ cliuus, regni cælestis spe, siue imagine ob oculos obiecta, mirum in modum mitigetur: quippe cœleste brauium ob oculos positum animum ad virtutis stadium indefessè percurrendum acriter stimulat. cap. 3. vers.14. adnot.3.tota.

Parate viam Domini. Bernard. sermon. 1. de 13.
Aduentu. *Dignum est, vt si non valet infirmus in occursum tanti Medici procedere longiùs, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est: non grandis tibi ostenditur via: vsque ad temetipsum occurre Deo tuo: propè est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo. Vsque ad cordis compunctionem, & oris confessionem occurre, vt saltem exeas de sterquilinio miseræ conscientiæ: quoniam indignum est, illuc auctorem puritatis introire.* c. 3. vers. 10. adnot.3.

Rectas facite semitas eius. Ac si diceret: Incipi- 14.
te dirigere semitas, obliquitate peccatorum amota, vt rectus vobis, non obliquus Christus occurrat: quippe ipse ad eum modum nobiscum agit, quo cum ipso nos agimus: ac proinde recto rectum, obliquo obliquum se exhibet. c.2. vers.13. adn.5.

In vigilia Natiuitatis Domini.

CVm esset desponsata Mater IESV, &c. Plures 1.
à PP. & veteribus Theologis rationes affe-

runtur, cur ex desponsata matre Dominus nasci voluerit: sed illa omnium videtur opportunissima ab Ambrosio tradita lib. 2. in Lucam: *Ne temerata virginitatis adureretur infamia, cui grauida aluus corruptelæ videretur insigne præferre*, &c. *Sciebat enim teneram esse virginis, & lubricam famam pudoris.* c. 4. vers. 8. adnotat. 2. tota, præsertim n. 8. & in expositione litteræ, à n. 9.

2. *Inuenta est in vtero habens.* Benè premit Maldonatus Græcum verbum, quod significat, non quærendo, scrutandóque, sed potiùs non quærendo, non cogitando, præter expectationem, opinionémque aliquid inuenire: pro qua obseruatione sic fideiubet Chrysost. 4. in Matth. *Satis autem propriè posuit:* Inuenta in vtero. *quo sermone res, quæ contra consuetudinem, & præter omnem spem, expectationémque proueniunt, notare consueuimus.* Vt hinc Prælati, & Superiores admoneantur, ne defectuum subditorum curiosi inuestigatores, & suspiciosi indagatores sint, cap. 2. vers. 15. adnotat. 8. n. 5.

3. *Ioseph autem cùm esset iustus.* En iustitiæ opus, benignos nos exhibere ad ferendum de proximorum erratis iudicium: nec debere nos aduersùs ipsos secundùm visionem oculorum iudicare, si aliud egregia ipsorum facta, virtutésque persuadeant. Ita Auctor Operis imperfecti, ad hæc verba inquiens: *O inæstimabilis laus Mariæ! magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius.* Eadem adnotat. 8. n. 6.

4. *Cùm esset iustus, & nollet eam traducere.* Quid iustitię, & æquitati, siue misericordiæ? Multùm quidem per omnem modum: nam & ipsius iustitiæ, æquitas, & misericordia signatissima pars est. c. 2. vers. 27. adn. 2. à n. 4.

5. *Voluit occultè dimittere eam:* Egregia Ioseph fortitudo innuitur: qui in tanti turbinis æstu nullas impatientiæ voces, nullas querelas dederit: is nanque fortissimus, qui læsus, & iniuria affectus tacet, c. 2. vers. 15. adnot. 6. n. 7.

6. *Hæc autem eo cogitante apparuit ei Angelus*, &c. Opportunè mitioribus consiliis, quæ iustitiæ acerbitatem mitigant, se se Deus immiscet: nam, vbi æquitas, & lenitas iustitiæ vim macerat, digitus Dei est. c. 2. vers. 27. adnot. 2. à n. 6.

7. *Saluum faciet populum suum.* Quonam modo? Clypeóne, & hasta aduersarios propulsans? an verò clypeus ipse factus, irruentium telorum ictus in se suscipiens? Ita omninò: nam id boni Principis munus est, c. 2. vers. 30. adnot. 1. tota.

8. *Populum suum.* Signanter dixit, *suum*: vt ostenderet, sic *Deum salutem nostram in nobis operari, vt opus suum perficiat, quin manum à tabula submoueat.* c. 2. vers. 13. adnot. 3. Necnon *geminata Deum hominibus beneficia conferre, atque vnum alterius pignus esse.* adnot. 4.

PRO QVADRAGESIMA.

Feria quarta Cinerum.

1. *CVm ieiunatis.* Egregium euangelicæ doctrinæ proœmium, quod deperditam hominis pulchritudinem, diuinæque imaginis splendorem restituit: quippe vt gula, & ingluuies homines in belluas conuertit: ita ieiunium Angelis, imò & Deo similes facit. cap. 3. vers. 19. adnotat. 1. à num. 4. Sed opus quidem est, vt verè, & reapse ieiunes, iuxta pulchrum illud Augustini monitum, sermone 56. de tempore: *Ne corpori tuo magis commutasse, quàm subtraxisse ciborum abundantiam videaris.* Etenim, si & prandium simul, & cœnam meridiano tempore sumis, tempus potiùs, quam delicias mutasse videris.

Cum ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Benè Chrysologus cum ieiunatore tristi sic disceptat, sermone 7. *Si vult, quare tristis? Si non vult, ieiunus quare?* Vt eos pungat, qui non filiorum spiritu, & charitatis; sed mercenario, vel seruili affectu ad virtutum opera, & Dei obsequium deducuntur: nimirum, Aristotele teste, tristitia violentiæ, & coactionis indicium est, cap. 3. vers. 3. adnot. 2. tota. 2.

Nolite fieri. Quæsita sanè locutio, qua innuit Dominus, verum hominis esse, siue essentiam à virtutis studio desumi, esséque in nobis situm, vt simus, aut non simus: quando vt ex recta intentione, & studio placendi Deo, veri homines; ita ex praua, atque distorta, hypocritæ, hoc est, histriones, siue ficti homines efficimur: ideò Dominus non dixit: *Nolite esse.* quasi hypocritæ essent: sed signatè, *Nolite fieri.* vt negaret illos esse, etsi ipsi esse velint. capit. 3. vers. 3. adnotatione 1. *Verum hominis esse, siue essentiam ex sola virtute censeri.* 3.

Sicut hypocritæ, tristes. Non damnat tristitiã, qui paulò ante dixerat: *Beati, qui lugent.* sed eum prohibet mœrorem, qui inutilis, & noxius, cuique desperatio annexa est: nam tristitia, quæ ex Deo est, hilaris quidem, & iucunda est, capite 3. vers. 19. in exposit. litteræ, n. 8. Vnde opportunè Auctor Operis imperfecti: *Nolite sine spe, & sine fide ieiunare; sine spe autem ieiunat, qui non se abstinet à peccato, nec facit iustitiam. Nam, sicut bona opera spem generant, id est, gaudium spirituale: sic mala opera desperationem, id est, tristitiam spiritualem.* 4.

Exterminant enim facies suas. Reddunt Hilarius, & Chrysostomus, *corrumpunt*: alij, *obscurant*. Pulchrè omninò: nam, vt num. 1. vidisti, ieiunium animæ pulchritudinem restituit, & diuinæ imaginis splendorem indit: hypocrisis verò formosam hanc animæ faciem corrumpit: scitè enim dixit Tertullianus: *Cultum, & ornatum mœroris munus infamant: non enim voluntarium ieiunium profitentur, vt ita appareant ieiunantes.* Ergo, vt anima, quæ in abscondito ieiunat, pulchra, & Deo similis est: ita, quæ ieiunat, vt appareat, diuinæ imaginis pulchritudinem corrumpit; quippe non diuino amore, sed humanæ laudis mercede ducitur, c. 3. vers. 3. ad n. 3. 5.

Exterminant enim facies suas. Hieronymus, *demoliuntur.* Quòd hypocritæ, vt humanas laudes aucupentur, se ipsos excrucient, & natiuum, vegetúmque candorem in pallidum, ac tetricum conuertant Eusebius Emissenus: *Facies suas exterminant, quia vltra sua pulchritudinis terminos, atque naturam, incultas, & informes horrescere sinunt: si enim informitas Deo placuisset, tam pulchra facie hominem non informasset.* Vt videas virtutis viam facilem, & tranquillam: peccati verò iter mille difficultatibus, & tormentis obnoxium esse, c. 3. vers. 8. adnot. 6. 6.

Vt appareant hominibus. Quid ieiunio, pœna, atque tristitia quærunt? quid exoptant? quid anhelant? Meram quidem vmbram apparere, videri, seu existimari ab hominibus ieiunantes. En humanæ laudis, & ambitionis fructum: & idem de cæteris mundi bonis iudicium ferto: nihil enim hęc omnia fuerint, quàm figura, seu mimicus gestus ad instans transiens, & durans. *Nam gaudium hypocritæ ad instar puncti.* cap. 3. vers. 8. adnot. 1. 7.

Vt appareant hominibus ieiunantes. Quid? Malúmne fuerit hominibus ieiunantes videri: *vt videant* 8.

deant opera bona, & glorificent Patrem, qui in cælis est? Non opinor. Nam & de bono nomine cura habenda est: sed malum quidem est velle apparere. Sanè cùm opus est ex se indifferens, & duas facies habere potest, id tibi curandum est, vt homines intelligant te, non malo, sed laudabili fine duci: huc enim Pauli monitum it: *Ab omni specie mala abstinete vos.* Vide c. 4. vers. 8. adn. 2. n. 9. ibi: *Vt appareat nos pietate destruere, non auaritia.* Preme illud, *vt appareat*, & compone cum his verbis, *vt appareant*, sub hoc sensu: hi volunt apparere ieiunantes, vt laudes humanas venentur: nos verò aurum profanum domo eiicimus, vt ab omni specie mala abstineamus, nec proximis scandalo simus.

9. *Receperunt mercedem suam.* Quid est, *suam*? Illorum, scilicet, studio, & meritis debitam. Sed quæ iam hæc est? Nulla quidem, siue nihil. Audi Chrysologum serm. 7. *Hypocrita, sit tibi licet facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus inuenisti laudem, & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiuniis, vt labor tibi ieiunij non prodesset.* Et quidem magno iure: nam, vt sapienter monet S. Maximus: *Nec possumus pro vno, eodémque opere, & laudem mundi adulantis expetere, & præmium vitæ cælestis accipere.* Ideò hypocrita vtrunque quærens, vtrunque perdit: iustus verò vni rei, Dei, videlicet, obsequio intentus vtrunque inuenit. Vide cap. 2. vers. 13. adnotat. 2. num. 2. & 3. ibi: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Apta verò hypocritis ex Tertulliano verba: *Lippientibus oculis singularis lucerna numerosa est.* Qui enim duas res vident, nihil vident.

10. *Receperunt mercedem suam.* Sibi ipsis hypocritæ mercedem persoluerunt: nihil à me iam sperare præsumant. Magnum hypocrisis malum, cuius oratio ad Deum introïre non valet. *Delectare in Domino,* (ait Vates,) *& dabit tibi petitiones tuas.* At hypocrita *poterit in Omnipotente delectari, & inuocare Deum in omni tempore?* Iob 27. 10. Minimè quidem: ipse enim tristis est, nec in Domino, sed in humanis plausibus delectatur, cap. 4. vers. 6. adnotat. 1. n. 2. Preme verba Tertull. *Neque agnosci poterit à Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto.*

11. *Vnge caput tuum.* Vt in conuiuij die, & conuiuali mensa: quippe *bona mens, iuge conuiuium.* Opportunè Euseb. Emissen. bonum ieiunatorem à malo, ex interno gaudio in faciem diffuso sic discriminat: *Hypocrita quando ieiunat, faciem exterminat, quoniam exterminatorem, & tristitiæ Principem in corde habet: tu verò, qui totius consolationis, lætitiæque Dominum in cordis habitaculo gestas, hilarem, & pulchram faciem ostende: appareat exterius in facie, quantùm lætitiæ bonum præsideat menti.* cap. 4. vers. 4. adnotat. 1. tota.

12. *Vnge caput tuum. Caput tuum* (inquit ex Apostolo Orig. hom. 4.) *Christus est.* & quidem Christus idem est ac vnctus. Quid ergo? Vnctúsne vngendus? Ita omninò, vt ab ipso semel vnctus, iterum, atque iterum vngaris. *Itáne?* (loquitur Bernard. ad hæc verba serm. in capite ieiunij.) *Aquam petit à riuulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut forte repetit magis. Ad fontem,* vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant. *Non verò, vt minus habens, quod dederat, Christus repetit; sed ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris: siquidem etiam fluminis aqua, si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superueniens repelletur: sic planè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: nec modò nihil augetur ingrato; sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem.* cap. 2. vers. 13. adnot. 5. tota, præsertim à num. 9.

13. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Bernar. indidem: *Vide, quam paucis, & coram Deo suadeat bona, & coram hominibus prouidere.* Vnge caput tuum, & faciem tuam laua: *Hoc est: sic te irreprehensibilem foris exhibe, vt diuinam tibi conciliare studeas gratiam, & ante oculos humanos non propriam quæras gloriam, sed Auctoris.* c. 2. vers. 21. adnotat. 1. num. 9.

14. *Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Opportunè, vt animum ab humanæ laudis amore auocaret, cœlestem retributionem ob oculos posuit, vt in comparatione tantæ claritatis nullum illa scintillula haberet momentum, cap. 3. vers. 8. in expositione litteræ, à num. 7. & in adnot. 10. à num. 2.

15. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Prohibens congerere thesauros in terra, cuius nos patriæ simus, admonuit. *Ac si dicat,* (inquit Auctor Operis imperfecti apud Matthæum:) *Nolite ergo thesaurizare vobis thesauros super terram, quia non estis de terra, nec de terra venistis, sed pro tempore de terra suscepistis terram, vt per terram vincatis terram: sed de cœlo estis, & de cœlo venistis, & iterum redituri estis in cœlum, nisi vltrò remanere velitis in terra.* cap. 3. vers. 20. *Conuersatio nostra in cœlis est.* à num. 6.

16. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra:* August. serm. 212. de tempore: *Multos pœnituit consilium Domini non recepisse, qui dixit:* Nolite vobis thesauros condere in terra. Et quidem meritò: plerunque enim *diuitiæ conseruatæ* sunt *in malum Domini sui.* Eccles. 5. 12. *Multi enim in istis sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt* (inquit ibi August.) *Multi autem propter suas diuitias quæsiti, & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerunt.* cap. 3. vers. 8. adnotat. 6. tota præcipuè num. 5. Preme ibi verba Senecæ: *Sic diuitias habent, quomodo febrim habere dicimur, cùm illa nos habeat.* Non secùs quidem ac misero illi euenit, cui ex quæsito, & asseruato auro compedes factæ sunt, *noua subeundi ludibria excogitante fortuna.* Vide etiam adnotat. 7. n. 9.

17. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, vbi fures effodiunt, & furantur.* Pulchrè Auctor Operis imperfecti: *Omnia mundi bona triplex interitus tollit: aut enim à semetipsis veterascunt, & tineant, sicut vestimenta: aut ab ipsis dominis luxuriosè viuentibus comeduntur, sicut cæteræ facultates: aut ab extraneis, vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel quolibet alio iniquo modo diripiuntur.* Sed ne tibi falsò blandiaris, sic te illa temperaturum, & custoditurum, vt tibi perpetuò durent: vide, quomodo ipsa à se ipsis veterascunt, & tineant, id est, nullo impellente corruunt, atque deficiunt; & vt à vestimento procedit tinea, ita ab ipsorummet natura, causæ interitus oriuntur. cap. 3. adnot. 3. & 4.

18. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Pende quæsitam locutionem, aliámque à præcedenti verborum structuram: quippe, cùm monuit, non esse condendos thesauros in terra, non dixit: Ne thesaurizetis; sed, *Nolite thesaurizare.* cùm verò de thesauris in cœlo collocandis agit, non ait: Velitote thesaurizare in cœlo. sed, *Thesaurizate.* Nimirum, quòd terrenæ diuitiæ, non possessæ solùm, sed etiam concupitæ plurimùm nocent. Vnde signatè dixit Paulus: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* in vo-

luntatem, & studium habendi diuitias, præcipuum ipsarum detrimentum reiiciens: ita ad cœlestes thesauros comparandos non sufficiat sola voluntas, nisi ipsum desiderium, ac studium, executio, & opera subsequantur. cap. 3. vers. 8. adnotat. 11.

19. *Thesaurus in cœlo.* Quid? Possúmne modo meas diuitias in cœlo collocare? Quibus, rogo, scalis illuc ascendam? Quibus machinis transportabor? Aut quibus vectoribus vtar? Respondet tibi Chrysologus serm. 8. *Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia, quidquid pauper accipit, Christus acceptat.* cap. 2. vers. 12. adnotat. 9. à num. 4.

20. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo.* Bene Auctor Operis imperfecti: *Qui thesaurizat in terris, dupliciter facit peccatum: primò, quia malè congregat: secundò, quia cor habens in terra, nunquam, quæ Dei sunt, recordatur; sed semper, quæ terræ. Et qui thesaurizat in cœlo, dupliciter iustitiam facit: primò, quia benè fœnerauit: secundò, quia spem habens in Deo, semper, quæ Dei sunt, cogitat, & meditatur, & non quæ terræ.* Accinunt verba Pauli, cap. 3. à vers. 18. *Multi enim ambulant, &c. qui terrena sapiunt: nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam expectamus Saluatorem nostrum.* Illi, quia terrena amant, illisque inhærent, nihil aliud cogitant, sapiúntve: nos autem, quia municipatum in cœlis habemus, inde salutem nostram expectantes, cœlestia cogitamus, cœlestia loquimur. Vide expositionem litteralem, & moralem horum verborum.

21. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Opportunè Chrysostomus in Caten. S. Thom. hæc superioribus adiungit, hunc in modum: *Quia tamen non omnis terrenus thesaurus ærugine, aut tinea destruitur, aut per fures aufertur, ideò aliud inducit, dicens:* Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *acsi dicat: Etsi nihil priorum eueniat, non paruam sustinebis iacturam inferioribus affixus, quòd eorum seruus factus, & à cœlestibus cadens, & nihil excelsorum cogitare potens.* cap. 3. vers. 8. adnotat. 8. à num. 9. Iunge illud Augustini in Psal. 88. *Frumentum si haberes in inferioribus, leuares ad superiora, ne putresceret: frumento tuo mutas locum, & cor permittis in terra putrescere.*

22. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Pulchrè Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte: *Ergo, si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, vt terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum cor, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit: quia munda sunt, quæcunque cœlestia: sordescit enim aliquid, cùm inferiori miscetur naturæ, quamuis in eo genere non sordida: quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur: & animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamuis ipsa terra in suo genere, atque ordine munda sit.* cap. 2. vers. 15. adnotat. 1. n. 8. & adnotat. 2. n. 13.

23. *Vbi est thesaurus tuus, &c.* Notanter thesaurizare, & thesaurum inculcat Dominus. Nimirum, non contentus monuisse, vt iustitię vtcunque vacemus; ad indefessum virtutum studium, earúmque profectus indesinenter faciendos, thesauri imagine vrget. *Quemadmodum* (inquit Auctor Operis imperfecti) *qui semel congregare cœperit in terra, ipsa concupiscentia terrena facit eum magis sollicitum esse; nec solum ne minuat inde, sed vt magis augeat: sic & qui thesaurizat in cœlo, ipsa concupiscentia spiritualis facit eum sollicitum, non solum vt non perdat, quod habet; sed adhuc, vt augeat, super quod habet.* cap. 2. vers. 13. adnotat. 6.

Feria tertia.

1. *CVm intrasset* IESVS *Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Notanter priùs dicitur, IESVM Capharnaum introiisse, quam Centurionem ad ipsum accessisse: nimirum, Capharnaum interpretatur, *Ager pœnitentiæ:* nec vllos hic ager fructus producit, quin Deus illi gratiæ suæ rorem infundat: ipse enim est, qui *operatur in nobis velle, & perficere,* peccatoris incuriam in suæ dulcedinis benedictionibus præueniens. c. 2. vers. 13. in expositione litteræ, à num. 9. & adnotat. 2.

2. *Centurio.* Chrysologus serm. 15. Centurionis nomen, & munus premens, inquit: *Verè Centurio, qui stipendia terrena centenarium Christi mutauit in fructum, & seruitutē militiæ sæcularis in diuinam sustulit dignitatem.* Et quidem tantò maioribus laudibus dignus, quantò aduersùs mala eorum exempla, qui in eo munere similes extiterant, Christo credidit, & fidem amplexatus est. Vnde Origenes hom. 5. ad hæc verba: *Increpatio, nempe, illorum ostenditur ascendentium quondam ad Eliam in Carmelo quinquagenorum, qui manentes in infidelitate, cœlesti sunt igne consumpti: iste verò ex infideli particeps fidei factus.* Vide cap. 2. vers. 19. adnotat. 2. num. 9. de mali exempli vi, & efficacitate.

3. *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus.* Origenes hom. 5. in diuersos Matthæi locos: *Multi illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus: nullus tamen pro seruo, nisi iste solus: & hoc ei ad beatitudinem, & coronam gloriæ erat.* Nimirum, proprium est Principis, atque eius, qui excellentiorem locum obtinet, minorum vtilitati, & bono prospicere. cap. 2. vers. 26. adnotat. 1. tota.

4. *Puer meus iacet.* Benè pendit Auctor Operis imperfecti, Centurionem nihil sigillatim à Domino postulasse: sed tantùm infirmitatem pueri exposuisse: *Sciebat, (inquit,) quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideò infirmitatem tantùm exposuit, remedium autem sanitatis eius in potestate misericordiæ eius dimisit.* Certus Dominum sic salutem nostram operari, vt opus suum perficiat. vers. 13. adnotat. 4.

5. *Ego veniam, & curabo eum.* Chrysologus serm. 15. *Non Centurio ad pietatem pietatis traxit auctorem: neque ad hoc ille ire compulit Christum, ad quod venerat Christus: sed Centurio magis, sic sentire, sapere sic docetur, quare ad seruum in seruo venerit Christus, quare ad hominem in homine venerit Deus: vtique, vt leuaret iacentes, elisos erigeret, solueret compeditos, & eos, quos iam nemo nec afferre, nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus baiularet.* Pende hæc extrema, *ipse operis vector,* quasi ex primo homini collato beneficio teneatur quodammodo Deus alterum largiri, & operi suo manum porrigere. cap. 2. vers. 3. adnotat. 4. tota, præsertim num. 5.

6. *Ego veniam.* Plures à Patribus afferuntur rationes, cur Dominus Regulo petenti, vt ad eius domum descenderet, abnuerit: in Centurionis verò domum, id beneficium recusantis, ire cœperit? Eam verò reddit Paschasius: *Fides in causa est, vt ille erudiatur, qui credidit, eum non posse absentem curare, cùm esset vbique totus, & præsens adesset filio: iste verò, vt exerceatur ad ampliora, & nobis innotesceret, quantis præemineret virtutibus, ad quem Dominus libenter ire gauderet.* Ac si diceret, talem se Deum hominibus exhibere, quales ipsi sese homines exhibent; sicque ipsos tractare, prout ab ipsis tractatur. cap. 2. vers. 13. adnotatione 5. à num. 11.

7. *Domine, non sum dignus.* Chrysostomus homil.

38. ad

38. ad populum Antiochenum : *Nam & nos seruos habemus, maxime tunc eos acceptos habemus, cum, postquam omnia beneuolè ministrauerint, nihil magnum se fecisse censent. Itaque, si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt: sic & Centurio dicebat :* Non sum dignus, *&c.* cap. 3. vers. 12. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim.* & vers. 13. *Ego me non arbitror comprehendisse.* in expositione litterali, & morali, à num. 2.

8. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites.* Quid? Sub te subditos habes, & tu sub potestate es? Ita quidem, quòd id potentis, & Prælati munus sit, vt cum proprio incommodo, suique iactura suis opem ferat. cap. 1. vers. 30. adnotat. 1.

9. *Et dico huic, Vade; & vadit: & alij, Veni; & venit: & seruo meo, Fac hoc; & facit.* Chrysologus serm. 103. *Iudæorum repulsam, vocationem gentium, Christiani populi obedientiam sic demonstrat. Dico huic, id est, Iudæo, Vade; & vadit: & alij, id est, gentili, quia credidit, Veni; & venit: & seruo meo, hoc est, Christiano, Fac hoc; & facit.* Ex quibus sic infert : *Oremus, Fratres, vt mereamur Christiani, non tantùm nomine esse, sed fide; & vt quæ iubentur, non audiamus tantùm, sed faciamus audita: quia, sicut deuoti serui est fecisse iussa; ita iussa contumacis est non fecisse.* c. 3. vers. 3. *Nos sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo.* In expositione litteræ à num. 2.

10. *Vade; & vadit: & alij, Veni; & venit.* Pulchrè Nicænus hom. 10. in Cant. in his militibus, quorum alter abire, alter venire iubetur; tum virtutem, ac vitium significari vult; tum in verborum structura obseruat, militem semel abire iussum, non ampliùs ad domum reduci, sed illius loco alium accersiri, qui data sibi iussa impiger exequatur: quippe peccato ab anima expulso, & nullus ei aditus est aperiendus, & bonis subinde operibus, tanquam armato milite, muniendus, & custodiendus est animus. cap. 2. vers. 12. adnotat. 7. à num. 3.

11. *Audiens autem* IESVS *miratus est.* Origenes in Catena sancti Thomæ : *Attende, quantùm sit, aut quale, quod Deus vnigenitus miratur. Aurum, diuitiæ, regna, Principatus in conspectu eius sunt, tanquam vmbra, vel flos decidens. Nihil ergo horum in conspectu Dei mirabile est, quasi magnum, & pretiosum, sed tantùm fides: hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi æstimat.* Desine ergo ea mirari, quibus insana hominum libido pretium fecit; & ea solùm, quibus Deo charus, & pretiosus es, virtutem, scilicet, & bona opera sectare. cap. 3. vers. 3. adn. 1.

12. *Non inueni tantam fidem in Israël.* Benè Cardin. Tolet. in cap. 7. Lucæ. *Ideò non inuenisse dicitur, quasi eius esset inquirere, ac postulare fidem à Iudæis, quasi à suis.* Quippe, quibus sui scientiam, & legem, egregiaque beneficia, tanquam peculiari, ac electo sibi populo dederat. O miram ingratitudinem! *Diligit Deus filios Israël, & ipsi respiciunt ad Deos alienos.* cap. 3. vers. 8. adnot. 10. n. 8.

13. *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Magnus his verbis timor, & metus iustis tepidis, ac negligentibus incutitur : nam regnum cœlorum, & cogitur, & extenditur : caue ergo, ne latro tibi anteuertat : ne sicarius bonum illud præripiat. cap. 2. vers. 12. adnotat. 3. num. 4. 5. & seqq.

14. *Multi ab Oriente, & Occidente venient.* Nonne etiam, & à Septentrione, & Meridie? Ita quidem : nam *in his partibus* (inquit Paschasius) *etiam duæ mediæ, vt conquadrentur ad soliditatem, pro certo intelliguntur.* Quare ergo harum signatè mentio fit? Respondet ipse : *Prima, & vltima ideò ponuntur, quatenus dies ille semper in memoria figatur, quando fulgur exiet ab Oriente, & parebit vsque ad Occidentem : quoniam tunc erit aduentus Filij hominis.* Nimirum, futuri Iudicij cogitatio terrenorum amorem cohibet, & animum in officio continet. cap. 4. vers. 8. adnotat. 3. num. 5.

Et recumbent cum Abraham. Acutissimus his verbis, Iudæis à fide, & moribus Abrahę deficientibus, necnon & Christianis Magistrum vitæ non imitantibus infigitur aculeus, quòd eos solùm ad cœlestem mensam Abraham excepturus dicatur, qui ipsius mores vitæ probitate expresserint : non verò, qui ab ipso sanguinis ortum duxerint. Ita Euthymius : *Abraham in medium adduxit, quò maximè Iudæos morderet, adoptando, scilicet, ipsi Abraham eos, qui à gentibus procederent :* quòd ipsi, videlicet, similes essent futuri. Vnde Paschasius : *Vnde & hi Patres ad medium deducuntur, quorum non confunditur vocari Deus, &c. Vtique eorum, quorum isti apud eum, qui cunctos nouit, tenentur exemplar.* Vide cap. 2. vers. 15. adnotat. 1. tota, præsertim num. 7. 15.

Recumbent cum Abraham. Signatè Abraham cœlestis conuiuij Princeps astruitur, quòd in terris degens peregrinos suscipiebat ad mensam. Audi Chrysologum serm. 42. ad fin. *Abraham cœlestis conuiuij Principem humanitas ardens Deo impensa perfecit: nam, quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis, & Occidentis populum mensam suscepit ad cœlestem.* cap. 2. vers. 12. adnotat. 8. tota præcipuè à num. 7. 16.

Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Vt vel hinc discas, cum metu, & tremore salutem operari, cùm ipsimet, qui & filij, & regni hæredes fuerant, in tenebras exteriores, id est, in gehennam detrudantur. Chrysost. hom. 27. in Matth. *Cauendum, ne aut illi, quasi non possint redimi, omninò negligant; aut isti, quasi iam stabiles sint, confidentia corrumpantur.* cap. 2. vers. 12. adnotat. 1. à num. 2. 17.

Filij autem regni. Cyprianus de oratione Dominica : *Ostendit, quia ante filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei esse perseuerabant : postquam cessauit in illis nomen paternum, cessauit & regnum.* Quod equidem non solùm de regno cælesti, sed de terreno etiam capiendum est : nimirum, *regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, &c.* cap. 2. vers. 27. adnotat. 1. tota, præcipuè à n. 9. 18.

In tenebras exteriores. Eusebius Emissenus : *Tenebræ illæ exteriores sunt, vltra quas aliæ tenebræ non sunt : sunt autem aliæ tenebræ interiores, ex quibus venitur ad has exteriores :* cùm, videlicet, homines oculos suos statuerunt declinare in terram, in hæc sæculi bona omnes cogitationes suas figentes. Vide cap. 4. vers. 8. adnotat. 3. num. 9. ad fin. 19.

Feria sexta.

Diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri. Habes hac de re sex ad minus adnotationes, capit. vers. 15. ab adnotatione 3. vsque ad 9. in quibus adstruitur, eos, qui iniurias suas liberaliter remittunt, simplices Dei filios moribus, regio splendore, egregia fortitudine, vera sapientia, illustrique felicitate esse.

Sabbato.

Et cùm serò esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Marci 6. Dominus in terra, 1.
& discipuli ab ipso in mari diuisi, quod malum non timerent? Ideò apud Matth. 16. renuentes, ac reluctantes nauim confundere compulsi sunt.

Ad quem locum Hieronymus: *Quasi inuiti, & retractantes Apostoli à Domino recesserant, ne illo absente naufragium sustinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur*, &c. Vide cap. 2. vers. 13. adnotatione 5. n. 1. 2. & 3. ibi preme verba Dragonis. *Statim, vt recesseris, somnus occupat nos.*

2. *Videns eos laborantes in remigando.* Sunt illi maximè grati Deo, qui ipsius gratiam in vacuum non recipiunt; sed cum ipsa strenuè laborant. cap. 2. vers. 13. adnot. 2. à num. 3.

3. *Laborantes in remigando.* Falsò tibi blandiris, dum credis, & iactas facilem, atque securam rem esse æternam salutem, cùm remum indesinenter ducere opus sit, hoc est, omnem curam, atque sollicitudinem in ea collocare; non secùs ac is, qui in medio mari contrariis ventis iactatur, omnimodo laborat, & sudat. Vide cap. 2. vers. 12. adnotat. 1. 2. & 3.

4. *Erat enim ventus contrarius eis.* Itáne suos Deus tractat? Et contrarium illis ventum reflare permittit? Ita quidem: vt sese illis benignissimum patrem exhibeat, qui secundos ventos, prosperam, scilicet, fortunam, animum corrumpentem submoneat. cap. 4. vers. 12. adnotat. 2. tota, præsertim à num. 8. ibi: *Surge, Aquilo: veni, Auster.*

5. *Et venit ad eos.* Interlinealis, *Comprimens omnia pericula mundi.* Opportunè huic rei Seneca lib. 4. controuersiar. 1. *Ecce nauem diuinitas armat: subitò visa sunt vela: subitò nauis cœpit, & regere se, & attollere. Magnum est præsidium in periculis, innocentia.* Quippe Deus iis signatè opem fert, qui innocentes, & immaculati cum ipso sunt. cap. 2. vers. 13. adnotat. 5. num. 11.

6. *Et venit ad eos.* Opem optimo iure laturus, quòd non sponte, sed ipsius iussu sæui maris discrimini sese commiserant. Vt videas, quantum intersit discrimen inter pericula, & peccati occasiones, quas tu temerarius aggrederis; & inter illa, quæ ab iis muneribus, quibus Deus te committit, oriuntur: in iis enim certum adiutorem eum habes; in illis ab ipso in temerarij ausus pœnam meritò desereris. cap. 2. vers. 12. adnot. 11. tota, præsertim n. 9.

7. *Ambulans supra mare.* Illi inter feros fluctus securi erant. Quippe *sæuum mare inuoluitur*, (indidem Seneca,) *procellæ spumante impetu latera nauigij vrgent, pulsatur vndique nauis periculis; innocentia tamen tuta est. O maria iustiora iudiciis!* Dominus similiter sæuos, & furentes fluctus securus calcabat. Augustinus sermone 14. de verbis Domini: *Surgebant fluctus; sed calcabantur: fremens pelagus sub Domini vestigiis murmurabat; sed tamen eum volens, nolens portabat. Quantumlibet timores sæculi, potestatésque consurgant, premit eorum caput, nostrum Caput.* Nimirum, tribulationes iustos non calcant; sed ab ipsis calcantur, & proteruntur. cap. 2. vers. 23. adnot. 1. num. 6.

8. *Ambulans supra mare.* Theophylactus in caput 6. Ioannis: *Transierunt quidem Iudæi mare rubrum, duce Moyse, & illic flante cedebat vento aqua, vt quasi in arida daret transitum: hoc autem loco maius miraculum fit: manens enim in sua natura mare, in superficie sua ferebat Dominum, vt impleretur propheticum illud: Qui* ambulat super mare, vt pauimentum. Vt hinc euangelicæ paupertatis nullis periculis obnoxiæ priuilegium maximè commendetur. cap. 3. vers. 8. adnotatione 5. num. 11.

Et volebat præterire illos. Cur illos præterire volebat, qui ne præteriret, sed potiùs vt ipsis opem ferret, veniebat? Non equidem, quòd reapse præterire, eosque deserere vellet: sed vt prætereundi signo dato, ipsorum desiderium eò plùs accenderet, quò maius subinde ipsis præsentia sua gaudium infunderet. Hic enim Dei mos est, vt maius sui desiderium excitet, vt plus satiet, atque reficiat: secùs quidem ac mundus, qui sitim excitat, vt acriùs cruciet. cap. 4. vers. 4. adnotatione 1. num. 7. Adde Bernardum sermone 74. in Cant. *Ne tunc quidem istud volebat: sed magis probare fidem, & elicere precem. Ergo istiusmodi piam simulationem, imò salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identidem Verbum spiritus modo suo spirituali cum deuota sibi anima sedulò actitare.* 9.

Putauerunt phantasma esse. Chrysostomus hom. 51. in Matthæum: *Quoniam iam confestim se liberaturum iri crediderunt, tunc maior eis timor calamitatum erat.* Sed, cur tunc maximè timerent, cùm vicinior sibi salus, & incolumitas aderat? Sanè, quòd timor non obscurus salutis index sit. cap. 2. vers. 12. adnotat. 2. num. 10. 10.

Putauerunt phantasma esse. Turbatis, scilicet, præ terrore oculis: subiicit enim Marcus: *Erat enim obcæcatum cor eorum.* Quippe, *erat oculus, vbi erat affectus.* nec alia quidem de causa virtus, & quidquid ad æternam vitam attinet, phantasma, & spectrum tibi esse videntur, cap. 3. vers. 10. adnotat. 1. à num. 7. 11.

Et exclamauerunt. Benè alio intentus Galfridus: *Offendit in via iumentum, cui insides; aut fortè, qua veheris, periclitatur nauicula: numquid non diuinum protinus inclamas auxilium? Cessat oratio, quoties deest necessitas.* Clama ergo, & orationi semper intende: quia nunquam à periculo immunis es. cap. 4. vers. 6. ibi: *Sed in omni oratione.* à num. 2. 12.

Et exclamauerunt. Victor Antiochenus: *Dominus* IESVS *non priùs suis se discipulis patefecit, quàm ipsi clamoris voces ad illum destinant, eiúsque opem, ac fidem implorant.* Vt orationis efficacitatem, & pretium ostenderet, quæ omnia valet mala depellere. ibidem num. 4. & 5. 13.

Confidite, ego sum: nolite timere. Theophylactus in caput 6. Ioannis: *Terribilia quidem prætereunt: ego sum: ideò ne timeatis ea, quæ prætereunt. Ego autem sum, hoc est, semper manens, & sum Deus ille, qui est. Itaque, quia terribilia quidem temporalia sunt, & non verè sunt, ego autem sum, hoc est, maneo, & nunquam prætereo, & verè sum; ne perdatis vestram in me fidem propter temporalia.* cap. 2. vers. 19. adnotat. 1. num. 5. & seqq. 14.

Et ascendit ad illos in nauì, & cessauit ventus. Pulchrè Beda: *Nec mirandum, si ascendente in nauiculam Domino, ventus cessauit: in quocumque enim corde Deus per gratiam sui adest amoris, mox vniuersa vitiorum, & aduersantis mundi, sine spirituum malignorum bella compressa conquiescunt.* cap. 4. vers. 7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum*, &c. 15.

Continuò cognouerunt eum. Tam intellectus cognitione, quàm scientia practica affectus, & charitatis. Vbi vides, quàm opportunus salutis artifex metus sit, quo priùs corda vtiliter concutiuntur, & ad charitatem sensim manuducuntur. cap 3. vers. 3. in expositione litteræ, num. 12. 16.

Et

17. *Et percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre.* Magna Gerasenorum prudentia in arripienda occasione, quam illis Dominus ad ægrotos ipsorum sanandos obtulit: magna etiam prudentia nostra erit, si dum nobis ad diuinum obsequium, & æternam salutem captandam offertur occasio, eam per negligentiam abire non sinamus. cap. 2. vers. 12. adnot. 4.

18. *Et deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent.* Vide boni exempli vim, atque efficacitatem. Nouerant Hæmorroïssæ fidem, quæ ad leuem fimbriæ tactum credidit fore sanandam; eámque imitati, eiusdem fimbriæ tactum deprecantur, credentes ex illo, non secùs, ac illi fœminæ, salutem sibi ipsis obuenturam. cap. 2. vers. 16. adnotat. 2.

Dominica prima Quadragesimæ.

1. *DVctus est* IESVS *à Spiritu in desertum.* Hieronym. *Ducitur autem non inuitus, aut captus, sed voluntate pugnandi.* Sanè tanquam verus, ac germanus Dei Filius, qui Patri obsequens, suum, non alienum negotium facere existimat. cap. 3. vers. 3. adnot. 1. à num. 2.

2. *Ductus est à Spiritu.* Diuino, non humano: humanus enim spiritus, qui sese tentationibus ingerit, rem Diaboli agit, eúmque dormientem (vide infrà num. 5.) excitat, ruinámque sibi parat. Ita Chrysologus serm. 11. *Non à Diabolo: vt esset diuinus cursus, non humanus incursus.* Similiter Chrys. *Ducta est, & quasi pædagogum habuit caro Spiritum sanctum.* cap. 2. vers. 12. adn. 13. tota.

3. *In desertum.* Vt honestiores pugnæ, nec Christo indignæ essent. Ita Cyprianus serm. de ieiunio, & tentationibus Christi: *Honestiùs cum spiritu, quàm cum carne luctamur: quia carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui sibi adhæserit, aliqua ex parte contaminat, nec libidinis morsus quisquam euasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longè positos inficit: & hoc certaminis genus fugam potiùs, quàm assultum requirit.* Vide cap. vers. 11. adnot. 10. à num. 6. Quòd si in deserto ipso, ex durissimis lapidibus ansam ad tentandum Christum Diabolus sumpsit; quid ex blandissimis sermonum, & deliciarum lenociniis, is, qui aliter ac Dominus, fragilem, & ad peccandum lubricam carnem habet, sibi pollicebitur. Vide ibi, & adnot. 12. n. 3.

4. *Vt tentaretur à Diabolo.* Sunt etiam in deserto tentationes: sed Diabolus seipso in deserto tentat: in vrbibus homines ab hominibus tentantur: ideò hæ molestiores, & periculosiores sunt. Certè à Dæmone tentatus Dominus nullas querimoniæ voces dedisse fertur: at, dum in vrbe ab hominibus tentatur, sic questus dicitur: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Matth. 22. 18. Vide cap. 3. vers. 2. adnotat. 1. à num. 1.

5. *Vt tentaretur à Diabolo.* Itáne? Ipsemet Dominus à Diabolo tentatur? nec à Diaboli insultibus filij Dei immunes sunt? Benè Ailredus in id Isaiæ 14. *Ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos.* interrogationi huic satisfacit hunc in modum: *Obdormisti, Satana, non interiisti: nulla ergo securitas.* Facilè excitatur, qui dormit. Pax est, & requies, sed perfectis: verùm nec ipsis continua potest esse, aut plena, donec *nouissima destruatur mors.* Noli ergo de tua tibi salute blandiri; sed cum metu, & tremore tuam salutem operato c. 2. vers. 12. adn. 1.

6. *Et cùm ieiunasset.* Præmisit ieiunium, quasi æreum murum tentationibus inexpugnabilem. Cyprianus citato loco: *Voluit sapientia Dei primo erudiendos informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta.* Auctor Operis imperfecti: *Si tibi non proficit ieiunium tuum, vt non tenteris: tamen ad illud sine dubio tibi proficiet, vt à tentationibus non vincaris.* Ambrosius serm. 25. *Murus igitur quidam est Christiano, ieiunium, inexpugnabilis Diabolo, intransgressibilis inimico. Quis vnquam Christianorum ieiunauit, & captus est? Quis sobrius mansit, & victus est?* Quare? Sanè, quòd à ieiunio caro impenetrabilis, & velut angelica, ac proinde corruptioni minimè obnoxia, quodammodo redditur. cap. 3. vers. 18. adnot. 1. num. 6. Reddit & aliam inibi rationem Ambros. Nam, cùm dixisset de Dæmone: *Debilitatur inedia, infirmitate prosternitur: quia Christiana infirmitas, fortitudo est: vnde ait Apostolus: Cùm infirmor, tunc potens sum.* subiicit: *Sed requirit aliquis, quemadmodum fortis infirmitas? Tunc est fortis infirmitas, quando caro tabescit ieiuniis, anima puritate pinguescit. Quantùm enim illi ciborum succus subtrahitur, tantùm huic iustitia virtus augetur.* Vide eadem adnotatione à num. 2.

Et accedens tentator. Quando accessit? Cùm esuriit. Benè Chrysologus serm. 11. *Ad ieiunum non audebat accedere: quia sic ieiunantem, Deum, non hominem sentiebat: tunc sensit hominem, tunc mortalem credidit, tunc eum putauit posse tentari, quando eum esurire callidus explorator inspexit.* Vt videris, diuinum quid esse ieiunium, & homines Deo similes facere. Indidem à n. 3. & 5. 7.

Et accedens tentator. Itáne, eum, quem quadraginta dies ieiunio, & orationi omninò deditum fuit intuitus, tentare ausus est? Ita planè: imò verò iusti profectibus plùs ille accenditur, vt validiùs oppugnet. Quò etiam opportunè retulit Hilarius canon. 3. in Matth. signatè post Baptismum Dominum fuisse tentatum: *Tentatione sua* (ait ille) *indicans in sanctificatis nobis maximè Diaboli tentamenta grassari: quia victoria ei est magis exoptata de sanctis.* Sic sanè Sapiens: *Fili* (inquit) *accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Ac si dicat: tunc enim acriores erunt hostis insultus, cùm propiùs ad Deum accesseris: ita quidem cùm Dominus puerum à Dæmone vexatum ad se adduci iussisset (Marci 9.) eúmque benignè fuisset intuitus: *Statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram volutabatur spumans.* Idne diuini oculi efficiunt, vt acriùs inde miser ille vexaretur? Audi Bedam: *Allatum Domino puerum Spiritus conturbat: quia sæpè dum conuerti ad Dominum post peccata conamur, maioribus antiqui hostis pulsamur insidiis.* Ergo beatus vir, qui semper est pauidus, & cum metu, & tremore suam salutem operatur. cap. 2. vers. 12. adnot. 2. num. 2. & 6. 8.

Dic, vt lapides isti panes fiant. Sunt quidem lapides panibus adsimiles: sed, si verè æstimas, & pensiculatiùs rem examinas, nihil adeò ipsis contrarium est: nec aliud aliquid offerre Dæmon potuit, ex quo tanta difficultate panis effici posset. Sic Dæmon parentis affectum erga filium demonstrans, dixit. Disce inde Dæmonis artes, disce ambages, disce difficiles peccatorum vias, & cùm mundi bona falso splendore lucentia, & voluptates fucata facie blandientes videris, scito, nihil voluptati, siue vero gaudio magis contrarium esse. Benè Chrysologus serm. 11. *Lapides esurienti offert: humanitas talis est semper inimici: sic pascit mortis auctor, sic inimicus vitæ.* cap. 3. vers. 8. adnot. 6. tota. 9.

Dic, vt lapides isti panes fiant. Opportunè venerabilis Isaac apud Gotfridum Tilmanum: *O lapidãda malignitas, quæ lapide refici Filium Dei suades! Homines* 10.

Homines cùm sint mali, norunt bona data dare filiis suis: petenti panem Filio Pater cœlestis lapidem daret, aut pro pisce scorpionem, aut prò ouo serpentem? Torpentem spiritum à desiderio, & meditatione cœlestium, tanquam à pane Angelorum, ad lapidem frigidum, durum, & siccum inuitat, id est, amorem, & delectationem terrenorum, vt si illam consolationē perdidit, ab ista recipiatur. cap. 3. vers. 8. adn. 10. n. 7.

11. *Dic, vt lapides isti panes fiant. O misera Satana & extrema congressio!* (inquit Ambrosius serm. 35.) *Diabolus in deserto tentationis solida arma non inuenit. Deest illi de Paradiso amœnitas arborum: deest illi consiliatrix Eua: deest illi pomorum speciosa deceptio: & quia non inuenit cibū, quem offerret esurienti, postulat in cibum saxa mutari. Vndique exclusus, vndique defraudatus ad pauimētum se confert.* Vt hinc pungas homines diuino obsequio mancipatos, à Dæmone postmodum næniis, & inanibus crepundiis infeliciter deceptos. Eadem adnot. num. 11.

12. *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Quænam his verbis subest tentatio? Quænámque foret culpa esurientem pane vesci? Vis nosse? preme verba cum Theophylacto: *Non dixit, vt lapis hic panis fiat; sed vt lapides isti panes fiant; volens Christum ad superflua instigare: esurienti enim vnus panis sufficit, & propter hoc Christus non audiuit eum.* cap. 4. vers. 12.

13. *Non in solo pane viuit homo.* Rectè Glossa ordinaria: *Persuasio tua tentatio est: quia agis de cibo corporis, & non de cibo mentis: inferior pars hominis pane sustentatur: alia verbo Dei reficitur: quia verò agis de inferiori, patet, quòd tentator sis.* Vt hinc primò videris, quàm sapienter dixerit Plutarchus in lib. de discrimine adulatoris, & amici. *Cùm amici nostri pars vna veritati, atque honestati dedita rationi rectè obtemperet, altera bruta sit, falsi appetens, incertísque obnoxia motibus: amicus quidem in potiorem partem consulit, & huic patrocinatur, medicorum exemplo, quod sanum est, id augens, ac tuens: adulator autem brutæ, & affectibus obnoxiæ parti assidet, hanc scabit, ac titillat.* Deinde Dæmonis opus esse, terrena ministrare. cap. 3. vers. 8. adnot. 8. num. 10.

14. *Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Benè Christianus Druthmanus: *Semper plùs soliciti sumus, pasci de verbo Dei animam in æternū victuram, quàm corpus quandoque moriturum; quia illa anima, quæ verbo Dei nō pascitur, profectò mortua iacet.* Breuiùs Hieronym. *Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non viuit.* c. 3. vers. 3. adn. 2. tota, præsertim num. 9. ibi, ex Tertulliano: *Meritò dixerim, Morere.*

15. *Non in solo pane viuit homo.* Greg. Magn. in Cat. S. Thom. *Sic ergo tentatus à Diabolo Dominus sacri eloquij præcepta respondit: & qui tentatorem suum mergere in abyssum poterat, virtutem suæ potentiæ non ostendit: quatenus nobis præbet exemplum, vt quoties à prauis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potiùs, quàm ad vindictam.* cap. 2. vers. 15. adnot. 7. à num. 1.

16. *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem.* Eusebius Emissenus: *Nititur eos, quos tentat, ad excelsa ducere, & in altum eleuare: vt, sicut ipse eleuatus cecidit; sic & alios exaltando, ruere faciat.* cap. 3. vers. 8. adn. 9. *Altitudinem, atque potentiam sæpè animæ peremptoriam, sæpè sæpiùs periculosam esse.*

17. *Et statuit eum supra pinnaculum templi.* Vide ibi num. 5.

18. *Mitte te deorsum.* En, quò tendat perpetuus tuus ad honorum fastigia conscensus. *Sic suis suadet* (inquit Chrysolog. serm. 13.) *sic suis prouidet semper: sic suos eleuat, vt de alto præcipitet validiùs in ruinam.* cap. 3. vers. 8. adnotat. 6. num. 11. ibi, ex Seneca: *In præcipitia cursus iste deducit.*

Mitte te deorsum. S. Maximus hom. 1. *O quàm stulta hæc suasio, nimiúmque peruersa, vt Filio Dei diceret: Mitte te deorsum. Nunquid non rectiùs dixisset? Si Filius Dei es, ascende in cœlum. Quod vtique si faceret Dominus, verè illum Dei esse Filium comprobaret. Sed inimicus cœli, ne tentando quidem, ascensum vult suadere cœlestem: deorsum, & in ima prouocat, quia optat omnes cadere.* Ac si dicat: Nec tentando quidem vult comminisci cœlestia; nec permittit, vt homines cœlum suspiciant, & cœlestia meditentur, ac cogitent: quippe inde omnis recta actio oritur. c. 4. vers. 8. ibi, *Hæc cogitate.* & adn. 3. tota. Sed ad terrena oculos, animúmque conuertere suadet. c. 3. vers. 8. adn. 8. tota, præsertim n. 9. 19.

Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum. Benè dixit ad præcedentia verba Beda: *Quemadmodum Dominus super pinnaculū poni voluit; sed ad eius imperium deorsum mitti noluit: ita docet, vt nos, si quis suadet, viam veritatis ascendere, obtemperemus; si autem vult nos ad ima de altitudine virtutū præcipitare, non illum audiamus.* Quæ quidem verba sic verto, vt inferam, quòd, quemadmodum eum, qui nos de altitudine virtutum præcipitare vult, audire non debemus: ita ei, qui viam veritatis suadet, nobísque præpositus est, quamuis virtute non sit cōspicuus, omninò obtemperemus in iis omnibus, in quibus peccatum non cernitur: ecce enim Dominus minimè repugnauit, cùm Diabolus iterum, atque iterum ipsum assumere, & siue super pinnaculum templi, siue super montem statuere voluit, quòd ei à Deo hæc fieri fuisset permissum, nec vllum in iis peccatum esset. cap. 2. vers. 14. adnot. 1. tota, præcipuè num. 11. 20.

Et ostendit ei omnia regna mundi. Addit Lucas, *in momento temporis.* In quæ verba Ambrosius lib. 1. de Caïn, & Abel, cap. 5. *Benè in momento: quia diuturna esse nequeunt: paululùm expecta, & citò transeunt. Itaque, qui sequuntur ea, in monte sibi esse videntur, sed non sunt perpetui, sicut habes scriptum:* Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat. cap. 3. vers. 8. adnot. 1. & adnot. 2. num. 3. 21.

Et gloriam eorum. Callidissimè: ad hunc enim scopulum labilis humana mortalitas facilè impingit, dum ea solùm intuetur, quæ in superficie splendent: quòd si mala, quæ intùs latent, intueretur, non haberet, opinor, tot amatores mundus. Ideò Sapiens: *Ne intuearis* (inquit) *vinum, quando flauescit.* cap. 4. vers. 8. adnot. 3. tota, præsertim num. 4. 22.

Hæc omnia tibi dabo. Addit Lucas: *Mea sunt, & cui volo, do illa.* Cur taces causam, siue rationem, cur hæc omnia tua sint? Audi Augustinum: *Meritò suæ peruersitatis terrenis rebus præpositus.* cap. 3. vers. 8. adnot. 7. *Sæculi bona supplicium, & pœnam esse.* num. 2. & seqq. 23.

Hæc omnia tibi dabo Grande, scilicet, munus, omnium mala, omnium onera vni deferre. *Quid ad me defers* (inquit Seneca ex Demetrij persona, ei, qui res omnes sibi possidendas traderet) *populorum omnium mala: ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in altam fæcem rerum hunc expeditum hominem demitto.* c. 3. vers. 8. adn. 5. n. 6. 24.

Illi soli seruies. Preme, non dixisse Dominum, illi seruies: sed illi soli seruies: quòd germani Dei filij vni solùm rei, diuino, scilicet, obsequio tantùm vacare debeant. c. 2. vers. 15. adnot. 2. num. 3. 25.

Illi soli seruies. Non dixit: quia ipse præmia, vel supplicia inferet: quòd adeò amore, & obsequio dignus sit Dominus, vt nulla ducti mercede, sed filiali affectu ipsi inseruire debeamus. c. 3. v. 3. adn. 2. & 3. 26.

Feria

Feria secunda.

1. *CVm venerit Filius hominis in maiestate sua.* Vide, quo tempore, & quibus circunstantiis hæc dixerit Hieron. *Post biduum Pascha facturus, & tradendus cruci, & illudendus ab hominibus, & aceto, & felle potandus, rectè præmittit gloriam triumphantis, vt futura scandala pollicitationis præmia compensarent.* Cœleste nimirum brauium ob oculos positũ animum ad virtutis stadium indefessè percurrendum acriter stimulat. cap. 3. vers. 13. adnot. 3.

2. *Filius hominis.* Cur adhuc *Filius hominis:* qui iam per omnia Deus (iuxta dicta ad cap. 2. vers. 9. ad ea verba, *propter quod & Deus exaltauit illum.* n. 14. & 15. & seqq.) quique Dei Filij potestatem exercitu- rus venit? Sanè, quòd Pater dederit Filio iudicium facere: non, quia suus; sed, quia filius hominis est, vt homo humanè à Deo iudicetur: & si plectendus sit, non summo rigore, sed vltra condignum puniatur. cap. 2. vers. 27. adnot. 1. n. 8. & seqq.

3. *Et omnes Angeli eius cum eo.* Quare & Angeli ad iudicium veniunt? Iudicaturi, aut iudicandi sunt? Non opinor; sed, cùm *administratorij sint Spiritus, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis;* opportunè modò adsunt, vt suis alumnis manum porrigãt, & ad cœlestia regna tanquam baiuli deferant: quod equidem ipsorum magnitudini maximè consentaneum est. cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 2.

4. *Tunc sedebit super sedem maiestatis suæ,* &c. Quid? Nónne etiam modò sedet, dicente Marco cap. 16. *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.* Cur ergo tunc signatè sessurus dicitur? Non equidem, quòd modò non sedeat, sed quòd nondum sedeant iusti, quibus ille adeò arctè coniunctus est, vt iis non sedentibus, nec ipse se sedere putet. Apta hîc, quæ ex Cyril. Alexandrino diximus, cap. 3. vers. 19. ad ea verba, *Flens dico.* num. 11.

5. *Sedebit super sedem maiestatis suæ.* Inquirunt Interpretes, quid portendat hæc sedes, super quam Christus sessurus dicitur. Et quidem Orig. hom. 34. & Auctor Oper. imperf hom. 54. in Matt. respondent, per hanc sedem Sanctos esse intelligendos, in quibus Christus ideò sessurus dicitur, quia in illis perpetuò manebit: nec ipsi deinceps vlli subiacebunt mutationi. Consta ergo tibi, & assuesce vnus esse, & in Dei obsequio constanter durare, erisque sedes Christi. cap. 4. vers. 1. adnot. 1.

6. *Et separabit eos ab inuicem.* Auctor Operis imperf. hom. 54. *Sicut tempore hyemis inter virides, & aridas arbores discretio nõ est: cùm autẽ venerit tẽpus illud beatũ vernale, discernuntur: ita tunc vnusquisque secundum fidẽ suam, & secundum opera sua manifestabitur: impiis quidẽ nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructũ: Sancti autem & foliis vestientur vitæ æternæ, & fructibus ornabũtur gloriæ:* & hoc modo segregabuntur à Domino, cœlesti Pastore. Vis autẽ nosse, vnde in electis folia, fructúsque æternæ vitæ pullulent? Equidem à charitatis, & misericordiæ radice, quæ in hac vita flores, fructúsque suos profert, quibus gloriosi illi respondent. Audi Paulum cap. 4. vers. 11. *Gauisus sum autem, quoniam refloruistis sentire pro me.* Vide ibi fol. 791. colum. 2. n. 4. Adde Chrysost. hoc in loco prementem verba, quæ sequuntur: *Sicut pastor segregat oues ab hædis.* in hunc modum: *Hac appellatione mores vtriusque partis aperiuntur: cùm alij hædorum, alij ouium nuncupatione nominantur, vt aliorum sterilitas, quia nihil ab hædis producitur, aliorum fertilitas ostendatur: vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, alij lactis copia, alij elegantia lanæ, alij fœtu, quibus omnium hædorum genus omninò caret.* Vide cap. 2. vers. 20. adnot. 1. num. 3. *Vidua, quæ in deliciis est, viuens mortua est.*

Et statuet oues quidem à dextris. Auctor Operis imperf. indidem scitè perquirit, quomodo nunc ad dexteram Dei collocandi dicantur, cùm modò ex Christi ascensione ad dexterã Dei sedentis, ipsi etiã ad dexteram Dei collocati dicantur ab Apostolo ad Ephes. 2. 6. *Qui conresuscitauit, & consedere fecit in cœlestibus.* siue, vt habet lect. Syriaca, *sedere cum eo.* Respondet verò: *Sed vide, quia nunc nos collocauit ad dexteram ad agendum ea, quæ sunt dexteræ partis: postea autem statuet ad dexteram suam ad conregnandum.* Adstipulatur Orig. hom. 34. inquiens: *Intellige mihi, & Sanctos à dextris, qui dextra opera operati sunt, & plenius sunt conuersi ad iustitiam, quæ semper à dextris est Dei. Propterea secundùm dignitatẽ actuũ suorum dexterorum à dextris consistunt, & acceperunt mercedem suorum dexterorum dexteram Regis, in qua requies, & gloria est: qui autem ad peruersitatem vitæ se ipsos separauerunt a dextris, propter opera sua pessima, & sinistra ceciderunt in sinistram, id est, in tristitiam tormentorum damnati.* Vide cap. 3. vers. 12. adnotat. 3. num. 7. 7.

Hædos autem à sinistris. Vt hinc liqueat, quanto oneri, & fastidio, Deo sit homines damnare: quippe onera sinistra parte baiulari solẽt: indidem ex Aristotele col. 2. Cui cogitationi concinunt verba, quę sequuntur: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.* quæ sic illustrat Auctor Oper. imperf. *Quare non illis antè, qui sunt ad sinistram? Quia paratior est Deus semper ad benefaciendum, quam ad malefaciendum. Nam bona bonis secundùm propositum suum præstat, quia bonus est: malis autem mala contra propositum suum facit inuitus, quia Iudex est: quidquid autem homo contra naturam suam facit, pigriùs agit.* 8.

Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. Bernard. serm. 8. in Psal. *Qui habitat.* sic hæc pendit: *Priùs benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum deiiciantur ignis æterni: quò, videlicet, acriùs doleant, videntes quid amiserint.* En atrocius damnatorum tormentum, beatitudinis occasionem turpiter neglexisse. cap. 2. vers. 12. adnot. 5. num. 6. 9.

Possidete paratum vobis regnum. Chrysostom. in Catena S. Th. *Nota autem, quòd non dicit,* accipite, *sed* possidete; *siue hæreditate, sicut familiaria bona, sicut paterna, sicut vestra, vobis antiquitùs debita.* Sed, quo titulo nostra, aut quo iure antiquitùs nobis debita? Sanè, quòd creationis, & redemptionis beneficia à Deo acceperimus; nimirum, primum nobis à Deo collatum beneficium, alterius pignus, & cautio est, qua stricto quodammodo iure illud ab ipso repetere possimus. c. 2. vers. 13. adnot. 4. 10.

A constitutione mundi. Latè expenditur hæc sententia, c. 2. vers. 12. adnot. 8. n. 4. fol. 53. col. 2. quasi in hominum misericordium gratiam, tam orbis, quàm cœlestis aulæ fundamenta iacta sint. 11.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Plura de his verbis inibi, num. 3.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. Reuoca in memoriam, quæ de regno suis diuidendo dixit Dominus, Lucę 22. 29. *Ego dispono vobis regnũ,* &c. *vt edatis, & bibatis super mensam meam.* En, quomodo Rex gloriæ pro cibo sibi exhibito cibum, pro potu potum reddat. Vt noueris, ipsum in donis suæ gratiæ elargiendis sic nobiscum agere, ac nos cum ipso agimus. cap. 2. vers. 13. adnot. 5. 12.

Tunc dicet Rex & his, qui à sinistris erunt: Discedite, &c. *Esuriui enim, & nõ dedistis mihi mãducare,* &c. Optimè Prosper lib. 2 de vocat. gent. *Laudatis* 13.

dextris de operibus charitatis, nihil aliud sinistris obiicitur, quam misericordia, beneuolentiaq́; neglectus. Indidem n. 7. & num. 11.

14. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Augustin. serm. 50. de tẽpore, cùm de iustis coronãdis dixisset: *Illis, quos coronaturus est, solas eleemosynas imputabit, tanquam dicẽs: Difficile est, vt si examinẽ vos, & appendã vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniã, vnde vos damnem: sed ite in regnum:* Esuriui enim, *&c. Non ergo itis in regnũ, quod non peccastis; sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis.* Et paulò pòst de reprobis subiicit: *Videbunt se iustè danari pro sceleribus, & criminibus suis, & quasi eis diceret: Non inde, vnde putatis; sed, quia* esuriui, & nõ dedistis mihi mãducare. *Si enim ab illis omnibus vestris factis auersi, & ad me conuersi illa omnia crimina, atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsa eleemosyna modò liberarẽt vos, & à reatu tantorũ criminũ absoluerent.* Plura circa vtrãque partem adn. 9. tot.

15. *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Quæsita locutio, *ibunt*, non mittentur, aut iniicientur: vt innuatur malos, volentes, libentésque se ipsos damnasse, & per proprios pedes in interitum cucurrisse. c. 3. vers. 19. *Quorum finis interitus.* n. 30.

Feria tertia.

1. C*Ommota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic? Populi autẽ dicebant: Hic est* Iesvs *à Nazareth Galilææ.* Pende in his verbis, alios esse, qui interrogẽt; alios, qui respõdeant. Benè Christianus Druthmarus ad hunc locũ: *Illi, qui dicebant,* Quis est hic? *Principes erant, qui quasi dedignabãtur eum agnoscere, quem vulgus venerabatur.* Ergo populi, & turbæ, homines, videlicet, simplices, ac rudes Christum Prophetam cognoscebant: Principes verò, & Scribæ, doctissimi, scilicet, & literatissimi minimè agnoscebant. Quare? Audi Theophylactum: *Turba simplices, & candida, neque inuidebant Christo, neque opinionem indignam de Christo habebant: & ideò nunc Prophetam illum dicunt.* Nimirum, interiores oculi ab affectu, vel candido, vel errante, aut rectè intuentur, aut turbantur. c. 3. vers. 10. adn. 1. tot. Notanter verò pro lippientibus, & turbatis Principum, & Scribarum oculis. n. 10. & seqq.

2. *Et intrauit* Iesvs *in templum Dei.* Auctor Operis imperfecti: *Hoc erat proprium boni filij, vt veniens ad domum curreret Patris, & illi honorẽ redderet.* Quod sic accipio, quasi bonus Patris nuntius, & ministrorum Euangelij formator, & instructor, se se collato sibi à turbis honore statim exuerit, & in Deum refuderit. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. & seqq.

3. *Et intrauit* Iesvs *in templum Dei.* Beda: *Ingressus ciuitatem primò templum adiit, nos quoque informans, vt in omni loco religionis diuinæ, studium orationis omnibus terrenis negotiis præponamus.* cap. 4. vers. 6. in expositione litterali, & morali, n. 2. & 3.

4. *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes.* Quare? cùm ea, quæ vendebantur, non ad alios vsus, quàm ad sacrificia peragenda emerentur? Respondet S. Thom. lectione 2. in cap. 2. Ioannis: *Ideò autem eos eiicit, quia Sacerdotes in hoc non intendebant honorem Dei, sed vtilitatem propriam.* Alienum ergo à Sacerdotibus esse debet, vno ad Deum oculo, altero ad terrena lucra aspicere. præfata adn. 1. vers. 2. n. 4.

5. *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes.* Eos, videlicet, à quibus Sacerdotes ansam lucri, & auaritiæ sumebãt. Magna dubio procul in Sacerdotes misericordia vsus, à quibus offendicula, & impedimenta virtutis remouebat. Nam irati Domini vox est in eum, qui à recto iustitiæ tramite deflectit: *Ponam coram eo offendiculum.* cap. 3. vers. 8. adn. 8. n. 1. Vnde Paulinus ep. 12. ad Seuerum: *Expedit autem nobis, vt etiam ædificatum cordis nostri templum sæpe Dominus* Iesvs *reuisat, veniens in flagello timoris sui, ne quod auaritia commercium animus noster exerceat,* &c.

Et mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Notanter dicitur, vendentes columbas in cathedris sedere; siue, quia Sacerdotes lucris inhiantes, alios auaritiã docent, imò ad illam inflammant. cap. 2. vers. 21. in expositione, num. 1. siue etiam, *quia in cathedris* (verba sunt Hieronymi) *magistrorum dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, cùm mixta fuerit lucris.* Benè, *ad nihilum redigitur:* quia Doctor, siue Concionator, cuius opera verbis non concordant, in vacuum currit, atque laborat. cap. 2. vers. 16. adnot. 1. 6.

Cathedras vendentium columbas. Cùm in columba simplicitas, & sinceritas designetur, meritò Dei Filio, qui summè simplex & ardens simplicitatis amator est, eorum cathedræ, qui simplicitatem oderunt, ac vendunt, inuisæ fuerunt. cap. 2. vers. 16. adnot. 10. & adnot. 11. 7.

Et mensas nummulariorum, &c. Nõn fuit contentus vendentes, & ementes eiecisse, nisi mensas ipsas, & cathedras euerteret: vt non modò peccata, sed etiam peccati causas, & occasiones amputaret. cap. 2. vers. 12. adnot. 10. 8.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Homo, scilicet, domus Dei est, qui ab oratione subsistit, & viuit. c. 4. vers. 6. in exposit. literali, & morali, n. 8. 9.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Obserua, eandẽ esse domum Dei, & domum orationis, vbi & Deus speciali titulo inhabitat, & fideliũ orationes exaudit: quia, videlicet, ibi Deus tanquam in propria sede quiescere dicitur, vbi postulatis suorum annuit: at enim nisi quis mundum, & incontaminatum sese exhibuerit, (quam *domum Dei decet sanctitudo,*) domus orationis, siue habitaculum Dei, in quod vocatus, & exoratus adueniat, esse non poterit. cap. 4. vers. 6. adnot. 1. num. 4. & 5. 10.

Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Tam iis Sacerdotibus lucris, & terrenis bonis inhiantibus, quàm iis, qui peculiari ratione Dei obsequio mancipati, cõcupiscentiis sæcularibus impediũtur, iure aptaueris illa Ieremiæ verba, c. 7. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini est,* &c. Sed, cur mẽdacia hæc verba erant? Nónne Hierosolymis templum Domini erat? Audi Galfridum inibi: *An ideò verba mendacij erant, quia fecerant illam speluncam latronum. Timeamus & nos, & cogitemus, quomodo nos conuersari oporteat in domo Dei.* c. 3. vers. 2. adnot. 1. num. 7. 11.

Et accesserunt ad illũ cæci, & claudi. Auctor Operis imperfecti: *Quasi testis vocis eorum sanauit cæcos, vt cæci videntes, cæcos aspicientes viderent & ipsi, vt illorum illuminatio corporalis fieret illis spiritualis lucerna cordis.* Sed, quæ hæc spiritualis cæcitas erat? Respondet Euthymius: *Cæcus est omnis, qui, quod bonum est, ac honestum, non intuetur.* At, cur dixeris, cæcos sub hoc sensu esse Pharisæos, & Scribas, qui in lege doctissimi bonum, ac honestum nonerant, ac intuebantur? Sanè, quòd vt oculatissimi ad videndum essent, ea tamen, quæ videbant, minimè exequebantur. cap. 1. vers. 8. adnot. 11. 12.

Et claudi. Euthymius indidẽ: *Claudus est, quisquis non recta ad virtutem incedit.* Auctor Oper. imperf. *Curauit & claudos, vt claudicantes Iudæi in fide currerent ad Christum, vt meliores pedes illi, acciperent, quàm isti.* Apta illud 3. Reg. 18. 21. *Vsquequò claudicatis in duas partes.* cap. 2. vers. 14. num. 10. 13.

Feria

Feria quarta.

1\. MAgister, volumus à te signum videre. Mira stoliditas, & inscitia, qua pugnantia dicere non aduertunt. Nam, quomodo Dei signa, & mysteria videre potestis, qui non Dei, sed propria voluntate ducimini, & vestras concupiscẽtias explere vultis? Sanè ad diuinas res cognoscendas purgatum animum, & Dei voluntati omninò deuotum afferre debueratis, ad eum modum, quo Angeli potentes virtute, faciunt verbum Dei, vt audiant vocem sermonum eius. cap. 3. vers. 10. adnot. 1. num. 4. Concinit Auctor Operis imperf. inquiens: *Cùm multa signa vidissent, tanquam si nullum vidissent, ita signum petebant: verè enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando: oculi autem sine mente nunquam viderunt.*

2\. *Volumus à te signum videre.* Videre volunt, non obsequi, & obedire, sed voluntatẽ potiùs suam explere: aliter quidẽ ac Seraphini apud Isaiam 6. Dei throno assistentes: hi, nimirum, velatos ad videndum oculos, & multos pedes ad obediendum, Deíque iussa explenda habebant: illis verò multi ad videndum oculi, nullique ad Dei pręcepta implenda inerant pedes: ideò dicebant: *Volumus.* cap. 2. vers. 14. adnot. 1. num. 14.

3\. *Volumus à te signum videre.* Inconditus, & importunus petendi modus. Euseb. Emiss. *Quanta est superbia Scribarum, & Pharisæorum, tanta est stultitia, & infidelitas eorum. Non rogant, non postulant, sed inflato stomacho, & erecta ceruice dicunt, Volumus.* At primus ad orationem gradus is est, vt orans se sibi neget, Deóque animam suam donet. cap. 4. vers. 6. adnotat. 1. num. 3.

4\. *Volumus à te signum videre.* Audiuit has preces Dominus: sed non innotuerunt apud ipsum: nanque eæ apud Dominum petitiones tantummodo innotescunt, quibus id, quod ad salutem idoneum est, efflagitatur. ead. adnot. num. 7. & seqq.

5\. *Generatio mala, & adultera.* Acris, & vehemens increpatio: benè enim, ait Maldonatus, ideò adulteram à Domino appellatam, quòd à maioribus suis degenerauerit: nam Hebræi filios alienos, id est, degeneres, & adulterinos vocare solebant, cap. 2. vers. 15. adnotat. 1. à num. 7. Notantissimè verò hac ratione Dominus, negato eis signo, quod petebant, Niniuitarum signũ dedit, qui, cùm pessimos habuissent progenitores; ad vocem tamen Ionæ pœnitentiam egerunt: qua de re sic loquitur Chrysostom. homil. 29. in Genes. ad finem. *Hi enim (Niniuitas dico) misericordiam Dei pœnitentia sibi conciliarunt, reuocata illius sententia. Attamen inter primos progenitores habuerunt Cham parricidam: deinde Nemrod hominem tyrannum: pernicacem nepotem quoque Assur.* Vt hinc magis culpandi fuerint Iudæi, qui egregios habentes progenitores, ab illis in vitia, & turpitudines ruentes degenerauerunt.

6\. *Signum non dabitur ei.* At, quomodo posteà plura signa fecit? Respondet Chrysostom. hom. 44. in Matth. *Sed non vt eos induceret: sciebat enim obstinatos esse: verùm vt alios alliceret, signa faciebat.* Nimirum, omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. cap. 2. vers. 13. adnot. 6. n. 11.

7\. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ.* Iratus Dominus iustitiam temperat, & misericordiæ recordatur: sic nanque, quod petebant signum, negat, vt aliud multò vtilius, & maius dederit, mortem, videlicet, suam pro mundi reconciliatione offerens. *P. Anton. Velasq. in Epist. ad Philip. tom. 2.*

Opportunè Dauid Psal. 76. *Aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas.* Vbi August. *Faciliùs iram, quam misericordiam continet.* cap. 2. vers. 27. adnot. 2. & adnot. seq.

Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti. Egregij Principis typus, qui pro aliorum salute seipsum certissimæ morti deuouit. c. 2. vers. 29. adn. 1. n. 2. 8.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & c. Isid. Pelus. lib. 1. ep. 154. *Quoniam, qui legẽ minimè audierant, Prophetæ comminationẽ extimuerunt, atque figura duntaxat, & vmbra Dominicæ sepulturæ audita ad inopinatũ euentũ metu perterriti sunt. Nos autẽ, qui eum ipsum, de quo vaticinium edebatur, conspeximus, & contrectauimus, ingrati aduersùs eum manemus, atque ad resipiscentiã rigidi, & inflexibiles.* Ergo duplici ratione Niniuitæ surgent in iudicio, & condẽnabunt peccatores: primò, quòd salutis occasionem nulla data mora arripuerunt. Vide c. 2. v. 12. adn. 5. Deinde, quòd pœnitentiam non leuiter, aut oscitanter, sed vehementi studio susceperint, Rege suo ipsis præeunte. Apta, quæ habes de perfecta pœnitentia. cap. 3. vers. 10. adnot. 4. num. 2. 9.

Et ecce plùs quam Ionas hic. Multiplici ratione, & infinito interuallo Ionæ Christus antefertur: sed illam reddit rationem Chrysost. hom. 44. in Matth. *Subuersionem ille vrbis futuram prædicauit: ego* (Christus loquitur) *regni cœlorũ Euangelia vobis enuntio.* Ac si dicat: Ille minis, tanquam cum seruis agebat: ego verò vobiscum proposita cœlesti hæreditate, tanquam cum filiis ago. cap. 3. vers. 3. adnot. 2 num. 1. & 2. 10.

Regina Austri, & c. Pende hîc boni exempli efficacitatem, cùm in Actis, c. 8. 27. legas Eunuchum Candacis Reginæ venire solitum adorare in Hierusalem, & ea occasione sibi, & populo suo salutem obtinuisse. c. 2. vers. 16 adnot. 2. tota, præsertim num. 13. vbi id sigillatim expenditur. 11.

Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida. Euseb. Emiss. *Eos, videlicet, tentando, in quibus malitiæ, & voluptatis humorem non inuenit.* Gloss. ordin. *Explorat corda fidelium à mollitie fluxæ cogitationis purgata, si quos gressus ibi figere possit: quod quia nequit, ad humida redit.* Quęrit ergo rimam, qua intret, vt videris, quãti momenti sit, nec locum illi, nec occasionis ansam præbere. cap. 2. vers. 12. adnot. 10. n. 6. & seqq. 12.

Quærens requiem, & non inuenit. Benè S. Thom. in Matth. *Hac est consuetudo Dæmonis, quòd non potest quiescere, nisi noceat.* Adeò peccatis assuetus, adeò ei sipida sunt: nec ab hac diabolica consuetudine ire dixeris, qui lætantur, cũ malefecerint: quippe qui in profundũ nequitię deuenerunt, & peccatũ in illis, vt in proprio centro est, siue ipsi in peccato, tanquam in centro conquiescunt. c. 3. vers. 18. adnot. 3. tota, & adnot. seq. 13.

Reuertar in domum meam: hoc est, in animam, à qua pulsus fuit. Sic Euth. *Domum suam vocat hominem, à quo egressus fuit.* Vide, quanti referat Dęmoni aliquando animum subditũ fuisse, qui vel hac ratione non veretur illum suum appellare. Optimè S. Th. *Ex verbo isto potestis colligere, quòd si Diabolus expellitur aliquando ab aliquo, quia agit pœnitentiam, non totaliter dimittit eum, vt semper soliciti sint homines, ne reuertatur.* Caue ergo omni cura à pristinis sordibus. Plura hac de re, cap. 3. vers. 12. adnot. 1. num. 5. 14.

Reuertar in domum meam. Glossa interl. *meam, quæ per incuriam vacat.* Concinit, quod sequitur: *Et veniens inuenit eam vacantem.* quod Rab. apud S. Thom. explicat: *Vacantem à bonis actibus per* 15.

negligentiam. Et Beda indidem super cap. 11. Lucæ: *Inuenit eam a peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulatam.* Quasi ab otio, & inertia titulum sibi Dæmon sumat ad animam possidendam. Plura c. 2. vers. 11. adnot. 7. n. 4.

16. *Inuenit vacantem, scopis mundatam, & ornatam.* Sapienter S. Thom. in Matth. *Hic ponitur occasio ex parte eius, qui secundò affligitur. Vnde triplex ponitur occasio, scilicet, otiositas, vnde* vacantem, *id est, otiosam.* scopis mundatam, *quia quod mundatur scopis, non mundatur, nisi quia leuiter adhæret, vnde idem est scopare, quod leuiter mundare: item* ornatam, *& hoc est superficialis ornatus. Mundatio perfecta debet cum igne fieri, sicut habetur in lege, quod vasa igne debebant mũdari.* c. 3. ver. 10. adn. 3. n. 3. & 5. ibi, ex Nazianz. *Non est fucanda purgatio, sed altiùs imprimenda.*

17. *Et assumit septem alios spiritus.* Quare signatè septem? Euseb. Emiss. *Quia enim septem sunt gratiæ Spiritus sancti, quibus omnis anima ad fidem conuertitur, & conuersa defenditur, ideo iniquus ille septem spiritus illis contrarios assumpsit, quibus aduersùm eas domum suam tueatur, opponens, videlicet, spiritũ stultitiæ contra spiritum sapientiæ: & contra spiritum intellectus, spiritum vertiginis, & insaniæ: contra spiritum consilij, spiritũ temeritatis: contra spiritũ fortitudinis, spiritũ inconstantiæ, & timoris: cõtra spiritũ pietatis, spiritũ impietatis: contra spiritum timoris Domini, spiritum contemptus & odij. Infelix illa anima: in qua isti spiritus regnant.* Atenim à malo Doctore bonam tu doctrinam disce, & vt ipse, quò domum suam aduersus Dei gratias tueatur, septem illis nequitiæ spiritus opponit: ita & tu Dei gratiam adeptus, vt domum tuam aduersùs septem nequitiæ milites tuearis, totidem virtutum dona illis contraria habere satage. *Locum, quem tenebat superbia, humilitas occupet.* c. 2. vers. 12. adnot. 7. n. 3.

18. *Nequiores se.* Quomodo nequiores? Glossa ord. *Nequiores, quia non modò habent vitia, sed & bona simulant. Tantò nequiores, quantò callidiores.* Euthym. *Sceleratiores, hoc est, fortiores ad malefaciendum.* Vbi vides, multò magis esse timendum à subdola vulpis nequitia, quàm ab aperta leonis vi, illúmque ad malefaciendum fortiorem, qui nequitiam magis simulat. cap. 2. vers. 15. adnot. 11. num. 1. & seqq.

19. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater,* &c. Nimirum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt cap. 2. vers. 15. adnot. 1. n. 2.

Feria quinta.

1. EGressus IESVS secessit in partes Tyri, & Sidonis. Hieronym. *Scribis, & calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes Tyri, & Sidonis, vt Tyrios, Sidoniosque curaret.* Aymo Alberstat. *Vt salutem, quam Iudæi spernebant, Gentiles consequerentur.* Vbi primùm obserua, Dominum gratiæ suæ radiis hominum animos præuenire, & velut iustitiæ Solem vocatum egredi, c. 2. vers. 14. adnot. 4. Deinde, ad eum modum cum hominibus se gerere, ac illi cum ipso agunt; ac proinde cum obliquis obliquè incedere adnot. 5. n. 13.

2. *Et ecce mulier Chananæa,* &c. Pulchrè Orig. hom. 7 in diuersos: *Mira res, ô Euangelista.* Et ecce mulier. *Caput peccati, arma Diaboli, expulsio Paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ.* Et ecce mulier *veniebat ad Dominum* IESVM. *Mulier Chananæa, mulier alienigena, de gentibus nouella plantatio. Mirum negotium! Iudæi fugiunt, Chananæa sequitur: domestici derelinquunt, alienigena hæret: iungere, & proximare cupit.* Vide cap. 2. vers. 12. adnot. 3. n. 4. & seqq. præsertim n. 7. ib. *Ne latro vobis antecurrat.*

A finibus illis egressa. Vt vidisti Dominũ tanquam Solem egredientem: quòd ad ipsius egressum, mulier hæc egrederetur. Pende modum, & illam in occursum egredientis Solis à finibus suis etiã egressam, vt salutẽ suam consequeretur. Vnde opportunè venerab. Isaac in allegoriis Gotfridi Tilmani, cùm duos Filij Dei egressus adstruxisset, alterum à Patre æternũ, alterum in orbem temporalem, & de hoc ita disseruisset: *Quando Verbũ caro factum est, & habitauit in nobis, quando exiuit a Patre, & venit in mundum, quando cùm in forma Dei esset, quasi patriæ suæ fines egressus exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, & similitudinem carnis peccati.* Subiicit: *Tunc ergo tanquã in partibus Tyri, & Sidonis inuentus, sed ab iis, qui fines suos egressi in eisdẽ partibus ipsi occurrunt.* Vnde sic concludit: *Exeamus ergo & nos de fouea peccati, in similitudinem carnis peccati: exeamus de voluntate peccati in pœnitentiam peccati, ibi Christũ inueniemus.* Vide c. 3. vers. 3. in expositione, n. 8. & 10. ibi: *Exeamus igitur ad eũ extra castra.* & vers. 10. ibi: *Configuratus morti eius.* n. 7. 3.

4. *Miserere mei, Domine, Fili Dauid.* Vnde tibi mulieri Chananææ, & infideli innotuit, Christum, & Filium Dauid, & diuina ad miserendũ virtute præditum? Nam, vt benè Orig. homil. 7. in diuersos: *Mulier hæc Euangelista efficitur. Probauit enim diuini consilij sacramentum, quando & diuinam virtutem obsecratur, & carnis naturam confitetur dicens: Miserere mei, Domine, Fili Dauid.* Respõdet Hieronym. *Inde nouit vocare Filium Dauid, quia egressa iã fuerat a finibus suis.* Ergo ex mundi contemptu, & affectionum carnis abnegatione Christi scientia oritur, & excrescit. cap. 3. vers. 10. adnot. 1.

Miserere mei, Fili Dauid. Ad quem etiam modum pende, non priùs salutem fuisse consecutam, quàm ab impiorum societate, & finibus fuisset egressa. Vnde perdita hæc ouis à bono Pastore in agro inuenta est: quia in vrbe errauerat. c. 3. vers. 2. adnot. 1. num. 7. 5.

Miserere mei, &c. Quid? vexatúsne tu? Cur ergo nõ dicis: Miserere filiæ meæ sed, *Miserere mei.* Respondet Glossa: *Quia dolor filiæ, dolor est matris.* En optimi amici specimen, amicitiam nõ in proprios, sed in amici vsus deriuantem. c. 2. vers. 30. adn. 2. 6.

Filia mea malè à Dæmonio vexatur. Dixeris otiosè additum aduerbium, *malè*: quis enim benè vexatur? Sed enim gratis id dixeris: benè enim, & salubriter vexatur, quisquis pro æterna salute labores, & tribulationes patitur. c. 3. vers. 11. adn. 1. Ille verò *malè vexatur*, qui huius mundi rebus inhærens à Dæmone, & peccato vexatur. cap. 3. vers. 8. adnotat. 6. num. 6. ibi: *Exuentes veterem hominem cum perturbationibus suis.* 7.

Malè vexatur. Sanè, si benè vexaretur, vt modò diximus, non vexaretur: quia verò à Dæmonio vexabatur, malè omninò vexabatur: nimirũ, iusti a tribulationibus nullo modo lædũtur: impij verò illis opprimuntur. c. 2. ver. 13. adn. 1. tot. 8.

Filia mea malè à dæmonio vexatur. Beda: *Filia à Dæmonio vexata, cuiuslibet est cõscietia sordibus vitiorum polluta, cuius emendationem à pio Conditore debet continuis flagitare lamentis.* Addit Glos. apud S. Th. *Vt magis eum ad compassionem moueat, totũ ei dolorem enarrat, &c. In quo vulnera Medico detegit, & magnitudinem, & qualitatem morbi: magnitudinem, cùm dicit,* Malè vexatur: *qualitatẽ, cùm dicit,* A Dæmonio. Vt discas perfectam pœnitentiam à sui accusatione, & integra peccatorum confessione incipere. cap. 3. vers. 10. adnot. 2.

Qui

10. *Qui non respondit ei verbum.* Mirum! Hæccine, Domine, tua natura, atque conditio ad benefaciendum maxime proclinis? Afflictam non solaris, imò despicis? Est quidem hoc Dei ingenium: non enim vtcunque beneficus, sed diues in misericordia est in omnes, qui inuocant illum. Benè August. serm. 74. de Temp. *Clamabat auida impetrandi beneficij, fortiterque pulsabat, & dissimulabatur ab eo, non vt misericordia negaretur; sed vt desiderium accenderetur.* Vt, videlicet, in desiderium plùs accensum, maius, & abundantius gaudium influeret. cap. 4. vers. 4. adn. 1. num. 6.

11. *Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam. Non petiit Iacobum* (inquiebat ad priora verba Orig. hom. 7. in diuersos) *non rogauit Ioannem, non accessit ad Petrum; sed hos intermittens, quid dicit? Non est mihi necessarius fideiussor.* Atenim illi, quamuis non rogati, aut vocati, afflictæ feminæ misericordia commoti, sese Magistro interponunt; nec timent auctoritatem suam prostituere, dummodo illius miseriam leuent: quippe debemus firmiores infirmorum imbecillitates sustinere: & quò maior alio quis fuerit, illi opem ferre ex lege magnitudinis tenetur. cap. 2. vers. 25. adnot. 1.

12. *Dimitte eam.* Ac si à Domino ligata traheretur: quòd qui rogat, arctissimis precum suarum catenis videatur ligatus, ne quouis abeat, dum postulata expectat. Sed, si verè æstimas, ipsa potiùs Dominum oratione sua ligauerat, & quasi constrictum tenebat: est quippe oratio fortissimum ligamen, atque vinculum, quo Dei potentia ad orantis nutum ligatur. cap. 4. vers. 6. in expositione litterali, & morali, num. 11.

13. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Ambr. serm. 43. *Ostendere dignatus est propositum, quòd eos, quos primò elegerat, nequaquam refutare cupiebat; & sæpe deuios, & errantes, paterno quodam reuocare quærebat affectu.* Vt videris, quàm sit amans operum suorum bonus Dominus, sicque salutem nostram in nobis operari, (nisi nos illi contumaciter repugnemus,) vt manum à tabula non submoueat. cap. 2. vers. 3. adnotat. 3. tota, præsertim num. 10. vbi, quod de ouibus à leone deuoratis, nec omninò deperditis dicitur, huic rei peropportunum est.

14. *Ad oues, quæ perierunt.* Lectio Syriaca habet, *Quæ oberrauerunt.* Quid ergo? Oberraréne, est perire? aut omnis, qui oberrat, illicò perit? Respondeo, omninò appositè dici, eum, qui oberrat, periisse: primùm, quòd qui cadit, nisi diuina illi miseratio opem ferat, nullas ad surgendum vires habeat. cap. 2. vers. 13. adnot. 2. Deinde, quòd is, qui peccato obnoxius est, eo ipso æternæ damnationi statim reddatur obnoxius; nec sit infrequens, subito, & inopinato casu peccatorem perire, & in manifestam abire damnationem. cap. 2. vers. 12. adnotat. 4. à num. 5. & seqq.

15. *At illa venit, & adorauit.* Optimè Euthymius: *Sufficiebat quidem silentium, vt eam in desperationem conijceret: at responsio multò etiam amplius desperationem intendit. Quid ergo mulier? Cùm sese videret esse despectam, repudiatos etiam illos, qui pro ea deprecarentur, non desperauit: nam magnam habebat fidem, ac prudentiam: sed impudens est honesta impudentia; & iam relicto clamore, qui eminus fiebat, propius accessit. Nos autem non ita: sed vbi statim non assequimur, desistimus, cùm propius oporteret accedere, & feruentius orationi incumbere.* Vide cap. 2. vers. 14. *Sine hæsitationibus.* num. 10.

16. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Non dixit: Non est bonum dare panem canibus; sed tollere filiis, & dare canibus. Sanè, quòd filiis, qui filij sunt; hoc est, quòd beneficiũ adoptionis filiorum habeant, ius etiam ad nouum beneficium accipiendum subsit. Vnde Tertul. præposteræ bonitatis Deũ Marcionis sapienter arguebat, quòd nullum habẽs proprium hominem, cui ex propinquo benefaceret, in Creatoris hominem sese effunderet. Audi: *Nego rationalem bonitatem Dei Marcionis, iam hoc primo, quod in salutem processerit hominis alieni. Nam, quo magis proximum diligat, diligere iuberis inimicum, & extraneum. Prior igitur, cùm prima bonitatis ratio sit, in rem suam exhiberi ex iustitia: secunda autem in alienam, ex redundantia iustitiæ, super Scribarum, & Pharisæorum.* Geminata ergo beneficia conferre, de more Deus habet, atque vnum alterius pignus est. cap. 2. vers. 13. adnot. 4.

Et mittere canibus. Premit Maldonatus Græcum verbum, pro quo noster posuit, *mittere*, quod propriè est, *proiicere*, hunc in modum: *In ipso proiiciendi verbo vis est, qua significatur, non esse delicatum filiorũ panem tam malè collocandum, quasi non ratione, & consilio distribueretur, sed proiiceretur temerè. Habent canes panem suum minùs delicatum, quàm filij*, &c. Concinit Iobius Monac. lib. 9. n. 331. apud Photium, inquiens: *Quatenus enim qui perierant, oues erant, iustitia omnino, & virtuti viciniores erant, quàm Samaritani, atque gentes. Quomodo item filios anteà esse saturandos edocet, ac tum quæ supersunt canibus relinqui.* Opportunè: nam, vt gratia sit gratia, attamen *non temerè, & sine consilio effunditur; sed mensuras ab iis, qui eam accipiunt, sumens* (non est sermo de prima gratia) *tantùm influit, quantùm fidei vas sibi oblatum inuenerit.* cap. 2. vers. 12. adn. 5. num. 10. 17.

Sumere panem filiorum, & mittere canibus. Vide, vt appellentur Iudæi oues, & filij; Gẽtiles verò canes: recta fide eosdem specie homines tanquam mansuetos à feris, siue tanquam homines à belluis discriminante: nam Gentiles ob idololatriam canes dicebantur. Vnde quidem Iudæis Dei Filium negãtibus, Gentilibus verò suscipientibus, oues in canes, canes in oues conuersi sunt. Pulchrè Hieron. *O mira rerum conuersio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur. De illis posteà dicitur:* Circundederunt me canes multi. & Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Nos audiuimus cum Syrophœnissa, & muliere, quæ sanguine fluxerat:* Magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis. & Fides tua te saluam fecit. cap. 3. vers. 1. *Videte canes.* num. 3. 18.

Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis, &c. Aug. serm. 74. de Temp. *Illa, si recederet post hæc verba, canis accesserat, canis abscederet. Sed pulsando homo facta est ex cane: institit enim petendo.* En orationis munus, & vim, à qua homo subsistit, & dignitatem habet. c. 4. vers. 6. in expositione litterali, & morali, n. 8. 19.

Etiam, Domine: nam & catelli edunt de micis. Ambros. lib. 6. in Luc. *Verè hæc regnum cogit, pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis. Prætereuntem reuocat, tacentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat. Nónne tibi videtur eripere, cùm elicit, quod negatur? præcipere, quod alij reseruatur?* cap. 2. vers. 12. adnot. 3. num. 4. 20.

O mulier, magna est fides tua. Augustinus lib. de fide, & operibus, cap. 16. *Quia ille cordis inspector mutatam vidit, quam laudauit, non ait: O canis, magna est fides tua, sed,* O mulier. *Mutauit vocabulum, quia mutatum vidit affectum.* Ergo ab affectu in virtutem hominis natura, & essentia desumitur, & timore Dei efficitur homo. cap. 3. vers. 3. adnot. 1. num. 2. 21.

P. Anton. Velasq. in Epist. ad Philip. tom. 2.

Feria sexta.

1. *Erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.* Interlinearis: *Solennitatem celebrat cum hominibus homo.* At, quæ Christo solennitas? quod festum? *Erat Ierosolymis probatica piscina, in qua iacebat multitudo magna languentium,* &c. Infirmorum, scilicet, imbecillitates sustinere, & illis omnimodo subuenire, quòd maior omnibus esset. cap.2.vers.25.adnotat.1.

2. *Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè, Bethsaida.* Non otiosè curauit Ioãnes de nominum sono; sed ob mysterium, quod illi suberat: ad commonendum Concionatores, ne vacuis nominibus hæreant, siue flosculos verborum, & harmoniam curiosiùs sectentur: non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. Ita quidē Triphillius Episcopus, in Conuentu Episcoporum verba faciens, cùm ea ex hoc Euangelio verba, *Tolle grabatum tuum.* ei citanda occurrissent, ipséque pro grabato, reposuisset, *lectum*, grauiter à Magno Spiridione obiurgatus est, quòd elegantiam orationis sine causa affectasset. c.2.vers.2.adn.4.tota, præsertim n.vlt.

3. *Piscina.* Obserua Xenodochium iuxta templum situm, non solùm vt Deum ad misericordiam prouocaret, sed vt tibi documento sit, opem, & misericordiam in pauperes, & ægrotos exhibitam, gratissimum Deo sacrificium esse, túncque orationem tuam maximè acceptam fore, cùm è vestigio misericordiam habueris. cap.2.vers.12.adnotatione 8.n.3. & sequentibus.

4. *Expectantium.* Quæsito verbo vsus est Euangelista: nec enim dixit, sperantium; sed *expectantium:* quippe spes, expectationis, siue patientiæ fructus est. cap.3.vers.11.adn.1.num.1.

5. *Expectantium aquæ motum.* Quòd si mauis id ad imaginem amatorum sæculi referre, pende, quàm infelices spes tanto animi sequantur impetu, eas, videlicet, quæ labentibus, & turbatis aquis innituntur, quas tenere, amittere est. cap.3.vers.8.adn.3.num.6.& 7.

6. *Angelus autem Domini descendebat.* Itáne? Angelum decebat, ad turbandam aquam, in miserorum inopum gratiam descendere? Ita omninò: & hoc illi valde honorificum, atque decorum erat, cùm ipsamet magnitudinis lege ad opem minoribus ferendam adigeretur. c.2.vers.26.adn.1.n.2.

7. *Secundum tempus.* Græcè, *secundum opportunitatem.* Siue certis, & opportunis temporis momentis, notis quidem Deo, sed ægris hominibus ignotis, vt typus fuerit æternæ salutis: quæ quidem opportunitatis res est, ac proinde solicitè obseruanda. c.2.vers.13.adn.5.n.3.

8. *Et qui prior descendisset in piscinam, post motionē aquæ sanus fiebat.* Notanter ad acuendam ægrorum solicitudinem, & acuta diligentię calcaria infigenda mouebatur aqua, vt documēto sit, æmulationis stimulos animis infixos plurimùm ad virtutem valere. Sic dicebat Paul. de Christo: *Vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operū.* Ad Tit.c.2.14. vbi pro *sectatorem*, Græcè est, *æmulatorem:* qui, videlicet, virtute eminere contendat. Sic etiam alibi de Hebræis signatè inquit: *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam.* nimirum, ea ratione, siue in aliis artibus, siue in sæcularium bonorum ambitu tam ingentes profectus fiunt, quòd omnes æqualibus eminere certant: in virtute verò ideò parum, aut nihilum proficimus, quòd ab aliis antecetti minimè erubescimus. vide c.2.vers.12. adn.3.num.7.ibi: *Ne alius accipiat coronam tuam.*

Erat autem quidam homo ibi triginta, & octo annos habens in infirmitate sua. Benè colligit Card. Tolet. adn.9. ex illis verbis Domini: *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* non modò huius ægri corpus; sed etiam animum sanitati tunc à Domino restitutum: ac si illi dixerit: Hucvsque in peccato permansisti: nouam iam vitam age. Vbi maximè obserua, quàm fuerit induratus in malo animus, qui tam diuturna ægritudine noluit resipiscere. Adeò despicit carnalis, & stupidus animus supplicium, quod silentio, & sine tumultu venit. Nam, si attendis, ideò ab hominibus plùs humana, quàm diuina supplicia timētur, quòd hæc tacitè adueniant, illa cum strepitu, & pompa aggrediantur. Pulchrè Seneca ep. 14. *Timetur inopia, timentur morbi; timentur, quæ per vim potentioris eueniunt. Ex his omnibus nihil magis nos concutit, quàm quod ex aliena potentia impendet. Magno enim strepitu, & tumultu venit. Naturalia mala, quæ retuli, inopia, atque morbi, silentio subeunt; nec oculis, nec auribus quidquam terroris incutiunt: ingens alterius mali pompa est, ferrum circa se, & ignes habet, & catenas, & turbam ferarum, quam in viscera immittat humana.* Et statim, sumpta similitudine à carnifice, horrentia torquendi instrumenta ad miseri rei animū deiiciendum ante oculos proponente, vt in beatæ Agnetis martyrio dicebat Ambrosius: *Quanto terrore egit carnifex, vt timeretur?* Scitè pergit: *Nam, quemadmodum plùs agit tortor, quò plura instrumenta doloris exposuit; specie enim vincuntur, qui patientiæ restitissent: ita ex his, quæ animos nostros subigunt, & domant, plùs proficiunt, quæ habent, quod ostendat.* Quam vim subesse dixeris illis Sapientis aculeis ad pigri animum compungendum, c.6.24. *Veniet tibi quasi viator egestas, & pauperta quasi vir armatus:* siue, vt Theodosio, *tanquam vir hastifer:* aut, vt Chaldæus, *tanquam vir rectus:* siue *Index rigidus.* Magno, scilicet, strepitu, & tumultu occurrens, & multa doloris instrumenta exponens, vt plùs tibi terroris incutiat. Deum ergo minùs quàm homines times, quòd illius potentiam, atque supplicia fideliter non cogitas, nec ad viuum expressa ob oculos ponis: specie quidem vincereris, qui patientia resistis. Illum igitur terribilem cogita ad eum modum, quo ipsum Leo PP. August. & Greg. concipiebant, cùm dicerent: *Quid non poterit potestas iudicatura, quando hæc potuit humilitas iudicata?* c.4. vers.8.adn.5. 9.

Hunc cùm vidisset Iesus, & cognouisset, quia iam multùm tempus haberet. Attraxit oculos Domini, ægri huius constantia, qui tanto tempore Dei misericordiam expectans, non fatigabatur; sed spe quotannis delusa, patienter in expectatione durabat; aliter quidem ac plures, qui amittunt sustinentiam. cap.4.vers.1. *Sic state.* adnot.1. 10.

Vis sanus fieri? Opportunè: vt hominis arbitrium, tum à Deo excitetur, ac præueniatur; tum etiam habeat bonum suum emancipatum sibi à Deo. c.2.vers.13.adnot.1.num.3. 11.

Hominem non habeo. Felix, qui hominem non habes, cui fidas, vt discas sperare in Deo viuo. & vero. Ecce triginta, & octo annos hominem habere exoptasti, nec hominem nactus es: modò autem vt Deum habuisti, vt in eo sperasti, sanitatem obtinuisti. cap.2.vers.20.adnot.1.n.3.& seqq. 12.

Vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Pende, quàm vrbanum, & come Dei ingenium sit, qui, vt nudorum, & ægrotantium ruborem minueret, aquam de industria turbabat, ne alter fœda alterius vlcera, & nuditatem videret. A quo non it- 13.

Sacramenti pœnitentiæ medicina : nam,cùm vna ex parte vulnera Medico aperienda omninò sint, ex alia quid adeò secretum, quid tam clausum, quam auricularis confessio,tam valido secreto munita potuit excogitari. Patere ergo libenter modicissimum ruborem,qui magnæ ignominiæ exponi merui?ti.cap.3.vers.10.adnot.2.

14. *Dum venio enim ego,alius ante me descendit.* En quàm immaniter deludat mundus eos, qui ipsi innituntur:nec enim decipit,cùm primùm ei fidunt; sed post magnos in hac spe sumptus factos, cúmque miseri amatores optata iam iam consequi, & manibus tenere videbantur. Sic dicebat Oseas c.9. 2. *Area, & torcular non pascet eos.* siue, vt Septuaginta habent, *non cognouit eos.* ac si dicat : Non seges,siue vineæ botri spem mentiti sunt : esset enim id tolerabile malum : sed ipsamet area,& musto iam plenum torcular non cognouerunt eos, qui ipsis fidebant, vt atrociùs fallerent, ac irriderent. cap.3.vers.8.adnot.1.num.8.

15. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Pende, quàm perfectam sanitatem ægro Dominus restituerit, qui subitò surgere, & grabati pondus sustinere, & vrgere alacriter ambulationem valuerit: nimirum, salutem nostram sic in nobis Dominus operatur,vt manum à tabula non submoueat. cap. 2.vers.13.adnotat.3.

16. *Surge,tolle grabatum tuum,& ambula.* Quid opus fuit,grabatum statim tollere, atque inde educere? Nónne illicò surgere, & abire, & posteà redire ad tollendum grabatum satis erat? Minimè quidem: vt hinc pœnitentibus documento fuerit,ne modò à peccatis,sed ab iis etiam,quæ eorum memoriam refricare possint, aufugiant:vt dicere videatur Dominus:Extrahe statim grabatum ab eo loco,in quo iacuisti,ne posteà incautus ad illum rediens,ibi infeliciter pereas.cap.3.vers.14.adnot 1.tota.

17. *Tolle grabatum tuum,& ambula.* En veræ pœnitentiæ typum,vt,sicut anteà peccator sua exhibuerat membra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem,iam illa ipsa exhiberet iustitiæ in sanctificationem:& qui priùs à corporis voluptatibus animum raptantibus,ac diripientibus impotens ferebatur, fortior iam, atque valentior cupiditates suas raptaret,ac ferret.cap.3.vers.14.adnot.2.n.7.

18. *Tolle grabatum tuum.* Pende,ei,qui iam sanus,& à peccato liber factus est,signatè præscribi, vt nouum grabati pondus ferat : quòd qui peccatorum sarcinam proiecit, non minùs grande onus inueniat ipsam exonerationem. *Onerat nos*,ait Bernard. *cùm exonerat Deus:onerat beneficio,cùm exonerat peccato*.cap.2.vers.12.adnot.2.num.2.

19. *Et sustulit grabatum suum,& ambulabat.* Agnoscit Christum superiorem, & promptus obedientiæ impetu nihil cunctatus, nihil discutiens,eius iussa exequitur,cuius ipsum nomen ignorat : posteà verò,cùm Dominum in templo inuenit, & eius nomen perquirit,& gratias ei reddit, quòd alia obedientiæ, alia gratitudinis lex sit. Vide latè cap. 2. vers. 14. adnot.1.num.10.

20. *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Quid deterius ægritudine tam diuturna,atque molesta? Sanè diuturnius multò,& acerbius malum, æterna, scilicet,damnatio,quæ peccato respondet, & sæpè sæpiùs subitò contingit. cap.2.vers.12.adn. 4.num. 5.

21. *Ecce sanus factus es,noli peccare.* Benè Cyprianus lib.1.epist.5. *Parum est adipisci aliquid potuisse:plus est,quod adeptus es,posse seruare : sicut & fides ipsa,& natiuitas salutaris non accepta,sed custodita viuificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio docuit dicens:*Ecce sanus factus es,iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.cap.4.vers.1.*Sic flue.*in expositione,& adnot.1.num.1. & seqq.

Sabbatho.

Vide Dominicam sequentem.

Dominica II. Quadragesimæ.

ASsumpsit IESVS *Petrum,Iacobum, & Ioannem.* 1.
Pendunt PP.quod præcessit in Matthæo,*post dies sex*:quasi is,qui transcendit mundi res,quæ sex diebus creatæ sunt, Domini transfigurationem,& gloriam videre mereatur.Plura in hanc rem cap.3. vers.11.adnot.1.num.7.

Et duxit illos in montem excelsum seorsum. Id sic 2.
extulit Lucas cap.9.*Et ascendit in montem,vt oraret.* Dum verò montem oraturus ascendit,perfectę nobis orationis typum ponit : nam, qui benè orat, à terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimis ascendit,spiritualia,scilicet,cogitat, cœlestia petit,nec de temporalibus,& terrenis solicitus est.cap.4.vers.7.adnot.1.num.7.

Et transfiguratus est ante eos. Opportunè, *ante eos*, 3.
quibus,nimirum,crucem,& passionem suam imitandam paulò antè proposuerat, vt obiecto ipsorum oculis cœlesti brauio,ad virtutis stadium alacriter percurrendum, nullis difficultatibus,aut laboribus deterrerentur : quippe, *spirituales Domini propugnatores, non terrenorum quæstuum cupidi* (loquitur S.Damascen.orat.de Transfiguratione) *nec fluxorum bonorum desiderio flagrantes,cùm ea, quæ in spe posita sunt ipsis etiam oculis contuentur, eósque,qui priùs labores pertulerant, bonorum in se positorum deliciis fruentes conspiciunt, maioribus animis ad certamina se comparant.* Nec minùs opportunè S. Thomas 3. part. quæst. 45. art. 1. in corpore,inquiens: *Dominus discipulos suos,prænuntiata sua passione, induxerat ad suæ passionis sequelam : oportet autem ad hoc,quòd aliquis directè procedat in via,quòd finem aliqualiter præcognoscat : sicut sagittator non rectè iaciet sagittam,nisi priùs signum prospexerit, in quod iaciendum est*, &c. *Et ideo conueniens fuit, vt discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet.* cap. 3. vers. 12.adnot.1.tota.

Et transfiguratus est ante eos. At,cur,vt eos ad vir- 4.
tutem animaret, & à terrenarum rerum illecebris auocaret,gloriam potiùs, quàm gehennam, quæ non minores animo aculeos solet infigere, voluit obiicere?Sanè,quòd cum ipsis,tanquam cum filiis, ageret;nec pœnarum metu, sed pietatis amore ad sui obsequium incitare vellet. cap. 3. vers.3. adnotat.3.tota,præsertim num 3.

Transfiguratus est ante eos. Damascen. orat.de 5.
Transfig. *Coram discipulis transfiguratur,qui semper eodem modo glorificatus est, ac diuinitatis fulgore collucet.* Et post pauca : *Transfiguratur itaque,non quod non erat assumens, nec in id,quod non erat, migrans: verùm id,quod erat,discipulis suis declarans.* En veræ virtutis, animíque,constantis specimen, qui vnus semper est, nec alium hodie,alium cras dixeris, vt de Eugenio Pontif. sic dicebat Bern. in proœm. ad lib.de consid. *Non enim si benè te noui, quia pater pauperum factus,ideò non pauper spiritu etiam te hanc mutationem factam esse confido, non de te, nec priori statui tuo successisse promotionem,sed accessisse.*c 4.vers. 1. adn. 1.num. 2.

Et transfiguratus est ante eos. Cur, qui durissima 6.
supplicia,& crucis mortem subiturus adueniit,glo-

riosè transfigurati, & in solito gaudio perfundi voluit? Equidem, vt sui imagine ostenderet, iis, qui virtutis stadium percurrunt, sua etiam gaudia, & delectationes inesse: & tantò quidem solidiores, & veriores, quantò magis naturales, & propriæ sunt, ac ab animo in corpus deriuantur, & fluunt: dixit quippe sapienter Bernardus in epist. ad Fratres de monte Dei: *Si spiritu ambulamus, non ideo amittimus delectationes, sed traducimus à corpore ad animam, ab exterioribus sensibus ad interna, quibus reformata anima ad imaginem Creatoris sui iucundissimè refloresc it. Reformatur caro, & iam libenter ea amplectitur, quibus spiritus oblectatur.* cap. 4. vers. 4. adnot. 1. num. 1. & seqq.

7. *Et resplenduit facies eius sicut Sol.* Basil. Seleuc. or. de Transfig. *Spectaculum autem splendore eorum, quæ videbantur, fulguris instar, præstringens oculos significauit orbis terræ futurum Iudicem.* Sed quare? Equidem, quòd non aliter de proximorum erratis ferri debeat iudicium, nisi cum ipsa solaribus radiis clariora, & manifestiora sunt. cap. 2. vers. 15. adnot. 9. tota.

8. *Et apparuerunt illis Moyses, & Elias.* Optimo merito cœlestibus consiliis interueniunt, & Dominicæ gloriæ participes fiunt à ieiunio quasi cœlestes, & angelici facti. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum: *Ob ieiuniorum consortia Dominus noster Moysem, & Eliam transfiguratus in monte secū ostendit in gloria.* cap. 3. vers. 8. adn. 1. num. 4. & seqq.

9. *Apparuerunt illis Moyses, & Elias. Illis*, hoc est, discipulis in exemplum ad imitandum propositi. Chrysostomus: *Nam, quoniam dixit*, Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, *&c. Hac de causa eos, qui centies pro Dei præceptorum custodia, & populo, qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in medium producit.* Et post nonnulla: *Produxit igitur illos in medium, vt eos, qui maximè populares fuerant, imitarentur, fierentque mites, vt Moyses; zelotes, vt Elias, & de aliis similiter soliciti.* Magni quippe viri præclaris exemplis validissimi virtutis magistri sunt. cap. 2 vers. 16. adnot. 2.

10. *Loquentes cum Iesu.* Benè Origenes homil. 6. in Leuiticum: *Moyses, & Elias, simul cum Iesu apparuerunt in gloria, vt scias quia lex, & Propheta, & Euangelia in vnum semper conueniunt, & in vna gloria permanent.* Pulchra sanè concordia mundo salutem allatura, cùm Dei ministri idem sapiunt, idem loquuntur c. 2. vers. 20. adn. 2. tota, præsertim n. 6.

11. *Bonum est nos hic esse.* Benignè hæc capiunt Ambrosius, & Augustin. ille enim lib. de Isaac, & anima, cap. vlt. ad finem, pro Petro loquitur ad hunc modum: *Si quis igitur purum illud, & incorporeum summum illud videre meruerit, quid habet aliud, quod desideret? Denique, Petrus gloriā resurrectionis Christi vidit, & nolebat descendere, dicens: Domine, bonum est nos hic esse.* Similiter Aug. lib. Soliloquiorum, c. 22. *Hanc dulcedinem vt gustauit Petrus, omnium oblitus clamauit quasi ebrius dicens:* Bonum est nos hìc esse: *Hic maneamus, te contemplemur, quia nullo alio indigemus: sufficit nobis te videre: sufficit tanta dulcedine satiari. Vnam enim stillam dulcedinis ille gustauit, & omnem aliam fastidiuit dulcedinem.* Nimirum, oculi Christi pulchritudini, & cœlestibus bonis assueti, vix ad hæc terrena sese conuertere possunt. cap. 3. vers. 3. adnot. 10.

12. *Bonum est nos hic esse.* At enim à Matthæo, & Luca, optimis verborum, & sensuum pensitatoribus iure Petrus reprehenditur, quasi nesciret, quid diceret: à prosperitate quidem extra se positus, & illius splendore præstrictus: cui, si omninò saperet, modum ponere debuisset. Quid? Illicòne è monte descenderet? Non opinor: at indidem velle semper manere, & felicitatem cursu sequi, minimè sanum. cap. 3. vers. 8. adn. 4. num. 10.

Bonum est nos hic esse. Non enim sciebat, quid diceret. 13.
Sume hinc coniecturam pro tempore aduersitatis. Sanè, quem secunda efferunt, & extra se ponunt, omninò etiam frangunt aduersa; ideò vt Petrus in Thaboris gloria nescit, quid diceret, in passionis nocte similiter desipit. cap. 4. vers. 12. adnot. 1. tota, præsertim num. vlt.

Bonum est nos hìc esse. Non enim sciebat, quid di- 14.
ceret. Quare? quia vni sibi consulebat. *Tædium patiebatur a turba* (inquit August. serm. 69. de diuers.) *inuenerat solitudinē montis, ibi habebat Christum panem mentis; vt quid inde discederet ad labores, & dolores? Habens in Deum sanctos amores, & ideò bonos mores benè sibi volebat esse.* At enim Petro, & Pontifice indigna vox erat, qua vni sibi volebat esse, qui è quiete, & contemplatione ad labores, & dolores pro subditis perferendos descendere debebat. cap. 2. vers. 26. adn. 1. n. 7.

Bonum est nos hìc esse. Quare nesciret, quid dice- 15.
ret, qui ea, quæ bona erant, cœlestia, scilicet, gaudia præoptabat? Sanè, quòd illa præmaturè, & alieno tempore volebat. Optimè Damasc. orat. de Transfiguratione: *Nisi diuinitatem Adamus præmaturè expetiuisset, quod cupiebat, consecutus fuisset. Quocirca, Petre, ne ea, quæ bona sunt, præpropere quæras: erit id aliquando, cùm hoc spectaculo in sempiternum frueris.* Quòd si is, qui bona quidem, sed alieno tempore volebat, iure reprehenditur: quid dixeris de iis, qui terrena gaudia alieno tempore quærunt? c. 3. vers. 11. adnot. 1. n. 7.

Bonum est nos hic esse. Pende, quàm sit abscondi- 16.
tum hominis bonum, atque felicitas, quando in ipso Dei Filio gloria affecto, præoptato, & concupito deceptus est Petrus: *Non enim sciebat, quid diceret.* Nam, vt bonum concupierit; temporis tamen opportunitatem nesciuit. Sic videris magnum aliquod munus ardenti studio ab ambitioso optatum, atque obtentum, à quo infelix eius ruina, & præcipitium ortum duxit. *Quoties gratulatione excepta res est,* (inquit Seneca,) *quæ gradum sui struxit in præceps?* cap. 3. vers. 8. adnot. 6. n. 11. Ergo iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto. cap. 2. vers. 19. adnot. 1. num. 6. Ideò Petro tabernaculum cupienti lucida, & gloriosa nubes signatè exhibetur, quæ sic illuminaret, vt etiam protegeret, & à Solis æstu obumbraret. Audi Origenem ea de re, homil. 3. in Matth. *Deus prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent secundùm voluntatem illius; ostendit vnum, & melius, & multò præclarius tabernaculum, quàm ille facere cupiebat. Tabernaculi enim hoc est proprium opus, obumbrare aliquos sub se: lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem, & splendidiorem recompensationem exemplo suo demonstrabat eis futuram, quæ protegeret eos simul, & illuminaret.*

Faciamus hic tria tabernacula. Hic potissimum 17.
Petri inscitia elucet: pugnantia asserens, & cupiens. Nam, si attendis vna ex parte aduenam & peregrinum, vt par erat, se hic esse cognouit: cùm non tam amplam domum construere, quàm tabernaculum breui, & facilè extendere parat: hinc enim Abrahamū vt peregrinum in terra promissionis se gessisse intulit Paulus ad Heb. 11. 9. inquiens: *Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquā in aliena in casulis* (Græcè, & Syriacè, *in tentoriis*) *habitando*, &c. Ex alia verò, vbi se se hospitem agnoscit, ibi vt municipem perpetuò agere, & manere optat, dum ait: *Bonum est nos hic esse.* Quæ sic præstrinxit

S. Isidorus

S. Isidorus lib. 3. sententiarum: *Reprehenditur Petrus, quo tabernaculum in monte figere cogitauit.* Pende illud, *figere*, hoc est, immobiliter, & immanenter collocare. Pergit Isidorus: *Quia sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus patria, & domus in cœlo est.* Eadem fusius scripserat Gregor. lib. 8. Moral. cap. 41. subdens: *Iusti itaque hîc se construere negligunt, vbi peregrinos se, & hospites nouerunt.* cap. 3. vers. 20. *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* in expositione, num. 6. Vt inde reprehenderis eorum insaniam, qui Megarenses imitantur, de quibus Tertullian. & Hieron. aiunt: *Ædificant tanquam semper victuri, & viuunt tanquam cras morituri.* Amplas, scilicet, ædes, atque palatia ad instar Salomonis ædificantes, & Epicureorum ritu viuentes, atque bibentes.

18. *Tria tabernacula.* Erat quidem illa gloria ad horam duratura, & Petrus illi perfruendæ tabernacula erigere parabat. En cogitationum nostrarum errorem, qui de temporalibus, tanquam de æternis, & quæ nobiscum sint perpetuò duratura, iudicamus, cùm nihil illis fugacius, & breuius sit. cap. 3. vers. 8. adn. 3. tota. Quare Petro dicenti: *Bonum est nos hic esse.* opportune occurras cum Nazian. epist. 125. dicente: *O graue detrimentum! Quid bonum capere attinebat, si permansurum non erat? Nec enim res vlla iucunda tantùm voluptatis affert, cùm adest, quantùm mœroris, cùm abscedit.*

19. *Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Nesciens omninò quid diceret, qui Moysis clementiam à zelo Eliæ disiungebat, cùm ambæ virtutes germanæ sint, atque vna alterius pars, atque complementum. Plura hac de re adductis PP. verbis in hunc locum, cap. 2. vers. 17. adnot. 3. tota, præsertim num. 3.

20. *Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite.* Obserua, eandem Patris de Filio suo in ipsius Baptismo attestationem, quin ibi addiderit extrema hæc verba: *Ipsum audite.* Sed, quæ huius discriminis ratio fuerit? Dixerim quidem, inibi Dei Filium in similitudinem carnis peccati, siue proprium peccatorum munus obeuntem, Baptismum, scilicet, suscipientem: hic vero impassibilem, & gloriosum ostensum fuisse: vt vel hinc videris, quàm innocens Magistri vita esse debeat, quando ad solam carnis peccati vmbram, & similitudinem, vox magisterium deferens non insonuit. Vide cap. 2. vers. 16. adnot. 1. vbi etiam adsimilem aliam ex Hilario rationem inuenies. num. 7.

21. *Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas.* S. Thom. *Aliter cadunt impij: aliter sancti: impij cadunt retrorsum, vt habetur 1. Reg. 4. de Heli, qui, cùm audisset rumorem de Arca Domini, cecidit de sella, & fracta ceruice expirauit. Sed Sancti in facies suas cadunt. Apocal. 7. Qui ceciderunt in facies suas.* Nimirum, iustorum lapsus, per pœnitentiam subinde resurgentium, in gloriam Dei cedunt. Nam illi pœnitentia sua ignoscendi viam Deo parant, & eius clementiæ, qua ipse maximè gloriatur, locum faciunt: vnde in facies suas cadentes Deum adorare, & venerari quodammodo videntur. cap. 2. vers. 15. adnot. 5. num. 3.

22. *Et timuerunt valdè.* Si primam rerum faciem inspicis, importunum hunc timorem esse dixeris. Quid enim magis extra rem, quã Domino præsente, & protegente, atque ad cœlestis gloriæ visionem, & iam timere? At enim, si introspicis, nihil opportunius, nihil sapientius, quàm in summa securitate, & in ipso virtutis fastigio plùs plùs timere. cap. 2. vers. 12. adn. 2. num. 6. Iis autem, quæ de spiritu timoris Dei inibi dicuntur, adde hæc opportuna ex Gregor. lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 3. *Cùm de dicendi ignorantia Petrus arguitur, eiusdem ignorantiæ causa memoratur. Nam subdens Euangelista ait:* Erant enim timore exterriti. *Illa enim interna maiestatis ineffabilis pulchritudo electam mentem, cui se delectabiliter ostendit, aliquando mirabili pauore concutit, ne de visionis magnitudine ad elationem prosiliat, si eam, quam blanda contemplatio ad tam summa euehit, prouectior suus spiritus timoris moderamine non refrænat.* Hæc ille, & plura, quæ vide.

Surgite, nolite timere. Preme accuratam locutionem: non enim dixit Dominus: Ne timeatis. est quippe laudabile, & necessarium timere: sed, *Nolite timere.* hoc est, ne figatis voluntatem in timore: subsistit nanque hæc explicatio ex simili Iacobi locutione, cap. 5. *Nolite iurare.* quæ sic expenduntur in cap. *Etsi Christus.* de iureiurando: *Quia ad iuramentum non debet inuitare volentem, sed necessitas trahere importuna.* Ergo hoc dicendi modo iustos ab iniustis, siue perfectos à tyronibus, Dominus discriminat: perfectis enim is timendi mos est, vt in timore non hæreant; sed vel inde ad charitatem gradum faciant, vel ipsamet dilectione compuncti, filiali timore Deum reuereantur. At imperfecti, & peccatores toti in seruili timore sunt, & ipsammet timoris seruilitatem amant. cap. 3. vers. 3. in expositione litteræ, num. 12. & seqq. & adnot. 3. à num. 9. 23.

Neminem viderunt, nisi solum IESVM. O pulchram diei festi, siue Christianæ lætitiæ clausulam, quæ Christum in oculis habet, & in ipso deficit: hoc enim verum, & solidum gaudium est. Secùs quidem ac infelici Regi Baltasari accidit, cuius solenne conuiuium horribili damnationis suæ scriptura turbatum est, risui dolore admixto, & extrema gaudij luctu occupante. Vide cap. 3. vers. 8. adnot. 4. num. 2. 24.

Feria secunda.

EGo vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Mirum est, eos infeliciter perituros, qui Dominum aliquando quæsituri dicuntur. Quid fuerit in causa? Sanè, quia quærent, & non inuenient. At, cur Deus à quærentibus non inueniatur, qui etiam à non quærentibus inueniri solet? Facilis responsio ex Origene, quòd non quæratur in tempore; sed, cùm quærendi opportunitas non est. *Verbum autem præsens, & quod apparet,* (inquit ille,) *cùm minimè approbatur, se abiturum minatur:* Ego vado. *Ac si, cùm abierit, ipsum quæramus, illum non inueniemus: sed moriemur in peccato nostro. Scit autem, à quo discedat, & apud quem maneat, nondum inuentum, & quæsitum in tempore.* cap. 2. vers. 12. adnot. 5. à n. 5. 1.

Ego vado, & quæretis me. Vide, quàm præposteræ, & ab scopo aberrantes impiorum curæ, atque cogitationes sint: hîc quæsituri dicuntur vitam, nec inuenturi; sed pro vita mortem: postmodum mortem ipsam requirent, & ipsa fugiet ab eis. Sic enim Apocal. 9. 6. *Et quærent homines mortem, & non inuenient eam.* Cùm tamen, & vita, & mors, à iustis pro opportunitate quæsitæ, ad manum sint. Disce ergo rerum opportunitates, atque hîc mortem quære, & feliciter inuenies, vt posteà æternùm viuas cap. 3. vers. 11. adnot. 1. à num. 6. 2.

Et quæretis me. Notanter dictum, *Quæretis me.* quasi frustrà, & incasso labore: quod quidem pugnare dixeris cum eiusdem Assertoris promissione. *Omnis, qui quærit, inuenit.* Mat. 7. 8. Respondet tamen Origen. ad hæc verba: *Dicitur iis, qui non rectè* 3.

quærunt:

quærunt: Et quæretis me. *quod non pugnat cum illo*: Omnis, qui quærit, inuenit. *Semper autem dissimilitudines sunt eorum, qui Iesum quærunt, quòd non omnes verè, & salutis suæ causa, & vt ab eo adiuuentur, eum quærunt.* Nimirum non segniter, & oscitanter: sed magna cura, & toto animi nisu quærendus est Dominus. Nam *Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Non enim, qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* cap. 2. vers. 12. adnot. 3. num. 11.

4. *In peccato vestro moriemini.* Pende præpositionem illam, *in*, qua instrumenti vis explicari solet: vt *in gladio, & arcu*, &c. Quasi sensus sit: Vos vestræ mortis auctores, & artifices estis, & vestro gladio scientes, volentésque vos iugulatis. cap. 3. vers. 19. *Quorum finis interitus.* num. 29.

5. *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Quare *non potestis?* Respondet Origenes: *Non possunt*, ait, *quia non volunt: si enim voluissent, & non potuissent, nõ rationabiliter eis diceretur: In peccato vestro moriemini.* Sed obserua eadem verba dilectis discipulis etiam dicta Ioan. 13. *Et sicut dixi Iudæis: Quo ego vado, vos non potestis venire.* Quod ergo bonorum ab impiis discrimen? Aut quomodo vna, eadémque sententia, & iusti absoluuntur, & impij damnantur? Aperit Dominus post verba discipulis dicta subiiciens: *Et vobis dico modò* in quæ Augustinus tract. 38. in Ioann. *Non abstulit spem, sed prædixit dilationem: quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire, quò ille ibat; sed posteà venturi erant: isti autem nunquam, quibus præsciuit dixit: In peccato vestro moriemini.* Vbi vides, ideò iustis dictum, *Non potestis venire.* quod reipsa tunc ire non possent: impiis verò, quòd ire nollent. Vt noueris, quò peccandi consuetudo deueniat, vt paria quodammodo sint, siue eodem penè modo difficilia, velle bonum, ac exequi illud non posse. cap. 3. vers. 18. adnotat. 1. num. 1.

6. *Vos non potestis venire.* Cur tam acris, peremptoriáque sententia in Iudæos fertur? Equidem, quòd cùm ipsi Christum a se omninò reiecissent, nulla illis digitorum ipsius signa superetant, quibus ipse ad eos reficiendos, & recipiendos moueretur: vbi simul Christus innuebat, quonam modo ab ipso remedium possent accipere. Audi Origen. *His verò comiter Seruator etiam ostẽdit, & tradit, quæ ad Dei regnum pertinent, ne illud extra se quærant, nec dicant: Ecce hic, & ecce illic. Eis enim dicit:* Regnum Dei intra vos est. *Et quandiu quidem semina veritatis, quæ in animis nostris insita sunt, eiúsque principia seruamus, nondum à nobis Verbum discessit: sin autem vitij confusione corrupti sumus, tunc denique nobis dicit,* Vado: *ita vt etiamsi ipsum quæramus, non inueniamus: sed in peccato morituri simus in eo deprehensi.* cap. 2. vers. 13. adn. 3. n. 8. & 11. inter se compositis.

7. *Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsũ, quia dixit: Quò ego vado.* Vnde, quæso, ex Christi verbis id inferre valuerunt? Nihil quidem magis absonum, & absurdum: nec insanior excogitari potuit coniectura: illam, nimirum, *suggerente* (inquit Maldonatus) *odio: suspicati enim sunt, non quod rationi, sed quod suo desiderio consentaneum erat. Nam ratio quidem non postulabat, vt quod Christus dixerat, de morte interpretarentur.* Est quidem cæcum odium, & ab animi affectionibus mens obscuratur. cap. 3. vers. 10. adnotat. 1. num. 8. & num. 13.

8. *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum.* Origenes: *Venit Seruator quæsitum, & seruatum id, quod perierat; venit, vt eos, qui infra erant, inscriptique erant ciues, & annumerati iis, qui infrà sunt, ad superiora transferret: ipse enim est, qui in inferiores partes descendit eorum causa, qui infima terræ loca incolebant; sed etiam ascendit super omnes cœlos, sternens viam iis, qui volunt, & qui verè assumunt viam, quæ ad summa cœlorum fert.* cap. 3. vers. 20. *Nostra autem conuersatio in cœlis est.* à num. 6.

9. *Vos de mundo hoc estis: ego non sum de hoc mundo.* Acutè excogitauit Rupertus lib. 8. in Ioannem, his verbis reddidisse Dominum rationem, cur Iudæi non possent venire, quò ipse ibat: quia, videlicet, ipse cælestem viam insistebat per omnimodam puritatem, & innocentiam: illi mundanis rebus omninò essent addicti: cui sententiæ optimè hærent, quæ sequuntur: *Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris.* cap. 3. vers. 11. adnot. 1. num. 7.

10. *Nisi credideritis, quia ego sum.* Quid est: *Quia ego sum?* Nisi quia ego verè existo: vos autem non estis, neque existitis. Quòd verum esse à virtute firmatur; ac proinde peccatores non sint, siue nihil sint. cap. 3. vers. 3. adnot. 1. num. 3.

11. *Quia ego sum.* August. pulcherrimè hic philosophatur hunc in modum: *Verè esse, est semper eodem modo esse. Res enim qualibet prorsus qualicunque excellentia, si mutabilis est, non verè est: non enim est ibi verũ esse, vbi est, & nõ esse: quidquid enim mutari potest, mutatum non est, quod erat: si non est, quod erat, mors quædã ibi facta est.* Et post nonnulla: *O veritas, quæ verè es: nam in omnibus actionibus, & motibus nostris, in omni prorsus agitatione creaturæ duo tẽpora inuenio, præteritum, & futurum: præsens quæro, nihil stat: quod dixi, iã non est: quod dicturus sum, nondũ est: quod vixi, iã non est: quod victurus sum, nondum est, &c. In veritate, quæ manet, præteritum, & futurum non inuenio; sed solum præsens.* Disce vni Deo, qui semper est, & permanet, inhærere, vt verè sis, & à temporalibus bonis recedere, ne cum ipsis transeas. cap. 3. vers. 8. adnot. 2. num. 5.

12. *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Capiunt hæc frequentiùs PP. de exaltatione Christi in crucem: at Nonnus, Poeta Græcus, phrasim, *exaltare*, de animorum munditia, qua Christus gloria afficitur, sic capit: *Quãdo puris exaltaueritis animis Filium hominis, tum cognoscetis & ipsi, quòd sine Deo Patre nihil ago.* Vt videris Dei scientiam, & cognitionem ab animorũ puritate, & innocentia ortum habere. cap. 3. vers. 10. adnot. 1.

13. *A me ipso facio nihil: sicut docuit me Pater, hæc loquor.* En veræ sapientiæ, egregiæque doctrinæ specimen, vt Patris, & Filij vna sententia, vna lingua sit: vt inde Doctores, Ecclesiæque ministri ad mutuam mentium consensionem à Deo adspirent, vt vna ipsis lingua esse videatur. cap. 2. vers. 19. adnotat. 2. num. 6.

14. *Qui misit me, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Magna hinc veris obedientibus, siue iis, qui toto corde Deo obsecundantur, fiducia nascitur, Deum, cui ex animo obediunt, cum illis commorari, eósque scuto bonæ voluntatis suæ indesinenter protegere. Quæ quidem fiducia nescitur iis, qui negligenter, & obliquè cum ipso se gerunt: ideò enim omnibus sunt casibus expositi, cùm Deum protectorem non habeant. cap. 2. vers. 3. adnot. 5. num. 13.

Feria tertia.

1. S*Vper cathedram Moysi sederunt Scribæ*, &c. Quæsita locutione dictum est, *Super cathedram.* non verò in cathedra. Vt designetur, malè omninò Scribas, & Pharisæos officio suo satisfecisse. Nam, cùm debuissent sub cathedra esse, hoc est, muneri inseruire, & suas ei commoditates postponere: ipsi

ipsi cathedram & officium ad suas vtilitates deriuabant.cap.2.vers.30 adnotat.1.à num.3.

2. *Sederunt.* Benè:ac si dicat:Ipsi sedem occupauerunt. Vt eorum ambitio innuatur, qui non vocati, nec electi à Deo, assumpserunt sibi honorem. Vbi notanter additur: *Super cathedram Moysi*,ad quam, videlicet, ille non modò inuitus, sed etiam à Deo coactus accessit: quòd munerum discrimina benè nosset.cap.3.vers.8. adnot.9. tota, præsertim num. vltim. vbi de Mose.

3. *Sederunt.* Cùm de hominibus tunc actu sedentibus Dominus loquatur,cur non dixit, *sedent:* sed *sederunt?* Sanè,vt ostendat,quàm breuis,& ad instar puncti impiorum gloria sit: adhuc enim sedentes in cathedra Pharisæi, sedisse dicuntur: quia in fugacis sæculi bonis,non tam præsens *esse*,quàm præteritum *fuisse* reperias. cap. 3. vers. 8. adnotat. 3. num. 6.

4. *Scribæ,& Pharisæi.* Non dubium,hos Scribas, & Pharisæos,Sacerdotes fuisse, vt omnes Interpretes adnotant: vnde statim ambigis, cur de Pharisæorum secta,& opinione,non de Sacerdotum officio nominentur?Sed facilis est responsio:ideò ab eorum secta potiùs, quam ab officio, appellatos, quòd bonis operibus vacui,sectæ nomen implerunt:muneri verò suo minimè satisfacerent, quippe Sacerdotis munus est, scientiam Dei custodire, eámque non minùs operibus,quàm verbis docere,& Angelum se se moribus exhibere. Malach. 2. 7. Pharisæi autem vocabulum à diuidendo dicitur. cap. 3. vers. 6.in expositione, n.11. Quod quidem horum moribus apprimè conuenit, qui verba,quæ docebant, ab operibus,quę exequi tenebantur,diuidebant:vnde tam de Sacerdotum officio silentio presso,quàm de Pharisęi nomine punguntur,quòd monstro simile sit Sacerdotem, ac magistrum opera à verbis diuidere.cap.2.vers.16. adnotat. 1.n. 3. ex Nazianz. *Vel ne doceto,vel doceto moribus.*

5. *Omnia ergo, quæ dixerint vobis,seruate, & facite.* Preme illatiuam, *ergo:* quæ à cathedræ mentione pendet,vt sensus sit:Non est vestrum, eorum opera discutere;sed,quæcunque bona vobis iusserint, sine discussione alacriter implere.cap.2.vers.14. adnot. 1.num. 11.

6. *Seruate, & facite.* Duplici verbo de industria vsus, vt obedientiæ promptitudinem, & animum illis sine hæsitatione deuotum indicaret. c.2. vers. 14.*sine hæsitationibus.* à num.16.

7. *Secundùm opera eorum nolite facere.* Obserua eum dicendi modum: *Nolite facere.* cui plus energiæ est,quàm huic: *Ne faciatis.* Quia,videlicet, aduersùs improborum exempla omnimodo communiendus est animus, vt ab eorum imitatione retrahatur. cap.2.vers.16.adnot.2.num.9.

8. *Seruate,& facite.* Haymo Alberstatensis:*Seruate in corde, facite in opere.* Benè omninò. Quid enim refert corde seruare, & intellectu conspicere, nisi. quæ videris,reapse exequaris? cap.3.vers. 8. adnotat. 11.

9. *Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Quare grauia,& importabilia onera,cùm ea essent,quæ ex munere suo præscribere debebant? Equidem, quòd, quæ ex se non adeò grauia,& difficilia erant,ipsi malo exemplo suo grauiora,& importabilia redderent. Nam, *cum quis me onerat,*(Theophylactus) *ipse verò otiosus viuit,magis me grauat.* cap. 2. vers. 16. adnotatione 1. num. 8.

10. *Onera grauia,& importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Pessimorum Principum specimen id est, qui de subditorum leuamine nihil curant, dummodo ipsi suarum commoditatum mensuram impleant.cap. 2.vers. 30.adn.1.num.6.

Alligant onera grauia,& importabilia, &c. *Digito autem suo nolunt ea mouere.* Chrysostom.hom.73.in Matth. *Duplicem hic nequitiam eorum ostendit: tum, quia sine venia exquisitissimè multitudinem viuere volunt: tum, quia nimium sibi ipsis indulgentes,magnam assumunt licentiam: quorum opposita in optimo Principe requiruntur: vt, scilicet, aduersùs se ipsum nulla vtatur venia,sed seuerum in se Iudicem exhibeat: erga subditos autem mitior, & ad dandum pronior veniam sit,quorum opposita isti faciebant.* Planè, si sese mitiores exhiberent,& digito suo onera mouerent, hoc est, iustitiæ rigorem temperarent,digitus Dei inibi eluceret.cap. 2. vers. 27.adnot. 2.num. 10. 11.

Amant primos recubitus in cœnis. Glossa interlinearis: *Quia mercedem suæ religionis gulam sequuntur.* cap. 3. vers. 18. in expositione, num. 31. fol. 668.& adnotat. 1.num.8. 12.

Amant primos recubitus. Benè Theophyl. Papæ quid dicit? Ideò condemnantur,quia amant?Quòd si solùm amans, primos accubitus condemnatur, qui nihil non facit pro illis, qua condemnatione dignus?cap.3.vers.8.adnot.5.num.12. 13.

Et primas cathedras in Synagogis. Chrysost.præfata hom.73. *Cætera quidem tanquam parua, & vilia, & in quibus non erat opus discipulos suos corrigi, in accusatione, & reprehensione illorum terminat:principatus autem appetitio, quæ omnium malorum causa erat, & sedis docendi raptus, in medium diligenter ad doctrinam discipulorum producitur:*vt,videlicet,potissimùm caueant ab altitudine quæsita, quæ peremptoria est. c. 3. vers. 8.adnotat. 9. 14.

Et primas cathedras in Synagogis. Meritò ambigis,quod crimen fuerit,cathedram amare, hoc est, populum docere, & rudes ad virtutem erudire? Præsertim,cùm Apostolus dixerit: *Qui Episcopatum desiderat,bonum opus desiderat:*quod equidem cathedræ etiam eadem ratione conuenit. Respondeo,his in verbis à Domino non tam reprehendi Pharisæos,quòd cathedras amarent,hoc est, aliorum institutionem susciperent; sed, quòd primas cathedras,honoris causa, quærerent. Sanè, qui non quæ sua,sed quæ Dei,& proximi sunt,curat, quouis loco, & dignitate contentus est, dummodo muneri suo satisfaciat, & aliorum vtilitati inuigilet: is autem,qui primum locum,& dignitatem in docendo ambit,manifestè ostendit,non ea,quæ Dei,sed quæ sua sunt, quærere; nec Euangelij ministrum, sed mercenarium esse. cap.2.vers.21.adnot.1.tota,præsertim num.9. 15.

Patrem nolite vocare super terram. Negat parentibus honorem deferri? Minimè quidem;sed cœlestem originem animo voluere: nec terrena cogitare;sed supernis intentos esse præscribit.Sic Auctor imperfecti: *Ex quo cœlestem te esse professus es, ex quo Patrem tibi vocasti de cœlo dicens:* Pater noster, qui es in cœlis, *&c. turpe est,vt iterum te profitearis terrenum,patrem tibi vocando super terram.* c. 2.vers.15. adnot. 1. num. 6. 16.

Qui se humiliauerit,exaltabitur. Non dicit: Qui ab alio humiliabitur,sed, *Qui se humiliauerit*, sponte,scilicet, & virtutis amore: quippe exterior, & coacta humilitas,è re Christiana non est. Vide c.3. vers. 3.adnotat.2. 17.

Feria quarta.

AScendens IESVS *Ierosolymam,assumpsit duodecim discipulos secretò.* Matth.20.Pende verbum,*assumpsit*,quod honorem,&dignitatem significat.

honores, & imperij dignitatem tardè, & reluctantur accedere, (cap.3.vers.8.adnot.9.num.3.) ita ad labores spontaneè, & alacriter currere oporteat. c. 3.vers.3.adnot.2.n.7.

18. *Calicem quidem meum bibetis.* Ebibit Iacobus calicem, cùm ex iniqui Regis sententia, abscisso capite, Apostolorum primus occubuit: at Ioannes, etsi in feruentis olei dolium, Domitiani iussu, missus fuerit; non tamen ibi, nec alibi posteà martyrium sustinuisse dicitur: cur ergo Domini calix vtrique potandus promittitur. Respondet Gregorius hom. 35 in Euang. *Esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Mors quippe à persequête, martyrium in aperto opere est. Ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Ioannes nequaquam per martyrium vitam finiuit; sed tamen Martyr extitit: quia passionem, quam non suscepit in corpore, seruauit in mente.* cap.2. vers. 18.adnot.1.tota.

19. *Sedere autem ad dexteram meam, & ad sinistram, non est meum dare vobis.* Cur, Domine, tuum non fuerit dare, à quo omne datum bonum procedit? Sanè, quia Medici non est, ea, quæ morbos augent, ægrotis conferre, sed potiùs denegare. Ita omninò S.Cyrillus libr.10.Thesauri, cap.5. *Inani gloria moti à dextris, & à sinistris meis sedere concupistis: id autem dare, meum non est. Non enim dabo morbum alicui, qui doceo atque hortor, vt à morbo caueatis.* Ergo sæculares honores iratus potiùs, quàm placatus Dominus impertitur: ideò pulchrè ait: *Non est meum dare vobis*, qui amici mei estis. cap.3. vers. 8.adnot.8.

20. *Non est meum dare vobis.* Pulchrè S. Cæsarius dialogo 3. *Agit (inquit) eo modo, quo solent, qui aliquid ante tempus præstare nolunt, sed alij alicui potestatis auctoritatem esse simulant, ne quando receperint, segniores ad alacritatem, & fortitudinem fiant, contenti eo, quod datum est, non ampliùs laborare volentes.* Nimirum, in Dei obsequio semper solicitos esse oportet, & cum metu, & tremore nostram salutem indesinenter operari. cap.2.vers.12.adnot.2.

Feria quinta.

1. *Homo quidam.* Quod, quæso, illi nomen inerat? Premit silentio Dominus. Cur verò, cùm pauperis Lazari statim nomen subiungat? Sanè, quòd à virtute, vera hominis essentia, atque natura sumatur: ideóque, qui illa caret, non esse, nec nomen, quod essentiam subsequitur, habere videtur. cap.3. vers.3.adnot.1.tota, præcipuè num.5.

2. *Homo quidam.* De industria mali diuitis nomen reticetur, cùm Lazarus nominatur, quia prudentiæ, & moderationis Christi fuit, pauperem, quem laudabat, nominare; diuitem, quem vituperabat, non nominare: vt Concionatores institueret, atque moneret, ne nimio increpandi zelo, non tam vitia, quàm homines insectentur, dum eos, quos accusant, nimis acriter feriunt, nec nominibus parcunt. c.3. vers.18. in expositione litterali, & morali, n.6. & seqq.

3. *Erat diues.* Noli zelari in malignante diuite, qui sibi tantùm diues erat, in suis deliciis diuitias insumens, nulla pauperum habita ratione: nam, qui eiusmodi diues est, infensum sibi Deum habet. *Etenim voluntas Domini est datis vti in vsu conseruorum, & non in proprias delicias*, vti inquit Theophylactus c.2.vers.26.adnot.1.n.3.

4. *Erat diues:* id est, ciuitas quædam absque muris in agro sita, omnium hostium telis exposita: diuitiarum enim, & deliciarum copia non modò inermis, atque discinctus, sed animo eneruatus, & madefactus, & velut perpetua ebrietate sopitus ad omne vitiorum telum peruius, & penetrabilis erat. cap.3.vers.8.adnot.8.n.5.

Erat diues. Diues, & florens: malum quidem omen. *Vidi stultum firma radice*, (Iob 5.3.) *& maledixi pulchritudini eius*: siue, malè ominatus sum: ac si dicat: Malum sanè omen de eius salute accepi, & tantam frondium, fructuúmque amœnitatem diuinæ indignationis securi deuotam esse conieci. c.3. vers.11.adnot.1.n.9. 5.

Erat diues. Hic diues: Lazarus pauper: sed quibus oculis? Cæcis quidem, ac lippientibus, & externam rerum faciem, non internam, verámque naturam contuentibus: acer enim, & perspicax visus diuitem hunc deliciosum, extremè indigentem, ac infelicem; pauperem verò Lazarum, summè diuitem, atque beatum contemplatur. cap.4. vers.8. adnot.3.num.8. 6.

Induebatur purpura, & bysso. Aliter quidem mulier fortis: anima, scilicet, sapientia prædita, de qua Salomon: *Byssus, & purpura indumentum eius.* Componuntur vtraque verba, & pensiculatiùs elucidantur, vt integra penè concio ex illis formari possit. cap.3 vers.11.adnot.1.n.10.& seqq. 7.

Epulabatur quotidie splendidè. Tertullian. lib. de ieiuniis, cap.16. *Sed nec apud Inferos admonitio cessauit, vbi in diuite quidem conuiuia cruciantur, in paupere verò ieiunia recreantur.* cap. 2. vers. 18. adnot. 1. num. 7. & seqq. Vbi de gulæ vitio, & fœditate, ob quam gulones animam in ventre habere dicuntur, & in magno salutis discrimine versantur. 8.

Epulabatur quotidie splendidè. Bibensque, sicut aquam, iniquitatem; nullum, scilicet, tetri odoris, quem ipsa spirat, sensum habens; ideò remedium salutis non inuenit. cap.3. vers. 18. adnot. 4. num.10. 9.

Erat autem mendicus, nomine Lazarus. Quæ hæc prouidentia fuerit; iustum, rectum, & Deo deuotum virum, tanta ab ipso rerum omnium inopia conflictari? Magna quidem, & è paterno affectu profecta: vt, nimirum, terram ei clausa manu Deus impertiens, cœlum palmo metiretur. cap.3.vers.8. adnot.8.num.4. 10.

Qui iacebat ad ianuam eius. Siue, vt lectio Syriaca habet: *Et proiectus erat ad ianuam illius diuitis.* Pulchrè, *proiectus*, nec ab alio quàm à Deo, vt viti huic Lazari, paruæ quidem, & humili, sed fructibus virtutũ plenæ, superba illa diuitis vlmus amœna frondibus, & in sublime porrecta, iustitiæ tamen fructibus vacua, opportunè intertexeretur, & ad ipsam eleemosynarum ramos, manúsve extenderet, vt ipsius vitis fructus suos quodammodo faceret, & illis ornatus ad cœleste regnum aditum haberet. cap.2. vers.12. adnot.8. num.4. Atenim, *quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno.* num.7. 11.

Vlceribus plenus. Sanè, quasi signum positum ad sagittam. Atenim ipse minimè mouebatur in tribulationibus illis, sciens, quòd in hoc positus esset, vt ad æterna gaudia postmodum perueniret. cap.3. vers.11.adnot.1.n.3. 12.

Factum est autem, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Itáne: cœlestes Spiritus, potentes virtute, mendicum portare, eíque inseruire dicuntur? Ita quidem. Quare? Num, quòd magna ipsi humilitate sint præditi? Imò verò, quia potentes virtute sunt, quòd magna, scilicet, ipsis potentia, ingénsque magnitudo subsit: hæc enim ad opem minoribus ferendam natura sua inuolat. cap.2. 13.

vers.16. adnotatione 1.num.2.

14. *Mortuus est autem, & diues, & sepultus est in Inferno.* August.serm.112. *Pro epulis ariditas, & desiderium guttæ de digito pauperis; sicut ille micarum de mensa diuitis: sed illius egestas præteriens, huius pœna permanens.* Hoc attendant diuites huius mundi, & non superbè sapiant. præfata adnot.1.cap.3.vers.11. num.11.

15. *Eleuans autem oculos suos.* Benè tunc eleuasse oculos dicitur, qui diuitiarum pondere terræ fixos habuit. cap.3.vers.8.adnot.8.num.9. Sed enim, quàm sera oculorum eleuatio, quàm tarda veritatis agnitio, salutis occasione iam omninò elapsa. c.2. vers. 12.adnot.5.n.4.

16. *Vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Non solùm pauper Lazarus, sed diues etiam Abraham ad cœlorum regnum pertinet. August. serm. 110. *Non vides, quia pauperem diues excepit? Non vides, quia diues susceptor est pauperis? Si enim superbis contra eos, qui habent pecuniam, negas eos ad regnũ cœlorum pertinere.* Non ergo diuitiæ, sed malus earum vsus accusatur: ipsæ siquidem benè expensæ, Dei munus sunt, & ab eo vallantur, & custodiuntur. cap.2.vers.27.adnot.1.n.1.

17. *Vt refrigeret linguam meam.* Signatè lingua plùs cruciari dicitur, quæ pauperi eleemosynam denegauit. vers.12.adnot.9.n.5.

18. *Fili, recordare.* Quid Abrahæ sanctissimo, & pessimo diuiti, vt illum filium vocet? Iudicis quidem personam agit & illum eo vocabulo, quasi pugione, transfigit. Chrysologus serm.123. *Tu vocas patrem, ego voco filium, vt tu grauiter doleas perdidisse, quod natus es. Adhuc voco filium, vt amariùs doleas perdidisse te, quod tibi gratia dederat, & natura: quia non habuisse, doloris non est tanti, quanti habita mæroris est, perdidisse.* Nimirum, is inter omnia gehennæ supplicia grauissimus dolor est, salutis occasionem neglexisse. c.2.adnot....c.2.vers.12.adnot.5.n.6.

19. *Fili, recordare.* Chrysologus indidem: *Vtique respondisset generi, si pius, si hospitalis, si misericors, in pauperem si fuisset humanus.* Hinc enim Dei in nobis similitudo maximè sumitur. cap. 2. vers. 12. adnot.8.n.8.

20. *Quia recepisti multa bona.* Gregorius hom.40.in Euangelia: *Diues iste non idcircò punitus est, quoniam aliena abstulit; sed, quia, acceptis rebus, semetipsum malè dereliquit. Hoc quoque fuit, quod hunc Inferno tradidit, quia in sua felicitate timidus non fuit.* Vide, quàm periculosa res prosperitas sit. cap.4. vers.12. adnot.2. quámque expediat, felicitati modum ponere. cap.3.vers.8.adnotat.4. num.10. Vide etiam cap.4.vers.12.adnot.1.

Feria sexta.

1. H*Omo erat paterfamiliâs, qui plantauit vineam.* Vide Dei naturam summè beneficam, & ad thesauros suos diffundendos vndequaque procliuem. Indicat, nimirum, hæc vineæ plantatio, *ipsum honesto, bonóque omnium amore præditum pro singulari bonitate amatoria extra se fieri, rerum omnium procuratione.* c.2.vers.26.adnot.1.n.4.& 5.

2. *Plantauit vineam, & sepem circumdedit ei.* Hilarius: *Patremfamiliâs hic Patrem Deum intelligimus, qui populum Israel in prouentus optimorum fructuum plantauerit.* Sed, vide, vt sepem statim circundederit, ab infidelium, & improborum commercio segregans. Quis enim fructus a vinea, quæ sepe, & maceria non est munita; ab eo, inquam, qui improborum consortio admixtus est, sperari possit? Ita quidem, cùm primùm Deus lucem creauit, *sepem* statim *circundedit ei: nam diuisit lucem a tenebris.* c.3.vers.2.adn.1.tota, præcipuè n.14.

Et fodit in ea torcular. Ambros.lib.3. Hexameron, cap.12. agens de hac vinea, prout ab Isaia describitur, pro his verbis legisse videtur: *Et circumfodit vineam Sorech.* quod sic explicat: *Circumfodit eam, quando exonerauit terrenarum mole curarum: nihil enim magis mentem onerat, quàm istius mundi sollicitudo, & cupiditas, vel pecunia, vel potentia. Quod tibi demonstratur in Euangelio, cùm legis, quia illa mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, vt sursum respicere non posset. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terrena compendia, & cœlestem gratiam non videbat.* cap.2.vers.8.adnot.8. tota, præcipuè num.9. 3.

Et ædificauit in ea turrim. Benè indidem Ambrosius cum tacita allusione ad verba Canticor.4.vers. 4. *Turris Dauid, collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendẽt ex ea.* quæ de egregiis Sanctorum exemplis a Patribus frequenter accipiuntur, sic hæc interpretatur: *Ideò turris in medio est, quæ exemplum de illis rusticanis, de illis circunferat piscatoribus, qui virtutum arcem tenere meruerunt, quorum exemplis noster erigatur affectus, neque humilis, & despicabilis iaceat.* cap.2.vers.16.adnot.2. tota, præsertim n.[illegible]. 4.

Et ædificauit in ea turrim. Optimè Chrysost. *Expende* (inquit) *& prouidentiam eius ineffabilem, & otiositatem inauditam istorum. Plura enim ipse agricolarum opera fecit, maceriem circumposuit, vineam plantauit: paruum quid agricolæ opus ipse reliquit, vt, scilicet, plantata iam vinea curam habentes, quæ data fuerant, conseruarent: nihil enim ille omiserat, sed omnia perfecta custodia sua tradidit. Nihil tamen isti tanta prouidentia Dei, tot, tantáque bona consecuti, lucrati sunt.* Quippe totam in Deum curam, totum laborem coniecerunt: at, *si Deus maiore quodam studio te creauit* (inquit Ambros. serm.10. in Psal.118.) *cur ipse tui studium derelinquis? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris?* Vide cap.2.vers.13.adnot.6.num.2. 5.

Et locauit eam agricolis. Non tradidit, vt propriam haberent: sed *locauit*, vt fructus redderent, dominio penes ipsum manente: eorum enim, quæ à Deo dono accipimus, non tam domini, quàm vsufructuarij sumus. c.2.vers.27.adnot.1.à n.1. 6.

Locauit eam agricolis. Auctor Operis imperfecti, in agricolis Sacerdotes intelligit, qui *procurationem regendi populi susceperunt ad magnam suam gloriam, & ad grande periculum: ad gloriam quidem, si diligenter tractauerint populum Dei: ad periculum autem, si negligenter.* Verùm enimverò illud etiam obserua, hoc in loco totam in colonos culpam reiici: apud Isaiam verò cap.5. vbi de hac eadem vinea agitur; ipsammet etiam vineam criminis argui: vt noueris, tam arctum, atque indissolubile vinculum inter Sacerdotes, & ipsorum munus, commissásque sibi vineas intercedere, vt nequeant sibi ipsis malos esse, quin muneri suo officiant, & commissos sibi populos enecent. c.2.vers.16. adn.1.à n.9. 7.

Et peregrè profectus est. Ambrosius lib.9.in Lucam: *Ne præpropera videretur exactio:* quasi ad sumendum experimentum, an virtutem propter ipsam colas, an verò tanquam seruus ad oculum seruias, plagas extimescens. Vide cap.3.vers.3. in expositione, n.10.& seqq. 8.

Et peregrè profectus est. Indidem Ambros. *Non, quia ex loco ad locum profectus est Dominus, qui vbique semper præsens est: sed, quia præsentior est diligentibus, abest.* cap.2. vers.13.adnot.5.n.12. 9.

Et peregrè profectus est. Theophylactus: *Peregri-* 10.

natio

natio Dei, longanimitas eius. Videtur enim Deus, & dormire, & peregrè proficisci, dum longanimis est, & non è vestigio peccatorum pœnas exigit. Atque hinc quidem stulti nouorum criminum ausam sumunt: quibus sic Sapiens obuiam it: *Ne dicas: Peccaui, & quid mihi accidit triste: Altissimus enim est patiens redditor.* cap. 2. vers. 12. adnot. 6. n. 6.

11. *Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos.* Tum quidem, vel ob hoc solum, quòd agricolæ spontanea voluntate debitum non soluerint; sed illud ab ipsis opus fuerit repetere, reprehensione digni sunt: nam, si grato animo in patremfamiliàs fuissent, exactores vtique anteuertissent, & prompto animo fructus attulissent. Vide cap. 3. vers. 3. adnot. 2. n. 7.

12. *Tempus fructuum appropinquasset.* Suámne, an nostram vtilitatem spectat Dominus, cùm viget nos ad reddendos fructus *temporibus suis?* Nostram quidem: nostram omninò intuetur: ne seram, & incassum pœnitentiam, ac proinde æternam ad instar Iudæ, & damnatorum agamus: de quibus ait Salomon: *Pœnitentiam agentes*, &c. cap. 2. vers. 12. adnot. 5. num. 6.

13. *Apprehensis seruis, alium ceciderunt.* Preme verbum, *apprehendo*, quod firmum conatum, & fortitudinem, vitésque aliis præualentes denotat: nimirum, filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. cap. 2. vers. 14. in expositione, num. 12. & seqq.

14. *Apprehensis seruis, alium ceciderunt.* Preme rursum modo dicto verbum, *apprehendo*, & dum in illo firmas agricolarum vires, potentiam, & fortitudinē agnoscis, non aliunde, quàm ab ipsis vineæ fructibus acquisita vide. Tot, tantáque illis collata beneficia, quibus illi obsequiis agnoscunt, atque rependunt? *Expectaui* (inquit Dominus) *vt faceret vuas, fecit autem spinas*, quibus caput meum pungerent: acceptas, scilicet, ab eo vires, valetudinem, diuitias, in horum datorem, velut arma, conuertentes. Pulchrè ipsemet apud Oseam: *Facti sunt mihi quasi arcus dolosus.* c. 2. vers. 27. adnot. 1. n. 7.

15. *Apprehensis seruis, alium ceciderunt.* Bonis temporalibus abundantes, ab illis quidem corrupti sunt. c. 3. vers. 8. adnot. 8. n. 8. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.*

16. *Iterum misit alios seruos plures prioribus*, &c. Obserua, & reuerere perfectissimam horum seruorum obedientiam, qui ad crudelissimos homines missi, nihil morati, aut hæsitantes velocissimè abierunt, quin apud se dicerēt: Quid ad homines duræ ceruicis, à quibus nullus speratur fructus, mittimur? nónne hoc fuerit, ad certissimam mortem per proprios pedes ire? Nihil horum certè illis in mentem venit: sed obediendi impetu priùs eorum è vita discessus, quàm ad agricolas accessus auditus est. c. 2. vers. 14. adnot. 1. à n. 4.

17. *Nouissimè autem ad eos filium suum.* Quando mittit? Equidem, cùm tot scelerum vltor seuerissimus venire debuisset, tūc maximam illis misericordiam exhibere, & pro tantis malis summum bonum reddere voluit: & verò opportunissimè: illud enim inimicis benefaciendi opportunius tempus est, cùm grauioribus ab illis iniuriis affecti sumus. Benè Auctor imperfecti: *Pluribus interfectis accumulauit bonitatem, & misit filium suum, & hunc non quasi in obnoxios pœnæ sententiam baiulantem, sed patientiæ veniam.* c. 2. vers. 15. adn. 3. num. 4. & seqq.

18. *Dicens: Verebuntur filium meum.* Lectio Syriaca: *Iam erubescent propter filium meum.* Quid: éstne hæc prophetia rei futuræ, an eius quod debuit fieri coniectura? Coniectura quidem diuinæ potiùs bonitati, quàm agricolarū ingenio, & moribus innixa. Pius siquidem Iudex, & vrbanissimus Dominus, cùm ex tot retrò sceleribus perpetratis immane parricidiū odorari potuerit; maluit tamen dubitare; imò verò benè sperare, & in bonam partem potiùs, quàm in malam inclinare: vt videas, quàm sit alienum à Dei ingenio proximi actiones in peiorem partem accipere. c. 2. vers. 15. adn. 9. n. 2.

Verebuntur filium meum. Chrysost. *Cur, inquiens, filium non continuò misit? Vt à multis iam malefactis possent se ipsos cognoscere, & superbia omissa filium vererentur.* Ac si dicat: vt opportuniùs illis adueniret, cùm ex aliis sceleribus pudore affecti, & conscientiæ aculeis compūcti iam essent. Quid enim pudorem, ac metū ab humano pectore, & facie sic excutiat, ac peccatum. c. 3. vers. 18. adnot. 3. n. 1. & 2. 19.

Verebuntur filium meum. Auctor Operis imperfecti: *Ergo misit confundere illos, non autem punire. Nam pro tantis iniuriis benignissimo Domino sufficiebat sola vindicta pudoris, vt vel hinc benè de illis posset in posterum sperare.* indidem adn. 4. n. 8. 20.

Verebuntur filium meum. Cur verebuntur? Quia, *si amare eum voluerint* (loquitur Auctor Operis imperf.) *est, quod ametur in eo; quia solus est bonus: si voluerint eum timere, est, quod timeatur in eo, quia solus terribilis est Deus.* Disce iam amare, disce timere. Quid in sæculo ames? quid timeas? Telas quidem araneæ, filaque leuissima. c. 3. vers. 8. adn. 1. n. 8. 21.

Hic est hæres: venite, occidamus eum. Non dubium, quin bonis euentibus freti tam immane flagitium aggressi fuerint: nihil formidantes, nihil iam cauentes, sed omnia sibi prospera ex præcedentibus augurantes: non secùs ac Ægyptij Israelitas secuti sunt vsque in medium maris, Exodi 14. ad quæ verba Oleaster scite ait: *Non debent inimici Domini credere bonis successibus, neque sequi suas concupiscentias: quoniam sæpius ad malum suum trahuntur, vt seueriùs puniantur.* cap. 4. vers. 12. adnotat. 2. num. 9. 22.

Venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem. Benè Seneca de proiecta ad malum audacia: *Scelera sceleribus tuenda sunt.* Atenim, cùm homines peccatis velamenta, siue excusationes frequentiùs obtendant; hos, qui iam in profundum malorum venerunt, inoperto capite peccare libet, ab assiduitate, & consuetudine peccandi in hanc procacitatem delapsi. cap. 3. vers. 18. adnotat. 4. 23.

Et habebimus hæreditatem. Quo iure? Nónne, mortuo filio, parens, qui & hæreditatis est dominus, & filij sui necessarius hæres, manet superstes? Vnde ergo vobis ad hæreditatem aditus? Existimatisne, patrem post denegatos ei vineæ suæ fructus, post occisos seruos, post filium vnicè dilectum extinctum, hæredes vos instituturum? Sed, heu vanam peccatoris spem, Deum pro creatura deserentis! Credit enim miser, Deo etiam offenso, ea, quæ ab eo sunt bona, subsistere, & conseruari posse: ita quidem Iudæi, quos hæc parabola designabat, stultè sibi persuadebant, extincto Christo, templum, & legis gloriam perpetuò sibi ipsis mansuram, ac duraturam: sed mentita est iniquitas sibi: breui namque subinde tempore ob Christi sanguinem effusum vrbs excisa, & templum in cinerem redactum, ipsique post vastam stragem sub seruitutis iugum ire iussi sunt: optimè hæc omnia sic præstringente Hilario: *Consilium verò colonorum, & hæreditatis occiso hærede præsumptio, spes inanis est, gloriam legis perempto Christo posse retineri.* cap. 2. vers. 15. adnot. 1. num. 7. & seqq. 24.

Et apprehensum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Quare intra vineam occidere ausi non sunt? Nónne intra illius septa totiùs flagitium illud per- 25.

petrarent? Dixeris, auaros colonos, qui nullam animæ suæ rationem habebant; vineæ tamen fructibus consuluisse, non temerè existimantes innocentis sanguine vineam sterilem redditum iri: si enim ipsæmet benè partæ diuitiæ iniustitiis diminuuntur, quid illis fiet, quæ, & per vim obtentæ, & innoxio sanguine commaculatæ sunt? Eadem adn. n. 13.

26. *Nunquam legistis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes*, &c. Vide, quàm sui oblitus sit peccator: quotidie enim suæmet condemnationis Scribæ, & Pharisæi sententiam legentes, non anteà intellexerunt, quàm ipsemet infelicissimus dãnationis euentus ipsorum oculos aperuit: vti de Heli dicitur: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre, lucerna Dei antequàm extingueretur*. c. 2. vers. 12. adnot. 5. n. 6.

27. *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*. Ergo regna, principatus, munera, diuitiæ auferuntur ab iis, qui ipsis male vtuntur, & transferuntur in illos, qui hæc ad Dei nutum habituri, & dispensaturi præuidentur. cap. 2. vers. 27. adn. 1. num. 9. & n. 13.

28. *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum*. Apud Lucam sic hæc efferuntur: *Omnis, qui ceciderit supra lapidem illum, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum*. In quæ verba Beda sic loquitur: *Aliud est offendere Christũ per mala opera, aliud negare per impietatem. Qui peccator est, & tamen illi credit, cadit quidem super lapidem, & conquassatur, sed non omnino comminuitur: reseruatur enim per sapientiam ad salutem*. Supra quem verò ille ceciderit: *hoc est, cui lapis ipse irruerit, & qui Christum penitùs negarit, comminuet eum, vt ne testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ pusillum*. Nimirum, sic Deus nostram salutem operatur, vt manum à tabula non submoueat, quin ansam vndequaque ad benefaciendum sumat: & lapso manum porrigat: *calamum enim quassatum non conteret*. c. 2. vers. 13. adnot. 4. n. 9.

Sabbatho.

1. *HOmo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior patri: Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam*. Luc. 15. Hieron. epist. 146. *Substantia Dei est omne, quod viuimus, sapimus, cogitamus, in verba prorumpimus. Hæc Deus æqualiter vniuersis, & in commune largitus est, Euangelista dicente*: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mũdum. *Iste est dexter oculus, qui scandalis obseruandus est. hæc lucerna corporis: hoc talentum, quod non est in sudario colligandum, nec in terra defodiendum, terrenis, scilicet, cogitationibus obscurandum*. En Dei substantiam. Ait ergo adolescentior hic filius: *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit*. Quasi dicat (inquit Titus Bostren.) *Posteaquam liberæ voluntatis conditus sum, nolo coactus seruire. Si voluero, temperans ero: sin id autem noluero, compelli non volo*. Annuit ergo huic petitioni Pater, & diuisit illi substantiam: id est, (vt Hieronymus indidem ait,) *Vt viueret vnusquisque, non ex imperio Dei, sed obsequio suo; id est, non ex necessitate, sed ex voluntate: vt virtus haberet locum: vt à cæteris animantibus distaremus, dum ad exemplum Dei permissum est nobis facere quod velimus*. cap. 2. vers. 13. adnot. 1. tota, præcipuè n. 3.

2. *Peregrè profectus est*. August. lib. 2. qq. euang. cap. 31. *Malè vtendo naturalibus bonis, eo ipso quod patrem deserunt cupiditate fruendi creatura*. Bernar. serm. de diuersis affectionibus animæ: *Factus est sui iuris, & quamuis recessit ab auctore; proximus tamen fuit, quandiu ab opere non recessit. Hoc autem tan diu fit, dum licita quidem, sed non expedientia pro sua sequitur voluntate*: hoc est, dũ Dei obsequium negligentiùs suscipit, nec collatis sibi donis respondet. Discessit ergo à Deo, & illi Deus vicem rependens ab eo etiam iratus discessit: *Ecce tu iratus es, & peccauimus tibi*. c. 2. vers. 13. adnot. 6. n. 9.

In regionẽ longinquam. Vener. Galfr. in allegoriis Gotfr. *Si post concupiscentias suas homo ierit, & modo pecudum, gulam, iram, rixam, luxuriam secutus fuerit, iam à Deo peccando recessit. Hinc iam longè abiit, si remedium pœnitentiæ fugerit. Longiùs quoque, si in obliuionẽ, & ignorantiam venerit veritatis. Ampliùs autem, si eandem veritatem, & iustitiam, ne agnitam quidem, dilexerit. Quàm verò pessimè adhuc fugiens elongatur, si æternam deserit concupiscere vitam; si cœperit non expauescere nec gehennam; si propriam postremò diligere culpam? Hoc enim est profundum malorum, quo deueniens impius iam contemnit*. cap. 3. vers. 18. adnot. 3. & 4. 3.

In regionem longinquam. Bern. serm. de diuersis affectionibus animæ: *Postquam recesserit & a se ipso, declinans, scilicet, in peccatum, tunc iam verè in longinquam proficiscitur regionem, quoniam ab eo, qui summè, & singulariter est, nihil longius eo, quod nullo modo est, nihilque remotium magis ab eo, à quo, & per quem, & in quo sunt omnia, quàm peccatum, quod nihil est inter omnia*. c. 3. vers. 3. adn. 1. n. 4. 4.

Dissipauit substantiam, viuendo luxuriosè. Vide vesaniam in se ipsam arietantem, vitiáque sibi ipsis (non abnuente diuina prouidẽtia) contraria: quippe duo noxij affectus, auaritiæ, atque luxuriæ, qui homini maximè naturales sunt, se inuicem elidunt, & alter alterum domat, & exarmat: & qui luxuriæ inseruit, auaritiam vincit; & qui auarus est, à luxuria abstinet. c. 4. vers. 8. adn. 1. n. 6. ibi, *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*. 5.

Dissipauit substantiam. Quia recessit à Deo: vt noueris ipsummet terrenam substantiam sine Dei ope non consistere. Bene Aug. citato loco: *Quas vires tanto consumit citius, quanto eum deserit, a quo datæ sunt*. cap. 2. vers. 27. adnot. 1. n. 7. 6.

Dissipauit substantiam. Atenim non ideò solùm prodigum hunc filium appelles, quòd diuitias consumpserit, patrimoniumque prodegerit; sed ea potissimùm de causa, quòd sæcularibus bonis, frustrata anima se se totum impenderit. Ita indidem Aug. *Itaque hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere, atque spatiari pompis exterioribus intus inanescẽtem, cum ea quisque sequitur, quæ ab illo procedunt, & relinquit eum, qui sibi est interior*. Prodigum ergo voca, sicut eum, qui fæcis pecunia implẽdis inhiat; sine illum, qui gloriam, & honores ambit, aut etiam qui amoribus indulget: quòd hæc omnia inania, fumus, & nihil sint. cap. 3. vers. 8. adn. 1. 7.

Viuendo luxuriosè. Explicatiùs id bonus eius frater aperuit inquiens: *Deuorauit substantiã suam cum meretricibus*. In quæ verba Bern. citat. serm. de quatuor affectionibus: *Quænam (inquit) hæ meretrices? Vide, ne ipsæ sint, quæ exterminant suauitatis vnguentum, carnales, videlicet, concupiscentiæ, de quibus saluberrimè Scriptura te admonens*, Post concupiscentias, *inquit*, tuas ne eas. *Et meritò meretrices describit Sapiens: quoniam*, & mundus transit, & concupiscentia eius. cap. 3. vers. 8. adn. 4. n. 6. 8.

Viuendo luxuriosè. Vitámne hanc, an mortem dixeris? Respondet Chrysol. serm. 1. *Mortalis est ista vita, quæ moritur virtutibus, qui vitiis viuit; sepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, crescit infamia*. Mortuum ergo hunc cõsidera, & lacrymis 9.

prose

prosequere.cap.3.verſ.18. *Flens dico.*à num.12.

10. *Cœpit egere.* Bernard.citato loco: *Porrò meretrices iſtas, concupiſcentias carnis intellige, cum quibus luxurioſe viuēdo diſſipat bona natura, dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc, vt iam diximus, egeſtas ſuccedit pernicioſa, teſte Scriptura, quòd non ſatietur oculus viſu, nec auris impleatur auditu.* Vt mireris, & laudes diuinam prouidentiam, qui non ingratis mala permittit, ſed vt vel illis erudiatur homo ad mundi bona contemnenda, tanquam nugacia, & caduca, quæ hominis animum explere nequeant. cap.3. verſ.8.adnot.4.n.13.

11. *Et adhæſit vni ciuium regionis illius.* Pulchrè Ambroſ.lib.7.in Luc. *Qui hæret, in laqueo eſt.* Adhærere ergo iſtius mundi rebus, illaqueari, & irretiri, & mille laboribus obnoxiũ reddi eſt. cap.3.verſ.8. adnot.7.n.5.

12. *Et cupiebat implere ventrem.* Indidem Ambroſ. *Neque enim alia cura eſt luxurioſis, niſi vt ventrem ſuum impleant. Quorum Deus venter eſt.* Nimirum, *duo iſta Dæmonia coniurata, & conſpirata inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis.* cap.3.verſ.18.adn.3.

13. *De ſiliquis, quas porci manducabant.* Vide Diaboli delicias, quibus ſuos reficit, & nutrit. Pulchram huius rei cauſam affert S.Ephrem. cap.2.verſ.13.adn. 4.num.6.

14. *De ſiliquis,* &c. Graphicè tam ſæcularia bona, quàm peccata ſiliquarum imagine deſcribuntur: has enim primùm ſic definit Ambroſius præfato loco: *Cibus intùs inanis, foris mollis; quo corpus non reficitur, ſed impletur; vt ſit magis oneri, quàm vſui.* Terrena enim bona pondus ſunt, non ſubſidium. cap.3.verſ.8.adnot.5.

15. *De ſiliquis.* Peccato ſic aptat hunc cibum Titus Boſtrenus ad hæc verba: *Peccatum autem non iniuria aſſimilatur ſiliquis. Nã, vt harum guſtus ſuauis eſt; & tamen adiunctam habet nonnullã aſperitatem: ita peccatum quoque ad breue quidem tempus oblectat, verùm poſteà cruciat prolixè. Paucis delectat momentaneè; ſed flagellat æternè.* cap.4.verſ.3.adnot.3.n.5.

16. *Et nemo illi dabat.* En quò deueniat, qui à Deo recedit; cui, nimirum, nulla ſit animi refectio; nullus, qui opem ferat: Deus ſiquidem deſerentem ſe deſerit, & manum ſubtrahit: Dæmon verò, *vitricus cùm ſit* (vt dicebat num.13. Ephrem) *alienis filiis non parcit.* Inter vtranque ergo Dei, & mundi menſam ieiunus eſt.c.2.v.14.in expoſ.litter.& mor.à n.14.

17. *In ſe autem reuerſus.* Ergo extra ſe anteà erat? Ita planè, à ſæculi bonis excantatus, & faſcinatus. *Iam, ſcilicet,* (inquit Beda,) *ab eis, quæ forinſecus fruſtra illiciunt, & ſeducunt, in conſcientia interiora reducem faciens intentionem ſuam.* cap.3.verſ.8.adn. 8.num.9.

18. *In ſe autem reuerſus.* Chryſol.ſerm.2. *Fames reuocat, quem ſaturitas expulerat. Fames illi dedit patrem ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem. Et ſi tantùm præſtitit vel in vita fames, probate, quid voluntarium poſſit conferre ieiunium? Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mẽtem, ne ſuperam valeat ſentire pietatem. Vacuandus eſt ergo venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcẽdere ad virtutes, poſſit ad ipſum pietatis auctorem totus aliger peruolare.* c.3.verſ.18.adnot.1.tota.

19. *In ſe autem reuerſus.* Indidem Chryſol. *In ſe antè redit, vt rediret ad patrem, qui à ſe antè receſſerat, cùm receſſit à patre. A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Nimirum, à timore Dei verum eſſe accipit homo.c.3.verſ.3.adnot.1.à n.1.& ſeqq.

20. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo.* Optimè Titus Boſtrenus: *Hoc eſt, priorem felicitatem cum poſteriori miſeria conferens, qualis, quæ, & quantus erat, quando cum Deo Patre adhuc degebat, animo pertractans.* Quippe ſpiritualium, & terrenorum bonorum exactè facta collatio mirè ad animæ ſalutem conducit.c.3.verſ.8.in expoſit.n.8.& ſeqq.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Sed, vt tu iueris, putáſne illum tam grauiter offenſum te fore ſuſcepturum? Qua ergo ſpe ad patrem pergis? *Qua ſpe: illa, qua pater eſt: ergo perdidi, quod erat filij; ille, quod patris eſt, non amiſit.* Chryſol. cap.2. verſ.13. adnot.4.n.7. 21.

Pater, peccaui in cœlum. Num ipſe ignorabat te peccaſſe? Quid ei peccata manifeſtas? Rectè Ambr. lib.7. in Lucam: *Hæc eſt prima confeſſio apud auctorem naturæ, præſulem miſericordiæ, arbitrum culpæ. Sed, etſi Deus nouit omnia, vocem tamen tuæ confeſſionis expectat. Ore enim confeſſio fit ad ſalutem, quia alleuat pondus erroris quiſquis ipſe ſe onerat, & accuſationis excludit inuidiam, qui accuſatorem præuenit confitendo. Fruſtrà autem velis occultare, quem nihil fallas, & ſine periculo prodas, quod ſcias eſſe iam cognitum.* c.3.verſ.10.adnot.2.n.2.& ſeqq. 22.

Peccaui in cœlum. Notanter, *in cœlum.* Benè Titus Boſtrenus: *Haud ſecius firmamenti faciem metuo, atque accuſatoris cuiuſpiam vocem.* Quare? quia, videlicet, in cœleſtem originem peccaui, & ab ea in terrenas ſordes delapſus ſum.c.2.verſ.15.adn.1.n.7. 23.

Fac me, ſicut vnum de mercenariis. Venerab.Gilb. in allegoriis Gotfridi: *Prudẽter ait: Surgam iturus ad eum, qui in cœlis eſt Patrem. ſed nimis exilem, & macilentam ſpem repoſuerat in ſinu ſuo, mercenariã conditionem patrẽ rogaturus. Modeſtè quidem pro meritis, ſed de paternæ miſerationis copia humiliter nimis, & iniurioſè ſentiens; verè famelici dãs in hoc animi indicium, & inedia confecti. Non enim poterat ieiunam, & macram ſpẽ ad maiora porrigere.* Nimirum, qui Dei obſequium vtilitate metitur, mercedéque ipſi ſeruit, à filij conditione, perfectæque virtutis ſtudio it.cap.3. verſ.3.adn.2.à n.1.& ſeqq. 24.

Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Dixerat: *Surgam, & ibo: verba, ſcilicet,* (inquit Aug.lib.2.qq.euang.c. 33.) *pœnitentiam meditantis in confeſſione peccati, nõdum tamen agentis: nõ enim iam dicit patri, ſed dicturum ſe eſſe promittit.* Modò notanter ait Euangeliſta, reapſe ſurrexiſſe, & ad patrem veniſſe: quia, vt benè ad priora verba Ambr. *non ſatis eſt dicere, niſi ad Patrem venias.* Addit Tit.Boſt. *Bono voluntatis propoſito adiunxit opus.* Oportet enim non ea ſolum, quæ Deo ſint grata, & accepta velle; ſed bona animi deſideria per bona quoque opera oſtendere. cap.3. verſ.8.adnot.11. 25.

Cùm adhuc autem longè eſſet, vidit eum pater ipſius, & miſericordia motus eſt. Benè quidem: ad miſerendum enim, & benefaciendum à longè videre bono patri ſatis eſt: ad iudicandum verò, & condemnandum, niſi res cominùs, & de proximo aſpexerit, contentus non erit. cap. 2. verſ.15. adnot. 9. num.1. 26.

Dixitque ei filius: Pater, peccaui, &c. Beda: *Non addidit, quod illa meditatione dixerat:* Fac me, ſicut vnum de mercenariis tuis. *Cùm enim panem non haberet, vel mercenarius eſſe cupiebat: quod poſt oſculum patris generoſiſſimè iam dedignatur: intelligit nanque inter filium, mercenarium, & ſeruum, non minimã eſſe diſtantiam.* Ergo à patris oſculo ad perfectionem virtutis adnititur, nec timore pœnarum, nec præmij auiditate: ſed ſolo iuſtitiæ amore virtutem amplectitur.c.3.verſ.3.adn.3. 27.

Date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius. Opportunè, dato illi annulo, qui regiæ 28.

amicitiæ, & diuinæ similitudinis typus est, pedes calceamentis muniuntur, vt a lubrico occasionum, & illecebrarum peccati recedat: ita Nicæn. de orat. Domin. *Annulus in digito per sculpturam palæ, imaginis recuperationem significat. Munit etiam pedes calceamentis, ne nudo calcaneo capiti serpentis appropinquans incidat in morsum.* c. 2. verſ. 12. adn. 10. num. 8.

29. *Manducemus, & epulemur.* Quippe gaudium est in cælo super, vno peccatore pœnitentiam agẽte, quàm supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia: quod sanè non de quolibet pœnitente, sed de eo, qui magno animo, & in toto corde ad Deum conuertitur, capiendum est. cap. 3. verſ. 12. adnot. 2. n. 1. & seqq.

30. *Audiuit symphoniam, & chorum.* Augustinus citato lib. 2. qq. euang. cap. 33. *Audiuit symphoniam, & chorum, scilicet, Spiritu plenos, vocibus consonis Euangelium prædicare, quibus dictum est*: Obsecro vos, Fratres, vt id ipsum dicatis omnes. c. 2. verſ. 19. adnot. 2. n. 6.

Dominica III. Quadragesimæ.

1. **E**Rat IESVS *eiiciens Dæmonium.* Perfectæ pœnitentiæ, & conuersionis tibi forma proponitur, eius, videlicet, quæ nõ subitanea, siue ephimera; sed multi temporis, atque laboris est, vt animus non modò abluatur, sed etiam curetur. cap. 3. verſ. 10. adn. 4. tota.

2. *Et illud erat mutum.* Matthæus cap. 9. cæcum etiam hunc hominem esse affirmat. Tertull. Chryſ. Titus Bostrenus, & Euthym. surdum simul fuisse aiunt. Qua de re optimè Paschasius lib. 5. in Matth. *Quosdam verò alienos à Deo aliquando sic iam tenet, vt totam fabricam penitus quasi perennis exactor possideat.* Vt, nimirum, nihil reliqui sit, vnde à cœlesti Pastore apprehendi possit. Vide cap. 2. verſ. 13. adnot. 3. n. 10. & 11.

3. *Illud erat mutum.* E Græco fonte propriè legas, *quietum*, quod nullum sui signum dabat. En pulchrum peccatorum typum, cùm in profundum malorum deueniunt, quibus nullus peccandi in genis suffusus rubor, nulla peccati amaritudo subest. cap. 3. verſ. 18. adnot. 3.

4. *Illud erat mutum.* Ad peccata, nimirum, aperienda. Vide animum à Dæmone omninò possessum, & damnationi proximum, qui peccata in confessione tacet: *Mors, & vita in manibus linguæ.* Plura hac de re c. 3. verſ. 10. adn. 2. tota.

5. *Et cùm eiecisset Dæmonium, locutus est mutus.* Egregius modus curandi spirituales morbos, non peccatum solummodo, sed causam illius amouere: poterat quidem Dominus muto linguam restituere, quin ab illo Dæmoniũ eiiceret, siue priùs quàm eiiceret: noluit tamen id facere, vt nos doceret, ad radicem priùs ponendam esse securim, & à peccati causa incipiendam curationem. Quid enim prodest ieiunare, si adhuc prauum desiderium in animo viuit, vigétque? Equidem, qui carnem cruci affigit, quin prauam concupiscentiam crucifigat, Dei homo non est: nam, *qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* ad Rom. c. 3. verſ. 10. adnot. 3.

6. *Locutus est mutus.* Egregium eiecti, ac propulsati Dæmonis signum, mutum loqui: peccatum enim in sinu custoditum, & silentio pressum, intolerabile animo onus, & grauissima maledictio est, quam qui à se proiicit, mirè releuatur. præfata adnotat. 2.

7. *Locutus est mutus.* Card. Tolet. *Quid autem locutus sit, Euangelista non explicat: probabile tamen est, fuisse verba laudis, & encomium illius, qui eum à tanto malo liberauerat.* Benè quidem, vt tantum beneficium plenè subsisteret, aliúdque accerseret: nam gratiarum cessat decursus, vbi recursus non est. c. 2. verſ. 13. adnot. 6. n. 6.

Locutus est mutus. Non enim sufficit, declinare à malo, nisi etiam facias bonum: boni enim incuria, mali principium est. cap. 2. verſ. 12. adnot. 7. tota. 8.

In Beelzebub, Principe Dæmoniorum, eiicit Dæmonia. Mirum quidem est, perditissimos Pharaonis Magos ad signa Mosis exclamasse: *Digitus Dei est hic.* Pharisæos verò multò excellentiora Christi opera expertos dixisse: *In Beelzebub eiicit Dæmonia.* Vide, quàm fumosas menti exhalationes prauus immittat affectus, quibus intellectus omninò obscuratur. cap. 3. verſ. 10. adnotatione 1. num. 7. & 8. 9.

In Beelzebub, Principe Dæmoniorum, eiicit Dæmonia. Quàm longè à regali charitatis via Pharisæi abeunt: illa quippe multitudinem peccatorum operire consueuit, & errata, quantùm potest, excusare procurat. cap. 2. verſ. 15. adnotat. 8. num. 6. Hi verò ipsamet bona opera, quæ exteriùs pulchra videbantur, ex internis maculis, quas temerario impetu suspicabantur, corrumpere moliebantur. ead. adnot. n. 10. 10.

In Beelzebub, Principe Dæmoniorum, eiicit Dæmonia. Non dubium, quin Beelzebub, Dæmoniorum Principem, quasi omnium potentissimum, & qui alia Dæmonia pro nutu regeret, appellauerint. At, qui id Beelzebub conuenire possit, fortè ambigas: cùm Beelzebub idem sit, ac idolum musca, qua nihil vilius, imbecilliúsve fuerit? Subsistit tamen Beelzebub principatus, & vt Pharisæos impudentissimam in Christo blasphemiam expuisse, ita de Beelzebub potentia non abs re existimasse dixeris, quippe illam ipse tunc maximè exercet, cùm superbissimi draconis vires, virúsque in muscæ paruitatem transformat, vt quod à subditis exoptat, obtineat. Audi S. Ephrem serm. ascetico ad Fratres: *Inter improbos versatur, vt draco: at inter luxu diffluentes, vt musca. Patitur se draco in muscam transformari, vt impietatis fonte miseros delectet.* Vt vel à malo Doctore non incongruam regendi artem, vt subditos libenter obedientes sibi habeat, discat Princeps, siue gubernator, ad ipsorum commoditatem, & vtilitatem, principatus superbia, & acerbitate deposita, se se accommodans. cap. 2. verſ. 30. adnot. 1. num. 7. 11.

Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. Obserua, stupendam Christi Domini bonitatem & benignitatem, qui impudentissimam blasphemiam tanta mansuetudine excepit, & ab illa subinde nouam docendi, & benefaciendi ansam sumpsit. Sed id quidem sapientiam Dei maximè decebat, vt maximè lacessitus, maiorem mansuetudinem ostenderet. cap. 2. verſ. 16. adnot. 7. tota. Pergit verò Chrysostomus homil. 42. in Matthæum apud Cardin. Tolet. affirmans non sola cogitationum notitia; sed etiam hac tãta clementia, & mansuetudine ostendisse Christum, se non in virtute Dæmonis hæc miracula facere: *Non est* (inquit) *Dæmonis, tanta clementia, mansuetudine, humanitatéque vti.* Sanè, quasi mansuetudo, & iniuriarum remissio pro Christi diuinitate, & magnitudine spondeat, & hinc potiùs quàm à miraculorum patratione omnipotentiam suam ipse manifestet. c. 2. verſ. 15. adnotat. 5. n. 4. 12.

Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur. Ostendit 13.

Ostendit hac ratione Dominus, concordiam adeò necessariam esse, vt regna, domus, atque familiæ stent, atque permaneant, vt ipsimet superbissimi, & nequissimi Dæmones nolint sibi ipsis bellum inferre, ne ipsorum principatus ruat: vt hinc Ecclesiæ ministri norint, mutua animorum consensione præditos esse oportere, ne Dei opus dilabatur. c. 2. vers. 19. adnot. 2. n. 9. & 10.

14. *Filij vestri in quo eiiciunt?* Capit hæc Chrysost. hom. 41. in Matth. de Apostolis, & discipulis Domini, qui iam eo tunc tempore Dæmonia eiiciebant. Quòd si inquiras, qua ratione Dominus non dixerit: Discipuli mei, aut filij mei, sed potiùs, *filij vestri?* Respondet inibi Chrysost. egregiæ benignitatis Christi fuisse, ea appellatione illorum animos demulcere, *vt si quidem ad eandem cum illis animi nobilitatem venire velint, magnam hinc opportunitatem, & occasionem nanciscantur: si autem ingratitudine, ac sopore mentis in nequitia permaneant, nulla sibi ratio ad excusationem relinquatur.* Optimum modum, siue referendi de inimicis tuis victoriam, siue etiam sumendi atrociorem de ipsis vindictam. cap. 2. vers. 15. adnot. 8.

15. *Si in digito Dei eiicio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei.* Siue digitum Dei de Spiritus sancti persona, cum multis è Patribus, accipias, siue cum Tertulliano lib. 4. cont. Marc. cap. 26. Euthymio, & aliis de Dei virtute, atque potentia interpreteris; egregium diuinæ, & sapientissimæ gubernationis typum in his verbis vides: perinde enim fuerit, ac si dicat Dominus: Si Dei virtutem, atque potentiam in salutem hominum conuerto, & illius viribus ad hominis hostes confringendos vtor: manifestum est, diuinum me Regem esse. Vt hinc videris, eos Principes Dei gubernationem exprimere, qui vires suas, atque potentiam in subditorum salutem, atque leuamen insumunt: eos verò à Dei spiritu esse alienissimos, qui subditorum onera digito suo nolunt mouere. cap. 2. vers. 30. adnotat. 1.

16. *Cùm fortis armatus.* De Dæmone sermo est: fortem enim ipsum esse quis dubitet, cùm non sit potestas in terra, quæ comparetur ei? At, cur armatus dicitur? quæ illi arma? quæ tela sunt? Respondet Toletus: *Armatus dicitur armis peccatorum nostrorum: tantò enim maiores vires exercet in hominem, tantóque minùs ei resistere, eúmque lædere possumus, quantò magis peccatis inficimur, & debilitamur.* Benè quidem: sed enim non minùs opportunè dixeris Dæmonem à nobis arma ad nos vincendos, atque debellandos accipere, cùm à peccandi occasionibus non cauemus, dicente Paulo: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitati, peccato.* cap. 2. vers. 12. adn. 10. n. 9. Disce etiam, vel ab hoc forti armato tu non domum solùm: sed atrium etiam custodire. indidem adnot. 11. n. 10.

17. *Custodit atrium suum.* Benè ostendit Toletus, atrium non sumi pro domo ipsa, sed pro loco aperto & vacuo ante ædes ipsas exposito: nam custodiæ ante primam portam domus, vbi atrium est, poni solent. Explicat verò hoc atrium Dæmonis de cœlestium bonorum ignoratione, & tenebris, quibus inuolutos tenebat homines Dæmon, minimè nescius, omnia, quæ possidebat, in pace futura esse, dummodo hoc atrium custodiretur. Idem iudicium ferto de terrenis rebus cœlestia bona obscurantibus, humanásque mentes fascinantibus, ne sursum aspicere valeant. cap. 3. vers. 8. adnotat. 8. num. 9.

18. *Vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat.* Matthæus hanc sententiam exprimens, pro *arma*, posuit *vasa*, hoc est, instrumenta: quod Druthmarus interpretatur de hominibus potentibus, qui alios decipiebant, quibus Dæmon, tanquam instrumentis vtebatur, vt principatum suum promoueret. Nimirum, nullum telum in Dæmonis armamentario fortius ad homines vincendos homine improbo est. c. 3. vers. 2. adnot. 1.

Qui non est mecum, contra me est. Opportunè hæc capies de tepidis, & hæsitantibus, qui sunt betæ semicoctæ, nec Deo, nec mundo obsequentes; ideò ab vtroque neglecti. cap. 2. vers. 14. in expositione, num. 14. & seqq. Reliqua, quæ sequuntur in hoc Euangelio, elucidata sunt, feria 4. Dominicæ 1. inde pete. 19.

Feria secunda.

VTique dicetis mihi hanc similitudinem: *Medice, cura te ipsum.* Quid opus fuit, vniuersorum Dominum tam accuratam actionum suarum seruis rationem reddere? Nónne satis erat nosse, ipsum summè sapientem, bonum, & iustum esse, vt ipsi, quidquid faceret, siue omitteret, boni consulerent? Sanè, vt nos moneret, curam de bono nomine semper habendam. cap. 4. vers. 8. in expositione, à n. 9. fol. 764. & adnot. 2. 1.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Occurrit tanto sapientiæ, & sententiarum apparatu ei querimoniæ, quam ciues Nazaræi apud se de illo habebant, quòd ipsis opem non ferret, nec ea conferret beneficia, quæ in alios spargebat: vt inde maximè ostenderet, adeò omnes Principis cogitationes in subditorum leuamine, & vtilitate fore collocandas, vt non negotij solùm, sed & otij rationem ab ipso reddi oporteat, ad eum sanè modum, quo M. Cato apud Ciceronem dicere solebat: sic enim hic orat. pro Plancio: *Etenim M. Catonis illud, quod in principio scripsit originum suarum, semper magnificum, & præclarum putaui, clarorum virorum, atque magnorum, non minùs otij, quàm negotij rationem extare oportere.* cap. 2. vers. 30. adnot. 1. 2.

Fac & hic in patria tua. Sed, quod, quæso, ius hominibus fuerit, vt vtilitate propria Prælatorum consilia metiantur? Benè siquidem Tertullian. lib. de pœnitentia, cap. 4. *Prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis.* Melius quidem cogitassent, si clausis oculis ad obediendum compositi, imperantis consilia scrutari timerent. cap. 2. vers. 14. adnot. 1. 3.

Fac & hic in patria tua. Multiplex quidem ratio reddi potest, cur beneficam vim, & ingenium ad virtutes faciendas maximè procliue, in patria sua Dominus signatè cohibuerit. Et illa quidem videtur opportunissima, quam affert Cardinalis Toletus; ne, videlicet, ingratitudinis, & pœnarum causæ ex beneficiis collatis, nec debita gratiarū actione, & bono vsu tepensis, illis accrescerent. Vt hinc discas, sæpè Deum temporalia bona misericorditer denegare: sæpè etiam iratum ea nobis permittere. cap. 4. vers. 12. adnot. 2. n. 8. 4.

Fac & hic in patria tua. Dicito etiam, ideò Dominum Nazaræis munificum, & liberalem se se exhibere noluisse, quòd ipsi erga illum maximè inurbani, & increduli essent. Nimirum homines sic Dominus tractare consueuit, prout ipse ab illis tractatur. c. 2. vers. 13. adnot. 5. n. 9. 5.

Fac & hic in patria tua. Meritò etiam ambigas, quomodo prouerbium illud: *Medice, cura te ipsum.* ab vno ad plures applicetur. Respondet Toletus: *Hi, qui ad patriam pertinebant, ad ipsummet Christū* 6.

spectare putabant, vt qui patriæ rationem non haberet, dici posset sui ipsius non habere, sicque prouerbium applicatur. Vt inde inferas, eum, qui Reip. consulit, sibi etiam consulere: qui negligit, se negligere. c. 2. vers. 26. adnot. 1. n. 3.

7. *In diebus Eliæ in Israël, quando clausum est cœlum.* Notanter dictum, dies vni Eliæ illuxisse, cæteris clausum fuisse cœlum. *Nox erat perfidis* (inquit Ambr. in Psal. 36.) *sed Eliæ cœlum patebat: fames erat perfidis, sed Eliæ vbertas.* Nimirum, tribulationes, vt iustos non lædunt, ita impios opprimunt. c. 2. vers. 23. adnot. vnica.

8. *In diebus Eliæ.* Tempora, si attendis, tam apud sacros, quàm apud profanos Scriptores, regnantis nomine designari solent: cur ergo non Achabi Regis, sed Eliæ nomine à Domino notantur? Sanè, quòd incongruum fuerit, ac importunum, tempora ab eo, qui non erat, metiri, siue dinumerare: nam, si verè æstimas, impij non sunt. cap. 3. vers. 3. adnot. 1. num. 6.

9. *Quando clausum est cœlum.* Signanter dicitur, clausum fuisse cœlum, hominum immisericordium duritia, & inclementia id merente: quippe vt misericordia cœlum aperit; ita illiberalitas, & immisericordia claudit, atque æneum reddit, vti Demetriano ingerebat Cyprianus: *Quereris claudi imbribus cœlum, cùm sic horrea cludantur in terris.* cap. 4. vers. 17. num. 4.

10. *Ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Rectè monet Toletus, de industria dictum fuisse, *missus est*: vt non ex proprio consilio, sed ex Dei iussu illuc fuisse profectum, innuatur: vt noueris, Deum, vt non priùs ad gentes transiisse dicitur, quàm à Iudæis fuerit relictus; ita apud eos mansisse, qui eius obsequium alacriter susceperunt. Tene ergo, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. c. 2. vers. 12. adn. 3. n. 7.

11. *Elias ad mulierem viduam.* Rigidus Eliæ animus ad viduam oleum habentem, à Domino notanter mittitur, vt ab ipsa deliniatur, & ad misericordiam flectatur: similiter famelicus ad famelicam missus, ex propria infirmitate aliorum misereri didicit. Ita penè Chrys. serm. 1. de Elia: *Ad hanc vocem* (viduæ, scilicet) *relaxatur seueritas eius: incipit miserescere, & intra se misericordiam exercere. Dicit: Non deficiat oleum cadi, neque farina hydriæ, donec det Dominus pluuiam super terram. Iam tandem submeminit imbris dandi.* Vt nouerint ex Dei consilio Magistratus, & Iudices iustitiæ rigorem mitigare, & æquitatis meminisse. c. 2. vers. 27. adn. 1. n. 10.

12. *In Sarephta Sidoniæ ad mulierem viduam.* Luculenter Beda: *Vidua, ad quam Elias missus est, gentium designat Ecclesiam. Vnde benè in Sarephta Sidoniæ dicitur esse morata: Sidonia quippe*, venatio inutilis: *Sarephta verò* incendium, vel angustia panis *interpretatur. Quia*, vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia. *Vbi rebus superuacuis acquirendis, quasi aucupandi cura impendebatur: vbi dira sitis incendium, panisque spiritualis anteficebat angustia, ibi farina, oleúmque ore prophetico benedicitur. Id est, fructus, & hilaritas charitatis, siue gratia corporis Dominici, & charismatis vnctio indefectiuo verbi cœlestis munere fœcundabatur.* Nosce diuinum ingenium, & ab eo bona pro malis referre disce. cap. 2. vers. 15. adnot. 3. num. 4.

13. *Ad mulierem viduam.* Iure optimo Christianæ Ecclesiæ typum hæc vidua ferat, in qua perfectæ amicitiæ norma elucet, dum priùs Prophetæ, quàm sibi cibum parare studuit: quippe amicitia non in proprios, sed in amici vsus, etiam cum discrimine, & iactura deriuanda est. c. 2. vers. 30. adnot. 1.

Ad mulierem viduam. Benè Beda: *Nam & ipsa pulcherrimè mysticum sibi priùs, quàm moreretur panem factura, duo se ligna colligere velle testatur, non solo ligni nomine, sed etiam numero lignorum signum crucis exprimens, quo nobis est panis vitæ præparatus æternæ.* Hæc enim Christiani hominis lex, is index est: Christi morti per pœnitentiam configurari. c. 3. vers. 10. n. 7. & adnot. 3. 14.

Et multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Cur Israëlitis Syrus Naaman præfertur? Meritò dixeris, rationem esse, quòd is suæ salutis negotium non segniter, & oscitanter; sed omni solicitudine, & seriò susceperit, eáque de causa domum relinquere, longámque inire viam non dubitauerit: id quippe salutis nostræ exigit negotium. cap. 2. vers. 12. adnot. 3. 15.

Nisi Naaman Syrus. Opportunè Beda ex adductis viduæ, & Naamani exemplis sic infert: *Probatur Dominus, non ob suam impotentiam ciuibus, sed ob eorum inuidentiam virtutum dona negasse. Atque hoc exemplo totam postremò gentem, non quia non amaretur, sed quia ipsa se amari non amaret, ab eo derelictam.* Nimirum, sic Deus amat, & amore præuenit, vt etiam velit debitum sibi charitatis officium persolui, propriæque saluti homines inuigilare. cap. 2. vers. 13. adnot. 5. num. 4. 16.

Nisi Naaman Syrus. De industria clarorum hominum apponit exempla, vt illis ad virtutem, & opera pietatis amplectenda accendantur. c. 2. vers. 16. adnot. 2. tota. 17.

Et repleti sunt omnes in Synagoga ira. Dicebantur sapientes, qui in Synagoga erant: at verò à sapientia quàm longissimè ibant, dum ira replebantur: ira quippe in sinu stulti requiescit. cap. 2. vers. 15. adn. 7. num. 2. 18.

Et duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Imò verò, vt præcipitarent seipsos, & vrbis suæ fundamenta conuellerent: nam, vt iustitia, & iudicium sunt vectes vrbium, & fundamenta, quibus innitantur; ita iniuriis, & iniustitiis vrbes, & regna collabuntur, & funditùs pereunt. cap. 2. vers. 27. adnot. 1. num. 12. 19.

Transiens per medium illorum ibat. Transibat quippe per tribulationes, quin illæ per ipsum transirent. cap. 2. vers. 24. adnot. 1. num. 6. 20.

Feria tertia.

SI peccauerit in te frater tuus. Benè ex immediatè præcedentibus Matthæi verbis obseruat Maldonatus, Dominum, quem priùs, cùm de scandalis egit, pusillum appellauit, eundem nunc fratrem dicere: scilicet, tenerè, & molliter habendus est proximus, ne lædatur: honorificè, & reuerenter tanquam eodem cœlesti Patre genitus corripiendus: ita quidem ipsemet Dominus errantem ouem suis humeris ad ouile reportauit: cum tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos. cap. 2. vers. 27. adnot. 2. num. 8. 1.

Vade, & corripe eum. Dixerit non nemo: cur ego vadam? Imò veniat ille, qui in me peccauit, & mihi iniuriã fecit: nónne satis fuerit, si venienti ignoscam, & opem feram? Sanè emphasim habet verbum, *vade*, ac si tanquam Medicus accersaris: nec enim ægro, sed Medico dicitur, *Vade.* Audi Chrysost. *Quoniam non facilis, qui iniuriam fecit, ad satisfaciendum est, rubore, ac dedecore impeditus; eum, qui passus est, ad illum non temerè, sed emendationis causa mittit: non enim dicit: Accusa, increpa, pœnas petito.* 2.

petito. sed, Argue,*inquit. Nam,cùm ille partim ira, partim rubore,quasi vino sopitus non videat; opus est, vt tu,qui rectè vales, ad ægrotum proficiscaris, & priuato quodam iudicio constituto, remedium facilius inferas.* Vide c.2.vers.15.adnot.7.num.1.

3. *Inter te,& ipsum solum.* Glossa interlinealis: *Ne publicè correptus verecundiam perdat.*cap.2.vers.19. in expositione litter.n.4. Addit Glossa: *Qua perdita, in peccato permaneat.*cap.3.vers.18.adnot.3.

4. *Si te audierit,lucratus es fratrem tuum.* Opportunè Chrysostomus: *Nec dixit: Effecisti,vt frater tuus seipsum lucraretur. sed, Tu fratrem lucratus es. Ita significauit,vtrunque iacturam fecisse,alterum fratris; alterū propriæ salutis.* Subdit Euthymius: *Magnum fecisti lucrum, ipsum, videlicet, fratrem tuum, membrum tuum: hunc enim perdideras propter offendiculum.* Quam ad rem rursum pendit Chrysostomus verbum, *vade*,quasi mittatur ad lucrum. Lucratur ergo seipsum, qui fratrem suum lucratur: & sibi non viuit, qui alteri non viuit. cap.2. vers.26. adn. 1.num.3.

5. *Dic Ecclesiæ.* Vt & ipsa vadat, & salutis vnius membri curam suscipiat, nec ingratiis tota Ecclesia vadat, & pro peccatore non pœnitente laboret, cùm toti Ecclesiæ ab vno peccatore non mediocre discrimen timeri possit. cap.3.vers.2. adnot.3.n.4. & seqq.

6. *Sit tibi tanquam Ethnicus,& Publicanus.* Euthymius:*Sit tibi deinceps incommunicabilis,cum quo nullam incas societatem, tanquam immedicabili.* Subiicit Maldonatus: *Ne qui sani sunt, eorum consortio contagionem trahant.*vt 1.ad Cor.5.indicat Paul.cap.3. vers.2.adnot.1.num.7.& seqq.

7. *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Vt hinc non solùm æstimes, quanti referat iustè ligare, vel absoluere, ne cœlum, cui ligando præire videris, iniustè ligare dicatur; sed etiam ab ipso cœlo obedientiam, & iudicij submissionem discas, quando illud à te iudicandi auctoritatem sumit, vt inquit Chrysostomus, & iudicio tuo, suum etiam iudicium submittit. cap. 2. vers. 14.adnot.1.

8. *Si duo ex vobis consenserint super terram.* De Doctoribus, & ministris Ecclesiæ pro salute animarum orantibus sermo est: vbi,quantùm concordiæ Dominus deferat,clarè vides. *In tantum*,inquit Hilarius,*humanæ pacis studuit concordiæ,vt vnitatis merito omnia, quæ à Deo precanda sunt,impetranda esse confirmet.*cap.2.vers.19.adnot.2.num.2.

9. *Duo ex vobis.* Non quibusuis egregiam hanc promissionem factam credendum est; sed iis, qui Apostolorum virtutes imitantur. Chrysostomus: *Cum Dominus Apostolorum similes deuotare videatur:*ex vobis *enim,inquit,qui virtute polletis,qui euangelicam doctrinam rectè viuendo complectimini.* Vnde infert, ea inter alias de causa non exaudiri homines à Deo, quòd indigni sint, qui exaudiantur, nec quidquam boni à se ipsis offerant. cap. 4. vers. 6. adnot.1.à num.1.& seqq.

10. *De omni re, quæcunque petierint.* Cur præfatæ doctrinæ, orationis studium, & efficacitatem Dominus attexuit: Respondent nonnulli apud Maldonatum, (nec ipsi quidem displicet responsio,) proptereà Christum post præfata verba, hæc de oratione addidisse, quòd intelligeret, Apostolos, atque eos omnes,qui ligandi, & soluendi potestatem haberent, ea nunquam, nisi præmissa oratione, vt Deus sibi gratiam daret, rectè, ac iustè iudicandi, fore vsuros.cap.4.vers.6.in exposi.à n.2.

11. *De omni re, quæcunque petierint.* Glossa interlinearis: *Quæsita pro salute corrigendorum.* Vide Domini pietatem, & mansuetudinem, qui adeò non despicit peccatorem impœnitentem inter Ethnicos,& Publicanos amandatum, vt etiam feruentes pro illo preces fundi velit. Vide etiam orationis vim,& energiam,quæ post tot frustrà intentata remedia desperatam iam salutem ægro impetrat. cap.4.vers.6.in expos.num.11.

Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo. 12.
Notanter dictum, *in nomine meo*, vt significetur, eam solùm amicitiam veram,& subsistentem esse, quam Christi charitas conciliat. Pulchrè Chrysost. *Nunc autem complures videmus alias quasdam causas amicitiis quærere. Nam alius amat, quia redamatur: alius,quia honore afficitur: alius,quia vtilitati sibi esse,aut fore hominem putat: Christi vero causa difficillime quenquam inuenies, qui amicum, vt oportet, diligat; sed omnes ferè sæcularium vinculo rerum inter se vinciuntur. Non ita quippe Paulus, sed propter Christum diligebat; quamuis non tantum amabatur, quantùm amabat.* cap.2. vers.30. adnot.2. tota, præsertim num.6.

Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. 13.
Id est, clementia, & venia nulla mensura, nullis limitibus circunscriptis: aliter quidem impertiens misericordiam, ac superiùs iustitiam,sine increpationem rexerat:nam hanc paulatim, & per partes; primùm, remotis arbitris; deinde,vno, aut altero testibus adhibitis; posteà,aduocata Ecclesia, exercendam præscripserat: misericordiam verò spargendam, diffundendámque monet: nam, qui periculosè iusti sumus,sub securitate semper ignoscimus. Diffunditur hæc ratio copiosè, cap.2.vers. 27.adnot.2.num.9.

Sed vsque septuagies septies. Eusebius Emissenus: 14.
*Quod tale est, ac si diceret: Quoties peccauerit, toties dimitte: si septies,septies: si decies,decies: si centies,centies: si millies, millies: vt non ille plus in te peccare, quam tu illi dimittere possis. Aliter enim non dimittetur tibi. Ecce lex, ô homo, tibi à Domino posita est: si dimiseris, tibi dimittetur: si non dimiseris, non dimittetur tibi. Quoties autem peccaueris,& indulgentiam quæsieris,dimittetur tibi, sicut & tu fratri tuo dimiseris.*cap.2.vers.15.adnot.4.num.7.

Feria quarta.

QVare Discipuli tui transgrediuntur traditiones Seniorum? &c. Quàm longè à vera charitate 1.
abeunt Scribæ,& Pharisæi! hæc enim delicta operire consueuit, nec secundùm visionem oculorum iudicare; sed, cùm opus non potest, intentionem saltem excusat. Isti autem, & opus, & intentionem malignè arguunt, & carpunt. cap.2.vers.15.adnot. 8.num.4. 5.& 6.

Non enim lauant manus, cùm panem manducant. 2.
Hieronymus: *Manus,id est,opera, non corporis vtique, sed animæ lauandæ sunt, vt fiat in illis verbum Dei.* Nimirum,Christi scientia ex affectionum abnegatione, animíque munditia excrescit. c 3. vers. 10.adnot.1.

Non enim lauant manus, &c. Carnalis populus 3.
totus in carnis munditie erat, vti dicebat Paulus: *Coinquinator sanctificat ad emundationem carnis.* Christi verò Discipuli ad animi puritatem potissimùm aspiciunt: etenim *non lotis manibus manducare,non coinquinat hominem.* Quid enim refert, lotas manus & contaminatum animum habere, ad instar Pilati, qui lotis manibus Christum neci addixit: De quo S. Leo: *Non purgant contaminatum animum manus lotæ.* Internam ergo lotionem, & puritatem Christi asseclæ curant. Sic Petrus, qui Christo

Christo pedes illi lauare volenti dixerat: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* eidem postmodum Domino dicenti: *Si non lauero te.* facilè acquieuit. Quare? Ex ipsa verborum mutatione, qua Christus vsus est, non obscurè liquet. Non enim dixit: Si non lauero pedes tuos. sed notanter: *Si non lauero te,* innuens, internam suorum puritatem curæ sibi esse. cap. 3. vers. 3. *Spiritu seruimus Deo.* numero 9. & seqq.

4. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* Eò hanc interrogationem Dominus omninò direxit, vt amantissimos Discipulos à calumnia vindicaret; quamuis inde apud Pharisæos non leuiter offenderet. Notauit quidem Nazianzen. orat. in illud Euangelij, *Cùm consummasset Iesus.* Christum è quæstionibus alias explicasse, alias oppressisse: *Christus,* inquit, *quasdam quæstiones soluere, ac explicare solet; quasdam comprimere, atque obstruere.* Quòd si inquiras, quas soluat, quas opprimat? Respondebo: Soluit, & exponit illas, quæ se ipsum solum spectant: obstruit, & opprimit eas, quæ vel Patris honorem, vel bonam suorum famam minuunt: Principes, ac Prælatos instruens, vt subditorum causas defendant, atque eos ab omni calumniæ telo, etiam cum proprio discrimine protegant. cap. 2. vers. 30. adn. 1. tota.

5. *Nam Deus dixit: Honora patrem, & matrem.* Meritò ambigitur, cur hanc Exodi legem Dominus citans, ipsam detruncarit, non addens, quod inibi habetur, *Vt sis longæuus super terram.* Maximè, cùm illicò aliam Deuteronomij legem afferens, totam plenè retulerit. Sed responsio ad manum est, Euangelium temporalium bonorum promissiones non persequi: illis quidem dicebatur: *Bona terræ comedetis.* nobis verò: *Regnum Dei non est esca, & potus.* Nos ad dexteram Dei aspicimus, in qua *longitudo dierum,* hoc est, æterna bona: illi toti ad sinistram, in qua diuitiæ, & gloriæ propendebant: quippe nos filij, illi mercenarij. cap. 3. vers. 3. adn. 2.

6. *Vos autem dicitis: Munus quodcunque est ex me,* &c. Sensus est, Pharisæos, quòd ex oblatis Deo donis cibos, atque delicias sibi pararent, filios sic erudiebant, vt neglecta pauperum parentum cura, diuinæ pietatis prætextu, eos alimoniis, & ad vitam necessariis priuarent. Sic de filiis Heli dicebat Hieronymus in epist. ad Oceanum: *Et religionem prædam putantes, quidquid optimum erat in hostiis, in suas delicias conuertebant.* Quàm longè à vera hostia, in qua, quod optimum est, vnam Dei gloriam, & proximi bonum respicit. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. num. 5. & seqq.

7. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Christianus verò populus, vt plenè, atque perfectè se Deo deuouet, & quem ore profitetur, mente, & affectu complectitur; ita linguam à corde minimè dissentientem habet. cap. 2. vers. 15. adnot. 10.

8. *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Talionem huic populo, optimo merito Deus rependit: nam, vt ipsi labia, id est, inanes tantùm sonos Deo offerebant, & quod præcipuum erat, nimirum, cor, sibi retinebant, aut aliis consecrabant: ita Deus litteras tantùm, & voces Scripturarum illis tradidit: sensum tamen, & quasi animum illarum obsignauit, & clausit, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Exhibebant illusores isti vanas Deo laudes, & opera mortua, accipiebántque, si quid in Scriptura vanum existimari potest, nudam, & occidentem litteram, cuius scientiam, & medullam non gustent: vt noueris, Deum sic homines tractare, prout ab ipsis tractatur. cap. 2. versic. 13. adnotat. 5. num. 9. & seqq.

Sine causa colunt me. Christianus Druthmarus: *Sine causa Deum colit, qui labiis profitetur, se Christianum esse, & opere contradicit.* Qui mente, videlicet, illuminatus, sæculi rebus, & carnis cupiditatibus irretitus est. cap. 3. vers. 8. adnot. 11. 9.

Et conuocatis ad se turbis dixit eis: Audite, & intelligite. Benè Eusebius Emissenus: *Vos,* inquit, *audite, & intelligite: quoniam isti quidem audire volunt, sed intelligere nolunt: excæcauit enim eos malitia eorum.* cap. 3. vers. 10. adnot. 1. num. 1. & sequentibus. 10.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Absolutissima sententia ad cognoscendam inanitatem, & certissimum interitum sæcularium bonorum: nimirum, quæ Deus plantat, non in terris; sed in cœlis radices agunt; ideò firma, & stabilia sunt: quæ verò ab hominibus plantantur, vt arbores alieno solo natæ altas radices agere non possunt. En ergo peremptoriam rationem inanis, & breuissimæ felicitatis humanæ. c. 3. vers. 8. adn. 4. tot. Quòd, si obiicias cum Hier. *Ergo eradicabitur & illa plantatio, de qua Apostol. ait: Ego plantaui, Apollo rigauit.* Respõdet ipse statim: *Sed soluitur quæstio ex eo, quod scribitur:* Deus autem incrementum dedit. *Dicit & ipse:* Dei agricultura, Dei ædificatio estis. *Et in alio loco:* Cooperatores Dei sumus. *Si autem cooperatores; igitur plantante Paulo, & rigante Apolline, Deus cum operatoribus plantat, & rigat.* Sic Hieronymus. Adde & tu Paulum nihil in terris, sed omnia in cœlis plantare: sic enim ipse de iis arboribus, quas manu sua plantauerat. *Accessistis ad ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Ad Hebræos 12. 22. 11.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Egregium monitum, ne sæculi honores, aut quæuis splendida consilia, Deo non auctore suscipias. Ita, cùm videris aliquem ingentibus diuitiis, non labore, & virtute, sed fraude, & auaritia comparatis abundare; scito, eam plantationem breui eradicandam fore: similiter cùm hunc ad imperium, illum ad aliam illustrem dignitatem malis artibus creuisse cernis, pro comperto habe, citò ab iis fastigiis ruituros, omnémque eorum gloriam, vtpote quæ à Deo plantata non fuerit, radicitùs fore extirpandam: tam enim à proprio solo, & naturali loco exulat felix iniustitia, quàm virtus infelix, siue, quæ præmium non assequitur. Ergo, qui firmitatem, & durationem temporalibus bonis exoptat, virtuti innitatur, & Deum auspicem habere studeat: ipse enim hæc firma efficit, & duratura. cap. 2. vers. 27. adnotatione 1. num. 1. ad finem. 12.

Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Theophylactus ad Seniorum traditiones, quas Christi Discipulis obiecerant, scitè hæc refert, ad hunc modum: *Seniorum traditiones, & Iudæorum præcepta eradicatum iri dixit, non legalia, vt existimant Manichæi: lex enim plantatio est Dei: non igitur illa eradicata est: manet enim radix eius, spiritus, qui in occulto est. Folia autem, hoc est, apparens littera, defluunt: legem enim vltrà, non iuxta litteram, sed iuxta spiritum intelligimus.* cap. 3. vers. 3. *Nos sumus circuncisio.* à num. 2. 13.

Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum. Pulchrè Augustinus libro de Pastoribus, cap. 10. *Terret* 14.

non

non solum caecum ducentem, sed & caecum sequentem: neque enim ait, cãdit in foueam ducens, & non cadit sequens: sed caecus caecum ducens, ambo in foueam cadunt. Caue ergo ab improborum societate: neque enim sanum dixerim dolentem latera. cap. 3. vers. 2. adnot. 1. à num. 7.

15. *Caeci sunt*, &c. Quare caeci? Euthymius: *Caecos vocat eos, tanquam animae oculos à fluxu affectionum excaecatos, & quasi non potentes oculos intendere in lucem veritatis.* cap. 3. vers. 10. adnot. 1. à num. 7.

16. *Edissere nobis parabolam istam.* Aequè quidem Discipuli, ac Pharisaei Christi verba ignorasse, siue non penetrasse videntur. Cur ergo hos caecos dixit, non verò illos? Sanè, quòd Discipuli, quae non intellexerunt, non accusarunt; sed de illis admoneri, siue illuminari submissè petierunt. *Non dicit*, (inquit Chrysost. de Petro haec interrogante:) *Quid est hoc, quod proposuisti? nec tanquam iniquum reprehendit, ne commotus putaretur: sed quasi obscuro dicto interpretationem desiderat.* At Pharisaei, quae Dominus de iis, quae per os ingrediuntur, siue egrediuntur, dixerat, quòd ipsi minimè intellexerint, in legis violationem sinistra interpretatione detorserunt. cap. 2. vers. 15. adn. 9. num. 8.

17. *Ex corde exeunt cogitationes malae.* Cùm non dubium, quin cordis nomine in Scriptura voluntas designetur, meritò dubites, cur ei cogitationes, quae intelligentis facultatis soboles sunt, & ipsasmet voluntatis actiones praecedunt, attribuantur. Respondeo tamen, ideò voluntati, siue cordi malas cogitationes notanter tribui, quòd ipsa bonarum cogitationum munimine, malas praeuenire, siue opprimere posset. *Est* siquidem *nostrum magna ex parte*, (sic Cassianus collat. 1. cap. 17.) *vt cogitationum qualitas emendetur, & vel sanctae, ac spirituales in cordibus nostris, vel terrena, carnalésque concrescant.* cap. 4. vers. 8. adn. 3. num. 2.

Feria quinta.

1. *SVrgens Iesus de Synagoga introiuit in domum Simonis.* Febri Simonis socrus aestuabat; & tamen ipse, nec Christi concionem interrumpere, nec de illa sananda priùs curauit, quàm alij omnes aegri à Domino sanarẽtur: ea quidem ratione, quòd qui aliorum Praelatus, & Princeps erat futurus, subditorum salutem, & vtilitatem, propriis commodis praeponere deberet, sic id adnotante Chrysostomo homil. 28. in Matth. *Expectauit, quousque praedicationem absolueret, caeterósque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curasset: & tunc demum cùm intrasset, pro ipsa iacente rogauit: sic enim ab ipsis statim initiis, aliorum commoda suis vt praeponeret, institutus erat.* cap. 2. vers. 26. adnot. 1.

2. *Introiuit in domum Simonis.* Paschas. in cap. 8. in Matth. *Mira omnipotentis Dei dispensatio, qui etiam non quaerentes se quaerit, & non valentes ad se venire, ad eos clementer venit: quia, si non ille ad nos prior venisset, nunquam ad eum redire potuissemus.* cap. 2. vers. 13. *Deus est enim, qui operatur in nobis*, &c. in expositione, num. 5 & seqq. & adn. 2.

3. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Notanter nomen Simonis, quod *obediens* interpretatur, non Petri apponitur: vt indicetur, carnem nostram in socru hac adumbratam, & diuersarum cupiditatum immodicis aestuantem illecebris, vt inquit Ambrosius, obedientiae, siue virtuti perpetuum bellum inferre; siue, tanquam socrum cum nuru, quotidiana iurgia, & dissidia habere. cap. 3. versic. 8. adnotatione 5. num. 8. & sequentibus.

4. *Tenebatur magnis febribus.* Caro cupiditatibus obnoxia, magnis febribus, hoc est, perturbationibus, & solicitudinibus aestuat, & ab illis captiua tenetur. cap. 3. vers. 8. adnot. 6. num. 6.

5. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Remigius in Caten. S. Thom. in cap. 8. Matth. *Per socrum Petri potest intelligi lex, quae secundum Apostolum infirmabatur per carnem, id est, carnalem intelligentiam: sed, cùm Dominus per mysterium incarnationis visibilis in Synagoga apparuit, & opere legem impleuit, & spiritualiter intelligendam docuit, mox ipsa sociata gratia Euangelij tantum robur accepit, vt quae fuerat ministra mortis, & poenae, postmodum fieret vitae, & gloriae.* Preme illa, *& opere legem impleuit.* atque inde elice, praedicationem, siue gubernationem, quae bonis gubernantis, siue concionantis operibus, & exemplis non impletur, infirmam esse. cap. 2. vers. 16. adnot. 1. num 8.

6. *Et stans super illam imperauit febri.* Graecum verbum propriè significat increpare: atque ita reddidit Euthymius, *increpuit.* Quòd si inquiras, quid febri, & increpationi? siue, quo sensu febris increpari dicatur? Respondet Toletus, *Christum increpuisse febrim, vt significaret hominibus audientibus, huiusmodi mala, ac infirmitates culpa hominis emanasse: non enim sic Deus hominem à principio fecit, sed ipse talem se reddidit peccato suo. Increpatio igitur febris, culpam, & causam respexit.* Benè quidem. At, cur febris ipsa; non verò ea, quae febri laborabat, increpatur? Sanè, quia is egregij, dextríque Concionatoris mos esse debet, vt peccata, non peccantes increpet; vitia, non homines lacessat, atque traducat. cap. 3. vers. 18. in expositione, num. 6. & seqq.

7. *Imperauit febri.* Matthaeus: *Et tetigit manum eius.* Ad quae verba Paschasius: *Tenuit manum, quam mulier contra mandatum extenderat ad arborem, de qua noxium arboris gustum sumeret. Propria ergo ratio fuit, cur eius teneret manum, vt vitam resumeret, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* Obserua illud, *vt vitam resumeret.* illa, scilicet, quae anteà sumpserat de manu Domini, ipso operi manuum suarum dexteram porrigente: quippe Deus opus suum perficit, & ab vno beneficio ad aliud impertiendum allicitur. cap. 2. vers. 13. adnotat. 3. & 4.

8. *Et continuò surgens ministrabat illis.* Scitè Hieronymus: *Illa manus ministrabat, quae & tacta fuerat, & sanata:* vt, videlicet, Dei dona in ipsius obsequium refunderet, noua subinde ea ratione acceptura: aliàs gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit. c. 2. vers. 13. adnot. 6. num. 6.

9. *Ministrabat illis.* Perfectae poenitentiae norma, & exemplar tibi proponitur, vt *membra, quae seruierant immunditiae ad iniquitatem*, (sic Beda hîc,) *vt fructificarent morti, seruiant iustitiae in vitam aeternam.* cap. 3. vers. 12. adnot. 2. tota.

10. *Cùm autem Sol occidisset, omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.* Opportunè Beda: *Solis occubitus passionem, mortémque significat illius, qui dixit:* Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. *Et Sole occidente, plures daemoniaci quàm antè, plures sanantur aegroti.* Optimus quidem Princeps, qui suae lucis occasu subditos illustrat, & morte sua vitam illis inspirat. cap. 2. vers. 30. adnot. 1. num. 3.

11. *Exibant autem Daemonia*, &c. *Non sinebat ea loqui.* Cur debitas sibi laudes Dominus respuebat? Respondet ex Beda Glossa: *Ne, dum quis audit vera praedicantem, sequatur errantem.* Nimirum, si Concionator doctus fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tantùm nutriat doctrina verbi,

verbi, quàm sterilitate noceat. cap.2.vers.16.adn.1. num.3.

12. *Facta autem die egressus ibat in desertum locum.* Marcus cap.1. sic habet: *Diluculo valdè surgens egressus est in desertum locum, ibíque orabat.* Vt suo nos exemplo admoneret, orationi primo mane vacare, eamque ante alias diei occupationes præmittere: ideò valdè diluculo surgebat, ne turbæ, quæ eum erant requisituræ, sibi impedimento essent, ne oraret. cap. 4. vers. 6. in expositione, à num.3.

13. *Et turba requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant eum, ne discederet ab eis.* Disce, constanter Christum quærere, donec inueneris: constanter illum retinere, ne discedat. cap.2. vers. 12.adnot.3.n.7.

14. *Oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.* Non dixit, missum se esse, vt miracula faceret, infirmis sanitatem redderet: sed omninò, vt euãgelizaret regnum Dei, hominésque de æterna salute procuranda admoneret. Hoc enim vnicè necessarium est, in quod omnem curam adhibere debemus: cætera quippe non tam quærenda, quàm adiicienda sunt nobis. cap.2 vers.15.adnot.2.num. 8.& seqq.

Feria sexta.

1. *Oportebat eum transire per Samariam.* Cur expediens, & opportunus hic transitus erat? Christóne, an mulieri Samaritanæ? Dixeris, mulieri omninò vtilem, & salutarem, quæ mortem cum vita erat commutatura. Dicam & ego, Christo hac ratione opportunum, & maximè gloriosum, qui peccatricis pœnitentiam erat suscepturus. cap. 2. vers.15. adnot. 5.n.3.

2. *Oportebat eum transire per Samariam.* Cyrill. Alexand. in hunc locum: *Non huius gratia, vt alienigenas doceret, ac vniuersam penitùs Hebræorum benedictionem transferret, in Samariam abiit: sed, quoniam illac transeundum erat, sapientiæ opus ibi necessariò fecit: nam, quemadmodum naturalem vrendi vim ignis nunquam amittet: sic omninò impossibile est, opus sapientiæ à sapientia non proficisci.* Similiter Cardin. Tolet. *Transiens autem* conuenienter virtutem suam exeruit, vt Sol, quocunque proficiscitur, illuminat. En Dei ingenium ad benefaciendum omninò procliue. cap.2.vers.26. adnot.1. num.5.

3. *Iesus autem fatigatus ex itinere.* Notanter apposuit Ioannes nomen, *Iesus*, innuens, proprium esse Saluatoris, siue Principis, ad quem subditorum salus pertinet, pro illis fatigari, nullúmque non laborem perferre, atque hanc optimi Principis imaginem esse. cap.2.vers.30.adnot.1.

4. *Fatigatus ex itinere.* Hieronymus in c.58. Isaiæ: *Sedeamus cum Domino, lassi in via huius sæculi super puteum, Samaritanæ conuersionem, erramiúmque salutem sitientes.* Ad Sacerdotes, & ministros Dei loquitur, ne honores, diuitias, aut alia sæculi bona: sed vnam Dei gloriam, & animarum salutem sitiamus. cap.2.vers.21.adnot.1.

5. *Fatigatus ex itinere.* Fatigatur pro te IESVS, fatigatur pro tua salute Dei virtus, nec frustrà, aut immeritò fatigatur, vt tu quiescas, vitámque inuenias. Sed, num pro te, tuísque commoditatibus Dæmon, mundúsve aliquando fatigatus est? Non opinor. Nec mirum: nam hic vitricus; Deus autem verus, atque optimus parens est. cap. 2. vers. 13. adnot.4.num.6.

6. *Hora erat quasi sexta.* S.Thomas lect.1. in cap 4. Ioan. *In sexta hora Sol in alto existit, & non restat, nisi vt declinet. Tunc ergo Christus venit, quando prosperitas mundi in alto erat: id est, in cordibus hominum per amorem florebat; sed per eum amor à cordibus declinare debebat.* Nimirum, quia ab altitudine diei maximè timendum, opportunus auxiliator tunc potissimùm venit. cap.4.vers.12.adnot.2.tota, præcipuè num.3.

7. *Hora erat quasi sexta.* Augustin.lib.83.qq.quæst. 64. *Hora sexta venit Dominus ad puteum, id est, medio die, vnde iam incipit Sol declinare in occasum: quoniam & nobis vocatis à Christo visibilium delectatio minuitur, vt inuisibilium amore homo exterior recreatus, ad interiorem lucem, quæ nunquam occidit, reuertatur.* Plura hac de re cap.4. vers.8. adnot.3. à num.3.

8. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Quàm alia, spiritualia bona, à terrenis sunt! illa ad manum sunt, & sponte se offerunt, tanquam fons super terræ faciem profluens; hæc verò tanquam puteorum aquæ, quæ in imo terræ scaturiunt, non nisi magno cum labore hauriuntur: & vt illæ per imos terræ meatus perfluentes, insalubres, & noxiæ sunt; ita hæc mille difficultatibus, & amaritudinibus sunt obnoxia. Videtur huc allusisse Augustin. serm.92. de tempore, inquiens: *Sedit supra puteum, vt non in altitudine quæramus aquam; sed de eo fonte, qui supra omnes aquas est, salutaria nobis pocula hauriamus.* cap.3.vers.8.adnot.6.

9. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Chrysostom. orat. in Samaritanam, tom.6. acutè pendit, ideò Dominum eo in loco consedisse, ad quem mulierem venturam nouerat, vt congruam occasionem lucrandi illam captaret: *In spirituali venatione* (inquit ille) *versabatur, cuius causa in locum illum se contulerat, vnde poterat prædam referre. Non vides, quid faciant piscatores? neque enim omnia maris loca percurrunt; sed ad celebrem locum abeunt, in quo latitare pisces nouerunt: ita nimirum & Dominus noster* IESVS *Christus nouerat, inde se posse prædam reportare, mulierem, scilicet, Samaritanam.* Vt ex hac vigilanti, & exquisita ad captandam spiritualis lucri animæ tuæ occasionem, discas & tu proprij lucri tui occasionem non negligere; sed illam pendere. cap.2.vers.12.adnot.5.

10. *Mulier, da mihi bibere.* Augustin. serm.92. de tempore. *Petit bibere, daturus.* Chrysostom. citato loco: *Fons vitæ iuxta fontem sedens bibere poscit, non bibere volens, sed potum dare.* Scito ergo, ideò Deum in paupere eleemosynam à te petere, vt inde ansam accipiat, plura tibi spiritualia, & temporalia bona conferendi. cap.2.vers.12. adnot.9.tota, & c. 4.vers.17.in expositione, à num.4.

11. *Quomodo tu, Iudeus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Chrysostom. indidem: *Acuta mulier! in his meretrix laudem quærit, in his meretrix obseruationem præsefert legis.* Sed, quid mulieri, & doctrinæ? Quid illi, & argutiis, siue apicibus mysteriorum legis? Opportuniùs quidem in colo, & fuso doctam se ostenderet. cap. 4. vers. 3. in expositione, num.9.& seq.

12. *Si scires donum Dei.* Si accuratè perpenderes, si illud terrenis bonis mente, & cogitatione opponere disceres, non dubium, quin vehementi illius desiderio afficereris: hæc enim profectò causa est, cur temporalia cœlestibus cæco impetu præponamus, quòd vtraque debita consideratione non expendamus, nec spiritualia, quid valeant, & virtutis suæ pondus non assiduè cogitemus. cap.4. vers. 8.adnot.3.

13. *Forsitan petiisses, & ille dedisset tibi aquam viuam.* Tu

Tu forsitan petiisses, & ille dubio procul tibi dedisset: omnis enim, qui petit, accipit. cap.4. vers.6. in exposit. num.11. & seqq.

14. *Aquam viuam.* Non has emortuas voluptatum, & sæcularium bonorum aquas, quæ, quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur: sed viuam spiritualis gaudij in animo nascentis, nunquámque desinentis aquam, daturum se suis Dominus pollicetur. cap.4. vers.4. adnot. vnica.

15. *Aquam viuam.* Theophylactus in epitheto, *viuam*, pulchrè vim facit, vt perfectæ virtutis naturâ semper crescentis, & ad vlteriora progredientis natura, atque conditio innuatur. Audi; *Porro aquâ dicit, non stantem, qualis est in puteis, & lacubus, putris, & corrupta: sed viuam, hoc est, scaturientem, & quæ moueatur: nam gratia Spiritus semper agilem ad bonum facit animam, ascensiones semper disponentem. Talem aquam bibit Paulus viuentem, & semper mobilem, cùm obliuisceretur eorum, quæ post se, & ad anteriora se extenderet.* cap.3. vers.12. in expositione, num.6. & seqq.

16. *Neque in quo haurias habes, & puteus altus est.* Augustinus sermone 92. de tempore: *Ante Aduentum Domini, & puteus altus erat, & sine hauritorio: aquam sibi vnusquisque haurire non poterat. Venit Dominus, fons viuus, vt Pharisæorum corda dilueret, sitim extingueret, pectora satiaret, non quærens hauritorium, sed vltrò se infundens mentibus singulorum.* cap.2. vers.13. *Qui operatur in vobis.* in expositione, num. 9. & seqq.

17. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons,* &c. Notanter dicitur, aquam à Deo acceptam in fontem deinceps conuertendam, quòd gratiæ suæ dona hominibus Deus tribuat, vt ipsi cooperatione sua illa multiplicent, & duobus talentis alia duo subinde elucrentur. Ita Theophylactus ex Christi persona inquiens: *Quam enim ego do, fons fit aqua, in diésque magis, ac magis multiplicatur. Non enim quam parum accipiunt Sancti à Deo, ita vsque ad finem seruant: sed semina quidem, & initia accipiunt boni per gratiam: insumunt autem & ipsi, ac crescere faciunt: id quod per parabolam talentorum significat Dominus.* cap.2. vers.13. adnot.6. tota.

18. *Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* Emphaticè dictum: *Omnis, qui biberit.* ne minores maioribus, diuites ditioribus, priuati Principibus, ac Regibus inuideant. *Omnis* quippe, quicunque ille fuerit, siue magnus Dynasta, siue Rex potentissimus, quantumcunque biberit ex mundi aqua, internam animi sitim explere non poterit: nimirum, mundi bona inania, & nullius frugis sunt. cap. 3. vers.8. adnotat.1. tota, cap.4. vers.4. adnotatione 1. num.5.

19. *Omnis, qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Meritò ambigas, quomodo hæc Christi sententia subsistat, dicente Ecclesiastico de diuina Sapientia, quæ aquæ imagine adumbratur: *Qui bibunt me, adhuc sitient.* Sed dubium apprimè opprimit egregia hac doctrina sanctus Thomas, lectione 2. in cap.4. Ioannis: *Differentia est inter rem spiritualem, & temporalem: licèt enim vtraque generet sitim; tamen aliter, & aliter: quia res temporalis habita causat quidem sitim, non sui ipsius, sed alterius rei: spiritualis verò tollit sitim alterius rei, & causat sui ipsius sitim. Cuius ratio est: quia res temporalis, antequàm habeatur, æstimatur magni pretij, & sufficiens; sed postquàm habetur, quia nec tanta, nec sufficiens ad quietandum desiderium inuenitur, ideò non satiat desiderium, quando ad aliud habendum moueatur. Res verò spiritualis non cognoscitur, nisi cùm habetur: & ideò non habita non mouet desiderium; sed cùm habetur, & cognoscitur, tunc delectat affectum, & mouet desiderium; non quidem ad aliud habendum, sed quia imperfectè percipitur propter recipientis imperfectionem, mouet, vt ipsa perfectè habeatur.* cap.4. vers.3. adnot.1. num.6.

Neque veniam huc haurire. Continuus labor veniendi ad fontem, & hauriendi aquam, oculos mulieris aperuit, vt viuam Christi aquam concupisceret, suámque fastidiret: sæpiùs enim ab inanitate rerum temporalium, & à laboribus, quos illarum causa suscipimus, ad vera bona cognoscenda, & amplectenda illuminamur, atque impellimur. cap.3. vers.8. adnot.4. num.13. 20.

Voca virum tuum. Rupertus: *Vsa est arte sua, nostræ salutis opifex, Dei sapientia, quatenus nec illam molesta verecundia pulsaret; & tamen necessariam salutis eius peccatorum confessionem eliceret.* Optimè: ipsa siquidem planè, ac verè confessa est: *Non habeo virum.* Cuius sanè confessionis opportunitatem sic Dominus commendauit: *Benè dixisti: quia non habeo virum: hoc vere dixisti.* Preme hæc aduerbia, *benè*, & *verè*, quibus tam internus animi dolor, quàm nuda, ac vera peccatorum manifestatio, quæ ad perfectam confessionem necessaria sunt, omninò significantur. cap. 4. vers. 10. adnotatione 2. 21.

Benè dixisti: quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti: & nunc, quem habes, non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Rupertus in id Apocalypsis 2.6. *Odisti facta Nicolaitarum.* comitatem, & vrbanitatem Christi in increpando sic pulchre pendit: *Antequam diceret:* Quinque enim viros habuisti: & nunc, quem habes, non est tuus vir. *præmisit collaudans:* Benè dixisti: non habeo virum. *Et postquàm illi, quòd tot viros habuisset, expressit, iterum collaudans:* Hoc (inquit) verè dixisti. *Magnum hoc, & dignè imitandum est magisterium Spiritus Dei, corripere quidem ea, quæ emendatione indigent; sed inter corripiendum, & priùs, & posteriùs collaudare, si quæ benè dicta, vel acta sunt ab eodem, qui in aliis corripitur: quatenus, quoad fieri potest, teneatur beneuolus, & non refugiat confusus, aut exterritus, audire non sustinens peccatoris animus.* cap.4. vers.2. in expositione, num.5. & seqq. 22.

Sabbatho.

PErrexit Iesus in montem Oliueti. Causam, cur Dominus montem Oliueti frequentiùs adire consueuit, sic reddit Eusebius Emissenus: *Quòd Iesus in montem Oliueti, ire, & orare solebat, sanctam Ecclesiam, oliuarum arboribus consitam, se diligere, sempérque habitare significabat. De his enim oliuis ille erat, qui dicebat:* Ego, sicut oliua fructifera in domo Domini, *&c. Tales oliuæ sunt, quicunque pacem, & misericordiam diligunt.* Ergo, vt ad te Dominus veniat, & in animo tuo inhabitet, misericordiam dilige. cap. 2. vers. 12. adnotatione 9. num.6. 1.

Perrexit Iesus in montem Oliueti. Non dubium, quin de more oraturus, vt priusquam mulieris causam iudicandam susciperat, orationi vacet: non quòd illi ad scopum collimandum oratio esset necessaria, qui Dei sapientia erat; sed, vt nos doceat, arduas res oratione præuenire, neque inconsulto Deo magnum aliquid temerè aggredi. cap.4. vers. 6. in expos. à num.2. 2.

Perrexit IESVS *in montem Oliueti.* Opportunissimè in capitalem reum sententiam laturus, in montem Oliuarum priùs ascendit, vt tanquam 3.

botrus Cypri in vineis Engaddi, iustitiæ rigorem misericordia temperaret. cap. 2. vers. 27. adnot. 2. num. 7.

4. *Et diluculò iterum venit in templum.* Obserua gestorum seriem. Mulier in adulterium; Scribæ in illius accusationem, & Christo insidias struendas; Dominus in misericordiam omnibus prestandam, de multo mane euigilarunt: mulier quidem, vt fragilis; Scribæ, vt maligni, & versipelles; Christus, vt optimus maximus, & ad iniurias remittendas facilis. cap. 2. vers. 15. adnot. 5. num. 7.

5. *Adducunt autem Scribæ, & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam.* Cur non etiam adulterum adduxerunt? Num, quòd illis facilius fuerit adulteram, quàm adulterum capere? nam, vt vterque fuerit in eodem facinore deprehensus, viri, siue vi, siue arte solent se proripere: feminæ, sexus imbecillis, facilè tenentur? Benè quidem. At, cùm tot satellites in peccantes irruerint, quis credat adulterum in conclaui ex ipsorum manibus elabi potuisse? Ergo non importunè id ad malignitatem Scribarum retuleris, qui aranearum telis similes, miseras muscas captarent; à validioribus verò bestiis perrumperentur: cùm tamen, qua homines, non infimæ dignitatis minoribus potiùs, quàm aliis opem ferre deberent. cap. 2. vers. 26. adnot. 1. à num. 6.

6. *Et statuunt eam in medio, & dixerunt ei: Hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Quàm rigidi, & seueri accusatores! In medio ponunt, vt vndequaque tam pudori, & confusioni, quàm omnibus telis esset obnoxia. Nec vllam ei ad aufugiendum rimam relinquunt, dicentes: *Modò deprehensa est*: nam, quæ *deprehensa*, euidenter conuicta; quæ modò in peccato erat, non pœnitens, aut correcta censeri poterat. Sic, sic homines de aliorum erratis censere, & iudicare solent. cap. 2. vers. 15. adnot. 9. num. 9.

7. *In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Si vobis à Moyse id liquidò præscriptum, quid in re tam facili alium consulere opus fuerit? Addit Euangelista: *Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum.* Sed obserua cum Maldonato tentationis pondus, & acumen: sic enim ille acutè vim facit in Moysis mentione: *Quasi Mosi illum opponant, quasi Mosem illi subiiciant. Tu autem, qui maior es Mose, qui etiam non teneris legibus, quia meliora, & perfectiora doces, quid dicis? Approbásne, an reprobas Mosaica legis sententiam?* Validius quidem telum, quod à fraudis occultę, quàm quod à vis apertæ pharetra oritur. cap. 2. vers. 15. adnotatione 10. num 9.

8. *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Glossa, Alcuinus, & Beda: *Docet nos, auditis aliquibus malis, non temerè iudicare; sed priùs digito discretionis nos ipsos intùs discutere.* cap. 2. vers. 15. adnot. 9. tota.

9. *Inclinans se digito scribebat.* Discant Iudices, discant Magistratus, Dei digito scribere summum iuris rigorem, tantisper se inclinantes: possunt enim & iurisdictionis suæ officio fungi, & æquitatis meminisse. cap. 2. vers. 27. adnotatione 2. num. 6.

10. *Digito scribebat in terram.* Rupertus: *Non paulò maiorem se Moyse esse nouerat, quippe cuius spiritu, vel cuius digito scriptam in tabulis lapideis legem accepit Moyses. Igitur, vt se non debere, vel posse Moysis auctoritate constringi significaret, congruè nunc, & opportunè se inclinans digito scribebat in terra, innuens tam sapienter, quàm humiliter, quòd Dominus legis; quòd maior esset, quàm Moyses.* Nimirum, Moyses non vitæ, & necis dominus, cui vt peccantes plectere, ita illis parcere liceret: sed merus Iudex erat, iuri reddendo omninò adstrictus: Christus verò, & vitæ, & necis Dominus, qui errantibus veniam dare, & liberaliter remittere posset. Vt inde elicias, quantæ dignitatis sit, iniurias tibi factas liberaliter remittere. cap. 2. vers. 15. adn. 5. num. 5.

Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Opportunè Maldonatus: *Pungit conscientia eorum vulnus: sed hoc ipsum tam prudenter, vt non ipse illis, sed sua cuique conscientia dicere videatur.* Egregium pro Concionatoribus monitum, qui peccantes dexterè, & vrbanè arguere, non traducere, aut ignominia afficere debent. cap. 3. vers. 18. in expositione, num. 6. & sequentibus. 11.

Et mansit Iesus solus, & mulier in medio stans. Notanter dixit, *mulier stans*, qui dixerat, Christum paulò antè inclinatum: vt ostenderet, mulierem ideò stare, quòd Dominus sese priùs inclinauerit. En bonum Principem, sua inclinatione, & incommoditate subditos suos erigentem, atque firmantem, cap. 2. vers. 30. adnot. 1. 12.

Nec ego te condemnabo. Euthymius: *Nam, si illi, cùm homines sint, te non condemnauerunt; multò magis ego, qui Deus sum, legísque Dominus, te non condemno.* Vide num. 10. 13.

Vade, & iam ampliùs noli peccare. Optimè Augustinus: *Ergo & Dominus damnauit, sed peccatum, non hominem. Si autem peccatorum fautor esset, diceret: Nec ego te damnabo. Vade, & viue, vt vis: de mea liberatione esto secura: ego te quantuncunque peccaueris, ab omni pœna, etiam à gehenna, & Inferni tortoribus liberabo.* Non dixit hoc. *Intendant ergo, qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem.* Etenim dulcis, & rectus Dominus. *Ama, quod dulcis est: time, quod rectus est.* cap. 2. vers. 12. adnotat. 2. 14.

Vade, & ampliùs noli peccare. Sic August. libro de vera, & falsa pœnitentia, cap. 13. *Non dixit: Ne pecces. sed, Nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuò in pœnitentia custodiatur? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat.* Vide reliqua cap. 3. vers. 10. adnotat. 4. num. 6. 15.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Post hæc abiit IESVS *trans mare Galilææ.* Putat Chrysostomus, hanc peregrinationem ea de causa à Christo fuisse susceptam, vt Iudæorum inuidiam, & indignationem declinaret: ij enim, plures Christum Discipulos, quàm Ioannem habere, iniquiùs ferebant: ergo, vt illorum furorem extingueret, trans mare Tyberiadis secedere voluit, Discipulos suos admonens, inuidorum, maledicorúmque impetus multò opportuniùs, meliúsque patientia, quàm vi confringi. Quemadmodum sagittæ (inquit Chrysostomus) in durum aliquod signum immissæ, magno impetu huc illuc dispergmtur; mollius verò assecutæ franguntur, & desinunt: ita & maledicos, & feros repugnando magis exasperamus, cedendo mitigamus facilè, & eorum mollimus insaniam. Vide cap. 2. vers. 15. adnotat. 8. tota, & adnotat. 6. num. 9. 1.

Abiit Iesus trans mare Galilææ. Matthæus cap. 14 sic hæc expressit: *Secessit inde in nauicula in locum desertum seorsum.* In quę verba D. Hieronymus in cap. 2.

in caput 6. Marci ait: *Seorsum ducit, quos elegit, vt inter malos viuentes, mala non intendant, vt Loth in Sodomis, & Iob in terra Hus*, &c. Vt videris, quam sit periculosum malorum consortium. cap. 3. vers. 2. adnot. 1.

3. *Abiit Iesus trans mare Galilaæ.* Euangelista Marcus, ex Domini persona, hoc modo ad Discipulos loquitur: *Venite seorsum, & requiescite pusillum.* In quæ verba Victor Antiochenus inquit: *Per hoc Christus Dominus Ecclesiæ Doctores, & Pastores monet, ne externis turbis perpetuò se dedant; sed priuatim, sæpè, secretóque agentes animum colligant, eundémque à publicis negotiis, & occupationibus, quantùm res patitur, identidem seuocent.* Nimirum, nemo aliis nascitur, moriturus sibi: hoc est, nemo cum proprio discrimine aliorum saluti intendere debet, cùm vni tantummodo rei sit natus. Vide cap. 2. vers. 15. adnotatione 2. num. 3. & num. 10.

4. *Sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat.* En multitudinis, siue turbarum, aut vulgarium hominum characterem, mercenario animo Christum prosequi: secùs quidem germani filij, quòd ad Dei obsequium charitas potissimùm impellit. cap. 2. vers. 3. adnotatione 2.

5. *Et ibi sedebat cum Discipulis suis.* Quis non miretur, & laudet summam audiendi verbi Dei curam, quæ Christi Discipulis inerat, summámque corporalis alimoniæ incuriam? Vel vide duodecim homines Christo adhærentes, & ab illius ore suspensos, adeò ciborum, & horæ prandij oblitos, ac si corpore exuti fuissent. O veros Dei, & Ecclesiæ ministros! Aliàs quidem præposterum, & ab Ecclesiasticis valdè alienum censeri debet, vno ad Deum oculo, alio ad præsepe, & ad temporalia lucra, & corporis commoditates intueri. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. tota.

6. *Cùm subleuasset ergo oculos* IESVS, *& vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum.* Hoc est: Vt vidit illos in se sperantes, & ab eo pendentes, statim de illorum remedio, & alimonia cogitare cœpit: quippe, qui dixerat: *Quia in me sperauit, liberabo eum.* cap. 2. vers. 19. adnotat. 1. num. 4. & 5.

7. *Vnde ememus panes?* Regia, egregiáque vox, quæ de subditorum leuamine, & salute consultationem adhibet, nec in aliorum humeros totum onus transfert; sed signatè dicit, *ememus*. Ac si dicat: Nostris expensis, nostra commoditate, nostro labore subditorum salus, & quies coëmenda sunt. cap. 2. vers. 30. adnot. 1.

8. *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt*, &c. Non percalluit Christi animum, qui in pecuniæ vim tanta attentione, rationúmque calculis tam exactè subductis, intuitus est. Sed inquis: fueritne id multùm mirandum, cùm præmiserit Dominus: *Vnde ememus?* Quid enim emptioni tam æqua ratione respondeat, quàm pecunia. Respondeo, apud sæculares emptores, siue apud sæculi amatores verum id fuerit: quippe in mundo *pecuniæ obediunt omnia*: omnia quidem, non secùs ac Regibus, ac Principibus, quibus omnes subditi sunt. Vnde hic pecunia prætoriam dignitatem, & altius forsan, & sacratius fastigium; ille nobilitatem, & sanguinis splendorem; nonnunquam verò alium ab eo, quem habuit, auum, siue proauum, quasi naturæ sedibus reuulsis mutari is possit, coëmere solent. At verò in domo Dei emuntur quidem omnia; non tamen pecuniæ, sed fidei pretio, ac vi, clamante venditore: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, venite, emite absque vlla commutatione vinum, & lac.* Isaiæ 55. Iacta ergo cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet cap. 2. vers. 19. adnot. 1. num. 6.

Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Si ad sæcu- 9.
li opes, & bona attendis, oraculum id est: vix enim in splendidioribus domibus, atque familiis ducenti; imò & ducenti mille denarij non sufficiunt, vt frustum panis quis accipiat: quæ enim ex nummis satietas oritur: non saturitas, sed fames est: quippe *auarus non implebitur pecunia*, (Ecclesiast. 5. 9.) hoc est, animum non explebit. Vnde subdit: *Et qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.* Dixit, nimirum, optimè Ambrosius lib. 1. de Abel, & Caïn, cap. 5. de auaritia, siue æris libidine: *Quò plura abstulerit, eò magis inopem esse se credit.* At modicum quid ex Dei manibus acceptum animum omninò implet, famémque depellit. *Melius est enim modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Ita dicebat Paulus: *Didici, in quibus sum sufficiens esse.* cap. 4. vers. 11. num. 10.

Facite homines discumbere. Lucas addidit: *Per* 10.
conuiuia quinquagenos. In quæ verba Hieronym. in cap. 14. Matthæi: *Iuxta litteram manifestus est sensus, spiritualis interpretationis Sacramenta pandamus. Discumbere iubentur super fœnum, & secundùm alium Euangelistam, supra terram, per quinquagenos, ac centenos: vt postquam calcauerint carnem suam, & omnes flores illius, & sæculi voluptates, quasi arens fœnum, sibi subiecerint, tunc per quinquagenary numeri pœnitentiam ad perfectum centesimi culmen ascendant.* cap. 3. vers. 11. adnot. 1.

Facite homines discumbere. Subiicit Lucas: *Et* 11.
ita fecerunt, & discumbere fecerunt omnes. Quid? Viderúntne Discipuli tunc multiplicatos panes, aut annonam tot millibus necessariam? Minimè quidem: & tamen *turbati non sunt*, (inquit Euthymius;) *sed protinus absque vlla hæsitantia obedierunt.* Exigit id enim perfectæ obedientiæ lex, vt absque iudicij hæsitatione obediatur. cap. 2. vers. 14. in expositione, num. 16. & sequentibus, & adnotatione 1.

Accepit ergo IESVS *panes, & cùm gratias egis-* 12.
set. Pro quo dono gratias Patri agit, cùm miraculum eousque patratum non fuerit? Dixeris ea fiducia Christum cum Patre agere, vt beneficium petiturus, pro ipso, quasi iam accepto, gratias agat. Sic videtur locutus etiam Paulus. cap. 4. versic. 5. num. 12.

Distribuit discumbentibus. Alij Euangelistæ: *Fre-* 13.
git, & dedit. Inde Hieron. in cap. 14. Matth. *Frangente Domino, seminarium fit ciborum: si enim fuissent integri, & non in frusta discerpti, nec diuisi in multiplicem segetem, turbas, & pueros, & feminas, & tantā multitudinem alere non poterant. Frangitur ergo lex cū Prophetis, cùm & in frusta discerpitur, & eius in medium mysteria proferuntur: vt, quod integrum, & permanens in statu pristino non alebat, diuisum in partes alat gentium multitudinem.* Opportunum Concionatoribus monitum, ne panem doctrinæ integrum, & infractum audientibus porrigant; sed in frusta distribuant, & distinctè, claréque, nullis ambagibus, atque inuolucris proponant. c. 3. vers. 2. adnot. 5. num. 5. & seqq.

Distribuit discumbentibus. Matthæus sigillatim: 14.
Dedit Discipulis panes: Discipuli autem turbis. Vbi Hieronymus: *Turbæ à Domino per Apostolos alimenta suscipiunt.* Vbi obserues, velim, nunquam eleemosynas fieri, quin Deus primus, ac præcipuus largitor,

largitor, per manum facientis eleemosynam fit, dicente Psalte: *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ergo, cùm homo pauperi manum aperit, iuxta illud Salomonis de anima misericorde: *Manum suam aperuit inopi.* priùs in illo manum suam Deus aperuit, qui misericordiam suam per manus hominis distribuit. Scito ergo, & animaduerte, tantùm Dei in te esse, quantùm eleemosynarum inuenitur in te. Vide igitur, quid dicas, cùm pauperi eleemosynam petenti respondes: *Deus te adiuuet.* in te enim seueram sententiam fers. Nam, cùm eum ad alium hominem opem illi laturum mittis, (hoc enim sensu loqueris, quin miraculum à Deo fieri velis,) manifestè fateris, Deum in te misericordiam facientem non esse, ideóque te ad alium, qui charitate plùs polleat, pauperem mittere. Tantùm ergo non dicis: in alio Deum te adiuuantem inuenies, quandoquidem ipsum in me non inuenisti: egregie id sic monente Augustino serm. 231. de tempore: *Sed, qui tales sunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade, vade in ante, & dabit tibi Deus: & vtique dum ambulauerit, homo ei daturus est. Quid est ergo, quod dicit, Vade in ante, & dabit tibi Deus; nisi vade ad illum hominem, qui habet Deum? quia daturus est Deus. At sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus.* c. 2. vers. 11. adnot. 9. n. 12.

15. *Distribuit discumbentibus.* Pulchrè Hilarius lib. 3. de Trinitate: *Quinque panes offeruntur, & franguntur: subrepunt in frangentium manibus quædam fragmentorum procreationes: non imminuitur, vnde præfringitur; & tamen semper præfringentis manum fragmenta occupant: fallunt momenta visum: dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ intueris.* Cape hæc etiam de misericordibus eleemosynas facientibus, in quibus, dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ contueris; illam, videlicet, implente denuò Deo, & centum pro vno reddente. Vnde Victor Antiochenus ad id loci Marci 6. benè pendit, superfuisse duodecim cophinos fragmẽtorum, vt larga, & benigna compensatio redderetur iis, qui operam suam ad illud in medium contulerunt. *Nam, quod Domino* (ait ille) *in communem vsum impenderant, hac summa liberalitate, & beneficentia compensatum accipiunt.* cap. 4. vers. 17. num. 4. & seqq.

16. *Vt autem impleti sunt.* Notanter dictum, *impleti sunt:* vt innuatur, diuina gaudia animum implere; sæcularem verò lætitiam, frontem solùm remittere. cap. 4. vers. 4. adnot. 1. num. 1. & seqq.

17. IESVS *ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Chrysost. in hæc verba: *Vide autem, quanta est gula virtus: non vltrà eis Sabbathi transgressionis cura, non vltrà zelant; sed omnia remota sunt ventre repleto, & Propheta iam erat apud eos, & Regem inthronizare volebant.* cap. 3. vers. 18. *Quorum Deus venter est.* num. 31. & adnot. 1.

18. *Vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Peculiaris dicendi modus, *raperent eum:* quasi is, qui Rex fit, rapiatur, ne sibi ipsi fit; sed extra se fiat, & malitiæ mutaturæ intellectum eius dimittatur: ideò Deus opportuniori, & vtiliori furto iustum, ne regiam dignitatem suscipiat, rapit, & extra telorum iactum ponit. Sic de Henoch dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* cap. 3. vers. 8. adnot. 9. num. 1.

19. *Fugit in montem.* Seipsum egregium exemplar Dominus præbuit, vt inter prospera humiles, inter aduersa sublimes simus. cap. 4. vers. 12. adnot. 1. num. 6.

Feria secunda.

Vide Feriam 3. post Dominicam 1.

Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hac verborum occasione in passione Domini, falsi illi testes dixerunt: *Hic dixit: Possum destruere templum hoc, & tribus diebus reædificare illud.* Quæ verba ab his non longiùs ire videntur. Cur ergo falsi illi, & mendaces extiterunt? Vide cap. 2. vers. 15. adnot. 9. num. 8.

Feria tertia.

Iam die festo mediante, ascendit IESVS *in templum, & docebat.* Augustin. apud S. Thomam in Catena: *Tunc ascendit, non quasi ad diem festum, sed quasi ad lucem: illi verò ascenderunt quasi ad perfruendum deliciis diei festi.* Notanter ergo mediante festo ascendit Dominus: tum, vt *leniret ipsorum animos,* vt inquit Theophylactus; hoc est, vt sineret illos festi recreatione, & lætitia deliniri: tum etiam, vt deliciis, & oblectationi modum poneret, ne animi harmonia nimia lætitiæ remissione dissolueretur. cap. 3. vers. 1. in expositione, à num. 2. & adnot. 1. à num. 2. 1.

Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Sed, vnde nostis, ipsum litteras non didicisse? Rupert. *Indignabantur, quòd quidquam sciret is, qui non per ipsos introisset.* Diffundit hæc Maldonatus: *Sciebant Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi scholas suas puerum non frequentasse, eáque erant arrogantia, vt existimarent, nihil extra scholas suas litterarum esse posse. Cauendum, ne nos Pharisæis istis similes simus, neminémque putemus quidquam scire posse, nisi sub nostra fuerit ferula.* Inde verò id iis, qui sapientes haberi volunt, magis cauendum, quòd animi demissio propria sapientis conditio sit, nihilque magis pugnet cum sapientia, quàm elatio, & præsumptio spiritus. cap. 3. vers. 16. in expositione, num. 13. 2.

Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Opportunè Augustinus: *Si non tua, quomodo tua?* Respondeo ex Chrysostomo apud S. Thom. in Catena: *Suam dicit, quoniam eam docuerat.* Nam ex magisterio, siue quòd ipsam aliis communicauerit, suam peculiariter fecit. Dixit siquidem sapienter Augustinus in libris de doctrina Christiana: *Omnis res, quæ dando non perit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est.* Nec minùs appositè Tullius: *Nónne, qui de suo lumine alteri lumen accendit, ipsi magis lucet?* Vide cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 4. & seqq. 3.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina. Vide, vt promittitur peculiaris scientia, atque cognitio diuinorum ei, qui Dei voluntatem exequitur: quasi recta cognitio rectæ voluntatis merces sit. cap. 3. vers. 10. adnotat. 1. num. 4. & sequentib. 4.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina. Ac si dicat: Vos non cognoscitis, sed nec cognoscere potestis, quòd prauæ voluntatis affectu præoccupati estis. Rectè sanctus Cyrillus: *Tunc cognoscetis ex Deo Patre, doctrinam esse meam, quando volueritis voluntatem illius potiùs, quàm vestram amplecti. Tunc, inquit, nullo præoccupati odio facile cognoscere poteritis, vtrùm* 5.

ex

ex Deo doctrina mea sit. Indidem num. 7. & sequentibus.

6. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Quomodo ergo Dei Filius gloriam non habebat, nec quærebat, cùm ipsi gloria omninò deberetur, ipséque ad Patrem dixerit: *Clarifica me tu, Pater, claritate, quam habui, priusquàm mundus esset.* siue, vt Græca habent: *Glorifica me ea gloria, quam habui*, &c. Respondet eleganter Ambrosius lib. 2. de fide, cap. 4. Quid est autem? gloriam suam quærit; hoc est, non diuisam à Patre gloriam. Nam vtique, & Verbum Deus habet gloriam. Denique dicit: *Vt videant gloriam meam.* sed illa Verbi gloria, eadem Patris gloria est, sicut scriptum est: *Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* En optimi ministri Dei notam, & characterem, qui non diuisam à Deo gloriam quærit. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. num. 9.

7. *Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Hinc benè infert Rupert. mendacem, atque iniustum eum esse, qui gloriam propriam quærens, à se ipso loquitur: sed, cur mendax is fuerit, cur etiam iniustus? Dixerim rationem esse, quòd, qui à se ipso loquitur, ea, quæ diuini Spiritus sunt, prætermittit, & propria inuenta Dei nomine auditoribus obtrudit. En mendacium: vide etiam coniunctam cum illo iniustitiam, cùm, vnde Dei gloriam quærere debebat, proprium inde honorem, & famam venari studeat. In eos Concionatores hæc tela mittuntur, de quibus c. 3. vers. 2. adnot. 4. & 5.

8. *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* Plerique Auctores, tam Græci, quàm Latini, verba hæc Principibus, Scribis, & Pharisæis sigillatim attribuunt, quasi ij, cùm viderent cogitationes suas à Domino cognitas, & deprehensas, impudenter, & contumeliosè id negare voluerint, vt mos est iis, quorum consilia deprehenduntur, vbi prauum impiorum hominum animum obseruamus, cùm manifestationem, quam de illorum cogitationibus Christus fecerat, Dei reuelationi, cui vni cordis recessus patent, assignare debuissent, Dæmoni potiùs attribuere maluerunt: is certè pluribus hominibus mos est, vt aliena dicta, vel facta, præsertim si admiratione digna sint, in peius detorqueant. cap. 2. vers. 15. adnotat. 10. num. 10.

9. *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Cur iustus Iudex Dominus tam atrocem blasphemiam acriter statim noluit reprehendere? Sanè, quòd potiùs fuerit sibi visum (vt adnotauit Chrysost.) de Sabbathi transgressione se iterum, atque iterum purgare: vt nos instrueret, quanti bonum nomen, & famam, quam apud proximos de diuinæ legis obseruatione nacti fuerimus, facere debeamus, ne prauis rumoribus scandalo ipsis simus, & contempta fama, contemnamus virtutes. cap. 4. vers. 8. in expositione, à num. 9. & adnot. 2.

10. *Omnes miramini*, id est, *indignamini.* Quid? infensósne sibi omnes Dominus habebat? aut omnes illi mortem machinabantur? Non, opinor: sed soli Principes, & Pharisæi. Cur ergo omnes, quasi eodem crimine ligatos, arguit? Equidem, vt obiurgationem temperet, & emolliat: nam, quò generalior, eò mitior est, & minùs ferit, quàm si in singulos errantes, præsertim magnos viros, & Principes, intorqueretur, sic id adnotante Gregorio Magno lib. 13. Moral. cap. 3. *Nisi Prædicator sustineat, quando proferre congruè correptionem possit, auget in eo malum, quod insequitur: sæpe enim contingit, vt talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quid igitur in huius culpa Prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat: & cùm generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quòd sibi hoc specialiter dicatur.* cap. 3. vers. 18. in expositione, num. 6. & seqq.

Totum hominem sanum feci in Sabbatho. Accurata locutio, *totum hominem*: nónne satis fuerat dixisse, hominem sanum feci, quin adderet, *totum*? Audi Ambrosium serm. 14. in Psalm. 118. *Hoc est totum, non vt facultatum collatione ditaret, non vt honorum insignibus, non vt gloriæ sæcularis cumularet augmento; hæc enim non habent beatitudinis, & gratiæ plenitudinem: sed totum; hoc est, quod longitudinem vitæ complecteretur æternæ.* Ergo, qui diues, qui gloriosus, qui honoribus conspicuus es, non totus, sed dimidiatus homo es: ille quidem totus homo est, qui, quamuis pauper, atque ignobilis, virtuti incumbit. cap. 3. vers. 3. adnotat. 1. tota. 11.

Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate. Fallax ergo iudicium secundùm faciem, & iniquum est. cap. 2. vers. 15. adnot. 10. num. 4. & seqq. 12.

Dicebat ergo quidam ex Ierosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere? &c. *Sed hunc scimus, vnde sit*, &c. Notanter addidit Euangelista, incredulos hos ex Ierosolymis fuisse, *Vt ostenderet* (inquit Chrysostomus) *quòd qui multa, & magna viderant miracula, hi miserabiliores erant. Qui maximum diuinitatis signum acceperant, perditorum Principum exemplum sequebantur.* Vide, quàm potens sit, atque efficax prauum maiorum exemplum, quod ipsamet Christi miracula, egregiáque diuinitatis signa apud istos exatmare valuit. cap. 2. vers. 15. adnotat. 10. num. 4. & seqq. 13.

Feria quarta.

PRæteriens IESVS *vidit hominem cæcum*, &c. Maximè notanda est eius temporis occasio, & circumstantia, quo hoc miraculum Dominus perfecit, cùm, videlicet, abscondit se, vt furentium Iudæorum lapides declinaret: sic enim immediatè Ioannes: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Cur ergo, qui festinus de templo exire properabat, vt immaturam mortem declinaret, modò non dubitauit tantoperè in via immorari, vt sanitatem cæco restitueret? Sanè, quòd boni Principis sit, suo discrimine, & incommoditate, subditorum saluti prospicere. cap. 2. vers. 30. adnot. 1. 1.

Præteriens IESVS *vidit hominem cæcum.* Pende dictionis seriem, & obserua, IESVM prætereuntem videre, & benefacere, quòd quidquid agat, nostræ saluti intentus sit, nec à benefaciendo cessare possit: aliter verò mundum se gerere, qui videns præterit, eósque, qui in ipso maximè sperant, deserit, ac fallit: præterit enim figura mundi huius, & mundus transit, & concupiscentia eius. cap. 3. vers. 8. adnot. 4. num. 6. 2.

Quis peccauit? hic, aut parentes eius? Quid? Státne firma lex, vt quotquot peccauerint, puniantur in hac vita cæcitate, aut aliis morbis, nec alia in futurum vltio illos maneat? Absit: imò verò illud omnium grauissimum subeunt mali supplicium, vt in hoc sæculo floreant, æternas subinde pœnas luituri. cap. 4. vers. 12. adnotat. 2. num. 9. 3.

largitor, per manum facientis eleemosynam fit, dicente Psalte: *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Ergo, cùm homo pauperi manum aperit, iuxta illud Salomonis de anima misericorde: *Manum suam aperuit inopi* priùs in illo manum suam Deus aperuit, qui misericordiam suam per manus hominis distribuit. Scito ergo, & animaduerte, tantùm Dei in te esse, quantùm eleemosynarum inuenitur in te. Vide igitur, quid dicas, cùm pauperi eleemosynam petenti respondes: *Deus te adiuuet*, in te enim seueram sententiam fers. Nam, cùm eum ad alium hominem opem illi laturum mittis, (hoc enim sensu loqueris, quin miraculum à Deo fieri velis,) manifestè fateris, Deum in te misericordiam facientem non esse, ideóque te ad alium, qui charitate plùs polleat, pauperem mittere. Tantùm ergo non dicis: in alio Deum te adiuuantem inuenies, quandoquidem ipsum in me non inuenisti: egregiè id sic monente Augustino serm. 131. de tempore: *Sed, qui tales sunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade, vade in ante, & dabit tibi Deus: & vtique dum ambulauerit, homo ei daturus est. Quid est ergo, quod dicit, Vade in ante, & dabit tibi Deus; nisi vade ad illum hominem, qui habet Deum? quia daturus est Deus. At sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus.* c. 2. vers. 12. adnot. 9. n. 12.

15. *Distribuit discumbentibus.* Pulchrè Hilarius lib. 3. de Trinitate: *Quinque panes offeruntur, & franguntur: subrepunt in frangentium manibus quædam fragmentorum procreationes: non imminuitur, vnde præfringitur; & tamen semper præfringentis manum fragmenta occupant: fallunt momenta visum: dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ intueris.* Cape hæc etiam de misericordibus eleemosynas facientibus, in quibus, dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ contueris; illam, videlicet, implente denuò Deo, & centum pro vno reddente. Vnde Victor Antiochenus ad id loci Marci 6. benè pendit, superfuisse duodecim cophinos fragmẽtorum, vt larga, & benigna compensatio redderetur iis, qui operam suam ad illud in medium contulerunt. *Nam, quod Domino* (ait ille) *in communem vsum impenderant, hac summa liberalitate, & beneficentia compensatum accipiunt.* cap. 4. vers. 17. num. 4. & seqq.

16. *Vt autem impleti sunt.* Notanter dictum, *impleti sunt*: vt innuatur, diuina gaudia animum implere; sæcularem verò lætitiam, frontem solùm remittere. cap. 4. vers. 4. adnot. 1. num. 1. & seqq.

17. IESVS *ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Chrysost. in hæc verba: *Vide autem, quanta est gulæ virtus: non vltrà eis Sabbathi transgressionis cura, non vltrà zelant; sed omnia remota sunt ventre repleto, & Propheta iam erat apud eos, & Regem inthronizare volebant.* cap. 3. vers. 18. *Quorum Deus venter est.* num. 31. & adnot. 1.

18. *Vt raperent eum, & facerent eum Regem.* Peculiaris dicendi modus, *raperent eum*: quasi is, qui Rex fit, rapiatur, ne sibi ipsi sit; sed extra se fiat, & malitiæ mutaturæ intellectum eius dimittatur: ideò Deus opportuniori, & vtiliori furto iustum, ne regiam dignitatem suscipiat, rapit, & extra telorum iactum ponit. Sic de Henoch dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* cap. 3. vers. 8. adnot. 9. num. 1.

19. *Fugit in montem.* Seipsum egregium exemplar Dominus præbuit, vt inter prospera humiles, inter aduersa sublimes simus. cap. 4. vers. 12. adnot. 1. num. 6.

Feria secunda.

Vide Feriam 3. post Dominicam 1.

Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hac verborum occasione in passione Domini, falsi illi testes dixerunt: *Hic dixit: Possum destruere templum hoc, & tribus diebus readificare illud.* Quæ verba ab his non longiùs ire videntur. Cur ergo falsi illi, & mendaces extiterunt? Vide cap. 2. vers. 15. adnot. 9. num. 8.

Feria tertia.

Iam die festo mediante, ascendit IESVS *in templum, & docebat.* Augustin. apud S. Thomam in Catena: *Tunc ascendit, non quasi ad diem festum, sed quasi ad lucem: illi verò ascenderunt quasi ad perfruendum deliciis diei festi.* Notanter ergo mediante festo ascendit Dominus: tum, vt *leniret ipsorum animos*, vt inquit Theophylactus; hoc est, vt sineret illos festi recreatione, & lætitia deliniri: tum etiam, vt deliciis, & oblectationi modum poneret, ne animi harmonia nimia lætitiæ remissione dissolueretur. cap. 3. vers. 1. in expositione, à num. 2. & adnot. 1. à num. 2. 1.

Et mirabantur Iudæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Sed, vnde nostis, ipsum litteras non didicisse? Rupert. *Indignabantur, quòd quidquam sciret is, qui non per ipsos introisset.* Diffundit hæc Maldonatus: *Sciebant Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi scholas suas puerum non frequentasse, eáque erant arrogantia, vt existimarent, nihil extra scholas suas litterarum esse posse. Cauendum, ne nos Pharisæis istis similes simus, neminémque putemus quidquam scire posse, nisi sub nostra fuerit ferula.* Inde verò id iis, qui sapientes haberi volunt, magis cauendum, quòd animi demissio propria sapientis conditio sit, nihilque magis pugnet cum sapientia, quàm elatio, & præsumptio spiritus. cap. 3. vers. 16. in expositione, num. 13. 2.

Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. Opportunè Augustinus: *Si non tua, quomodo tua?* Respondeo ex Chrysostomo apud S. Thom. in Catena: *Suam dicit, quoniam eam docuerat.* Nam ex magisterio, siue quòd ipsam aliis communicauerit, suam peculiariter fecit. Dixit siquidem sapienter Augustinus in libris de doctrina Christiana: *Omnis res, quæ dando non perit, dum habetur, & non datur, nondum habetur, quomodo habenda est.* Nec minùs appositè Tullius: *Nonne, qui de suo lumine alteri lumen accendit, ipsi magis lucet?* Vide cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 4. & seqq. 3.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina. Vide, vt promittitur peculiaris scientia, atque cognitio diuinorum ei, qui Dei voluntatem exequitur: quasi recta cognitio rectæ voluntatis merces sit. cap. 3. vers. 10. adnotat. 1. num. 4. & sequentib. 4.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina. Ac si dicat: Vos non cognoscitis, sed nec cognoscere potestis, quòd prauæ voluntatis affectu præoccupati estis. Rectè sanctus Cyrillus: *Tunc cognoscetis ex Deo Patre, doctrinam esse meam, quando volueritis voluntatem illius potiùs, quàm vestram amplecti. Tunc, inquit, nullo præoccupati odio facilè cognoscere poteritis, vtrùm* 5.

ex

ex Deo doctrina mea sit. Indidem num. 7. & sequentibus.

6. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Quomodo ergo Dei Filius gloriam non habebat, nec quærebat, cùm ipsi gloria omninò deberetur, ipséque ad Patrem dixerit: *Clarifica me tu, Pater, claritate, quam habui, priusquam mundus esset.* siue, vt Græca habent: *Glorifica me ea gloria, quam habui*, &c. Respondet eleganter Ambrosius lib. 2. de fide, cap. 4. Quid est autem? gloriam suam quærit; hoc est, non diuisam à Patre gloriam. Nam vtique, & Verbum Deus habet gloriam. Denique dicit: *Vt videant gloriam meam.* sed illa Verbi gloria, eadem Patris gloria est, sicut scriptum est: *Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* En optimi ministri Dei notam, & characterem, qui non diuisam à Deo gloriam quærit. cap. 1. vers. 21. adnot. 1. num. 9.

7. *Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.* Hinc benè infert Rupert. mendacem, atque iniustum eum esse, qui gloriam propriam quærens, à se ipso loquitur: sed, cur mendax is fuerit, cur etiam iniustus? Dixerim rationem esse, quòd, qui à se ipso loquitur, ea, quæ diuini Spiritus sunt, prætermittit, & propria inuenta Dei nomine auditoribus obtrudit. En mendacium: vide etiam coniunctam cum illo iniustitiam, cùm, vnde Dei gloriam quærere debebat, proprium inde honorem, & famam venari studeat. In eos Concionatores hæc tela mittuntur, de quibus c. 3. vers. 2. adnot. 4. & 5.

8. *Dæmonium habes: quis te quærit interficere?* Plerique Auctores, tam Græci, quàm Latini, verba hæc Principibus, Scribis, & Pharisæis sigillatim attribuunt, quasi ij, cùm viderent cogitationes suas à Domino cognitas, & deprehensas, impudenter, & contumeliosè id negare voluerint, vt mos est iis, quorum consilia deprehenduntur, vbi prauum impiorum hominum animum obseruamus, cùm manifestationem, quam de illorum cogitationibus Christus fecerat, Dei reuelationi, cui vni cordis recessus patent, assignare debuissent, Dæmoni potiùs attribuere maluerunt: is certè pluribus hominibus mos est, vt aliena dicta, vel facta, præsertim si admiratione digna sint, in peius detorqueant. cap. 2. vers. 15. adnotat. 10. num. 10.

9. *Vnum opus feci, & omnes miramini.* Cur iustus Iudex Dominus tam atrocem blasphemiam acriter statim noluit reprehendere? Sanè, quòd potiùs fuerit sibi visum (vt adnotauit Chrysost.) de Sabbathi transgressione se iterum, atque iterum purgare: vt nos instrueret, quanti bonum nomen, & famam, quam apud proximos de diuinæ legis obseruatione nacti fuerimus, facere debeamus, ne prauis rumoribus scandalo ipsis simus, & contempta fama, contemnamus virtutes. cap. 4. vers. 8. in expositione, à num. 9. & adnot. 2.

10. *Omnes miramini*, id est, *indignamini.* Quid? infensósne sibi omnes Dominus habebat? aut omnes illi mortem machinabantur? Non, opinor: sed soli Principes, & Pharisæi. Cur ergo omnes, quasi eodem crimine ligatos, arguit? Equidem, vt obiurgationem temperet, & emolliat: nam, quò generalior, eò mitior est, & minùs ferit, quàm si in singulos errantes, præsertim magnos viros, & Principes, intorqueretur, sic id adnotante Gregorio Magno lib. 13. Moral. cap. 3. *Nisi Prædicator sustineat, quando proferre congruè correptionem possit, auget in eo malum, quod insequitur: sæpe enim contingit, vt talis sit, qui nulla increpationis verba sustineat. Quid igitur in huius culpa Prædicatori agendum est, nisi vt in sermone admonitionis, quem pro communi salute omnium auditorum facit, tales culpas ad medium deducat, quales eum perpetrasse considerat, qui & præsto est, & de se solo adhuc argui non potest, ne deterior fiat: & cùm generaliter contra culpam inuectio intenditur, correptionis verbum libenter ad mentem ducitur, quia potens prauus ignorat, quòd sibi hoc specialiter dicatur.* cap. 3. vers. 18. in expositione, num. 6. & seqq.

Totum hominem sanum feci in Sabbatho. Accurata locutio, *totum hominem*: nónne satis fuerat dixisse, hominem sanum feci, quin adderet, *totum?* Audi Ambrosium serm. 14. in Psalm. 118. *Hoc est totum, non vt facultatum collatione ditaret, non vt honorum insignibus, non vt gloriæ sæcularis cumularet augmento; hæc enim non habent beatitudinis, & gratiæ plenitudinem: sed totum; hoc est, quod longitudinem vitæ complecteretur æternæ.* Ergo, qui diues, qui gloriosus, qui honoribus conspicuus es, non totus, sed dimidiatus homo es: ille quidem totus homo est, qui, quamuis pauper, atque ignobilis, virtuti incumbit. cap. 3. vers. 3. adnotat. 1. tota. 11.

Nolite iudicare secundum faciem, sed rectum iudicium iudicate. Fallax ergo iudicium secundùm faciem, & iniquum est. cap. 2. vers. 15. adnot. 10. num. 4. & seqq. 12.

Dicebat ergo quidam ex Ierosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere? &c. *Sed hunc scimus, vnde sit*, &c. Notanter addidit Euangelista, incredulos hos ex Ierosolymis fuisse, *Vt ostenderet* (inquit Chrysostomus) *quòd qui multa, & magna viderant miracula, hi miserabiliores erant. Qui maximum diuinitatis signum acceperant, perditorum Principum exemplum sequebantur.* Vide, quàm potens sit, atque efficax prauum maiorum exemplum, quod ipsamet Christi miracula, egregiáque diuinitatis signa apud istos exarmare valuit. cap. 2. vers. 15. adnotat. 10. num. 4. & seqq. 13.

Feria quarta.

PRæteriens IESVS *vidit hominem cæcum*, &c. Maximè notanda est eius temporis occasio, & circunstantia, quo hoc miraculum Dominus perfecit, cùm, videlicet, abscondit se, vt furentium Iudæorum lapides declinaret: sic enim immediatè Ioannes: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.* Cur ergo, qui festinus de templo exire properabat, vt immaturam mortem declinaret, modò non dubitauit tantoperè in via immorari, vt sanitatem cæco restitueret? Sanè, quòd boni Principis sit, suo discrimine, & incommoditate, subditorum saluti prospicere. cap. 2. vers. 30. adnot. 1. 1.

Præteriens IESVS *vidit hominem cæcum.* Pende dictionis seriem, & obserua, IESVM prætereuntem videre, & benefacere, quòd quidquid agat, nostræ saluti intentus sit, nec à benefaciendo cessare possit: aliter verò mundum se gerere, qui videns præterit, eósque, qui in ipso maximè sperant, deserit, ac fallit: præterit enim figura mundi huius, & mundus transit, & concupiscentia eius. cap. 3. vers. 8. adnot. 4. num. 6. 2.

Quis peccauit? hic, aut parentes eius? Quid? Státne firma lex, vt quotquot peccauerint, puniantur in hac vita cæcitate, aut aliis morbis, nec alia in futurum vltio illos maneat? Absit: imò verò illud omnium grauissimum subeunt mali supplicium, vt in hoc sæculo floreant, æternas subinde pœnas luituri. cap. 4. vers. 12. adnotat. 1. num. 9. 3.

4. *Neque hic peccauit, neque parentes eius.* O id ipsis contigisse probaretur! Quis est enim homo, qui non peccet? Benè Chrysostomus: *Hoc non absoluit eos à peccato.* Non enim simpliciter intelligendum est, eos non peccasse; sed non peccasse, vt cæcus nasceretur: sic enim interrogationi responsio congruit. Dicito ergo id, Domine, palam, nec loquaris subobscurè: credet enim aliquis, illos nunquam peccasse. O miram Domini vrbanitatem, egregiúmque monitum ad proximi errata operienda, atque occultanda: en ipsammet veritatem in cæci honorem subobscuram Dominus relinquit; nihil mali fore reputans, si, dum audientes cæcum meliorem, quàm reapse erat, crediderint, benigno errore fallantur. Proprium quidem id charitatis est, operire multitudinem peccatorum. cap. 2. vers. 15. adnot. 10. num. 4. & 6.

5. *Sed, vt manifestentur opera Dei in illo.* Optimè Auctor Operis imperfecti: *Non solùm simpliciter intelligendum est, sicut multi putant, vt cæco sanato Dei potentia cognoscatur, id est, operans Deus; alioquin omnibus infirmitatibus sanatis Dei potētia cognoscitur: sed ideò in illius persona hoc dicit, quia contra regulam naturæ sine oculis erat creatus, vt in transuersione naturæ opus Dei intelligatur, dum emendatur natura.* Subdit Ambrosius epist. 75. *Quod enim natura defuit, Creatori competit reformare, qui auctor naturæ est.* Ideò notanter apposito luto curationem perfecit, *ostendens* (inquit Irenæus lib. 5. cap. 15.) *antiquam plasmationem, quemadmodum facta est; & manum Dei ostendens his, qui intelligere possunt, per quam è limo plasmatus est homo.* Dei enim perfecta sunt opera, nec manum suam à tabula submouet in te salutis nostræ. cap. 2. vers. 13. adnotat. 3.

6. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est.* Dictum id tibi etiam puta, non alia de causa missum te in hunc mundum, siue natum fuisse, nisi vt, dum vita superest, opera eius, qui misit te, perficias, vni animæ negotio sedulò incumbens. cap. 2. vers. 15. adnotat. 2. n. 4. & seqq.

7. *Donec dies est.* Vt mortem, noctem; sic vitæ huius vsuram diem appellauit: vt ex lucis huius pulchritudine, quanta illius supernæ lucis sint gaudia, meliùs æstimes, atque inde ad indesinenter benè operandum stimuleris, sic id adnotante Chrysostomo hom. 55. in Ioan. *Nam, si huius sæculi lux tam pulchra est; considera, qualis illa futura sit: quantò enim solaris lux lucernæ lumen excedit; tantò, imò longè magis illa solarem: quod inde significauit:* Sol obscurabitur. *ad illius, videlicet, splendoris comparationem, vt non appareat.* cap. 3. vers. 8. in expositione, num. 9. & seqq.

8. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Vrget seipsum optima ratione ad operandum, quòd adueniente morte non sit facultas ad operandum: vnde totum vitæ spatium implere, & elucrari vult, quin aliqua illius particula dissipetur. Indue tu eadem ratione animum, vt bonis operibus indesinenter incumbas, quòd, quidquid modò omiseris, tunc exequi non valebis, vt dicebat Salomon: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia, nec opus, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccles. 9. 10. Certè ad eum, qui nocte ad ianuam pulsat, Augustinus Deum sic respondentem facit ser. 171. *Quid pulsas sine tempore, qui piger fuisti cum tempore? Dies fuit, & in lumine non ambulasti: nox superuenit, & pulsare fecisti. Excusat tempus, quod improbus quærit affectus.* Ergo ante amissam occasionem fungamur officio nostro. cap. 2. versic. 12. adnot. 5. num. 5.

Venit nox, quando nemo potest operari. Ergo assidua bonorum operum exercitatio propria viatorum, id est, tendentium ad vitam conditio est: a bonis verò operibus supersedere, mortuorum est. c. 2. vers. 12. adnot. 7. 9.

Liniuit lutum super oculos eius. Mira quidem ad exacuendam oculorum aciem medicina, terra saliuæ adiuncta. Certè, si terrena bona diligenter examinas; si illa iterum, atque iterum consideras, ab ipsis illuminaberis, vt eorum vanitatem, & inanitatem cognoscas: non secùs ac cæcus Tobias, qui à felle piscis, qui mundi typum gerebat, visum accepit. c. 3. vers. 8. adnot. 4. n. 13. 10.

Liniuit lutum super oculos eius. Cur non verbo, vt aliis; aut alia quapiam re; sed signatè luto cæci oculos inunxit? Irenæus citato loco: *Quod enim in veteri plasmatione prætermisit artifex, Verbum hoc manifestè adimpleuit, vti manifestarentur opera Dei in ipso, nec iam alteram requireremus manum, per quam plasmatus est homo, neque alterum patrem: scientes, quoniam quæ plasmauit nos initio, & plasmat in ventre manus Dei, hæc in nouissimis temporibus perditos exquisiuit nos, suam lucrifaciens, & super humeros assumens ouem perditam.* Ergo à primo beneficio creationis, ad nouum reparationis donum impertiendum Dominus illicitur, quippe geminata ipse beneficia hominibus conferre consueuit. cap. 2. vers. 13. adnot. 4. 11.

Vade ergo, & laua in natatoria Siloë. Abiit ergo, & lauit. Pende egregium obedientiæ typum: cæcum ad nutum iubentis ambulantem: quippe perfecta obedientia pedes exigit, non oculos. cap. 2. vers. 14. adnot. 1. num. 6. 12.

Abiit ergo, & lauit, & venit videns. Preme rursus perfectam cæci obedientiam: etenim non cunctatus est, non hæsitauit, non diffidit. *Poterat enim secum cogitare, & dicere: Quid hoc? Lutum fecit, & liniuit oculos meos,* (Chrysostomus homil. 55. in Ioannem,) *& dixit: Vade, lauare. Non potuit me priùs curare, & inde ad Siloë mittere? Sæpenumerò illic me laui, & multi mecum, & nihil profeci.* Et statim: *Non diffidit verbis* Iesv, *neque contradixit, neque quidquam cogitauit huiusmodi. Quid lutum illinire oportuit? Hoc potiùs cæcum redderet. Quis vnquam hoc pacto curatus est? Ecce fides firma, & prompta.* Notanter ergo in cæcæ huius obedientiæ præmium *venit videns*, Dominúsque *negatos nascenti obtutus, credenti reddit alumno.* cap. 2. vers. 27. adnotat. 2. num. 10. Sanè peculiaris cognitionis facultas, & intellectus bonus subest iis, qui cæco ad obediendum affectu imperata non discutiunt. cap. 2. vers. 14. adnotat. 2. 13.

Et venit videns. Non ingratiis accepto visu rediisse hic dicitur ad eos, qui de ipso, an peccasset, vt cæcus nasceretur, Christum interrogauerant, vt bono nomini, atque existimationi apud illos deperditæ etiam ipse satisfaceret. Nec enim est fama contemnenda. cap. 4. vers. 8. in expositione, num. 9. & seqq. & adnotat. 2. 14.

Credo, Domine, & procidens adorauit eum. En debitum, quod cognitioni Dei omninò debes persoluere, perfectum, videlicet, obsequium, & cultum: ne sis tanquam insipientes illi Philosophi, qui, cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: nec enim ille sapiens, illuminatúsve censendus est, qui intellectu magna cognoscit, sed qui cognita exequitur. cap. 3. vers. 8. adnot. 11. 15.

In

16. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, caci fiant.* Egregiè ad hæc verba Galfridus in allegoriis Gotfridi Tilmani: *Vident, & caci fiunt, qui, dum visibilia sola respiciunt, ad inuisibilia bona contemplationis oculum non attollunt: illi verò non vident, vt videant, qui inuisibilium amore deuincti, nunquam ad rerum visibilium speciem affectum sua considerationis inclinant.* cap. 3. vers. 8. adnot. 10. num. 3.

Feria quinta.

1. *IBat* IESVS *in ciuitatem, qua vocatur Naim.* Lucæ cap. 7. Benè Ericus: *De miraculo properatur ad miraculum, & quodam profectu virtutis de sanatione paralytici venitur ad resurrectionem defuncti.* Vt Discipulos suos moneat Dominus, nouos in virtute progressus indesinenter esse faciendos. cap. 3. vers. 12. in expositione, à num. 8. & seqq.

2. *Ecce defunctus efferebatur.* Beda: *Defunctus hic, qui extra portam ciuitatis multis est intuentibus elatus, significat hominem lethali criminum funere soporatum, eandémque insuper anima mortem, non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum notitiam per locutionis, operisve indicium, quasi per sua ciuitatis ostia, propalantem.* Addit his Ericus: *Nec iam peccata sua erubescendo abscondit: sed audacior in malis factus ea imitanda aliis proponit.* cap. 3. vers. 18. adnot. 3.

3. *Ecce defunctus efferebatur.* En spectaculum ei, qui interiores habet oculos, multis lacrymis dignum; iuuenem ætate, opibus, honoribúsve florentem, lethali peccato obnoxium. cap. 3. vers. 18. in expositione verborum, *Flens dico.* num. 11. & seqq.

4. *Misericordia motus super illam.* Pulchre Chrysolog. serm. 103. *Si ad vnius vidua lacrymas tēporales sic motus est Christus, vt occurreret in via, vt ex oculis stillantia dolorum fluenta restringeret, vt recurreret mortem, reduceret hominem, resuscitaret corpus, vitam reduceret,* &c. *Quid modò faciet, quomodo inardescet viribus suis ad Ecclesia sua lacrymas diuturnas, ad Sponsa sua sanguineos sudores? Nam per supplicantem Ecclesiam lacrymas fundit iuges, per Martyres sacrum sanguinem sudat, donec vnicum suum, hoc est, populum Christianum, quem tot ad mortem ferunt tempora: occurrēs Christus de mortali feretro perpetua vita reddat.* Vt magna hinc fiducia erigaris, opem tibi Dominum laturum, qui tot pro te lacrymas, tot sanguinis sudauit guttas. cap. 2. vers. 13. adnot. 3. n. 9.

5. *Tetigit loculum.* Potuit verbo, aut nutu vitam mortuo refundere: cur ergo manum admouere voluit? Sanè, vt moneret eum, qui peccatis sic erat obnoxius, vt animæ mortem, (vt dicebat Beda,) non cordis cubili tegeret; sed ad multorum notitiam per locutionis, operísque indicium propalaret, pœnitentiam non segniter, sed toto nisu esse suscipiendam, sêque cum brachiis propugnare debere. cap. 3. vers. 10. adnot. 3. num. 5.

6. *Hi autem, qui portabant, steterunt.* Qui sunt isti, qui iuuenem ad motrem, atque sepulcrum portant? Optimè Beda: *Qui verò sepeliendum portant; vel immunda desideria, qua hominem rapiunt in interitum; vel lenocinia blandientium sunt venenata sociorum, qua peccata, nimirum, dum fauoribus tollunt, accumulant.* Ergo, dum ab amicis ad illicita spectacula, & impuras voluptates duceris, ad certum animæ interitum, & ad immundæ conscientiæ sepulcrum veheris: caue ergo à malis sodalibus. cap. 3. vers. 2. adnot. 1.

7. *Hi autem, qui portabant, steterunt.* Beda indidem: *Quia superni formidine iudicij attacta conscientia, & carnalium sæpè affluentiam voluptatum, & iniustè laudantium turbam coercens ad se ipsam reuertitur, vocantique ad vitam sestina respondet.* cap. 4. vers. 8. adnot. 3. num. 5.

Adolescens, tibi dico, surge. Benè Haymo: *Hoc quotidie dicit Dominus vnicuique peccatori: Surge, qui hactenus iacuisti in vitiis: surge ad pœnitentiam agendam.* Ergo, qui ad pœnitentiam vocaris, imitare adolescentem hunc, qui eam vocem iubentis, *surge*, obaudiens *resedit*: statímque *cœpit loqui*: hoc est, vt Eusebius Emissenus explicat, *sua peccata confitetur.* En primum pœnitentiæ gradum, contempto malo pudore, omnia peccata in confessione aperire. cap. 3. vers. 10. adnotat. 2. 8.

Et resedit. Haymo: *Residet peccator, cùm incipit pœnitentiam agere.* Quid est, *cùm incipit?* Sanè, cùm pœnitentiam non cursim, & properè agit; sed eo animi proposito amplectitur, vt ipsi diuturno tempore, imò semper inhæreat: quod quidem verbum *resedit* apprimè explicat: sic Hispanè dixeris: *tomar la penitencia de assiento.* cap. 3. vers. 10. adnotat. 4. 9.

Et resedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Theophylact. & Titus Bostrenus: *Porrò resedit mortuus, & cœpit loqui: vt ne apparenter tantùm quibusdam suscitatus videatur: nam vera resurrectionis signum fuit, residere, & loqui.* Vt discant ij, qui à peccato surgunt, bonis operibus subinde vacare, quæ ipsos verè resurrexisse fidem faciant: secùs quidem, phantastica, & secundùm externam faciem eorum resurrectio existimabitur. cap. 3. vers. 12. adnotatione 2. num. 8. 10.

Cœpit loqui. Theophylactus: *Suscitat Dominus mentem, iuuenem, & fortem illam faciens, qua residet; & vt suscitata fuerit à sepulcro peccati, incipit loqui, hoc est, docere alios. Quandiu enim in peccato detinetur, non audet docere, & loqui: quis enim ei crederet?* Quippe ipsi opportunè diceretur: *Vel, ne doceto; vel, doceto moribus.* cap. 2. vers. 16. adnot. 1. num. 3. 11.

Accepit autem omnes timor. Cur timor, & non potiùs gaudium, & oblectatio? De beneficio omnibus collato. Porrò, quòd ea gratitudinis erga Deum lex est, vt ipsius beneficia cum timore sustineamus: nam onerat nos Deus, cùm exonerat peccato. cap. 2. vers. 12. adnotat. 2. num. 2. & seqq. 12.

Accepit autem omnes timor. Benè quidem Beda hæc ad spem peccatoribus ortam sic retulit: *Quantò desperatior anima mors ad vitam reuocatur, tantò plures eodem corriguntur exemplo. Vide Dauid Prophetam, vide Apostolum Petrum, quorum quò gradus altior, eò casus grauior: quò autem grauior casus, eò pietas erigentis gratior: quò verò gratior in eis Domini pietas apparuit, eò certior cunctis pœnitentibus spes salutis apparuit.* Atenim ego malim hærere proprietati vocis, *timor*, atque inde elicere iustis negligentibus maximè timendum esse, ne peccator magno animi nisu pœnitentiam suscipiens accipiat eorum coronam. cap. 2. vers. 12. adnotat. 3. n. 7. 13.

Feria sexta.

MAximum miraculorum, & Rex inter omnia Christi signa, hæc Lazari resurrectio appellatur à PP. Et quidem notanter ipse Dominus ad extremum vitæ suæ hoc signum perficiendum reliquit, vt eius memoria in discipulorum animis, imò & in ipsismet oculis vibrante, crucis ignominiam, & passionis dedecus absorberet, atque opprimeret. Atenim, quæ mortalium fragilitas est, vix tanti miraculi fulgor ab ipsis [illegible], vt scandalum in Christo non paterentur, vbi [illegible]. Vide, quàm opportunus sit homini Deus: quàm verò importunus Deo homo sit, & quàm perperam ipsius 1.

mandatis respondeat. Deinde obserua, quàm inaniter, quámque incallo consilio tuæ familiæ honores, opes, & res familiares in perpetuum post tuam mortem, aduersùs temporis vim, atque potentiam duratura disponas, cùm tantus, támque debitus Christi honor, crucis ipsius ignominiæ à discipulis apponendus, ab ipsorum mentibus tam citò euanuit. Quid ergo tu fragiles, & caducas res æternas facere, & fugaces, inconstantésque hominum voluntates perpetuis vinculis constringere præsumis? Aura citiùs dissoluentur hæc, & auolabunt. cap. 3. vers. 8. adnot. 3. tota, & cap. 2. vers. 19. adnot. 1. n. 8. & seqq.

2. *Ecce, quem amas, infirmatur.* Nec addunt aliquid. *O sancta mulieres* (inquit Bernardus tractatu de gradibus humilitatis, gradu 12.) *Christi familiares, si fratrem vestrum amatis, cur eius misericordiam non flagitatis, de cuius potentia dubitare, pietate diffidere non potestis?* Respondet verò earum nomine statim: *Scimus quidem, quod omnia potest: sed hoc tam grande miraculum, tam nouum, tam inauditum, etsi eius subest potentia, multùm tamen excedit merita humilitatis nostræ: sufficit nobis potentiæ locum, pietati dedisse occasionem.* Atenim verò, non minùs opportunè Augustinus: *Amanti enim tantummodo nuntiandum fuit: sufficit, vt noueris: non enim amas, & deseris:* imò verò ab amore, quo primum contulisti beneficium, ad aliud subinde conferendum, & dona donis cumulanda impelleris: fortissima ergo ratione, & necessaria argumentatione ad Christum permouendum Lazari sorores vsæ sunt. cap. 2. vers. 13. adnot. 4.

3. *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Cùm in Lazaro vita functo August. Ambrosius, Irenæus, & alij PP. typum agnoscant animæ per peccatum lethale mortuæ, iure ambigas; tum, quomodo peccatum ad mortem, non sit ad mortem; tum etiam, quonam modo *pro gloria Dei* sit? Sed facilis responsio, sermonem esse non de quouis peccatore: sed de eo, qui per veram pœnitentiam à Domino suscitatur. Porrò huius casus adeò non est ad mortem, vt potiùs in Dei gloriam cedat: ipsius enim misericordiam, & charitatem maximè commendat. cap. 2. vers. 15. adnot 5. num 3.

4. *Eamus in Iudæam iterum.* Non omninò abs re Domino discipuli suggessisse videntur: *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc.* At multò opportuniùs Dominus tunc temporis ad suscitandum amicum ire festinat, vt veræ amicitiæ leges impleat, cum qua homines moriuntur, & pro qua moriuntur: pulchrè ostendens, se ea de causa amicos parasse, vt haberet, pro quibus mori posset. cap. 2. vers. 30. adnot. 2. num. 7. Pupugit id acumen Thomam, ideò statim *dixit ad condiscipulos: Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Sed enim, si attendis, multò pulchrior Domini sensus fuit: Thomas enim cum Christo mori: Christus verò non tam cum amicis, quàm pro amicis mori voluit. Vide indidem, n. 6.

5. *Vado, vt à somno excitem.* Eleuat miraculi magnitudinem, & modestissimè loquitur, vt egregiæ fortitudinis specimen præbeat: contrà ignaui, nimij verbis, lingua feroces. cap. 2. vers. 12. adnot. 12. num. 5.

6. *Inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.* Bernard. serm. 1. in die Paschæ: *Adinuentio filiorum Adam quartam formauit diem, quam à Domino non accepit. Propterea* corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, tanquam iumenta, quæ in stercore suo putruerunt. *Diuinæ siquidem ordinationis est triduum, quod prædiximus, in labore, in requie, & resurrectione: non placent hæc filiis hominum, sed suam volunt præferre diem differentes pœnitentiam, vt indulgeant voluptati. Non est hæc dies, quam fecit Dominus. Quatriduani facti sunt, & iam fœtent.* cap. 3. vers. 11. adnotat. 1. a num. 8.

Sed & nunc scio, quia quæcunque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Optime hæc pendit Beda in hunc 7.
modum: *Non dixit: Sed & modò rogo te, vt suscites fratrem meum. Vnde enim sciebat, si fratri eius resurgere vtile foret? Hoc tantum dixit: Scio, quia potes: si vis, facis: vtrum autem facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.* Egregius quidem obedientiæ typus: Prælato non voluntatem tantùm, sed etiam iudicium submittere. cap. 2. vers. 14. adnot. 1. n. 4. & 5.

Ego sum resurrectio, & vita, &c. Acutè Chryso- 8.
logus: *Qui ad Lazarum venerat, quid sic occupatur in Martham? Quid? Vt antè ista in fide surgeret, quàm ille resuscitaretur in carne.* Nimirum, Christo optimo rerum æstimatori plùs animæ morbus, quàm corporis mors curæ erat: ab vna enim virtute totum hominis bonum pendet: cætera extra illius substantiam, siue essentiam sunt. cap. 3. vers. 3. adnotat. 1. num. 8.

Infremuit spiritu, & turbauit semetipsum. Beda: 9.
Attende significationem. Magnus reus est, quem mors quatriduana, & illa significat sepultura. Quid est ergo, quòd turbat semetipsum Christus, nisi vt significet tibi, quomodo turbari tu debeas, cùm tanta mole peccati grauaris, & premeris. Etenim grauiora peccata, & altis inclusa medullis non leuiore manu, sed ferro, & igni curanda sunt. cap. 3. vers. 10. adnotat. 3. Vnde subiicit inibi Beda: *Quare fremuit, & turbauit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi meritò displicentis fremere quodammodo debet in accusatione malorum operum, vt violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi.*

Lacrymatus est IESVS. O miserrimum pecca- 10.
toris statum, qui lacrymis est vnicè dignus, càsque à placidissimo Christi pectore auellit! cap. 3. vers. 18. in expositione, n. 16. & seqq.

Lacrymatus est IESVS. Obserua, ob mortuum 11.
Lazarum dixisse Dominum: *Gaudeo propter vos.* modò verò eandem ob causam tam ingens mœstitiæ specimen dedisse. Quid verò gaudio, & lacrymis? Respondeo, eadem quidem gaudendi ratione subsistente, triste mortui Lazari spectaculum à Christi affectu lacrymas extorsisse: iure enim præsens obiectum humanitatis sensum pulsauit. Sed vt hæc ad leges rationis, & naturæ acta sunt, ita tu ab obiecto, ad quòd aliquando offendisti, meritò cauere debes: nam, vt Christus ad sepulcrum gaudens accessit, & viso defuncto iustè lacrymatus est: sic tu lacrymans forsan ad amatum pridem pignus accedes, & ad eius conspectum iniustè ridebis. cap. 3. vers. 12. adnotat. 1.

Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, 12.
vt hic non moreretur? Vide, quàm amans suarum concupiscentiarum mundus, quã pronus ad omnia in peiorem partem detorquenda sit: fanè, quòd egregium illud miraculum cæci illuminati tunc Dominus perfecerit, inde ad semper eodem modo supra omnem naturæ ordinem operandum, constrictum habere volunt: & quòd Lazari mortem non impedierit, tanquam crimen obiiciunt, præfatúmque curati cæci signum in opprobrium vertunt. O diros scorpios! Vide cap. 2. vers. 15. adnot. 10. num. 10. & num. 12.

Tollite lapidem. Ambros. lib. 2. de pœnitent. 13.
cap. 7. *Poterat tacita vi operationis occultæ transferre saxum sepulcri, in cuius passione motis subitò*

lapidibus

lapidibus plurima defunctorum sepulcra patuerunt; sed hominibus iussit, vt remouerent lapidem: in veritate quidem, vt increduli crederent, quod videbant, & aspicerent resurgentem mortuum: in typo autem, quòd nobis donaret, vt leuaremus delictorum onera, moles quasdam reorum. Pende hæc extrema, *leuaremus onera.* Quibus innuit Ambros. rem magnam esse aliis opem ferre, & proximi onera leuare: ideò altiorem gradum habentibus, tanquam eximium donum, à Deo id donatum fuisse. cap. 2. vers. 26. adnotat. 1. num. 2.

14. *Dicit ei Martha: Domine, iam fœtet.* Marthæ quidem fœtebat, qui Domino non fœtebat: nec mirum: Martha enim soror tantùm erat: Christus verò pater, & opifex, qui propriis illum manibus formauerat. Sic pulchre Chrysolog. *Mulier, & quod fœtet, cuius est? Non sentires fœtorem, si in Paradiso suasorem noluisses audire.* Iam fœtet: *quod perditori fœtet, non fœtet Creatori.* Iam fœtet: *quod horret alieni operis euersor, amator sui operis non abhorret.* Sume ergo animos peccator, quantumuis quatriduanus sis: Deo non fœtes, si à peccatorum sepulcro exire vis: opus enim suum ipse non abhorret. cap. 2. vers. 13. adnotat. 3. num. 4. & seqq.

15. *Iam fœtet.* Quis sit is peccator, qui fœtet, nisi qui sibi non fœtet, aliis fœtet: qui, videlicet, inuerecundè, & aperto capite peccare audet bibens sicut aquam iniquitatem. cap. 3. vers. 18. adn....

16. *Nonne dixi tibi, quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei?* Quàm lenis, blandáque obiurgatio! quippe Martha sic errauit, dum dixit, *Iam fœtet.* vt bono animo errarit, volens à Domino fœtoris molestiam remouere: ideò mitiùs ipse cum ea agit, & quòd verbis curatur. cap. 2 vers. 18. adnot. 4. n. 9. & seqq.

17. *Clamauit voce magna.* Augustin. tam hæc, quàm præcedentia verba, *fremens in semetipso*, sic premit: *Venit ergo Dominus, cui vtique facilia erant omnia, & difficultatem quandam ostendit, ibi infremuit spiritu.* Ostendit multo labore obiurgationis opus esse ad eos, qui consuetudine duruerunt. Abi ergo tu, delicate, ac polite Concionator, & quatriduanos fœtentes, atque obduratos peccatores mellitis, crispatisque vocibus, rhythmicáque, & fucata oratione, ac blandis verborum lenociniis exsuscitare aude. cap. 3. vers. 2. adnotat. 4. & 5.

18. *Lazare, veni foras.* En primum ad vitam, & resurrectionem ostium: veram, scilicet, & integram peccatorum confessionem. Ita Ambros. citato loco: *Veni foras: hoc est, qui iaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, vt iustificeris: Ore enim confessio fit ad salutem. Si confessus fuerit à Christo vocatus, claustra rumpentur, & omnia soluentur vincula, etsi corruptelæ corporeæ fœtor grauis sit.* cap. 3. vers. 10. adnot. 2.

19. *Veni foras.* Gregorius hom. 26. in Euang hæc verba cum seqq. *Soluite eum.* sic coniungit: *Tunc vera est absolutio Præsidis, cùm æterni arbitrium sequitur Iudicis. Quod benè quatriduani mortui resuscitatio illa significat, qua, videlicet, demonstrat, quia priùs mortuum Dominus vocauit, & viuificauit dicens:* Veni foras. *& postmodum is, qui viuens egressus fuerat, à discipulis est solutus, &c. Si enim discipuli Lazarum mortuum soluerent, fœtorem magis ostenderent, quàm virtutem.* Quæ sic cape, vt non priùs pœnitens à Confessario sit soluendus, quàm foras extra peccata, extra illorum occasiones, extra omnis peccati nexus veniat. cap 3. vers. 10. adnot. 3. à n. 6.

20. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus.* En à pœnitentia vitam iam accepisti. Sed heus! Vide ligatum te prodire: quippe, vt viuus sis, at triplex te nexus circundat, prauæ, videlicet, inclinationis, voluptatis, & malæ consuetudinis: & funiculus quidem triplex difficilè rumpitur. Quid ergo incolumis euadere speres, si ligatus, & triplici quidem fune ligatus per tenuissimum filum, tanquam funambulus, incedere audes? cap. 2. vers. 12. adnot. 10. tota, præsertim num. 3.

Soluite, & sinite abire. Ac si dicat: Cùm primùm solutus sit, discedat à sepulcro, minimè ibi immoretur: grandis enim ei restat via: fugiat peccati reliquias, curet vulnera, & curam gerat pro peccato suo. cap. 3. vers. 10. adnotat. 4. num. 8. 21.

Soluite, & sinite abire. Ne illum à peccati vinculis absolutum detineatis, aut impediatis superuacuis interrogationibus. Abeat, & virtutum iter capiat; & pedes, manúsque à peccato olim constrictos in misericordiæ opera extendat: faciat eleemosynas, visitet Xenodochia; &, sicut exhibuit membra seruire iustitiæ ad iniquitatem; ita modò exhibeat seruire iustitiæ in sanctificationem. cap. 3. vers. 12. adn. 2. tota, præsertim n. 6. 22.

Soluite, & sinite abire. Nam, nisi abeat, & de bonis operibus faciendis curet; sed ligatas manus, & pedes habeat; non est, cur in viuorum numero computandus sit. Mortuum quidem, solutas manus, pedésque habentem, hoc est, pietatis in Deum, ad Deiparam, & misericordiæ in proximos opera exercentem, vix mortuum dixerim, quòd resurrectioni proximum quodammodo videam. cap. 2. vers. 12. adnot. 9. num. 3. & seqq. Viuum autem, siue suscitatum, qui ligatas manus, & pedes ad bona opera habeat; adhuc mortuum crediderim. cap. 2. vers. 12. adnot. 7. num. 10. 23.

Sinite abire. Egregium modestiæ symbolum, eum, quem sibi deuinxerat, & velut in bello manu ceperat, apud se non retinere, sed abire iubere: benè id sic notante S. Basilio Seleuciensi oratione 42. *Vides declinari iactantiam? Non enim attrahit, neque secum iubet obambulare, ostentationis causa.* Vt discant Concionatores, & ministri Ecclesiæ, proximos quidem ad se, magnetis instar, attrahere: sed minimè sibi retinere, sed ad Deum ducere, & vni ipsi totam gloriam referre. cap. 2. vers. 21. adnot. 1. num. 9. 24.

Sabbatho.

Ego sum lux mundi. Diuinam naturam ad benefaciendum maximè proclinem, pulchra hac lucis imagine explicuit. cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 5. 1.

Ego sum lux mundi. Opportunè Rupertus: *Vide, quàm breuiter, quámque magnificè expressit, nihil inuidiam impiorum hominum posse nocere gloriæ Dei: ac si diceret: Quid vos, impij, noctis, & tenebrarum filij, claritati, vel magnæ opinioni meæ suffragia mortalium tollere elaboratis. Nunquid non deridendi essetis, si Solem istum visibilem de sublimibus circulis suis toti mundo lucentem exsufflando extinguere, vel aërem pugnis verberando de magno candelabro cœli deiicere, & sub modio recondere conemini?* Possunt, nimirum, iustis mala ostendi: inferri autem non possunt, quòd ipsi à tribulationibus non læduntur: quippe, qui extra telorum iactum sunt. cap. 2. vers. 23. adnotat. 1. 2.

Ego sum lux mundi. Putant Rupertus, & alij, coniungenda hæc verba cum illis præcedentis capitis: *Si quis sitit, veniat ad me.* quòd interrupta hæc concio fuerit, interiecta adulteræ mulieris historia: ideóque notanter dixisse Euangelistam: *Iterum ergo* 3.

ergo I e s v s *locutus est eis dicens: Ego sum,*&c. Vbi meritò ambigas, quomodo in vna, eadémque concione, & lucem, & fontem sese Christus simul, & semel appellauerit: Maximè cùm fontis, & lucis diuersi effectus sint: fons enim dulcis, & suauis, dum lauat, & refrigerat: lux verò acris, & seuera in Scriptura habetur, quòd hominis errata arguat, & demonstret. Sic dicebat ipsemet Dominus Ioan. 3. 20. *Omnis, qui male agit, odit lucē, & non venit ad lucē, vt non arguantur opera eius.* & Paulus ad Ephes. 5. 13. *Omnia autem, quæ arguuntur, à lumine manifestantur.* siue, vt Syriaca habent: *Omnia autem arguuntur à luce, & reuelantur.* Sed enim facilis responsio ex Ruperto dicente: *In Psalmo, cùm dictum esset:* Quoniam apud te est fons vitæ. *statim subiunctum est:* & in lumine tuo videbimus lumen. *Christus enim, Dei sapientia, nobis vno, eodémque actu, & fons, & lumen est: quia, videlicet, quisquis aqua huius sapientiæ imbuitur, statim clarificato sensu à cunctis errorum tenebris liberatur.* Hæc ille. Quæ sic capio, vt alia Christi, veri, ac germani amici, alia hominum conditio sit: hi enim amicorum vitia, & defectus, vel carpunt, vel cùm fideliores sunt, arguūt, & tanquam speculum ostendunt; at ea non tollunt, nec medicinam illis adhibent: Christus verò optimus amicus sic hominis errata, tanquam lux ostendit, vt etiam, tanquam fons lauet, & purget: ipse siquidem in amici vsus se totum impendit. cap. 2. vers. 30. adnotatione 1. num. 5.

4. *Ego sum lux mundi.* Elias Cretensis in orat. 4. Nazianzeni: *Quod ait:* Ego sum. *hic verbum,* sum, *coæternitatem ipsius denotat:* verum, scilicet, & inuariabile esse. Vis tu etiam æternùm felix esse, veréque subsistere? virtuti stude, & ei, qui verè est, adhære, ipsúmque sequere. cap. 3. vers. 3. adnotat. 1. n. 1. & num. 8.

5. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Optimè hæc cum præcedentibus hærent: nam, vt benè obseruat Augustinus, eam se lucē appellauit, quæ non sub modio, sed super candelabrum ponenda sit, de cuius plenitudine omnes accepimus. Vide ergo, quisquis Christum sequeris, & Christi discipulus es, quomodo cum hac luce te geris: duplex enim pro exhibiti obsequij diuersitate mensura illi est, & cum recto recta, & cum obliquo obliqua incedit. cap. 2. vers. 13. adnotatione 5. num. 9. & sequentibus.

6. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Notanter dictum: *Qui sequitur me.* non, qui videt me: quid enim prosit, lucem hanc videre, atque cognoscere, nisi illius ductum sequaris, & ad eius leges te componas? aliàs, quantumuis illuminatus tibi videaris, in tenebris ambulas. c. 3. vers. 8. adn. 11.

7. *Qui sequitur me.* Quæsita locutio, *sequitur me:* quòd Christus pertranseat benefaciendo, opúsque sit illum indesinenter sequi, & nouos subinde in virtute progressus facere, vt possimus consequi. cap. 2. vers. 12. in expositione litterali, & morali, num. 17. & seqq.

8. *Qui sequitur me.* Tam in imagine quidem Solis per diem prælucentis, quàm in his verbis, quibus hanc lucem sequi monemur, non obscurè is infigitur aculeus, curandum nobis esse hac diuinæ lucis occasione frui, ne Sole ad occasum properante, noctis tenebris præoccupemur: ad eum modum, quo insensati illi, quibus salutis occasio elapsa è manibus est, apud Salomonem dicebant: *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sapient. 5. 6. cap. 2. vers. 12. adnot. 5. num. 6.

9. *Sed habebit lumen vitæ.* Egregia promissio: egregium monitum: iis, nimirum, qui de Christi per indesinentem profectum imitatione fuerint soliciti, durationem in virtute, & perseuerantiam obuenturam, & in mortis caligine vitæ lumen ipsis oriturum: sic quippe dixit Vates Psalm. 96. 11. *Lux orta est iusto.* vbi notanter Hebræa habent: *Lux sata est iusto.* hoc est, orta in mortis tenebris: quòd ipse in vita, iugi bonorum operum exercitatione, & indesinenti proficiendi studio, eam seminauerit. Non equidem, quòd perseuerantia, quod maximum donum est, de condigno mereatur; sed quòd Sol iste iustitiæ (vt ad hæc verba inquit Augustinus) *Si non ab illo facias casum, nunquam ipse à te faciet occasum.* cap 4. vers. 1. in expositione, num. 7. & cap. 2. vers. 13. adnot. 5. num. 5. & 6.

Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Vide Domini mansuetudinem, ac modestiam. Dixerant aduersarij: *Testimonium tuum non est verum.* ipse autem tam impudenti opprobrio, non aliter respondit, quàm: *Verum est testimonium meum.* ea verborum lenitate illorum indignationem frangens. cap. 2. vers. 15. adnotat. 8. num. 5. 10.

Vos autem nescitis, vnde veniam, aut quò vadam. Potetat Dominus, non modò, vt illatam sibi iniuriam retunderet: sed etiam, vt illos admoneret, mendaces, & iniustos appellare: & tamen nihil horum molitus, eorum erratum, ignorantiæ, quod leuius culpæ genus est, attribuit. Vt discas tu, proximi peccata, vel non damnare, vel saltem eleuare, putà ignorantiam, putà subreptionem. cap. 2. vers. 15. adnot. 9 num. 6. 11.

Vos secundùm carnem iudicatis. Chrysostom. *Quemadmodum secundùm carnem viuere, malè viuere est: ita secundùm carnem iudicare, iniustè iudicare est.* Nimirum, caro intellectui tenebras offundit. cap. 3. vers. 10. adnot. 1. num. 7. 12.

Et si iudico ego, iudicium meum verum est: quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater. Nónne, quomodocunque Dominus iudicium tulerit, iudicium ipsius verum est? Quid ergo opus fuit addere: *Quia solus non sum?* Dixerim, voluisse Dominum his verbis ostendere, verum, rectúmque iudicium, diuinitatis, humanitatísque naturam efflagitare, ne, videlicet, ad meræ iustitiæ leges peragatur: sed cum humanitate coniunctum sit. cap. 2. vers. 27. adnot. 2. num. 7. 13.

Scio, vnde veni, & quò vado. Rupertus: *Nos nescimus, vnde venimus: quippe qui nec illud scire possumus, qualiter in vtero concepti coaluimus, neque posthac quid futuri simus, nosse valemus. Quia nescit homo finem suum, & omnia in futurum tempus reseruantur incerta.* Inde collige, salutem tuam cum metu, & tremore operari. cap. 2. vers. 12. adnot. 1. 14.

Dominica in Passione.

QVis ex vobis arguet me de peccato? Non gloriæ studium, aut humanæ laudis amor hæc a Domino verba extorquebant: sed qui aliis Dei verba prædicabat, vt ipsa meliùs in illorum cordibus infigeret, opportunissimè ab omni culpa, quæ prædicationem impediret, sese exsortem ostendebat. Ita Rupertus ad hæc verba: *Qui Discipulis præcipiebat, vt vestimenta sua sic excuterent, vt, iuxta quod Salomon ait:* Omni tempore vestimenta tua sint candida, & oleum de capite tuo non deficiat. *sanctè viuendo, pacem euangelizarent; dignè prior ipse vestimentum suum mundum, & nulla excussione indigens ostendebat.* cap. 2. vers.... Vnde huic rei opportunam etiam emphasim habent illa verba, 1.

Quis

Quis ex vobis. eadem fidelia duos parietes dealbans Dominus,dum & se eum,qui iure argui,ac reprehendi non posset; & hostes suos, qui alium reprehendere,& arguere non possent, ostendit. Ac si dicat:Quis ex vobis audeat me arguere?Nemo quidem: cum omnes variis criminibus obnoxij sitis. *Auferte malum cogitationum vestrarum, & venite, arguite me.* alioquin ab ipsa lege,cuius causam suscipitis,redarguemini. Sic dicebat Paul. *Redarguti à lege, tanquam transgressores.* cap.2.vers.16.adn.1.n. 7. & seqq.

2. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Securus quidem erat omnimodæ puritatis, & sanctitatis suæ Dominus;nec tamen ea contentus, vt proximorum vtilitati consuleret, de bono nomine curam habet: nam nobis necessaria est vita nostra; proximis nostris fama nostra.cap.4.vers. 8. adn. 2. & in expositione,num.10.& seqq.

3. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Responderent illi:Quòd ea,quam tu veritatem appellas,veritas nobis non sit.Sed quare?Equidem, quòd odio,& inuidia laborabant, aliisque prauis affectibus erant obnoxij, qui densissimas menti nebulas offundebant.cap.3.vers.10.adn.1.à num.7.

4. *Si veritatem dico,quare non creditis mihi?* Dicito hæc sæcularium bonorum amatoribus:dicito hominibus impuris,voluptatibus addictis. Quare ad vera, & cœlestia bona non contenditis? Respondebunt,non tam verbis, quàm rebus: Quòd vera etiam bona nobis sint,hæc,quæ in manibus habemus: nitent enim,& suus illis splendor est. Atenim,si videre vultis,quàm falsa,inania, ac sordida hæc sint, alia cum aliis;hoc est, terrena cum cœlestibus conferte: ex hac quippe collatione spiritualia tantùm bona vera esse deprehendetis. c. 3.vers.8.in expositione litterali,& morali,num.7.& seqq.

5. *Qui ex Deo est,verba Dei audit.* Sapienter Card. Tolet.*Illos appellat ex Deo esse,qui Dei instinctu aguntur,& ipsius voluntatem facere student,iuxta illud Roman.* 8. Qui spiritu Dei aguntur: hi filij Dei sunt. *quod ipse Ioann.explicuit* 1.*epist.* 3. Qui ex Deo natus est,non peccat:quia semen Dei manet in illo.*& iterum:* Qui peccat,ex Diabolo est.*id est,Diabolum imitatur,eius instinctu,& exemplo mouetur,& ducitur.* Hæc ille.Sed,quæ hæc illatio fuerit? *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Pulchrè S.Thom.*Omne animal diligit simile sibi. Quicunque ergo est ex Deo,in quantum huiusmodi, similitudinem habet eorum, quæ sunt Dei, & eis inhæret:vnde,qui ex Deo est, verba Dei libenter audit.* Vnde quidem emphasim habent hæc verba ad Iudæorum superbiam retundendam: dixerant etenim paulò antè: *Nos vnum Patrem habemus, Deum.* quasi hoc honore cæteris hominibus, tanquam filij Abrahæ, præexcellerent. Ait ergo Dominus: Erratis quidem, & vehementer erratis, dum vos inde Dei filios nuncupatis, quòd carnalem ortum ab Abraham ducatis: nimirum, illi Dei filij sunt, qui eius spiritu aguntur,diuinosque mores in se referunt: siue ij ab Abrahamo,& Sara deriuentur,siue non.cap.1.vers. 15.adn.1.tota.

6. *Nonne benè dicimus nos,quia Samaritanus es tu,& Dæmonium habes?* Extrema omninò, & desperata improbitas. Sed quare? Respondet Rupert. *Quia ratione superati sunt furiosè ad conuitia prorumnt.* Similiter Glossa: *Quia conuicti sunt,non esse filij Abrahæ,vel Dei,sed Diaboli,ingerunt conuitia:quia non poterant ipsi aliter resistere.* Atenim non ea solùm de causa pessimi hominum ij mihi fuerint:sed ideò signatè, quòd se malè facere, & peccare glorientur, dum aiunt: *Nonne benè dicimus nos?* Quid enim id fuerit,nisi sibi ipsis plaudere,& benedictionem impertiri,quòd mali sint. Videtur id obseruasse Caiet. inquiens:*Manifestant,se hac quidem dixisse,sed modò agnoscere,quòd benè dicunt: modò approbant dicta:nec aiunt: Nonne benè dicunt,sed* benè dicimus nos.*manifestantes,se esse illos,qui perseuerant dicendo hæc.*Sanè quasi ex his saporem,gustúmque percipiant.Quam ergo spem de illorum salute possis concipere? *Tu existimas aliquid de remedio cogitare eos*, (inquit Seneca,) *qui vitia sua virtutum loco numerant.* cap. 3. vers.18.adnotat.3.

*Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.*Samaritanum appellarunt, vt ait Euthymius,tanquam non exactè obseruantem legem: sed; vnde locus? Respondet Rupertus: *Nisi fortè pro eo,quòd apud Samaritanos biduo mansit.* Iam Dæmonium habere dixerunt: quia opera faciebat, quæ humanam naturam,atque potentiam superabant;quæ,ne Deo tribuerent, Dæmonis propria esse volebant. Vide quàm cæco impetu ad egregia facta in malam partem detorquenda homines ferantur. cap.2.vers.15. adnot.9.n.12. 7.

Ego Dæmonium non habeo. Cur etiam Samaritanum se non esse respondit. Pulchrè Aug. *Non frustrà,Fratres: Samaritanus enim interpretantur,custos. Nouerat se ille nostrum esse custodem.* Non enim dormitat,qui custodit Israël. *&*, Nisi Dominus custodierit ciuitatem,in vanum vigilabunt,qui custodiũt eam. *Est ergo ille custos noster, qui Creator noster: si enim pertinuit ad eum, vt redimeremur, etiam pertinuit ad eũ,vt seruaremur.*Perficit enim ipse salutem nostram,& dona sua nobis tuetur.c.2.v.13. adn.3. 8.

Ego Dæmonium non habeo. Benè Maldonat.*Omnes ferè Christi hoc loco prudentiam,& mansuetudinem obseruarunt; duo illi obiecta fuisse, quòd Samaritanus esset,& quòd Dæmonium haberet:illud tacitũ præteriisse, quòd nihil in eo diuina gloria læderetur: ad hoc respondisse,& sine vlla acerbitate verborum*, &c. Vnde inde colligas, vnam virtutem in pretio habendam, cætera contemnenda. cap.2.vers.3.adnot.1.num.9. 9.
Quæ est terra tua.

*Ego Dæmonium non habeo.*Cur non respondit,(id, quod omninò verum erat:)Vos potiùs Dæmonium habetis. Sanè,vt se sapientem,illos stultos,ostenderet: nimirum,qui respondet stulto iuxta stultitiam suam,ei fit similis. Ita penè Greg. Mag.hom.18. in Euang.*Si respondere voluisset,Dæmonium vos habetis; verum profectò diceret:quia nisi impleti Dæmonio tam peruersa de Deo loqui non possent,sed accepta iniuria, etiam quod verum erat, dicere noluit,ne non dixisse veritatem,sed prouocatus contumeliam reddidisse videretur.*c.2.vers.15.adn.7. 10.

Ego non quæro gloriam meam. Faciebat egregia quidem opera Dominus, ad quæ non poterat non illustris gloria sequi; & tamen suam gloriam minimè quærebat,quòd in Patris gloriam, à quo missus erat,omnia referret. Discant hic Dei ministri, magna virtutis opera in proximorum salutem perficere: sed, quam eis referunt homines laudem, in Deum statim transferre.c.2.vers.21.adn.1. 11.

Ego non quæro gloriam meam:est,qui quærat, & iudicet. Dixit alibi idem Dominus: *Pater non iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio.* Quomodo ergo hoc in Iudæos ferendum iudicium in Patrem transfert?Pulchrè Origenes:*Habet autem etiam modestia significationem quandam Seruatore dignam, id, quod hoc loco dicitur:*Ego non quæro gloriam meam. *Neque enim admodum decebat eum, gloriam suam quærere,ob eámque causam,eos, qui eam non tribuissent, iudicare: sed Patrem, qui Filio gloriam tribueret, eam postulare docebat ab eis,qui illum ea fraudauerat,* 12.

& ob

& ob eam illos iudicare. Preme illa: *Neque enim admodum decebat eum,* &c. Quibus astruit Origenes, alienum à Christi maiestate, & magnitudine esse, proprias iniurias vlcisci. cap. 2. vers. 15. adnot. 5.

13. *Est, qui quærat, & iudicet.* Emphatica locutio, quam bifariam opportunè expresseris. Vno modo, vt sensus sit: Nihil gloriam, & honorem mihi debitum curo, quòd sit, qui quærat, eáque de re exactè iudicet. Altero modo, ac si dicatur: Est, qui quærat, & iudicet de honore meo, quòd ego illum non quæram, nec de eo velim disceptare. Quolibet autem modo sumpseris, egregium continet monitum, vt iniurias tibi illatas, résque omnes tuas Deo committas, minimè dubius felicem exitum habituras. Sed pende Christi verba: *Est, qui quærat, & iudicet.* quæ, dum respondent immediatè dictis: *Ego non quæro gloriam meam.* peculiarem emphasim habent. Certè, vt Christo non ita opportunum esset de gloria sua iudicare, quòd non venerit, *vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* ita iure gloriam suam quærere poterat: at ipse vtrunque libens omisit, vt omnes opes suas, & quidquid iuris haberet, in Patre collocaret: vnde ab ipso omnem honorem, & gloriam cumulatissimè accepit: *Est,* (inquit,) *qui quærat,* quod ego facere poteram: *& qui iudicet,* quod ad me modò non pertinebat. *Iacta ergo cogitatum tuum in Domino,* &c. cap. 2. vers. 19. adnotat. 1. num. 6.

14. *Quem vos dicitis: quia Deus vester est: & non cognouistis eum.* Emphasi, & aculeis plena sunt hæc verba: & illa quidem, *Quem vos dicitis: quia Deus vester est.* sic explicat Caietanus: *Significanter autem non dicit: Pater meus, Deus vester. sed apponit:* Quem vos dicitis Deum vestrum. *quia in veritate non erat Deus eorum: vtpote, quem non colebant corde, sed ore.* Sub quo etiam sensu sequentia verba hunc in modum premit Card. Tolet. *Et hoc verbum,* Non cognouistis eum. *antithetum illius, Dicitis, Deum vestrum esse: at vos non cognouistis; id est, non est vester Deus: ipsi autem Deum suum dicebant, non propter solam cognitionem, sed propter affectum, cultum, & imitationem.* Is ergo Dei cultor, is Deum cognoscere dicendus est, qui ipsum affectu, & imitatione complectitur. cap. 3. vers. 8. in illis verbis, *propter eminentem scientiam.* num. 4. & seqq. & adnotat. 11.

15. *Ero similis vobis, mendax.* Notanter, *similis vobis.* qui, videlicet, aliud ore, aliud corde profitereris: nam, vt vos Deum labiis honoratis; cor autem vestrum longè ab eo est; & quem intellectu cognoscitis, moribus ignoratis: ita ego, si me Deum non agnoscere dixerim, labia à corde discrepantia haberem. Nec leuis aculeus hic fuerit ad eorum animos figendos, artificiosè mendaces, & versipelles eos appellare. cap. 2. vers. 15. adnotat. 10.

Feria secunda.

1. M*Iserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent* IESVM. Ioan. 7. Benè hìc Theophylactus: *Miserunt autem, sed non ipsi venerunt metuentes turbam, & propterea ministros mittunt, se ipsos subducentes, ne quid periculi suboriretur: illos autem furori populi exponentes: ita vndequaque, quod suum erat, sectabantur.* O pessimos Principes! qui, cùm se ipsos cuiuis discrimini, & morti pro subditorum incolumitate, & salute, ratione muneris exponere deberent, ipsi contra subditos, tanquam scuta ad se ipsos cum illorum periculo protegendos assumebant. cap. 2. vers. 30. adnotatione 1. fol. 148. O etiam peruersos amicos, qui amicitiam in propriam vtilitatem deriuantes, vt se ipsos periculo subtraherent, illi amicos exponebant, volentes post tergum ipsorum declinare sagittam. ibidem, adn. 2. n. 1. & seqq.

2. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros,* &c. Mira cordis duritia, & obstinatio in peccatis: etenim, (sic Ericus,) *turbis simplicibus credentibus, & facta Domini simul, & verba glorificantibus, illi è contrario non solùm in eum credere nolebant, verùm etiam eum apprehendere laborabant.* Reddit rationem: *In amore nanque sæculi radicem cordis fixerant: idcircò verba doctrinæ cœlestis recipere non valebant.* Vides, quomodo terrena bona, pondus sint, non subsidium, magnúmque virtuti impedimentum afferant? cap. 3. vers. 8. adnotatione 5. num. 8. & seqq.

3. *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent* IESVM. Chrysostomus: *Cùm sæpè conati, eum apprehendere non potuerint, ministris mandarunt.* Disce tu, iners Christiane, Christum in bonum suscipere: disce quærere: disce apprehendere. En impiorum hominum solertiam, vigilantiam, solicitudinem, vt apprehendant IESVM: in mortem sæpè id conantur, & aggrediuntur: sæpiùs lapidibus appetunt: siue etiam nullum non lapidem mouent, vt sacrilegium perpetrent. Quæ ergo (malum!) virtutis infelicitas fuerit, vt filij sæculi, prudentiores sint filiis lucis in generatione sua. cap. 2. vers. 15. in expositione, num. 12. & sequentibus, & cap. 2. vers. 12. adnotatione 3. num. 1.

4. *Adhùc modicum tempus vobiscum sum.* Benè Ericus: *Ac si diceret: Properum est, quod nunc agere vultis. Priùs ego implere debeo dispensationem susceptæ carnis, & sic peruenire ad locum suscipiendæ passionis.* Preme illud: *Implere dispensationem susceptæ carnis.* id est, implere bonis operibus tempus vitæ mihi præfixum: quasi aliter non veniat opportunè mors. Stude ergo bonis operibus & tu, ne importunam, & immaturam mortem obeas. cap. 2. vers. 12. adnot 7.

5. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Emphasim habet hic dicendi modus: nec enim fuit contentus Dominus dicere: In hac vita, siue in hoc mundo sum. nisi notanter adderet, *vobiscum:* vt innueret (sic adnotante Theophylacto,) *etiamsi persecuti fueritis, etiamsi abnegaueritis, ego adhuc vobiscum sum: hoc est, pro vobis curam gero, & loquor ea, quæ ad salutem vestram spectant.* Bonum, videlicet, pro malo indesinenter reddens, vt Deum, & Dei Filium se esse ostenderet. cap. 2. vers. 15. adn. 3.

6. *Quæretis me, & non inuenietis.* Scitè Toletus: *Prophetica, & simul comminatoria hæc verba sunt, quibus prædicit, & comminatur, quòd Iudæis incredulis, eiúsque doctrinam contemnentibus, post ipsius ad Patrem reditum, euenturum erat.* Quæretis, *inquit,* me, *id est, verum Christum vobis promissum inquiretis:* non *tamen* inuenietis, *id est, ad ipsius agnitionem non peruenietis.* En spretæ, siue elapsæ occasionis supplicium, non inuenire, quod quæritur: quia, quod quærendum erat, quærere contempsisti. cap. 2. vers. 12. adn. 5. n. 4. & seqq.

7. *Quæretis me, & non inuenietis.* Meritò ambigas, cur bonus Dominus, qui à non quærentibus inuenitur, ipso per Isaiam dicente: *Inuentus sum à non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* ab iis, qui eum erant quæsituri, non fore inueniendus dicatur? Sed ex his Eusebij Emisseni verbis non est difficilis responsio: *Quærebant Iudæi* IESVM: *& quia malè quærebant, non inueniebant. Quærunt enim adhuc, & non inueniunt. Scripturas legunt, & non intelligunt: ibi quærunt* IESVM; *sed, quia carnaliter*

r. aliter quærunt, non inuenient. Non ergo inueniunt, quia male quærunt: male quidem quærunt, quia non spiritualiter, sed carnaliter quærunt: hoc est, non, vt animarum Redemptorem, quod vnum optandum, & curandum est, sed, vt terrenorum bonorum largitorem. Et verò, vt iis, qui Dei regnum quærunt, temporalia etiam adiiciuntur: ita ij, qui de terrenis potissimùm curant, vtraque bona solent amittere. cap. 2. vers. 15. adnotat. 2. tota, præcipue num. 11.

8. *Nunquid in dispersionem gentium iturus est?* Per exprobrationem dicunt, *in dispersionem gentium.* Miseri, qui paulò pòst euersis à Romanis Hierosolymis, in seruitutem venditi, per totum terrarum orbem infeliciter dispergendi erant; cùm tamen dispersæ gentes colligendæ, & coadunandæ essent. Ita Chrysostomus: *Postmodum ipsi subierunt: ipsi namque facti sunt dispersio.* cap. 3. vers. 2. in expositione, num. 18. & seqq.

9. *Stabat* IESVS, *& clamabat.* Ambros. serm. 19. in Psalm. 118. *Voce vere magna clamabat, qui vocabat homines ad regnum cælorum, ad illum venerabilem pontem, quo vita æterna fluctus infunditur.* Vt diceret videretur Dominus: Hæc bona vera, & magna: terrena verò, pueriles nugæ, & quisquiliæ sunt. cap. 3. vers. 8. adnot. 2.

10. *Stabat, & clamabat.* Indidem Ambrosius: *Et tu, cùm oras, magna ora, id est, ea ora, quæ æterna sunt, non caduca: ora, quæ diuina sunt, atque cœlestia, vt sis, sicut Angeli in cœlo. Noli orare pro pecunia, quia ærugo est: noli pro auro, quia metallum est: noli pro possessione, quia terra est: ista oratio ad Deum non peruenit: non audit Deus, nisi quod dignum suis ducit beneficiis; sed audit piam vocem plenam deuotionis & gratiæ.* cap. 4. vers. 6. in expositione verborum, *Orationes vestræ innotescant apud Deum.* num. 14. & adnot. 1. num. 7. & seqq.

11. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Notanter, *In nouissimo die magno festiuitatis.* hæc clamasse Dominus dicitur. Nam, cùm medij festi dies in deliciis consumerentur, vt Chrysostomus ait, ex animorum siti, à terrenis deliciis, & bonis minimè expleta, ad vera gaudia à virtute promanantia opportunè illos allicit: ac si diceret: En post tot dies in deliciis corporis, & terrenis fructibus complectendis, animum vacuum, & veri gaudij expertem habetis: quid ergo iis rebus inhæretis? Discite solidam, & perpetuam lætitiam ex vero fonte haurire. cap. 4. vers. 4. adnot. 1.

12. *Veniat ad me, & bibat.* Pulchrè, & piè Augustinus in Meditationibus, cap. 37. *Fons vitæ, reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum sobria ebrietate amoris tui, vt obliuiscar, quæ vana sunt, & terrena, & te iugiter solum habeam in memoria mea.* Nimirum, spiritualium, cœlestiúmque rerum contemplatio contemptum, atque obliuionem terrenarum rerum nobis iniicit. cap. 3. vers. 8. adnot. 10.

13. *Si quis sitit, veniat ad me.* Sæpè Dominus, fonti, flumini, aquæ se ipsum comparare solet. Quare? Optimè Maldonatus: *Volebat Christus docere, se omnibus publicè hominibus ad salutem propositum esse: erat consentaneum, vt se rei maximè publicæ, vnde omnium salus, & vita pendeat, compararet. Nihil magis eiusmodi est, quàm fons publicus, aut flumen, vnde omnes, qui volunt, bibunt, nemine prohibente.* Nulla ergo tibi ad manum excusatio est, quòd Dei obsequium, atque virtutem non suscipias, cùm à nemine prohiberi possis. Quam aliter tibi in obtinendis terrenis bonis eueniet? quot habebis contradictores? quot difficultates, & impedimenta?

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2. cap. 3. vers. 8. adnotatione 6. num. 3. & sequentibus.

14. *Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Quasi satis non sit bibere ad satietatem, nisi etiam fontem ipsum, ac flumen in se transferat, vt inde alij bibant. Scitè Augustinus: *Quid est fons? & quid est flumen, qui manat de ventre interioris hominis? Beneuolentia, quæ vult consulere proximo. Si enim putat, quia, quod bibit, soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viua de ventre eius: si autem proximo festinat consulere, ideò non siccat, quia manat.* En veri boni naturam, se se diffundentis, & vt subsistat, omnibus benefacientis. cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 4.

Feria tertia.

1. AMbulabat IESVS *in Galilæam: non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Augustinus ad hæc verba: *Infirmitati nostræ præbebat exemplum. Non enim perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem: futurum enim erat, vt aliquis fidelis eius absconderet se, ne à persecutoribus inueniretur: & ne illi pro crimine obiiceretur latibulum, præcessit in capite, quod in membro confirmaretur.* Vt videtis, quàm nostri amans sit Dominus, qui bonæ famæ nostræ, quasi cum aliquo suæ dispendio voluit consulere. Hæc certè Principum, hæc Prælatorum conditio esse debet, vt tanquam scuta pro suis subditis, cuiuis discrimini se opponant. cap. 2. versic. 30. adnotatione 1. num. 1.

2. *Non enim volebat in Iudæam ambulare.* Chrysostomus, & plures è Græcis Patres legunt: *Non enim habebat potestatem in Iudæa ambulare.* Sed, quare non poterat? Sanè quasi à Iudæorum incredulitate, & ingratitudine prohibitus: ipsi siquidem peccatis suis diuinæ potentiæ impedimento erant, ne ea ibi signa ederet, quæ in Galilæa perficiebat. Caue, ne & id tibi contingat, dum ingratitudine, & negligentia tua egenam Dei gratiam reddis. cap. 2. vers. 13. adnot. 6.

3. *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse palàm esse.* En sæcularium hominum ingenium, qui ex suo ingenio alios fingunt, & quæ ipsi vehementer concupiscere solent, ab aliis etiam adamari arbitrantur: isti etenim Dominum inanis gloriæ cupidum insimulant, quòd ipsi hoc morbo laborarent: sic nanque premit verbum, *quærit,* Chrysostomus: *Illa autem particula,* & quærit ipse palàm esse. *Habet inanis gloriæ suspicionem.* Diffundit hæc Ericus: *Putabant illum tantùm esse hominem, atque ideò eum ex se se metientes: & sicut ipsi honoris erant cupidi, ita eum arbitrantes ab hac cupiditate nequaquam esse immunem, quasi consolantes, & consilium ei dantes dixerunt.* Transi hinc, &c. Subiicit sanctus Thomas: *Hoc est proprium malorum, vt credant alios similes eis animi passiones habere.* cap. 2. vers. 15. adnot. 9 num. 11.

4. *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Maldonatus: *Dicuntur autem nondum in illum credidisse, non quòd omninò non crederent, sed quòd non satis crederent.* Tanquam *beta,* nimirum, *semicocta,* inter virtutes, & vitia fluctuantes. cap. 2. vers. 14. in expositione, num. 12. & seqq.

5. *Tempus meum nondum aduenit.* Benè Apollinaris in Catena Græca apud Maldonatū: *Tempus meum ad festa celebranda nondum aduenit: tempus enim mihi passionis est, atque afflictionis, non gaudij, atque lætitiæ.* Dictū tibi id etiam, ô Christiane, existima: in hoc enim positus es. cap. 3. vers. 11. adn. 1. n. 3.

6. *Tempus meum nondum aduenit.* Forsan tempus

suum, tempus Passionis appellat: quod nondum aduenisse affirmat: quia nondum hostium suorum nequitia ad cumulum venerat: vt opportuno tempore, & modo illis beneficia impertiret. cap. 2. vers. 15. adnot. 3. num. 5.

7. *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum.* Bene Rupertus: *Id est: Vos exaltamini, quantum potestis, antequam humiliemini, vt humiliemini, postquam exaltati fueritis. Nam ego non ascendam in præsenti, neque exaltabor, antequam humilier vsque ad mortem; mortem autem crucis.* Enimverò præsens tempus non exaltationis, & gaudij; sed humiliationis, & laboris est, vt temporali tristitiæ æterna lætitia, & felicitas succedat; & non è contra, diurnam, siue ephimeram lætitiam sempiternus mœror subsequatur. cap. 3. vers. 11. adnot. 1. tota.

8. *Vt autē ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Acutè Augustinus: *Non vacat, quòd latenter ascendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo.* Clariùs id expressit Eusebius Emissenus hunc in modum: *Venit Dominus in occulto ad diem festum, quia quamuis tota illa festiuitas in eius honore, & gloria agebatur, ipse tamen à paucis, vel à nullis ibi intelligebatur.* Voluit vterque dicere, Deū sic homines tractare, prout ab ipsis tractatur, & rectis quidem rectum, obliquis obliquum se exhibere. cap. 2. vers. 13. adnotat. 5. num. 12.

9. *Quidam dicebant: quia bonus est. Alij autem: non; sed seducit turbas.* Diffundit hæc opportunè ad nostram institutionem Augustinus his verbis: *De omnibus seruis eius hoc dicitur modò. Quicunque eminuerit in aliqua gratia, aut spirituali profectu, alij dicunt,* quia bonus est: alij, quia nō, sed seducit turbas. *Vnde hoc? Quia* vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. *Ideò licet dicere hominibus per hyemem: Mortua est ista arbor, v. g. arbor fici, arbor pyri, & huiusmodi pomorum similis est arida: & quandiu hyems est, non apparet: æstas probat, iudicium probat: æstas nostra, reuelatio Christi est.* Deus manifestè veniet, &c. Ignis ante ipsum præibit. *Psalm. 49. Iste ignis inflammabit inimicos eius: aridas arbores ignis comprehendet: tunc enim arida apparebunt, quando eis dicetur:* Esuriui, & non dedistis mihi manducare. *In alia verò parte, hoc est, in dextra, apparebit fœcunditas fructuum, dignitásque foliorum, viriditas, æternitas erit eis.* Ergo ab eleemosynis, & charitate arborum flores, & fructus pullulant. cap. 4. vers. 11. in illis verbis: *Quia refloruistis.* num. 5. & cap. 2. adnot. 9.

10. *Non: sed seducit turbas.* Quid est seducere turbas? Sanè post se ducere, & ab vna in aliam partem transferre. Augustinus: *Si seducere, decipere est, nec Christus, nec Apostoli eius, nec quisquam seductor debet esse Christianus: si autem seducere, aliunde aliquem ad aliud, persuadendo, ducere est; quærendum est, vnde, & quò. Si à malo ad bonum, bonus seductor est: si à bono ad malum, malus seductor est.* Ergo in ancipiti acceptione, tam verbi, quam ipsius rei, dum Christum post se trahentem turbas videbant; boni interpretes, quin quærerent, *vnde, & quò*, in peiorem id partem accipiebant, quasi bonus Dominus, malus seductor esset. cap. 2. vers. 15. adnot. 9. num. 4. & seqq.

11. *Propter metum Iudæorum.* Hoc est, Principum Iudæorum. Sed, quare honorifica hac appellatione nudauit eos Ioannes? Audi Cyrillum: *Hic Iudæos, Iudæorum Principes appellauit: indignum enim iudicauit, homines adeò à pietate remotos Sacerdotes, aut Seniores populi appellare, quos per Prophetam, vt spiritualis vineæ corruptores, Deus accusat dicens: Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Non ergo à demoliendo, sed ab ædificando, & benefaciendo, Principum nomen, & dignitas subsistit. cap. 2. vers. 26. adnot. 1.

Feria quarta.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat, & ambulabat IESVS. Encæniorum, siue renouationis festum præsentia sua honorat Dominus, atque eius significationem mystica ambulatione ostendit: sic enim de hoc festo disserit Gregorius Nazianzenus oratione in nouam Dominicam: *Huic festo muneris loco, præclaram mutationem offert, &c. Nec verò hæc à me eò dicuntur, quòd te eodem semper statu manere velim; sed, vt perpetuo, ac laudabili motu agiteris, ac noua prorsus creatura sis: quod quidem assequeris, si vel cùm in peccatum laberis, ad bonam frugem redeas, vel cùm egregiè, atque ex virtutis præscripto vitam instituis, cursum adurgeas.* cap. 3. vers. 12. in expositione, num. 6. & seqq. 1.

Facta sunt Encænia in Ierosolymis, & hyems erat, & ambulabat IESVS. Non tantùm ambulationem vrgebat, vt exemplo suo ad cursum & indesinentem profectum incitaret; sed etiam vt ambulantibus opem ferret, & nouis gratiæ suæ auxiliis communiret. Audi Theoph. *Da & tu operam, dum hyems est, præsens, dico, vita, quæ semper à malis Spiritibus turbatur, vt celebres Encænia spiritualis templi, semper nouus factus, & ascensiones in corde disponens. Aderit enim tunc tibi* IESVS, *qui simul celebres Encæniorum festiuitatem in porticu Salomonis, custodia sua te muniens, & pacificum te faciens ab affectionibus: ipse enim pacificus Salomon est.* cap. 2. vers. 13. adnot. 5. num. 3. & seqq. 2.

Ambulabat IESVS *in porticu Salomonis.* Peculiaris Ioāni cura fuit conscribere egregia facta, quæ Dominus in festiuitatibus operabatur; sicut & ipse Dominus tunc signatè miraculis magis conspicuū, & beneficentiorem sese ostendebat, cùm à templi solennitatibus vocabatur: habet enim peculiarem decorem opus tempori conforme: sicut, & insignis illi deformitas est, quod à temporis opportunitate dissonat. Erant quidem ex Dei præscripto omnes aquæ in Ægypto in sanguinem conuersæ; & ideò Ægyptij circa flumen frustrà puteolos fodere laborabant, vt prædulces sibi aquas inuenirent. Quid agitis, insani? Tempori resistere, & repugnare vultis? Verùm illi vos morem gerere multò erit opportunius. Disce hinc tu, Christiane, diebus his Dominicæ Passionis cōsecratis, animo, & interiori sensu respondere. Quid enim magis præposterum, atque peruersum fuerit, quàm vt toto mari sanguine tincto, prædulces tu tibi puteos circunfodias? cap. 3. vers. 10. adnot. 3. num. 7. 3.

Ambulabat IESVS *in porticu Salomonis.* Preme verbum, *ambulabat*, eiusdem temporis, atque etiam significationis, sub qua pictor imagini subscribit, *faciebat*: quasi manum à tabula nunquam submoueat: sic enim nostram salutem Dominus operatur, vt opera operibus attexat. cap. 2. vers. 13. adnot. 3. 4.

Hyems erat, & ambulabat IESVS. Occurrit Ioannes illis verbis, *hyems erat*; ei, qui Dominum ambulantem otij vellet arguere, opportunam deambulationis rationem ex hyemis frigore reddens: ac si dicat: Exigebat frigus, vt ambulationem vrgeret, qua corpus tantisper calefaceret. Egregium pro Principibus monitum, vt nouerint, horarum, quas in ludo, in venatione, aliísque 5.

iocis

loci collocant, rationem à se fore reddendam: quippe à ... temporis momentis, nutibus, & communis ... ratio dependet: nec enim ipsi sibi, sed aliis viuunt. cap. 2. vers. 16. adnotat. 1. num. 5. & seqq.

6. *Circumdederunt ergo eum Iudæi.* Tolet. *Inambulantem circundant, vt stare faciant, & commodius alloquantur: vt nulla ex parte Christus diuerteret, sed sistens, auditum sermonibus eorum præberet.* Nonne & illos etiam Deum circundare, & gressus illius cohibere dixeris, qui ipsius prouidentiam quasi vinculis constringunt? & cum nec de crastino soliciti esse debeant, in æuum temporalia disponunt, nihil à Deo sperantes, sed omnia humanis rationibus metientes? Sine Deum inambulare: fide illi, & iacta cogitatum tuum in Domino. cap. 2. vers. 19. adnot. 1. num. 6.

7. *Circumdederunt ergo eum Iudæi.* Caiet. *Ex condicto aduersus IESVM se conuenire, et: tam circundatione, demonstrant, tanquam facti mentem exponentes?* Subdit Maldonat. *Circumdederunt, sicut lupi, agnum, ne qua posset euadere: Christus enim erat, qui Dauidis dicebat ore:* Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. *Psalm.* 21. Vnde notanter inquit postea Ioan. *Exiuit de manibus eorum.* innuens, potuisse illos circũdare, & oppugnare hanc munitissimam arcem; sed illum expugnare non potuisse: quippe iustos non tangit tribulatio. cap. 2. vers. 24. adnot. 1. num. 5.

8. *Quousque animam nostram tollis?* Huc dixeris aspexisse Dominum, cùm Dauidis ore dicebat: *Circũdederunt me, sicut apes.* Bene siquidem de apibus ad hæc Psaltis verba dixit Gregorius homil. 9. in Ezechiel. *Apes enim in ore mel habent, in aculeo caudæ vulnus. Et omnes, qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitia feriunt, apes sunt: quia loquendo, dulcedinem mellis proponunt; sed occulte feriendo, vulnus inferunt.* En mellis dulcedinem exteriùs propositam: *Quousque* (inquiunt) *animam nostram tollis?* Nec enim hæc solùm significant, vt benè pendit Maldonatus, dubio se, & velut suspenso esse animo; verùm etiã magnopere se optare, vt sit Christus: tamen nondum credidisse, quòd nondum ille satis apertè dixisset, num Christus esset, an non. Vnde optimè sanctus Thomas: *Adulatoriè* (inquit) *loquuntur, volentes per hoc ostendere, se desiderare scire veritatem de ipso, quasi dicant: Anima nostra est in suspenso desiderij, quandiu nos derelinquis.* Vidisti mellis dulcedinem: vide iam aculei vulnus: vix enim Dominus insinuauerat, se Dei Filium esse, cùm *sustulerunt lapides, vt lapidarent eum.* Eo ergo animo mellitis his sermonibus Christum alloquebantur, *vt scilicet,* (Chrysostomus in Catena,) *eum prouocantes, aliquam captionem inueniant:* hoc est, in laqueum illi paratum inducant. Vt videris, hanc esse sæpiùs mundialis amicitiæ naturam, vt per ornamenta feriat: non secùs ac bonum Regem Iosaphat prauus Achab per amicitiæ, & honoris laruam in certum interitus discrimen adducebat. cap. 2. vers. 20. adnot. 2. num. 2.

9. *Dic nobis palàm.* Quid est, *palàm*? Confidenter, amicè, nullo velamine. Vide odij malignitatem. Blandè loquuntur, vt certiùs perdant. Ita Chrysostom. hom. 60. in Ioan. *Modus verò interrogandi magnum eorum odium indicat.* Dic nobis palàm: *Nonne palàm omnia loquebatur? Nonne solennitatibus semper aderat? Ideo blandioribus verbis vsi sunt: Quousque animam nostram perdis?* Nimirum, lethalius odium, & implacabiliores iræ opportuniùs sub occulta fraude, quàm sub aperta vi exercentur cap. 2. vers. 15. adnotat. 10. num. 9.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei. Optime Maldon. *Magna cauet diligentia, ne se à Patre alienum esse ostendat, quo potestatem suam ... habeant: propterea non absolute dixit, Opera, quæ ego facio. Sed,* Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei. *id est, Patris decreto, auctoritate, voluntate.* Ita quidem, qui vndequaque circundabatur, & oppugnabatur, incolumis euasit. Vt noueris & tu, aduersus omnia mundi discrimina Deo niti, in quo firmum, & certum est præsidium. cap. 2. vers. 19. adn. 1. num. 4. & seqq. 10.

Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Subdolè interrogabant Dominum, an esset Christus; quod Christus illis idem ac Rex esset: vt inde calumniandi apud Romanos ansam arriperent: *Cum autem secundum nomen regium, de quo interrogabatur, inquit Rupertus, dicere posset: Non estis ex ciuibus meis, dicere maluit secundum nomen pastoris: Non estis ex ouibus meis.* non solùm vt regiæ maiestatis vocabulum modestè declinaret: sed etiam vt optimum ... , optimique Regis conditionem d... , qui non suum commodum, sed omnium ... em quærere debet. cap. 2. vers. 30. adnot. 1. num. 2. & seqq. 11.

Vos non creditis quia non estis ex ouibus meis. oues meæ vocem meam audiunt, & ego vi... eas, & c. Opportune Chrysostom. hom. 60. in Ioan. *Animum ... , quo eos reiiciendo, vt si sequantur, hortatur.* Vos me, inquit, non auditis: neque enim estis oues. Qui sequuntur, hi sunt ex ouili. *Hæc autem dicebat, vt oues fieri adniterentur. Inde, cum dicit:* Et sequuntur me. *eos tangit, & excitat, & insequendi cupiditatem impellit.* Sane, vt verum Dei Filium, magnanimum, fortem, sapientem, ac felicem se ostendat, qui norit, & velit diram illorum inimicitiã amicitia cõmutare. c. 2. vers. 15. adn. 5. & seqq. 12.

Et non rapiet eas quisquam de manu mea. Felices oues, tanto pastore, & custode dignæ. Cura, & omnibus modis adnitere, vt inter has oues annumereris: audi pastoris huius vocem: preme ipsius vestigia: vt si fortè malo fato in lupi vngues aliquando incideris, à bono pastore de eius ore eruaris. cap. 2. vers. 13. adnot. 3 num. 10. 13.

Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est. Benè Cyrillus Alexandrinus, & alij, id de ouibus à Patre Christo datis interpretantur. Perquirit verò statim Cyrillus, cur dixerit Christus, oues sibi à Patre datas esse, cùm ipse Deus, ac proinde sine cuiusdam dono, omnium creaturarum sit Dominus. Respondet verò, hæc ideò dici, quòd Pater Filio ouium curam dederit, vt ipse pro illis animam poneret, vitámque illis daret. Iam de hoc munere vide, quid sentiat Dominus: *Quod dedit mihi, maius omnibus est.* Ac si dicat, nihil maius, ac honorificentius esse, quàm alijs benefacere, ac prodesse. Sic omninò Alexandro ingerebat Demosthenes: *Nihil habet fortuna tua maius, quàm vt possis; nihil melius, quàm vt velis benefacere.* cap. 2. vers. 26. adnot. 1. num. 2. 14.

Pater meus, quod dedit mihi maius omnibus est. Græcè omninò habetur: *Pater meus, qui dedit mihi, maior omnibus est.* Quod Chrysostomus, Theodorus, atque Leontius apud Maldonatum ideò à Domino additum volũt, ne eam potentiam, quam se habere dixerat, sibi soli arrogare, nec in Patrem referre videretur: vt hinc, siue Ecclesiæ ministri, siue quotquot egregia opera perficiunt, maximè caueãt, eorum gloriam sibi arrogare; sed ad Deum referre omninò studeant. cap. 2. vers. 12. in expositione, num. 10. & seqq. 15.

Et nemo potest rapere de manu Patris. Magnam emphasim 16.

emphasim hæc verba habere videntur: quippe dixerat Dominus: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* nec id dixisse contentus, subiicit modò: *Et nemo potest rapere de manu Patris.* ostendens, vtraque Patris, & Filij manu suas oues custodiri, & apprehensas teneri. Quid? Nónne vna manus, in qua potentia significatur, ad ouem firmissimè tenendam, & custodiendam fuerit satis, cùm infinitæ virtutis sit? Ita quidem: atenim notanter hæc dixit Dominus, vt videas tu, quanta diligentia, & solicitudine animæ tuæ prospicere, & salutem tuā operari debeas, & (quod est in Prouerbio) *Nequaquam vna manu apprehendendum, cùm possis ambabus.* cap. 2. vers. 12. adnot. 3. num. 3. & seqq.

Feria quinta.

1. *ET ingressus domum Pharisæi discubuit.* Chrysologus sermone 93. *Ad prandium, & ad Pharisæi prandium venisse Christum, solicitus forsan miretur auditor. Pharisæi domum Christus intrauit, non accepturus Iudaicos cibos; sed diuinam misericordiam largiturus: neque accubuit pocula soporata melle, floribus odorata sumpturus; sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculorum fontibus potaturus.* Adde ex Bernardo, vt festum etiam, atque conuiuium Angelis exhibeat: etenim *gaudent Angeli* (inquit ille serm. de beata Maria Magdalena) *super peccatrice pœnitentiam agente, & odoris fragrantia cœlestis ille conuentus aspergitur.* Nimirum, tunc signatissimè gaudium est in cœlo super peccatore pœnitentiam agente, cùm is non segniter, & oscitanter pœnitentiam aggreditur; sed potiùs ex suo dolore compunctus inardescit in amorem Dei, seséque in magnis virtutibus exercet. cap. 3. vers. 12. adnotat. 2. num. 1. & seqq.

2. *Vt cognouit.* O pulchram, & vtilissimam cognitionem! Cognouit Saluatorem, cognouit salutem, cognouit animæ pretium, cognouit vera, & cœlestia bona: & *vt cognouit*, terrena hæc contempsit, & stercora reputauit, vt Christum lucrifaceret. cap. 3. vers. 8. adnot. 10. num. 2.

3. *Vt cognouit* Quid opus fuit statim accurrere, & conuiuij lætitiam lacrymis turbare? Nonne satis fuisset, eadem die, alio commodiori loco, Saluatorem opportuniùs adire? Minimè quidem: nūc enim opportuniùs Dominum adiit, cùm primùm adire potuit: ea quippe salutis opportunitas est, quæ non in crastinum, neque in sequentem horam; sed in præsentis temporis momento capitur. cap. 2. vers. 12. adnot. 5. num. 3.

4. *Vt cognouit.* Pulchrè August. serm. 88. de tempore: *Vbi cœlestem Medicum venisse cognouit, vltrò se ingessit in domum, vbi rogata non fuerat: & quæ priùs frontosa erat ad perditionem, posteà frontosior facta est ad salutem: & ideò audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimissa.* Nimirum, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiūt illud: nec aliud fecisse dixeris mulierem hanc, quàm regni fores effringere, eique vim inferre, *importuna beneficio.* cap. 2. vers. 12. adnot. 3. num. 4. & seqq.

5. *Attulit alabastrum vnguenti.* Occurrit sapiens pœnitens iis, quæ de ipsa Euangelista dixerat: *Mulier in ciuitate peccatrix.* quæ, videlicet, impudicitia anteà infamis, nec Dominum timebat, nec homines reuerebatur; sed fama contempta in turpitudinis cœno volutabatur: modò enim cùm primùm, diuina ei luce oborta, de animæ salute cogitauit, de bono etiam nomine curam habere cœpit: nam *odor bonus, fama bona.* cap. 4. vers. 8. adnot. 2. num. 2.

Stans retrò. Non facilè sese Interpretes expediunt, quomodo ea, quæ Christi pedes lacrymis rigabat, retrò stare posset: Et verò, vt benè id à Maldonato explicetur, non importunè tu ad mysterium retuleris, vt peccatricis resipiscentia, fortisque aggrediendi pœnitentiam modus, imò constans in ea duratio significetur: scitè siquidem dixit Augustinus lib. 1. Soliloquiorum, cap. 1. *Deus, a quo auerti, cadere; in quem conuerti, resurgere; in quo manere, consistere est.* Stetit ergo, quæ ceciderat: constitit, & rectis pœnitentiæ, & iustitiæ vestigiis firmiter hæsit. Vide cap. 8. vers. 1. *Sic state.* num...... & seqq. & adnot. 1. tota. 6.

Stans retrò. Retrò quidem, præ reuerentia, præ anteactæ vitæ cognitione, & faciei confusione; sed non præ vitioso pudore: quæ vulnera sua Medico palàm ostendere nō erubuit. Benè August. in Psal. 125. *Illa, quæ venerat, nouerat Medicum, & quæ solebat in sua fornicatione fortasse esse frontosa, frontosior facta est ad salutem. Irrupit in domum, quo non fuerat inuitata: sed vulnera habebat; & illuc venerat, vbi Medicus recumbebat.* Itidem Ambrosius lib. 2. de pœnit. c. 8. *Ostende Medico vulnus tuum, vt sanari possis: etsi non monstraueris, nouit; sed a te expectat audire vocem tuam,* &c. *Sic peccatum mulier illa in Euangelio, fœtorémque sui erroris abstersit.* Ostende & tu, tanquam ægrotus, vulnus tuum: noli erubescere de remedio, qui non erubuisti de crimine: cur enim gloriosam impudentiam refugias, qui malam impudentiam lubens amplexatus es? cap. 3. vers. 10. adnot. 2. 7.

Lacrymis cœpit rigare. Quid illis oculis formosius, qui perpetuo lacrymarum imbre, tanquam margaritis, ornantur? c. 3. vers. 18. in expos. n. 22. 8.

Lacrymis cœpit rigare. Cur dixit, *cœpit rigare*, qui dixit, *capillis capitis sui tergebat, osculabatur, vngebat.* Dicat ergo, rigabat: vel, si dicendum est, *cœpit rigare*, dicat etiam cœpit tergere, osculari, vngere: quod enim interfuit inter hæc discrimen? Facilè quidem dixerim ex Augustino sermone 11. ad Fratres in Eremo, sic monente: *Quotidie fleas peccata, quæ commisisti, & quæ committere proximos vides: sic enim peccatrix illa Maria, non solùm in domo Simonis, sed etiam post aduentum sancti Spiritus, hoc idem ardenter perfecit. Semper enim dolebat, semper in vita sua flebat, quæ commiserat.* Ergo, vt innuat Euangelista, felicem istam peccatricem, fletum nunquam interrupisse, nec à lacrymis cessasse, sed in ipsis per totam vitam durasse, notanter ait, *cœpit rigare*, quasi cœperit, nec vnquam finierit: secùs quidem ac in aliis pietatis, & charitatis officiis tergendi, osculandi, vngendique pedes, quæ non nisi præsenti Domino exhibere valuit. cap. 3. vers. 10. adnot. 4. num. 4. 9.

Et capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Pulchrè Gregor. *considerauit, quod fecerat; & noluit moderari, quod faceret,* &c. Peccatorum, scilicet, non immemor, deperditum tempus redimere, & omissa benefacta restaurare voluit: hæc enim veræ pœnitentiæ lex fuerit, vt malè in peccatis collocatum tempus, aucto bonorum operum censu redimas, & ea, quæ omisisti, & quæ modò agere debes, simul præstes. cap. 3. vers. 12. adnot. 2. num. 2. & 5. 10.

Capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, &c. Gregor. *Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum.* Vt, sicut exhibuit membra sua seruire iniustitiæ ad iniquitatem, modò exhiberet seruire iustitiæ in sanctificationem. Ibidem, num. 6. & seqq. 11.

Capillis capitis sui tergebat, & osculabatur, &c. Sapienter 12.

pœnitet Auguſt. hom. 23. *Neſcio quid illa peccatrix plus in Domino viderat. Nam, quare fecit illa omnia, niſi vt ſibi dimitteremur peccata?* Alus ergo Chriſtum quærentibus, Chriſtum adeuntibus, vt ab eo corporis ſanitatem obtinerent, hæc vna, de animæ tantum ſalute ſolicita, peccatorum remiſſionem quærebat, in vno vitæ æternæ negotio omnes cogitatus collocans, defixis in illum oculis intuens. cap. 2. verſ. 15. adn. 2. num. 3.

13. *Oſculabatur pedes eius.* Titus Boſtrenſ. *Non ſimpliciter, aut oſcitanter Domini pedes oſculatur; ſed ſeriò, & ex animo, oſculatóſque pretioſo vnguento perfundit.* Benè, *ſerio, & ex animo* quo enim hæc omnia iuerint, niſi vt oſtendat, pœnitentiam, & peccatorum ſuorum deteſtationem, non à timore, nec à mercedis cupiditate; ſed ab ardenti dilectione proficiſci? Sic dicebat Chryſoſtomus homilia 6. in Matthæum: *Et hæc quidem extrinſecus cuncta faciebat: ea vero, quæ in ſecreto mentis agitabat, multò erant ignitiora.* Vnde quidem, non vt ancilla, ſed vt filia mire dilecta in Dei gratiam ſuſcepta eſt. *Depoſcebat æquitatis ratio,* (inquit Titus,) *vt eam, quæ conſitebatur, quæ lacrymabatur, quæ ad Chriſti pedes ſeſe abiecerat, quæ omnem honorem, & reuerentiam eidem impenderat, viciſſim in gratiam, & amicitiam reciperetur.* cap. 3. verſ. 3. adnotat. 2. num. 7.

14. *Et vnguento vngebat.* Scite Ambroſius lib. de Tobia, cap. 22. *Miſit oleum in pedes eius, miſericordiam & ipſa in pauperes conferendo: iſti ſunt pedes Chriſti, in his innocens ambulat Chriſtus.* Opportunè, vt Iudicem placaret, & veniæ locum faceret, miſericordiam in pauperes exhibuit. cap. 2. verſ. 12. adnot. 9. num. 3. & ſeqq.

15. *Videns Phariſæus, qui vocauerat eum, ait intra ſe dicens: Hic, ſi eſſet Propheta.* Plura de Chriſto egregie facta nouerat, nonnulla etiam pietatis opera in peccatrice videbat; nec tamen ex his ad excuſanda, quæ non intelligebat; ſed ad ea potiùs in peiorem partem detorquenda ducitur. cap. 2. verſ. 15. adnot. 10. num. 10.

16. *Vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta.* Optime Beda: *Conditor etenim noſter, quos ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam creauit, quaſi commodato ad ſeruandum ſublimauit denario. Nam denarius ſolet Regis imagine, ac nomine formari. Et quidem vtriuſque populi debitum per quinarium numerum multiplicatur: quia, videlicet, quinque ſunt ſenſus, quibus in hac vita vtentes, imaginem, quam accepimus, noſtri Conditoris excolere debemus.* Nimirum, hæc noſtra conditio eſt, vt quæcunque accepimus, in vnam animæ negotiationem transferamus. cap. 2. verſ. 15. adn. 2. num. 7. & ſeqq.

17. *Non habentibus illis, vnde redderent.* Quia (vt S. Thom. in Catena, ex Gloſſa, & aliis ait) nullus poteſt per ſe ipſum à debito peccati liberari, niſi diuina gratia veniam conſequatur. cap. 2. verſ. 13. adn. 2. num. 3. & ſeqq.

18. *Oſculum mihi non dediſti.* Refert id Beda tam ad imperfectam Iudaïci populi conditionem, quàm ad perfectionem Chriſtianæ diſciplinæ, hunc in modum: *Oſculum quippe dilectionis eſt ſignum. Et infidelis ille populus Deo oſculum non dedit: quia ex charitate Deum amare noluit, cui ex timore ſeruiuit. Beata autem gentilitas Redemptoris ſui veſtigia oſculari non ceſſat, quia in eius amore continuo ſuſpirat.* cap. 3. verſ. 3. adnot. 2. num. 1. & ſeqq. & adn. 3. num. 1.

19. *Vade in pace.* Beda: *In pace autem abire præcipitur, vt à veritatis itinere in viam ſcandali vlterius non deriuetur.* Sanè niſi à peccati occaſionibus declinaueris, animæ pacem inuenire non poteris. cap. 2. verſ. 12. adn. 10. n. 4. & ſeqq. & cap. 3 verſ. 12. adn. 1.

Feria ſexta

Collegerunt ergo Pontifices, & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum, &c. Mira ſunt Regij Pſaltis ad Deum verba, Pſal. 34. 1. *Iudica, Domine, nocentes me: expugna impugnantes me: apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi: effunde frameam:* (ſiue, vt alij legunt, *denuda*, *expedi lanceam,*) *& conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me.* Quis enim tantam belli pompam, & militarem apparatum, arma, ſcutum, frameam, lanceam, hancque nudatam, & expolitam à Deo, in Dauidis protectionem parari non miretur? Quid Deo tot armis, vt Dauidem defendat, opus fuerit? Aut, quò hæ tam accuratæ, & emphaticæ locutiones iuerint? Audi Saluianum Maſſilienſem lib. 2. de prouidentia, ad finem: *Vides, inquit, hoc loco non futuri examinis ſeueritatem, ſed cenſuram præſentis iudicij poſtulari. Hoc eſt enim illud, quod ait:* Apprehende ſcutum, & corripe gladium. *Scutum quidem ad protectionem, gladium ad vltionem. Non, quia indigeat Deus egeat apparatu; ſed, quia in hoc ſæculo hæc terribilium rerum nomina, terribilium iudiciorum ſunt inſtrumenta, ad humanam intelligentiam humanarum rerum ſignificationibus loquens.* Sed qui, quæſo, fuerunt hi tam exitiales, tam terribiles, atque metuendi Dauidis hoſtes, vt Dei ſcutum, & arma, ſummámque ipſius potentiam flammantem, & excandeſcentem ipſis opponere neceſſe ſit? Vis noſſe? Adi Pagninum, pro illis verbis, *Iudica nocentes me*, ex Hebræo reponentem, *Iudica, Domine, Iudices meos.* vt innuatur, togatos hoſtes, prætextu iuſtitiæ in aliquem irruentes, multò grauius, & periculoſius bellum, quàm armatorum militum phalanges ei inferre; nec humanas vires ad repugnandum ſufficere, ſed Dei armis, ac præſidiis opus eſſe. cap. 2. verſ. 15. adnot. 10. num. 12. 1.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? 2.
Cùm ſemper fuerint Chriſto infenſi, ſemper cædem ipſius anhelantes, modò ſignatè ſe ipſos, tanquam pigros, & negligentes, accuſant, quòd necem iam illi non intulerint. Similéſne piorum voces, ſe ipſos reprehendentium, quòd ardenter Deum non dilexerint, eáque de re conſilium, & conſultationem inſtituentium, aliquando audiſti? Sunt quippe filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis. cap. 2. verſ. 15. in expoſitione, num. 12. & ſeqq.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Interrogationi facilè reſpondeas: Si multa ſigna, hoc 3.
eſt, multa vobis beneficia confert, in eum credite, debitáſque ipſi gratias perſoluite. At alia ipſis mens eſt, mala, ſcilicet, pro bonis reddere, & Dei beneficiis contra ipſum pugnare: nec longiùs ab hac cogitatione iuerint, qui temporalibus bonis, quæ à Deo acceperunt abutentes, in luxum, & peccata conſumunt. cap. 2. verſ. 27. adnot. 1. num. 7.

Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. Anteà, vel violati Sabbathi, vel ſacrilegij in Deum velamentum obtendebant, vt aduersùs Chriſtum iure agerent: iam verò ingentes in peccatis progreſſus facientes, nihil tale comminiſcuntur; nec ſaltem cauſam reddunt, quòd ab ipſo publicè arguantur: ſed in ipſammet virtutem impudenter irruentes, aperto capite peccare audent. cap. 3. verſ. 18. adnot. 3. 4.

Quid facimus? Quanto impetu cauſam Chriſti 5.
iudicant, imò proculcant; nulla mora, nullo iuris ordine ſeruato, nulla Iudicibus facultate deliberandi facta? Sic dixit Tertullianus in Apologetico, cap. 22. *Violentia ſuffragiorum in crucem actus.* Quid

 verò

verò frequentiùs, quàm in pauperem, & tenuem hæc iudicia exerceri? *Si videris calumniam egenorum, & violenta iudicia, non mireris.* Eccles. 3.7. cap. 2.vers. 26 adnotatione 1. num. 8. *Venatio Leonis, onager in eremo: sic pascua diuitum, pauper.*

6. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani.* Benè Maldonatus. Quid vobis id curæ est? nam, si est Christus, vt miracula, quæ experimini, ostendunt; credere omnes in eum omninò debetis, etiamsi eam ob causam venturi sint Romani, & gentem, ac locum sublaturi: non enim temporalia spiritualibus præferenda sunt; sed potiùs temporalibus ad spiritualia, & cœlestia comparanda vtendum est. cap. 2. vers. 15. adnotatione 2. num. 7. & 8. & vers. 27. adnotatione 1. n. 3. & seqq.

7. *Venient Romani.* Stultissima ratiocinatio, & à pietate alienissima. Nam, si Christus signis, & miraculis suis Romæ iram incendere potest, cur etiam non valebit extinguere? Qui Lazarum è mortuis ad vitam reuocauit, nónne viuos opprimere, siue interficere poterit? cùm multò sit facilius vitam eripere, quàm restituere. Ergo insani isti, Christum potentem ad irritandos hostes, imbellem, & inermem ad eos superandos considerant. Nec multò aliter nobis euenit, qui pro Deo, & pro virtute periclitari nescimus. Nam, quid aliud fuerit, ad Principum, & potentum gustum, contempta virtute, & iustitia, loqui, ne in illorum indignationem incidam; siue pœnitentiam, & virtutem refugere, quasi rem tristem, & acerbam, quæ omnem mihi lætitiam ablatura sit; aut indigentibus eleemosynas denegare, ne mihi necessaria non suppetant; quàm Deum ad mundi iram in nos armandam, & incitandam; non verò ad illam comprimendam, salutémque, lætitiam, & quidquid nobis opus fuerit afferendum, potentem considerare? Vide cap. 2. vers. 19. num. 7. & seqq.

8. *Venient Romani.* Ne ergo veniant, occidamus Christum, animæ negotium despiciamus. O falsos, imprudentésque politicos, in animæ, & sæculi conflictu sæcularia spiritualibus præponentes! fiet enim inde, vt ipsamet idola, quæ suspicitis; ipsimet Romani, quos adoratis, vos omninò perdant. cap. 3. vers. 8. adnotatione 6. num. 4. *In similitudinem vituli erit vitulus Samariæ.*

9. *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* Prophetantésne, an iudicium in se ipsos ferentes hæc dixerunt? Debebatur quidem hæc pœna ipsisimet cogitationibus, atque consiliis, quibus necem Domino moliebantur, ideò iustissimam illi in se ipsos sententiam conscripsêre. Ita in arundinem, quam Domino in manu, passionis tempore posuerunt, pulchrè considerauit Chrysostomus, calamum ab ipsismet Domino oblatum, ad sententiam in illosmet conscribendam. Sic enim illo ser. in S. Pascha, tom. 6. *Dederunt ipsi insuper calamum in manu, vt peccata eorum conscriberentur.* Non ergo, quòd homines in Christum essent credituri, aut quòd ipse felix & incolumis esset euasurus; sed quòd à vobis iniquo consilio de medio sublatus est, venêre Romani, & tulerunt locum vestrum, & gentem: *A sanguine enim humano ferrum vlciscitur.* cap. 2. vers. 27. adnot. 1. num. 13.

10. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Preme verbum, *expedit*, quod vtile, bonum, ac necessarium esse significat: vt videris, simúlque mireris, quas tenebras prauus affectus menti offundat, quæ ipsi Deo vitam auferre expediens, & honestum iudicat. Tanti refert purgatum ab affectionibus animum ad iudicandum afferre. cap. 3 vers. 10. adnotatione 1. num. 8.

Expedit vobis, vt vnus moriatur homo. Potéstne expediens, vtiléque videri, Deum è medio tollere? Non opinor. At, cùm fixis oculis in concupitam rem carnalis homo intuetur, quoduis damnum, expediens, & vtile reputabit. Caue ergo, ne eorum amore, quæ Dei lege prohibentur, capiaris: is enim turpia, & maximè noxia, pulchra tibi, & vtilia persuadebit. Nónne, cùm lethale peccatum committis, æternæ damnationis onus in te suscipis? Quid ergo in causa fuerit, quòd tantum discrimen subire velis? Equidem, quòd præsens voluptas tuam sibi cogitationem quasi trabali clauo confixam habeat, nec ad id, quod omninò proficuum, & salutare est, te sinat attendere. Sic de Esaü ad præsentem escam aspiciente dixit Moyses: *Paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Genes. 25. 33. *Ne intuearis ergo vinum, quando flauescit.* cap. 4. vers. 8. adnotatione 3. num. 5. 11.

Hoc autem à se ipso non dixit: sed, cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit. Vide, quæso, quem (vt ita dixerim) honorem, ac reuerentiam ministris suis Deus exhibeat: Etenim Caïphæ, improbi quidem, ac indurati, verba non solùm tanto Sacramento inseruire voluit; sed illa ita direxit, & quasi habenis gubernauit, atque cohibuit, vt quamuis ab inuidia, & odio proficiscerentur; à veritate tamen nec latum vnguem deflexerint. Animum certè Caïphæ non regebat Dominus: labia verò ipsius, quia Pontificis erant, signatè moderabatur: ideò eius verba Ioannes, non secùs, ac si Isaiæ, alteriúsve Vatis essent, pensiculatiùs explicuit, & illorum interpres esse voluit. Ergo, si Dominus ministrorum suorum odia, peruersáque consilia tam accuratè in bonum dirigit, quomodo non etiam bonam ipsorum mentem, & sincerum animum in subditorum salutem, & vtilitatem non gubernabit? Disce igitur Prælatis promptè, perfectéque obedire, tuúmque iudicium illorum iussis submittere. cap. 2. vers. 14. adnot. 1. tota, præsertim num. 11. 12.

Sabbatho.

Cogitauerunt Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Fœda quidem in priuato tam atrox cogitatio: at in Principibus turpissima, quòd ab ipsorum natura, & conditione omninò abhorreat, cùm ipsi ad subditos protegendos, opemque, & vitam illis ferendam nati sint. cap. 2. vers. 26. adnotatione 1. & vers. 30. adnotatione 1. 1.

Vt & Lazarum interficerent. Stultissima cogitatio, quasi qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum: vt inquit Augustinus. Et, si aduertis, hæc non quicunque è plebe, indocti, aut insipientes homines; sed sapientiores, & in lege doctissimi cogitabant. Vt videas, quàm potentes ad obcæcandam mentem turbulentæ animi affectiones sint. cap. 3. vers. 10. adnotatione 1. num. 10. 2.

Vt & Lazarum interficerent. Insani, qui non modò cum Dei potentia; sed etiam cum ipsius bonitate contendere, & certare vultis: num vos ad malum valentiores eritis, quàm ipse ad benefaciendum potens, ac procliuis est? Itáne ipse beneficia sua deserere, & non potiùs perficere, & geminare solet? Certè vel eo ipso, quòd Lazarum suscitarit, eum tueri, ac protegere non desinet. cap. 2. vers. 13. adnot. 3. & 4. 3.

Quia multi propter illum abibant ex Iudæis. Vide 4.
boni

boni exempli vim, atque efficacitatem: vnus Lazarus ad vitam excitatus, perfectæ, scilicet, pœnitentiæ typum gerens, multos ad Christum in odorem vnguentorum suorum currentes post se trahit. c.1.vers.16.adnot.2.num.4.& seqq.

5. *Acceperunt ramos palmarum.* Vide Dom. seq. n. 6.& seqq.

6. *Nisi granum frumenti mortuum fuerit*,&c. Quippe seminatur in corruptione, surget in gloria:vnde, vt à seminatione fructus, & messis; ita à laboribus gloriæ pondus oritur:vt hinc non obscurè,tanquàm à criticis diebus,de morte,siue de vita possis coniectare.cap.3.vers.11.adnot.1.

7. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Chrysostomus ad hæc verba: *Dulcis præsens vita est, & multa plena voluptatis; non tamen omnibus, sed qui terrenis rebus sunt affixi. Quòd si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet.*cap.3.vers.8.adnotat.10.tota.

8. *Si quis mihi ministrat, me sequatur.* Vt, videlicet, consequi possit: nam eum,qui indesinenter ambulat,minimè assequetur domi stans,aut sedens. Curandum ergo,Christum sequi,& nouos quotidie in virtute progressus facere. cap.3.vers. 12. in exposit. num.8.& seqq.

9. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Opportunè Chrysostomus: *Cùm grauia dixisset, præmium ponit:* vt ab eo,videlicet, ad labores impigrè suscipiendos allicerentur. cap.3.vers.12.adnot.3.

10. *Clarifica nomen tuum.* Chrysostomus: *Hoc est, duc me in crucem.* Sanè,quia in cruce,tam Christi,quàm Patris gloria mirabiliter illuxit:tum,quòd,tanquàm bonus pastor, animam suam pro ouibus suis dederit.cap.2.vers.30.adnotat. 1.n. 2.tum etiam, quòd ibi inimicis veniam dederit, & pro ipsis Patrem exorauerit.cap.2.vers.15.adnot.3.

11. *Turba dicebat, tonitruum factum esse.* Cœlestia & diuina,humana & terrena iudicantes, & quæ ipsis dubia erant, in peiorem partem detorquentes. cap. 2.vers.15.adnotat.9.num.8.& seqq.

12. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Ergo indesinenter ambulare,& bonis operibus studere,necesse est:quia,vt rectè argumentatur Bernardus serm.49. in Cant. *Non ambulantem, sed sedentem, à mortis tenebris comprehendi, periculum est.*cap.2.vers.12.adnot.7.num.10.

Dominica in Palmis.

1. *INuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea*,&c. Hieronymus: *Alligata erat asina multis vinculis peccatorum.* Quid enim fuerit cupiditatibus inseruire,nisi arctissimis vinculis,laqueisque illigari?cap. 3.vers.8.adnot.6.num.5.

2. *Et pullum cum ea.* Ambrosius orat.in Auxent. *Pullum sibi asinæ Saluator per Apostolos iussit adduci*,&c. *quòd grauem sarcinam portare consueuit, sicut est humana conditio,cui dicitur: Venite ad me, omnes, qui laboratis,& onerati estis,& ego reficiam vos.* Ergo terrena bona pondus sunt, non subsidium. cap. 3. vers. 8. adnot. 5. tormentum & supplicium. adnotatione 7.

3. *Soluite, & adducite mihi.* Ambrosius in Lucam: *Soluit eum manus apostolica.* Soluit quidem eum;non tamen retinet sibi, sed Deo soluit. cap. 2. vers. 21. adnot.1.num.9.

4. *Dominus his opus habet.* Mirum omninò, Dominum alligatis iumentis opus habere. At peccata nostra,si pœnitentia corrigantur,in gloriam Dei cedunt.cap.2.vers.15 adnot.5.num.3.

5. *Dominus his opus habet.* Opus tibi à peccatis soluto etiam est,vt hæc Domini verba officium tuum desiderantis ob oculos habeas;ac inde denuò te illigatum ad ipsi inseruiendum debes agnoscere.Benè Bernardus ad hæc verba: *Persuasum tenet, placere ei, quod agit; & consolatur in eo, quòd sibi eum quodammodo se facere reputet debitorem, sæpiùs memorans, quia* Dominus his opus habet. *Nam processu temporis in eo magis efficietur,vt suo soliciterur debito, & timeat, ne fortè tantis beneficiis inueniatur ingratus, dicens: quia seruus inutilis sum, & bonorum meorum non eges.* cap.2.vers.12.adn.2.num.2.

Dicite, filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi. Preme regij muneris naturam,pronomine,*tibi*, expressam. Nimirum, Rex,non coqui,sibi cibos ex gregibus parantis;sed pastoris, ouium commoditatem, 6.
& salutem procurantis,personam gerit.cap.2.vers. 30.adnot.1.num.2.

Dicite, filiæ Sion. Apud Ioannem habetur: *Noli timere, filia Sion.* Vt sensus fuerit, Ecclesiam,quę iam 7.
filiæ,non seruæ,conditionem adepta est,non timore, sed amore ducendam, vt Dei obsequio inhæreat. cap.3.vers.3.in exposit.n.10.& adnot.3.

Fecerunt, sicut præcepit illis IESVS. Apud Lucam habetur: *Dixerunt domini eius ad illos: Quid* 8.
soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet. Ad quæ verba Ambrosius sic ait: *Illi ergo directi, cùm soluerent pullum, nunquid suis verbis vsi sunt? Minimè: sed dixerunt, sicut dixerat illis* IESVS. *Vt agnoscas, quòd non suo sermone, sed Dei verbo; nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infudère gentilibus.* Non ergo propria inuenta, nec nouas & excultas voces euangelicus Concionator adamare; sed sensa, & voces Christi exprimere debet.c.3.vers.2.adnot.5.n.3.

At illi dixerunt: quia Dominus eum necessarium habet. Vnus eis sermo, vna lingua, vnus omninò 9.
spiritus, tanquam Dei ministris inest. cap. 2. vers. 19.adnor.2.

Et imposuerunt super eos vestimenta sua. Ambrosius indidem: *In Scripturis diuinis plerunque vesti-* 10.
menta virtutes sunt: vt argumento sit, *Saluatorem, seu salutem* (sic Bernardus serm.27.in Cant.) *nequaquam insidere nudæ animæ, quam non, videlicet, vestitam inuenerit doctrina, & moribus Apostolorum.* Ergo non satis est à peccatorum nexibus solui,nisi etiam virtutibus studeas.cap.2.vers.12.adnot.7.

Et eum desuper sedere fecerunt. Sedit ergo Domi- 11.
nus tanquam Rex, regiáque pompa, & comitatu processit,qui aliquando ad regnum quæsitus, fugit in montem. *Decebat, nempe, Pontificem nostrum* (inquit Bernardus serm. 3. Dominicæ in Palmis,) *tentari per omnia, pro similitudine, absque peccato, vt tanquam verus homo, & prospera hominum, & aduersa opportunè vitaret.* cap.4.vers.12.adnot. 1.tota,præcipuè num.6.

Et eum desuper sedere fecerunt. Iam verò, cùm 12.
Dominus, & ad prosperitatem moderatissimè ducendam,& gubernandam;& ad aduersitatem fortiter ferendam sese in exemplar proposuerit,obserua ad aduersitatem,& labores sponte, & per proprios pedes cucurrisse;prosperitatem verò non nisi reluctantem,& inuitum suscepisse: id enim hæc significant, *sedere fecerunt:* vt, quamuis nullum ipsi à prospera fortuna esset periculum; nobis tamen documento esset, acrioribus ipsam stimulis hominum animos explorare,ideò non leuiter timendam esse. cap.4.vers.12.adnot.2.

Desuper sedere fecerunt. Opportunè Bernardus 13.
sermone 3. in Dominicam in Ramis Palmarum: *Quàm modestè tamen hanc ipsam videtur gloriam suscepisse, ad triumphalem occursum in asino veniens,* non

non in curribus, aut equis. Sanè id à prudente optima exigit ratio, vt fastigia dirigat, ac moderetur; & fortunæ ferenti vela non committat, imò frænum iniiciat, ipsamque cohibeat. cap. 3. vers. 8. adnotat. 4. num. 10.

14. *Desuper sedere fecerunt.* Sapienter, ac deuotè idem Bernardus sermone in Psalmum 90. cùm dixisset: *Quis enim non illi iumento plurimùm inuideret, cuius in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Saluator, si cum illius tam pretiosi oneris gestatione, intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris?* Post nónulla subdit: *Cæterùm, inde ei verendum nullatenus videbatur, ne sub illa carnis sarcina deficere posset in via. An verò timendus ei, aut luporum incursus, aut raptorum occursus, vel præcipitium, seu periculum aliquod sub tanto Præside metuendum? Felix, qui sic tulerit Christum, vt à Sancto Sanctorum in sanctam ciuitatem mereatur induci.* Quò hæc iuerint, nisi vt cū Dauide dixeris, quod inibi monet Bernardus: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum:* nimirum, vt & Deo firmiter fidas, & ab eo, quidquid tibi vtile futurum est, speres, necnon vt tam ipsi, quàm tuis Prælatis omninò subiiciaris. De primo vide cap. 2. vers. 19. adnot. 1. & cap. 2. vers. 14. adnot. 2.

15. *Cædebant ramos de arboribus.* Ioannes habet: *Acceperunt ramos palmarum.* Quæ verba Ambros. lib. 9. in Lucam, legit: *Acceperunt sibi medullas palmarum.* Vbi, cùm palma victoriam de peccatis reportatam significet, inibi dicente Ambros. *Et ideo adueniante Christo, erigebantur iam supra humeros hominum vexilla iustitiæ, & insignia triumphorum.* Quæsita locutione dicitur discipulos Christi accepisse sibi medullas palmarum, quòd non externam pœnitentiæ effigiem, siue laruam; sed veram conuersionem, id est, interiorem cordis mactationem, qua peccata funditùs delentur, susceperint. cap. 3. vers. 10. adnot. 3. tota, præsertim num. 6. & 7.

Cædebant ramos de arboribus. Non dubium, quin de arboribus oliuarum, quibus mons Oliueti consitus erat, ramos etiam gestarent, vt eam Domino pararent viam, quæ ipsi gratissima est, misericordia, scilicet, & eleemosynis, velut laqueis pedibus Domini in via positis ad ipsum capiendum. cap. 2. vers. 12. adnot. 9. n. 6. 16.

Clamabant dicentes: Hosanna filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Pende gloriosissimi huius triumphi, ac festiuissimæ lætitiæ exitum, atque finem, ignominiosissimam, nimirum, passionem, & acerbissimam mortem paulò pòst Domino illatam: vt videris, quàm ephimera, & momentanea sæculi gloria, atque lætitia sit. *Quis ergo sperare iam debeat*, inquit Bernardus sermone 1. Dominicæ in Ramis Palmarum, *in incertum gloriæ temporalis, cùm videat in ipso quoque, qui peccatum non fecit, Creatore temporum, & conditore vniuersitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominùs humiliationem sequi? In eadem enim ciuitate à plebe eadem, & eodem tempore, nunc quidem processionis gloria, & diuinis est laudibus honoratus: postmodum verò interrogatus, contumeliis, & tormento, & cùm sceleratis deputatus. Hic est transitoriæ finis lætitiæ: hic fructus gloriæ temporalis.* cap. 3. vers. 8. adnot. 3. tota, & adnot. 4. 17.

Pro feria quinta in Cœna Domini.

Vide cap. 2. vers. 15. adnotat. 3. tota.

FINIS.

IN

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES COMMENTARII.

CAPVT SECVNDVM.

Verſ. 12. *Itaque chariſſimi mei (ſicut ſemper obediſtis:) non vt in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.*

1. NECTIT his ſuperiora, vt ex Chriſti obedientia, & morte pro Patris gloria, & ſui nominis claritate ſuſcepta, diſcipulos ad perſimilem, quoad fieri poſſit obedientiam Deo exhibendam vrgeat, vt Chriſtum ſequentes aſſequantur: *Chriſtus*, (inquit Anſelmus) *vt præmiſſum eſt, ſe humiliauit obediendo vſque ad mortem, & propterea exaltatus eſt. Itaque & vos (chariſſimi mei) exemplo eius humiliate vos, obedientes Deo, vt & vos ſimiliter ex altari veſtro modo mereamini.* Anſelmus.

Sicut ſemper obediſtis.

2. Chryſoſt. CHryſoſtomus: *Admonitiones laudationibus temperandæ ſunt. Nam hoc modo in bonam partem accipiuntur; cùm eos, quos monemus, ad ſuam ipſorum imitationem prouocamus, quod nunc etiam Paulus fecit. Attende autem qua ratione, & quàm prudenter.* Itaque chariſſimi mei inquit. *Non hoc nudè, atque abſolutè dixit, obedite: ſed poſtquam illos laudauit, atque ea verba præmiſit*: ſicut ſemper obediſtis. *id eſt hortor, atque obſecro vos, vt imitemini non alios, ſed vos ipſos.* ſimiliter Theophyl. *Cum laude ſunt caſtigationes inferendæ, ne nimis inceſſant: ſic facile admittentur: idcirco hos laudat Paulus chariſſimos nuncupans, & beneuolos.* Theoph.

Non vt in præſentia mei tantùm, ſed multò magis nunc in abſentia mea.

3. NEc in Græca aut Syriaca lectione, nec apud veterum Patres inuenitur particula illa, *vt*, ſed ſimpliciter habetur; *non in præſentia mei tantùm*: vnde quando à Vulgato, qui (vt ſapienter obſeruauit Mart. Delrius in cap. 39. Geneſ. verſ. 5.) multa ſolet præterire verba, quæ in fonte ſunt, cùm nihil ſubeſt myſterij, ſed ad nudum idiotiſmum natiuæ linguæ ſpectant, de induſtria eſt ſuperaddita; emphaſi eatere, credendum non videtur. Id dum vidit Cornelius, hæc ſic effert, ac ſi dicat: Non tantùm bene operamini dum præſens ſum, *vt*: id eſt, tanquam me præſentem, & præſentiam meam reuereamini, vti ſolent diſcipuli præſente magiſtro diligenter ſtudere. Quibus bene concinunt, quæ ſequuntur; *ſed multò magis nunc in abſentia mea*. à Chryſoſt. ſic acutè expenſa: *Cur multò magis in abſentia mea? Cur? tunc quidem fortaſſe videbimini omnia facere pro veſtra in me reuerentia, quódque mihi honorem haberetis: nunc verò non ita. Quod ſi nunc maiorem etiam animi contentionem, ac diligentiam oſtenderitis: illud ſimul conſtabit, tunc quoque Dei cauſa, non mea vos adductos eſſe.* Vnde non omnino abs re dixeris ſimile his verbis tegi à Paulo monitum; licèt pro perſonarum dignitate ſubobſcuriùs, & magna comitate & vrbanitate datum, ac in epiſt. ad Epheſ. cap. 6. 6. *Serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore, &c. non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes*: vt nimirum Philippenſes bene operari, omnino Dei charitate, non alio quouis extrinſeco reſpectu ducti, moneat: quaſi dum Paulus præſens eſſet; eius non tam præſentiæ, quàm charitati, à qua omnis actio, omnis conatus debet procedere, tantiſper deferrent. dixit autem veriſſimè Auguſtinus in Enchirid. cap. 121. *Omnia præcepta diuina referuntur ad charitatem; omnis itaque præcepti finis eſt charitas, id eſt ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, vt non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus ſanctus in cordibus noſtris, nondum fit quemadmodum fieri oportet.* Sic ille. Cornelius. Chryſoſt. Ad Eph. 6. 6. Auguſt.

Ab hac tamen interpretandi ratione longiùs diſcedere videntur Theodor. & Theophil. dum hæc verba non tam ad exhortationem, quàm ad laudem Philippenſium referunt; ea opinor de cauſa, quod ea verba, *ſicut ſemper obediſtis*, nolint parentheſi claudere, ſed in ſequentia deriuare. 4. Theodor. Theophil.

sic enim Theodoret. *Hoc, inquit, vobis exemplar proponentes in mea absentia maius studium pro vestra salute adhibuistis. Hoc enim bonum vestrum scopum, & institutum ostendit, quod non propter doctoris gratiam, sed propter vestram ad ea, qua honesta sunt, animi alacritatem, laude dignos labores suscepistis.* Nec multò aliter Theophylact. (Theoph.) *Tanquam id dicat: Dei Filius Patri obsequentior fuit, hunc imitamini & vos insuper, quibus obtemperare maioribus perfacile fuit non in præsentia mei tantum, &c. Si enim me adstante id egissetis, mei forsan verecundia decenti, paruisse mox videremini. Nunc verò cum me vel absente virtuti intenditis, & quæ vobis præsens iniunxeram, tam libenti animo exequamini, profectò ostenditis, non mei hac gratia, sed Dei vos omnia factitare.* Arguté hæc dicuntur; sed cum vulgati lectione & serie, non faciunt, vt consideranti patebit.

Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.

5. QVo ex loco aduersùs hæreticos Catholica dogmata statuuntur: nam primum dum ait Paulus, *vestram salutem operamini*, dilucidè ostendit bona opera, quæ à nobis Dei adiutorio fiunt, salutem, ac vitam æternam promereri. Quid enim aliud fuerit? *vestram salutem operamini:* ignoramus vos quidem ipsas voces, siue etiam prima elementa, aut nouatores in meridiana luce cæcutiunt, turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Deinde illis verbis, *cum metu & tremore*, clarè euertit Apostolus vanam salutis securitatem, quam aduersùs prudens monitum: *Non glorietur accinctus æquè, ac discinctus*, sibi etiam confingunt hæretici inde sese inaniter, & perniciosè palpantes, quasi beatitudinis coronam extra telorum iactum iam habeant, nihilque illis supersit, quàm cutem curare, genióque indulgere, & bacchanalia largissimè bibere. Quid enim omnimodæ securitati, blandissimo odio, ignauísque delitiis fortius obsistat, quàm metus, & tremor? qui timoris (vt inquit Chrysostomus) (Chrysost.) incrementum est. At enim verò si nosse velis: cur timorem omni rei pernecessarium (vt idem Chrysostomus probat) tam facile hi excusserint; scito causam esse, quòd pudor, & metus semper cõiunctissimi sint: ita quidem apud Diogeneanum (Diogen.) Centur. 5. adagio 30. prouerbio celebratur, *vbi metus, vbi pudor*: voluerunt quidem illi pudorem abiicere, ideo vt ordinatè procederent, metum priùs deponere statuerunt: euenit verò illis idem atque Tiberio principi, de quo Cornel. Tacit. (Corn. Tacit.) lib. 6. Annal. *Postremò in scelera simul, ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore, & metu suo tantum ingenio vtebatur.*

Iam verò hæc Pauli sententia, vt omnes interpretes obseruant, eadem est cum illa Psalm. 2. 11. (Psalm. 2. 11.) *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, æquè enim vtrobique commonemur, ne quamuis probè, & laudabiliter aliquandiu vixerimus, æternam salutem securè, & sine nouo labore nobis polliceamur, immo verò in Dei obsequium accuratissimum studium, eámque sollicitudinem ac vigilantiam, quam timor, & tremor pariunt, indesinenter adhibeamus. In quam sentétiam alibi expendi Græcum (Græca lect.) verbum κατεργάζεσθε, pro quo noster posuit *operamini*: cuius significatio atque vis, eos etiam, qui per longum tempus Deo diligentissimè inseruierunt, atque ea omnia, quæ ad ipsius obsequium pertinent, fideliter pertractarunt, peculiariter pungit; quàm propriissimè enim verteris, peragite, perficite vsque in finem: siue cum Chrysostomo & Theophyl. (Chrysost. Theoph.) *pergite cum multa sollicitudine & diligentia.* ac si dicat: nec enim sufficit, certo quodam tempore, quantumuis adfuerit diuturnum, ad virtutum ac Dei cultum neruos contendisse, nisi ad finem vsque vitæ remum ducatis: cum qua Græci verbi significatione mirè concinit in simili Dauidis sententia illud, *nequando*: quod satis ostendit non modò dubiam, atque aleæ plenam, hanc rem, sed eiusmodi etiam esse, quæ ictu oculi possit amitti: sunt pleræque similes Pauli sententiæ, vt ad Roman. 11. 20. *Fide stas, noli altum sapere, sed time.* (Ad Rom. 11. 20.) & 1. ad Corinth 10. 12. (1. ad Cor. 10. 12.) *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* in quæ verba Chrysost. (Chrysost.) *Etiam si stes, videas ne cadas; hic enim stare, non est firmiter stare: donec fuerimus liberati a fluctibus vitæ præsentis, & ad tranquillum portum nauigauerimus.* Similiter Bernard. (Bernard.) sermone 1. in Septuagesima: *Hoc est, vnde sollicitì, & in timore, & tremore humiliemur, necesse est, sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus, nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus impossibile est.* Itaque qui stat, videat, ne cadat. sic Bernard.

Sed cur hac phrasi metuendi, atque tremendi vsus est Paulus? num vt discipulis spiritum seruitutis, seruilem scilicet timorem quo velut mancipia, quæ sæuos, furentésque Dominos deterrita semper expauescunt, Domino obsequantur? 6.
Apage nihil fuerit à Pauli sensu magis alienum, qui alibi dixit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba Pater*, ad Roman. 8. 15. (Ad Rom. 8. 15.) & 2. ad Timoth. 17. (2. ad Tim. 17.) *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris:* vnde Hilarius ad præfata verba Psalm. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, sapienter ait: *Ac ne tyrannici terroris hic metus esse fidelium crederetur, ad id quod dixerat*, seruite Domino in timore; *adiecit*, & exultate ei: *vt seruitutis, gaudij exultatio temperaret; cum ipse timor causam lætitiæ per conscientiam seruitij fidelis afferret.* Ergo metum hunc, atque tremorem Prosper epist. 84. inter epist. Ambrosij necnon Anselm. in commentario eò in primis retulerunt, vt fideles de egregiis virtutum actionibus minimè gloriarentur, sed illis quidem sic incumberent, vt in metu, & tremore continuò versarentur, ne aliqua ab ipsis inanis gloriæ, ac superbiæ macula adhæreret. sic enim Prosper, (Prosper.) *Vigilantentatoris instatia, vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio; & vt homo de bono opere in se potius, quam in Domino glorietur; sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicentis*, cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere. *Quanto ergo in mandatis Dei quippe perficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris: ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Hæc Prosper. quibus insistens Anselmus (Anselm.) ait: *Quando iubet vt operentur, liberum eorum conuenit arbitrium. Sed ideo* cum timore, & tremore, *ne sibi tribuendo, quod bene operentur, de bonis, tanquam suis extollantur operibus.* Sic ille.

7. Pulchrum quidem monitum; *Ne anima fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute*; egregiúsque ac iustus timor, *Ne ipsis operibus pietatis elati*

Leo Magn. elati (sic Leo serm. 8. de Epiphania) deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Sanè animam, quam priùs vt sponsam pulcherrimam, sibique vt viro suo vndique ornatam & comptam maximè commendauerat; postea vt immundam vanitate sic increpabat Dominus Ezechiel. 16. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo*; siue vt Hebraicè, & apud LXX. habetur, *fidisti pulchritudini tuæ*. hoc est, clara tibi visa es virtute: ideo maculatam, & immundam te ipsam reddidisti. Ita ibi Hieronym.

Ezech.16.15.

Hieronym. *Grande discrimen, non in Dei clementia, sed in suo decore confidere, quantóque quis sublimior fuerit, debet timere, ne corruat, & fornicetur in nomine suo. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem, nostram putemus esse virtutem sed potiùs audiamus.* Ne glorieris in crastinum: nescis enim, quid superuentura pariat dies, Prouerb. 27. 1. Ita Hieron: optimè verò in eandem sententiam Prosper citato loco: cùm adduxisset ea Pauli verba 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem non habuero*, nihil mihi prodest: necnon & quæ sequuntur, *Charitas non inflatur, non est ambitiosa*, &c. hæc subiicit: *Inflatio ergo & ambitio, & propriorum bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria, si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sua supplicia non ea fortitudine, quam Deus tribuit sed ea, quam de se præsumpsit, excipiat.* Hæc & alia Prosper.

Prou.27.1.

Prosper.

Pharisæis equidem de Christi in peccatores benignitate & humanitate mussantibus atque murmurantibus opportuna sententia sic ipse occurrit: *Non veni vocare iustos sed peccatores*. Matth. 9. 13. In quæ verba iure ambigas ex Ambros. lib. 5. in Lucam. *Quomodo igitur Dominus iustitias dilexit? Nec Dauid vidit iustum derelictum. Aut quæ illa æquitas, si iustus relinquitur, peccator asciscitur?* sed si ad mentem Christi attendis, aculeus his verbis inest, quo Pharisæos de præsumpta iustitia gloriantes compungat, non enim veros iustos negligere aut non vocasse; qui nisi ab eo vocarentur, iusti esse non possent; sed arrogantes, & sibi ipsis iustitiam tribuentes prætermittere voluit, vt indidem Ambrosius hunc in modum obseruat. *Sed non Iudæi iusti, quibus dicitur, cum videritis iustos intrare regnum cœlorum. &c. si sic non accipimus, inuenitur contrarium.* Non veni vocare iustos. *Sed illos non vocat, qui se iustos dicunt. Ignorantes enim Deum, & suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ergo vsurpatores iustitiæ non vocantur ad gratiam.* Sic Ambros.

Matth. 9.13.

Ambros.

8. Hinc prima illa virtutis lex, quæ diuinæ virtuti atque iustitiæ omnia accepta, omnia superata certamina, omnes palmas, atque victorias refert. Quâ sanè de causa celebrem illum Gigantis ensem, quo ipsi puellulus Dauid caput animosè obtruncauit, non modò in Dei templum illatum, sed in ipsomet ephod, cui diuinum nomen erat inscriptum (vt ex Rabbi Salomone obseruat Xantes Pagninus) de industria obuolutum fuit; vide lib. 1. Regum cap. 21. 9. ne homini de prostrato hoste, sed Deo ascriberetur victoria, atque in eius nomen laudes referrentur; satis quidem ad ipsiusmet bellatoris gustum, qui tunc temporis immanissimam belluam aggrediens dicebat, *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, 1. Regum 17. 45. postea verò, suammet animam, quæ in Dei ob-

1.Reg.21.9.

1.Reg.17.45.

P. Amon. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

sequium indesinenter incumbens egregios in virtute profectus, & præclara ad Dei laudem facinora perficiebat, Dei frameam appellabat Psalm. 16. 14. inquiens: *Eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* vt nimirum totam rectè factorum laudem in Deum, qui docebat manus ipsius ad prælium, & digitos illius ad bellum, Psalm. 17. vers. 33. quique vt milles ensem, ita eum ducebat, acuebat, & de illo pugnabat, piè, & eleganter deriuaret; vnde alibi dicebat: *Deus meus, misericordia mea*, Psalm. 58. 18. Quæ sic dilucidè explicat Augustinus, *Attendens omnia bona, quæcumque habere possumus, siue in natura, siue in instituto, siue in ipsa conuersatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei, totum non esse, nisi ex illius bonis, ita conclusit*: Deus meus, misericordia mea: *non inuenit impetus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam.* & statim, *Quid est*, misericordia mea? *Si dicas salus mea, intelligo, quia dat salutem; si dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum; si dicas, fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem.* misericordia mea, *quid est? Totum quidquid sum de misericordia tua est.* Ita Augustinus.

Psal.16.14.

Psal.17.33.

Psal.58.18.
August.

Accinit Pontificis tiara, quæ vt capitis ornamentum, ita & laminam auream, in qua Dei nomen celatum erat, habebat superpositam, vt quidquid sanctitatis, virtutis atque sapientiæ in sacerdote conspiceretur, atque floreret; nomini Dei consecratum foret, & ad ipsius laudem, & gloriam, à quo bona cuncta proueniunt, vndequaque referretur. id ad hæc verba Exodi 28. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino*; sic annotante Venerab. Arnaldo Abbate tractat. de vltimis verbis Domini in Cruce ad finem: *Hæc tiara, quæ caput tegit, & ornat Pontificis, totámque eius pulchritudinem coronat, & protegit, omnes sensus capitis Deo indicat consecratos, & totam corporis gloriam debere ad caput referri. Totus enim bona mentis candor, & sapientiæ splendor, prædicationis gratia, munditiaque gloria, benignitas charitatis, & quæcumque sanctitatis insignia ab illo vniuersali capite veniunt, eo quòd totum corpus per connexiones, & subministrationes crescit, ac proficit, solidatur, ac perficitur.* Sic Arnaldus. 9.

Exod.28.36.

Arnald.

Amat nimirum Deus optimo merito magnóque nostro bono gloriam suam, & se vlli daturum negat, Isaiæ 42. 9. *Ego Dominus, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* hoc est, non patiar vt Domini creatoris, & conseruatoris rerum nomen mihi cum alio sit commune, nec tanto nomini respondentem gloriam alteri concedam, ac proinde non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, sed quidquid splendoris sibi accreuerit, vni mihi adscribendum putet. Ambiges fortasse, cur in egregio illo trium puerorum miraculo cum iussu Regis in fornacem immissi, illæsi, & splendidi inde euaserunt. Propheta Daniel, qui non minus ac illi Dei, pietatísque ardens amator extiterat, quique inibi aderat, ad insigne illud fidei certamen à Deo assumptus non fuerit. Num tanto oneri impar, siue tam eximia gloria indignus censebatur? minimè; cur ergo certaminis, coronæque particeps factus non est? sanè quòd cùm ab Ethnicis de Dei sui nomine Balthasar appellaretur; (sic enim Nabuchodonosor Danielis 4. 5. *Daniel, cui nomen Balthasar, secun* 10.

Isa.42.9.

Dan.3 14.

Dan.4.5.

sic enim Theodoret. *Hoc, inquit, vobis exemplar proponentes in mea absentia maius studium pro vestra salute adhibuistis. Hoc enim bonum vestrum scopum, & institutum ostendit, quod non propter doctoris gratiam, sed propter vestram ad ea, quæ honesta sunt, animi alacritatem, laude dignos labores suscepistis.* Nec multò aliter Theophylact. (Theoph.) *Tanquam id dicat: Dei Filius Patri obsequentior fuit, hunc imitamini & vos insuper, quibus obtemperare maioribus perfacile fuit non in præsentia mei tantum, &c. Si enim me adstante id egissetis, mei forsan verecundia decenti, paruisse mox videremini. Nunc verò cum me vel absente virtuti intenditis, & quæ vobis præsens iniunxeram, tam libenti animo exequamini, profectò ostenditis, non mei hac gratia, sed Dei vos omnia facitare.* Argutè hæc dicuntur; sed cum vulgati lectione & serie, non faciunt, vt consideranti patebit.

Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.

5. QVo ex loco aduersùs hæreticos Catholica dogmata statuuntur: nam primum dum ait Paulus, *vestram salutem operamini*, dilucidè ostendit bona opera, quæ à nobis Dei adiutorio fiunt, salutem, ac vitam æternam promereri. Quid enim aliud fuerit? *vestram salutem operamini*: ignoramus vos quidem ipsas voces, siue etiam prima elementa, aut nouatores in meridiana luce cæcutiunt, turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est. Deinde illis verbis, *cum metu & tremore*, clarè euertit Apostolus vanam salutis securitatem, quam aduersùs prudens monitum: *Non glorietur accinctus æque, ac discinctus*, sibi etiam confingunt hæretici inde sese inaniter, & perniciosè palpantes, quasi beatitudinis coronam extra telorum iactum iam habeant, nihilque illis supersit, quàm cutem curare, genióque indulgere, & bacchanalia largissimè bibere. Quid enim omnimodæ securitati, blandissimo odio, ignauísque delitiis fortius obsistat, quàm metus, & tremor? qui timoris (vt inquit (Chrysost.) Chrysostomus) incrementum est. At enim verò si nosse velis: cur timorem omni rei pernecessarium (vt idem Chrysostomus probat) tam facile hi excusserint; scito causam esse, quòd pudor, & metus semper cóniunctissimi sint: ita quidem apud (Diogen.) Diogeneanum Centur. 5. adagio 30. prouerbio celebratur, *vbi metus, vbi pudor*: voluerunt quidem illi pudorem abijcere, ideo vt ordinatè procederent, metum priùs deponere statuerunt: euenit verò illis idem atque Tiberio principi, de quo (Corn. Tacit.) Cornel. Tacit. lib. 6. Annal. *Postremò in scelera simul, ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore, & metu suo tantum ingenio vtebatur.*

Iam verò hæc Pauli sententia, vt omnes interpretes obseruant, eadem est cum illa Psalm. 2. 11. (Psalm. 2. 11.) *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, æquè enim vtrobique commonemur, ne quamuis probè, & laudabiliter aliquandiu vixerimus, æternam salutem securè, & sine nouo labore nobis polliceamur, immo verò in Dei obsequium accuratissimum studium, eámque sollicitudinem ac vigilantiam, quam timor, & tremor pariunt, indesinenter adhibeamus. In quam sentétiam alibi expendi (Græca lect.) Græcum verbum κατεργάζεσθε, pro quo noster posuit *operamini*: cuius significatio atque vis, eos etiam, qui per longum tempus Deo diligentissimè inseruierunt, atque ea omnia, quæ ad ipsius obsequium pertinent, fideliter pertractarunt, peculiariter pungit; quàm propriissimè enim verteris, peragite, perficite vsque in finem: siue cum Chrysostomo & Theophyl. (Chrysost. Theoph.) *pergite cum multa sollicitudine & diligentia.* ac si dicat: nec enim sufficit, certo quodam tempore, quantumuis adfuerit diuturnum, ad virtutum ac Dei cultum neruos contendisse, nisi ad finem vsque vitæ remum ducatis: cum qua Græci verbi significatione mirè concinit in simili Dauidis sententia illud, *ne quando*: quod satis ostendit non modò dubiam, atque aleæ plenam, hanc rem, sed eiusmodi etiam esse, quæ ictu oculi possit amitti: sunt pleræque similes Pauli sententiæ, vt ad Roman. 11. 20. (Ad Rom. 11. 20.) *Tu fide stas, noli altum sapere sed time.* & 1. ad Corinth. 10. 12. (1 ad Cor. 10. 12.) *Qui se existimat stare, videat, ne cadat.* in quæ verba Chrysost. (Chrysost.) *Etiam si stes, videas ne cadas; hic enim stare, non est firmiter stare: donec fuerimus liberati a fluctibus vitæ præsentis, & ad tranquillum portum nauigauerimus.* Similiter Bernard. sermone 1. (Bernard.) in Septuagesima: *Hoc est, vnde solliciti, & in timore, & tremore humiliemur, necesse est, sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus, nosse possumus vel ex parte: quales autem futuri sumus, id nosse penitus impossibile est.* Itaque qui stat, videat, ne cadat. sic Bernard.

Sed cur hac phrasi metuendi, atque tremendi vsus est Paulus? num vt discipulis spiritum seruitutis, seruilem scilicet timorem quo velut mancipia, quæ sæuos, furentésque Dominos deterrita semper expauescunt, Domino obsequantur? 6. Apage nihil fuerit à Pauli sensu magis alienum, qui alibi dixit: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus: Abba Pater*, ad Roman. 8. 15. & 2. ad Timoth. 17. (Ad Rom. 8. 15. 2. ad Tim. 17.) *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*: vnde Hilarius ad præfata verba Psalm. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, sapienter ait: *Ac ne tyrannici terroris hic metus esse fidelium crederetur, ad id quod dixerat*, seruite Domino in timore; *adiecit*, & exultate ei: *vt seruitutis gaudij exultatio temperaret; cum ipse timor causam lætitiæ per conscientiam seruitij fidelis afferret.* Ergo metum hunc, atque tremorem Prosper epist. 84. inter epist. Ambrosij necnon Anselm. in commentario eò in primis retulerunt, vt fideles de egregiis virtutum actionibus minimè gloriarentur, sed illis quidem sic incumberent, vt in metu, & tremore continuò versarentur, ne aliqua ab ipsis inanis gloriæ, ac superbiæ macula adhæreret. sic enim Prosper, (Prosper.) *Vigilant tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio; & vt homo de bono opere in se potiùs, quàm in Domino glorietur; sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet, dicentis*, cum metu, & tremore vestram salutem operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere. *Quanto ergo in mandatis Dei quippe perficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris: ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* Hæc Prosper. quibus insistens Anselmus ait: *Quando iubet vt operentur, liberum eorum conuenit arbitrium. Sed ideo* (Anselm.) cum timore, & tremore, *ne sibi tribuendo, quod bene operentur, de bonis, tanquam suis extollamur operibus.* Sic ille.

7. Pulchrum quidem monitum; *Ne anima fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute*; egregiúsque ac iustus timor, *Ne ipsis operibus pietatis* elati

Leo Magn. elati (*sic Leo serm. 8. de Epiphania*) *deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Sanè animam, quam priùs vt sponsam pulcherrimam, sibique vt viro suo vndique ornatam & comptam maximè commendauerat; postea vt immundam vanitate sic increpabat Dominus Ezechiel. 16. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in nomine tuo*; siue vt Hebraicè, & apud LXX. habetur, *fidisti pulchritudini tuæ.* hoc est, clara tibi visa es virtute: ideo maculatam, & immundam te ipsam reddidisti. Ita ibi Hieronym. *Grande discrimen, non in Dei clementia, sed in suo decore confidere, quantòque quis sublimior fuerit, debet timere, ne corruat, & fornicetur in nomine suo. Non ergo confidamus in propria pulchritudine, nec Dei liberalitatem, nostram putemus esse virtutem sed potiùs audiamus.* Ne glorieris in crastinum: nescis enim, quid superuentura pariat dies, Prouerb. 27. 1. Ita Hieron: optimè verò in eandem sententiam Prosper citato loco: cùm adduxisset ea Pauli verba 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, vt ardeam, charitatem non habuero*, nihil mihi prodest: necnon & quæ sequuntur, *Charitas non inflatur, non est ambitiosa*, &c. hæc subiicit: *Inflatio ergo & ambitio, & propriorum bonorum superba defensio possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria, si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sua supplicia non ea fortitudine, quam Deus tribuit, sed ea, quam de se præsumpsit, excipiat.* Hæc & alia Prosper.

(Margin: Ezech. 16. 15. — Hieronym. — Prou. 27. 1. — Prosper.)

Pharisæis equidem de Christi in peccatores benignitate & humanitate mussantibus atque murmurantibus opportuna sententia sic ipse occurrit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Matth. 9. 13. In quæ verba iure ambigas ex Ambros. lib. 5. in Lucam. *Quomodo igitur Dominus iustitias dilexit? Nec Dauid vidit iustum derelictum. Aut quæ ista æquitas, si iustus relinquitur, peccator asciscitur?* sed si ad mentem Christi attendis, aculeus his verbis inest, quo Pharisæos de præsumpta iustitia gloriantes compungat, non enim veros iustos negligere aut non vocasse; qui nisi ab eo vocarentur, iusti esse non possent; sed arrogantes, & sibi ipsis iustitiam tribuentes prætermittere voluit, vt indidem Ambrosius hunc in modum obseruat. *Sed non Iudæi iusti, quibus dicitur, cum videritis iustos intrare regnum cœlorum, &c. si sic non accipimus, inuenitur contrarium.* Non veni vocare iustos. *Sed illos non vocat, qui se iustos dicunt. Ignorantes enim Deum, & suam iustitiam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ergo vsurpatores iustitiæ non vocantur ad gratiam.* Sic Ambros.

(Margin: Matth. 9. 13. — Ambros.)

8. Hinc prima illa virtutis lex, quæ diuinæ virtuti atque iustitiæ omnia accepta, omnia superata certamina, omnes palmas, atque victorias refert. Quâ sanè de causa celebrem illum Gigantis ensem, quo ipsi puellulus Dauid caput animosè obtruncauit, non modò in Dei templum illatum, sed in ipsomet ephod, cui diuinum nomen erat inscriptum (vt ex Rabbi Salomone obseruat Xantes Pagninus) de industria obuolutum fuit; vide lib. 1. Regum cap. 21. 9. ne homini de prostrato hoste, sed Deo ascriberetur victoria, atque in eius nomen laudes referrentur; satis quidem ad ipsiusmet bellatoris gustum, qui tunc temporis immanissimam belluam aggrediens dicebat, *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, 1. Regum 17. 45. postea verò, suammet animam, quæ in Dei obsequium indesinenter incumbens egregios in virtute profectus, & præclara ad Dei laudem facinora perficiebat, Dei frameam appellabat Psalm. 16. 14. inquiens: *Eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manus tuæ.* vt nimirum totam rectè factorum laudem in Deum, qui docebat manus ipsius ad prælium, & digitos illius ad bellum, Psalm. 17. vers. 35. quique vt miles ensem, ita eum ducebat, acuebat, & de illo pugnabat, piè, & eleganter deriuaret; vnde alibi dicebat: *Deus meus, misericordia mea*, Psalm. 58. 18. Quæ sic dilucidè explicat Augustinus, *Attendens omnia bona, quæcumque habere possumus, siue in natura, siue in instituto, siue in ipsa conuersatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei, totum non esse, nisi ex illius bonis, ita conclusit:* Deus meus, misericordia mea: *non inuenit impietus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam.* & statim, *Quid est*, misericordia mea? *Si dicas salus mea, intelligo, quia dat salutem; si dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum; si dicas, fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem.* misericordia mea, *quid est? Totum quidquid sum de misericordia tua est.* Ita Augustinus.

(Margin: 1. Reg. 21. 9. — 1. Reg. 17. 45. — Psal. 16. 14. — Psal. 17. 35. — Psal. 58. 18. — August.)

9. Accinit Pontificis tiara, quæ vt capitis ornamentum, ita & laminam auream, in qua Dei nomen celatum erat, habebat superpositam, vt quidquid sanctitatis, virtutis atque sapientiæ in sacerdote conspiceretur, atque floreret; nomini Dei consecratum foret, & ad ipsius laudem, & gloriam, à quo bona cuncta proueniunt, vndequaque referretur. id ad hæc verba Exodi 28. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris sanctum Domino*; sic annotante Venerab. Arnaldo Abbate tractat. de vltimis verbis Domini in Cruce ad finem: *Hæc tiara, quæ caput tegit, & ornat Pontificis, totámque eius pulchritudinem coronat, & protegit, omnes sensus capitis Deo indicat consecratos, & totam corporis gloriam debere ad caput referri. Totus enim bonæ mentis candor, & sapientiæ splendor, prædicationis gratia, munditiæque gloria, benignitas charitatis, & quæcumque sanctitatis insignia ab illo vniuersali capite veniunt, eo quòd totum corpus per connexiones, & subministrationes crescit, ac proficit, solidatur, ac perficitur.* Sic Arnaldus.

(Margin: Exod. 28. 36. — Arnald.)

10. Amat nimirum Deus optimo merito magnóque nostro bono gloriam suam, & se vlli daturum negat, Isaiæ 42. 9. *Ego Dominus, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* hoc est, non patiar vt Domini creatoris, & conseruatoris rerum nomen mihi cum alio sit commune, nec tanto nomini respondentem gloriam alteri concedam, ac proinde non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua, sed quidquid splendoris sibi accreuerit, vni mihi adscribendum putet. Ambiges fortasse, cur in egregio illo trium puerorum miraculo cum iussu Regis in fornacem immissi, illæsi, & splendidi inde euaserunt. Propheta Daniel, qui non minus ac illi Dei, pietatísque ardens amator extiterat, quique inibi aderat, ad insigne illud fidei certamen à Deo assumptus non fuerit. Num tanto oneri impar, siue tam eximia gloria indignus censebatur? minimè; cur ergo certaminis, coronæque particeps factus non est? sanè quòd cùm ab Ethnicis de Dei sui nomine Balthasar appellaretur; (sic enim Nabuchodonosor Danielis 4. 5. *Daniel, cui nomen Balthasar, secun*

(Margin: Isa. 42. 9. — Dan. 3. 14. — Dan. 4. 5.)

cundùm nomen Dei mei) timere potuit, ne cæca illa pectora illustre repressæ vis ignis prodigium nomini Balthasaris adscriberent, ac proinde Dei gloriam turbarent, communémque cum sculptilium honore facerent; id sic adnotante Chrysostomo ferm. de tribus pueris tom. 6. *Fertur etiam Danielem propterea minimè fuisse Deum ad hoc martyrium assumi. Nam quia somnium regi exposuerat, & ab ipso rege diuinis honoribus affectus erat, ac Balthasar Dei nomine appellatus, qui apud Persas colebatur; ne propter impositum illi Balthasaris nomen repressa vis ignis censeretur, prouidit Deus ne Daniel in medium produceretur, vt syncerum esset miraculum pietatis.* Sic ille.

11. Hac sanè de causa, grauissimi illi seniores, quos verenda maiestate coronatos, ac super thronos sedentes, inducit Ioannes Apocalypſ. 4. 4. diademata subinde sua religiosa pietate ante thronum Dei mittere dicuntur. sic enim indidem verſ. 10. *Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum; & mittebant coronas suas ante thronum*, &c. vt, quod ex Patribus monent interpretes, vni Deo victorias suas tribuerent; & quidquid egregiè fecissent, ab eo se habuisse profiterentur. *Coronas ante thronum abycere* (inquit Arethas) *victoriam significat, veluti nunc quoque in ys videre est, qui vincunt in certaminibus*, &c. *Qui igitur coronas ante thronum abyciũt, quid aliud, quam certum ac verum regnum, & victoriam aduersus omnes, Deo per omnia referunt*? pergit Gregorius Magnus lib. 22. Moral. cap. 10. *Vt ad illum referant victoriam laudis, a quo se sciunt accepisse vires certaminis.* ac si dicerent, ait Andreas Cæsariensis, *Tu Domine coronarum victoria auctor & suministrator fuisti*; sed ea de re pulchrè Cyprian. epist. 9. ad Martyres conscripta: *Qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis.*, & statim, *Qui non sic est, vt seruos suos tantum spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur.* Hæc Cyprianus.

Apoc. cap. 4. 4. & 10.

Arethas.

Gregor. Magnus.

Andr. Cæsar.

Cyprian.

12. Hinc iustissima ratione impio Achan ob leuius quoddam furtum Deus maximè infensus Iosue 7. 1. sanè cùm ibi audis, Deus tam graui ira, acerbâque vltione, & seuerissimo supplicio illum fuisse prosecutum, quod regulam auream, palliúmque coccineum suffuratus fuerit; forsan turbaberis & tantas iras mitissimo Dei ingenio adfuisse, & implacabili perdurasse, à Dei natura alienum duces, sed si rem attentiùs pensitaueris, & æqua lance perpenderis; & Achan grauissimè, atque ad mortem peccasse; & æquissimo iudicio Deum pœnas ab illo exposuisse concipies: nimirum non tam pallium de anathemate, quàm Deo gloriam & honorem furari, & rapere studuit, quippe ipse, & viribus suis subnixum pugnasse, atque vicisse; atque ea ratione illa sibi debita spolia, quæ iniquo iure à suis manibus extorquerentur, existimauit: sic namque Iosephus antiquitatum illarum peritissimus lib. 5. *Durum, & acerbum iudicauit illum, qui pericula subijsset, id quod inuenisset, lucrum suo ipsius vsui detrahere, ac Deo, & ei quidem nihil egenti, dare.* Audis nefas! ô cæcum, & ingratum pectus! nec aliunde quam ex Ethnicorum, immo barbarorum hominum comparatione accusandum. Nam de antiquis illis Germanis nulla veri Dei notitia imbutis, nulla sapientia & vrbanarum rerum cognitionem expolitis refert Cornel. Tacit. lib. de moribus Germanorum, eo erga Principes suos obsequio adfectos fuisse, vt illorum gloriæ egregia sua in bello facinora adscribere, præcipuum ipsorum sacramentum fuerit: sic enim Tacitus, *illum defendere, tueri, suáque fortia facta gloriæ eius assignare præcipuum sacramentum est.* Debuisses ergo, ô scelestè, Deo, non tibi, in prælio manus commodare, & quidquid obtinuisses, illi adscribere, cùm ipse & pugnet, & vincat in nobis.

Iosue 7. 12.

Iosephus.

Cornel. Tacit.

Nec fuerit aliqua ratione mirandum? (præfatam pietatem, atque obseruantiam à seruis Dei viui exigi, quando & ipsimet Ethnici triumphantes, vt ex Alexand. ab Alexandro lib. 6. dierum genial. cap. 6. post citata Andreæ atque Arethæ verba obseruat P. Ribera, & tu ex Alexandri scholiaste Andreæ Tiraquello copiosiùs disces,) exacto triumpho in Iouis Capitolini gremio coronas reponerent; vel templis dicarent, Deorum beneficio triumphum sibi contigisse confitentes: immo verò Apollinis cultores non aliunde dignosci, atque initiari, nisi coronas à se ipsis depellentes, & Apollini siue Soli sacrantes. sic tradit Tertullianus libro de corona militis ad fin. *Qui cùm initiatur in spelæo, in castris, verè tenebrarum coronam interposito gladio sibi oblatam, quasi mimum martyrij, dehinc capiti suo accommodatam monetur obuia manu depellere, & in humerum, si fortè, transferre, dicens Mithram* (Solem intelligit, siue Apollinem) *esse coronam suam, atque exinde nunquam coronatur. id quod in signum habet ad probationem sui, sic vbi tentatus fuerit de sacramento, statimque creditur Mithræ miles, si deiecerit coronam, si eam in Deo suo esse dixerit.* Hæc Tertullianus. Nec crediderim fas mihi hinc discedere, quin quæ hucusque diximus, Beatissimo Parenti meo Ignatio medullitus insedisse, affirmauerim; dum quam ipse à primis lineis instruxit religionem, non proprio sui ipsius, sed augustissimo Iesu nomine insigniri voluerit; quippe illum vt diuino Spiritu afflatum minimè latebat, eam futuram societatem, quæ ferocissimum Goliath, id est, dæmonem, atque eius vires, hæresim, infidelitatem, peccatum, inscitiam esset debellatura, atque ideo magno iure, maxima pietate: illam Dei frameam appellare, siue gladium hunc sub Iesu nomine obuolutum magno Ecclesiæ templo inferri, volunt. Regius quidem senex, & egregius veri Solis miles, qui non modò vt Mithra milites è capite coronam depellere, & ad humerum transferre, sed ante Dei Thronum mittere elegit, canens cum Propheta, *in nomine tuo magnificabimur*; siue, vt Hebræa habent, *vexillum erigemus*, Psal. 19. 5.

13.

Alexand. ab Alexandro.

Tertull.

Psal. 19. 5.

Sed, vt ad Pauli explicationem redeam, alium præfato metui, atque tremori sensum alij Patres, & interpretes reddiderunt: nimirum Hilarius & Augustinus ad similia Regij vatis verba eò referunt, vt timore fideles in officio contineantur, nec à recto itinere deflectant: sic enim citato loco Hilarius. *Porrò autem ne libertas gaudij fines congruæ moderationis excederet, ita subdidit: exultate ei cum tremore; quia periculosa ad obliuionem timoris esset libera a timore lætitia; atque ita hac prophetici eloquij ratio seruata est vt seruitutem timor detineret, timorem exultatio moderaretur,* & exul 14.

Hilarius.

& exultationem tremor consequens contineret. Hæc Hilarius: ad quem modum August. ad ea verba Psalm.85. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum*; vtriusque Psalmi verba cum hoc Pauli loco sic componit: *Et quomodo iucunditas sit timor? Nónne timor amarus solet esse? erit ergo aliquando iucunditas sine tremore, modo iucunditas cum timore; nondum enim est plena securitas, nec perfecta iucunditas: si nulla iucunditas, deficimus: si plena securitas, malè exultamus: ergo & iucunditatem aspergat, & timorem incutiat, vt de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis: dando timorem non nos facit malè exultare, & recedere de via: ideò sic dixit Psalmus:* Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; *sic & Apostolus Paulus dicit:* Cum metu, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Hactenus Augustin. Apto hîc opportuna Tertulliani verba Marcionem confutantis lib.2.cap.13. *Legis Mali viam latam, & multo frequentiorem.* Matth.7.13. *Nónne omnes illaberentur, si nihil in ea timeretur?*

August. — *Tertullian.* — *Matth.7.13.*

13. Verùm enim verò nonnulli hunc metum, atque timorem, cum obsequio ac diligentia, sic confundunt, vt cum metu salutem operari perinde dici censeant, ac circa illam maximè diligentem esse; alij contrà, metus, & timoris voces nimium emungentes in ipsarum solummodo sono hærent. Vtrumque tamen à Paulo intendi, probabiliter videtur: nam in primis, non dubium, quin Philippenses omnes fideles (rumpantur licèt hæretici) commoueat, ne sibi plus iusto de sua salute blandiantur, sed in timore, & tremore ne à via salutis decidant, semper versentur. Deinde, quis non videat, hunc timorem eo ducere, vt ipso Philippenses compuncti saluti suæ operandæ ardentiùs incumbant, nullúmque non lapidem moueant, vt per bona opera certam suam vocationem, & electionem faciant; bene siquidem de tristitia, quæ metus, atque timoris comes est, dixit Tertullian. in vltima clausula libri de orat. *Nam lætitia libentiùs, tristitia sollicitiùs administrabit disciplinam.*

Tertullian.

Operamini.

14. VErbum *operor*, apud Scriptores sacros frequentiùs vsurpatur, pro eleemosynam largiri: vt primum Pamelius in notis ad Cyprian. & post illum eruditissimus I. Ludou. de la Cerda tam in notis in Tertull. ad cap.23.libri de idololatria; quàm in pulcherrimo opere Aduersariorum sacrorum cap.149.num.23. sapienter adnotarunt: ex quibus non pigebit nonnulla Patrum testimonia mutuò accipere, & illud in primis, quod ex Ambros.lib.2.offic.cap.16.adducit Cerda: *Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis.* & post nonnulla: *Quò plus te operari viderit populus, magis diligit. scio plerosque sacerdotes quò plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicumque bonum operarium videt, ipsi confert, quo ille suo officio dispenset, securus quòd ad pauperem sua perueniat misericordia.* Ex quo Ambrosij loco dixerit non abs re aliquis, Iudaizantes, quos hac epist. cap. 3. 2. taxat Paulus signatè ob auaritiam & immisericordiam *malos* operarios appellari. Simile est illud Tertulliani lib.4. contra Marc. cap.16. *Bonitas, quæ operatur in extraneos*, & quod de Melania pascente in Ægypto quinque monachorum millia dixit Paulinus epist. 10. *Nec volens gloria operationis agnosci, tamen operis magnitudine prodebatur.* Sed Cyprian. disertissimè lib. de lapsis cap.3. *Incunctanter, & largiter fiat operatio, census omnis in medelam vulnerum erogetur opibus, & facultatibus nostris, qui de nobis iudicaturus est, Dominus fœneretur.* Et epist.52.cap.9. *Pro abluendo, & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare:* quâ de re integrum conscripsit librum, *de opere, & eleemosynis*: vbi inter alia sic notanter in hanc rem. *Sic ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem charitatis, operari magis debes vt filios tuos Deo iusta operatione commendes.* Hæc & plura hoc verbo vsus Cyprianus. His tu adde primò nostrum Paulum ad Galat. 6. 10. sic monentem, *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*: vbi de eleemosynis sermonem esse, maior Patrum pars censet cum Chrysost. & Hieronymo: & hic quidem ea verba sic elucidat: *Ne quis in largiendo dicat, ille amicus est, hunc nescio; hic debet accipere, iste contemni: sed imitandum ait Patrem cœlestem, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Fons bonitatis omnibus patet, seruus, & liber, plebeius, & Rex: diues, & pauper, ex eo similiter bibunt: lucerna cùm accensa fuerit in domo, omnibus lucet æqualiter.* Sic ille: deinde Ioannem epist. 3. v. 5. dum ait: *Fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos:* quod statim iuxta Paulum, signatè magis sic explicat, *quos bene faciens, deduces dignè Deo*, hinc ergo credat non nemo, notanter à vulgato hoc verbum *operamini*, positum, vt obiter etiam admoneret, magnum in æternam salutem momentum eleemosynas habere, quippe & illis peccata redimi dicuntur; Daniel.4.24. & æterna ipsis beatitudinis merces promissa est Matth. 25.34. Germanus tamen Pauli sensus is est, quem ex Græco verbo dedimus num.6. sed & illum etiam adnotationibus firmare, & ornare curabimus.

Pamelius. — *Cerda.* — *Ambros.* — *Ad Phil.3.2.* — *Paulinus.* — *Cyprian.* — *Gal.6.10.* — *Chrysost.* — *Hieron.* — *3.Ioan.5.* — *Dan.4.24.* — *Matt.25.34.*

Ad ea verba, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

ADNOTATIO I.

Nemini de sua sibi salute blandiri licere, quòd res plena periculi, & valde anceps sit.

CVRE optimò omnem metum, omnem timorem, atque tremorem, curam omnem, sollicitudinem, anxietatem salutis negotium sibi vendicet quòd vno ex capite summi momenti res sit, æterni scilicet gaudij; æternive mœroris; siue immensæ felicitatis, vel incredibilis calamitatis, atque miseriæ; vnde eo modo, quo scitè hac de re dicebat Tertullian.lib. de patient.cap.4. *Cui seueritati declinandæ, aut liberalitati inuitandæ tanta obsequij diligentia opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur*; ita & tu opportunissimè dixeris, non aliam timoris, & metus rationem habendam, nisi eam quam, æterna gaudia amissa, æterna eáque vndecunque acerbissima supplicia subeunda exposcunt; ex alio verò periculosissimus hic euentus adeò sit dubius, atque incertus, adeò nobis obscurus, & abditus; vt nesciat homo; *Vtrùm odio, an amore dignus sit: sed omnia in futurum ser-*

Tertullian. — *Eccl.9.1.*

uantur incerta, Ecclesiastes 9.1. Preme indefinitam hominis acceptionem *nescit homo*: nam in Scripturis, vt alibi docui, eo dicendi modo maximus quisque & florentissimus sumitur, vt Cant. 8.7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ.* hoc est, si ditissimus, & opulentissimus homo: & Ecclesiastes cap. 1.3. *Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole*: potentissimus scilicet Princeps, siue Dynasta. Ergo *nescit homo*: quisquis ille tandem sit; magnus videlicet sanctitate, atque virtutibus, vtrùm odio, an amore dignus sit: id ibi sic monente Hieronymo. *Porrò hic sensus est. Etiam in hoc dedi cor meum, & scire volui, quos Deus diligeret, quos Deus odisset: & inueni iustorum quidem opera in manu Dei esse, & tamen vtrùm amentur à Deo, an non, nunc eos scire non posse.* Vnde Bernard. sermone 1. in Septuagesima: *Quis potest dicere? Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest, reclamante nimirum Scriptura: Nescit homo, si sit dignus amore, an odio.* Quod si dixeris; Nónne tribulationes, egregia salutis pignora sunt? sciet ergo quisquis illas perfert, amore dignum se esse: repugnabit rursus citatus Hieronymus, subdens: *& ambiguo fluctuare, vtrùm ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium; in futuro igitur sciem.* Si denique ex diuturniori anteactæ vitæ spatio in Dei obsequio collocato animos sumpseris, vt de prædestinatis ad vitam te esse audeas præsumere, occurret tibi Sapiens occludens ianuam illis Prouerb. 1. 20. verbis: *Sapientia foris prædicat*, quæ LXX. & plures ex Patribus sic efferunt: *Sapientia in exitu canitur*; ea verò in hanc rem ita premit Saluianus Massiliensis lib. 4. ad Ecclesiam. *Quo vtique ostenditur, licèt salutis in omni ætate sapientia, præcipuè tamen omnes in exitu suo debere esse sapientes*; *quia* sapientia in exitu canitur: *id est, laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur, nisi bona fide claudatur.* Ergo quod in ægrotis de temporalibus vitæ securitate scitè Plinius lib. 7. cap. 51. sub titulo *de signis mortis*, dixit: *Et cùm innumerabilia sint mortis signa, salutis securitatis nulla sunt*: in æternæ salutis negotio certo certius, & quasi oraculum est; quippe *in remotissimo* ab humana cogitatione secreto præfinitio huius electionis abscondita est (verba Prosperi lib. 2. de vocatione gentium, cap. vltim.) *Et de nullo ante ipsius finem prænunciari potest, quòd in electorum gloria sit futurus.* Quare Bernard. sermone 2. de Ascensione monachos suos Angelicam in terris pro sui instituti ratione vitam agentes sic alloquebatur: *Propositum namque Dei super illos manet immobile*, & misericordia Dei ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum: Psalm. 102. 17. *Ab æterno per prædestinationem, in æternum per glorificationem: similiter & in reprobis*: terribilis est super filios hominum, Psalm. 65.5. *Et vtrinque stat fixa sententia æternitatis, & in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt, quis scit si omnium vestrùm quos hic video, scripta nomina sunt in cœlis, & in libro prædestinationis adnotata? vocationis enim & iustificationis vestræ aliqua signa videor intueri in conuersatione huius tantæ humilitatis. Quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret.* Sed nescit homo, vtrùm sit dignus amore, an odio. Ita Bernard. Vides *salutis securitatis nulla signa esse?* Audi modò August. lib. de ouibus cap. 10 *Ouem te putas, hircum te fortè nouit Deus.* Vade ergo, & metum, ac tremorem abiice. Certè Solem ipsum, & virtutes cœlorum, hoc est eos ipsos, qui pro sua puritate,

Cant. 8.7. Eccl. 1.3. Hieronym. Bernard. Hieronym. Prou. 1.20. Saluianus. Plinius. Prosper. Bernard. Psal. 102.17. Psalm. 65.5. August.

& munditia maximè securi esse possent, in Christi iudicis aduentu, siue præ illius maiestate, siue pro tantæ rei momento, & difficultate eo metu & horrore concutiendos, vt eorum vultus pallore corrumpi, & obscurari videantur, sic inquit Matth. cap. 24.29. *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*, &c. *& virtutes cœlorum commouebuntur*: sub hoc sensu ita hæc capiente Paschasio lib. 11. in Matth. *Quòd si Sol iste, qui nunc per totum orbem rutilat, & resplendet; necnon & Luna quæ secundum est luminare, atque stellæ, quæ ad solatium noctis datæ sunt, seu & omnes virtutes cœlorum, quas Angelorum multitudines intelligimus in aduentu Christi, & ad fulgorem eius hæc omnia assimilata, quasi præ nimia claritate in caliginem reputabuntur, quid putant, qui supercilio erecto se sanctos arbitrantur, & præsentiam tanti iudicis, ac si securi de sua iustitia non formidant? quoniam in eo tremendo iudicio nemo securus erit, & cum gloria claritatis eius effulserit, nemo se aliquid esse putabit.* Hactenus ille.

2. Equidem hæc omnia, sigillatim verò hunc cœlestium luminarium pallorem & metum visio illa decidentium de cœlo stellarum Ioanni commonstrata, Apocalypf. 12.4. non leuiter firmat: sic enim ibi de Dracone cœlo bellum inferente, *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*: vbi optimo merito præmisit Ioannes, *visum est aliud signum*: hoc est, res maximè mira *in cœlo*. Quid enim magis mirandum in cœlo, quàm fixas stellas in terram deturbatas, & à Dracone proculcatas fuisse? viros scilicet pietate insignes, & sanctitate illustres à iustitiæ culmine, siue à cœlestis regni fastigio, quod iam iam tenere videbantur, in terrenos, & corruptissimos mores prouolutos à Dei castris ad immanissimi Draconis partes transisse. Hîc verò quis non stupeat? cùm potissimum de stellis dixerit Vates à Deo sigillatim numerari, & proprio de nomine vocari solitas: *Qui numerat* (inquit Psalm. 146. 4.) *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: siue, vt aliis verbis Dominus: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus*, Matthæi 25. 1. nec numeratæ modò, sed vndique clausæ, atque munitæ; proprióque Dei sigillo contentæ dicantur à beato Iob. 9. 6. *Et stellas claudit quasi sub signaculo*: sed enim rem auget, atque admirationis materiam vndique implet verbum illud, *trahebat*, quo vsus est Ioannes; quippe *tractus*, vt in physicis lib. 3. docet Aristot. *est species motus violenti*: vnde eo innuitur, non oscitantes, otióve torpentes, sed potiùs armatas, & ad bellum pugnaciter expeditas stellas hasce à Dracone inuentas fuisse; atque ideo non mediocri ardore ac vi, sed totis nisibus, & pari aliquando marte, dubióque exitu contendisse; verùm enim verò quantumuis cœlo viderentur inclusæ, quantumuis numeratæ, sigillóque munitæ, quantumuis decem, & quantumuis virgines extitissent, quantumuísque armorum tutela, & animorum fortitudine decertassent, tandem à Dracone superatas, ac prostratas, solóque illisas fuisse; quod, vt Hispana parœmia fatur, *de lo contado lleua el lobo*: hoc est, nihil adeò tutò & securè custodiri, quin prædæ ac casui sit expositum. Sed præstat ea de re audire Augustinum hanc stellarum imaginem sic optimè explicantem in lib. soliloquiorum cap. 29. tom. 9. *Vidimus multos Domine ex patribus nostris, quod vtique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor, ascendisse primitus quodammodo vsque ad*

Matt. 24.29. Paschasius. Apoc. 12.4. Psal. 146.4. Matth. 25.1. Aristot. August.

ad cœlos, & inter sydera nidum suum collocasse, postmodum autem cecidisse vsque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse; vidimus stellas de cœlo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis. Hæc August. Et verò his mirè accinunt illa Christi verba
Luca 10. 15. Lucæ 10. 15. *& tu Capharnaum vsque ad cœlos exaltata, vsque ad infernum demergeris*; tum iuxta expositionem vocis *Capharnaum*, quam ex Theophylacto dedimus vers. præced. adn. 6. nu. 6. vt
Theophyl. sonet idem ac *ager Spiritus sancti*; tum si illud: *vsque ad cœlos exaltata*, de beneficiis, ac donis illi collatis accipiatur; is etenim resultat sensus, ac si dicatur, sæpenumero illos, qui Diuini Spiritus habitaculum atque possessio effecti fuerant, quæ rerum inconstantia, & anceps salutis sors est, ab ea celsitudine in foueam peccatorum, & tandem in ipsammet gehennam proturbari: cui quidem expositioni optimè congruit Theo-
Theophyl. phylacti monitum inibi datum. *Horresce igitur homo.*

3. Hinc certè emphatica oratione Ezech. cap. vltimo iustorum semitam, & ad cœlestem patriam iter sic adornat, vt per tentationes victoriam adipiscantur; & post adeptas victorias denuo tentari, & vsque ad vltimum vitæ spiritum oppugnari, atque ideo metui & tremori
Ezech. c.48. 28. obnoxios indesinenter esse necesse sit: audi; *Et super terminum Gad ad plagam Austri in meridiem, & erit finis de Thamar vsque ad aquas contradictionis Cades, hereditas contra mare magnum.* Sed obserua ad id loci ex Hieronymo *Gad*, tentationem; *Thamar*, palmam; *Cades*, sancta interpretari: vt nimirum ex tentatione ad palmam, ex palma rursum ad contradictionem & pugnam, vt frequentioribus victoriis, frequentiorem metum & sollicitudinem adiungamus, per-
Hieron. ueniri: sic enim Hieronym. *Et quia Gad interpretatur* tentatio, *in possessione eius de palmetis transimus ad aquas contradictionis vsque* Cades, *quod interpretatur*, sancta: *vt intelligamus nos etiam post victoriam mundi debere esse sollicitos, & semper in metu; & recordari illius versiculi:* Tentatio est vita hominis super terram: *& ad sanctitatem aduersariis impugnantibus peruenire: sicque obtinere victoriam, vt è vicino torrentem plenum imbrium contemplemur*; in quo nimirum, & victores, & spoliis onustos submergi non sit infrequens: certè Dauid qui sæpiùs pennis assumptis è aduersariorum manibus elabi consueuit, ipso-
Psal. 138. 9. met Psal. 138. 9. dicente: *Si sumpsero pennas meas diluculo*, fugam à se aliquando petiisse, & in in-
Psal. 141. 5. certo fluctuasse, sic inquit Psal. 141. 5. *perijt fuga à me*: quòd non eadem semper pugnandi ratio, ac sors sit; sed post frequentes victorias, aut vinci, aut in incerto hærere athleta soleat: hæc sic præmonente Ambros. lib. de fuga sæculi cap.
Ambros. 5. *Quomodo dicit fugam à se perysse, qui suprà dixerat:* Si sumpsero pennas meas ante lucem. *Numquid contrarium est? absit: multa enim iustorum certamina: numquid semel athleta lucratur? quoties post coronas multas vincitur in alio certamine, quoties qui sæpe vicerat, interdum fluctuat, & in incerto hæret, & sæpe fit, vt fortioribus fortis congrediatur, maioráque oriantur certamina, vbi maiora virium documenta.* Ita Ambrosius.

4. Id forsan accurata locutione tinnit Paulus,
2. Tim. 4. 8. cum 2. ad Timoth. 4. 8. post ea verba, quibus gloriosa certamina præclarè confecta, & tot à se triumphos, quot sunt oræ terrarum: nec nõ fidem integram, atque inuiolatam commemorauit, inquiens: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui*; subdit: *in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*: pro quibus verbis Syriaca lectio Lect. Syriaca.
reponit, *In posterum autem asseruatur mihi corona iustitiæ*, vt sit sensus; quamuis hucúsque egregiè decreta rerum, commissúmque mihi Apostolicum munus bona fide seruauerim, non tamen ideo extra telorum iactum, & coronâ donatum me censeo; imò verò hâc in id vitæ spatium, quod mihi superest, repositam atque reiectam noui, quippe quandiu vita suppetit vt athletarum more certandum, ita perpetuæ sollicitudini, atque timori obnoxium quémque fieri, necesse est. Qua de re sic sapienter Cassianus coll. 6. cap. 16. *Quid-* Cassianus.
quid enim per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire; ideóque dicitur: Ne beatifices hominem ante exitum suum. *quod videlicet adhuc in colluctatione quis, & vt ita dixerim, scammate constitutus, quamuis vincere soleat, ac frequentes palmas victoriæ consequatur, non potest tamen à metu, ac suspicione incerti prouentus esse securus.*

His accinit ille idem sermo toties à Christo repetitus, vt Petri fidem vsque ad tristitiam, & 5.
quandam veluti animi consternationem examinaret: *Simon Ioannis diligis me*, &c. Ioann. 21. 15. Ioan. 21. 15.
subiicit enim Euangelista: *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me?* Cur enim Petrum hoc mœrore voluerit Christus afficere, sic explicat August. ser. 149. de tempore. *Quid contristaris* August.
Petre, quia respondes amorem, oblitus tuum timorem; sine interroget te Dominus. Medicus est, qui te interrogat, ad sanitatem pertinet, quod interrogat. Noli tædio affici, impleatur numerus dilectionis, vt deleatur numerus negationis. Benè; sed illud ex Patribus
Chrysost. Theophyl. Euthym. Leontio & Theo- Chrysost. Theophyl. Euthym. Leontius. Theodor.
doro videtur addendum, hac tristitia veluti pharmaco non modò à bono medico præteritam negationem purgari, sed anteactæ vitæ præsumptionem, nimiámque quam de se habebat securitatem opposito remedio sanari debuisse: certè dum Christus iterum, atque iterum idem interrogauit, non potuit non subire eius animum tristis suæ negationis recordatio; atque inde meritò vereri, ne quemadmodum tunc, quamuis fortem se ac constantem in Dei amore professus fuisset, ter tamen Christum negauerat; ita nunc quoque non adeò in diligendo firmus, vt sibi videbatur, inueniretur: vt subinde formidinem, ac metum non facilè abiiceret. Sed id accipe à Prospero lib. 2. de vocat. gentium cap. 8. *Quis ergo* Prosper.
ambigat? quis ignoret? hanc fortissimam petram quæ ab illa principali petra communionem sumpsit virtutis, & nominis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei moriendi pro Christo constantia daretur: verumtamen ita ineluctabilis erat obluctatio trepidationis, vt vir martyrij auidissimus adepturus quidem denunciaretur, victoriam passionis, sed non sine tentationis formidine. Quid enim tam beatificum quàm hic timor, qui genitor, eruditórque sapientiæ est. Ita Prosper.

Nec adnotare omittam, sanctissimos quosque viros, quotquot hi omnino fuerint, secura hæc timentis Petri vestigia semper pressisse; & ad vltimum vsque vitæ spiritum in hoc timore atq; formidine ad pastoris sui gradum incedentes perdurasse: ita certè sanctissimus Hilarion septuagenarius in Dei castris miles, & seuerissimæ disciplinæ custos animã suam iamiam è corpore egrediẽtẽ his vocibus animabat: *Egredere anima mea, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta*

prope annis seruisti Christo, & mortem times? Quibus in verbis animam illum exhalasse Hieronymus (Hieronym.) in eius vita auctor est. Sed & ipse Hieronymus sanctitatis magnitudine, & diuturnitate Hilarioni minimè inæqualis, eodem ac ille spiritu imbutus (Idem.) dicebat epist. 5. *Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus, & noctibus operior cum timore reddere nouissimum quadrantem, & quòd mihi dicatur: Hieronyme veni foras.* Nec alia mente Dionysius Areopag. epist. 8. ad Demophyl. cùm dixisset: (Dion. Areop.) *Nobis summo studio curandum est, vt bono inhæreamus Deo, simúsque cum Domino semper, & non cum malis occulto illo, iustissimóque iudicio segregemur, atque ex nobis ipsis pœnas debitas subeamus.* Subiicit sigillatim de se ipso: *Quod ego ago, & maximè omnium timeo, malorúmque omnium exsors esse, & cupio, & oro.* (Bernard.) vnde quidem Bernard. lib. de interiori domo, se ipsum timentem, ac trementem, quòd plus non timeret, ac horreret, quódque leuissima quædam errata, quæ ille indidem cum lachrymis recensebat, non corrigeret; sic acriter pungebat, & calcaribus incitabat: *Heu me miserum! & væ mihi, qui hæc agens, & alia innumera, tamen ita comedam, & bibam, & dormiam securus, quasi iam transierit dies mortis, & euaserim diem iudicij, & inferni tormenta, sic ludo, & rideo, quasi iam triumphem in regno Dei.* Didicit, opinor, hunc eiulatum, atque clamorem à Gregorio Magno lib. 19. Moral. (Greg. Magn.) cap. 9. sic dolentem: *Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognoscimus, & iam in otio quasi de securitate torpemus: debet profectò, debet, non solùm in spe esse securitas, sed etiam timor in conuersatione, vt & illa certantes foueat, & iste torpentes purgat.* Adde his Patribus August. in id (August.) Psalm. 80. *Inimici Domini mentiti sunt ei.* nam cùm dixisset: *Quare non prosternuntur? quare non trucidantur? quare non terra dehiscente sorbentur? quare non cœlo flagrante incenduntur? Quia magna patientia Domini. Et erunt impuniti? absit, non sibi tantum de Dei misericordia blandiantur, vt sibi eius iniustitiam polliceantur.* subiiciens sequentia Psalmi verba, *& erit tempus eorum in æternum*; addit: *Fratres nimis timendum esse volo, melius est enim non vobis dare securitatem malam: non dabo, quod non accipio; timens terreo: securos vos facerem, si securus ego fierem; ignem æternum timeo, & erit tempus eorum in æternum.* Sic August.

Sed enim quàm iustus, quàmque necessarius hic timor sit, maris, siue fluctus metaphora, qua in hanc rem beatus Iob vtitur, apprimè (Iob. 31. 23.) ostendit: sic enim ille cap. 31. 23. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Quis enim iustior, aut opportunior metus, quàm qui ex tumentibus maris fluctibus mortem è vestigio minitantibus fortiorem quemque, vt nex illi triplex circa pectus sit, subit? Nauigantes quatuor tantùm digitis à morte abesse, Anacharsis apud Diogenē Laërtium dicebat, (Diogenes. Laërt.) & eodem die vbi naues vagæ atque securæ festiuè luserunt, atrociter sorberi; sic nos id nullo modo ignorantes, sed scientes, & oculis excipientes monuit Seneca epist. 4. (Seneca.) *Noli huic tranquillitati confidere; momento mare vertitur; eodem die vbi luserunt nauigia, sorbentur.* vnde ad rem Hieronym. (Hieronym.) epist. 1. ad Heliod. *Nolite credere, nolite esse securi, licèt in modum stagni fusum æquor arrideat, licèt vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur, magnus hic campus montes habet, intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antemnæ figatur in frontibus, tranquillitas ista tempestas est.* Qui ergo, non iam ex tranquillo, & pacato pelago, sed immaniter æstuante, atque sæuiente magnanimi cuiuspiam pectus non pulset, feriátque metus ac horror? Optimè siquidem de eo qui mortem non timet, August. lib. de vita beat. disput. tert. die. (August.) *Esset enim non fortitudinis excubijs, sed mentis sopore securior, & altiore stultitia demersus miser.* En igitur Iobi sensum: *Sic quippe* (inquit Gregorius lib. 20. Moral. (Greg. Magn.) cap. 3.) *metuebat iudicem suum, quasi imminentes impetus fluctuum, iam iámque moriturus.* Sed preme quæso aduerbium illud *semper*, emphaticè positum: vt enim aliquando, cùm vel peccato obnoxius, vel in Dei obsequio torpens esset, optimo merito timeret, iustissimus vir dum sedulam virtuti operam nauaret, tanto metu & horrore concuteretur? Sanè, quod ea vtriusque vitæ siue spiritualis, siue temporalis conditio sit, vt ab hac in illam horam læta cum tristibus, fausta cum infelicibus commutari soleant: vnde Sapiens, (Eccl. 18. 26.) Ecclesiast. 18. 26.) *à mane vsque ad vesperam immutabitur tempus.* ac si veterem illam parœmiam exprimeret; *inter os, & offam*: siue, *multa cadunt inter calicem, supremáque labra.* qua monemur nihil tam certum sperari, nec tam vicinum esse, quod non impediri, & verti casu aliquo repentino possit; quomodo apud Agellium lib. 13. cap. 17. eam sic (Agell.) vsurpabat Cato: *Nunc ita aiunt, in segetibus, & herbis bona frumenta esse, nolite ibi nimiam spem habere: sæpe audiui inter os & offam multa interuenire posse.* Ita quidem de se ipso notanter vates in Psalm. 118. 109. (Ps. 118. 109.) *Anima mea in manibus meis semper.* id est, ex Chaldæi paraphrastis translatione: (Chald.) *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus mea esset.* ac si diceret, vt inquit Hieronymus, (Hieronym.) *Quotidie periclitor, & quasi in manibus sanguinem meum porto*; non firmiter, & tutò custoditum, sed infinitis pænè expositum periculis; qui videlicet incuria elabi, iniuria eripi, hac illáve manus operatione decidere, & deperdi potest. Hinc Bernard. (Bernard.) in sermone de eo quod legitur in Iob. *In sex tribulationibus liberabit te*, &c. monachos suos egregiè, dubio procul, sanctitatis viros sic rursus vrgebat. *Vnde nobis ista dissimulatio est fratres mei? vnde hæc tam perniciosa tepiditas? vnde hæc securitas maledicta? quid seducimus miseri nosmetipsos? forsitan iam diuites facti sumus? forsitan iam regnamus? nonne hostium domus nostra horribiles spiritus illi obsident? Nonne exitum nostrum laruales illæ facies præstolantur? Quis ille pauor erit, ò anima mea, cùm dimissis omnibus, quorum tibi est tam iucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occursantia tibi cateruatim teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc nouissima nostra, vt non peccemus.* Ita Bernard. ac si cum Vate diceret: *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.*

Nouum tibi, atque in Pauli formulis inusitatum videatur, quòd in salutatione epistolæ primæ 8.
ad Timotheum gratiæ & pacis imprecationi misericordiam ipse sic addiderit: *Timotheo dilecto filio in fide misericordia & pax à Deo Patre & Christo Iesu Domino nostro.* (1. ad Tim. 1. 2.) vbi, quod rem auget, Syrus pro *misericordia* teneriori vocabulo reposuit *miserationes*: sed quæ huius nouitatis causa fuerit? An quod Timotheo, qui in reprehendendo, & castigando iuuenili ardore, & feruentiori zelo seuerior erat, ipso in limine misericordiam Dei ob oculos ponat, & exoptet? sic quidem censuit Rupert.

Rupert. Rupert. in cap. 1. Apocalypſ. vt alibi opportunius refero. Aptiùs verò & literæ congruentiùs reſpondet Chryſoſt. (Chryſoſt.) rationem eſſe, quòd paterno affectu Timothei nomine metueret, ac tremeret, & ideo Dei miſericordiam, immo miſerationes, id eſt, totum miſericordiæ fontem ei præoptaret; ſic enim ille: *Quanam verò ratio eſt, cur in cæteris epiſtolis nuſquam miſericordiam imprecatus eſſe deprehenditur? At id quidem ex nimia indulgentia, & ex nimio amoris affectu. Quippe plurima imprecatur filio, veretúrque, ac timet illi omnia.* Quid? erátne magnus peccator Timotheus? aut inter ſæculares delitias degens lubricam calcabat viam? minimè quidem, immo verò ſanctiſſimus ille magiſtrum ſuum diſtrictæ diſciplinæ veſtigiis ſequebatur. At enim verò; quòd in lubrico huius vitæ eſſet, & fragilitate per turbulentiſſimi maris procellas atque diſcrimina veheretur, optimus patens iure omnia verebatur, omnia illi timebat: atque ideo Dei miſericordiam ac miſerationes illi ſemper paratas, ac pronas, indeſinenter optabat.

Adnotatio II.

Metum, & tremorem vt fidum virtutis cuſtodem, ita & ſalutis non obſcurum indicem eſſe.

1\. Nec degener tibi, ignobiliſque videatur hic timor; qui tum (vt ſuperiùs citatus Proſper dicebat) genitor eruditórq; ſapientiæ eſt; tum etiam ſalutis index (ſi aliqua hac in re indicia, & coniecturæ valent) eſſe perhibetur. Qua duplici de cauſa Salomon Prouerb. 28. 4. (Prou. 28. 14.) inquit: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* hominis beatitudinem, hoc eſt, felicitatem, ſanctitatem, egregiam virtutis indolem ex pauore, & timore, quo indeſinenter concutitur, notanter eruens: quaſi hæc veræ virtutis lex, atque natura ſit, vt hominem nunquam de ſua ſalute ſecurum, ſed timentem atque trementem reddat. Audi Bernard. ſerm. 54. in Cant. hæc verba ſic prementem atque elucidantem: (Bernard.) *In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere.* Beatus homo qui ſemper eſt pauidus. *Time ergo, cum arriſerit gratia, time cum abierit, time cum denuo reuertetur; & hoc eſt, ſemper pauidum eſſe:* O bonum timorem, qui gratiam promeretur, retinet, atque recuperat! ſed elegantiùs exclamat S. Zeno Veron. Martyr, ſerm. de timore tom. 2. Biblioth. vet. Patr. (S. Zen.) *O neceſſarius timor! qui, nihil aliud agit, niſi vt beatos efficiat, qui timet arte, non caſu, voluntate, non neceſſitate, religione, non culpa, qui Deum metuit non naturam.* Pulchrè illud, *arte, non caſu:* eſt enim & timendi ars, eáque egregia quæ ſalutem conciliat, & incolumitatem adfert: inde Nazianz. (Nazianz.) orat. 40. quæ eſt in S. Baptiſma, ſcitè ait: *Dum ſecundo vento nauigas, naufragium time, & tutior à naufragio eris, adiutorem ac ſocium tibi timorem aſciſcens.* Sic ille.

2\. Sanauerat languidum illum triginta & octo annos habentem in infirmitate ſua Dominus; & ei, qui vix pedibus cæperat inniti, grabatum ſuum tollere & ambulare præſcripſit, Ioan. 5. 8. (Ioan. 5.) itáne à labore in laborem, ab onere ad onus ſtatim tranſtulit, quin reſpirandi ſpatium, vt ita dixerim, dederit? ita quidem; nam infirmitatum ſuarum, ſiue potiùs peccatorum pondere exoneratus fuerat; ſedulæ in poſterum ſollicitudinis, vt peccata caueret, atque anxiæ de ſua ſalute curæ onus, vt acceptam gratiam retineret, portare debuit; nec ceruicem tantiſper erigere, quin nouum gratitudinis & obſequij onus ſuccederet. Qua de re audi iterum Bernard. ſerm. 15. in Pſal. *Qui habitat;* (Bernard.) hæc onera ſic pulchrè penſitantem: *Oneriferum animal eſt homo tempore ſuæ mortalitatis: ſi adhuc portat peccata ſua, onus eſt graue: ſed ſi ſanum ſapiat, nō minus graude onus inueniet hanc ipſam quam diximus exonerationem: onerat nos cum exonerat Deus: onerat beneficio, cum exonerat peccato. vox onerati:* Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Vox onerati,* exi à me, quia homo peccator ſum Domine. *Vox onerati:* ſemper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. *Semper, inquit, timui: ſicut ante, ſic poſt acceptam veniam peccatorum.* Sed quidni? nónne, *bonorum quorundam, ſicuti & malorum* (ſic Tertull. (Tertullian.) lib. de Patientia cap. 1.) *intolerabilis magnitudo eſt?* pondus ſcilicet nimium premens, & ad ſedulum atque continuum obſequium vrgens.

3\. Videas ſanè hinc, illuſtri illi lapidi, quem tantopere commendat Zacharias, ſeptem ſignatè (Zachar. 3. 9.) oculos incumbere: *ſuper lapidem* (inquit cap. 3. 9.) *vnum ſeptem oculi ſunt:* vbi oculorum imagine ſeptem Diuini Spiritus dona eſſe intelligenda, conſtans Patrum expoſitio eſt; ad quem etiam modum illis verbis Cant. 4. 1. (Cant. 4. 1.) *oculi tui columbarum:* eam adhibuit expoſitionem Rupertus, ac ſi Deiparæ diceretur: *omnium gratiarum facta es particeps; ex qua me caſtis viſceribus ſuſcepiſti, ſuper te requieſcunt omnia Spiritus ſancti dona.* Quòd ſi inquiras; quid oculis cum donis commune? quámve hæc duo affinitatem habeant, vt mutuò ſe demonſtrent? reſpondebo, rationem eſſe, quòd ab homine donis ornato tantum oculorum, hoc eſt, vigilantiæ, curæ, circumſpectionis atque ſollicitudinis exigatur, quantum ipſi donorum atque munerum impartitum fuit: nouiſque donis nouam curam, ac ſollicitudinem, nouúmque metum atque timorem ſuccedere debere. Tantum abeſt vt otiari, aut liberiùs agere quis queat ex munere. Cui quidem cogitationi & ſeipſum in teſtem afferens, & oppoſitam imaginem aptans, ſic ſapienter applaudit Gregor. Nazianz. orat. 7. (Nazianz.) *Hæc ſunt quæ ego metuens acerbitate, ac mæſtitia impletus ſum; eo denique modo affectus, quo pueri ad fulgetra, ex quorum ſpectaculo coniunctam cum admiratione, ac ſtupore voluptatem capiunt: ſpiritum enim ſemper & amaui, & extimui.* Optimè: exigit quippe ſpiritus, ſiue gratia, nouum timorem, ac ſollicitudinem vt retineatur, nec è manibus ſenſim elabatur.

4\. Regius ſanè vates Pſalm. 106. 39. (Pſal. 106. 39.) cum populi afflictionem primum retuliſſet illis verbis, *Et pauci facti ſunt & vexati ſunt a tribulatione malorum & dolore;* ſubinde verò, quàm benignè dolores, & anguſtias in abundantiam, & gaudium Deus commutauerit, hunc in modum dixiſſet: *& adiuuit pauperem de inopia, & poſuit ſicut oues familias,* vt nimirum qui ad extremam priùs anguſtiam erat redactus, & animi dolore ac corporis afflictione vexatus, non modò de inopia ſubleuatus, ſed honoribus etiam cumulatus, ac liberorum multitudine ornatus fuerit. Hinc ſtatim ſic infert verſu 42. (Lect. Græca.) *Videbunt iuſti & lætabuntur:* vbi Græci codices & Græ-

Greg.Nyssen. & Gregor. Nyssenus pro *latabuntur* reponunt, & *timebunt*. ambigua sanè sententia; cur enim diuinis beneficiis recensitis iustus timear, & non potiùs exhilaretur & exultet? sed occurrit Nyssenus tract. 1. in Psal. cap. 8. hunc in modum. *Quo significat Iustum, dum oculos ad tantam Dei benignitatem conuertit metuere. Nam custodiendis bonis non modicum præsidium est timor, qui præteritorum recordatione, ad euentus futuros moderatum efficit eum, quem praua aliqua affectio concitat, qui proinde dum dominatur, omnique laxitate a nobis ad peccatum introductam felicitatem exterminat.* Hæc Nyssenus.

5. His mirificè concinit interior summi sacerdotis tunica byssina zona cõstricta, de qua sic Exod. Exod. 28.39. 28.39. *Stringes tunicam bysso.* vbi siue tunica, ex interpretatione Bedæ, inibi castitatem, siue totas virtutis partes, id est, sanctitatem ac vitæ puritatem adumbret, optimè ad asserendum, atque firmandum præfatum timorem, atque circumspectionem, quo non modò ad castitatem seruãdam, sed ad Dei gratiam retinendam; nec non ad totum vitæ curriculum in Dei obsequio conficiendum, opus est. Subsistit lectio Vatabli, & doctissimorum Hebræorum Rabb. Abraham, & Rabbi Salomon, & Rabb. Sahadias, qui pro iis verbis reponunt, *oculabis tunicam bysso*; nihil enim à vulgato dissentit; sed cuius figuræ, atque artificij zona illa tunicam adstrigens, fuerit nimirum oculorum figuris plenam (quod Iosephus hac de re agens manifestè confirmat, dum ipsam ita contextam, vt serpentis exuuium videri posset) insuper ostendit; est enim sensus, virtutem atque sanctitatem mille vigilantiæ, circumspectionis, assiduæque curæ oculis constare debere, vt tuta ac illibata perseueret: vt ad externum eiusdem sacerdotis baltheum, de quo indidem subiicit Dominus, *Et baltheum opere plumarij.* hoc est, pauonis oculis, siue in similitudinem pellis colubri, vt alij explicant. Sie opportunè monet Venerab. Arnaldus Carnotens. in tractat. de vltim. septem verbis Domini, ad finem. *Aderat præter hæs ligaturas, quæ cœlestibus desideriis, piisque affectionibus aptantur, præter ephod, quod posterius, & anterius legioni coniungebat, baltheus tam tunicam hyacinthinam, quam ipsum superhumerale, & rationale supernè constringens tanta firmitate, vt trium indumentorum vna species esse videretur, & omnia sibi strictim cohærerent, vt daretur intelligi, quanta sit diligentia sanctitas obseruanda, cui etiam post tanta excellentiæ gloriam, post dona virtutum, post agones & colluctationes, & victorias innumerabiles restant plerumque circa nouissima etiam carnis pericula, & necesse est, vt semper eiusmodi sollicitudo & intus, & extra inuigilet, vt actionum, & meditationum illibata gloria perseueret;* etiam summos fulgura feriunt montes. *Et nisi hac baltheo, etiam cùm omnia eatenus benè disposita fuerint, & ratio, & opera iugi nexu stringantur, per motus, & impulsus diuersarum tentationum disiungi potest, & dissilire, quod nullo turbine propellente firmum videbatur, & competenter dispositum.* Hæc omnia Arnaldus.

(Margin: Vatabl. — Rabb. Abraham — Rab. Salom. — Rab. Sahad. — Iosephus. — Arnald. — Carnot.)

6. Recensebat Isaias cap. 11. 2. egregia diuini Spiritus dona, quæ felici & sempiterna possessione Isai. 11. 2. requiem in Christo erant habitura, his verbis: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.* post quæ subiicit, *& replebit eum spiritus timoris Domini.* Quibus in verbis triplex nobis occurrit dubitatio. prima, timorem turbato (ad faciem) scriptionis ordine, non priori loco, tanquam initium, & rude spiritualis ædificij fundamentum, quas illi partes dare videtur Vates cùm ait: *Initium sapientiæ timor Domini*, Psal. 110. 10. Sed posteriori, atque digniori tanquam culmen & columen adnumerari. Psal. 110. 10. Secunda, non semel, sed bis inter spiritus dona recenseri: nam in Hebraico fonte vox ירא, quæ respondet in vulgato *pietati*, propriè significat *timorem*, atque ita vertitur à Pagnino, Vatablo, Forerio & aliis. Tertia, omnia denique dona ad hunc timorem deuolui, dum omnes sanctitatis partes totúmque animum impleturus dicitur; *& replebit eum* (inquit) *spiritus timoris Domini.* nullum ergo locum, nullum aditum cæteris donis, ac virtutibus faciet: id quod in Hebræo iuxta lectionem Tigurinam significantiùs habetur, *& faciet eum spirare timore Domini*, ac si timor Dei anima illius, quæ spiritum, vitam, motus, & operationes tribuat, vel, vt Forerius, & alij reddunt: *Olfacere ipsius eum timore Domini.* hoc est, nihil olfaciet, spirabítve, nisi timorem Domini? siue omnis ipsius actio, aut operatio, quantumuis minima ea sit; vt olfacere aut respirare, sine peculiari Dei timore non fiet. Quò it etiam aliorum lectio & expositio, *spiritus Dei olere faciet Christum, timorem Domini*; vt sit sensus. Quocumqûe aut opere, aut loco odorem emittet ex se timoris Domini. En eunctam operationem spiritu timoris imbutam, & ab eo incipere, & per illum ceptam finiri. Quis ergo aliis virtutibus ac donis locus? verùm superiori doctrinæ subnixos hosce nodos dissoluere, non erit difficile. Primæ enim dubitationi scitè respondet Hilarius ad ea verba Psal. 118. 38. *State seruo tuo eloquium tuum in timore*; ordinatissimè posteriori loco Dei timorem recenseri, quod ab ipso munimen, & firmamentum alia dona percipiant; quasi ea ipse firmet, atque custodiat; audi: *Nouit à plurimis Propheta eloquia Dei sine metu suscipi. Plures enim cœlestis eloquij Scripturas tanquam fabulam rerum inanium negligunt. Nouit initium sapientiæ Dei esse timorem. Nouit in illa septiformis spiritus gratia timorem in postremo tanquam firmamentum eorum, quæ superius sunt dicta, numerari.* Sic Hilarius: nec minus sapienter, luculentiùs verò, venustissimísque adiectis imaginibus Petrus Cellens. lib. de panib. cap. 14. inquiens; *Quasi enim custos super innumerabiles gazas, sic timor in vltimò charismatum ponitur, ad conseruandas incomparabiles gratias. Gemma pretiosissima pietas, sed facilè ab impietate surripitur, nisi timore custodiatur. Melior est igitur bona custodia adquisitorum, quàm impensa opera acquirendorum. Habeamus bonas, & pulchras gratiarum puellas, sed sub custodia diligentissimi pædagogi, scilicet timoris.*

(Margin: Lect. Tigurin. — Forerius. — Gaspar. Sanctius. — Hilarius. — Psal. 118. 38. — Petr Cellens.)

Vnde quidem secundæ etiam, ac tertiæ dubitationi ibis obuiam: nec enim ingratiis inter alia 7.
dona timor Dei iterum ponitur; tum quòd is mos Scripturæ sit; vt quæ maiori studio notari, & obseruari vult, vna & alia voce, hoc & illo modo notanter iteret; tum etiam quòd certissima, & testatissima semel dixisse, non est contenta; qua omnino de causa variis illi & saturitatis, & famis euentus sub duplici imagine Pharaoni per somnium commonstrati sunt, id peritissimo somniorum expositore Iosepho sic adnotante Genes. 41. 32. *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est.* Gen. 41. 32. Ergo non fuit contentus Vates, timorem Domini semel Christo adscripsisse; & in ipso vtcúmque requieuisse affirmare, nisi bis eadem sententia repetita insuper adnotaret, adeò timoris spiritu abundatu

daturum, vt eo quasi repletus non posset non omni loco atque opere illum spirare, omnibus suis actibus, atque operationibus eius halitum intermiscens, vt se & perfectum Dei amatorem, de quo scitè S. Zeno Veronens. serm. de timore Dei,
S. Zeno. *Sine fine studet timere, ne quid præter Deum quem diligit, timeat:* (ad quem modum sic monebat Greg.
Greg. Nazianz. orat. 5. *Hoc vnum timeamus ne quid magis, quam Deum timeamus, diuinæque imagini per improbam viuendi rationem probrum inferamus.*) Et aliis donorum, atque virtutum thesauris minimè vacuum ostenderet; quippe,

Cantabit vacuus coram latrone viator.

qui vero cœlestibus ornamentis præ diues est, iure timeat: ita quidem Simeon Senex apud Lu-
Luca 2.25. cam cap. 2. 25. *Iustus & timoratus* signatè dicitur: quod eleganter pendit Venerab. Galfrid. in alle-
Galfrid. goriis Gotfrid. Tilmani ad ea verba, *Beatus homo qui semper est pauidus,* hunc in modum: *Time si vis esse securus.* Simeon iustus, & timoratus, & Spiritus sanctus erat in eo: *Ne mireris quòd timuerit iustus, & in quo Spiritus sanctus erat. Non enim erat vacuus coram latrone viator, & quomodo non timeret? Thesaurum magnum habebat in vase fictili, & timoratum fuisse miraris?* Vnde eos, qui non timent sic pungit: *Tua credo securitas, aut de inopia, aut de ignorantia est: aut enim deest, quod possit auferri, aut deesse iam putas, qui possit auferre. Time igitur vel ob hoc ipsum, quòd te inuenis non timentem.*

8. Et verò quotquot in arte timendi periti sunt, non minus in prosperis successibus, florentique adstantis gratiæ statu, quàm in aduersitate, & desolatione timere nouerunt, eo modo quo dicebat Bernar. *Time cum arriserit gratia, vt ipsi* (verba Ful-
Fulgen. gentij epist. 4. ad Probam de orat. cap. 5.) *sint sine fine felices, qui nunc sine fictione sunt humiles; nec se inflatione vana seducunt; in qua sic non potest esse bonis plena securitas, vt tunc facilius aduersitas subrepat, cùm se prosperitas fraudulenter ostendat.* Aptet
Erasmus. iis non abs re aliquis tritum illud adagium, *Sicilianum mare*; natum, vt tradit Adagiographus, à Siculo quodam, qui cùm ficos naui portans naufragium fecisset, ac deinde sedens in littore mare placidum, ac tranquillum videret, veluti inuitans ad iterandam nauigationem, dixisse fertur, *Noui quid velis: ficos vis.* Ego verò afferre malim pulchram expositionem quam adhibet Gregorius
Greg. Magn. Iob. 29. 24. Magnus illis Iobi verbis cap. 29. 24. *Si ridebam cum seruo meo, non credebat*: dum de Christo Domino homini aliquando fauente, & pro illo stante sic capit. *Ridere etenim Dei est, sanctorum vias prosequenti fauore prosperari, sicut de iis quoque per vsum dicitur, quos in hoc sæculo felicitatis blandimenta comitantur; arrisit illis tempus: sed electi quique quamdiu in hac vita sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt: horis enim omnibus contra tentamenta suspecti occulti hostis insidias metuunt. nam sæpe multis graue periculum incauta securitas fuit.* Sed & hic etiam aptare placet timorem illum, quo vndequaque se concuti profitetur in Canti-
Habac. 3.2. co suo Habacuc, inquiens: *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Quare? quáve de causa? explicat Rabbi Salomonis lectio; nec non Cantici titulus prout à Chaldæo paraphrasticè elucidatur. nam præfatum locum sic legit Rabb. Sa-
Rabb. Salom. lomon: *Audiui quòd à sæculo solitus es vltionem sumere de irritantibus, & prouocantibus te; nunc verò sustines impium.* pro illis verò tituli verbis quæ in vulgato leguntur, *Oratio Habacuc Prophetæ pro*
Chald. *ignorantiis*; Chaldæus hæc reponit, *Preces quas precatus est Habacuc Propheta, quando reuelata est longitudo, quam dedit impiis, qui si conuertantur ad legem corde perfecto, dimittentur eis, & erunt omnia peccata eorum, quæ peccauerunt coram eo, velut ignoratio.* Sed quæ hinc timoris occasio, & non potiùs spei, gaudij atque gratulationis oriatur? nimirum quia sæpe multis graue periculum, incauta securitas fuit; tunc quippe facilius aduersitas subrepit, cùm se prosperitas ostendit: atque ideo iure ridenti, ac fauenti Deo cum metu, & tremore Propheta inseruiat, & famulandum illi moneat.

Habet verò in præfato Salomonis loco, *Beatus* 9.
vir qui semper est pauidus, singularem in hanc rem Prou. 28. 14.
energiam aduerbium *semper*: quid enim sit semper pauidum esse, nisi tunc etiam timere cùm periculum è vestigio non imminet; sed tuta, & pacata omnia esse videntur; aliter enim quis nisi insanissimus non timeat? Fauet lectio L X X. quæ L X X.
habet: *Beatus vir, qui veretur omnia per metum.* quo in loco non incommodè vsus fuerim imagine egregij belli ducis, qui dum victoriam ex parte est adeptus, hostes tamen omnino non perfregit, nec campo abegit; milites ne tanquam bello iam confecto quidquid neruorum est laxent; signatè verò excubitores, ne partæ victoriæ fiducia vigilias soluant, seriò & constanter admonet, quòd sæpe immatura securitas, atque lætitia aditum hostibus præbuerint ad nocendum, quem quidem gustum habere videtur Venerab. Guerricus cùm in serm.
1. de S. Benedicto ait. *Pone tibi vindicem, ac fidelem* Guerricus.
custodiam, quæ omni custodia seruet cor tuum; dico autem timorem Dei qui nihil negligit, qui nullum indiscussum intrare permittit, sæpius interrogans etiam Angelum lucis Noster es an aduersariorum? *vndique enim sibi circumspicit, tanquam omni hora cogitans circumspectionem Dei, quem sine intermissione intueri, ac iudicare corda hominum attendit.* Ita Guerricus.

En timorem salutis custodem, atque erudito- 10.
rem: vide iam indicem, ac fideiussorem, eo siquidem sensu, beatum à Salomone pauidum potissimùm dici crediderim, quòd is metus ac timor, securitatis atq; salutis index sit: pulcherrimè siquidem Tertull. lib. de cult. fœmin. c. *Timor funda-* Tertull.
mentum salutis est: timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contrà si præsumamus, neq; timendo, neque cauendo, difficilè salui erimus. Qui securus agit, non est sollicitus, non possidet tutam, & firmam securitatem: at, qui sollicitus est, is verè poterit esse securus. A quo sanè non longiùs id quod gentilis Plutarchus adnota- Plutarch.
uit in libro de audienda poëtica, Homerum Græcos, quos victores erat facturus, solicitos, metuentésque inducere; contrà verò Troianos qui perdendi, ac debellandi erant, alacres, nimiúmque fidentes facere. sic enim ille: *Is tropus notatur apud poëtam, quòd Troiani plurimum sibi fidentes magnóq; cum clamore incedunt: at Græci contra cum silentio metúque antesignanorum.* Ita quidem dicebat Regius
Psaltes, Psal. 55. 9. *Deus vitam meam annuntiaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* Sed meri- Psal. 55. 9.
tò in his verbis ambigas cum Ambr. in Psal. 37. quî fieri possit, vt Propheta hinc læta vitæ suæ nuncia prædicet, id enim propriè significat verbũ *annuncio*; illinc lacrymarum mentionem faciat? *non enim quasi innocentem vitam annunciat* (inquit
Ambros.) *vbi lachrymæ funduntur, quæ solent legatio-* Ambros.
nem suscipere pro delictis. Sed expeditissima solutio est, Vatem innuere, non alio quàm lachrymarum, anxiæ scilicet sollicitudinis atque timoris pretio, vitæ securitatem & nomen promereri, siue emi posse: ac si dicat; cùm maximè timeo, & largissimis fletibus obruor, de vita mea tantisper reddor secu

securus, diceremus Hispanè: *A peso de lagrimas y temor comprò las buenas nueuas de mi vida.* Quam ad rem opportuna sunt, quæ Saluianus Massiliens. lib. 4. ad Eccles. Cathol. arguens & irridens falsam peccantium securitatem hunc in modum dicebat. *Sed si quis vult ex peccatoribus scire quam grauiter censenda à Deo sint magna crimina, discat qualiter in semetipsis puniant sancti etiam leuia peccata; conscij scilicet iam ex ipsis Dei dictis futuri examinis, ac per Domini sui verba, etiam iudicia rimantes: & ideo semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in Cruce positi: beati, qui cùm omnium misereantur, sibi nunquam penitus ignoscant, in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes, & ideo in futuro iudicio digni præmio, quia hic apud se iugiter in reatu.* optimè, *iugiter in reatu*, sese videlicet velut peccatores, qui alicuius retroacti peccati memores datæ veniæ conscij omnino non sint, duriùs tractantes, & nullam sibi ipsis vitæ securitatem promittentes: & hac quidem de causa *digni præmio*. (Saluianus.)

11. Nec alio opinor sensu, nisi vt homines nimirum sibi fidentes significet, crediderim dixisse Salomonem Prouerb. 16. 25. *est via, quæ videtur homini recta, & nouissima ducunt ad mortem*: siue, vt emphaticèus LXX. *nouissima eorum spectant in profundum inferni*: nimirum diem sibi multum confidunt, dum de diuina misericordia imprudenter sibi blandiuntur; dum quæ agunt bona, ante oculos indesinenter habent; & de illis frustrà & vanè efferuntur; omnem à se timorem, & ex eo orientem sollicitudinem abiiciunt: iam verò, *Neque timendo, neque cauendo difficile salui erimus*: vt dicebat Tertull. Luculentiùs autem hac de re Saluianus Massiliens. citato lib. 4. ad Eccles. ad fin. *Pœnalis est hominis, ac perniciosa securitas, præsumpta spes sarcina sunt reatus: vsurpata absolutio damnationem parit.* & postmodum, *Nemini itaque facilis sua caussa sit: nullus ac facillius euadit, quam qui se euasurum esse præsumpserit.* hæc ille scitè, verè, sapienter, & vtiliter, quæ, velim, pensiculatiùs pendas, ac premas. Sed & citato præced. adnot. cap. 19. soliloquior. August. cum dixisset: *Magna enim sunt hæc iudicia tua Domine Deus iudex iuste, & fortis, qui iudicas æquitatem, & inscrutabilia facis, & profunda, quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea, quoniam non securatur homo viuens super terra, vt seruiamus tibi piè, & castè cunctis diebus vitæ nostræ in timore, & exultemus tibi cum tremore: vt non sit seruitium sine timore, neque gaudium sine tremore, & non glorietur accinctus æque ac discinctus, neque glorietur ante te omnis caro. sed pauescat & contremiscat à facie tua.* subiicit, *vidimus viuos, morientes, & mortuos à morte resurgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse*, &c. *Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderant, in quem primus ascendit Angelus, & descendit diabolus.* Hactenus Augustinus. (Prou. 16. 25. — LXX. — Tertullian. — Saluianus. — August.)

12. Hinc lepusculus arcano sensu mirificè à Salomone commendatur, & inter sapientiora sapientibus adscribitur, quòd præ timore, & pauore, atque imbecillis suæ naturæ cognitione longiùs à periculis diffugiat, & in petra cubile suum collocet: sic enim Prouerb. 30. 26. *lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum.* ac si his verbis eos graphicè depingat, qui semper pauidi omnia opera sua verentur; & quantumuis cœlestibus donis ornatos, siue cumulatos se videant; corpus suum castigare, & in seruitutem redigere non cessant, ne reprobi efficiantur. Ita Venerab. Galfrid. ad hæc verba in allegoriis Gotfridi Tilman. *Cubile (inquit) suis ponit lepusculus in petra apud eos qui inualidi quidem, sed eiusdem inualetudinis sui non ignari in fluctibus pœnitentiæ custodiunt vias duras. Huic dicitur,* Ingredere in petram, abscondere in fossam humo; & : Beatus homo, qui semper est pauidus, *qui omnia opera sua veretur, nec currere audet, nec in terra suauiter viuentium: vbi sapientia non habitat, nec in locis humentibus vbi leuiathan dormit, sed in petra ponit cubile suum.* Ita ille. Firmat id verbis, & exemplis Paulus, qui virtute, miraculis, & cœlesti fauore vndique clarus ex animi sententia dicebat: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*, 1. ad Corinth. 9. 27. quæ verba in hanc rem sic pendit Gregor. Magnus, dum citata Iobi verba, *si ridebam cum seruo meo, non credebat*, in omnem partem versat: *Bene ergo per vocem electi membri sub figura nostri capitis dicitur,* si quando ridebam ad eos, non credebant mihi, *quia Redemptori nostro quasi arridenti non credimus dum multis iam eius donis testantibus, & gratiam fauoris eius accipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de nostra infirmitate titubamus, videamus qualiter Paulo & arridetur iam per supernam gratiam, & ipse adhuc quasi non credit per suspicionis metum; iam è cœlo illi Dominus loquens, eiúsque interius oculos aperiens, exteriùs claudens, potentiam suæ maiestatis ostenderat: iam de eo Ananiæ dixerat;* Vas electionis est mihi iste. *Iam in paradisum ductus, arcana verba quæ dicere non posset, audierat, & tamen adhuc timidus dicit:* castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. *Ecce arridenti sibi diuina gratia iam credit per spem, & nec dum tamen credit per securitatem.* Hæc Gregorius. Quibus ad delicatorum lasciuientium hominum reprimendam licentiam, siue animositatem, qui dormientes in lectis eburneis, & lasciuientes in stratis suis, comedentes agnum de grege, & vitulum de armento, (Amos 6. 4.) nulla scilicet asperioris vitæ, ne dicam frugalitatis, aut temperantiæ habita ratione, certò sibi pollicentur æternam vitam, necessariò duximus attexenda, quæ S. Xistus Pontifex in lib. de castitate sic seriò atque seuerè, verè tamen omnino scripit. *Vide ergo si expediat tibi vt cùm alij corpus suum abstinentia, ieiuniòque conficiant, tu tuum magis epulis, & exquisitis dapibus nutrias. & cùm illi Christi exemplo sobrij vigilijs frequentes transeant noctes, te vero esca distentum thorus mollior, nec volentem quidem vigilare permittat: & cùm illi sacco, & cinere, & omni iniuriarum genere afflicta, & pallentia membra circumferant, tu adornatus, & splendidus, & lætus incedas; & cùm illi pœnè omne tempus lachrymosis orationibus transigant, te ridere, & luxuriari delectet*, &c. *Nunquid non vnus omnibus Deus? aut non omnes Christiani eiusdem iudicis expectant aduentum? aut forsitan mitior alios alius, vel atrior. ignis expectat: vt alij tantum sollicitj sint; alij tantum securi: crede mihi, quod & illi vellent securi esse, si sibi intelligerent expedire.* Hæc & plura Xistus ibi. (Prou. 30. 26. — Galfrid. — 1. Ad Corin. 9. 27. — Gregor. Magnus. — Actuum 9. 15. — Amos 6. 4. — S. Xistus Pont.)

Nos hunc timorem plus explicemus, & sub praxim coniiciamus: sed id alias & alias adnotationes exposcit.

Ad ea

Ad eadem verba, *Cum metu, & tremore*, &c.

Adnotatio III.

Omnem sollicitudinem, & operam in vno salutis negotio figendam, omnem mentis viriúmque conatum adhibendum esse.

1. HIc ergo præscripti à Paulo Philippensibus metus ac timoris scopus, vt ab illo accuratissimum virtutis studium, assiduáque, ac indefessa bonorum operum cura, egregius morum pudor, necnon peculiaris nostræ salutis amor exoriantur: nam de hoc scitè dixit Plinius iunior lib. 9. epist. *Nihil est enim quod charitatem rei adeò excitet, & accendat, quàm carendi metus.* & ex Xenophonte lib. 1. Oeconom. Tullius: *Metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi.* de pudore in comment. quid dixerit parœmia vidimus: iam verò studium atque diligentiam sic elicit ex his verbis Chrysost. *Ne illud tibi timorem incutiat, quod dixi*, cum timore, & tremore: *non enim ideo dixi vt desperes, vt virtutem rem esse putes, quam consequi nullo pacto queas, sed vt mentem adhibeas, nec te ipsum remittas, & quasi fatiscas.* Quò certè it verbum *operamini*, potissimum verò vt Græcè habetur: etenim κατεργάζεσθε, sic capitur ab eodem Chrysost. & Theoph. vt idem sit, ac si dixerit Paulus, cum multa diligentia & sollicitudine vestram salutem operari pergite; sed enim Regij Vatis verbis, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, quæ Apostolus expressisse videtur, hic omnino sensus, siue spiritus subest, vt (quod in comment dicebat Tertullian.) tristitia sollicitiùs administret disciplinam: vnde ad id Psalm. Hilarius: *Non securum patitur, aut negligens seruitium: vult in omni seruitutis officio admisceri timorem: vt enim metuentes serui diligentius dominis carnalibus seruiunt, cùm voluntatem solertioris obsequij metus obsequelæ admixtus eliciat; ita & Deo seruientes si timeant per imminentem tremorem, non negligentes in ea erunt, quam susceperint seruitutem.* Nec alia quidem mente subdidit Psaltes: *Apprehendite disciplinam:* nam prærerquam, quòd disciplina propriè significat optimum viuendi institutum, quod religiosè, & rectè actiones omnes, omniaque vitæ consilia moderatur, immo potius ordinationem seueram, & castigatricem, quæ & pietatis officia, & pœnitentiæ, ac mortificationis opera complectatur: vt tam Pamelius & Rhenanus ex Tertull. in commentariis ad eius librum contra Valentinianos, quam hæc Cypriani verba in lib. de habitu virg. *Disciplina custos spei retinaculum fidei, dux itineris, salutaris fomes, ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis facit in Christo manere semper*; manifestè suadent. Verbum *apprehendo*, opportunam huic sensui emphasim habet: nec enim rem vtcumque capere, sed totis viribus omnique conatu, nisu, atque impetu arripere significat; eo modo, quo si Dauidis more ferocissimum leonem inter manus caperes, ad eum retinendum, domandum, ac dilacerandum maximam vim, atque nisum adhibere opus haberes; id ipsomet sic explicante 1. Regum 17.34. *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis. Et persequebar eos, & percutiebam eruebámque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos.* Ita omnino hanc vim verbi exprimente Hilario præfato loco: *Virtute verbi significationem impatientis, & velut præproperæ ad id voluntatis ostendit: non tam expetendam, quàm apprehendendam potius disciplinam docens; non tempore* (lego tepôre) *fidei in huius obedientiæ obseruatione contentus, sed ardorem spiritus in apprehendendi auiditate desiderans: sic in rapiendo regnum cœlorum raptore Dominus delectatus ait:* A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud. Firmat id statim Hilarius Pauli verbis in hac nostra epist. cap. 3. 12. *Sequor autem si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo*; pro verbo *comprehendo*, reponens ipse *apprehendo*, atq; hunc in modum elucidans, *sic & beatus Paulus currit, vt apprehendat, dicens*, Sequor autem vt apprehendam, in quo & apprehensus sum. *Non lento gradu properat, neque otioso sequitur pro cursu. apprehensurus enim sequitur: & satis quidem dixisse videretur, si cõsequuturus sequeretur: sed vim & ipse afferre optat, & apprehendere properat, & modo exempli corporalis inuadere.* Hæc Hilarius, quæ postmodum Psalmi verbis sic aptat: *Apprehendenda itaque disciplina, & inuadenda est quodam amplexu, & vinculo corporali: ne elabatur, aut excidat.* Similiter inibi Euthymius inquiens: *Maiorem his verbis intensionem adiungit Propheta ad id quod dixerat; ac si dixerit: Erudimini non in superficie, sed summo studio contendite, vt perfectam virtutem consequamini: dictum autem est hoc ex metaphora eorum, qui pugno aliquid constanter tenent.* Similia inuenies apud Theodorum Antiochenum in hunc sensum prementem Græcum verbum δράξασθε.

2. Nec hinc discedam, quin rationem, quam ad disciplinam summo ardore arripiendam subiungit Vates, etiam appingam; quòd iniecto metui atque tremori, ac proinde nostro instituto mirè cohæreat. *Ne quando* (inquit) *irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Sed obserua Hebræam particulam quæ respondet Latinæ *ne*, non dubitantis, sed absolutè affirmantis sæpius esse, ac proinde eam habere vim, ac si dicatur, toto animi conatu disciplinam arripite, ne si non apprehenderitis, pereatis: ita quidem videtis, fatuarum virginum ruinam, & à *via iusta* declinationem inde signatè ortum habuisse, quòd externarum rerum curis intentæ, salutis negotium frigidè & oscitanter susceperint, id namque earum oratio indicat: *lampades nostræ extinguuntur.* nimirum nec omnino mortuæ, nec omnino accensæ, sed semiuiuæ, semiextinctæ erant; vt alibi ex Paschas. ad id loci expendo. Accinit Christi monitum: *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, Luc. 12.35. quæsita locutione ardendi ad acre virtutis studium nos incitantis: vnde Prosper epist. 84. inter epist. Ambros. sic illud capit, *Vt scilicet superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere, ac si vigorem eius aliqua turbarit aduersitas, vnde cupiat inflammari, inde poscat igniri.* Quòd si dixeris, & fatuas virgines igniri poposcisse, & nos sæpius pro nostræ salutis negotio Deum orare solitos, sic nos vrget Chrysostomus homil. 23. in Matth. *Nos ergo nos ipsi causa nostræ perditionis exsistimus: non enim instanter ad eum accedimus, non interpellamus assiduè, non rogamus*, quemad

Marginalia: Plinius. Chrysost. Lect. Græc. Chrysost. Theoph. Tertullian. Hilarius. Pamelius. Rhenanus. Cyprian. 1. Reg. 17. 34. Hilarius. Ad Philip. 3. 12. Hilarius. Euthym. Theod. Antioch. Paschas. Luc. 12. 35. Prosper. Chrysost.

quemadmodum pro tanta est dignum causa rogare, sed & si eum adeamus aliquando, ita facimus hoc, quasi non desideremus accipere, neque cum ea fide, qua congruit deprecantes, sed oscitantes prorsus, ac tota mente torpentes, ea, quæ videmur postulare, negligimus. Sic ille.

3. Sed vt ad verbum *apprehendo*, à quo digressi sumus, reuertamur: illud quidem sigillatim ad hæc eadem sensa exprimenda vsurpauit Paulus Timoth. sic monens epist. 1. cap. 6. 12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.* Quid enim credis significare, *apprehende vitam æternam*. Num (quod aliqui dicunt) ita certa in hoc cursu, vt apprehendas, & consequaris vitam æternam: siue, vt alij volunt, ne decertare, siue currere cesses, donec apprehendas vitam æternam? Non opinor; sed potiùs, Apostolum ex præfata verbi *apprehendo*, vi proprietate vrgere Timoth. vt summa contentione, totóque animi ardore, æternæ vitæ negotium suscipiat, & (quod prouerbio dicitur ad extremum conatum significandum) *vtraque manu* prehendat: sic quippe dixit Plato in sophista, *Et, quod dici solet, nequaquam altera prehendendum manu, quin magis ambabus*, vt nimirum hæc oratio præcedentis sententiæ: *Certa bonum certamen fidei*, maior explicatio sit: dùm verò hac certandi imagine omni modo summóque studio omnibus neruis, & velut vtraque manu fortiter tenacitérque iniecta, in salutis, atque æternæ vitæ negotio contendere monet; tacitè etiam salubre hoc monitum vrgere videtur ex obstinatissima contentione, & ardore, quo homines peccandi occasiones, id est, mortem, mortémque sempiternam apprehendere student, & retinere conantur: dixit siquidem Ieremias cap. 8. 5. *Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa. Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* & eodem gustu Salomon Sapientiæ 1. 12. sic peccatores vellicabat, *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ*; extremum conatum, & vehemens studium, quo sæculi amatores in illius voluptates & bona temerarij feruntur, toto ea impetu apprehendere, & è manibus elabentia (quippe mendacium ruinoso innititur fundamento, ac proinde breui corruere necesse est) retinere curantes pulchris vtérque dicendi modis, & accuratis locutionibus exprimentes; eò enim & apprehendendi phrasis, & zelotypiæ imago quæ ardentissima inter omnes animi affectionibus habetur, eunt. Ergo summo hoc conatu extremóque studio quod in occupanda & retinenda morte peccatores impendunt, apprehendendam à iustis vitam præscribit opportunè Paulus, non secus ac epist. ad Titum 2. cap. 14. de Christo Domino semetipsum pro nobis dante, vt bonarum actionum quam maximè studiosi essemus, dicebat: *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorum bonorum operum.* vbi pro *sectatorem*, Græce est ζηλωτὴν, *zelotem*, siue *æmulatorem*: (vt reddunt Theodoretus, Hieronymus, & Ambrosius,) qui videlicet virtutis pulchritudine captus, eam ardentiùs amplexari, & in illius studio omnibus excellere studeret: cùm oraculum sit, quod orat. 40. monet Nazianzenus, *Pari enim vitio sunt, promptitudo ad vitium, & segnities ad virtutem.* Certè hac ratione Hebræus Philo lib. de sacrific. Abel. & Cain, dum illud Genesis 4. 3. *Factum est autem post multos dies* (siue vt Hebraicè habetur, *& fuit in fine dierum*) *vt offerret Cain de fructibus terræ*, &c. vndequaque versat; in Cainnem grauiter inuehitur, quòd frigidus virtutis amator exstiterit, nec fratrem præuolare studuerit. *Nam oportet eos* (inquit) *qui boni aliquid faciunt, præuolare alios, & amoliri impedimenta omnia.* Ita ille.

1. ad Tim. 6. 12. — Plato. — Ierem. 8. 5. — Sap. 1. 12. — Ad Tit. 2. 14 — Theodor. Hieronym. Ambros. — Genes. 4. 3. — Philo.

4. Verùm enim verò ille in hanc rem signatissimus locus est Matth. 11. 12. vbi Christum de regno cœlorum sic loquentem facit: *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; circa quæ verba recole primum dicta à nobis ad versic. 6. huius cap. adnotat. 5. num. 2. ex verbis Genes. 3. 24. de exercitu Cherubim (nam vox *Cherubim*, inibi in plurali terminatione est) circa paradisi mœnia igneis & versatilibus gladiis indefessas excubias agente, vt augmento sit, maxima strenuitate, ac fortitudine, siue bellandi peritia; maximo, inquam, virtutis studio, atque ardore opus esse iis, qui cœlestem beatitudinem adipisci volunt; nec aliunde quàm per gladiorum acumina; hoc est, per egregia pœnitentiæ, ac mortificationis opera beatitudinis illis aditum aperiri, quasi bello, & armis cœlorum regnum obtineant; qua de re præter ea quæ ex Patribus, Chrysostomo, Basilio, Cyrillo, & aliis coaceruant interpretes, audi S. Antioch. homil. 130. de regno, tom. 2. Biblioth. veterum Patrum, vbi cùm aptissimam temporalis regni imaginem sic attulisset: *Regnum* (inquit.) *temporarium ambit quis? hic necesse est, vt exerat, atque ostentet strenuitatis plurimum in bellis, periculis, excubijs, anxijs sollicitudinibus, laboribus perplexis: nihil ducit tribulationes omnes, vndecumque contingant, spe dum alitur regni, vel per insomnium excogitati*, &c. *Cúmque se existimat in manibus habere quæ spe præcerpserat, vnus aliquis citra omnium suspicionem pro illo plerumque diadema tulit.* (ac si audiuisset Antiochus Cornelium Tacitum lib. 3. Annalium de Claudio Romani imperij fastigiis destinato dicentem: *Mihi quanto plura recentium, siue veterum reuoluo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotijs obseruantur; quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quàm quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat*;) subdit ad rem præsentem. *Quanto agone opus? quo studio? quam ex prompta animi alacritate? quibus vigilijs? sollicitudinibus? periculis? tribulationibus? tentationibus arcanis quidem, & vix vlli compertis, ærumnis; immo & quot mortis species adeundæ veniunt ei, qui cum Christo æternùm cupit regnare? ob hoc vnum sancti omnes, qui nostram hanc anteuerterunt ætatem viri, mulieres, immo & pueri ad mortem vsque strenuè decertarunt, quò vel tandem regno perfruerentur cœlorum*: Regnum *siquidem* cœleste vim patitur. *Illud enim piè rapiunt, in omnibus suam indolem ad vitia propendentem student euincere vi quadam iniecta suæ naturæ.* Hæc & alia inibi Antiochus.

Matt. 11. 12. — S. Antioch. — Corn. Tacit.

5. Sed enim, peculiarem lectionem, quam his verbis Ambrosius, & alij efferunt, deinde obserua: sic enim ipse reponit sermone 15. de Natali in lib. 6. in Lucam, *Regnum cœlorum cogitur*, &c. Quid verò sit, cogi, sic statim ipse explicat: *Cogi autem verbum, tunc solet dici, cùm res aliqua rarior assidua operatione densatur*: vt videlicet sensus sit cœlorum regnum post Christi aduentum constringi, siue contrahi, & angustiori

Ambros.

ſtioribus limitibus circumſcribi: vbi meritò ambigas, quî hæc ſententia queat ſubſiſtere? maximè cùm ob Chriſti benignitatem, & gratiam in homines largiſſimè diffuſam ſignatè dixerit Vates
Pſal.101.3. Pſalm. 102. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem.* hoc eſt quod priùs antea implicitum, atque contractum erat, explicans, atque protrahens, vt non pauculos quoſque, hóſque ſeueriſſimæ diſciplinæ cuſtodes, ſed plurimos, & pænè innumerabiles ab Oriente, & Occidente venientes, quíque publicani antea ſiue meretrices fuerint,
Caſſiod. capiat. *Bene dicitur* (inquit ibi Caſſiodorus, & to-
Arnob. tidem verbis Arnobius) *Dominus cœlum extendere, vbi meretrices, & publicanos ad eum constat admittere; nam cùm ſint per iuſtitiam cœli iuſtorum facti, ſunt & gratiæ largitate peccantium.* At enim verò nec Chriſto Vates contrarius, nec Ambroſio diſſimilis Arnobius, nec phraſis *extendendi* cœlum ab illa, quà *cogi* dicitur, diſſona eſt: immo hæc mutuo ſub ea, quam perſequimur ſententia, ſibi concinnunt, pro qua hæc ſubiicit citato loco Ambroſius, *Ex quo ergo Ioannes Baptiſta Saluatoris annunciauit aduentum, ex eo regnum cœlorum, quod prius fluidum, ac remiſſum apud Iudæos iacebat, credentium populorum cepit aſſiduitate denſari.* Quæ ſanè verba ſub obſcuris locutionibus deliteſcentia ſic capio, & cum vulgati lectione & phraſibus *vim patitur, & violenti rapiunt*, ſiue *diripiunt*, vt alij legunt, ſub eo ſenſu compono, vt ad imaginem pugnantium, rémque magno impetu, & quaſi ex rapto capientium, ac diripientium ſpectent, ac ſi ex ſententia Chriſti dicat Ambroſius, cœlorum regnum, ad quod vnus antea Iudæorum populus vocabatur, eáque ratione manu faciliùs capi, & apprehendi poterat, quippe quod magis extenſum, atque dilatatum, ſiue porrectum erat, vocatis iam, átque ingredientibus ex toto terrarum orbe Gentilibus, comprimi, atque denſari, ſiue contrahi, atque conſtringi; ac proinde capientium manus quodammodo effugere, ſiue eludere; dum multo pluribus quàm antea in illud irrumpentibus, minus ſui ſpatium, per quod apprehendi valeat, relinquit, atque ideo quaſi bello, & armis obtineri; maximáque lacertorum vi, & pugnaciſſima manuum iniectione fortiores ab ignauorum manibus illud extorquere: quod ſanè propriè ſignificat rapiendi, ſiue diripiendi
Maldonat. phraſis. *Rapere enim dicimur* (inquit ibi Maldonatus) *quod de alicuius manibus extorquemus.* Explico rem. Cœleſtes ſedes, ſiue manſiones, quamuis plurimæ, certo tamen numero ſignatæ, ac definitæ ſunt, vnde dum pluribus modò quàm antea obtinendæ, ſiue inter plures diuidendæ, & meritorum vi adipiſcendæ proponunnuntur; acriorem pugnam & vehementiorem virtutis conflictationem expoſcunt: ita quidem videris antiquos illos Iſraëlitici populi patres tam vxoribus & liberis, quàm maximarum opum onere graues beatitudinis ſtadium percurriſſe; poſt Chriſti autem aduentum, & Euangelij ad gentes promulgationem, ſignatè de rerum harum contemptu, ſuíque ipſorum abnegatione, & odio homines à Chriſto in concionibus fuiſſe admonitos, indeſinentérque moneri; quaſi acriùs iam ea de re contendere ac dimicare opus ſit, robuſtioréſque ac generoſiores animi deſiderentur, cum ad eandem palmam obtinendam, multo iam plures agoniſtæ & certatores admittantur: vnde in communem iam Patrum ſenſum de mortificatione, paupertate, pœnitentia, ſuíque abnegatione hæc verba capientium, ſic inquit Ambroſius: *Aggre-* Ambroſ.
dimur illum (Chriſtum) *non ferro, non fuſte, non ſaxo, ſed manſuetudine, bonis operibus, caſtitate. Hæc ſunt arma fidei noſtræ, quibus in congreſſione certamus: vt autem his armis vti in vi inferenda poſſimus, ante corporibus noſtris vim quodam modo faciamus, expugnemus membrorum vitia, vt virtutum præmia conſequamur.* Sic Ambroſius. En ergo, quid ſit cœlorum regnum cogi, quid extendi: ſiue potiùs idem eſſe extendi, atque cogi & conſtringi, dum videlicet pluribus iam expoſitum, maiorem ab ipſis contentionem, ardentiorémque conatum efflagitat: vnde Nazianzenus orat. 40. in ſancto Baptiſma eos qui Chriſto nomina dabant, vt magno ſtudio & ardore accederent, ſic ex his Domini verbis vrgebat. *Quocir-* Greg.Naz.
ca vobis prouidendum eſt, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verum ſummam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis anteuertat, ne adulter vos prætereat; ne auarus ſuperiore conditione ſit, ne ſicarius bonum illud præripiat, ne publicanus, ne ſcortator, ne denique quiſquam ex ijs, qui per vim in regnum irrumpunt, illudque rapiunt; vltrò enim vim pati, ac propter bonitatem tyrannidem ſuffert. Hæc Nazianzenus.

Firmat hæc ſenſa Luc. cap. 16. verſ. 16. dum 6.
pro iis Matthæi verbis, *Et violenti rapiunt illud,* Luc.16.16.
ipſe reponit, *& omnis in illud vim facit*; ſiue, vt Lect.Græc.
alij è Græco legunt, *& omnes in illud certatim irrumpunt.* quaſi in vna felicitate laborantes quæ omnes non capiat, alij alios anteuertere, & ex eorum manibus extorquere adnitantur. Sed quid indidem Dominus dixerit; quod etiam Luc. de ſuo ſubiecerit, meritò obſerues. Sic igitur Dominus, *Nemo ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire*, &c. *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ*; ſubdit Lucas, *Audiebant autem hæc omnia Phariſæi, qui erant auari, & deridebant illum.* Sed cur deriderent? Sanè quod veteris temporis vſibus aſſuefacti, necnon legis præmiis, quæ in rerum temporalium copia ſæpiùs cenſebantur, ineſcati rem præpoſteram, & ſtultam ducerent, diuitias repudiare, & florenti fortunæ nuntium mittere, ac proinde Chriſti monita de rerum contemptu, riſu digna exiſtimarent. His ergo terrenis, atque carnalibus eorum cogitationibus, malignæque irriſioni occurrens Dominus, opportunè monuit, aliam iam rationem; alium modum ambiendi cœlorum regnum in vſu eſſe debere, acriorique certamine, & colluctatione ad illud obtinendum, opus fore, quòd vna, & eadem res, quæ inter paucos antea eſſet diſtribuenda, pænè infinitis modò gentibus capienda exponeretur; vnde ardentiùs contendere, & à ſæculi rebus ſolutos eſſe, maximè expedire: videtur adnotaſſe id ibi Theophyl. ad hunc modum: Theophyl.
Videntur hæc ſeparatim dicta, & cum ſuperioribus non cohærere, ſed attendenti videbuntur non malè conſectanea. Nam quia ipſe paupertatem in ſuperioribus docuerat, vocando diuitias iniuſtum mammonam, lex verò benedictiones & in diuitijs dabat, & Prophetæ bona terræ promittebant: vt ne quis dicat ei irridens ſicut Phariſæi. Quid tu dicis? contrarius es legi? illa & in diuitijs benedicit, & tu paupertatem doces; propterea dicit: Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, &c. *A quo autem tempore Ioannes propter paupertatem materia ferè carebat, & ſine poſſeſſionibus verſabatur, non vltra bona terrena huic tempori debentur*; quippe quæ pugnantes obligare, & impedire ſolent.

Oportet autem eos qui boni aliquid agunt, (vti dicebat Philo.) *praeclare alios, & amoliri impedimenta omnia.*

7. Et verò omnino ex hac re illud Philadelphiēsi Episcopo missum nuntium, siue datum monitum Apocalyps. 3. 11. *Ecce venio citò: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*; nec enim solùm his verbis innui crediderim, quod ex S. Thoma 1. part. quaest. 23. artic. 6. ad 1. obseruant Aleazar, & Ribera eum esse diuinae prouidentiae ordinem, vt iusto aliquo (heu!) tristi fato cadente, alter non iustus in eius locum substituatur; sed etiam, vt non secus, ac *omni habenti dabitur & abundabit*, ita *non habenti, & quod habet auferatur ab eo*, Matth. 13. 12. hoc est, homines desides, & ignauos qui salutis negotium segniter, negligentérque suscipiunt, iusto Dei iudicio à mandatis ipsius repulsos perire de via iusta, & à latronibus, adulteris, & sicariis Dei obsequium ardenter arripientibus, disciplinámque tenaciter apprehendentibus anteuerti: ea enim vis inest verbo *tene*, ac verbo *apprehendo*; ab eo enim dicitur, *tenax*, & *pertinax*, similiter & Graeco κράτει, id est, *fortiter apprehensum serua*; vbi vides non modò de perseuerantia, sed etiam de diligentia, & acri aduersùs torporem, & desidiam studio iustum illum antistitem tristi, ac diro amittendi coronam metu iniecto commoneti, eodem planè sensu, ac dicebat Nazianzenus: *Vobis prouidendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verùm summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis anteuertat, ne sicarius bonum illud vobis praeripiat.* Cui instituto haec opportunissimè scripsit S. Aldhelmus libro de laud. virgin. cap. 4. *Plerumque (proh dolor!) mutatis ordinibus versa vice contingere solet, vt inferioris vitae gradus vsquequaque paulatim proficiens superiorem tepidè torpentem praeoccupet, & acerrima stimulo compunctionis instigatus dudum superiorem voti compos victorem anticipet, & qui existimabatur praeterita conuersationis negligentia posterior, deinceps diuinae charitatis flamma succensus existat anterior.*

S. Thom. Alaz. Ribera. Matt. 13. 12. Graeca lect. Nazian. Aldelhm.

8. Nec discedam hinc, quin eum, quem tibi illa locutio, *vt nemo accipiat*, &c. iniiciet scrupulum, eiicere coner: forsan enim dixeris, non satis Latinè, & limato sermone dici, *vt nemo accipiat*; quid enim fuerit, neminem fore accepturum? cùm sensus esse videatur non neminem siue aliquem accepturum. Ergo cogitabis fuisse dicendum, *ne alius*, siue, *vt ne aliquis accipiat coronam tuam.* Verùm enim verò, adeò non est impolitus, siue congrui sermonis expers, is dicendi modus, vt pulchrè potiùs, & emphaticè subsistat. Sanè, si, vt tibi videtur, dictum fuisset; ne alius accipiat coronam tuam, is solùm esset sensus, qui & frequentiùs circumfertur, serua fortiter, & strenuè quod habes, ne ab alio fortiùs decertante anteuertaris: at enim verò dum signatè dixit, *vt nemo*, id est, *ne nemo accipiat*; amplius aliquid addidit, nimirum eum à quo in stadio tepidus, & negligentes esset anteuertendus, nemine priùs futurum: hoc est, nullius frugi hominem, siue qui meritis, & pretio nullus sit, puta latro, adulter, auarus, aut sicarius, vt dicebat Nazianzenus, est enim is Scripturae mos, vt Gentiles, & peccatores non esse, aut nullos esse in ea dicantur. Ita Esther 14. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt*; & notanter ad rem praesentem Deuteronomij 32. 21. *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt me in vanitatibus suis, & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus: & in gente stulta irritabo illos.* quasi dicat, ipsi ad aemulationem & zelotypiam me prouocare studebant, adhaerentes vanissimis idolis; ideo ego mutua vice ad aemulationem & inuidiam concitabo, praeponendo illis populum Gentilium, qui ob veri Dei ignorationem vilissimus, & nullius momenti, & quasi nomine indignus habetur: quae facile etiam aptes iis, in quibus sumus, & cum praefatis Apocalyps. verbis componas; maximè si Theodoreti ad haec verba Moysis commentarium adiunxeris: sic enim ille quaest. 41. *Sicut vos vno Deo relicto plures falsos deos ei anteposuistis; sic ego relicto vno populo conferam omnibus gentibus salutem: verùm vos coluistis eos, qui verè non erant dij, nec eos colendo, deos efficere potuistis: at ego gentes insipientes verè implebo Spiritu diuino; vos autem videntes contabescitis inuidia.* Ergo tu, quisquis in altissimo siue religionis, siue sacerdotij statu Deo famularis, *tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*: ne latro tibi anteuertat, ne sicarius bonum illud tibi praeripiat. Hinc Augustinus loco non semel citato soliloquiorum. *Vidimus viuos morientes, & mortuos a morte surgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse, quia publicani, & meretrices praecedunt incolas in regno caelorum; filij autem regni eijciuntur in tenebras exteriores.* Haec mentis iudicio assecutus Augustinus, ita verò non mente solùm, sed visu, & oculis Abbas Siluanus in vitis Patrum libro 5. titulo de compunctione. *Ego ad iudicium raptus sum, & vidi multos de habitu nostro euntes ad tormenta, & multos saeculares euntes ad regnum.*

Esther 14. 11. Deut. 32. 21. Theodor. August. Vit. Patrum.

Hinc de electis ad regnum, prae omissis, siue dimissis, praesertim verò de Ecclesiae filiis reprobae plebi antepositis, Canticorum 3. 6. dicitur: 9.
Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae, & thuris? Quibus verbis, praeterquam, quòd excellens iustorum virtus, eximiáque perfectio describitur: *sic enim anima*, (verba commentarij Trium Patrum) *Spiritu succensa per actionem quidem, carnis crassitudinem, per contemplationem autem, rerum species extenuans, probis tum moribus, tum sermonibus leuis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur.* virgulae phrasim, siue imaginem obserua. Cur enim animam siue dum in corpore degit virtutibus ad caelestem sponsum euntem, siue corpore exutam securo gressu ad caelum ascendentem, non alij rei, immò nec virgae, sed potiùs virgulae, atque ei, quae summè tenuis, atque gracilis, & difficili cuiuis aditui per via sit, comparasse credis; Respondent cum Richardo plures: per hoc velocitatem ascendendi designari, *virgulae enim* (inquit ille) *quae crescendo grossantur, non nimis in altum ducuntur, sed virgulae, quae velociùs, & sursum crescunt, subtiliores, & minores sunt.* Bene: ego verò potiùs crediderim, siue cum Hugone de S. Victore ad caeli viam, siue cum Paschas. ad ianuam allusum esse; quasi ex alterius, siue potiùs ex vtriusque mensura, anima, caelestia vestigia premens, vitaeque ianuam ingrediens mensuretur, vt nimirum ad viae arctum, & ad portae angustias,

Comm. trium Patrum. Richard.

gustias aliter inoffenso pede non processura, nec cœlum penetratura se componat. Audi Hugonem lib. 1. erudit. Theolog. cap. 210. *Quia tantum sursum tendit, recta esse debet, & quia arcta est via, gracilis, & quia longa, porrecta.* optimè. Et quidem pro hac expositione sic videtur fidei iubere Salomon Prouerb. 12. 28. *In semita iustitia vita; iter autem deuium ducit ad mortem.* Sed vt pulchram, vtilémque inde sententiam eruas, semitæ, itinerisque discrimen, à quo & vita à morte discriminatur, nosse oportet: certè iter ad viam latam & mollem significandam in vtraque pagina sæpè desumitur: vnde Psalm. 1. vers. vltim. cùm dixisset Vates: *Nouit Dominus viam iustorum*, subdidit: *& iter impiorum peribit*; & gentilis poëta de litera Pythagorica disserens, cùm virtuti angustam viam dedisset, de vitio dixit,

Molle ostentat iter, via lata;

scio non omnino esse firmam hanc de voce itineris obseruationem, sed, vt vt id sit firmissimè semitæ significatio ab itinere discrepat, quippe semita dicitur quasi *semi iter*, arcta videlicet, & angusta via, quæ non fusis, ac licentiosè vagantibus vestigiis, sed iusto, & contracto pede teratur: vnde hæc esse videtur Salomonis mens, adeò è salutis re esse, arctas virtutis vias premere, & angusto calle incedere. vt ab arcto virtutis declinare, in mortem recidere sit: iuuat Hebræa lect. in quam secundum hemistichium sic effertur, *In via semita, non mors.* quod cum Vulgati lect. facilè concilies. nam si via semita, non mors: viam non semitam, mortem iure dixeris. Consonat verò sibi Sapiens, qui Prouerb. 4. 26. dixerat, *dirige semitam pedibus tuis*, siue, vt in Hebr. est, *libra semitam pedibus tuis*, quæ omnino per hypallagem, qua verba pro verbis summutantur, siue per aduersum intelliguntur: vt apud poëtam Æneid. 1.

——Tot voluere casus,
Insignem pietate virum;

hoc est, tot casibus volui. & lib. 3.

Dare classibus Austros;

pro, dare classes Austro, capienda sunt, ac si dicat: Pedes tuos cum semita diuinæ legis ita compone, siue ad illius arctum ita dirige, vt eos velut perpendiculo exæquare illi videaris, ne videlicet, extra illam tantisper diuagentur. Quam sanè expositionem Paulo dubio procul debemus, qui ad hunc locum alludens, vt omnes aduertunt interpretes ad Hebr. cap. 12. 13. dixit: *Gressus rectos facite pedibus vestris*; vt nimirum ad arctum semitæ se componant, & restringant; subdit opportunè, *vt non claudicans quis erret*; siue vt è Græco legunt Erasmus & alij, *ne claudicatio aberret à via*, hoc est, ne dum pedem extra semitam ponitis, à via abducamini: sed hæc elegantissimè illustrauit Chrysostomus homil. 3. de Ozia Rege tom. 1. vbi cùm dixisset, hominem ex se ipso lubricum, & ad malum valde procliuè, ac proinde non facilem rem esse, salutem assequi; subiicit: *neque id solum est difficile: verùm etiam illud, quod incedere iussi sumus per viam angustam, & vtrinque præcipitio minacem; proinde quoties, & voluntatis facilitas, & via difficultas in vnum coeunt, ne mirare de lapsu*, adiicit venustam imaginem. *Quemadmodum enim in spectaculis, qui per funem ab imo in altum tensum ascendere, ac descendere meditantur, si paululum deflexerint oculos, inuerso corpore deferuntur in orchestram, pereúntque ... qui per hanc incedunt viam; si vel paululum cessarint, præcipitantur: & tamen hæc via tum angustior est,*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

tum magis ardua, ac prærupta, multóque excelsior, quàm illa per funem, vt quæ sursum ad ipsum vsque cœlum protensa est. Nec contentus id dixisse Chrysostomus maiorem prouectioribus metum sic incutit: *at tunc nobis maiore cum periculo ponuntur vestigia, quàm ad summum, & ad ipsum vsque fastigium accesserimus: eò quod in sublimi stantes multus occupat tremor.* Hæc omnia ille. Bene ergo cum virgula fumi gracili atque pertenui iusti anima componitur; quæ pedes suos, id est, affectus, siue mores cum semita iustitiæ ita componit atque librat, vt ab ea minimè excedat, siue deflectat, aut claudicet.

Vnde quidem beati illi Magi, qui Dominum adoratum venerunt, ipsius iam luce perfusi, per aliam viam in patriam reuersi, notanter dicuntur Matth. 2. 12. *Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam*; nimirum, diuitiis, ac delitiis florentes, cum pompa & apparatu regio venerant; sed dum de virtutis, salutisque via penitiùs admonentur, districtioribus semitis pedes suos librandos, aptandósque censuerunt: sic id capiente Cyprianus sermone de stella, & magis: (Cyprianus appello fide antiqua, quamuis huius concionis alius forsan sit auctor.) *Alto tramite in suam patriam reuertuntur, quia necesse est, vt qui credunt ad iustitiam, ore etiam confessi sunt ad salutem; deinde vias eligant arctiores, & se districtioribus mandatis obligent, quoniam per vias latas, descensúsque præcipites itur ad inferos; per arctas verò, & difficiles reditur ad superos*, propter verba labiorum Dei, *religiosus quisque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum statim ex diuerso hostem securus aggreditur. Arcta via, est castitas: trames strictus humilitas; ieiunio affligi, & carnem in seruitutem redigere, scopulosa sunt semita: sed ad patriam superiorem non nisi per meatus difficiles, armati milites reuertuntur.* Apto hîc emphaticam Christi exclamationem, quæ admirationem etiam humano more sapere videtur: *Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Matth. 7. 13. Luc. 13. 24. ac si portæ angustias, & semitarum lubricum mente perpendens Dominus, non alios portæ angustias capere posse moneat, nisi eos qui carnis affectibus exuti, & à terrenis bonis expediti sicut virgula fumi per acus foramen penetrare valeant: ita ad hæc verba Gaudent. Brixiensis sermone 5. tom. 2. Biblioth. veterum Patrum, *Oneratos diuitiarum terrestrium fascibus ingredi per illam, non capit, expeditos quærit ac tenues, omnique continentia castigatos, &, vt ita dixerim, filio gracili similes, qui etiam per foramen illius mystica acus facilè transeant, spirituales effecti.* Ita ille. Paschasius verò lib. 4. in Matth. dum hæc Christi verba latiùs expendit præfata Canticorum, *quasi virgula fumi*; eis attexens si tandem ait: *Ac si dicatur, quæ est ista, quæ ascendit viam, quam pauci inueniunt, & si inuenerint, quomodo ergo sic dirigitur, & attenuatur, vt fumi virgula comparetur? & non qualicumque, sed ex aromatibus myrrhæ, & thuris? Quæ nimirum aromata Christus suprà docuit: vt mortificationem eius in corpore nostro circumferentes sacrificium thuris Deo simus, ita extenuati, vt virgula odoramentorum iure comparemur.* Hæc Paschasius. Apud quem premas velim illud, *quam pauci inueniunt, etsi inuenerint.* quòd quamuis quærant, quamuis inueniant, ab illa tamen errante pede deflectunt, grandioribus vestigiis, quàm semita ferat, ob ambulantes, ac proinde non tenentes quod habent.

11. Capies verò hinc quo sensu Regius Psaltes
Psalm. 118. 1.2.& 3. Psalm.118.1.& 2.cùm dixisset: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: beati qui scrutantur testimonia eius in toto corde exquirunt: eum;* subiicit versu 3. *Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.* nec enim apta praecedentis ratio, appositáve antithesis hæc esse videtur: satis enim frigidè ardenti proficiendi & ambulandi in via Dei studio, & diuinæ legis scrutationi, necnon totius cordis traditioni opposueris non operari iniquitatem; id enim iustitiæ quouis modo cultæ aduersatur: acri autem iustitiæ, & perfectionis siti; non nisi desidiam & ignauam tepiditatem, qua Dei obsequium suscipitur, opportunè contraire dixeris: ergo aliam vim, aliud acumen, quo tepidæ, ac remissæ manus pungantur, illa verba habent: *Non enim qui operantur iniquitatem*, &c. nimirum è fontibus
Hebræa & Græca lect. Hebræo, & Græco, pro illis voculis, *non enim*, propriè haurias, *ne dum*, quæ manifestam extenuationem continent, vt scitè obseruat Agel-
Agellius. lius; ac proinde in præcedentibus verbis: *Beati immaculati in via*; vsque ad, *in toto corde exquirunt eum*, plus quàm in Vulg. innuitur, admoneri & subintelligi, denotant: illud scilicet, vt ij solùm, qui candidè, ac immaculatè se gerunt, & Deum non dimidiato, sed integro corde exquirunt, accuratum in eius obsequium, studium impendentes, in via salutis, & certo ad regnum tramite ambulare censeantur: quod videtur ini-
Hilarius. bi attigisse Hilarius, dum dixit: *Non negligentem autem testimoniorum Dei oportet esse scrutationem, ob quod dictum est*, in toto corde exquirunt eum. *Non pro parte studium cœlesti doctrinæ adhibendum est, sed toto corde Dei testimonia inquirenda sunt, vt quia sunt & alia, quæ Dei non sunt, ea quæ Dei discimus esse, non auocato in alia negotia corde hæc scrutemur.* Cui sanè sensui optimè congruit sequens sententia per hanc extenuationem expressa; *ne dum qui operantur*, &c. hoc est, adeò salutis viam non calcant, qui operantur iniquitatem: siue, tantum abest, vt per viam salutis incedant qui operantur iniquitatem, vt nec ij quidem per eam ambulare videantur, qui salutis negotium non in toto corde, neruisque contentis, sed segniter, & oscitanter suscipiunt, cùm claudicatio, hoc est, à semita deflexio à via salutis soleat abducere: vnde opportunè quasi dictorum rationem red-
Psalm.118. dar, subiicit vates, *Tu mandasti, mandata tua custodiri nimis*; & statim, *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas: tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.* quibus sedulum virtutis studium deuotúmque Dei obsequium vt in eius via ambulare censeatur, manifestè indicantur, quare intentus huc S. Cyprian. epist.1. cum sanctis Dei confessoribus di-
Cyprian. xisset: *Parum est, adipisci aliquid potuisse, plus est, quod adeptus es, posse seruare*, addit, *Salomon denique, & Saul, & cæteri multi quandiu in vijs Domini ambulauerunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt, recedente ab ijs disciplina Dominica, recessit & gratia, perseuerandum nobis est, in arcto & in angusto itinere laudis, & gloriæ.* Sic ille.

12. In summa, ille est electorum (si id nobis vel timidè rimari & coniectare licet) character, eaque signatissima nota, quà ab infelicissimo perditorum grege discriminentur, quòd salutis negotium non quomodocumque, sed seriò, & arden-
Malac. 3.14. ter suscipiant: certè cum Malach.3.14. inter eos qui integrè & immaculatè Deo famulentur, & ad virtutem excolendam accuratum studium impendunt, atque illos qui non tam ex animo, quàm præmiorum, siue suppliciorum spe, metúque ducti, immo potiùs externæ felicitatis cupidine allectati (de quibus scitè dixeris magis extra vitia esse, quàm cum virtutibus, vt de Galba dicebat Tacitus, siue inter vitia, & virtutes me- Tacitus.
dios fluctuare, vt ad cap.51.Isa. inquit Hieron.) Hieronym.
virtutem suscipiunt, vltrò, citróque de diuina prouidentia disceptaretur illis, præ egregia in Deum pietate eam venerantibus, & ab aliorum moribus defendentibus: his contra pro muliebri ipsorum ingenio, ignauóque animo aduersùs illam obstrepentibus, & obmurmurantibus: *Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes iniquitatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.* Deum in hanc rem attentissimum, litem in ipsorum fauorem, qui cum metu, & tremore suam salutem operantur, direpsisse, sic testatur Propheta. *Et attendit Dominus, & audiuit: & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius* (siue, vt legit Lucifer, Lucifer.
calar.) *Scripsit librum memorialem coram se timentibus Dominum, & metuentibus nomen suum: & conuertimini & videbitis, quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.* Vbi maximè obseruanda est lectio Tigurina, quæ habet: *Scriptus est commentarius coram eo timentibus Dominum, & his, qui seriò cogitant de nomine eius.* quasi in hac perplexa, & difficili salutis lite, atque in ea pugna, quæ aleæ, ac discriminis plena est, illo stipendiarij Dei milites, quibus ipsemet militat, & palmam asseruat, charactere & nota inscribantur, qui *seriò* & grauiter de Dei obsequio agunt, toto in illud animo incumbentes, nec nisi hi in felicissimum electorum numerum, vitalémque album referantur.

Vix verò huc euasi cum illud Satyrographi 13.
mihi occurrit,

Fingimus hæc altum satyra sumente cothurnum,
Scilicet egressi finem, legemque priorum.

Quid enim fuerit quòd mundi moribus plus dissonare videris? quid à sæculi studiis magis alienum? quàm disciplinam apprehendere; pro virtute viriliter decertare, Deum toto corde exquirere, & velut virgulam firmi arctam iustitiæ semitam decurrere, atque in cœleste regnum vim facere? quippe ad alia omnia mundi negotia ardentissimi; ad tentanda, & obeunda pericula temerarij, ad scelera, & flagitia audacissimi, virtutem, & honestatem nihil facimus, animam contemnimus; & pro ipsa pedem è terra vix efferre volumus, imò ipsam quasi oneri nobis sit, fastidimus; ad Dei obsequium pigri, frigidi, segnes, ignauè, tumidè, & cunctanter, siue potiùs gementes, renuentésque accedimus. Quî ergo quæ diximus cum iis quæ oculis haurimus conueniant? ego quidem haud scio; sed si Chrysostomum hac de re adeo, nihil muto: ipse Chrysost.
siquidem homil. 63. in Matth. cùm accuratum virtutum omnium studium ad salutem necessarium esse affirmasset; hæc insuper subiicit: *Ego verò maius quoddam habeo dicere: non enim solùm vna particula virtutis omissa cœlum nobis claudit, verum etiam, si non congruenti cura, & studio peragitur, illud ipsum solet inferre.* At enim verò homil. 24. in Matth. dum præfata Assertoris verba, *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit*

ducit ad vitam! versat idem Pater; ex iis angu-
Idem. stiis faciliorem nobis hanc viam reddi, sic monet. *Sed & hoc ipsum, quod arctam illam vocauit, maximè ad faciendam illam facilem nobis conferebat; per hoc siquidem, vt semper vigilarent, admo-*
Ad Eph. 6. 12. *nuit. Nam sicut Paulus cum ait:* Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem. *Non idcirco dixit, vt deijceret animos militum, sed potiùs vt erigeret: ita hic Dominus velut à somno suscitans viatores, viam eorum asperam nuncupauit.* & post pauca: *Hæc verò cuncta commemorat, vt alacritatem in nobis voluntatis exsuscitet, sicut & alibi dicit,* Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. *Qui enim certamen ingreditur, si videat certaminis præfectum ardua ipsius congressionis, horridáque mirantem, maiore profectò animi alacritate succenditur.* Hæc Chrysostomus. Nos hanc sollicitudinem & curam quam in re salutis collocare debemus, penitiùs exponamus.

Ad eadem verba, *Cum metu & tremore*, &c.

Adnotatio IV.

Metum & tremorem eo potissimum referendum, vt nullam omnino lethalem culpam suscipiamus.

1. NEc contentus fuero, dum præscriptum à Paulo metum, & tremorem tibi expono, nisi præfatam sollicitudinem, & curam, de qua præcedenti adnot. egimus penitiùs explicans, eo illam in primis sigillatim reuocauero, vt nullum omnino lethale crimen velis contrahere; sed mente, & moribus exprimas Horatianum illud,

Horatius. ——*qui peius lethi flagitium timet.*

Intende quæso in hæc animum, nec de imperfecto illo Dei timore me nunc agere existimes: qui plerosque occupare, & apud imperitum, & prophanum vulgus, iustorum, ac timentium Deum nomen indere solet, dum peccatis assuefieri diffugiunt, & animum frequentioribus piaculis polluere cauent; hoc tamen, vel illud aliquando suscipere non omnino veriti, sed de eo, de quo
Nazian. suprà citatus dicebat Nazianzenus orat. 6. *Hoc vnum timeamus, ne quid magis, quàm Deum timeamus, diuinæque imagini per improbam viuendi rationem probrum inferamus*, cùm videlicet sic animus instituitur, vt grauius peccatum nulla omnino de causa, hæc florentissima alliciente fortuna, nec ferocissima comminante, nulla ratione, nullo modo, non opere solum externo, sed nec cogitatione ipsa, nullo vnquam tempore velit suscipere; egregium illud Pauli monitum se-
Ad Rom. 12. 9. cutus: *Odientes malum, adhærentes bono*, ad Roman. 12. 9. quæ verba dum elucidat Theophil.
Ib. eph. primum notat Græcum participium, ἀποστυγοῦντες *intensum, & vehemens odium, quod ex imo corde proficiscatur*, denunciare; deinde sub Apostoli persona ita subdit: *Cùm enim non pauci sint, scelus quidem opere non patrantes, eius tamen cupiditate meme flagrantes, odium (inquit) mali, omniùmque vitiorum ex animo postulo, vt & ipsa sit anima minimè impura.*

Ita etiam apud Regium Vatem Psalm. 35. 5. 2.
peccatori signatè vitio vertitur, quòd vehemens Psal. 35. 5.
hoc atque intensum odium aduersùs peccatum non habuerit, quasi hinc illius ruina, atque perditio ortum duxerit. *Assistit* (inquit) *omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit*: vbi pro *odiuit*, Hebraicè est מאס quod propriè significat reijce- Heb. lect.
re cum fastidio, vt rem vilem, atque cõtemptam; Arnob.
vnde Arnobius legit, *non execratus est*; Theodotet; Theod.
verò & Felix, *non est abominatus*. Id quod sanè sibi Felix.
metipsi aptás, Paulus sic optimè expressit Rom. 8. 35. inquiens: *Quis nos separabit a charitate Christi?* ad Rom. 8. 35
tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? & paulo post: *Certus sum enim, quia neq; mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*, &c. Quem locum dum luculenter in hanc rem Patres, & interpretes tractant, ego ex illis verbis castissimi Iosephi ad impuram heram ad flagitium pellicientis explico: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. Genes. 39. 9.
39. 9. Vel vt transfert Pagninus, *quomodo faciam* Pagninus.
malum grande hoc, vt peccem contra Deum? siue, LXX. Chaldaus.
vt LXX. & Chaldæus, *quomodo faciam verbum hoc* 1. Ioan. 3. 9.
malum; & peccabo coram Deo? nimirum, vt inquit Ioannes epist. 1. cap. 3. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Sed quid est, *non potest peccare?* num ex gratiæ vi arbitrij libertate spoliatur? Apage: Sed Dei potiùs ope adiutus, adeò firmus in eius obsequio manet, lethaleque peccatum sic auersatur, & horret, atque oculis tam trucibus, & indignantibus aspicit; vt illud sibi inter eas res esse videatur, quæ effici posse; negantur ita pæne ad hæc Ioannis verba OEcumenius: *Cum adiungit, non potest* OEcumenius.
peccare, non de naturali impotentiam qua bruta non posse suscipere sciemiam dicimus, sed de voluntaria impotentia, & voluntaria auocatione à peccato intelligit. Quippe ea animi obstinatione lethale peccatum auersatur, & cane peius, & angue odit: vt vel naturalem, & humanam, quam ad illud habet potentiam, maximè detestetur, vti Sacerdotem Domini monebat Venerab. Arnold. tractat. de Arnold.
sexto, & septimo verbo Domini in Cruce, tomus 1. Bibl. vet. Patr. inquiens, *detestetur q; quod potest, non quod agit.* quasi peccatũ non tam agere, quàm posse aliquomodo suscipere execranda res sit. Ergo inquit Paulus, *quis nos separabit à charitate Christi? Certus sum quia neque mors, neque vita.* Similiter egregiùs addocens: *Quomodo possum hoc malum facere? & peccare in Deum?* ac si dicat Dei maiestatem sic reuereor; immo ad ipsius memoriam timore perterritus ita contremo, vt cælum digito attingere mihi difficilius haud videatur, quàm graue hoc peccatum committere: sed hæc vno verbo optimè expressit S. Basil. Seleucien. S. Basil.
orat. de Ioseph. vbi dum priùs blandissimam ten- Seleu.
tationis illecebram, siue grauissimam certaminis difficultatem ad hunc modum expendit, *certamen tale: luctator adolescentulus, ætas huiusmodi, quæ temperantiam prodat, quaque voluptatis violentia facilè capiatur, seruitij humilitas vel generosos animos deprimat, domina adultationes perpetuæ, quæ spe varia constantiam soluerent, taceo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes, oculorum pellaciam, lecythos vnguentarios se naribus insinuantes anima per auris obsidionem, naturales corporis infractiones; nam per omnes sentiendi vias ibat quid-*

quid illecebrosum, omniáque adolescentem vnum in scopum ferebant; vno memoriæ Dei telo ea omnia retusa iacula sic concludit: *Verum qui tot vndique iaculis petebatur, vnum contra omnia telum memoriam tenuit creatoris*, sic ille: & post modum ex Iosephi persona: *Quomodo Deum suspiciam? quibus oculis tam bene merentem contemplabor? quomodo id agam mulier, quod loqueris horresco, & tu ipsum postulas?* Ita ille.

3. Et verò, quamuis generosa hæc peccati fuga, ingenuúsque horror ex germana Dei dilectione, quæ animæ medullitus insideat, potissimum dimanet; ipsimet etiam æternæ salutis studio & curæ, quam prudens quisque gerere debet, quàm maximè innititur: quis enim Deum, qui eius flatum, & vitam in manibus suis tenet, Daniel. 5. 23. & auertente illo faciem omnia turbantur, & in puluerem suum reuertuntur, Psal. 103. 29. vel semel grauiter offendere, optimo merito non timeat? itane; prædones omnes non nisi senes vltimo supplicio affici vidisti? num & plures in primo furto deprehensi pœnas etiam luere non solent? Cur ergo iure etiam non timueris, ne grauis cuiusque sceleris reus debitæ gehennæ pœnæ addicaris? Certè emphaticam illam sententiam: *A manè vsque ad vesperam immutabitur tempus?* quam adnot. 2. ad summum rei æternæ discrimen ostendendum adduximus, huc sigillatim reuocare videtur sapiens; subdit enim: *Homo sapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendet ab inertia*: ac si dicat, id inter sapientem, & stultum interesse discrimen, quòd ille in omnibus metuat, quidquid scilicet, iusta ratione timeri possit; ac proinde quoduis graue peccatum cum huic iustissima lege gehenna debeatur; hic verò non nisi *malo accepto* (vt est in prouerbio) *sapiat*: vnde de legitimo Dei timore scitè dicebat S. Zeno, *O necessarius timor, qui nihil aliud agit, nisi vt beatos efficiat, qui timet arte, non casu.* benè *arte*, quasi ea instructus, & edoctus, ad præcauenda mala; *non casu*: quod qui *casu* timet, timet ex casu, ex malo videlicet iam accepto. Vis videre hominem peritè & ad leges artis Deum timentem? audi Iobum cap. 31. 23. vbi cùm per omnes peccatorum species quæ studiosè vitauerat, excurrisset, subiicit toties à nobis adducta verba, *semper enim quasi tumentes fluctus timui Dominum*: ac si diceret, nec enim aliter à quolibet horum criminum ac à tumentibus maris fluctibus, omni modo, & tempore cauendum mihi esse censui, cùm ab eorum singulis potuerim absorberi. Quo sanè sensu, Basilio interprete homil. 12. *ex varijs in principium prouerbiorum* hominem prudentia præditum cum nauclero ad claui moderationem constituto nauim prudentissimè gubernante; nec illum è manibus tantisper abiiciente, ne qui vndas, & procellas per spatiosissimum & turbulentum mare superauit, ob vnius momenti iniuriam à fluctibus obruatur: ita Salomon componebat; *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit*, Prouerb. 15. in quæ verba Basilius: *Vis tibi aliam enarrem nauigationem, ad quam gubernationis virtus nobis necessaria fuerit? Regnum cælorum simile est homini mercatori. Omnes enim Angelicam viam ambulantes mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes. Oportet igitur nos multas ac varias cælestes diuitias cogere, si pudefieri in operis monstratione nolumus, & accipientes talenta illud audire.* Serue nequam & piger: *Quamobrem suam quisque mercem, & thesaurum suscipiens omni studio secum hanc vitam pertransire conetur. Plures namque ab ipsa iuuentute multa congregantes instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium iacturam fecerunt.* Vnde hos statim gemitus, & eiulatus nostro instituto opportunissimos edit Basilius. *O miserabile spectaculum! ô fortem lugendam! post ieiunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post vberes effusas lachrymas, denique post annorum viginti seu triginta abstinentiam, ob indulgentiam inconsiderantiámque, nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri; & similem omnino fieri mercatori cuidam diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento secundo nauem impellente, timendas tuto per mare currens præterit procellas: naufragio deinde prope portum superueniente, omnium possessione aceruatim, simúlque destitutus apparet; itaque mille laboribus, sudoribúsque parta, vno tantum dæmonis impulsu facilè amittes, peccato velut quodam acerbo turbine depressus. Ex quo sic de virtute omni simul periclitanti, naufragantique opportuna vox illa;* Veni in profundum maris, & tempestas demersit me. Hæc tam multa, quàm bona, & vtilia Basilius.

Ergo non omnes qui Deum timere videntur, perfecto eius timore concutiuntur; quippe casu, & sub ipso ictu iam positi præsentem Dei iram, atque supplicium timent, more damnatorum, qui districtum in se ipsos gladium iam intuiti incipiunt *dicere montibus, cadite super nos*, Luc. 23. 30. & Apocalyp. 6. 16. siue etiam dæmonum, qui *credunt & contremiscunt*, Iacob. 2. 19. Ita certè satanas, cùm semel Christum impunè tentasset, nec iratum illum ac fulminantem persensisset; ad ipsum iterum, atque iterum lacessendum de futura ira parum sollicitus animos sumpsit: at enim ad illius vocem indignationis plenam, *Vade Satana*, Matth. 4. 10. fugax, & tremebundus discessit: sed illi omnino Deum perfectè timere dicendi sunt, qui arte timent, non præsentem scilicet, sed futuram iram: & verò huius artis non alius quàm Christus Dominus Magister exstitit: vnde de ipso ad turbas dicebat Ioannes: *Quis ostendit vobis fugere a ventura ira*, Lucæ 3. 7. ad quæ verba Paschas. lib. 2. in Matth. *ac si patenter diceret: nemo nisi vnicus Dei Filius, quem vobis futurum annuncio*; quippe frequentiora ipsius monita eò ibant, vt omni die, omni hora vigilantes, *similésque hominibus exspectantibus Dominum suum* suspiciosi ac pauidi semper subsisteremus, ac proinde nulli subiaceremur peccato, *quia in qua hora non putatis* (inquit ipse) *Filius hominis veniet*, Lucæ 12. 40. & cum Virgines somno aliquando oppressas cum dedecore reiecisset. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*, Matth. 25. 13. sic videlicet, cùm oraculum vt verbum vetus à Plutarcho vsurpatum,

Cuiuis accidere, quod cuiuis potest

meritò timeremus, ne subitò præoccupati die mortis, spatium pœnitentiæ nequeamus inuenire: vnde Ambros. lib. 5. de fide cap. 8. *Sed videamus qua ratione designare momenta noluerit: nobis enim scire non proderat, vt dum certa futuri iudicij momenta nescimus, semper tanquam in excubijs constituti, & in quadam virtutis specula collocati peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat.* Ita ille.

5. At enim verò tam certam, tam vtilem, necessariam

Marginalia: Daniel. 5. 23. — Psal. 103. 29. — Eccl. 18. 26. — S. Zeno. — Iob. 31. 23. — S. Basil. — Prouerb. 15. — Lucæ 23. 30. — Apoc. 6. 16. — Iacob. 2. 19. — Matth. 4. 10. — Lucæ 3. 7. — Paschas. — Lucæ 12. 40. — Matth. 25. 13. — Plutarch. — Ambros.

fariamque institutionem plures de diuina benignitate ineptè, atque impudenter confisi sæpiùs eludunt; stultas illas atque ab ipsismet Ethnicis damnatas voces vsurpantes,

Vt sit magna, tamen lenta ira deorum est.

Quid? (inquiunt) è vestigio pœnas reddere benignissimus Dominus censendus est? At ô bone; quis te diuinæ benignitatis arbitrum, & interpretem constituit? vel etiam vt id sit: qui rem omnium pretiosissimam, æternúmque siue extremè infelicem duratùram; animam videlicet, tanto discrimini sana mente obiicias? priorem rationem sic acerbo cum risu conficiebat Tertullian. lib. de pudicitia cap. 10. vtramque paginam faciens: *Quid itaque in gradu totus es? perge sanè si potueris, si volueris, dum tam securus, & quasi in solidoes. Si qua te carnis vacillatio, animi auocatio, oculi euagatio de tenore decusserit, Deus bonus est; suus non Ethnicis sinum subycit, secunda te pœnitentia excipiet. Hac tu mihi benignissime Dei interpres*; ac si ironicôs dicat, Age iam, & securitatem omnimodam ex Dei benignitate tibi promitte; & dum rem periculo plenam aggrederis, ac velut in aëre pendes, omnem abiice metum, non secus si in solido firmiter vestigia premeres. Itáne benignitatem Dei datum sit tibi interpretari, & ad nutum tuum circumducere? O audaciam! ô temeritatem! Pulchrè quidem ac sapienter hanc in rem Venerab. Hildebertus Cenomanens. ep. 15. cùm dixisset. *Sed dicis mihi, idem offensus clementiam promittit, punire prætermittit, pœnitentiam admittit, minas remittit, debita dimittit, ampliora committit.* Subiicit. *Ita est inquam, confiteor*; misericordia Domini plena est terra, &c. *In ea sperare saluberrimum est consilium, sed de ea totum pendere, periculosum est refugium.* Optima quidem, & opportuna sententia, & illis etiam omnino aptanda, de quibus Iob. 24. 23. *Dedit ei Dominus spatium pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiam.* Siue, vt ex fonte propriè hauseris; *Et ille nititur, siue recumbit super misericordia Dei*, periculosum scilicet refugium amplexantes: nec Deum nisi, qua misericors est, contuentes; cùm & illum vt horribilem & modis omnibus metuendum saniùs contemplarentur cum Gregor. Nazianzen. orat. 15. in plagam grandinis sic monente: *Horrendum est fratres in Dei viuentis manus incidere. Horrendus vultus Domini super facientes mala, vitiúmque funditus euertens, & delens. Horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. Horrendi pedes improbitatem cursu assequentes. Horrenda vniuersi orbis impletio, ita vt nemini vsquam Dei commotionem effugere liceat, non si in cœlum auolauerit, non si in infernum se contulerit, non si ad Orientem profugerit, non si in profundos & extremos maris sinus sese abdiderit.* Sed hanc rationem latiùs postmodum vrgebimus. Redeo modò ad posteriorem illam quam attigi, vt præfatum importunæ nimiæque confidentiæ errorem conuellam; quòd sanæ mentis non sit, animam æternum duraturam æterno suppliciorum discrimini exponere: & illam quidem sic optimè stringit Chrysost. homil. 22. in epist. 2. ad Corinth. *Multi dum malè, ac vitiosè viuerent, subitò perierunt, & in manifestam damnationem abierunt; time, ne idem tibi accidat. Sed multis, inquis, dedit Deus spatium vt in vltima senectute confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabitur? fortasse dabit, inquis. Cur inquis, fortasse? Contingit aliquoties: cogita quod de anima deliberas: proinde etiam de contrario cogita, & dic. Quid autem si non det? Quid autem si det, inquis, esto, det ipse quidem: verùm hoc illo certius & vtilius.* Verissimè, ac sapientissimè; ac si apertiùs diceret: Quid, ea num res est anima, quæ vel minimo periculo exponenda? & sortis arbitrio vt temporalia, & infima bona, relinquenda sit? Quid ergo dixeris? si quam tu diuinæ benignitati interpretationem pro libito reddis, ipsa nolit admittere, nec spatium pœnitentiæ dare tibi velit? Quam rogo dabis commutationem pro anima tua? Num alia tibi ad manum fuerit anima, sicut vna manu, aut vno oculo amisso alius superest, cui deinceps opportuniùs prospicere noueris? Quanto salubrius? quanto fuerit sapientius veterem in hanc rem vsurpare parœmiam: *Dum licet fugere, ne quære litem.* Nec, quid fuerit quod disertissimæ voci occasionem fecerit, ex Adagiographo pigebit appingere, quod huic instituto mirè quadret. Porrò cum Alcibiades ciuibus suis infensus ab iis è Sicilia citaretur, vt obiectis sibi criminibus responderet, ipse licèt culpæ nullius conscius, abdidit sese, negans litigandum esse, si quomodo liceret, effugere; subiicientibus verò illis: *Non igitur confidis patriæ de te iudicaturæ?* Immo (inquit) *ne matri quidem crediderim: metuerem enim, ne fors imprudens albi calculi loco nigrum immitteret.* Adeò cordatis hominibus tutiora sequi, potius est.

Et quidem ne inepta illa diuinæ benignitatis interpretatione, qua aduersùs salubrem timorem se clypeant, ingratiis sibi blandiantur; vel hine timendi rationem vrgere placet. Certè *benignus est spiritus sapientiæ, & non liberauit maledicum à labiis suis.* Sapienter citato loco Hildebertus, *Deum quem merentur iudicem, sperant misericordem, quasi eum inuenire propitium, merces sit iniquitatis, quod credimus esse religionis. Verùm non est ita: neque enim misericordiam Dei lucrantur mali, quam sibi etiam timidè pollicentur boni.* Sed his illud notantissimè addendum; adeò eam benignitatis Dei interpretationem non subsistere, eíque exosam esse, vt iis qui illius obtentu, & diuinæ misericordiæ innixi siue super illam recumbentes peccare audent, è vestigio supplicium, quod minimè timebant, soleat obtingere. Sic sub Domini persona dicente Vate: *Supra dorsum meum fabricauerunt*, (siue, vt Aquila & Theodozion legunt, *arauerunt*) *peccatores prolongauerunt iniquitatem suam*, Psal. 128. 3. id est: supra patientiæ ac longanimitatis meæ dorsum tanquam ad onera ferenda subditum, iniquitatis fabricam moliti sunt. Siue velut ferrarij, ac ærarij ferrum ac æs (propriè enim id significat Hebræum verbum) malleis ad incudem feriendo duxerunt; vel etiam, non secus ac in terram sationi opportuna criminum semina iecerunt, nullum subinde fabricæ exitium, & ruinam è firmissimis misericordiæ fundamentis metuentes, nec aliam quàm benignitatis segetem à diuinæ misericordiæ furcis sperantes; subdit Dauid: *Dominus iustus concidit ceruices peccatorum.* pende epitheton *iustus* opportunè appositum, ac si diceret: sed enim iis qui eũ sperabant misericordem, iustus iudex occurrit, & pœnas de ipsis è vestigio sumpsit. Et optimo quidem merito, vt patientiæ, ac benignitatis lacessitæ, & ignominiæ affectæ, (quippe eam ad peccandum ineptissimi interpretes adhibuerant administram, eíque velut feraci terræ iniquitatis semina mandauerant) caussam, partésque diuina seueritas ageret: ne deinceps è Dei dorso incudem ad ferrum elaborandum ac ducendum facerent. Nec hilum ab hoc sensu discrepat Paulus tritis, sed egregiis ad Roma

Marginalia: Tertullian. — Hildebert. — Iob. 24. 23. — Gregor. Nazianz. — Chrysost. — 6. — Sapient. 1. 6. — Hildebert. — Psal. 128. 3. — Aquila Theodoz. Hebr. lect.

Ad Rom. 2.4. Romanos verbis cap. 2. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* vbi primò opportunam huic rei lectionem Syriacam obserua: Lect. Syriac. *An contra diuitias dulcedinis eius, & contra longanimitatem eius, & contra locum, quem tibi dedit, audes?* ac si dicat. Adeò demens, & agrestis es, vt dulcedini & benignitati Dei dirum, & acerbum bellum inferas? dum ex ipsa animos ad peccandum sumis; deinde preme vim locutionis *te adducit*: adducere enim propriè est renitentem trahere, vt argumento sit, nihil nos adeò fortius, atque valentius ad pœnitentiam vrgere, quàm Dei bonitatem, atque benignitatem: quid enim acerbius? quid tristius? quàm aduersùs prædulcem, & bonum Dominum veniam, & pacem offerentem, peccasse? Quid ergo hinc infert Apostolus? Hanc impœnitentis cordis duritiam, diuina clementia abutentis, vice cotis fungere, quæ obtusa Dei arma in eius pernitiem valeat acuere. Vis videre? Sapient. 5. 21. audi Salomonem Sapient. 5. 21. vbi Deum ad vltionem de impiis sumendam accedentem sic facit. *Acuet diram iram in lanceam.* Acuet, inquit, quasi natura sua & non vsu hebetem, & obtusam, siue quæ rubiginem contraxerit. Sed vbi acuet? in duro quidem, ait Paulus, & lapideo corde, quod bonitati, ac benignitati Dei innixum pœnitentiam non amplexari, siue illam in longum differre voluit. Hinc premens hæc Pauli August. verba sic monet August. tract. 33. in Ioan. *Intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem, & timeant veritatem;* etenim dulcis, & rectus Dominus, Psal. 24. 8. Psal. 24. 8. *Amas quod dulcis est; tanquam mansuetus dixit: Tacui, sed tanquam iustus.* Nunquid semper tacebo? Isai. 42. 14. Isai. 42. 14. Misericors, & Psal. 103. 8. miserator Dominus, *Ita planè. Adhuc adde*, longanimis, *adhuc adde:* & multum misericors. *Sed time quod est in nouissimo & verax. Quos enim modo sustinet peccantes, iudicaturus est contemnentes:* An diuitias longanimitatis, & mansuetudinis eius, &c. & post pauca: *Semper expectas, & de misericordia Dei tibi plurimum polliceris, quasi ille, qui per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Vnde scis, quid pariat crastinus dies?* &c. *Nam in quo Propheta legis, quia promisit correcto indulgentiam; non mihi legis, quia promisit tibi Deus longam vitam.* Hæc & alia August. postea afferenda.

7. Pulchrè ergo Salomon arcano sensu dicebat, Eccles. 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*, Ecclesiastes 10. 1. etenim dum illa verba, *muscæ mo-* Bibl. Reg. Compl. *rientes, à Bibl. Regia, & Complutensi* leguntur, *muscæ mortuæ*; à Gregorio verò Thaumaturgo, *muscæ in vnguentum prolapsæ & suffocatæ*: pro sequen- L X X. tibus autem, *perdunt suauitatem vnguenti*, L X X. habent, *putrefaciunt compositionem olei suauitatis;* lectio Tigurina, *fœtere, & flaccescere faciunt:* & in Hebræa lect. Hebræo fonte ad verbum est, *Euaporare faciunt vnguentum pigmentarii:* non aliud mihi sonat hic locus, quàm is quem ex Iobo attulimus num. 5. Iob. 24. 23. *dedit ei Dominus spatium pœnitentiæ, & ille recumbit super misericordia Dei.* Nam, vt omittam muscam, spurcum & indocile animal, vt appellatur à Pli- Plinius. nio lib. 10. c. 45. nec non cupediis inhians, egregium peccatoris post concupiscentias suas euntis typum esse: quid clarius, quàm vnguentum, siue oleum in Scriptura Dei benignitatem & mi- Cant. 1. 2. sericordiam significare? quippe, *oleum effusum;* siue *vnguentum exinanitum nomen tuum*, Cant. 1. 2. Quid iustius, quàm ex Dei benignitate ad eum amandum, & redamandū & de peccatis in ipsum commissis pœnitendum allici? nam *benignitas Dei* Ad Rom. 2. 4. *ad pœnitentiam te adducit*, vt vidimus: vnde eadem sponsa quæ dixerat, *vnguentum effusum nomen tuum:* statim subdidit, *post te curremus in odo-* Cant. 1. 2. *rem vnguentorum tuorum*; memoria scilicet tui benignitatem, & misericordiam spirantis allectati, impenso studio post te curremus: ergo, *muscæ, in vnguentum prolapsæ*, hoc est, super misericordiam recumbentes, vel, vt dicebat Hidelbertus, non tam in ea sperantes, quàm ab ea vndequàque pendentes *euaporare*, seu *flaccescere faciunt vnguentum*: id est, suam gratiæ, & misericordiæ vim adimunt, ac proinde eius naturam quasi corrumpunt, & vitiant, immo & fœtere quodammodo faciunt; dum & ipsi ea ad peccandum abutuntur, & Deus ea de caussa ad sumendum ex illis pœnas cogi videtur; iustitiam & seueritatem, ad quam ille quasi inuitus accedit pro benignitate, & misericordia, qua maximè delectatur, exercens. Accedendum igitur cautè, & custoditè, ad misericordiæ vnguentum, nec in illud prolabi debemus. nam vt in ea sperare, saluberrimum est consilium, ita de ea totum pendere, periculosum est refugium; & sanè qui ei innixus peccare audet, non modò illam non consequitur; *frustra* siquidem (inquiunt Iuris periti) *legis auxilium inuocat, qui committit in legem;* sed ab ea suffocatur quòd ipsam fœtere quodammodo faciat, dum sceleribus, atque flagitiis vmbram, & tutamen in ea parat.

Sanè, datam in cruce à Domino latroni ve- 8.
niam, pretiosum misericordiæ vnguentum fuisse, non abs re dixeris; in quo plures fœdæ, atque indociles muscæ frequentiùs suffocantur, dum ad sua peccata vngenda, & confouenda inuerecundè vtuntur; eundem sibi ac felicissimo latroni ad mortis punctum exitum promittentes. Vnde Bern. serm. 38. ex paruis, cùm post multa Bernard. in hanc rem dixisset, *si benè memini in toto canone Scripturarum vnum latronem inuenies sic saluatum;* Sapient. 2. sic sapienter monet. *Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temet ipsum. & quidem spiritus non modo vbi vult, sed quando vult, spirat, nec ei difficile est, de subito dare contritionem cordis perfectam, quam vix multo tempore alij consequuntur. Sed vnde scis, quod tunc tibi ita subuenire velit, quem tu interim sic repellis?* Benignus *quidem* est spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. *Audi quis ille sit.* Maledictus, qui peccat in spe. Sic Bernardus; & rectè omnino. At enim verò si de latronis exemplo agitur, nihil inde vanam hanc turpium muscarum, quas abigimus, fiduciam adiuuari, vt multis quæ huius loci non sunt, facilè adstruere possemus, ita opportuna huic instituto ratione S. Maximo probata non S. Max. possumus non firmare; ille enim contra censet, nimirum, latronem adeò non abusum Dei misericordia, vt potiùs cùm Dominum ad illam in cruce maximè pronum, eámque velùt vnguentum pretiosissimum cum sanguine, & vita profundentem vidit, tunc maximè ipsum fuisse reueritum; & tanquam ad Regem, Dominúmque omnibus modis verendum summa animi demissione, & humilitate accessisse. sic námque Maxim. hom. 1. de S. Latrone, *Hæc est fidei plena deuotio, vt eum videtur eius humilitas, tunc magis timeatur eius diuinitas:* vt hinc, non ad peccandum in spe, sed potiùs ad timendum, & de peccatis pœnitendum ex Dei humanitate exemplum sumpseris; atque hac ratio

Arnold. ratione Venerab. Arnoldus tract. de septem ver-
bis Domini in cruce, in illud, *Hodie mecum eris in*
paradyso; latronem hunc pœnitentiæ regulam &
spei exemplum meritò appellasse, videris. Dixit-
enim inibi, *Inter cætera pietatis exempla, latro no-*
ster nobis occurrit pœnitentiæ regula, confessionibus
forma, indulgentiæ præco, spei exemplum, qui dum in-
gemit, subitò quod quærit, quod petit, accipit, & il-
Luca 23. 43. *lico audit*, Hodie mecum eris in paradiso. Hæc
ille.

9. Monuerim hinc pro coronide, scitè à nescio
quo ex Patribus spiritualibus dictum, plures es-
se, quos misericordia, quàm quos Dei ira, & iusti-
tia damnet; quòd plures videlicet sint, qui diui-
nam benignitatem iniquè interpretantes, ab ipsa
ad peccandum, & ad perdurandum in peccatis,
vires, atque animos sumant: & huic quidem pa-
rænesi non leuiter concinit emphatica Domini
Osea 13. 9. sententia apud Oseam cap. 13. 9. *Perditio tua Is-*
raël ex te est, tantummodo in me auxilium tuum; &
eo modo explicant, ac si dicatur, A te venit, quòd
te perdas, à me verò quòd salueris: siue, tu te
perdis: ego te saluo; id enim interpretamentum,
vt sensum continet verissimum, ita ruinoso le-
ctionis illius fundamento nititur; quippe cuius
Hebr. lect. nullam neque in Hebræo, neque apud LXX. ne-
que apud veteres PP. & auctores; vnum si dem-
pseris ex semiantiquis, siue ex non recentibus
Lyram, mentionem inueneris. Quare eum potiùs
dixeris huius loci sensum, quem lectio Hebræa
nostra adiuncta parturire videtur. Sic enim illa.
Perdidisti te Israël, quia in me auxilium tuum. Cui
si ex nostra adiunxeris aduerbium *tantummodo*,
facilè videris, suppleri debere verbum aliquod,
quo indicetur, auxilium tantummodo in Deo ab
Israële peccatrice fuisse constitutum, ad hunc
modum. Perdidisti te Israël, quia in me tantum-
modo auxilium tuum collocasti. At quî id vitio
alicui verti possit? sanè, quia, vt in diuina miseri-
cordia sperare salubre est consilium, ita ab ea
omnino pendere, nec propriis operibus, & meri-
tis se ipsum adiuuare periculosum est refugium.
Vis videre quam sit periculosum? Audi adsimi-
lem sententiam quæ hanc explicat, eidem plebi à
Ierem. 7. 4. Domino dictam Ierem. 7. 4. *Nolite confidere in*
verbis mendacij dicentes: Templum Domini, templum
Domini, templum Domini est. Quoniam si bene dire-
xeritis vias vestras, & studia vestra, &c. habitabo vo-
biscum in loco isto. &c. ac si dicat; Ne putetis se-
curos vos, & incolumes futuros dum peccatis
operti tanquam rei, & malefactores ad templum,
hoc est, ad misericordiæ meæ asylum confugitis.
nam nisi pedem à peccatis referatis, & bonis ope-
ribus studeatis; nullum inde emolumentum per-
cipietis. Nec à præfato sensu dissidet Hieronymus
Hieron. eamiis verbis explicationem primò reddens: *In-*
felix Israël, & dignus maledictione perpetua, qui in
tantum impietatis descendit profundum, vt solius Dei
saluetur misericordia; & hanc subinde Hebræo
textui adhærens: *Dispereas Israël, quia nihil tibi*
reliquum est; nisi vt mea solum clementia conserue-
ris. Quæ eò omnino eunt, vt extremum Israë-
li supplicium, perpetuáque maledictio infligа-
tur, quòd totum salutis negotium in diuinam
clementiam reiecerit; nec diuino auxilio pro-
prium bonorum operum iuuamen adiungere cu-
rauerit.

10. Quò opportunè partim historicè, partim per
allegoriam referas ea Christi verba Lucæ 13. 3.
Luca 13. 3. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis,*
sicut & illi decem octo supra quos cecidit turris in Si-
loe, & occidit eos. Nec enim frustra numeri *decem*
& octo, *& turris Siloe* in eo lethali casu mentio-
nem factam credit Beda ad id loci: & de turri
quidem sic ipse censet. *Turris Siloe illa est mysticè,* Beda.
cui Psalmista decantat, Factus est spes mea turris
fortitudinis à facie inimici. *Nam & ipsum Siloë*
nomen, quod interpretatur Missus, *& vbi cæcus à na-*
tiuitate lumen accepit, eum nimirum significat, qui ait,
Ego lux veni in mundum. Sic Beda. O miram, & Psal 60. 4.
inauditam rem! Quid? spes in Deum homines
interficit? quæ saluare potiùs, & beare solet? si-
ue, ipsemet Deus sperantes in se conterit, atque
comminuit? Ita quidem, sed eos solùm, qui nu-
mero illo *decem & octo* censentur. Audi rursus
Bedam. *Non frustra* decem & octo, *qui numerus* Beda.
apud Græcos ex iota, *&* eta: *hoc est, iisdem, quibus*
I E S V S, incipit literis, exprimitur, indicant enim
eos maximè meruisse damnari, quia nomen Saluato-
ris auditum spernere potius, quam suscipere malue-
runt. Nimirum, vt dicebat Bernardus, *Maledictus*
qui peccat in spe, siue qui inani spei subnixus de
peccatis non pœnitet. Sed hæc omnia accipe ab
Augustino citato iam, & laudato loco tractatus
33. in Ioannem, sic sapientissimè commonente.
Ex vtroque igitur homines periclitantur, & speran- August.
do, & desperando; contrariis rebus, contrariis affe-
ctionibus, sperando quis decipitur? Qui dicit, bonus
est Deus, misericors, faciam quod mihi placet, quod-
libet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam de-
sideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est
Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus, spe isti pe-
riclitantur. & statim signatissimis, & opportunis-
simis nostro instituto, & turri Siloë verbis, *Me-*
tuendum est, ne te occidat spes, & cùm multum speras
de misericordia, incidas in iudicium. Hæc August.
Plura nos in seqq. adnotationibus.

Ad eadem verba: *Cum metu & tremore*, &c. *operamini.*

ADNOTATIO V.

Æternam salutem, vt rem gratiæ, ita & sortis quodammodo esse, ac proinde omnimodo & diligentia eius opportunitatem captandam.

VRGEO metum, & tremorem Phi- 1.
lippensibus, atque in illis, nobis à
Paulo iniectum, vrgeo sollicitudi-
nem in animæ negotio, & indefes-
sum in virtutum opera studium,
quòd vt omni rei suum tempus, suáque oppor-
tunitas insit, Salomone dicente, *Omni negotio* Eccles. 8. 6.
tempus est, & opportunitas, Eccles. 8. 6. ita salutis
negotium adeò peculiaribus temporis & opera-
tionum opportunitatibus constet, vt sortis res à
Dei manibus elabentis, quodammodo esse videa-
tur. Et verò, nisi ego vehementer erro, huc po-
tissimum Pauli metum & tremorem inculcantis
mens iuerit, cùm statim subiiciat: *Deus est enim*
qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona vo-
luntate; quid enim in tanto negotio metum, ac
tremorem æquè ingerat, & sollicitudinis aculeos
altiùs infigat, quàm illud in Dei manu pro con-
silio voluntatis suæ sortem temperantis positum
videre? *sortes* quippe *mittuntur in sinum, sed à Do-* Prou. 16. 33.
mino temperantur, Prouerb. 16. 33. sanè hac ra-
tione

tione nostram ad æternam beatitudinem electionem, sortem signatè appellauit idem Apostolus ad Coloss. 1. 12. inquiens. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* & ad Ephes. 1. 11. *In quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* vbi vides, & ipsammet, æternam felicitatem, & modum ipsum, quo illam adipiscimur, sortem appellari. Certè quamuis hac locutione potissimum velit Paulus significare, gratuito Dei beneficio ad fidem, gratiam, & sæpiùs ad arctiorem perfectionis disciplinam vocatos nos fuisse, vti August. in Psal. 34. & alibi disertè, & copiosè explicat; negari quidem non potest, de tota etiam iustitia ad salutem necessaria, ac proinde de ipsamet beatitudine sic opportunè hæc capi posse, vt sub imagine aleatorum, qui aleæ iactu de re quapiam pretiosa sortiuntur, non obscurè indicetur, in hac æternæ felicitatis meta omnes quidem currere, sed non omnes accipere brauium; & dum plures de re salutis, ac cœlesti lucro sortiuntur sortes in sinum mitti: at à Domino ita sapientissimè temperari, vt ij tandem eligantur, *quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* At enim verè, vt vna ex parte innuatur, sic hæc à diuina voluntate dependere, vt *non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis* sit, ad Rom. 9. 16. ex alia verò nostrum arbitrium, ad sedulò, & constanter in diuinum obsequium incumbendum incitetur, & accendatur, subiicit Paulus, *qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ;* de industria consilium voluntati, & voluntatem consilio admiscens, vt cùm *voluntatis* meminit, gratuitum beneficium, & spontaneam electionem commendet: dum autem *consilium* inducit, apertè monet sortem hanc super electos non casu, aut temerè; sed quòd in salutis negotio strenuè & diligenter se gesserint, & in extremo vitæ puncto non otio torpentes, aut somno dediti, sed vigilantes inueniantur, decidere: quid enim consilium nisi præmium dignis, & laborantibus redditum? quid voluntas nisi gratuita dona, & beneficia denotent?

Ad Coloss. 1. 12. — Ad Ephes. 1. 11. — August. — Ad Rom. 9. 16.

2. Firmat, immo aperit hanc cogitationem Regius Vates, Psal. 30. 15. cum Domino sic colloquens. *Ego autem in te speraui Domine: dixi: Deus meus es tu. In manibus tuis sortes meæ.* Sed obserua Hieronymum pro *sortes meæ* legere *tempora mea*, & omnes penè interpretes adnotare Hebraicum vocabulum propriè significare temporum opportunitates, siue tempestiuitates, Hispanè *coyunturas*: eadem omnino sententia cum illa Domini, Actuum 1. 7. *tempora, vel momenta* (Græcè καιροὺς *occasiones*, siue *opportunitates*) *quæ Pater posuit in sua potestate.* Deinde maximè notandum, illis in verbis, *Deus meus es tu*; in Hebraico fonte voci *Deus* respondere *Heloim*; qua propriè denotatur Deus iudex, siue præses, vt argumento sit, non esse sermonem solum de primæ vocationis sorte, seu beneficio, vt August. ibi & alij interpretati sunt, sed potiùs de totius vitæ decursu, & ratione; vnde plures ex Hebræis ex Rabb. Salomone explicant: Omnis meæ salutis ac vitæ ratio in potestate tua consistit; ac proinde simul innui, à Dauide in iis sortibus, siue momentis aut temporum opportunitatibus, quæ in manu Dei sunt, siue quæ Pater posuit in sua potestate, omnia peragi *secundum consilium voluntatis suæ*; Deúmque æquè iustum, atque beneficium sese exhibere. Iam verò, vt singillatim noueris qui hæc possint subsistere, aduerte cum Agellio, sapientissimè hæc à Dauide scripta fuisse cum allusione ad ea quæ Gentiles de Parcis, Lachesi, Clotho, Atropo, fabulabantur, vt quod illi nugaciter dicebant, has fato, siue sortitione (id enim Græca vox λάχεσις significat) vitæ humanæ spatia moderari, & quasi stamina, siue fila nere, atque ea prout cuiusque sors ferret, producere, siue præcidere, ad verum ipse sensum conuerteret, affirmans à Dei manu, à voluntate scilicet, & consilio ipsius has sortes dependere, & eius nutibus vitæ nostræ momenta decurrere; atque hoc in cardine salutis nostræ summam esse, totámque, & iustitiæ rationem erga nos versari, quippe ab iis mortis opportunitatibus, & vitæ stamine & filis, siue productis, siue præcisis, prout cuiusque status electioni ad vitam, opportunus, siue importunus est, totum æternæ felicitatis, siue infelicitatis negotium dependet. Vnde notantissimè de eo, qui ad vitam electus est, dicitur, *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*, Sapient. 4. 11. preme verbum *raptus*; quod manum vitæ telam, siue stamina præcidentem, siue decurtatem, prout illius felicitati oportebat, satis apertè indicat: de iis verò, qui sempiternæ neci miseranda, & infelici sorte iustissimè addicti sunt, non minus accurata locutione inquit Dauid Psal. 87. 6. *sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt*; hoc est, infelici adstantis peccati occasione, seu opportunitate à manu tua vitæ ipsorum stamina præcisa sunt. En sortem à diuina voluntate atq; consilio moderatam, quam ex præfatis Salomonis verbis egregiè pendit Augustinus lib. 1. de prædestinat. sanct. cap. 14. vbi cùm dixisset, *Quis enim audeat negare Christianus, istum si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurum? Quilibet hoc dixerit, quis homo sanæ fidei resistendum putabit? Item si dixerit, iustum si à sua iustitia recesserit, in qua diu vixit, & in ea fuerit impietate defunctus, in qua non dico vnum annum, sed vnum diem vixerit, in pœnas iniquis debitas hinc iturum, nihil sibi præterita sua iustitia profutura, huic perspicuæ veritati, quis fidelium contradicit?* post modum sic subiicit. *Sed quare alijs concedatur, vt ex huius vitæ periculis, dum iusti sunt, auferantur; alij verò iusti donec a iustitia cadant, in eisdem periculis vita productiore teneantur, quis cognouit sensum Domini?* ad Rom. 11. Sic Augustinus. At enim verò, hinc non modò diuinam bonitatem & misericordiam; sed etiam iustitiam, & iudicium commendari, nostrúmque simul arbitrium admoneri & incitari, vt iustitiæ perpetuò incumbat, inde liquet, quòd vt felix hæc opportunæ mortis sors super eum, qui iustus est, ita illa nigra & infelix non nisi in illum, qui à iustitiæ tramite sua sponte recesserit, decidant: vnde statim Augustinus, *Cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem prius quàm caderet, hinc posset auferre, iustissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia eius.* Hæc ille, & alia ibi.

Psal. 30. 15. — Hieron. — Hebr. lect. — Actuum 1. 7. — Agellius. — Sapient. 4. 11. — Psal. 87. 6. — August.

Ecce tibi metum, & tremorem optimo merito nobis à Paulo iniectum. En vitæ, mortísque cardinem. En saluberrimam, & necessariam cogitationem, quæ te coquere, & in pectore semper infixa esse debet; cuique ipse Dominus sedulus, & perpetuus admonitor institit ad indefessas pro animæ salute excubias nos continuò vrgens, vigilias vigilantiam & ad multam noctem vigilare frequenter inculcans, & nobis ob oculos iaciens; vt animæ nostræ domum perpetuæ probitatis præsi 3.

præsidiis, & vigili in virtutes cura semper munitam haberemus. Audi: *Vigilate* (inquit Matth. 24.42.) *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*; & post modum fatuarum virginum adiecta imagine Matth. 25.13. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*; similiter Lucæ 12.37. *Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes, & si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi*; & subinde, *& vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet.* & cap. 21.36. *Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Apud Marcum verò signatissimè omnem vigilantiam & circumspectionem omnibus vitæ ætatibus necessariam repetitis vigilandi locutionibus sic adstruens cap. 13.33. *Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit: sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit seruis suis potestatem cuiusque operis, & ianitori præcipit, vt vigilet: vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an manè. Ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes.* & statim, *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Quò enim hæc omnia iuerint, nisi vt inde moneamur salutis nostræ negotium, fortis quodammodo rem esse, hoc est, destinatæ cuiusdam opportunitatis, siue occasionis, quæ omni vigilantia, & oculatissimo studio, atque conatu, ne elabatur, prendenda sit; dixit enim opportunè Seneca epist. 22. *Non tantùm præsentis, sed vigilantis est, occasionem obseruare properantem, itaque hanc circumspice, & si videris prende*; ad eum quidem modum, quo in probatica illa piscina, de qua Ioan. cap. 5.4. non nisi certa temporis opportunitate captata, à diligentiore ex infirmis salus obtinebatur; sic enim Ioan. *Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam, & mouebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat*, &c. vbi pro illis verbis, *secundum tempus*, Græcè scripsit Euangelista, κατὰ καιρὸν, id est, vt legit, & explicat Maldonatus, *certis, & opportunis momentis temporis.* Sed quónam modo certa? statis ne anni diebus, aut horis? Minimè, vt ex ipsomet textu & Euthymij sententia inibi idem Maldonatus docet. quia si constitutum fuisset tempus quo Angelus erat descensurus, non fuisset ibi reliquis temporibus tanta ægrorum multitudo expectantium Angeli descensum, quantam per id tempus fuisse indicat: ergo descendebat Angelus *certis & opportunis temporis momentis*, notis quidem Deo, sed ignotis hominibus, vt sanandorum diligentia magis acueretur, & excitaretur. Quæ sanè omnia nostro instituto consentanea sunt. Vnde quidem præfato apud Matthæum loco cap. 24.37. peculiari emphasi inquit Dominus: *Sicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec venit ad diluuium, & tulit omnes; ita erit, & aduentus filij hominis.* pende illud, *vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam*, inde enim hoc rapiendæ occasionis consilium maximè commendatur; sic enim notantissimè de eo in arcam ingressu Genes. 7.13. *In articulo diei illius ingressus est Noë, & filij eius in arcam.* quasi tota Noë, & filiorum illius salus, ac proinde eorum omnium, qui salutem consequuntur ab *articulo diei illius*, nimirum à certa quadam, & determinata opportunitate, & occasione, dependerit; qua semel elapsa *venit diluuium, & tulit omnes.* Quam sanè cogitationem plus aperiet occasionis pictura à veteribus sapienter inuenta, & à Phidia viuaci penicillo delineata. Nimirum illam fingebat antiquitas volubili rotæ pennatis pedibus insistentem, & quæ vertigine quàm citatissima in orbem semetipsam circumageret, priori capitis parte capillis hirsutam, posteriore glabram, vt illa facilè, hac nequaquam prehendi posset: sed & huius simulachri explicationem lectori ex Ausonio disertissimo poëta proponere, operæ pretium me facturum duxero: sic enim ille,

Matt. 24.42. · *Matt. 25.13.* · *Luc. 12.37.* · *Luc. 21.36.* · *Marc. 13. & seqq.* · *Seneca.* · *Ioan. 5.4.* · *Maldon.* · *Euthym.* · *Matt. 24.37.* · *Genes. 7.13.*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Cuius opus? Phidiæ, qui signum Pallados, eius
Quique Iouem fecit, tertia palma ego sum.
Sum Dea, quæ rara, & paucis Occasio *nota.*
Quid rotulæ insistis? stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum Mercurius, quæ
Fortunare solet, tardo ego cum volui.
Crine tegis faciem. Cognosci nolo. Sed heus tu,
Occipiti caluo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic rogo, quæ sis
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas;
Nempe, vt pœniteat, sic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volaui,
Hæc manet. hanc retinent, quos ego præterij.
Tu quoque dum cogitas, dum percontando moraris:
Elapsam dices me tibi de manibus. *Auson.*

Opportunissimè quidem nostro instituto hæc omnia, & ad incutiendum metum, & tremorem, atque ad acuendam diligentiam nihil aptius excogitaueris, cùm æternum siue gloriæ, siue inexplicabilis miseriæ pondus ab occasione perniciſſimè currente, immò volante; quæque nobis & sæpiùs occulta sit, & semel dilapsa, teneri nequeat; quámque æterna pœnitentia sequatur, omnino dependeat.

Et verò, vt præfatis Christi monitis, ac locutionibus quadrare & valde consentanea hæc esse videris; quid apud Marcum sigillatim dixerit Dominus obserua; *& ianitori* (inquit) *præcepit vt vigilet.* vbi meritò ambigas, cur ianitori vigilare præscribatur? quid enim ipsi ianuas aperienti, siue occludenti peculiarem vigilandi curam habere opus fuerit? cùm hæc ad ingressuros omnino spectet: sanè vt occasionis naturam rotulæ insistentis, & quæ stare loco nequeat, sed momentaneæ opportunitati affixa statim dilabatur, meliùs noueris: nimirum, vt nos omni die, omni hora vigilare monemur, quòd qua hora Dominus cum occasione salutis aduenturus sit, omnino ignoremus; ita ianitori vigilare præscribitur, vt occasionis punctum norit, eóque elapso ianuam statim occludat, ne fugiens occasio ab eo quem ipsa præteriit prehendi queat. Vnde inibi post hæc verba Dominus sic infert, *Vigilate ergo, nescitis enim quando dominus domus veniat.* ac si dicat: Vigilate vos, quia & ianitor vigilat, vt ipsomet occasionis momento transacto ianuam æternùm claudat. Id quod in decem virginum parabola satis dilucidè ostenditur: dum prudentes à fatuis inde discriminantur, quòd in occasionem paratæ certa, imò incerta noctis hora subitò adueniente Domino cum ipso ad nuptias ingredi potuerint; fatuæ verò occasionis iam puncto dilapso, cùm vigilans ianitor ianuam clausisset, ad ipsam importunæ accesserint: sic enim ibi,

4. *Marc. 13.34.* · *Ibid. v. 35.*

Matt.25.10. *Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* vides ianitorem vigilantem, vt illico clauderet? ſubiicit Dominus, *Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine aperi nobis; at ille reſpondens ait: Amen dico vobis, Neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem & horam*; vt hinc ad perpetuam vigiliam, ſiue ad pœnitentiam, nullo die, nulla hora differendam nos vrgeat, ſic id ad hæc verba admonente S. Ephrem
S. Ephrem. ſermone 1. de pœnitentia. *Hic oſtium pœnitentiæ apertum eſt, feſtina peccator, priuſquam occludatur. Ignoras qua hora cæleſtis medicus oſtium medicinæ ſuæ claudi iuſſurus ſit, feſtina vt cureris.* Nec minus acribus ſtimulis Gregorius Magnus homil. 12. in Euangelia, hunc in mo-
Greg. Magn. dum; *Aptè quoque generalis ad diſcipulos exhortatio ſubinfertur, cum dicitur: Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam, quia poſt peccata Deus pœnitentiam ſuſcipit: ſi ſciret quiſque de præſenti ſæculo, quo tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud pœnitentiæ aptare potuiſſet; ſed qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit: ſemper ergo extremum diem debemus metuere, quem nunquam poſſumus præuidere.* Ita ille. Similia etiam fatuarum virginum allata imagine videris apud
Auguſt. Auguſtinum de verbis Domini ſecundùm Matth. ſerm. 23.

5. Quò ſanè intentus vtiliſſimam totius libri ſui doctrinam hoc vnico monito præſtringebat Eccleſiaſticus in vltima libri clauſula capi-
Eccl.51.38. te 51. 38. *Operamini opus veſtrum ante tempus, & dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo.* quæ verba, vt inferiùs commodiùs tracto, ita modò iuxta lectionem Tigurinam opportu-
Lect. Tigur. nè expendo; ſic enim apud illam habes: *Ante amiſſam occaſionem fungimini officio veſtro*; ac ſi dicat: omni modo, omni ratione, occaſionem properantem obſeruate; ne ipſa vos prætereunte, perpetuus animo dolor infixus hæreat. Quid enim grauiùs, quid vos atrocius æternum pungat, quàm ſalutis occaſionem habuiſſe; nec eam fuiſſe amplexatos? Pulchrè Nazianzenus
Nazianz. orat. in ſancto Baptiſma. *Miſerum eſt, ſerum conſilium capere, ac tunc damni ſenſu affici, cùm nulla iam ratione acceptum incommodum ſarciri poteſt; hoc eſt, poſtquam hinc exceſſerimus, acerbéque concluſa fuerint quæ quiſque in hac vita geſſit.* Subiicio id tibi ob oculos ex Babylonis imagine, ſiue potiùs ex Babyloniorum, hoc eſt, ſæcularium, & improborum hominum infelici hiſtoria à Ioanne Apocalypſ. 18. 10. hunc in mo-
Apoc.18.10. dum propoſita. *Væ væ ciuitas illa magna Babylon; ciuitas illa fortis, quoniam vna hora venit iudicium tuum.* Preme illud, *vna hora venit iudicium tuum.* Quomodo enim *vna hora?* cùm longæua, & diuturna actorum eius ſeries fuerit. Vna ne hora tota iudicij & damnationis cauſa acta eſt? *Vna*, inquit, *hora venit iudicium tuum*; hoc eſt, ab vna hora, ab vna, & determinata temporis opportunitate Deo quidem nota, tibi verò ignota, & occulta, tota ſalutis, ſiue damnationis ratio pependit, & acerbè concluſa eſt: & dum te ſecuram, & ſaluandam putabas, *repentinus tibi ſuperuenit interitus.* vnde poſtmo-
Apoc. 18.14. dum verſic. 15. elegantiſſimè ſubiicitur: *Et poma deſiderij tui diſceſſerunt à te*; ſed obſerua, Græcè pro *poma* eſſe ὀπώρα, quæ vox, vt inibi ad-
Aretas. uertit Aretas, pro temporis opportunitate frequentiùs ponitur, vt ſenſus fuerit; expetitam à Babyloniis opportunitatem, quæ illos cœlo aſſereret (quippe mundani homines nunquam non ſalutem aſſequi ſperant, præſertim in extremo vitæ articulo, in quem illam ſemper reiiciunt) ab illorum manibus tunc fuiſſe dilapſam cùm ſe apprehenſuros putabant. Adiecit verò peculiarem huic ſententiæ epitaſim, ac vim noſter Vulgatus, dum occaſionem, ſiue opportunitatem pomi nomine expreſſit, vt poſſis dicere, alluſionem eſſe ad arcanam Tantali imaginem, qui diro famis ſitiſque ſupplicio affectus, præclaros aquarum fontes, & dulciſſima ex arbore pendentia poma in pœnæ cumulum indeſinenter ante ſe habere inducitur, vt cùm ipſe ad illa manum extenderit, miſerrimè deludant, etenim illum ſic fugiunt, vt ab eius oculis nunquam diſcedant, quò eius conatus irritos perpetuò faciant. Ad eum quippe modum, qui adſtanti occaſioni præſentes, ſiue inuigilantes non fuere, ſerum ſubinde conſilium capientes, & damni ſenſu affecti cùm acceptum incommodum nulla poteſt ratione reſarciri, elapſam occaſionem captare fruſtrà geſtiunt; immò verò hoc ſignatiſſimè ſupplicio plectuntur, quòd illam indeſinenter præ oculis habeant, eiuſque memoria torqueantur. Certè inter diros damnatorum cruciatus, illum omnium acerbiſſimum, & omnino intolerandum cenſueris, quòd illis ſit animo ſemper infixum, non caſu, non fato, ſed ſua ipſorum culpa quòd præſentem occaſionem non apprehenderint, æternûm infeliciſſimos eſſe futuros, potuiſſéque eſſe beatos, & habuiſſe æternæ felicitatis opportunitatem: vt nunc maximè verum ſit quod dixit ille,

Miſerum iſtud verbum, & peſſimum habuiſſe. Plaut in Rudente.
Sed hos tibi demonſtrare, ad manum eſt. Au-
di Salomonem Sapient. 5. 3. illos gehennalibus 6.
flammis affixos, & ſecum muſſantes ſic faciens: *dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & præ angu-* Sap. 5. 3.
ſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt: ergo errauimus à via veritatis, &c. Egregia in hanc rem à peſſimis auctoribus extorta verba: expende ſingula huic rei peropportuna, ſignatè verò illud, *pœnitentiam agentes.* vbi ſi inquiras, quî poſſit hærere pœnitentia cum pertinaci, & obſtinata in malo damnatorum voluntatem? quam ſapienter adſtruunt Theologi 1. part. quæſt. 64 artic. 2. Reſpondet S. Thom.
quidem ad id loci P. Molina, non eſſe his ver- Molin.
bis ſermonem de fructuoſa, vera, aut bona pœnitentia, ſed de ſterili, & non bona, quòd is illos dolor non ideo ſubeat, quòd Deum offenderint, aut quòd peccata in ſe ipſis mala ſint, ſed ratione effectuum, dum ſibi ipſis maximè exitialia fuiſſe videant, & æternis cruciatibus addixerint; adeò autem verum de peccatis dolorem non concipere, aut de ipſorum ſaltem effe- Ariſtot.
ctu, quia bonum eſt (quod, iuxta Ariſtot. 2. Ethicorum cap. 4. ad rationem virtutis neceſſarium erat) non dolere, vt diro in Deum odio æſtuent, quòd peccata prohibuerit, eaque in illis tam acriter puniat. Veriſſimè omnino: ſed ſi faciliùs te ab hoc nodo velis expedire, preme Græ- Lect. Græc.
cum verbum μετανοοῦντες, quod propriiſſimè verteris: *poſt intelligentes, poſt ſapientes*; cùm nimirum res facta eſt, vel occaſio præteriit; atque adeò ſerò

serò, vt Phryges, (quòd abiit in prouerbium) intelligentes, & sapientes; ea enim primaria significatio est verbi μετανοεῖν; & sub ea etiam Latinum *pœnitet*, nonnunquam sumitur, (vt inibi moneo.) cùm videlicet, qui pœnitet non tam resipiscit, ad sanamve mentem redit, quàm in malis moribus, & insania durans, pessimi consilij dolore angitur, & torquetur, vnde bene legit hæc Iansenius; *tandem post factum serò sapientes.* Vt Salomoni sermo sit de ea intempestiua cognitione, quæ cum dolore, & rabie lapsam occasionem comitatur, vt hac eadem voce in occasionis pictura dicebat Ausonius,

Iansenius.

Ausonius.

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe vt pœniteat, sic Metanæa vocor.

1.Reg.3.3.

Quò forsan commodè retuleris obscura 1. libri Regum cap. 3. 3. de Heli verba, *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur.* Nam dum de huius loci sensu, atque lectione omnibus modis discruciantur interpretes, & vix illis siue lux lucernæ huius, siue caligo oculorum Heli affulget. Quî enim, inquiunt, dici queat, illos sic caligasse, vt non potuerint videre, antequam lucerna extingueretur, quasi post extinctam lucernam, ad morem vespertilionis res agnoscerent, atque viderent: tu dicito, ita quidem spirituali sensu rem se habere, atque Heli, & sui similibus obtingere vt non prius videant, & sapiant, quàm Dei lucerna; hoc est, lucis huius vsura, & spiritualis illuminatio illis extinguatur; amissa videlicet occasione, & opportunitate *post intelligentes, post sapientes.* vnde hi infelices notanter statim subiiciunt, *iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis*; cùm tamen dum hæc dicerent, & malo iam accepto extinctáque lucerna acutissimè viderent. Pende etiam hæc, *aliquando habuimus*; & illa, *Nos insensati*, quæ ad hanc aliquando habitam, nec satis tunc cognitam, & post modum omnino amissam salutis opportunitatem explicandam etiam faciunt: vnde cum tota hac damnatorum ratiocinatione, & longo sermone scitè componit Hieronymus in Threnos ea Hieremiæ Prophetæ miserrimam suæ ciuitatis sortem deflentis verba: *Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, & non esset auxiliator*, Threnorum cap. 1. 7. vt is damnatorum acerbissimus cruciatus sit prætéritæ opportunitatis, quam præ manibus habuerunt, tunc signatè reminisci, cùm ipsa iam è manibus irreuocabiliter dilapsa est: sic namque Hieronymus in hæc verba: *Non solum Ierusalem illa terrena doluit se perdere iucunditatem suam, & delitiarum affluentiam inter hostes constituta, sed etiam hæc mystica: & maximo dolore torquetur; cùm in pœnis constituta iam serò dolet, se tunc negligentem fuisse, quando per bona opera, & rectam conuersationem potuit sibimetipsi subuenire. Non enim cum sanctis Angelis exultat, sed in inferno cum dæmonibus cruciata infructuose præterita peccata deplorat, iuxta illud, quod scriptura sacra teste, impij in inferno dicturi sunt.* Ergo errauimus à via veritatis. Sic Hieronymus. Nec fuerit omittendum, quod statim ad sequentia verba, *Viderunt hostes, & deriserunt sabbata eius*, subiungit; acerbo scilicet risu hanc impiorum pœnitentiam siue dolorem à dæmonibus excipi: *Tunc (inquit) & ipsi spiritus maligni deridentes otium quod negligentes inutiliter duxerunt per præsentis vitæ spatium.* Sed illud in hoc sapientiæ loco è re nostra maximè est, quòd felicissimæ iustorum Deo iam fruentium sortis, sic etiam damnati meminerint: *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est*; videris enim hinc salutis negotium sortem quidem esse, sed quæ vt primario Dei beneficio, & gratia, ita etiam hominis industria, ac diligentia constet. Vnde obserua notanter verba distributa vt filiis Dei computatio, sanctis sors tribueretur, quòd sors non ideo præcisè qua filij Dei, hoc est ab ipso gratiosè geniti, sed qua sancti, hoc est, gratiæ beneficio strenuè respondentes, ipsis obtigerit.

Sap.5.6.

Thren.1.7.

Hieronym.

Iam verò vt ad ea, quæ ad metum, & tremorem captandæ occasionis spectant, propiùs accesserim, feræ illi damnatorum illationi, *Ergo errauimus a via veritatis*, opportunam hanc videtur Paulus opposuisse, *Ergo dum tempus habemus operemur bonum*, ad Galat. 6. 10. ne videlicet salutis occasio, atque opportunitas nos transeat, & inter feræ, ac desperatæ pœnitentiæ lamenta relinquat. Sed quódnam hoc *tempus* quod ad bonum operandum ex Pauli sententia *habemus*? Respondet ibi Hieronymus *tempus sementis; tempus præsens est: vt occiderit hæc breuis lux, bene agendi tempus præterijt.* Ac si dixerit; quàmdiu vitam agimus, quamdiu huic luci superstites sumus, tempus, occasionem, & opportunitatem ad salutem obtinendam habemus: verissima omnino sententia; immo & diuinum oraculum, cui vt non nisi amens repugnet; ita plures stulti periculosè incumbunt, atque innituntur, dum in his, quas ipsi longas sibi fingunt, induciis respirantes, & per latissimum & amœnum humanæ vitæ curriculum se se expatiantes, pœnitentiam, & sanam mentem in vltimam vitæ clausulam reiiciunt, quasi salutis opportunitatem, & occasionem satis ad manum tunc habeant. Quòd si illis obieceris cum Dauide non in hominis, sed *in Dei manibus* vitæ, mortisque *sortes* esse, ac proinde nimis periculosam, nimis dubiam eius securitatem censeri, qui de sua salute sic decernit, ac si in propriis manibus sortes haberet; respondent, esse quidem in Dei manibus sortes; sed illas eum pro libito, & deprecatione morientis hominis moderari, & dum bonam, atque felicem humiliter ipse exorat talem, bonum, & clementem Deum misericorditer illi immittere. Hæc illi sibi persuadent; ego verò potiùs crediderim IESV Christo diuersissimam citatis locis doctrinam nobis tradentem, nec enim ipse totam vitam cœlesti beatitudini promerendæ distributiuè, siue diuisiuè, vt aiunt, tibi opportunam fecit, vt illam pro libito dissecares, & inter sæculi voluptates, atque peccata, & virtutes, ac pœnitentiam partireris, ne dum, vt totum lucis spatium diabolo, ac eius spurcitiis, vltimum verò crepusculum ipsi dares; sed potius vt illam collectiuè sumptam occasionem tuam, & opportunitatem putares, vt totam in animæ negotium nulla illius particula dempta sapienter impenderes. Quid enim aliud sibi velit, illa tam vehemens, & acris, quàm signatis, & repetitis vocibus ad totius noctis vigiliam adhortatio? Quid ea admonitio subitaneum, & insperatum ipsius aduentum esse futurum? Audi, *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit*, Matth. 24. 42. &

7.

Ad Galat.6.10.

Hieronym.

Psal.30.15.

Luc. 21. 36. Matt. 25. 13. & Lucæ 21. 36. *Et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet*; & rursus in Matthæo cap. 25. 13. *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.* in quæ verba sapienter Paschasius lib. 11. in Matthæum, *Ac si dicat, ideo volui vos nescire, vt semper vigiletis, & semper parati sitis, quando Dominus venturus est: ne tenebræ noctis, vel torpor somni vos subrepat.* Vnde post nonnulla sic infert. *Quapropter quam longa vita hominis, tam longa esse debet & ista vigilia noctis*; ne videlicet vel vna illius hora imparatum illum inueniat. Nec minus opportunè Maldonat. premens tum noctis imaginē, tum illius vigilias signatè descriptas Lucæ 13. 37. *Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit*; hunc in modum, *Vigilias autem noctis non pro vita nostræ obscuritate, sed pro incommodissimo, & minimè opinato tempore poni: secunda enim, vel tertia vigilia venturus Dominus dicitur, quia veniet securis nobis, & minimè cogitantibus, quo tempore dormire omnes solent. Quis enim tam intempesta nocte eum venturum putauisset? Nec illo ipso tempore venturum significat; si enim homines scirent, noctu venturum, vigilarent noctes, dies verò dormirent. Atqui nunquam vult dormire nos, sed semper dies, noctesque vigilare, quia nescimus, quo tempore, die, an nocte, & si nocte, qua hora, prima, secunda, tertia, an quarta vigilia venturus sit.* Sic ille: vndè signatissimè Paulus ad Ephes. 5. 15. *Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Vbi lectio Syriaca, Græcæ (quæ pro *tempus* habet καιρὸς, id est, temporis articulum, & opportunitatem) insistens opportunè vertit. *Videte quomodo ambuletis circumspectè, non vt stulti, sed vt sapiētes, qui redimunt occasionē suam*: vt videtis omne vitæ nostræ tempus eo modo occasionē nostrā esse, vt omni hora, omni momēto vigilare, siue cautè, & circūspectè ambulare nos oporteat; ne salutis opportunitatem, quæ ab omni temporis articulo dependet, malo fato amittamus. Dixit verò multa emphasi Paulus, *redimentes articulum temporis*, quòd is à falsa nostra opinione, siue credula spe captiuus sæpe teneatur; nunquam enim non maturam mortem & longissimam vitam nobis pollicemur. Vnde monet etiam Paulus, eum qui secus faxit, insipientem, ac stultum esse; atque stultè, & insipienter in salutis negotio ambulare. Reddit verò totius sententiæ rationem. *Quoniam dies mali sunt*; quod multi ad dierum breuitatem, plures ad malignitatem, siue ad casus & aduersa quæ in illis contingunt, referunt; ego verò vtramque expositionem sic tempero, vt sensus sit, dies humanæ vitæ, quia multò breuiores sunt, quàm nobis promittimus, & qui incertis, & subitis casibus obnoxij, repentino sæpè exitu finiuntur, malignos, & fallaces esse: quippe qui sæpiùs in medio cursu nos deserant; siue qui morti, tanquam furi inopinato ingredienti, fenestras clanculum aperiant.

Paschasius. Maldon. Ad Ephes. 5. 15. Lectio Syriaca.

8. Et verò huic sententiæ persimilis est, & quasi vterina illa eiusdem Apostoli ad Romanos 12. 11. *Sollicitudine non pigri, Spiritu feruentes, Domino seruientes.* Vbi forsan ea animum tuum subierit cogitatio, extremam huius versiculi partem frigescere; quam enim vim, quam opportunitatem habeat? post pungentes sollicitudinis, & feruentis charitatis, & spiritus aculeos, simplicem hanc locutionem siue monitum, *Domino seruientes*, subdere? præsertim cùm statim has peculiares adhortationes subiiciat. *Spe gaudentes in tribulatione patientes, necessitatibus sanctorum communicantes*, cum quibus ea sententia tanquam arena sine calce non bene hærere videatur. Dixeris verò illud, *Domino seruientes*, sic fore capiendum, ac si dicatur, *vtpote Domino seruientes*, quod ad sollicitudinem ingerendam, & strenuitatem in Dei obsequio maximè commendandam non leuem epitasim habet. Bene quidem, nisi aliquanto contortum, & à littera dissonum esset. Quare obserua Græca plurium codicum lectionem, Ambrosio, & aliis maximè probatam, quæ non habet κυρίῳ, hoc est, *Domino*; sed καιρῷ, id est, *tempori*, siue *opportunitati*, eadem scilicet voce, qua, vt vidimus, dixit Paulus, *redimentes tempus*: vnde optimè subsistit sensus, & sententia Pauli ad sollicitudinem, & feruorem spiritus vrgentis; vt dicere videatur, omni sollicitudine & strenuitate opus esse, vt salutis opportunitati, & occasioni inseruiamus; ne ipsa è manibus elabatur, quippe quæ ab omni temporis momento, atque articulo dependet. A quo non it gentilis Senecæ monitum lib. de breuitate vitæ cap. 9. *Cum celeritate temporis, vtendi celeritate certandum est, velut ex torrente rapido, nec semper casuro hauriendum est.* Quòd si ex vtraque lectione vnam confeceris bene hoc sensu hærere dixeris, Domino seruire, ac sollicitudine non pigros, & spiritu feruentes esse; cùm id suo iure à nobis Dominus exigat, vt solliciti cum ipso ambulemus; sic enim Michæas 6. 8. *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid sit quod Dominus requirat a te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Habebat quidem hæc omnia præ oculis Bernard. serm. *de triplici custodia manus, linguæ, & cordis*; vbi cùm sapienter monuisset, *Nemo vestrum, fratres, parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur otiosis. Si quidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile, nec aduertit insipiens quid amittat*; in eos subinde, qui ab ipso vel vna hora otiosi deprehenderentur, & quòd vnam solum horam in confabulationibus consumerent, sese excusarent, sic opportunè inuehitur. *Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat. O donec prætereat hora! O donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pænitentiam, ad obtinendam veniam, ad adquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio creatoris indulget. Donec transeat tempus, quo diuinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem.* Pungit statim aculeatis agricolæ, & mercatoris, & pauperum imaginibus. *Sic nimirum sic agricola cùm diei desiderata affuerit opportunitas seminandi; sic vinitores cùm expectatum tempus putationis aduenerit, inuenisse occupationes, & quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse lætantur? sic instantibus nundinis institores nectere moras, occasiones quærere solent, ne quem fortè sibi ex eis quæstum prouenire contingat? sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus euocatus, tandem affuerit eleemosynarum distributor diuersicula captant, & concurrentibus sociis vacuos ambiunt occupare recessus, & fouere latebras in angulis platearum?* Hæc & alia Bernardus. Fuerit verò operæ pretium, tanti momenti rem pensiculatiùs pertractare; sed ne in opportunitate importuni simus, nouam lectori adnotationem hac de re dabimus.

Ad Rom. 12. 11. Lectio Græca Ambros. Seneca. Michæ 6. 8. Bernard.

Ad

Ad eadem verba, *Cum metu, & tremore*, &c.

ADNOTATIO VI.

Salutis opportunitatem, delicatam, & scrupulosam rem esse, & quæ vt ab ineunte ætate captanda, ita in mortis horam minimè reÿcienda sit.

1. EXPLICO sigillatim in hanc rem illa Domini apud Marcum verba
Marc.13.35. cap. 13. 35. *Vigilate ergo: nescitis enim, quando dominus domus veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an manè. Ne cum venerit repentè, inueniat vos dormientes.* Quibus in verbis duo signatissimè homines monentur: alterum adeò è re salutis, & opportunitatis illius esse, per totam vitam Dei obsequio & virtuti incumbere; vt vel à teneris vnguiculis, & cùm primùm homini rationis lumen affulget, vigilare necesse sit; quòd vt tunc salutis opportunitas adsit, ita & mors velut ex insidiis erumpens florescentem, & immaturam vitam velut messem in herba soleat abrumpere: alterum valde temerario ausu in extremum vitæ tempus pœnitentiam, & conuersionem in Deum transmitti, cùm quòd oculis quotidie videmus, subito casu, & repentina morte non pauci hominum præoccupentur: & primum quidem monitum non obscurè subest illis verbis; *an galli cantu*. Quid enim *galli cantu*, nisi ad primam Orientis in animo rationis lucem Dominum præmium, vel pœnam allaturum venire, fuerit? Audi Theophylacti commentarium
Theoph. totius huius loci. *Tardè quidem tunc adest finis, quando quis in bona senecta moritur. Media autem nocte, cum mediam ætatem peregerit: in gallicinio autem, quando in nobis ratio completa fuerit; gallus enim ratio est, quæ nos à somno excitat, & stuporem repellit. Cùm igitur puer incipit, iuxta rationem viuere, ac sapere, tunc gallus ei canit. Diluculum autem omnino puerilis est ætas. Omnes igitur finem in memoria habere oportet: etiamsi quis puer sit, prouidendum, ne fortè non baptizatus moriatur.* Quòd si egregiam huius rei imaginem ab ipso Domino æquè factis, ac dictis admonente vide-
Matt.21.19. re velis, adi Matthæum cap. 21. 19. & Marcum
Marc.11.13. 11. 13. atque ibi ficulneam Christi maledictione arefactam, quòd fructus non *haberet*, audies: sic enim Matth. *& videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Vbi cùm de supplicio homini iustitiæ fructus non habenti infligendo agatur, opportunissimè in typum assumpta à Domino ficus fuit; etenim, præterquam quòd ipsa hominem vel ex foliis, humanis manibus adsimilibus, vt cap. 1. verf. 9. adnot. 6. num. 4. obseruauimus, aptissimè adumbret: illud inter arbores præcipuum habet, quòd omnium prima ad fructus festinet: sic namque de ipsa Plinius lib. 15. cap. 18. *Admirabilis est huius pomi festinatio, vnius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ.* Quò etiam it, ipsam, secus ac alias arbores non flores ferre, sed pro floribus fructus, vt idem met Pli-

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

nius, & ab eo Ambrosius obseruarunt: *protinus* (inquit ille lib. 15. cap. 16.) *fructum non flores gignunt*; & Ambrosius eleganter in cap. 13. Luc. Plinius.
Cæteris albentibus primo vere virgultis sola ficus nescit proprio flore canescere. Id quod Plutarcho stupenda res visa est; ait enim lib. 5. quæst. conuiual. *in primis stupendum est, quod cùm arbores, quæ germinant, omnes florescant, vna flore vidua sit fici planta.* Vt inde noueris, tum in ipsomet *galli cantu* debere hominem ad Dei obsequium & virtutem festinare, & pro floribus & nugis, quibus pueri assuescunt, virtutum fructum ferre; sapientiæ siquidem flores, fructus sunt, id ipsamet apud Ecclesiast. cap. 24. 23. dicente: *Flores mei fructus honoris, & honestatis:* Eccli. 24.23. Ambros. Plutarch.
tum etiam, quòd officio tunc suo in imagine defuerit, nec ad primum galli cantum vigilauerit, optimo merito extremæ pœnæ addictum fuisse.

Rem auget, & facilem locum obscurum reddit, & implicitum, quod de ficulnea addidit 2.
Marcus, ideo ficus non habuisse, quòd tempus fructuum nondum esset: sic enim ille versu 12. *Nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.* Marc.11.12.
Cur enim tam acris pœna arbori immerenti inflicta fuerit? Quid enim ipsa commisit, quòd fructum non haberet, quando tempus fructuum non erat? Dixerim cùm Maldonato in cap. 21. Matth. non quidem in pœnam arboris, sed in mysterio ad nostri institutionem à Domino arefactam fuisse; vt inde admoneremur, hoc inter homines, & arbores interesse, quòd illæ natura sua non nisi certo quodam anni tempore fructus ferre, homines verò toto vitæ tempore iustitiæ fructus edere, & benefacere debent: tota siquidem vita nobis est æstas, tota debet esse frugifera, nec quicquam nos præter voluntatem steriles facit. Quòd si illis verbis, *Non enim erat tempus ficorum*, adhuc instes, non benè hærere mysterio, durùmque videri, fructus ante tempus exigere; respondebo primùm forsan id de industria adnotatum, vt discamus sæpiùs siue primo iuuentæ vere, siue dum grandiores sæcularibus occupationibus vacamus, nobis ob philautiam, cæcúmque nostri amorem, videri tempus fructûum nondum aduenisse, siue à bonis operibus aliquandiu excusatos esse; cùm tamen re vera tempus iam sit, vt vel ex fame, qua in mysterio ad ficum Dominus pransurus accessit, non obscurè liquet, quòd nullum saluti nostræ destinatum sigillatim tempus sit, quasi hoc vel illud in illam impendere sufficiat, sed totum vitæ curriculum, omnes annos: menses, & horas in illa procuranda collocare debeamus. Vel vt inde nouerimus, nunquam nos tam festinanter, & primo mane, siue totius vitæ, siue singulorum dierum, virtutum fructus ferre, quin ipsos Deus vt maturos, & suo tempore reddendos iam concupierit. Vnde notanter Regius vates Psalm. 118. 147. *Præueni in maturitate, & clamaui:* vbi dixerit non nemo, antilogiam esse, cùm præuenire, non bene eum maturitate hæreat; etenim vt qui præuenit tempus antevertit; ita maturitas non nisi stato & opportuno tempore succedit. Vnde, si præuenire diceris, horam præripuisse, & tempori immaturus accedere videris: sin autem maturæ rei aduenisti, non tam præuenisse tempus, quàm lento, & iusto gradu accessisse dicendus es. Verùm enim verò, si rectè sapis, non antilogiam, sed plenam sapientiam, egregiámque institutionem Psalm. 118. 147.

 credi

credideris; adeò enim omni tempore, omni ætate, omni hora diuino debemus obſequio incumbere, & ad illud feſtinare, vt cùm nobis tempus præueniſſe, & quaſi ſyderibus dubiis ante lucem ſurrexiſſe videmur, maturum omnino ac debitum obſequij, ac ſeruitutis noſtræ tempus adſit; vt ſanctis illis mulieribus Chriſtum quærentibus apud Marcum 16.2. eueniſſe videmus, quæ ſimul
Marc.16.2. *valde manè, & orto iam Sole*, ad ſepulchrum veniſſe dicuntur. Nec ab hoc iuerit Ambroſij commentarius; qui quamuis Græcos codices ſequu-
Ambroſ. tus legerit, *praueni ante tempus*; mentem tamen Prophetæ ad noſtram explicationem ſic adducit. *Qui ergo Dominum deprecatur, non velut praſcripta pracipuè tempora praſtoletur, neſciens in obſecrationibus Domini tempus eſſe aliquod, ſed ſemper in ipſis ſit, ſiue manducamus, ſiue bibimus, Chriſtum cogitemus, Chriſtum loquamur, in corde noſtro ſemper in ore ſit Chriſtus.* At enim, dum hæc verba ſcriberet Ambroſius, illa Salomonis velut contraria ipſi
Eccleſ.3.1. occurrerunt; *tempus omni rei ſub cœlo eſt*, Eccleſ. 3.1. quaſi omnia definitis, & præſcriptis temporis limitibus, quos egredi importunum ſit, commodè agantur: ac proinde inter Deum & res ſæculi partiendum tempus fuerit. Sed reſpondet acutè diſpungens Salomonis verba: *Sed Dominus* IESVS *ſupra cœlum eſt, nullo circumſcriptus eſt tempore.* ac ſi dicat, ſit tempus rebus, quæ ſub cœlo ſunt, vt certis ſpatiis earum occupatio coërceatur: at Chriſtus omni tempore, omni hora, in animo habeatur; in eúmque omnia referantur, vnde quidem, quòd ficulnea illa tempus præuenire ſiue ante tempus maturare neſcierit, ſed certum & determinatum ad fructus proferendos tempus exſpectarit, iuſtiſſimæ maledictioni obnoxia exſtitit.

3. Propoſuit Phariſæis, & Scribis Dominus vi-
Matt.21.33. neæ parabolam. Matth. 21.33. vt ex ipſa æque ac ficulneæ areſactæ imagine eos admoneret, ſimúlque minaretur, extremo fore afficiendos ſupplicio quòd tanquam generoſæ ſtirpes à Deo plantati iuſtitiæ fructus non ferrent: & verò, vt in cortice parabolæ ad ipſius ornatum, ſiue vt rerum naturis ſermonem attemperaret, dixerit: *Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet.* quaſi certum & definitum tempus ferendis fructibus eſſet opportunum: at enim cùm ad parabolæ explicationem acceſſit, id omnino ſuſtulit, quaſi ab eius ſenſu & mente alienum, vt ſapienter inibi
Maldonat. adnotauit Maldonatus, qui cùm initio expoſitionis parabolæ de iis quæ in ea propriam & neceſſariam ſignificationem habent, præmonuiſſet; ſimúlque adnotaſſet, cætera quæ in parabolam proponuntur, adiectitia eſſe, *quæ ad ſignificationem* (inquit) *trahi non debent, ne quid violenti, aut abſurdi dicamus, & dum nimis mulgemus, ſanguinem eliciamus.* poſt modum de his verbis ſic admonet: *Adiectitium etiam eſt, quod in parabola dicitur, tempus fructuum appropinquaſſe. quaſi non ſemper tempus fructuum fuerit, aut quaſi non ſemper Deus à Iudeis bonorum operum fructus exegerit. Non enim ita eſt ſed, vt diximus ſupra, ſemper fructuum tempus fuit.* Id quod ipſemet Dominus non obſcurè ſtatim docuit: etenim cùm de ſenſu parabolæ Scribæ interrogati, communi ſenſu, & conſpiratione dixiſſent: *Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis*; quaſi de induſtria vim facerent in fructu *temporibus ſuis*, certis ſcilicet, & præfinitis reddendo; hanc locutionem explicans, ſiue corrigens Aſſertor ſubiecit, *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* vbi premas velim accuratum, & quæſitum dicendi modum, *facienti fructum eius*; præſentis ſcilicet temporis vocem vſurpans; vt ea perpetuum ſtudium & præſens ac nunquam intermiſſum tempus in ferendis fructibus indicaret: *facientis*, inquit; hoc eſt, qui ſemper faciat, & à tabula, vt aiunt, manum non ſubmoueat; *facienti*, id eſt, qui ſemper præſens, & occaſioni aduigilans ſit: *facienti fructus eius*; hoc eſt, qui virtutum actiones indeſinenter exercet, & totus in perfectionis ſtudio, & profectu eſt.
Sic Bernard. ſermone 63. in Cant. inquiens, *In* *Bernard.*
Euangelio legitur, dari gentibus regnum facientibus fructus eius. Hi ſunt, quos Paulus enumerat, dicens. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas, ad Galat. 5.22. *fructus iſti profectus noſtri.* *Ad Galat.5.22.*
Sic ille. Atque id fuerit reddere fructum *temporibus ſuis.* nam cùm ſemper fructuum tempus ſit, ſuum tempus perinde erit, ac omne tempus, ſicut omne tempus, ſuum ſiue opportunum, & naturale tempus neceſſaria ratione dici debet.

Sunt quidem hæc, de totius vitæ tempore, & 4.
opportunitate ad Dei obſequium accepta, omnino vera, atque certa, iuxta præfatam Ambroſij
regulam: *Dominus Ieſus ſupra cœlum eſt, nullo cir-* *Ambroſ.*
cumſcriptus tempore; ſed enim de extremo vitæ tempore, & mortis hora ſumpta, vero veriora, & certo certiora eſſe dixeris: errant nimirum, & vehementer errant, qui totum vitæ ſpatium in rebus caducis, ſiue in inanibus nugis, immò potiùs in noxiis delitiis, atque flagitiis collocantes, animæ æternûm duraturæ negotium, & ſalutis curam & procurationem in vltimam vitæ horam reiiciunt; ſatiſque ſibi eſſe autumant, ſi ſeſe tunc ad Deum conuerterint, & ad maledictæ ficulneæ morem pœnitentiæ fructus tulerint. Maturóſne tu illos, & Dei guſtui opportunos credi-
deris; an verò qui *inutiles, & acerbi ad mandu-* *Sap.4.5.*
candum, & ad nihilum apti, Sapient. 4. ſint? voluntatis, & ſponte editos? an coactos, & quaſi extortos iudicaueris? Nihil quidem hac in re definire voluit Auguſtinus homil. 41. in lib. 50. homil. & alibi, quamuis aduersùs illos tantiſper propendere videatur ſermone 56. de tempore, tom. 10. inquiens: *Nec illud ſeruet, vt in extremo vitæ ſuæ tempore tunc pœnitentiam petat, quando iam agere non poſſit. Inutilis eſt enim dilectiſſimi iſta perſuaſio. Parum eſt peccatorem pœnitere, niſi pœnitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pœnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari: ſed authores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit, mereatur abſolui.* & poſt pauca: *Et ideo pœnitentia quæ ab infirmo petitur in-*
firma eſt. Pœnitentia quæ à moriente tantùm peti- *Auguſt.*
tur, timeo ne ab ipſa moriatur. Sed nec ego Auguſtino hærens aliquid diffiniero, aut veniam ſiue ſpem his pœnitentibus negauero. Sed enim non potuerim non cum duro illo & agreſti Laban Iacobi ſocero illos componere; is enim, cùm immitem ſe, & infenſum genero ſemper exhibuiſſet, eàque de cauſa Iacob ab eius domo ſe clanculum ſubducens, in terram ſuam ire pergeret, fugientem tandem aſſecutus ſic cum illo diſce-
ptabat Geneſ. 31.27. *Cur ignorante me fugere* *Gen.31.27.*
voluiſti, nec indicare mihi, vt perſequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?

Ita

Ita ne modò? Opportuno scilicet tempore: *per viginti annos* (inquit Iacob. vers.41.) *seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.* ac si diceret; nunquam mihi vel vnam lætitiæ horam per longissimum viginti annorum spatium mihi dedisti, sed omni modo, molestiis, & dura tractatione vexasti; & tam gratum mihi, ac iucundum modò te præbes, cùm benignitatis tempus minimè adest? Quàm essem ego amens si tibi crediderim. Ita id ad hæc verba sic pensitante Oleastro: *Impij nunquam didicerunt bona facere, nisi cùm non est tempus faciendi.* Ita ille. Oleaster.

5. Sed iam vt omnia tibi rimam quærenti aufugia præcludamus, vrgeo eam præfatæ Christi sententiæ partem: *Ne cum venerit, repentè inueniat vos dormientes*; & quid, inquies, rogo, mi homo, qui salutis opportunitatem in vltimam vitæ periodum transmittis, quasi illic ipsa te operiatur, vt placidissimo, & sedatissimo animo res tuas pro libito agas, & circumducas, si subita, vt hîc à Christo Domino præmoneris, morte rapiaris? *Ne cùm venerit repentè*, inquit ille; quasi quod passim oculis excipimus, subitò atque repentè soleat aduenire; non modò, quia, vt sapienter dicebat Epicurus: *Nemo est qui non inter agendum diem obeat*; sed quòd frequentissimè improuisa morte homines præoccupentur, atque ij signatè, qui sæcularibus curis, atque negotiis magis innexi, atque implicati sunt: sic apud Lucam Dominus cap.21.35. cùm dixisset. *Attendite ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa*; subiicit, *Tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* vbi si inquiras: quid si tanquam laqueus? respondet Euthymius in cap.24. Matth. *Tanquam laqueus sanè propter non apparentiam & impræmeditationem*: si autem scire velis, qui potissimum repentino, & impræmeditato hoc laqueo innodentur, disce ex ipsismet Domini verbis, *qui sedent super faciem terræ.* Quæ sic inibi explicat Theophylact. *Hos etiam illaqueabit dies ille, qui in otio, & absque sollicitudine versantur, illi enim sunt; qui sedent, & qui illaqueantur: at qui operantur, & actiui sunt, & sobrij in operatione boni, feruntúrque in omne bonum, non sedent, neque quiescunt.* Crediderim non importunè hæc explicari ex parœmia Græca, γνῶθι καιρὸν, *noueris opportunitatem*, & eius origine; quippe hæc sententia Pittaco, vni è septem Græciæ sapientibus, adscribitur, quòd cùm ipse ad singulare certamen cum Phrynone descendisset, datúmque singulis fuisset, vt quisque pro libito arma deligeret quibus pugnam conficeret; ipse dextra ensem, sinistra laqueum, in cuius ludo exercitatissimus erat, proferens; atque ideo ob rei insolentiam non leuiter ab aduersario irrisus, callidè in medio certamine gladium capiti intentauit, cúmque illud Phrynon, vt ictum eluderet, in sinistrum latus obuolueret, eadem celeritate Pittacus laqueum in illius collum extendit, & quàm citissimè strinxit, atque implicauit, cum acri illo dicterio, *Noueris occasionem.* Apta id Christi verbis de morte præoccupante eos, qui nolunt nosse præsentem occasionem, *Tanquam laqueus enim super veniet*, &c. certè dum hi salutis suæ negotium securè agere, & de aduersario victoriam referre sperant, à subitæ mortis laqueo innodantur, & subiti mali æternas pœnas luunt. Præsentia hæc esse videntur Sapienti Ecclesiastici 4.23. admonenti: *Fili conserua tempus, & deuita à malo.* pro quibus lectio Tigurina reponit. *Fili occasionem obserua, caueto que malum*; cùm verò Græce pro *tempus* sit, vox καιρὸς, quæ, vt sæpiùs diximus, temporis articulum & opportunitatem significat, tantùm non inquit diuinus monitor, in eo præcipuè obseruandam salutis nostræ opportunitatem, vt nullo temporis instanti peccatum suscipiamus, sed illud omnimodis fugiamus, ne malo fato, morte nos tanquam laqueo repentè implicante, salutis occasionem, quæ singulis momentis veluti volubili rotæ insistens, quàm citatissima vertigine circumagitur, atque aliò volat, infelicissimè amittamus. Quò opportunè iuerint hi Bernardi stimuli de tempore benè collocando lib. de interiori domo cap. 63. *O quanti hac hora cum Deo loquuntur, eúmque in semetipsis amplexantur! tu verò in ijs delectaris, quæ pereunt, & transeunt, & tecum manere non possunt: considera, quam multi modo moriuntur, quibus si hæc hora ad agendum pœnitentiam concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per altaria, & quam festinanter currerent, & ibi flexis genibus, vel certè toto corpore in terram prostrato tamdiu suspirarent, plorarent, & orarent, donec plenissimam peccatorum veniam à Deo consequi mererentur; tu verò comedendo, bibendo, iocando, & ridendo, tempus otiosè viuendo perdis, quod tibi indulserat, Deus ad acquirendam gratiam, & ad promerendam gloriam. Cogita etiam quot animæ in inferno nunc cruciantur sine spe veniæ & misericordiæ.* Hæc & plura, quæ longiùs eunt, Bernardus.

Marc 13.35. Lucæ 21.35. Euthym. Theophyl. Ecclesi.4.23. Lect. Tigur. Bernard.

6. Illud verò valentius in hanc rem robur, atque momentum habet, quod sub Babylonis imagine iis hominibus, qui sæculo addicti, salutis suæ opportunitatem in manu sese habere confidunt, sic exprobrabat Isaias cap.47.11. *Et fiduciam habuisti in malitia tua; sapientia tua, & scientia tua, ipsa seduxit te*; securè (inquit) confidentérque peccasti, multa, de diuina bonitate, & patientia cogitans, multa differens, & eruditis ratiocinationibus iactans, atque hoc clypeo multa sperans: at enim dum noxiè atque improbè doctus, potius quàm simpliciter, & salubriter pius extitisti, importuna hæc scientia atque sapientia tua fraudi æternóque exitio tibi fuit. Sed quónam modo? subdit: *Veniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repentè miseria, quam nescies.* ac si diceret; Tu non secus ac si fortes in manibus tuis, & vitæ tempora, ac momenta in tua potestate haberes, sic tibi sapiens fortunam fingebas, & res tuas ducebas, quò opportuniùs caderent; præsens nimirum tempus, siue iuuentæ florem, mediæque ætatis fructus, immo & plures senectutis canos sæculi blandimentis atque voluptatibus dabas, nec ideo de animæ salute obtinenda animum despondebas, quippè, vt modò in peccata sæpiùs rueres, & prolabereris, attamen non aliter tibi mortem obuenturam credebas, quin ei Christianis armis munitus obuiam ires, omnes scilicet scelerum maculas per pœnitentiæ Sacramentum eluens, & sacro pane in longissimi itineris viaticum te reficiens: sed enim euanuisti in cogitationibus tuis, & sors tibi in contrarium versa est, has enim omnes ratiocinationes, atque præparamenta mors subitò adueniens dissipauit, atque contriuit: *veniet* (inquit) *super te malum, & nescies ortum eius*, id est, nescies illius initium, siue caussam, tempus, aut modum, vt illi possis occurrere. Habet verò non nihil emphasis lectio Hebræa Isai.47. Hebr. lect.

Hebræa quæ habet, *& nescies auroram eius*; inde enim inanis spes, & fallax confidentia opportunè arguitur, atque irridetur, quasi hi Babylonis filij salutis rem naturali, ac suo cursu omnino euasuram sperarent; atque eam per horas, ac momenta, non secus, ac post noctis spatium certa suis temporibus mensura definitum securè metirentur; atque illis in hac cogitatione defixis, mortis, ac calamitatis suæ aurora eùm minus, & qua minus sperabant, siue metuebant, malignè illuxerit: quo etiam sensu Ierem. 15.9. dictum vi-
Ierem.15.9. detur, *occidit ei sol, cum adhuc esset dies*; illo videlicet ex regulari rerum cursu nihil minus sperante. Sed his adiunge vterinam eiusdem Isaiæ sententiam cap. 28.2. vbi cùm de impiorum excidio
Isai.28.2. dixisset, *Væ coronæ superbiæ, ebrijs Ephraim, & flori decidenti*, &c. supplicij modum designans ait, *ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis, turbo confringens.* Ad quem locum ex accuratio-
Hebr.lect. ribus interpretibus obserua, Hebræam vocem propriè significare *apoplexiam*, morbum videlicet vt non infrequentem, ita irruentem subitò, mentémque, ac sensus occupantem, quin miser æger sui compos saluti, rebúsque suis prouidere possit. Vides irruens malum, cuius ortum, siue auroram nescias? Ergo sic misericorditer minatur, terrérque Dominus. Falleris, coniectator, adeóque vehementer falleris, dum res tuas sic ducis vt meam benignitatem & sceleribus tuis adiutricem futuram, & nunquam tibi defuturam speres, vt vel hac de caussa tam subita, atque inopinata calamitas te sit inuasura, vt ab illa te prius oppressum videris, quàm eius auroram nosse valeas, quò illi possis occurrere. Subiicit non sine
Isai.47.13. acerba irrisione, *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi.* ac si dixerit. O miserum! qui tuis te ratiocinationibus perdidisti; vbinam sunt fallaces illæ spes, & coniectationes, quibus longissimam tibi vitam, & lentissimam mortem pollicebaris? Addit paulo pòst, *non sunt prunæ quibus calefiant.* Pro quibus horrentia hæc
LXX. verba reponunt LXX *Quia habes carbones ignis, sede super eos: hi erunt tibi adiutorium.* Sed quàm terribilis est locus iste!

7. Appono tibi historiam firmissimè pro his omnibus fideiubentem: Nosti, qualis fuerit Manasses Rex Ierusalem: scelestissimus, impurissimus, immanissimus; funestúmq; ac fœdissimum monstrum, de quo sacra pagina hæc inter alia testata
4.Reg.21.à vers.2. reliquit. 4. Reg. 21. à vers. 2. &c. *Fecit malum in conspectu Domini iuxta idola gentium, quas deleuit Dominus à facie filiorum Israël, & extruxit altaria vniuersa militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini, & traduxit filium suum per ignem, & ariolatus est, & obseruauit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicauit, vt faceret malum coram Domino, & irritaret eum.* & vers. 16. *insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis donec impleret Ierusalem vsque ad os absque peccatis suis, quibus peccare fecit Iudam*, &c. Nec ignoras pessimum hunc regem filium habuisse sibi similem Amon, de quo indidem vers. 20. *Fecitque malum in conspectu Domini sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius, seruiuitque immunditijs, quibus seruierat pater eius.* Sub hæc, nec te latet, patrem plus quàm quinquaginta integros annos in iis fæcibus institisse; filium verò duos omnino annos impia patris vestigia prementem perdurasse: vix enim quartum & vigesimum annum expleuerat, cùm immaturus in ipso iuuentæ flore à seruis suis occisus est: *Tetenderúntque ei insidias serui sui, & interfecerunt Regem in domo sua.* Hæc cum noueris, illud modò dicas, mihi velim, vter horum tibi salutem consecutus videatur? quémque è duobus pœnitentiæ tempus, & gratiam apud Deum inuenisse existimes? Quis non prius pro filio peccatis recenter imbuto, quàm pro nequissimo illo decrepito sene, qui non modò iuueniles annos, & virilem ac maturam ætatem, sed ipsammet senectam, flagitiis, & sceleribus corrupit, seniliáque ac defessa membra impuritatibus impleuit, suffragium ferat? At enim verò, vt noueris, quàm velit Deus, vt eius benignitatem cautè & custodirè interpretemur, quámque nolit vt illam ad peccata nostra administram faciamus, sciro, patri Dei ope adiuto integrum fuisse, præterita peccata detestari, & turpissimæ vitæ maculas egregia morum mutatione detergere, animæque salutem consequi (sic namque 2. Paralipom. 33.
12. *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius.* & vers. 19. *Oratio quoque eius, & exauditio*; pro quibus Pagninus reddit: *Oratio eius, & quomodo exorabilis fuit ei Deus:*) vnde August. serm. 58. de tempore, *Manasses* (inquit) *Rex sacrilegus, & impijssimus fuit, sed tamen in captiuitatem ductus cum grandi humilitate pœnitentiam agens ita gratiam Dei obtinuit, vt mereretur in Dei amicos postmodum numerari.* Amoni verò pœnitentiæ locum, & spatium non fuisse concessum, sed vt importuna morte sublatum, ira animo immaturum æternæ damnationi obnoxium fuisse. Quod si miraris, & inopinati discriminis rationem inquiris: respondet S. Clemens Romanus lib. 2. constit. Apostol. cap. 26. & 27. nec non Auctor oper. imperf. in Matth. & ex iis Glycas, caussam fuisse, quòd Amon de industria peccauerit, ex benignitate videlicet, qua Deus erga patrem suum vsus est, animos ad peccandum sumens, quasi Dei gratia, ad manum quouis tempore esset habiturus, vt ad eum quando libuisset reuersus pœnitentiam ageret, veniámque consequeretur. Sed audi Clementem, qui cùm dixisset: *Nullum peccatum idololatria reperitur grauius, ea est enim contra Deum impietas, sed tamen ipsa quoque per veram pœnitentiam condonatur: si verò quis de industria peccet tentans Deum quasi non vlciscentem mala, is remissionem non consequitur, quamuis secum ipse dicat: sit mihi propitius Deus, quoniam ambulo in euersione cordis mei praui.* subiicit præfatam sententiam, ac si eam è sacris libris omnino erueret, ad hunc modum. *inquit enim Scriptura, & cogitauit Amō cogitationem transgressionis malam, & dixit: Pater meus à iuuentute multa fecit iniquè, & sic concupiscet anima mea, & postea reuertar ad Dominum: & fecit malum in conspectu Domini supra omnes, qui fuerunt ante ipsum: & exterminauit eum Dominus citò à terra bona, & irruerunt in eum serui sui, & occiderunt ipsum, & regnauit annos duos solum.* Hæc omnia Clemens, nescio quos codices nactus. Nec minus luculenter Glycas eadem sensa sic expressit lib. 2. annalium, his verbis. *Fuerit operæ pretium inquirere, quamobrem Deus Manasses pœnitentiam expectauerit, sed non filij eius Amon, quem instar segetis (id est, in herba) demessuit. Nimirum cogitationem quidem prauam apud animum instituit, cùm secum ita loqueretur: Pater meus à puero multa scelerata fecit,* ac in

Margin notes (right column): 2 Paralipp. 33.12. — Pagninus. — August. — S.Clem.Rom. — Glycas.

ac in senecta pœnitentiam egit. Quamobrem & ipse hac in ætate pro animi libidine me geram, & deinceps ad Dominum me conuertam. Hac igitur de caussa Deus pœnitentiam illius non exspectauit quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior. Hæc ille. eadem habet Auctor operis imperf. apud Chrysost. hom. 1. in Matth. tom. 2. quæ velim aptes præfatis Isaiæ verbis, *& fiduciam habuisti in malitia tua: sapientia tua, & scientia tua decepit te. Veniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare.* Sed iam ad alia.

Auct. oper. Imperf. — Isaia 47. 10.

Ad eadem verba: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Adnotatio VII.

Assiduum bonorum operum exercitium exigi, vt cum metu, & tremore suam quis salutem operari dicatur.

1\. Egregivm subinde interpretem huius metus, atque tremoris, quem nobis infixum vult Apostolus vt nostram salutem operemur, habemus Concilium Tridentinum sesſion. 6. cap. 13. ex his Pauli verbis fideles omnes sic admonens, *Videant, ne cadant, & cum metu, & tremore suam salutem operentur in laboribus, & vigilijs, & eleemosynis, & orationibus*; metum, nimirum, & tremorem referens non solùm ad peccata fugienda, siue vt ad lethalis criminis nomen horrescas, sed etiam ad bona opera, omniúmque virtutum actiones indesinenter exercenda. Et quidem hanc doctrinam iam olim velut è cathedra tradiderat Regius vates; nam cùm Psalmo 33. 11. homines sibi subditos blandè aduocasset, vt ab eo non vulgarem, aut qualemcunque, sed doctum, & perfectum Dei timorem perdiscerent, inquiens: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*; statim, hunc timorem tum mali fuga, tum boni prosecutione disci, & acquiri, sic admonet. *Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.* vbi manifestè vides non tantùm in fuga à peccato, sed etiam in acri virtutis studio timorem Domini censeri, quasi ardens Dei obsequium, & indefessa bonorum operum sectatio, diuini timoris pars, egregiáque ac signatissima illius portio sit. Sanè quòd vtrumque fuerit, ad salutem necessarium, nec declinare solùm mala, sed bona simul operari iubeamur. Vnde rursus Dauid præmissa hac interrogatione, *Quis ascendit in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius?* non contentus respondisse, *Qui ingreditur sine macula*; subdidit, *& operatur iustitiam*, Psalm. 14. 3. quòd non satis fuerit *stultitia caruisse*, vt dixit nescio quis; nisi iustitiam quis excolat, & egregiis eius actionibus insudet. Quare ad hæc verba Hilarius cùm dixisset: *Igitur impollutus ingrediens, & extra omnem peccati labem viuens, hic esse, responsum est, sitque ei non corpus stupris contaminatum, non oculi spectaculis theatralibus sordidi, non mens vino ebria, non pecunia vita ancilla*; adiicit: *magnum est his abstinere. sed non in his statim confecti itineris est requies; cœpta enim in his via est, non peracta; nam sequitur, & operatur*

Conc. Trid. — Psal. 33. 11. — Psal. 14. 3. — Horat. — Hilarius.

iustitiam. Ita ille. Quibus placet adnectere, quæ Cassiod. lib. 6. variarum in formula præfecti prætorio illi ingerebat, vt tu cuilibet Christi discipulo dicta existimes, *Præsul mirabilis partem non habet cum delictis, quia si nihil aliquid egregium assiduè fecerit, culpam vel otiosus incurrit.* Ita Cassiodorus.

Cassiodor.

2\. Quòd si vel oculis ipsis haurire velis, Dei timorem, non metu solùm peccati, & fuga illius, sed egregiis etiam virtutum operibus constare; vna ex parte considera, cœlorum regnum signatè timentibus Deum repromitti: nam, Malachia teste cap. 3. 16. *scriptus est liber monimenti coram eo timentibus Dominum*; & Psalm. 102. 11. *corroborauit misericordiam suam super timentes se*, & indidem vers. 17. *misericordia Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* & Ecclesiastici 1. 13. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur*; ex alia verò in extremi iudicij die adeò strictè de prætermissis virtutum actionibus rationem exigi, vt impiorum hominum erratis silentio pressis, ob bona opera neglecta suppliciis mancipentur æternis, sententiam his verbis iudice proferente, siue potiùs fulminante. *Discedite a me maledicti in ignem æternum; esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me*, &c. Bene ergo hinc inferas, virtutum exercitium ad Dei timorem singillatim pertinere; nec illum tantummodo qui à malo recedat, nisi simul virtutibus operam nauet, Dei timentem censendum esse. Ita quidem de Beato Iob signatissimè dicitur: *Erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo*, Iob. 1. vers. 1. vbi si attendis, facile videris timorem Dei, inter rectitudinem, hoc est egregia virtutum opera, & fugam à malo interiectum, siue à virtute, & odio peccati, tanquam à duobus militibus circumseptum, atque conclusum. Vnde Chrysostomus in catena Græca in Iob in hæc verba, sic ait. *Non est satis à rebus malis se remouere, nisi bona quoque agantur; cùm non modò administratio, sed etiam boni cessatio coërcenda sit supplicio. Quando quidem & ij qui fame enectum non aluerunt, & ij qui misericordiam minimè tribuerunt, supplicijs addicantur sempiternis: ex quo intelligimus, abstinere malis non initium esse salutis, nisi bonorum item possessio adsit, actióque virtutis.* Ita Chrysost. Nec minus luculenter Bernardus serm. de conuersione ad clericos cap. 17. accuratam huius rei rationem tacitè reddens hunc in modum. *Mors posita est non modò secus iniquitatem, sterilitatem, vanitatem, sed & secus introitum ipsius etiam voluptatis. Quocirca opus est fortitudine aduersus tentamenta peccati, vt rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius iacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est iustitia, vt operemur bonum. Opus est prudentia, ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus denique temperantia, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille epularum pariter, & vestium splendore finito, dum misericordiam precaretur, audiuit: Memento, quod recepisti bona in vita tua.* Hæc & plura ibi Bernardo auctore digna: apud quem pende, ea peculiari ratione virtutes exigi, quòd peccato ab anima expulso velut custodes sint, quæ ad fores, aditúsque dispositæ illud nullatenus intrare permittant, sed maturè submoueant, atque repellant. Ita quidem in castissimo Iosepho, quem ad turpitudinis flagitium impudica hera pelliciebat, procacibus illis verbis, *Dormi me*

Malach. 3. 16. — Psal. 102. 11. & 17. — Eccles. 1. 13. — Matt. 25. 41. — Iob. 1. 1. — Chrysost. — Bernard. — Gen. 39. 7.

mecum, videas occurrentem ad fores temperantiam, & clamantem, vigila mecum, vt sapienter meditatur Greg.Nyssen.orat.de fugienda fornicatione,hunc in modum: *Illa quidem dicebat, Dormi mecum: Adolescenti autem contra proclamabat temperantia: Vigila mecum, & reipsa ostendit vigilantiam. Non enim blanditiis cedens dormitauit robur constantiæ. Non fuit mens sopita in cantationibus, non fuit somno oppressa temperantiæ sobrietas, non iis, quæ implicatum tenebant in commodis fuit dissoluta: non elegantis formæ capta est illecebris, non amatoriorum verborum fracta fuit blanditiis, sed maledicto ipsi erat acerbior vox Dominæ blandientis, & dicentis*, Dormi mecum.

Nyssen.

3\. Quò pulchrè per allegoriam retulit idem Gregorius Nyssenus hom. 10. in Cantica accuratam illam Centurionis ad Christum responsionem

Matth.8.9. apud Matth.8.9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alii, veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit*; expendens, eum militem, qui semel pulsus, & vadere iussus, non ampliùs ad domum reduci, sed loco illius, alium accersiri; atque tunc quidem seruum imperata facere, quòd nimirum peccato è domo animæ expulso nullus postea ad reditum faciendus sit aditus, sed potiùs in eius locum egregiæ virtutum actiones sufficiendæ ac subrogandæ sint, quæ velut custodes domus fores communiant, & nullum peccato locum faciant. Quo sanè modo corpus, quod animæ seruire, & parere debet, illam timere & reuereri discit, seséque illi subditum vndequaque exhibere incipit: sed audi Nyssen. sic enim primum

Nyssen. litteræ corticem proponentem. *His autem centurio, de quo sermo est in præsentia, regia potestate pro imperio amandat id quod est alienum, asciscit autem, & ad suam admittit familiaritatem id quod est sibi gratum: nam & illic quoque quædam philosophia est in voce Centurionis, quòd eum, qui fuit amandatus, non amplius ad se reducit, sed cum is abiisset, pro ipso domum admittit alterum. Nam cùm ei dixisset*, Vade, & vadit; *dicit, se alium accersere, non eum quem amandauit*; deinde verò sic excutientem nucleum. *Quando enim expulsus fuerit miles vitii, pro cuius autem loco ingressus fuerit miles virtutis, lorica iustitiæ imbutus, & in manibus ferens gladium spiritus, munitus autem aptis ad regendum armis, nempe galea salutari, & scuto fidei, & in se ferens omnem spiritualem armaturam, tunc timet suum Dominum, nempe mentem, seruus, scilicet corpus, promptóque & alacri animo exequitur imperium eius, qui dominatur.* Hæc Nyssenus. Quibus, vt maximè opportuna, attexenda sunt, quæ in hanc rem monet S.Cæsarius Arelatensis hom.23.tom.2. Bibl.

S.Cæsar. veter.Patr. *Ideo cum Dei adiutorio laborandum est, vt expurgatis, vel mortificatis omnibus peccatis, in possessionem vitiorum virtutes introeant. Locum quem tenebat superbia, humilitas occupet; quem vastabat auaritia, obtineat eleemosyna; quem luxuria fordidabat, castitas mundet, atque recipiat; quem tenebat inuidia, possideat beneuolentia; vbi mendacium esse videbatur, veritas dominetur.* Sic Cæsarius: vtérque quidem ducta tacitè similitudine ab vrbe, vel arce, quam ab hostium manibus vindicaueris, eam siquidem, si tutò tibi velis habere subiectam, satis non fuerit, aduersas hostium acies foras expellere, nisi pro illis obsidionarios milites, qui indefessas excubias agant, & quidquid in arce vacuum est, compleant, circumquaque disposueris. Nam frustrà certè expectamus à virtute præsidium, nisi priùs præsidium ipsi parauerimus virtuti. Ita quidem semen in petram deiectum *natum aruit*, quòd *non haberet humorem* Lucæ 8.13. siue, vt habetur apud Matth.13.6. *orto sole æstuauerunt*; hoc est, actiùs à tentatione afflicti, & tandem superati sunt quòd virtutis præsidium iam tunc comparatum non haberent; id enim appositè innuit Solis imago: vt enim ille exiliores herbas, quibus tenuis inest succus, vel oriens exurit; eas verò quas à radice crassior humor alit, etiam meridianis radiis ardens fouet, & promouet; ita hominem, qui virtuti ex virtutibus, præsidium, & crassiorem succum non parauit, leuis quæpiam tentatio abripit, & exurit; illum verò, qui sese virtutum operibus communiuit, altiorésque in illis radices egit, adeò non vrit, ac lædit, vt potiùs ex tentatione valentior euadat: *faciet*, inquit Paulus 1.ad Cor.10.13. *cum tentatione prouentum.* Luca 8.13. Matth.13.6.

1.ad Corint. 10.13.

Huc facit diuina illa Apostoli parænnesis ad Ephes.4.26. sapienter admonentis. *Nolite locum dare diabolo.* Quid autem fuerit nullum insidiis diaboli aditum patefacere, sic explicat. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti.* Et statim: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei.* Vbi vides non solùm vitii militem, furtum, siue malum & putrem sermonem abire iussum, sed etiam alium, nimirum virtutis militem, laborem scilicet manuum, & eleemosynam; bonum item, & vtilem sermonem pro illo subrogatum, vt quomodo dicebat Cæsarius, mortificatis peccatis in eorum possessionem virtutes introeant; atque hoc modo nullus diabolo, siue peccato vacuus locus relinquatur. Dum *locum quem tenebat superbia, humilitas occupat*, &c. nouerat quidem, & satis nouerat malus ipse animarum inquilinus, qui alicubi dicebat: *Reuertar in domum meam vnde exiui*, Matth.12.44. sed cur *suam* eam appellauit domum, à qua pulsus extabat? Audi: *Veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam, ornatam.* At enim, id videtur multo difficilius, eandem domum, ex vna parte mundatam, ornatámque, per inhabitantem scilicet Dei gratiam, ex alia verò vacantem dici? quî enim vacua esse possit tanto hospite ornata anima? Quòd si vacantem sumpseris quasi à vitiis vacuam, subiicit Dominus: *Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi.* Quod sanè difficultatem augere videtur: quasi munda, & vacans domus, illecebra, hosti & inuitamentum fuerit, atque inde ad oppugnandum animos sumpserit. Sed hos omnes nodos verus sensus illius phrasis *vacatis domus* dissoluit, quam Beda & Rabanus in hæc verba apud Lucam sic explicant; *mundatam a vitiis pristinis, vacantem à bonis actibus per negligentiam.* Quòd nimirum satis non fuerit, vitia, atque peccata foras misisse, & animam illis mundasse; nisi etiam bonis actibus, & virtutum floribus ipsa ornetur, atque muniatur, ac proinde eam domum, quæ à bonis operibus vacat, tam facilem expugnari, malus dæmon credat, vt quasi suam iam computet, eandem siquidem spiritualis certaminis, ac sæcularium bellorum rationem dixeris, de quibus prudentissimè Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib.3.variar.epist.48. *& quanquam, Deo iuuante, nostris temporibus prouinciam securam credamus, tamen prudentia nihilominus est, cauere etiam, quæ non putantur emergere: munitio tractanda est semper in otio, quia tunc malè quæritur, quando necessitas indicatur;* 4. Ephes.4.16.

Matt.12.44.

Cassiod.

Seneca. catur; & Seneca lib. de vita beata cap. 26. *Nunquam imperator ita paci credit, vt non se praeparet bello, quod etiam si non geritur, indictum est.* Expressit haec omnia S. Caesarius Arelatensis homil. 35. tom. 2. Biblioth. veter. Patr. vbi praefato Euangelij testimonio ad longum recensito sic subiicit: Caesarius Arelat. *Hae enim sine dubio patiuntur clerici, monachi, virgines, superbi, inobedientes, tepidi. Cum enim in primordijs conuersionis suae relicta saeculi conuersatione ad militiam sanctae institutionis animo feruenti confugerint, per gratiam Dei euacuantur omnibus malis, postea verò dum per negligentiam, ac desidiam non apponunt studium, vt cum Dei adiutorio repleantur spiritualibus bonis: vitia, quae discesserant inuenientia eos vacuos, cum multiplici remeantia comitatu compellunt eos redire ad vomitum suum.* Haec Caesarius. Ergo non relinquendum diabolo vacuum; nec vllus faciendus locus, sed omnia Christo implenda, & virtutis militibus occupanda, vt ipse, si impudens aggreditur, vacuus atque inglorius re infecta ignominiosè discedat. vnde itidem hac de re occasione verborum Christi Gregor. Nazianz. orat. in S. Baptisma. Gregor. Nazianz. *Rursus* (inquit) *conuertitur ad domum suam vnde egressus est. Impudens est pertinax est; iterum periculum facit, iterum experitur, quòd si locum quem ipse vacuatum reliquit, Christum inhabitare, & implesse reperit, iterum repellitur, infecto negotio discedit.* Vbi pende non solùm dictum à Nazianz. *Christum inhabitare*, sed etiam *implesse*, hoc est, sicuti dicebat Caesarius, *vt cum Dei adiutorio repleantur spiritualibus bonis*. aliàs vacuum diabolo locum relinquentes, ab ipso haud difficile superantur.

5. Nyssenus. Ita quidem Gregor. Nyssenus tractatu 1. in Psalmos cap. 10. dum Psalmum 150. in quo Vates totus est in laudibus Deo decantandis, elucidat, & singula musices instrumenta quae ad Dei obsequium Psaltes adhibet, arcana significatione capit, & ad virtutis officia pensiculatiùs refert illud, *laudate eum in chordis, & organo*, sic explicat: *chorda autem in organo extensa nihil aliud fuerint, quàm ille in qualibet virtute insitus rigor, quo ad malitiam inflecti, & inclinari nequit.* Vt monere videatur, operaepretium esse, seriò virtutibus insistere, & animum in illarum actionibus extentum retinere, ne si illum paulisper relaxaueris, quae illius imbecillitas, & ad malum procliuitas est, in malitiam inflectatur. Id autem quàm sit verum, ipsemet Dauid malo suo fato locuples testis est: insitum enim in virtutibus rigorem ille aliquando remittens, & à bonis operibus tantisper vacans, siue vacuum in animo locum diabolo faciens, ad malitiam, & flagitium inflexus est, vt opportunus huic rei adnotauit S. Basilius Seleucienf. his verbis orat. 17. de Dauid: S. Basil. Seleuc. *cùm enim regie Dauid epulatus esset, ac pollucibili mensa emolitus animo meridiana sese oblectaret obambulatione, tunc diabolus animi, curaeque neruum remissum conspicatus, & mentem passionum aurigam indiligenter frenis succinctam, ac paruula quadam sui parte nudatum ab armis, optimatem furtim cecidit, ipsius iusti oculis vsus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij praecipitium deturbauit.* Optimè. Pende illud, *animi curaeque neruum remissum conspicatus*. nam ille improbè doctus qui non ignorat, insitum in qualibet virtute rigorem ad malitiam vix inflecti posse, vt remissum videt, suam nocendi occasionem putat. Est & id obseruatu dignum, *momento à via virtutis abreptum in adulterij praecipitium deturbauit*: vt videris quàm prope vitam mors, siue circa ipsam virtutem, non exercitam, & bonis actibus occupatam, vitium sit; cùm eodemmet momento, quo à via virtutis, & egregiis actionibus manum Vates submouit, in adulterij barathrum delapsus est: vnde paulo antè de daemone eodem sensu dixerat Basilius. *Nec prius iusti vitam insidiis petere destitit, quàm cùm animaduertisset, ipsum a recto paululum oculos deflexisse, subitò venustate mulieris obiecta confixit.* Idem. Quia videlicet antea in Deum habuerat oculos defixos, ipsomet affirmante: *Oculi mei semper ad Dominum*, Psal. 24. 15. & Psal. 118. 82. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*; ac proinde nullus aduersario locus relinquebatur: cùm verò illos à recto paululum deflexit, locum diabolo faciens, ab illo confixus est. Psal. 24. 15. Psal. 118. 82.

6. Hinc accurata locutione idem Vates: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi*, Psal. 118. 163. & Paulus ad Roman. 12. 9. *Odientes malum, adhaerentes bono.* vbi duo obserues velim, alterum, vehementiam, & acerbitatem odij, quo peccatum prosequi, nec non impensum studium, quo in virtutem affici debetremus, ab vtroque sacro scriptore praescripta: vnde ad Pauli verba Chrysost. sic primùm ait. Psal. 118. 163. Rom. 12. 9. Chrysost. *Mentem quoque nostram purgatam vult, multámque nos aduersum malitiam habere inimicitiam, multum odij, multum belli.* deinde in illud, *adhaerentes bono*, haec inquit, *Non dicit facientes solùm, sed & animo erga bonum appositi. Hoc enim declarat quòd adhaerere bono iubet. Ita Deus mulieri virum coniungens dicit,* Adhaerebit *enim* vxori suae. Similiter Theophyl. Theophyl. Genes. 2. *Nec sufficit, à sceleribus declinare nisi & virtutis actio praesto fuerit; eam ob rem dixit,* Agglutinari bono; *hoc est, affectum charitatis erga ipsum habentes. hunc ad modum maritum vxori familiarius copulans,* agglutinabitur, *inquit*, vxori suae. Ita ille: magna sanè in virtutis studio declarando emphasis; quàm ardens enim viri in dilectam sibi sponsam amor? quàm diligens, & accuratum obsequium? quàm sedula, & perpetua officia? quae in victu, auróque & gemmis conspicuis ornamentis cura, ac sollicitudo? vt eodem modo in virtutem, tanquam in charissimam sponsam affecti, omni illam officio colamus, & in illius actiones sedulam operam nauemus. A quo non it, quod ex eodem Apostolo alibi adduxi de Christo Domino dicente ad Titum 2. 14. *vt mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* vbi pro *sectatorem*, Graecè est. *zelatorem, aemulatorem*, ad vehementiam & ardorem studij, quod in bonorum operum exercitio adhibere debemus, denotandum, vt non secus, ac vir, qui ne sponsa in illius amore frigescat, omnibus modis eam sibi demereri, non studiosè solùm, sed zelo accensus contendit; ita nos erga virtutem impensi simus, multis eam operibus, & officiis nobis demerentes, & veluti sponsi zelantes, quasi vnicè ab ea diligendi. ad Titum 2. 14. Lect. Graeca. Iam alterum obserua, totum hoc virtutis studium ad perfectum iniquitatis odium quasi essentialis, vt aiunt, pars illius sit, referri. Vnde ad verba Vatis Ambrosius serm. 21. in Psal. 118. notanter ait. Ambros. *Nemo fugit iniquitatem, nisi qui diligit aequitatem.* Sed quare? Nónne possum peccata declinare, & à malo manus continere, quin haec virtutis opera exerceam? Respondebit sanè Ambrosius. Potero quidem vtcumque peccatum aliquando fugere, illúdque cauere, at perfectè, & perpetuò fugere, nisi aequitatem dilexero, non qui vero. Nemo enim fugit iniquitatem, vt fugienda est, nec abominatur, vt detestanda, & odio habenda est, nisi qui pro peccatis ab anima pulsis, spiritualibus

libus repletur bonis, & domum à bonis operibus vacantem nullatenus relinquit. Nam, vt aliò intentus dixit Cicero in oratione post reditum: M.Tull. *Odium vel precibus mitigari potest, vel vtilitate deponi, vel vetustate sedari*: at si sic odisti peccatum vt simul dilexeris, & bonis operibus operam dederis, institutum aduersùs iniquitatem animum semper habebis, nec odium in illam vllis precibus mitigari, siue vtilitate deponi, aut vetustate sedari poterit.

7. Cant.4.11. Firmat hæc quod de sponsa virtutum vestimentis ornata dicitur Cant. 4.11. sic enim primùm, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*; cuius loci Greg. Nysseno interprete hom.9. in Cantica is est sensus; animâ ex virtutum ornamento Deo, cui vni thus dicatur, ad similem fieri; & verò vestimenta cum virtutibus appositè, vt ex Paulo pluribus in locis apparet, & pulchrè, vt Nyssenus ea explicat, & elucidat, componuntur: sic namque ille. Nyssenus. *Quoniam ergo non est vniformis, neque vnius modi vita, quæ ex virtute agitur, sed quomodo in tela, aut panni textura permulta fila, quorum quidem alia in rectum sunt extensa, alia autem per transuersum diuisa, ars texendi facit vestem. ita etiam in vita, quæ ex virtute agitur, multa oportet concurrere, per quæ bona texitur vita. sicut diuinus Paulus hæc fila enumerat, per quæ consistit textura bonorum operum, charitatem dicens, & gaudium, & pacem, longanimitatem, & benignitatem, & quæcunque sunt huiusmodi.* Subiicit deinde huic vestimentorum imagini cœlestis sponsus. *Hortus conclusus soror mea sponsa; hortus conclusus, fons signatus.* planè quod ex virtutum actionibus murus consurgat aheneus animam circumquaque muniens, ne peccato aditus ad illam sit. Vnde rursus indidem Nyssenus. *Quo fit vt hic sit sensus ænigmatis. Tuum ò sponsa virtutum indumentum imitatur diuinam beatitudinem per puritatem & impatibilitatem assimilata natura, ad quam non patet aditus.* Et post nonnulla dum horti plantas cum virtutibus in anima germinantibus componit, subdit. *Huiusmodi est ergo arborum hortus, qui bene germinat, & est bene consitus, & mandatorum vallo omni ex parte munitus, vt furibus & bestijs nullum ad se præbeat aditum.* Vnde quidem ei, qui hoc splendido virtutum ornatu destituebatur, quamuis alias diuinam gratiam velut in domo vacante inhabitantem haberet; tepido, inquam, Antistiti apud Ioannem Apocalyps. 3.18. non sine minis dicebatur, *Suadeo tibi emere à me* Apoc. 3.18. *aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* quasi virtutum vestibus animam non fouentibus in peccati confusionem, & nuditatem ventura sit. Vnde ad id loci Canticorum Philo Carpatius, Philo Carpatius. *Per vestimenta sponsæ sancta opera designantur, quibus vel præterita mala teguntur, vel innocentia conseruatur, & augetur; non enim satis est, mala non agere, nisi & bona peragamus. Prima pars iustitiæ est, mala deuitare, & vitia fugere; secunda verò, bona, ac iusta, sanctáque patrare, quibus (iure) bonitatis amatores esse iudicemur. scriptum est enim:* Declina à malo, & fac bonum. Hæc & plura Pholo ibi, & in eandem sententiam Ambros. lib. 5. in Lucam, cùm dixisset. *Displicet enim ei qui vestem non habuerit nuptialem: sponso autem quid potest placere, nisi pax animi, puritas cordis, charitas mentis?* subdit post nonnulla, *seruemus igitur vestem, quâ nos sacro Dominus emergentes fonte vestiuit. Citò scinditur vestis, si facta non congruant, citò tineis carnis atteritur, & veteris hominis errore maculatur.* Ita Ambros. & cap. seq. premens ea verba Lucæ 5.37. *Nemo mittit vinum* Ambros. *nouum in vtres veteres*; dum vtres cum humanis corporibus, & animis aptat, sic monet. *Et ideo vtres hos plenos seruare debemus. Vacuos enim citò tinea, & ærugo consumit, gratia seruat impletos.* Hæc Ambros.

Ad similis locus est Cant. 1.16. *Tigna domorum nostrarum cedrina: laquearia nostra cupressina.* 8. Cant.1.16. quo in loco iure ambigas, qui pretiosorum, & imputribilium lignorum materies tecto instruendo opus fuerit? Itáne otioso, & ambitioso ornatu insumantur? cùm picea, aut querna regiis etiam tectis sufficiant? Heliogabaline, an Neronis? pretiosa quæque in ædificiis inutiliter, & ambitiosè prodigentium, & non potiùs Christiani animi opus hoc est? sed enim, spirituali ædificio adeò hoc non sunt superflua; vt necessaria omnino censeantur, quippe tectum arcano sensu aduersùs peccata, & tentationes munimentum, ac tegmen est: id verò non aliter firmum, atque ad resistendum tutum fuerit, nisi ex virtutibus, & bonis operibus, quæ odoriferis iis lignis adumbrantur, construatur: nec enim superbiæ, auaritiæ, luxuriæ impugnationibus securè restiteris, solo simplici non peccandi proposito, & mente tectus, nisi etiam humilitati, liberalitati, & castitati subnixus, harúmque virtutum actibus optimè instructus & armatus fueris: hæc ad ea verba optimè commonente Gregor. Nysseno Nyssenus. hom.4. in Cant. vbi cùm dixisset, *Tectum enim imponit domui, opus ornans per materiam, quæ nequit putrefieri: talis est autem cedrus, & cupressus, quarum virtus, quæ inest lignis, est potentior quauis caussa putrefactionis, non tempori cedens, non tineas procreans, non situ veniens ad interitum.* hæc post non nulla huic instituto sic aptat. *Imbrem vocat Dominus in Euangelijs varios insultus tentationum. dicens de eo, qui rectè domum ædificat et suprà petram,* venit imber, flauerunt fluuij, & ab iis illæsum mansit ædificium, Matth. 7. *propter malam ergo hanc pluuiam opus est nobis huiusmodi trabibus, ea autem fuerint virtutes, quæ tentationum insultus in se non admittunt, vt quæ sint firmæ, ac solidæ, nec facile cedant, & hoc seruent, vt in tentationibus minimè molliantur à vitio.* Ita Nyssenus. quæ vt rursus firmet, id Ecclesiastes 10.18. *in pigritijs humiliabitur contignatio, & in otio manus perstillabit* Eccles.10.18. *domus*, affert, atque in hunc modum aptat. *Quomodo enim si ligna quæ tectum continent, sint infirma, & imbecilla, ad domus autem curam gerendam sit piger paterfamilias, tectum nihil profuerit, cùm imber per stillas fluat: ita nobis in ænigmate parabolæ præcipit per virtutum robur, ac firmitatem non cedere fluxionibus tentationum.* Hæc & alia inibi Nyssenus. Quibus egregiè subscribit Philo, lib. Philo. de Cherubin, hunc in modum, *cæterùm ex virtutibus earúmque actionibus, munimentum firmum, atque securum accedit ædificio, vt quidquid animam ab honestate dimouere, alienaréque conatur, nihil contra tantam munitionem valeat efficere.* Ita ille.

9. Hæc vt in omnibus virtutum actionibus generaliter verissima sint; in orationis & meditationis exercitio, & in frequenti sanctissimæ Eucharistiæ communione signatissimum locum habent: & de primo quidem Christianum militem sic monet Cyprianus lib. de zelo, & liuore. *His* Cyprian. *meditationibus corroborandus est animus, eiusmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus, sit in manibus diuina lectio, in sensibus Dominica cogitatio, oratio iugis omnino non cesset, salutaris* opera

operatio perseueret, spiritualibus semper actibus occupemur, vt quotiescumque inimicus accesserit, quoties adire tentauerit, & clausum aduersus se pectus inueniat, & armatum. opportunissimè, quòd egregia virtutum opera, assiduæ præsertim meditationes, & oratio iugis, tela, & arma sint, quæ hostem excludunt, & arcent, nec sine iis animus clausus, benéque munitus aduersùs illum esse censeatur; de frequentiori verò corporis Dominici susceptione non minus appositè loquitur Ambrosius in id Vatis Psal. 118. 62. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*, &c. etenim dum media nocte Ægypti primogenita ab Angelo exterminatore interempta obseruat, & ea ratione Moysen Agnum vespere immolasse, vt grassanti malo anticipato remedio occurreret, *vt manducantes eum, & Pascha Domini celebrantes non occuparentur exterminatoris insidijs, ne inermes, & vacuos spiritualis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis opprimerent.* hæc Eucharistiæ sic accommodat. *Non perfunctoriè ista dicuntur. Praueni & tu insidias tentatoris, instaura priùs cœleste conuiuium*, &c. *Tunc vtique paratus assiste, vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini IESV, in quo remissio peccatorum est, postulatio diuinæ reconciliationis, & protectionis æternæ. suscipe ante Dominum IESVM tuæ mentis hospitio. Cum hospitium tuum aduersarius viderit occupatum cœlestis fulgore præsentiæ, intelligit locum tentamentis suis interclusum esse per Christum, fugiet ac recedet.* Sic Ambros. sapienter Christi corpus tum munimentum, ac protectionem aduersùs dæmonis tentamenta appellans; tum etiam adstruens eius præsentiæ fulgore principis tenebrarum oculos, ac visum repercussum, ac verberatum iri, ac proinde quantocyus recedere, & fugere.

Psal. 118. 62. — Ambros.

10. Addiderim adhæc pro huius adnotationis coronide, esse hanc etiam virtutis naturam, vt si paululum è manibus dimittatur, quin continuis actionibus foueatur, ac promoueatur, illico consistat, nec multo post expiret, vitio statim pro illa in anima oriente, atque exurgente, vt in Dominica segete facilè apparet: vix enim illam è bono semine lætissimè pullulantem videris, cùm subito zizaniis noxiisque herbis è pessimo semine orientibus inueneris plenam, Matthæi 13. 25. Quod si ambigas, quî id fieri potuerit? respondet sacer textus. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici*; nimirum cùm manus ab opere cessauit, & labori otium successit, statim peccata pullulauerunt: sic id non sine gemitu obseruante Gregorio Nazian. orat. 9. ad Iulianum. *Atque vtinam funditus pereat vitium & primum illius semen, ac prauus ille, qui dormientibus nobis zizania superseminauit, vt mali principium ex boni incuria nasceretur, non secus ac tenebrarum principium est lucis secessio.* Optimè quidem, nec potest vltrà: quasi ipsamet boni incuria, mali principium, & lucis secessio tenebrarum origo sit. Quod sanè ex hoc loco ita fuit etiam persuasum Epiphanio, vt diabolum quodammodo ab hac praua seminatione videatur absoluere, totam culpam, atque mali seminis rationem in hominis desidiam, & iustitiæ negligentiam referens, hunc in modum hæresi 66. contra Manichæos. *Omnino non est diabolus causa & auctor seminatorum zizaniorum. Statim enim declarat, dicens*: dum dormirent homines; *& non dixit; dum dormiret Paterfamilias. Cùm enim nos obdormierimus à bonis operibus, cùm neglexerimus iustitiam, cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata.* Pende extrema hæc verba, *tunc seminamus peccata*; quod vt lucis secessio tenebrarum principium est, ita incuria, & cessatio ab operibus bonis, peccatorum seminatio sit; atque eo ipso, quòd iustitiæ non inuigilem, & bonis operibus insudem, peccata in agro animæ serere, ac superseminare videar. His omnino accinit sponsæ ad Christum allocutio Cant. 1. 6. dicentis. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* vbi obseruatu dignum est, eam, quæ nocte diéque Christo adhærebat, ab vnius tantùm meridianæ horæ otio, qua ipsum nesciebat, siue in eo colendo, & virtutibus exercendis non versabatur, in vulgarium hominum vitia, & sæcularium bonorum amorem, immò idololatriam quasi necessaria ratione dilapsuram, seséque ipsam præcipitaturam fore: ac si dicat; quamuis per viginti & tres diei horas per bona opera tibi adhæream; si vna tantùm otio, & desidiæ vacem, & à bonis operibus obdormiero; non dubito, quin è iustitiæ tramite in prauos mores & sæcularia studia casura sim; adeò boni incuria, & mali principium, lucis secessio, & tenebrarum origo coniuncta, & connexa sunt. Sed hac de re aliis iam in locis pluribus egimus, vt hærendum diu hîc non sit.

Matth. 13. 25. — Gregor. Nazianz. — Epiphan. — Cant. 1. 6.

Ad eadem verba: *Vestram salutem operamini.*

Adnotatio VIII.

Eleemosynas non leue momentum ad æternam salutem operandam, obtinendámque habere.

1. HÆREO tum in verbo *operor*, quod in commentario non inani ratione permoti ad eleemosynarum largitionem referri posse diximus; tum vel maximè in Sacri Concilij Trident. verbis, siue expositione, quam huic Pauli loco adhibebat, inquiens; *Videant, ne cadant, & cum metu & tremore suam salutem operentur; in laboribus, & vigilijs, & eleemosynis, & orationibus.* vbi eleemosynarum métionem optimo merito signatè facit, quòd tam ex Scriptura, quàm ex communi PP. sensu ad salutem maximopere conducant, atq; ea in re non ignobiliores partes agant. Et verò ita ad benefaciendum, & eleemosynas indesinenter faciendas Scripturæ, & Patres nos vrgere solent, quasi ab ipsis animarum salus omnino depédeat, in ipsis animarum vita subsistat, atq; omnis Christianæ disciplinæ summa sit. *Omnis enim Deo credens* (inquit Ambros. in cap. vlt. epist. ad Titum.) *misericordiæ debet studere, per quam viuit.* & in cap. 4. epist. 2. ad Timoth. *Omnis enim summa disciplinæ nostræ in misericordia, & pietate est.* Quónam verò sensu id capiendum sit, postmodum explicate conabimur. Modò nonnulla quæ in hanc sententiam eant, accipe; omnia enim Scripturæ monumenta, quibus eleemosynarum vtilitas mirè extollitur, velle colligere, magni negotij, siue otij esset. Ergo primùm quidem Dominum sic monentem audi apud Oseam 10. 12. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ.* Vbi si inquiras, quid sit seminare in iustitia, occurrit Bernardus serm. 37. in Cantica inquiens, *Tu ergo seminasti tibi ad iustitiam, si ex vera iustitia, & notitia tui euigilasti timere Deum, temetipsum humiliasti, fudisti lachry*

Ambros. — Osea 10. 12. — Bernard.

lachrymas, eleemosynas profudisti, cæterisque pietatis actionibus mancipasti, si ieiuniis, ac vigiliis afflixisti corpus, si pectus tunsionibus, cælos clamoribus fatigasti; hoc seminare ad iustitiam est: semina sunt bona opera, bona studia, semina lachrymæ sunt. Sic Bernardus. Benè quidem & pro re misericordiæ, dum eleemosynarum meminit; at enim verò cùm alios ac eos, quos modò nos in manibus habemus, nactus fuerit codices Bernardus, apud quos legeretur, *seminare ad iustitiam*; hanc nostri vulgati locutionem *seminate in iustitia*, non omnino videtur exhaurire; aliud quippe fuerit seminare ad iustitiã, siue iustitiam: aliud in ipsa iustitia seminare, siue bonorum operum semina fundere. Hinc malir forsan non nemo cum Chrysologo serm. 7. hæc semina ad eleemosynas omnino referre: sic enim ille. *Quia agricolæ fecimus mentionem sciat ille, se sustinere laborem incassum, se nihil habiturum, qui premens ieiunii aratrum & abscindens gulæ gramina, atque eradicans luxuriæ fontes, misericordiæ semina nulla iactauerit.* Bona quidem expositio, & à sensu Prophetæ nihil diffidens, sed vt litteræ etiam omnino hæreat, & à Bernardi interpretatione non discrepet curandum est. Igitur vt Vatis sententiam capias, assentire vna ex parte Bernardo referenti seminationem ad bonorum operum studium: *semina* (inquit) *sunt bona opera, bona studia, semina lachrymæ sunt*; ex alia verò memento, eleemosynas in Scripturis iustitiam frequentiùs appellari; sic Dauid Psal. 111. 9. adductus à Paulo 2. ad Corinth. 9. vers. 9. *dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* vnde sic rursus Apostolus: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* & Matthæi 6.1. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus*, vbi Græcè legitur: *ne eleemosynam faciatis*. &c. cui lectioni Græci Patres constanter insistunt; similiter Daniel 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime.* vbi Hebraicè, & apud Paraphrastem Chaldæum habetur; *peccata tua in iustitia redime.* vnde is verborum Oseæ resultat sensus, ac si dixerit, ad felicem prouentum sementis bonorum operum, opus esse eleemosynarum auxilio quæ illis vice pluuiæ sint, nõ secus ac ad frugum sementem opportuna irrigatio siue pluuia prærequiritur. Quæ sanè explicatio optimè primũ subsistit ex hac Chrysologi admonitione serm. 43. *Homo offer Deo animam tuam, & offer oblationem ieiunii, vt sit pura hostia, sacrificium sanctum, viuens victima, quæ & tibi maneat, & data sit Deo, sed accepta vt sint ista, misericordia subsequatur: ieiunium non germinat, si de misericordia non rigetur, siccatur ieiunium misericordiæ siccitate, quod imber terris, hoc ieiunio misericordia est; quamuis cor excolat, carnem mundet, eradicet vitia, virtutes serat, si misericordiæ fluenta non dederit, fructum non colligit ieiunator.* Ita ille.

Chrysol.

Psal. 111. 9.

2. ad Cor. 9. v. 9. & 10.

Matth. 6. 1.

Daniel. 4. 24.

Chrysol.

2. Concinit huic expositioni candelabri structura, de qua Exodi 25. & arcana illius significatio; inerant illi quippe plures circumquaque collucentes lucernæ, vt Christiani hominis conuersatio dilucidè iam inde adumbraretur, & Christo omnino subnixa, & egregiis vndecumque virtutibus præfulgida, & splendens: at enim illud simul ex hac imagine admonetur, non aliter virtutum lumen subsistere, nisi iuge illis eleemosynarum oleum subministretur, ad eum omnino modum, quo lampas siue lucerna, quæ oleo iugiter non foueatur, exstinguitur, vt siue ad imaginem, siue ad mysterium animum intẽdas, in fatuarum

Exod. 25.

virginum lampadibus facilè cernere est; sic enim ipsæ ad prudentes: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur*, Matth. 25. 8. id sic adnotante & explicante Hesychio ad præfatum Exodi locum. *Candelabrũ ergo dicimus esse euangelicam conuersationem, in qua Christus lucernæ modo splendere virtutes præcipit*; nemo enim (*inquit*) accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. *His lucernis oleum, eleemosyna est, quia & ieiuniũ, & virginitas, & oratio, & iustitia, & omnis actio bona per misericordiam dilectionis pauperum irrigantur, & custodiuntur inexstinguibiles, quod manifestant lampades quinque fatuarum virginum, quæ quia dilectionis pauperũ minus habuerunt oleum, à sponso exclusæ sunt.* Hæc Hesychius. nec aliter Chrysost. hom. 22. in Ioan. vbi cùm de magnis Ecclesiæ viris, quos tanquam germanos fœtus Dei gratia produxit, sic disseruisset. *Vita enim honestate, atque sapientia effulserunt, magnos subierunt labores, & præsentem cõtempserũt vitam, nullius eam momenti arbitrati, hinc super omnes elati tanquã aquilæ leues altè volantes operibus suis in cœlum euaserunt.* Ad illorum nos imitationem vrgens, non aliter virtutum ignẽ & lucem asseruaturos, nisi eum adeò eleemosynarum indesinenter fouerimus, sic docet. *Hos & nos dilectissimi imitemur, neque exstinguamus lampades, sed eleemosyna clariores reddamus. Huius ignis lux ita seruatur, si in vasa oleum, dũ hanc vitam viuimus, colligamus, quos nobis, neque post hinc migrationem amplius, neque nisi per manus pauperum colligere permittitur.* Sic Chrysost. Sed de fatuis virginibus copiosior statim redibit sermo, modò rursus ad Oseam.

Matth. 25. 8.

Hesychius.

Hesychius.

Chrysost.

Vidisti misericordiæ pluuiam, & irrigationem sementi bonorum operum pernecessariam? quid iam in Vate subiiciat Dominus, obserua: *& metite in ore misericordiæ*. sed quid fuerit metendũ, nosse primùm oportet. Aperit id quidẽ lectio huius loci, quam præfato loco vsus est Bernardus; ipse enim reponit, *metite spem vitæ*; vt misericordiam præstare, & eleemosynas erogare, idem sit ac felicissimæ spei æternæ beatitudinis messem colligere; eo modo, quo Abbas Isaias orat. 16. *de gaudio animæ*, inquit, *eleemosyna fiduciam parit.* Habet verò peculiarem emphasim, ac venustatem is dicendi modus, quo spes non in flore, aut in herba, immò nec in segete, sed in matura messe collocatur; vt fidentiorem, & securiorem hãc spem adstruat, quippe sæpiùs euenit, quod dixit nescio quis, 3.

Spem mentita seges.

at messis matura spem non mentitur: vnde Origenes lib. 2. in Iob pro *metite spem vitæ*, legit *fructum vitæ*; tantum huic spei fauens, vt non tam spem, quam rem, & fructũ faciat. Idémque fuerit, misericordiæ semina iacere, ac fructũ æternæ vitæ demetere. Iam iure ambigas, quid significet, *Metite in ore misericordiæ*: Dixi alibi, idẽ esse, ac pro libito, & voto misericordiæ metere, ac si ipsa quidquid sperat, accipiat; Hispanè *a pedir de boca*, quippe clamar eleemosyna in sinu pauperis ad Deũ, & vberem donorùm segetem colligit, Ecclesiast. dicẽte c. 29. 15. *Cõclude eleemosynã in corde pauperis & hæc pro te exorabit*; sed nõnulli, qui literalissimi videri volunt, hũc sensum quasi omnino moralẽ aspernantur, & os misericordiæ perinde accipiendum cẽsent, ac *os gladii*, phrasi in Scriptura vsitatissima, quam ipsi minimè capiunt, vt significet tã percutere, aut occidere quàm multos ipse gladius expeteret, si loqui posset, sed potiùs acie gladii cædere, aut percutere, siue acie gladii perire. Verùm quidquid de sensu literali sit, hunc quem nobis

Bernard.

Abb. Isaias.

Horat.

Origenes.

Eccles. 29. 15.

offe-

offerunt, auidè, & gratanter ad mores etiam accipimus, & misericordiæ aciem dari, quia segetes demetat, gaudemus; hinc enim bene colligas, ex omnibus virtutum actionibus falcem ad secãdam vitæ æternæ messem conflari; at aciem signatè misericordiæ tribui, quasi absque illa obtusa, & hebes, & quasi inutilis ad secandum falx fuerit:
Ad Hebr. 13. 16. vnde notanter Paul. ad Hebr. 13. 16. inquit, *Misericordiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus*; siue, vt Græcè habetur,
Græc. Lect. *placatur Deus*. quæ verba August. cum illud Osee
Osee 6.6. 6.6. *Misericordiam volui plus quam sacrificium*, sic componit lib. 10. de ciuit. Dei, c. 6. *At per hoc vbi scriptum est*, Misericordiam volo plus quàm sacrificium; *nihil aliud quam sacrificium sacrificio prælatum intelligi, quoniam illud, quod ab hominibus apellatur sacrificium, signum est veri sacrificij. Porrò autem misericordia verum est sacrificium: vnde dictum est quod paulo antè commemoraui*, Talibus enim sacri-
August. ficiis placatur Deus. Sic August. vbi vides misericordiæ sacrificium tanquam aciem falcis ad demetendam Dei benignitatem aliis virtutum sacrificiis prælatum. Sed id non ex me, sed ab ipso Domino disce. Quid enim aliud fuerit dixisse:
Matt. 25 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum* &c. *Esuriui, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. Matth. 25. 34. Audi
Chrysost. Chysost. hom. 5. de pœnit. *Mirabile hoc vide. Nullum aliud, quam id virtutis opus in medium adduxit. Poterat enim dicere*, Venite ad me benedicti, *quòd casti, quòd virgines vixistis, quòd Angelicam suscepistis conuersationem. Sed tacet hæc non quòd memoria sint indigna, sed quòd a clementia sint secanda*. opportunissimè, ac si dixerit, in falce bonorum operum, quà æterna beatitudo metitur primas partes, siue aciem eleemosynarum largitioni subesse. Sed & huc omnino facit in reprobos lata sententia, vt postmodum videro; modò ex celebri fatuarum virginum imagine id confirmare placet. Etenim dum illæ cùm ad ipsam iam messem beatitudinis percipiendam pergerent, spem illis mentita seges est; retusa quippe, & hebes sine acie misericordiæ aliarum virtutum falx ad secandas segetes inutilis inuenta est: ac proinde, quæ ad beatitudinis messem alacres inuolabant, in infelices fasciculos colligatæ, æternis sunt mancipatæ suppliciis, hæc
Chrysost. sic expendente Chrysost. hom. 9. de pœnit. *Non intellexistis in Euangelio decem virginum parabolam, quod eleemosynam non habentes, virginitati indulgentes à nuptijs exclusæ sunt?* & post plura in hanc rem: *Cogita quomodo post tot labores exclusæ sunt, cùm frænabant incontinentiam, cùm aduersus voluptates opposuerant sese, cùm superiores ad virtutes certamen habuerant, cùm vitæ huius res spreuerant, cùm periculum tolerauerant magnum, cùm tantum laboris superauerant, cùm de terra ad cœlum euolauerant, cùm corporis signaculum non soluerant, ac magnum virginitatis specimen acquisiuerant, cùm in corpore, quæ incorporeorũ sunt perfecerant, cùm corporis necessitates suppeditauerant, cùm magnum, atque incomparabile virginitatis lucrum possederant, tunc audierunt*, Nescio vos Preme illa, *cùm de terra ad cœlum euolauerant*, cùm nimirum beatitudini proximæ, ad demetendam cœlestem segetem manum cum falce mitterent. Ap-
Basil. plaudit his Basil. hom. 7. cõtra diuites auaros pulchrè adhibita illius imagine, qui regiã vrbem videre exoptans, magnisque itineribus ad eam pergens, cùm tandẽ ad mœnia peruenit in diuersorio considens, reliquum viæ ob desidiam conficere noluit; *toleratum itineris laborem* (inquit Basil.) *inanem reddẽs, & spectacula bonorum, quæ videre poterat in vrbe excludens. Sic & huiuscẽmodi sunt homines, qui cætera quidem mandata obseruant, at bonorũ verò suorum erogationẽ claudicent.* subdit. *Vidi ego multos ieiunantes, orantes, præ delictorum pœnitentia suspirãtes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus vero ne obolum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodest? Non propterea regnum Dei consequentur*. Sic Basil. Subscribit etiam opportunè Saluianus Massil. lib. 4. ad Eccl. Cath.
inquiens, *Ad liberandum te ab hoc malo quibusdam* Saluian.
forsitan bonis corporalibus niteris; pudicitiam quippe amasse te iactas, sed memento quia & illos, quos in Euangelio immortalibus pœnis Saluator tradidit, impudicitiæ non notauit: sobrietatem tibimet placuisse commemoras, nec ille de quibus Scriptura loquitur, ebrietatis crimine puniuntur, ieiunasse te dicis, nec illos prandia reos esse fecerunt. Ecce pudicitiæ, sobrietatis, & abstinentiæ falcem sine acie misericordiæ, ad secandam beatitudinis segetem inutilem. Audi
verò Chrysost. præfata homil. 22. in Ioan. *Colliga-* Chrysost.
mus abunde oleum si cum sponso ingredi volumus: sin minus, excludemur. Subdit ingenti statim ore, *impossibile enim, impossibile (inquam) est, etsi numera faciamus bona, sine eleemosyna cœlestis regni vel vestibulum quidem attingere*.

Adde modò nõ infrequenter euenire, vt plures 4.
qui seueriori disciplinæ non incubuerunt, nec asperioribus hisce virtutibus omnimodã operam nauarunt, egregiis tamen misericordiæ operibus subnixi inter prudentes virgines quæ oleum cum lampadibus sumpserunt, annumerati clausas cœlestis vrbis ianuas occuparint, & cœlorũ regnum
aggressi violenter rapuerint. Nimirum *regnũ cœlo-* Matt. 11. 12.
rum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Math. 11. 12. At enim, vt qui vrbem aliquam oppugnare & expugnare aggreditur, vel sanguis, vitæq; discrimen non temnens sese ipsum pugnæ committit, & hostium mucronibus bellicisq; tormentis oppositus mœnia ipsa per scalas strenuè conscendit, vel quòd sanguinem nolit profundere, sese prælio, & discrimini maturè subducit, & sociorum opera ac militũ manu, quæ multo pretio coëmi solet, muros verberare ac diruere molitur; ita omnino regnum cœlorum vel per sanguinis effusionẽ, pœnitentiç opera, acerbósq; corporis cruciatus quasi vi adhibita potest quis inuadere; vt de Martyribus dicebat Saluian. Massil. lib. 3. de gubern. Dei (à nobis hoc cap. ad v. 6. adnot. 4. n. 1. vbi plura in hanc
rem dedimus, adductus.) *Qui ad cœlestis Regiæ ia-* Saluian.
nuam gradibus pœnarum suarum ascendentes scalas sibi quodammodo de equuleis, catastisque fecerunt. Vel, si ignauus tanti boni amator, aspera hæc reformidat, diuitiarum profusione, eleemosynisque liberaliter exhibitis, pauperum manu occupare, & obtinere valet: (non vocamus seruos ad pileum, nec necessaria ad salutem opera subducimus, vt inferiùs plus explicabimus.) Ita quidem Salomon
vno in loco inquiens, *Substantia diuitis vrbs forti-* Prou. 10. 15.
tudinis eius, Prou. 10. 15. vt dicere videatur; Diues substantiã siue operibus suis cœlestem vrbem, quantumuis firma, & fortis sit, oppugnat; siue substantia diuitis in pauperes effusa supernam illi
vrbem in manibus tradit: in alio verò, *Redemptio* Prou. 13. 8.
animæ viri, diuitiæ eius, Prou. 13. 8. ac si dicat, vt pauper mendicitate & patientia; ita diues opibus suis cœlum elucratur; & animam suam nexibus siue difficultatum & laborum, quos alij in salutis via experiuntur, siue criminum, quæ ipse perpetrauerit, oppignoratã redimit: vtrumq; Salomonis
locum sic coniungente & elucidante Ambros. in Ambros.
epist. ad Ecclesiam Vercellens. quæ in quibusdam

codicibus 25. in aliis 82. recenſetur: *Sed neque ipſæ diuitiæ vituperabiles. Denique*, Redemptio animæ viri, diuitiæ eius; *quoniam qui pauperi donat, redimit animam ſuam. Eſt ergo & his materialibus diuitijs virtuti locus. Quaſi gubernatores eſtu in magno mari; ſi quis ergo bene gubernat ſuum nauigium, citò tranſit fretum, vt perueniat ad portum. Qui autem neſcit regere ſuum ſenſum, onere ſuo mergitur, ideo ſcriptum eſt*, Poſſeſſio diuitum, ciuitas firma. *Quæ eſt iſta niſi Hieruſalem, quæ in cœlo eſt, in qua regnum Dei? Bona hæc poſſeſſio quæ fructus perpetuos facit.* Pulchrè fructus perpetuò facit, etenim vt diues infructuoſa arbor egregiis aliarum virtutum operibus quibus regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud deſtituta fuerit; ſi tamen ſeruis Dei copioſas eleemoſynas fecerit, eorum fructus communes ſibi faciet, ac proinde quaſi illorũ manibus cœleſtem vrbem obtinebit. Quam equidem ad rem egregia ſunt, ac præopportuna, quæ ſcripſit S. Cæſar. Arelat. homil. 24. quæ eſt de ſimilitudine vlmi, & vitis tom. 2. Bibl. veter. Patr. Nam cùm harum arborum imaginem ſic primùm propoſuiſſet. *Arbor vlmea & vitis ſatis ſibi conuenientes eſſe videntur. Arbor enim vlmea licet & amæna, & in ſublime porrecta, nullum tamen fructum habere probatur. Vitis verò quamuis ſit parua, & humilis, fructibus plena eſſe cognoſcitur, qui fructus niſi qualicumque ligno leuentur in altum, in terra putreſcunt, atque depereunt.* hæc diuitibus ac pauperibus ſic ſcitè poſt modum aptat: *Arbor vlmea ſignificat hominem diuitem in hoc mundo. Sicut enim arbor illa ſublimis eſt, & amœna, & humida, & tamen fructibus vacua: ita & quicumque diues ſæculi huius quamuis ſublimetur honoribus, in multis facultatibus amœnus, & iucundus eſſe videatur; tamen ſi ad vitem, id eſt, ad pauperem Chriſti eleemoſynarum ſuarũ brachia quaſi ramos piiſſimos humiliter non expandit, a fructibus æternæ vitæ vacuus remanebit.* & poſt nonnulla. *Hoc enim expedit fieri, vt quomodo arbor vlmea extendit ramos ſuos, & erigit, vel ſuſtinet vitem, ſic diues ſæculi huius porrigat ramos ſuos, id eſt, manus, & ſuſtentet pauperes Chriſti. Quod ſi fecerit in hoc mundo, ſine dubio ab ipſis pauperibus Chriſti multipliciter repenſabitur in futuro.* En quod dicebat Salomon: *Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius*; dum diues velut vlmus felici nexu viti maritata ipſius maniculis, & fructibus, velut conductis ad bellum copiis regnum cœlorum aggreditur, atque obtinet. Confirmat hæc ipſemet cœleſtis arcis cuſtos, & Dominus Luc. 16.9. monens, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*; ſed quid fuerit illud, *recipiant vos?* Num ipſi pauperes, cœleſtis beatitudinis cuſtodes, ſiue etiam diſtributores ſunt, quibus integrum fuerit in ipſam recipere quos voluerint? pro illorum ne arbitrio aperiuntur, clauduntúrve huius vrbis portæ? crediderim reſpectum eleganti belli imagine à Domino ad eos, qui cùm vrbem aliquam eò quòd munitiſſima ſit, expugnare non valent, ea vtuntur arte, vt aliquos ſiue murorum cuſtodes, & ſtationarios milites, ſiue alios quoſuis ex vrbe ciues, donis magnáque pecuniæ vi corrumpant, vt noctu aliquam vrbis ianuam patefaciant, qua obſidentes irruant: vnde appoſitè & illo verbo vſus eſt; *vt cum defeceritis.* ac ſi dicat, cùm aliter potentes & valentes ad obtinendam hanc vrbem non eſtis, ad eleemoſynæ artes bonóſque dolos confugite; pauperes enim ſuis orationibus, atque meritis manum vobis porrigent, & quaſi clanculum cœli aditum patefacient: ita pænè Bernard. in declamationib. hunc in modum premens hæc verba, *Verba Domini ſunt, & quod loquitur tale eſt. Firma equidem ſtat, immobiliſque ſententia, eos qui volunt in hoc ſæculo diuites fieri, incidere in tentationem, laqueúmque diaboli, ſed quia miſereor ſuper turbam, & ipſum quoque camelum (quod homo non poteſt) per foramen acus, traducere poſſum, cauete ſaltem a verbo aſpero, qui laqueum venantium minimè declinatis, veſtite nudum, egenum alite, viſitate infirmum*, &c. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. *Ac ſi manifeſtius dicat.* Væ vobis diuites, qui habetis conſolationem veſtram. *Attamen vnum iam ſupereſſe videtur. Communicate eam pauperibus, quorum* eſt regnum Dei (Matth. 5.3.) *vt cum venerit hora eorum, reminiſcantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula ſua, & conſolationem ſuam, quam modo prudenter expectant, dum veſtram ipſis præripitis, & miſericorditer communicent deſolatis.* Hæc & alia ibi Bernard. & rurſus in eandem ſententiam citato loco Cæſarius: *Diuites mundi abundant in hoc mundo pecunia, pauperes Chriſti in cœlo vita æterna. Erogent ergo diuites in mundo pecuniam, vt recipiant in cœlo vitã æternam. Diuites mundi frumentum, vinum, & oleum in horrea, vel in cellaria copioſè reponunt; pauperes Chriſti orando, vigilando, ieiunando ſpirituales theſauros in cœlo recondunt. Faciant ergo quoſcumque ſeruos Dei, diuites huius mundi de terrena facultate participes, vt illi eos ſibi in cœleſti theſauro faciant cohæredes.* Hæc Cæſarius.

Quam ad rem accuratiſſimè expendas velim ea Chriſti miſericordibus dicenda verba: *Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*, &c. Matth. 25.34. Vbi meritò dubites quam ob cauſam conſtitutionis mundi mentionem fecerit Dominus? ſiue, cur, quod ab æterno parauerat ad mundi conſtitutionem retulerit? vt verò aliquam tibi parem reſponſionem, obſerua ex Paſchaſio in ea verba lib. 11. in Matth. Græcè pro *à conſtitutione mundi* haberi, *a depoſitione* mundi à Græco vocabulo καταβολὴ, quod propriè ſignificat fundamenti initium; ſed diſce id plenius à Paſchaſio. Porrò quod in Latino *à conſtitutione mundi*, in Græco habet, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, id eſt, *à depoſitione mundi. Non enim hoc verbum conſtitutionem ſonat, ſed ſignificantiùs id quod deorſum iacitur in fundamentis ſignificatur, & in inferiorem locum mittitur de ſublimi* &c. *Unde & qui domorum prima iaciunt fundamenta*, καταβάλλονται, id eſt, *deorſum initia ieciſſe dicuntur, vnde hoc verbum* καταβολὴ, *rectè initium fundamenti ſonare videtur, & nec in Angelorum, neque Archangelorum creatione, ſeu cæterorum ſpiritualium inuenies hoc verbum niſi de mundi initio.* Sic Paſchaſ. Hæc tibi conſideranti & Deum cùm mundi fundamenta iaceret, regnum iuſtis paraſſe expendenti, illico cœleſtis vrbis fundamẽta, de quibus in ſuo Apocal. Ioan. cap. 21.19. *Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata*, necnon & portæ, quas inibi ſic deſcribit v. 21. *ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis*; venient in mentem: vt fideli cogitatione videris Deum vna manu, mundi, alia cœleſtis vrbis fundamenta ponentem; nec prius de hominibus condendis, quàm de ipſis beandis cogitantem, quòd totus ad ſalutes, & beneficia nobis conferenda ſit. Sed dum hæc pendis, perge vlteriùs, & cauſalem illam, quam iis verbis, *poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*; ſtatim adnectit Dominus, obſerua: *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi potum*; vt dicere videatur, ſe in gratiam miſericordium tam mundi, quàm cœli fundamenta ieciſſe, atque ideo, eos miſericordiæ operi

Marginalia: S. Cæſar. — Luca 16.9. — Bernard. — Matth. 5.3. — S. Cæſar. — 5. — Matt. 25.34. — Græ. Text. — Paſchaſius.

operibus cœlestem vrbem, & portas, quæ ex singulis margaritis, hoc est, charitate in proximos, vt ex Augustino alibi monuimus, fuisse promeritos. Vnde quidem meritò dixeris, in misericordiæ operibus mundum fuisse constitutum; eáque ipsius esse fundamenta, cœlestis etiam vrbis fundamentis respondentia. Pro qua sanè cogitatione disertissimè fideiubet Apostolus Timoth. ad concionandum sic instruens epist. 1. cap. 6. 17.

1. ad Tim. 6. 17. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere: nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, & vero: Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant verā vitam.* vbi si attendis, pietatis opera, & eleemosynarum largitiones veræ, & cœlestis vitæ fundamentum, vbi si attendis, pietatis opera, & eleemosynarum largitiones veræ & cœlestis vitæ fundamentum, quòd modò tanquam thesaurus in terra sit defossus, vt suo tempore prodeat, hoc est illud ipsum vrbis cœlestis fundamentum, de quo Ioannes, *& fundamentum muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata*, ab Apostolo appellantur, vt videris quàm

Prou. 10. 15. opportunè dixerit Salomon: *Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius*; siue substantiam diuitis esse illi vrbem cœlestem, cùm huius vrbis fundamenta ex substantia, & diuitiis in pauperes expensis iaciantur: sunt pleraque ex iis è pharetra Augu-

August. stinus in illa verba Psalm. 44. *Filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabumur omnes diuites plebis*; dum ea sic elucidat. *Quid est, adorent in mu-*

Matth. 6. 20. *neribus?* Nolite vobis condere thesauros in terra, vbi tinea, & rubigo exterminant, & vbi fures effodiunt, & furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo. *Venite in muneribus*, date elee-

Luc. 11. 41. mosynam, & omnia munda sunt vobis, &c. *Hæc sunt munera, in quibus adorant filiæ Tyri regem, qui dicit*, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Hæ filiæ Tyri adorantes in muneribus diuites sunt plebis, quos ille alloquitur amicus sponsi*, Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, nec in incerto diuitiarum, &c. *Diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, adorent in muneribus, sed non perdant: securi ponant, vbi semper inueniant. Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, adorando in muneribus.* Hactenus August.

5. Quòd si in expugnatæ vrbis imagine delectaris, & videre velis diuites eleemosynas, & tanquam arietibus muros percutientes, ac expugnantes, lanceáque traiicientes, & ad instar scuti à telorum iactibus sese illis communientes, audi

Eccl. 29. 17. Ecclesiast. cap. 29. 17. *Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit; super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum suum pugnabit.* Bene *super scutum potentis*, quòd cùm iratus Deus indignationis suæ nubem tanquam scutum aduersùs peccatores ne illorum preces ad eum superueniant, aliquando opponat, vti dolenter aiebat Ierem. Thren. 3. 44.

Thren. 3. 44. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Eleemosyna fortissimum, ac irrefragabile telum sit, quod iræ scutum penetret atque perrumpat: *talibus enim hostiis* (vt dicebat Paulus) *promeretur*, atque placatur *Deus*. Ita Chrysostomus 9. de pœnitent.

Chrysost. *Magna res eleemosyna, præcidit aërem, transit Lunam, Solis radios cadit, ad ipsum venit cœlorum culmen, ipsos pertransiens cœlos, & Angelorum populos decurrens, Archangelorúmque choros, & omnes superiores potestates ipsi assistit regali throno. Quod ex ipsa disce Scriptura.* Corneli, eleemosynæ, inquit, & ora-

tiones tuæ ascenderunt in conspectu Dei, Act. 10. Act. 10.
Sic ille. Quod enim tam impenetrabile scutum auri lancea non traiiciat? quam indignationem, & iram aurum non mitiget, atque demulceat? quæ tam acris, & adornata accusatio fuerit? quæ auro loquente non languescat? bene siquidem Gregorius Nazianzenus in sententiis prouerbialibus docuit: *Auro loquente, iners est omnis oratio.* nec Nazianz. malè obseruauit Aristot. lib. 1. Rhet. cap. 6. vnum Aristot. atque idem copiarum nomen; diuitiis, atque exercitui, siue instructæ aciei inesse, quòd eadem, ac exercitus munia opes obeant. Quid? venalis ne est Dominus? aut quem subornare valeas? Non opinor, at tu ipse venalis, & eleemosynis redimendus es: ita pulchrè Ambros. lib. de Elia, c. 20. *Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus: pecuniam habes? redime peccatum tuum: non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es: redime te operibus tuis.* Ambros. Omnino autem ad rem Chrysost. homil. 33. ad popul. *Sunt & hic castra pauperum; & bellum in quo pro te pauperes pugnant, cum enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium.* Chrysost. & post modum: *hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes a temetipso istud tributum exige, ipsorum alimenta.* Sic Chrysost. Optimè etiam in Sapiente illud, *& super lanceam pugnabit*: Deo enim ita in- Sap. 5. 21. censo, & indignationis suæ lanceam aduersùs peccatores acuente; (sic enim Sapientiæ 5. 21. *acuet duram iram in lanceam*) opportunè eleemosynæ, clypeus sese obiiciet, vt acuta iacula obtundat, atq; repellat: vt possit ei quodammodo aptare quod de Leuiathan dicebat Iob 41. 20. *Deridebit* Iob. 41. 20. *vibrantem hastam*, vbi Gregorius lib. 34. Moral. cap. 5. *Hastam quippe vibrare, est, æternam ei mortem ex districta animaduersione praeparare*; etenim Gregor. Mag. diræ huic lanceæ obiecta pecunia, ab illius vulnere hominem protegit, & *caput obumbrat in die belli.* Audi Ecclesiastem cap. 7. 13. *Sicut enim pro-* Eccles. 7. 13. *tegit sapientia, sic protegit pecunia*: Quòd si id audiens turbaris, quòd sapientissimus mortalium tantum vilissimæ omnium supellectili, quantum diuiniori animi doti tribuerit; audi Paraphrastem Chaldæum, vt animum legentis, sedet, transferentem. *Quemadmodum custoditur vir in vmbra sa-* Chald. *pientiæ; sic custoditur in vmbra argenti in tempore, quo facit ex eo eleemosynam.* protegit ergo pecunia in pauperes erogata, & diuinæ indignationis iacula depellit. *Vilis est pecunia*, inquit post præfata verba Ambros. *sed pretiosa est misericordia.* Quam etiam ad rem sic opportunè loquitur Gregorius Nazianzenus orat. 17. *Ad necessaria tempora su-* Nazianz. *pernæ beneuolentiæ tibi præsidium para, misericordiam Deo commoda; neminem vnquam Deo aliquid prius obtulisse pœnituit: in beneficio reddendo copiosus est.* Preme illa, *præsidium para, & misericordiam Deo commoda*; vult enim Theologus Deum in die iudicij teneri actione *commodati*, vt aiunt Iurecon-sulti, ad reddendam misericordiam sibi in pauperibus priùs impensam: ac proinde misericordem quasi ex iure agere cum Deo posse, vt sibi æternam gloriam reddat.

Quòd si hæc omnia graphicè velis videre depicta, adi Ioannem Deum cum maiestate ad iudicium in peccatores ferendum sic tibi proponentem Apoc. 4. 2. & 3. *Et ecce sedes posita erat in cœlos & supra sedem sedens; & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis & sardinis*; ibi diuinam iustitiam cū Sardio lapide, qui rubeus, & quasi ignē vomēs esse perhibetur, ac proinde feris, vt ait Aretas maximè terribilis, ex interpretatione Anselmi, Aretæ, & 6.
Apoc. 4. 2. & 3.
Anselm.
Aret.

Victor. & Victorini iusta similitudine componitur, quod acuens diram iram in lanceã cædem, vindictámque moliatur, & ad acerbissimum ignis supplicium deferis, siue de impiis sumendum accedat. At enim, vt hæc aduersùs peccatores quos merito feras dixeris, generaliter locum habeant; in misericordibus tamen qui humani homines, non feræ exstiterunt, pænè est, vt dixerim, frustrà Sardium ostendi terribilem, siue indignationis lanceam acui, cùm ab ipsis oleum in vasis suis afferentibus statim hebetanda fuerit. Nam si attendis, (sed lauda quæso arcanam Scripturæ elegantiam, & quàm sit Deus ad manum opémque misericordibus ferendum pronus, mirare) ea Sardinis lapidis natura, & conditio est, vt *oleo magis quàm alio liquore* (verba sunt Plinij lib. 37. natur. hist. cap. 7. ad finem) *hebetetur*: vt argumento fuerit, misericordiæ oleum acuta, immò acuentia sese Dei arma hebetare, & diuinæ indignationis vires infringere, iratúmque Deum, & eædem iamiam molientem placare, & sedatissimum reddere; sed id à Chrysostomo homil. 4. in hanc epistolam, olei imagine retenta accipe; sic enim ille: *Misereamur proximorum, vt & nos ipsi misericordiam consequamur. Non magis illis, quam nobis ipsis conciliamus misericordiam istam in illũ diem. Quando vehemens erit flamma ignis, oleum istud misericordiæ hoc virtutis habebit, vt ignem extinguat. Misericordia verò illa lucis nobis causa erit, atque ita à gehenna igni per illam liberabimur.* Hæc Chrysostom. Nec minus opportunè Chrysolog. serm. 42. de Loth vi eleemosynæ flammis Sodomæ erepto. *Hinc gehennam vicit in carne. Misericordiam nescit diuinus ignis exurere. Faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere.* Sapienter etiam in hanc rem PP. Concilij Toletani VII. in decreto 2. de incauto iuramento dicentes, *occurrere certè miserorum ruinis debet subsidio vnusquisque quo valet, & releuatione aliena vindictæ à se remouere vindictam; libat enim Domino prospera, qui ab afflictis pellit aduersa.* optimè. Parum autem fuerit, misericordem hominem, Deum antea terribilem eleemosynis quasi veneficiis, atque cantionibus placatum, mitémque reddere, nisi etiam, & ipsi Deo homo quodammodo venerabilis, & colendus tanquam debitori creditor, atque fœnerator tunc occurrat, Salomone dicente, *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*, Prouer. 19. 27. atque in hæc vera id sic obseruante Chrysostomo hom. 5. de pœnitentia ad fin. tom. 5. *Fœneremur Deo per clementiam, fœneremur, quò debitorem inueniamus eum, non iudicem. Veneratur enim debitor fœneratorem: veneratur eum, & erubescit.* Sic ille. O felicitatem! O gaudium pulcherrimum atque verissimum! Diffundit hæc pulcherrimè Chrysologus serm. 39. huc referens eam à Christo allatam illius imaginem, qui cùm hospitem nocte suscepisset, ad amicum perrexit, audentiúsque illius ianuam pulsans dicebat, *Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum*, Lucæ 11. 4. illo autem se se claudente, ipse instantiùs, crebriúsque fores pulsare non desiuerit, sanè quasi is, qui copiósas hîc pauperibus eleemosinas pro Christo fecerit, animosiùs illum in die iudicij conuenire, siue etiam reconuenire possit, quòd ex beatitudinis conuentione fecerit, id quod sibi fuerat præscriptum, solennémque cum Deo contractum inierit: *Do vt des, siue facio vt facias*; quibus in iudicio summa vis inest. Sed audi Chrysolog. *Æstimo hoc dixisse pulsantem, aut fortè taliter conuenisse; feci quod iussisti, reddè quod promisisti. Tibi credidi dicenti,* Nolite solliciti esse in crastinum. *Vnde externo hospiti quod opponerem non reliqui. Si tibi ego sic habenti molestus sum, quanto mihi ille extitit molestior non habenti? & tamen ego illi excusare non potui, quia tibi obedire contendi.* Vnde sic subiicit. *Plus hîc iubentis, quàm non habentis verecundia nunc laborat.* Acutissimè.

Marginal notes: Plinius. Chrysost. Conc. Tolet. 8. Prou. 19. 17. Chrysost. Luca 11. 4. Chrysol.

7. Sed non opus fuerit per speculum, & in ænigmate hæc tibi spectanda proponere, & vt videris, misericordiam in medio iudicij ardore misericordibus impendi; immiribus & immisericordibus denegari, per longas ambages te ducere, cùm oculos, auréisque tuas hoc spectaculo implere atque satiare perfacile fuerit. Audi enim iudicem nullis ænigmatum integumentis, sed apertissima oratione & clarissimis verbis iustis, quòd benigni, & misericordes signatè fuerint, æternam beatitudinem sic redderem Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Sed quam ob causam? aut propter quæ merita? *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me*; at enim, cùm electi, suauissimis his verbis auditis quasi ad tantæ felicitatis inauditum gaudium excitati summissè, ac reuerenter perquirant. *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum; aut in carcere, & venimus ad te?* ipse omnino se explicans sic responsurũ pollicetur. *Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* in quæ verba sic opportunè Chrysologus serm. 14. *Nimis est quod Deo sapit pauperis cibus, qui totius creatura bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli coram omnibus; quòd Abel passus sit, quod seruauit mundum Noë, quòd Abraham fidem susceepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solum, quòd comedit pauper.* Ad quem modum Hilarius Canon. 4. in Matth. premens similia assertoris verba Matth. 5. 7. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; sic ait. *Misericordibus misericordiæ munera præparat, intantum enim Deus beneuolentiæ nostra in omnes delectatur affectu, vt misericordiam suam sit solum misericordibus præstaturus.* expende ly *solum*; quasi illi solùm indignè tantum bonum fuerint promeriti; quasi illis solùm fuerit paratum, & repromissum, quasi illis solùm debeatur, quasi illorũ meritis Dominus delectetur. Et eodem quidem ductu sic in peccatores profertur sententia. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed quare? ob furta? ob periuria? ob adulteria? Nulla sanè horum mentione facta sic intonat iudex. *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare; sitiui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me,* &c. ipsis verò ad terribile hoc fulmen exhorrentibus, & succlamantibus. *Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem?* &c. *respondebit illis, dicens Amen dico vobis, quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Quæ verba sic expendit Damascenus oratione de die iudicij. *Non dixit: Discedite à me, quia furtum, & homicidium fecistis, & alia mala, sed ait; quia de substantia vestra pauperibus non dedistis. Sicut illos, qui ad dexteram futuri sunt, solam misericordia liberabit, ita eos qui ad sinistram*

Marginal notes: Mat. 25. 34. Chrysol. Hilarius. Matth. 5. 7. Mat. 25. 41. Damascen.

nostram sunt, sola auaritia condemnabit. Hæc Damascenus, postmodum explicanda. Ita quidem infelicissimo illi diuiti inter acerbissima supplicia, crebráque suspiria vnus simul cum diuite Abraham ostensus est mendicus Lazarus, vt inde de damnationis suæ causa admoneretur, quòd nimirum diues cùm fuerit, Abrahamum diuitem, in pauperes benignum, & in hospites beneficum non sit imitatus; & quam illi vitem ad ianuam plantauit Deus, vt ille sterilis vlmus fructibus eius fœcundus redderetur, è terra subleuare, sibique adiungere noluerit. *Arbor enim amœna, & sublimis erat in mundo*(inquit iam citatus Cæsarius Arelatens.) *sed quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in inferno, & ab illo petebat guttam, cui negauerat micam.* Similia habet Chrysostomus homil. 65. ad populum hunc in modum: *Non enim quia diues fuerat, puniebatur, sed quoniam misericordiam non exhibuit: & propterea nullum alium videt, nisi illum sui indigentem, vt discat, quod hæc iustè patiatur, in memoriam eorum veniens, quæ gesserat.* Sic Chrysost.

Luc. 16.24. — S.Cæsar. — Chrysost.

8\. Verùm enim verò iure circa hæc ambigas, quánam ratione, cùm tot præter misericordiam splendeant virtutes, cœlis optimo merito inferendæ, tot etiam præter immisericordiam peccata sordescant, iustissima lege æternis ignibus vindicanda, vni misericordiæ à Iudice in iustissimo iudicio ius reddente gloriæ corona imponatur? solis item auaris eleemosynam non facientibus seuerissimi gehennæ cruciatus infligantur? Num de misericordia solùm, & non etiam de iustitia, pudicitia, aliísque virtutibus seruandis lata lex est? aut quotquot pereunt, hæc solùm inimitis animi peccata habuerunt? Est quidem operæ pretium, hæc nosse, atque vt noris, singillatim euoluere, ne confusus & indistinctus sermo à veræ sapientiæ sensu deflectat. Et verò, si ad exactæ disquisitionis calculos hæc referas, primùm quidem contentiosè non negauerim, quod ad hæc verba Matth. docet sapientissimus Maldonatus, ob alias etiam præter misericordiam virtutes iustos cœlorum regnorum accepturos; ob alia etiam peccata, quàm quòd eleemosynas non fecerint, malos fore damnandos: at Dominum vnam speciem siue virtutis, siue peccati pro toto genere posuisse, sicut in extremis facere consueuimus. Ideò verò huius potius quàm alterius tam accuratè, tam singillatim meminisse, quòd nihil hominibus magis commendatum esse voluerit. Deinde meam coniecturam afferre placet, cur omnium electorum personam misericordes agere; cur in immitibus & duris reprobos omnes damnatum iri voluerit. Sanè electos, atque ad æternam gloriam prædestinatos ex conformitate cum Filij Dei imagine fore dignoscendos ex Paulo liquet, dicente ad Romanos 8.29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, quòd nimirum ab hac similitudine, veræ vitæ character desumatur; aliàs hominis vita, non vita, sed merum somnium fuerit. vti hunc in modum dicebat Regius Psaltes, Psalm. 16.15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; vbi Hebræa habent, *cum euigilauero similitudine tua.* planè quasi Dei in homine similitudo vigilantem à dormiente discriminet. At enim si rem attentè perpendis, & ex Scriptura, & Patribus velis pensitare; in misericordia, & charitate erga proximos Dei imago signatè censetur. Audi Leonem Magnum sermone de omnibus Sanctis. *Misericordem te misericordia, iustum te vult esse iustitia, vt in creatura sua creator appareat; & in speculo cordis humani per lineas imitationis, expressa Dei imago resplendeat.* Audi Theodoretum quæst. 20. in Genes. ex Dei natura eius in homine imaginem sic deducentem. *Iustus & sanctus est Dominus, condolens, & misericors: igitur qui amat iustitiam, & sanctitatem, & peragit, atque obseruat præceptum istud Saluatoris:* estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est, *fit imago Dei per omnia.* Audi Chrysostomum homil. 7. de pœnitent. tom. 5. *Velut regina ingrediente nullus custodum ipsis in portis positorum audet interrogare, quæ sit, aut vnde iter agat; magis verò illico suscipiunt omnes: sic & eleemosyna regina omnino est cum eum Deo similem faciens.* Estote, *inquit*, misericordes, sicut Pater vester cœlestis. Quò mirè faciunt non semel citata Pauli verba ad Hebræos 13.16. *Beneficientiæ & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs placatur Deus*; maximè si iuxta lectionem Syriacam efferantur: in qua pro extremis hisce verbis habetur, *Talibus enim hostijs pulchrescit Deus.* Quòd si dubites, quî possit hæc locutio subsistere, cùm Deus infinita pulchritudine, æternóque decore conspicuus pulchritudinis incrementum (à creatura præsertim, cui quidquid subest decoris, à Deo aduenit) nullatenus possit accipere: vt respondeam, præmitto ex Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 268. peculiarem atque exactam animæ pulchritudinem, pietatem esse: sic namque Isidorus. *Virtutum congruentia iustitia pulchritudinem efficit, quæ quidem cogitationem omnem, ac solertiam tum manus, tum colorum excedit; verùm quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars, est oculorum pulchritudo, ita etiam in animo præcipua pulchritudinis pars, est pietas.* Vnde difficultati sic obuiam iuerim, vt hunc à Paulo respectum censeam, ideò ex pietatis operibus, quæ homo peragit, Deum pulchrescere affirmante, quòd ex illis exactissimo decore, ac pulchritudine hominis animus ornatus pulchriorê, etiam ac splendidiorem Dei imaginem sibi insculptam efficiat, ipsi per pietatem, & misericordiam conformior redditus. Inde verò meliùs, atque faciliùs quasi ex transumpta imagine, splendidissimum Dei decorem, & pulchritudinem rimemur, atque inuestigemus, nobísque ipse quodammodo pulchrior, & elegantior appareat.

Maldon. — Ad Rom. 8.29. — Psal. 16.15. — Leo Magn. — Theodor. — Ad Hebr. 13.16. — Lect. Syriac. — Isidor. Pel.

9\. Et quidem si ad originariam exemplaris pulchritudinem adspexeris, *vt quos præsciuit, & prædestinauit*, conformes imagini Filij Dei videris, hinc ipsam maximè radiare, & diuinitatis lumen plus diffundi, nobísque innotescere, *quemadmodum in corpore valentior pulchritudinis pars est oculorum pulchritudo*, omnino inuenies. Sanè cùm Ioáni in Euangelio suo, id singillatim curæ fuerit, vt Christi diuinitatem fortioribus rationibus & efficacissimis argumentis confirmaret, mirum alicui videatur, in Crucis historia cùm illum diuinitatis maximè meminisse oportebat, tum prodigia illa, atque portenta turbati concussíque orbis, ac obscurati, & obtenebrati Solis, quibus immensa Christi fortitudo, atque potentia, mediis in tenebris elucebat, tum promissum latroni cœlorum regnum quod solius Dei est prætermisisse, & Ioanni matrem ab ipso commendatam, Ioan. 19.26. quod humanum omnino videbatur, & ad humanam generationem pertinebat, peculiariter enarrasse: sed enim contrà censet Ambros. quasi hæc Christi humanitas, eáque pietas ipsius diuinitatem omnibus prodigiis atque portentis valentius adstruxerit, & quasi de facie cognoscendam

Ioan. 19.26. — Ambros.

dam dederit; ita enim lib. 10. in Lucam cap. *de commendatione Mariæ matris discipulo Ioanni*, inquit ille. *Sed & Dominus suspensus in cruce, qui sua pericula praepera contemneret, pio matrem commendabat affectum. Quod non otiosè Ioannes pluribus prosecutus est. Alij enim mundū descripsere concussum, cælum tenebris obductum, refugisse Solem*, &c. *Lucas autem competere euidenter asseruit latroni veniam sacerdotali intercessione donatā, & Iudæis persequentibus eodem munere indulgentiam postulatam. Ioannes ergo qui pleniùs diuina penetrauit mysteria*, &c. *solus me docet, quod alij nō docuerunt, quemadmodum in cruce positus appellauerit matrem; pluris putans, quòd victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli pietatis officia diuidebat, quàm quòd regnum cæleste donabat.* Hæc Ambros.

En ergo rationem, cur ex misericordia, & benignitate in pauperes electi à reprobis in iudicio discriminentur; alij gaudiis & præmiis æternum permansuris coronentur; alij suppliciis mancipentur sempiternis; quòd iusti pietate & misericordia conformes Christi imagini, quæ electorum exemplar, & discretrix est, sese exhibuerint; in peccatoribus verò diuina hæc faciei Dei lineamenta minimè apparuerint: & hanc quidem cogitationem appositè firmat fatuis virginibus data responsio, siue in ipsas prolata sententia, dū enim ipsæ aliis virtutum operibus subnixæ animosè, siue audacter clamitarent: *Domine, Domine, aperi nobis*, Dominus responsurus dicitur: *Amen dico vobis: Nescio vos*, Matthæi 25. 12. Sanè ac si illas de facie minimè cognouerit. Quòd si inquiras, quomodo hæc locutio possit subsistere? cùm singuli homines ab ipsius Dei manibus singillatim plasmati, inter ipsius oculos indesinenter versati fuerint? Quid quòd eùm iudicis munere, & æquitate non bene hærere videatur, eum damnare, quem non norit, respondet Magnus Gregorius; aptissimè hæc immisericordibus dici, quòd cùm charitas, & pietas animæ facies, & decor sit, ipsi corpora sine capite, vel sine facie, ex qua vnusquisque cognoscitur, gestare videantur; ac proinde iure ipsis intonet iudex, *Nescio vos*, ac si dixerit, video quidem vestrum corpus; aliqua scilicet virtutum opera; sed cùm faciem eo in corpore non videam, hoc est misericordiæ ac pietatis ingenium, siue eleemosynas pauperibus factas, vnde vos possim cognoscere, siue meæ imagini conformes inuenire, non habeo: sed audi Gregor. lib. 6. expositionis in lib. 1. Regum cap. vltimo. *Decor faciei ipsa est pulchritudo charitatis: per alias quippe virtutes formam sanctitatis accipimus; per charitatem ipsam formam quasi mirabili decore vestimus: illæ aliæ virtutes corpus iustitiæ sunt; charitas verò huius corporis facies rectè intelligitur; per faciem quippe, non per corpus vnusquisque cognoscitur. Nam si corpus videas, & faciem non videas, cum, eum eius solum corpus aspicis, non agnoscis. Quid verò est aliud, quòd fatuis virginibus respondetur ab sponso?* Nescio vos. *Ecce per magnos labores virginitas conseruatur; ipsa quoque virginitas magna, & incomparabilis virtus agnoscitur. Quid est ergo, quòd fatuæ virgines ab sponso non cognoscuntur, nisi quia corpus habent, quod subsistant, decorem verò faciei non habent quem sponsus agnoscat.* Hæc sapienter Gregorius.

Matt 25. 12.

Greg. Mag.

2. Sed & hinc etiam fatuas hasce virgines dum diuinæ imagini, atque similitudini per misericordiæ opera conformes sese exhibere non curarūt, dormitantes atque dormientes, vitam scilicet per somnum agentes, videris: etenim si Dauid, vt superiùs dicebamus, non prius se euigilaturum sperabat, quàm Deo similis euaderet. *Satiabor*, inquiens, *cùm euigilauero similitudine tua*; eum qui Dei imaginem & similitudinem, quæ ex beneficentia, & pietate oritur, non gerit, dormitantem atque dormientem meritò dixeris. Aderitque tibi pro hac sententia bonus fideiussor, siue patronus Gregorius, qui quempiam Episcopum, etsi lectioni vacantem, & orationi incumbentem, quòd larga tamen manu eleemosynas dare non curaret, dormientem appellauit, & à somno fore excitandum sic admonuit lib. 5. Registri epist. 29. *Fratrem nostrum Marinianum Episcopum verbis, quibus vales, excita; quia obdormiuisse suspicor. Nam venerunt ad me senes mendicantes, qui a me discussi sunt, à quibus quid acceperint. Quos dum sollicitè de prædicto fratre requirerem, quid eis dedisset, responderunt, se eum rogasse, sed ab eo se nihil omnino accepisse.* Et post pauca. *Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem, & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minimè fructificare, sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat.* Hæc & alia Gregorius ibi. Cui adiunxeris Augustinum in Psalm. 75. dum ea Vatis verba, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*; in hanc rem sic expendit. *Venerunt diuites in hanc vitam, & per cupiditates temporales quasi obdormierunt hic, & exceperunt illos diuitiæ, & vana pompa volatica, & transierunt, non intellexerunt, quantum inde boni posset fieri. Nam si nouissent, illic sibi thesaurizarent, quod hìc erat periturū. sicut Zachæus, qui Dominum excipiens in domum suam dixit*, Dimidium bonorum meorum do pauperibus, *Lucæ* 19. 8. *Non erat iste in vanitate somniantium, sed in fide euigilantium.* Sic ille. Vides fatuas virgines tum Deo ignotas, tum somno deditas, dum misericordiæ opera contempserunt? Verùm hinc instas; quid ergo? lethale num semper peccatum fuerit, eleemosynas non facere: nónne id ad charitatem, quæ rarò sub mortali culpa adstringit, potius quàm ad iustitiam pertinet? Quomodo igitur virgines aliis præsertim virtutibus conspicuæ ob prætermissas tantùm eleemosynas damnatæ sunt? Nec hoc telum iecisse contentus, rursus vrgebis hanc etiam ratione nos fore dicturos, adulteros, sic alios, prædones, sacrilegos, si sese misericordiæ operibus dederint, & eleemosynas copiosè largiti fuerint, à iudice in die iudicij de facie noscendos, atque in cœlum euolaturos? sed hæc ne strictim tractentur, aut fusiùs explicata lectoris patientiam fatigent, aliam exposcunt adnotationem.

Psal. 16.

Greg. Mag.

Psal 75. 6.
August.

Luc. 19. 8.

Ad eadem verba: vestram salutem operamini.

ADNOTATIO IX.

Eleemosynas tum peccato aditum occludere, tum peccatoribus vtilissimas esse, ne in peccatis iaceant.

1. REDDO iam exactiorem rationem sententiæ illius Damasceni, *sola misericordia liberabit, sola auaritia condemnabit*; vt noueris, quo sensu capiendum sit, reprobos qui siue turpibus, siue feralibus

Damascen.

feralibus flagitiis luxuriæ, crudelitatis, superbiæ, contaminati fuere, ob misericordiæ opera prætermissa signatè fore damnandos, vti ex Iudicis sententia in illos proferenda apparet: & verò ipsemet Damascenus sese statim in vtramque partem sic explicat. *Non ideo audituri sunt*, venite benedicti, *quia non peccastis; ne illis dicturus est:* Discedite à me maledicti, *quia peccastis, sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluistis*; subdit. *Nullus sine peccato esse potest, sed peccata sua omnis homo (Deo auxiliante) eleemosynis redimere potest.* Sic Damascenus. ac si dixerit, alia quidem peccata æternis digna suppliciis, ob quæ damnati fuerint, reprobos habuisse: sed notanter immisericordiam illis exprobratam à Christo fuisse, quòd faciliori eleemosynarum remedio, quo peccata, quæ Dei bonitas est, à diuina iustitia redimi solent, vti noluerint: vnde Damasceno explicatiùs subscribit Paschas. in præfata Christi Iudicis verba,
Paschas. ba, hunc in modum. *Nec enim sola inhumanitas in eis damnata creditur, sicut nec sola largitas in his, qui à dextris erunt, remunerata. Sed quia mundi rebus malè abusi sunt in superbia, & semet ipsos tradiderunt concupiscentiis suis, suisque inseruierunt luxuriis, & voluptatibus nec voluerunt Deo præstare, quibus se redimerent; & ideo valde rationabiliter, ac si in radice tota damnatur iniquitas, cùm sola culpatur inhumanitas, & rerum benignitas fratribus denegata condemnatur*; vt verò in ore trium testium stet omne verbum, recurre ad fontem, è quo Damascenus, & Paschasius biberunt; audi inquam
Chrysost. Chrysostomum hom. 5. de pœnitentia, vbi præfata Christi verba, *Ite maledicti* &c. sic premit. *Quare? propter quod malum? Quia* esuriui, & non dedistis mihi manducare. *non dixit, quia fornicati estis, quia furtum, quia falsum fecistis testimonium, quia peierastis. Mala quidem hæc manifestè, sed à duritate negantis eleemosynam sunt secunda.* Addit. *Quare autem Domine aliarum non recordaris? Non iudicio, inquit, peccatum, sed inclementiam; non peccantes, sed immisericordes induco. inclementia vos damno, quòd talem, ac tantam salutis medicinam, eleemosynam scilicet, qua emoliri, atque intergi omnia peccata potuerunt, tantum beneficium deseruistis. Itaque inclementiam vitupero; quasi malitiæ radicem.* Hæc Chrysostom. Apud quem sicut & apud citatos etiam Patres, & Dei summam benignitatem, & hominis in æternæ salutis negotio maximam socordiam, & negligentiam expende: ille quippe non tam ob immania peccata, & illatas sibi iniurias, quàm ob contempta salutis, eáque facilia remedia homines damnat: hi verò quasi ipsi suimet hostes exstiterint, oblatam sibi multimodis salutem, æternámque beatitudinem nummo venalem propositam contempserunt.

2. Duplicem verò apud hos PP. medicinæ atque redemptionis imaginem nostro instituto perapportunam obserua; quasi iis qui ingenti peccatorum debito obstricti, in propria, vt aiunt, specie soluere, id est, duriora pœnitentiæ opera suscipere reformidant; nec cælesti Ierusalem per labores & difficiles virtutum actiones irruere audent, facilis offeratur ægritudinum animi medicina; ad manúmque sit difficilium nexuũ solutio; ac quorumcumque criminum redemptio, dum eleemosynã largitione quasi pretio dato facilissimo negotio peccatorum veniam, salutémque mercari possunt. Quare vna ex parte ex dictis in superioribus adnotationibus pende, quàm sit ex ipsa rei natura arduum regnum cœlorum obtinere, cùm
Matth. 7. 14. arcta sit via ducit ad vitam, Matth. 7. 14. at camelis hoc est, diuitibus huius sæculi qui terrenarum curarum sarcinas portant, non magis facile esse illuc euadere, quàm per foramen acus transire, Lucæ 18. 25. ex alia verò quàm facilè fuerit, Luc. 18. 25.
& expeditum absque vllo dolore siue sudore, sine vllo dignitatis, aut honoris discrimine, immò verò cum magna excellentiæ, & splendoris accessione eleemosynas facere, & in pauperes, & miserabiles beneficum ac liberalem esse. Certè Chrysostomus homil. 65. in Matthæum, cùm ad Chrysost.
æternam salutem obtinendam primùm omnium virtutum chorum pernecessarium esse, multis rationibus, ac testimoniis affirmasset; deindéque subiecisset, quamuis virtutis particulam prætermissam æternum animæ inferre detrimentum, atque iis insuper addidisset, non modò eam virtutis neglectam particulam cœlorum nobis ianuam occludere, verùm vt ea omnia adsint, si tamen id salutis negotium congruenti studio non suscipiatur; inde etiam exitium aduenire, hincque sic sub legentis persona sibi obiecisset: *Quænam igitur spes salutis nobis reliqua est?* ac rursus statim respondisset, *hoc ipsum est, quod etiam ego magna voce conclamo.* hanc tam ancipitem, támque nodosam salutis difficultatem eleemosynarum facilitate sic tandem dissoluit. *Verumtamen, si attendere voluerimus non est impossibile saluari. præsertim si eleemosynæ remedia muniemur.* Sic Chrysostom. Atque hinc quidem illa Domini ad plebem suam miseræ captiuitati iamiam tradendam, & in illius imagine ad homines multis peccatis irretitos nolentes illorum nexus eleemosynis facile dissoluere, seséque ab æterna damnatione redimere, emphatica allocutio. *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros manè transiens*. Osee 6. 4. quæ cùm de beneficentia in pau- Osee 6. 4.
peres ex Chaldæo, qui legit, *Benignitas vestra quasi nubes matutina*, accipiant S. August. & Theophylact. apud Riberam id probantem: dubius ibi quodammodo pro nostro captu, & quasi anceps consilij præ ea rei nouitate, quod à tantis malis, & ægritudinibus sese homines facili negotio redimere, & sanare nolint; induci Dominus videtur, ac si dixerit, vt inquit S. Cyrillus Alex. *cuius* S. Cyrill.
indulgentia, & auxilij modus excogitatus non est? & quid post hæc faciam? Decreueram quidem meam Alex.
iustitiam cum misericordia commutare; si tamen à vestra in meos pauperes mihi exhibita misericordia illicerer: at vos vestrummet iudicem, nec meritis, aut precibus vincere, nec pecunia saltem subornare vultis: nam si quando misericordiam & benignitatem in pauperes exercere incipitis, citò ipsa auaritiæ calore acescit, & à benefaciendo manum retrahitis. Vnde subiicit Dominus, *& iudicia tua quasi lux egredientur.* Hoc est, ideo rectissima aduersùs te pro caussæ meritis, & non pro mea benignitate sententia, & iudicia *iustificata in semetipsa* proferentur: id enim fuerit iu- Osee 6.
dicium, siue sententia cum Solis radiis composita; quasi vndequaque spectata, recta, & ad omnes iustitiæ numeros exacta: vbi tacitè innuit, se si eleemosynis demulceretur, non secus ac iudex, qui à reo muneribus corruptus in eius gratiam à iustitiæ tramite deflectit, iustitiam & leges fore mutaturum, & veritati misericordiam antelaturum. Sed id (nec nisi sano, & cauto modo accipiendum,) audi à Chrysostom. Chrysost.
apud Salazar in cap. 19. Prouerb. num. 63. *Iudex* Salaz.
noster per pauperes corrumpitur. Fac ergo per pauperis manum iudicis posticum pulses, etenim ille

munera

munera tua per eum accipit, & leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex iusto benignus efficitur; accipit, inquam, & veritati misericordiam anteponit, ac cum peccatorum lance pauperum manum contrà perpendit. Sic ille. Quò iuerit citata superiùs sapientis exhortatio, *Conclude eleemosynam in sinu* Eccl. 29. 15. S. Gaud. *pauperis, & ipsa pro te exorabit*, Ecclesiastici 29. 15. quam sic elucidat S. Gaudentius Brixiens. tractat. 13. de natali Domini tom. 2. Bibl. Vet. Patr. *hoc est, dixisse: vende patrimonium & eme patrocinium, cuius interuentu certus de impetrata venia venturum iudicem liber merearis accipere.* Benè illud, *eme patrocinium* optimum videlicet, firmissimum & valentissimum. Nam, vt iam dixi ex Nazianz. Chrysost. Nazianzen. *Auro loquente iners est omnis oratio.* Ita Chrysost. dicta hom. 9. de pœnitentia. *Tametsi multa habueris peccata, aduocatus eleemosyna est, ne timeas.*

3. Ingressus aliquando Synagogam Dominus, hominem manum dexteram aridam habentem Luc. 6. 6. Marci 3. 1. inuenit, Lucæ 6. 6. Marci 3. 1. vt egregius hic Adami, & cuiusuis peccatoris esset typus, quæ enim hæc manus fuerit, nisi illa *quam extendit Adam, & interdictæ arboris poma decerpsit* vt Ambros. ait Ambros. lib. 5. in Lucam cap. 23. dextera scilicet, quòd peccatis inseruiat, & iniustitiæ studeat, & ad iniquitatis opera extenditur, ad virtutis actiones arida, atque contracta. Dum verò ad eum curandum Dominus accessit, quæ illi ipsum applicuisse remedia, aut quibus verbis ad depellendum morbum vsum fuisse, existimas? His omnino. *Extende manum tuam*; subiiciunt verò Lucas, & Marcus, *& extendit & restituta est manus illi.* Quòd si nosse velis, quid hæc significent, respondet inibi Ambrosius, & Chrysol. Chrysologus sermon. 32. in manus extensione, eleemosynarum largitionem & pietatem adumbrari; quòd hæc ad omnia animæ vulnera generalis medicina sit: sic enim Ambrosius. Ambros. *Extende manum tuam, communis ista, generalisque medicina est: extende sæpiùs eam ad illum pauperem, qui te obsecrat, extende vt proximum iuues, vt viduæ præsidium feras, eripias iniuriæ, quem videas iniustæ contumeliæ subiacere.* Sed illud hoc in loco pendas velim, quàm facilis medicina difficili, per vetustóque morbo adhibeatur: *extende*, inquit, *manum tuam*: non sanguinis missionem, non amarum pharmacum, non adurens cauterium, sed rem tam facilem, ac est manus extensio, præscri- Chrysol. bens. Vnde Chrysolog. citato loco cùm dixisset: *citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, in eleemosynis porrigat.* subiicit sapienter & acutè, *sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.* ac si dicat; omnino inscius, & suæ salutis ignarus ille est, qui eleemosynæ medicinam non nouit; nihil scit, qui nescit eleemosynam pro animæ salute facere, cùm id omnium facilius, & expeditius remedium fuerit. Iam verò dum Christum peccatori, ac desperatæ valetudinis ægroto, siue multorum criminum reo præscribentem audis, *extende manum tuam*; quidni iudicem facinoroso cuipiam diuiti clanculum suggerentem, vt manum aperiat, nummósque sibi porrigat, consideres? Id autem quàm gratis ille auribus susciperet, quàm gratanter audiret, facile scilicet, & opportunissimum ad euadendam mortem remedium non dubitans.

4. Fuerit ille verò huic rei opportunissimus locus Lucæ 11. 39. vbi cùm Dominus scribis & Pharisæis grauiter infensus acri hac obiurgatione ver- Luc. 11. 39. berasset. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate*; hos statim tam desperatos ægros, tam noxios, & nocentes reos, si manum extenderint, sic benè sperare iubet. *Verum tamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* vbi obserua illud, *quod superest*; quod non est capiendum, ac si dicatur, quod facta rapinarum restitutione supersit, vt ait Lyra; nec vt alij, quod necessario victui, & vestitui superest, sed vt idem sit, ac quod reliquum iam est, siue quod vnicum iam vobis restat remedium, vt explicat Beda lib. 4. in Lucam, hunc in modum. *Quod tam multo scelere præoccupati estis, solum reme-* Beda. *dium restat, dare eleemosynam.* Diffundit verò id S. Laurét. Nouariens. hom. de eleemosyna tom. 2. S. Laur. Nouar. Biblioth. veter. Patr. hunc in modum. *Habes multa pericula? iaces auaritia perditus? deprauatus luxuria? derogasti? blasphemasti? quia pluribus sæpiùs mentitus es? plerúmque peierasti? his nequitiæ partibus alijsque similibus obruta est mens? conuulsa conscientia? Quid modo? nunquid desperandum est inter hæc? Non sic iubet Dominus, sed quid præcipit?* Facite, *inquit*, eleemosynam, & fiunt in vobis omnia munda. Sic ille. Dicis: Quid ergo? Num eleemosyna baptismus fuerit? quæ homines rapina & iniquitate plenos intrinsecus lauat & mundat? Non ausim equidem dicere eleemosynam baptismum esse, sed si illa Christi locutione subnixus, *omnia munda sunt vobis*; siue *in vobis*, vt legebat Laurentius, baptismi instar se habere, omnino peccata abluentis, atque mundantis fideiussores habebo Cyprianum & Ambrosium: ille si quidem lib. de Cyprian. opere, & eleemosynis hæc habet. *Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur; & quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua, & ingis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Audis? ô pulchram Chrysologi parænesim. *Nescit sanari, qui nescit* Chrysol. *pauperum fœnerari.* Quid enim fuisset homini facilius, aut expeditius quàm in multorum remissionem peccatorum, baptismum, si duplicari & repeti posset, sæpiùs suscipere? En ergo eleemosynam, quæ *baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Audi Ambros. serm. 30. de eleemosyna. *Quamuis ergo pollutus, quamuis multis cri-* Ambros. *minibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cepisti. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.* & rursus serm. 31. *ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum eleemosynis emundetur. Sicut ait Dominus:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; *nisi quòd salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* O homines optimo iam merito damnandos, qui pleni rapina, & iniquitate, eleemosynam, qua omnia illis munda fierent, facere contempserunt! Nisi fortè, quæ ipsorum insipientia fuerit, diuinæ Sapientiæ fidem non habent, ita quidem in hac rem de iis, qui vel morientes benignitate in pauperes non vtebantur, dicebat Saluianus Massiliens. lib. 4. ad Saluian. Eccles. Cathol. *Sed hæc tu, vt reor, friuola esse iudicas, & quasi somnia quædam, ac deliramenta contemnis: non enim credis Christum vera dixisse, & res probas nequaquam te ei credere. nam qui mandata eius nec in postremis facis, aut nulla esse omnino æstimas, aut falsa esse condemnas.* Ita ille.

Sunt

5. Ecclef. 3. 33. Sunt verò Christi verbis persimilia hæc Sapientis, satis opinor, trita: *Ignem ardentem extinguit aqua,& eleemosyna resistit peccatis*, siue (vt legit Ambros. præfato serm. 30.) *extinguit peccata*; vbi maximè probari videris quod dicebat Cyprianus, eleemosynam baptismi instar Dei indulgentiam largiri: Ambrosio præsertim, & S. Laurentio Nouariensi huius loci elucidatoribus. Et Ambros. quidem citato loco sic inquit. *Magna planè, & cunctis ambienda sententia, qua hominibus iam mortuis,& peccatorum suorum incendio arefactis rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, & interueniente eleemosyna sicut aqua intermortuis succus refrigerium arescentibus infundatur; hoc est, vt miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscant, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium; vt flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant.* Hæc Ambros. quæ, quid nisi baptismi instar se habere eleemosynam sonare dixeris? certè baptismum non aliter forsitan descripsisses. Sed simili etiam elegantia Laurentius. *Quam validus est* (inquit) *ignis quando ardet,& tamen validior est adhuc aqua, quæ ignem extinguit. Quid igitur peccatum? ignis habet vigorem, eleemosyna aqua habet liquorem: sic comparatum est, stat aqua contra ignem, stat eleemosyna contra peccatum: audisti, quid scriptum est:* Sicut ignē ardentem extinguit aqua, sic eleemosyna extinguit peccata. Sic Laurentius. Sed ad hanc Sapientis imaginem eleemosynam cum aqua peccatorum ignem extinguente componentem, duo quæso obserues: alterum, quam iustam, quámque felicem pecuniarum commutationem ille fecerit, qui vt peccatorum nexus soluat eleemosynas erogat; cùm priùs vt sese peccatis implicaret, pecunias effunderet: quanto enim iustiùs, quanto sapientiùs ad vitam potius, quàm in mortem nummos quis dederit? sed id sic pensitauit citato loco Ambros. *atque vtiliore commercio qui pecuniam quandam dederat, vt adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum.* optimè, quidquid reclamet Seneca epist. 27. *Bona mens non commodatur, nec emitur.* licèt illud verius quàm æquum esset, adiiciat: *& puto si venalis esset, non haberet emptorem, at mala quotidie emitur.* Videris enim passim homines pecunias erogantes, vt adulteria perpetrent; rariùs verò, vt adulteri esse desinant. Iam alterum in Sapientis verbis obserua ex Saluiano Massiliensi: is enim lib. 1. ad Eccles. Cathol. cùm ex illa Iacobi Apostoli præmonitione cap. 5. 1. *Agite nunc diuites plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum æruginauit,& ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducauit carnes vestras sicut ignis*, optimè eruisset, diuitias, nisi in bonos vsus expendantur, ignem esse, qui animas modò, post modum,& animas & corpora æternum exurat; hinc eleemosynarum felicitatem, mirámque efficaciam expendit, quæ hunc ignem exurentem, omniáque consumentem in aquam salutarem, viuificúmque rorem conuertit: sic enim ibi dum diuites ad perennes eleemosynas faciendas vrget. *Dura fortasse aliquis putat esse, quæ dico: dura planè, dura existimentur, nisi talia sint, vt in comparatione Apostolicæ seueritatis mollia ac remissa videantur. Apostolus enim ad planctum diuites vocat, nos ad remedium. Apostolus diuitias, ignem nominat, nos facere ex diuitiis aquas cupimus ignem extinguentes, secundum illud*, Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. *Apostolus in diuitiis male conseruatis damnationem esse testatur: ego ex his, quæ dicit ille, mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare.* Hæc Saluianus. Videris hinc diuitem illum auarum, & immisericordem plorantem,& vlulantem in miseriis suis, quòd diuitiæ illius, quas in pauperum vsum erogare noluit, ignem inextinguibilem carnes illius, & animum atrociter vrentem, & depascentem produxerint: vnde notanter ait, *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, Lucæ 16. 24. *Crucior* (inquit) *in hac flamma.* Sed quare? Quia videlicet diuitiarum ignem eleemosynarum aqua minimè extinxerat; ideo linguæ refrigerium, & signatè quidem aquam petiisse obserua. Quid? inibi solummodo cruciabatur, & non potiùs totus ardebat? bene certè Augustinus serm. 212. de tempore: *ea tunica ardebat, qua se spoliare non poterat.* At enim linguæ ardentis, & excruciatæ singillatim mentionem fecit, vt cruciatus causam, denegatam scilicet pauperi misericordiam, ostenderet. Audi Chrysolog. serm. 122. eum eo sic verba miscentem. *Certè si te iam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subueniri? Nisi quia cùm pectus tuum anhelat flammâ sui criminis, & reatus, magis lingua vritur, ardet, æstuat, quæ insultauit pauperi, quæ misericordiam denegauit: hæc præcedit ad iudicium.* Viget ergo in misericordi lingua supplicium: euomit in illam ignem suum auarus animus, infelix diuitiarum custos: & linguæ refrigerium serò miser quærit, qui diuitiarum,& peccatorum ignem, eleemosynarum aqua potuit olim extinguere.

Margin notes: Ambros. — Idem. — Laurent. — Ambros. — Seneca. — Saluianus. — Iacob. 5. 1. — Luca 16. 24. — August. — Chrysol.

6. En quàm fuerit verum, quod dicebat Damascenus, solam in die iudicii auaritiam condemnare, quod miseri illi, suæ salutis,& medicinæ omnino ignari nescierint sanari, nescientes pauperi fœnerari. At enim verò tam illa, quàm hæc quæ modò diximus plus explicanda sunt; adeò enim propositam præcedenti adnotatione dubitationem non soluimus, vt ipsam magis premere, nósque intricare videamur; quid enim fuerit, eleemosynam omnium criminum redemptionem esse? vt dicebat Ambrosius. Num, vt verbis vtar Saluiani lib. 1. ad Ecclesiam, ideo quis *euasurum se putet, non quia bonus, sed quia diues sit; quasi verò Deus non vitam quærat hominum, sed pecuniam atque cunctis malorum redimendorum spe malè agentibus accipere solos pro criminibus nummos velit, & corruptorum iudicum more argentum exigat, vt peccata vendat?* Quóve modo vnica omnium ægritudinum medicina, atque remedium dicatur? vt instar baptismi peccata omnimodo mundantis sit? Quid? an si ingentes quis eleemosynas dederit; peccatorum verò non pœniteat, iustus, aut saluus fuerit? *An verò* (sic Beda in prædictum Lucæ locum) *quod ait:* Date eleemosynam,& ecce omnia munda sunt vobis; *ita intellecturi sumus, vt Pharisæi non habentibus fidem Christi, etiam si in eum non crediderint, nec renati fuerint ex aqua, & Spiritu sancto, munda sint omnia, tantum si eleemosynas dederint?* Potéstne eleemosyna animam mundare, nisi omnia etiam peccata remittat? Non opinor. Quo ergo sensu hucusque dicta subsistant? Respondeo cum Beda, & Bonauentura, apud Maldonatum in ea Lucæ ver

Margin notes: Saluianus. — Beda. — Bonauent.

munera tua per eum accipit, & leges adulterat. Accipit, inquam, atque ex iusto benignus efficitur; accipit, inquam, & veritati misericordiam anteponit, ac cum peccatorum lance pauperum manum contrà perpendit. Sic ille. Quò iuerit citata superiùs sapientis exhortatio, *Conclude eleemosynam in sinu* Eccl.9 215. *pauperis, & ipsa pro te exorabit*, Ecclesiastici 29. S.Gaud. 15. quam sic elucidat S. Gaudentius Brixiens. tractat. 13. de natali Domini tom. 2. Bibl. Vet. Patr. *hoc est, dixisse: vende patrimonium, & eme patrocinium, cuius interuentu certus de impetrata venia venturum iudicem liber merearis accipere.* Benè illud, *eme patrocinium* optimum videlicet, firmissimum & valentissimum. Nam, vt iam dixi ex Nazianz. Nazianzen. *Auro loquente iners est omnis oratio.* Chrysost. Ita Chrysost. dicta hom. 9. de pœnitentia. *Tametsi multa habueris peccata, aduocatus eleemosyna est, ne timeas.*

3. Ingressus aliquando Synagogam Dominus, hominem manum dexteram aridam habentem Luc. 6 6. inuenit, Lucæ 6. 6. Marci 3. 1. vt egregius hic Marci 3.1. Adami, & cuiusuis peccatoris esset typus, quæ enim hæc manus fuerit, nisi illa *quam extendit Adam, & interdictæ arboris poma decerpsit*: vt Ambros. ait Ambros. lib. 5. in Lucam cap. 23. dextera scilicet, quòd peccatis inseruiat, & iniustitiæ studeat, & ad iniquitatis opera extenditur, ad virtutis actiones arida, atque contracta. Dum verò ad eum curandum Dominus accessit, quæ illi ipsum applicuisse remedia, aut quibus verbis ad depellendum morbum vsum fuisse, existimas? His omnino. *Extende manum tuam*; subiiciunt verò Lucas, & Marcus, *& extendit & restituta est manus illi.* Quòd si nosse velis, quid hæc significent, respondet inibi Ambrosius, & Chrysol. Chrysologus sermon. 32. in manus extensione, eleemosynarum largitionem & pietatem adumbrari; quòd hæc ad omnia animæ vulnera gene-Ambros. ralis medicina sit: sic enim Ambrosius. *Extende manum tuam, communis ista, generalisque medicina est: extende sæpius eam ad illum pauperem, qui te obsecrat, extende vt proximum iuues, vt viduæ præsidium feras, eripias iniuriæ, quem videas iniustæ contumeliæ subiacere.* Sed illud hoc in loco pendas velim, quàm facilis medicina difficili, per vetustóque morbo adhibeatur: *extende*, inquit, *manum tuam*: non sanguinis missionem, non amarum pharmacum, non adurens cauterium, sed rem tam facilem, ac est manus extensio, præscri-Chrysol. bens. Vnde Chrysolog. citato loco eùm dixisset: *citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in misericordia, in eleemosynis porrigat.* subiicit sapienter & acutè, *sanari nescit, qui nescit pauperi fœnerari.* ac si dicat; omnino inscius, & suæ salutis ignarus ille est, qui eleemosynæ medicinam non nouit; nihil scit, qui nescit eleemosynam pro animæ salute facere, cùm id omnium facilius, & expeditius remedium fuerit. Iam verò dum Christum peccatori, ac desperatæ valetudinis ægroto, siue multorum criminum reo præscribentem audis, *extende manum tuam*; quidni iudicem facinoroso cuipiam diuiti clanculum suggerentem, vt manum aperiat, nummósque sibi porrigat, consideres? Id autem quàm gratis ille auribus susciperet, quàm gratanter audiret, facile scilicet, & opportunissimum ad euadendam mortem remedium non dubitans.

4. Fuerit ille verò huic rei opportunissimus locus Lucæ 11. 39. vbi cùm Dominus scribis & Pharisæis grauiter infensus acri hac obiurgatione ver-Luc.11.39. berasset. *Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, & iniquitate*; hos statim tam desperatos ægros, tam noxios, & nocentes reos, si manum extenderint, sic benè sperare iubet. *Verum tamen quod superest date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* vbi obserua illud, *quod superest*; quod non est capiẽdum, ac si dicatur, quod facta rapinarum restitutione supersit, vt ait Lyra; nec vt alij, quod necessario victui, & vestitui superest, sed vt idem sit, ac quod reliquum iam est, siue quod vnicum iam vobis restat remedium, vt explicat Beda lib. 4. in Lucam, hunc in modum. Beda. *Quod tam multo scelere praeoccupati estis, solum remedium restat, dare eleemosynam.* Diffundit verò id S. Laur. S. Laurẽt. Nouatiens. hom. de eleemosyna tom. 2. Nouar. Biblioth. veter. Patr. hunc in modum. *Habes multa pericula? es auaritia perditus? deprauatus luxuria? derogasti? blasphemasti? quia pluribus sæpiùs mentitus es? plerúmque peierasti? his nequitiæ partibus aliisque similibus obruta est mens? conuulsa conscientia? Quid modo? nunquid desperandum est inter hæc? Non sic iubet Dominus, sed quid præcipit?* Facite, *inquit*, eleemosynam, & fiunt in vobis omnia munda. Sic ille. Dicis: Quid ergo? Num eleemosyna baptismus fuerit? quæ homines rapina & iniquitate plenos intrinsecus lauat & mundat? Non ausim equidem dicere eleemosynam baptismum esse, sed si illa Christi locutione subnixus, *omnia munda sunt vobis*; siue *in vobis*, vt legebat Laurentius, baptismi instar se habere, omnino peccata abluentis, atque mundantis fideiussores habebo Cyprianum & Ambrosium: ille si quidem lib. de Cyprian. opere, & eleemosynis hæc habet. *Sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur; & quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua, & iugis operatio baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Audis? ô pulchram Chrysologi parænesim. *Nescit sanari, qui nescit* Chrysol. *pauperum fœnerari.* Quid enim fuisset homini facilius, aut expeditius quàm in multorum remissionem peccatorum, baptismum. si duplicari & repeti posset, sæpiùs suscipere? En ergo eleemosynam, quæ *baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur.* Audi Ambros. serm. 30. de eleemosyna. *Quamuis ergo pollutus, quamuis multis cri-* Ambros. *minibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse cepisti. Vide ergo quæ sit misericordiæ gratia, quæ vna & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.* & rursus serm. 31. *ergo eleemosyna quodammodo animarum aliud est lauacrum, vt si quis fortè post Baptismum humana fragilitate deliquerit, supersit ei, vt iterum eleemosynis emundetur. Sicut ait Dominus:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; *nisi quòd salua fide dixerim, indulgentior est eleemosyna, quàm lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel veniam pollicetur, eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* O homines optimo iam merito damnandos, qui pleni rapina, & iniquitate, eleemosynam, qua omnia illis munda fierent, facere contempserunt! Nisi fortè, quæ ipsorum insipientia fuerit, diuinæ Sapientiæ fidem non habent, ita quidem in hac rem de iis, qui vel morientes benignitate in pauperes non vtebantur, dicebat Saluianus Massiliens. lib. 4. ad Saluian. Eccles. Cathol. *Sed hæc tu, vt reor, friuola esse iudicas, & quasi somnia quædam; ac deliramenta contemnis: non enim credis Christum vera dixisse, & res probas nequaquam te ei credere. nam qui mandata eius nec in postremis facis, aut nulla esse omnino æstimas, aut falsa esse condemnas.* Ita ille.

Sunt

5. Sunt verò Christi verbis persimilia hæc Sa-
Eccles. 3. 33. pientis, satis opinor, trita: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*, siue (vt le-
Ambros. git Ambros. præfato serm. 30.) *extinguit peccata*; vbi maximè probari videris quod dicebat Cyprianus, eleemosynam baptismi instar Dei indulgentiam largiri: Ambrosio præsertim, & S. Laurentio Nouariensi huius loci elucidatoribus. Et
Idem. Ambros. quidem citato loco sic inquit. *Magna planè, & cunctis ambienda sententia, quæ hominibus iam mortuis, & peccatorum suorum incendio arefactis rediuiuum quoddam beneficium pollicetur, & interueniente eleemosyna sicut aqua intermortuis succus refrigerium arescentibus infundatur; hoc est, vt miseri homines, qui in mortem peccatis aruerant, ad vitam eleemosynis reuiuiscant, sitque illis misericordia fons salutis, quibus auaritia fuerat mortis incendium; vt flammas, quas sibi peccando incenderant, largiendo restinguant.* Hæc Ambros. quæ, quid nisi baptismi instar se habere eleemosynam sonare dixeris? certè baptismum non aliter forsitan descripsisses.
Laurent. Sed simili etiam elegantia Laurentius. *Quam validus est* (inquit) *ignis quando ardet, & tamen validior est adhuc aqua, quæ ignem extinguit. Quid igitur peccatum? ignis habet vigorem, eleemosyna aqua habet liquorem: sic comparatum est, stat aqua contra ignem, stat eleemosyna contra peccatum: audisti quid scriptum est:* Sicut ignẽ ardentem extinguit aqua, sic eleemosyna extinguit peccata. Sic Laurentius. Sed ad hanc Sapientis imaginem eleemosynam cum aqua peccatorum ignem extinguente componentem, duo quæso obserues: alterum, quam iustam, quámque felicem pecuniarum commutationem ille fecerit, qui vt peccatorum nexus soluat eleemosynas erogat; cùm priùs vt sese peccatis implicaret, pecunias effunderet: quanto enim iustiùs, quanto sapientiùs ad vitam potius, quàm in mortem nummos quis dederit?
Ambros. sed id sic pensitauit citato loco Ambros. *atque vtiliore commercio qui pecuniam quandam dederat, vt adulterium perpetraret, nunc pecuniam eroget, vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum.*
Seneca. optimè, quidquid reclamet Seneca epist. 27. *Bona mens non commodatur, nec emitur.* licèt illud verius quàm æquum esset, adiiciat: *& puto si venalis esset, non haberet emptorem, at mala quotidie emitur.* Videris enim passim homines pecunias erogantes, vt adulteria perpetrent; rariùs verò, vt adulteri esse desinant. Iam alterum in Sapientis ver-
Saluianus. bis obserua ex Saluiano Massiliensi: is enim lib. 1. ad Eccles. Cathol. cùm ex illa Iacobi Apostoli
Iacob. 5. 1. præmonitione cap. 5. 1. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducauit carnes vestras sicut ignis*, optimè eruisset, diuitias, nisi in bonos vsus expendantur, ignem esse, qui animas modò, post modum, & animas & corpora æternum exurat; hinc eleemosynarum felicitatem, mirámque efficaciam expendit, quæ hunc ignem exurentem, omniáque consumentem in aquam salutarem, viuificúmque rorem conuertit: sic enim ibi dum diuites ad perennes eleemosynas faciendas vrget. *Dura fortasse aliquis putat esse, quæ dico: dura planè, dura existimentur, nisi talia sint, vt in comparatione Apostolicæ seueritatis mollia ac remissa videantur. Apostolus enim ad planctum diuites vocat, nos ad remedium. Apostolus diuitias, ignem nominat, nos facere ex diuitiis aquas cupimus ignem extinguentes, secundum illud*, Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. *Apostolus in diuitiis malè conseruatis damnationem esse testatur: ego ex his, quæ dicit ille, mortem æternam omnibus facere, vitam opto perpetuam comparare.* Hæc Saluianus. Videris hinc diuitem illum auarum, & immisericordem plorantem, & vlulantem in miseriis suis, quòd diuitiæ illius, quas in pauperum vsum erogare noluit, ignem inextinguibilem carnes illius, & animum atrociter vrentem, & depascentem produxerint: vnde notanter ait, *Pater Abraham* Luca 16. 24.
miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, Lucæ 16. 24. *Crucior* (inquit) *in hac flamma*. Sed quare? Quia videlicet diuitiarum ignem eleemosynarum aqua minimè extinxerat; ideo linguæ refrigerium, & signatè quidem aquam petiisse obserua. Quid? inibi solummodo cruciabatur, & non potiùs totus ardebat? bene certè Augustinus serm. 212. de tempore: *ea tunica ardebat, qua se spoliare non poterat.* At August.
enim linguæ ardentis, & excruciatæ singillatim mentionem fecit, vt cruciatus causam, denegatam scilicet pauperi misericordiam, ostenderet. Audi Chrysolog. serm. 122. cum eo sic verba miscentem. *Certè si te iam possidet totus ignis inferni, si te gehennæ flamma complectitur, quare solius* Chrysol.
linguæ æstibus desideras subueniri? Nisi quia cùm pectus tuum anhelat flammâ sui criminis, & reatus, magis lingua vritur, ardet, æstuat, quæ insultauit pauperi, quæ misericordiam denegauit: hæc præcedit ad iudicium. Viget ergo in misericordi lingua supplicium: euomit in illam ignem suum auarus animus, infelix diuitiarum custos: & linguæ refrigerium serò miser quærit, qui diuitiarum, & peccatorum ignem, eleemosynarum aqua potuit olim extinguere.

En quàm fuerit verum, quod dicebat Damascenus, solam in die iudicii auaritiam condemnare, quod miseri illi, suæ salutis, & medicinæ omnino ignari nescierint sanari, nescientes pauperi fœnerari. At enim verò tam illa, quàm hæc quæ modò diximus plus explicanda sunt; adeò enim propositam præcedenti adnotatione dubitationem non soluimus, vt ipsam magis premere, nósque intricare videamur; quid enim fuerit, eleemosynam omnium criminum redemptionem esse? vt dicebat Ambrosius. Num, vt verbis vtar Saluiani lib. 1. ad Ecclesiam, ideo quis *euasurum se putet, non quia bonus, sed quia diues sit; quasi verò Deus non vitam quærat hominum, sed pecuniam atque cunctis malorum redimendorum spe malè agentibus accipere solos pro criminibus nummos velit, & corruptorum iudicum more argentum exigat, vt peccata vendat?* Quóve modo vnica omnium ægritudinum medicina, atque remedium dicatur? vt instar baptismi peccata omnimodo mundantis sit? Quid? an si ingentes quis eleemosynas dederit; peccatorum verò non pœniteat, iustus, aut saluus fuerit? *An verò* (sic Beda in prædictum Lucæ locum) *quod ait:* Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis; *ita intellecturi sumus, vt Pharisæis non habentibus fidem Christi, etiam si in eum non crediderint, nec renati fuerint ex aqua, & Spiritu sancto, munda sint omnia, tantùm si eleemosynas dederint?* Potéstne eleemosyna animam mundare, nisi omnia etiam peccata remittat? Non opinor. Quo ergo sensu huc usque dicta subsistant? Respondeo cum Beda, & Bonauentura, apud Maldonatum in ea Lucæ
6.
Saluianus.
Beda.
Bonauent.
ver-

Maldon. verba n. 40. ideo dici eleemosynam peccata remittere, redimere, mundare, quòd ad remissionem, & munditiam mirificè disponat, & ad mouendam diuinam misericordiam peculiariter ac alia virtutum opera viam præmuniat; vnde Saluianus. Saluian. lib. 1. ad Ecclesiam, tractans verba Daniel. 4.14. *Peccata tua eleemosynis redime*, sapienter ait. Dan. 4.14. *Per hæc ipsa, quæ dicit debere fieri, non tam ei veniæ securitatem, quam viam inquirendæ salutis ostendit.* At enim verò habet id proprium eleemosyna, vt tanquam humanos iudices munera ita Deum ad misericordiam præstandam mirificè flectat, atque illiciat; & si fas fuisset dicere, illum non tam ignarum, quàm scientem, & volentem fallat, & ad dandam veniam quasi insensibiliter pertrahat: sic Christo triumphatori, & regia pompa ac maiestate Hierosolymitanam vrbem ingredienti discipuli ramos oliuarum in via notanter sterne- Matth. 21.8. bant. nam quod Matthæus cap. 21.8. ait: *alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*, non dubium quin de arboribus oliuarum, quibus mons Oliueti (de quo inibi sermo fit) consitus erat, capiendum sit. Vt videlicet à misericordia ad veniendum alliceretur: vnde verba Matthæi premens Venerab. Drogo, de Domin. Drogo. Passion. Sacram. dicebat. *Egredere cum pueris Hebræis, qui transeunt simpliciter in occursum Domini, sterne in via ramos oliuarum, & opera misericordiæ pedibus eius accommodes*; nimirum vt ille pro misericordia misericordiam referat. Habet verò peculiarem vim is dicendi modus, *opera misericordiæ pedibus eius accommodes.* Nec omnino abs re dixeris, imaginem esse desumptam ab aucupibus aues fallentibus, dum quam illis ante laqueos, & pedicas parant viam, sparsis tritici granis adornant, vt illæ esca illice ad retia perueniant; sanè quasi ab operibus misericordiæ illiciantur Christi pedes, vt ipse misericors, & indulgens animæ peccatrici affulgeat, & veram illi tribuat pœnitentiam. Ita quidem bonus ille Zachæus vt interiori animæ hospitio Christum susciperet, ab eóque audire mereretur, *Hodie salus huic domui facta est*, copiosam pauperibus eleemosynam distribuere cogitauit, id sic expendente Chrysosto- Chrysost. mo homil. 84. in Matth. *Non curriculo ad vicinos contendit mensas, sedes subsellia petens eburnea, nec extraxit è loculis Laconica quædam mensarum velamina, sed ornatu Christo gratissimo decorauit. Quod porrò istud,* Dimidium bonorum meorum do pau- Lucæ 19.8. peribus, Lucæ 19.8. *Sic & nos domus nostras exornemus, vt Christum suscipere mereamur.*

8. Et verò, vt alia quoque virtutum opera, quæ à peccatore fiunt, ad misericordiam, & gratiam à Domino obtinendam, quæ illius bonitas atque benignitas est, de congruo, vt aiunt Theologi, viam præmuniant, & dispositiuè se habeant; nec, si Theologica id trutina ponderetur, plus aliquid eleemosynarum largitioni possimus tribuere; at nescio qua ratione adeò firmas in hac re partes eleemosynæ deferunt Scripturæ, ac Patres, vt strictiori ipsa iure cum Deo agere quodammodo videatur, quasi ab ipso fidem, qua se obstrinxit, & appensos pro animæ redemptione nummos tanquam pretium persolutum exigens. Quod si vrgere velis, possis huc signatè referre quod præced. adnot. n. 1. satis confirmauimus, eleemosynam in Scripturis iustitiam appellari, signatè verò hoc sensu, Danielem Babylonium Dan. 4.24. regem, vt Hebræa lect. habet, admonuisse, *Peccata tua iustitia redime*; quasi iustum in eleemosynis pro peccatis pretium persolueret; & sub-

inde iustitiæ actione cum Deo iudice posset agere, vt è iusto benignus fieret: sed vnde quæso id ius, siue iustitiæ in Deum actio eleemosynæ insit? num quòd circa pecuniam versetur? & nummos Deo in paupere numeret? quasi ipse, vt dicebat Saluianus, *more corruptorum iudicum argentum exigat, vt peccata vendat*? Minimè, sed in primis, quòd Deus, vt superiùs non semel diximus, chirographarius sit debitor, qui quæcumque pauperibus erogantur, sibi accepta ferat, vnde ad fores suas pulsanti, gratiæque panes enixè petenti minimè potuit obsistere, quin illi daret *quotquot haberet necessarios*, Lucæ 11.7. sic in pendente Lucæ 11.7.
Chrysologo serm. 39. *Non potuit non impetrare* Chrysol.
quod voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitem reficeret, totam sibi requiem denegauit. Aut quomodo sic petenti, sic pulsanti non responderet ille, qui se in hospite suscipi confitetur, cùm dicit, Hospes fui, & suscepistis me. Sic Chrysologus. Quod quidem si plusculum premere velis, adiice, id peculiariter à Idem.
Deo benignissimo pauperum Patre fuisse excogitatum, vt in ipsorum gratiam regnum suum eleemosynam facientibus diuẽdat; eodem Chrysologo obseruante serm. 41. vbi cùm dixisset: *Homo da Deo quod vult, si vis tibi à Deo dari quod vis.* Misericordiam volo, *Dei vox est*, Oseæ 6.6. *Deus à nobis misericordiam petit, & si dederimus* Oseæ 6.6.
quid dicturus est? esuriui, & dedisti mihi manducare. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, subiicit: *Amore pauperis Deus suum regnum vendit, & vt emere illud omnis homo possit, fragmentum panis in pretium, quia vult habere omnes, qui tantum petit pretij, quantum hominem scit habere.* Sic ille:

Deinde ea huius rei succurrit nobis ratio quòd 9.
suam Dominus in misericorde imaginem peculiariter agnoscat, ac proinde manum illi signatè porrigere, atque opem ferre, æquitatis iure teneatur: vt enim aliæ virtutis actiones nummi etiam quodammodo sint, qui diuinam pietatem ad gratiæ suæ dona peccatoribus danda propendentem, aliquando, (de congruo vt iam dixi) coëmant; at vt vilioris metalli, ita minoris pretij esse censentur; eleemosynæ verò, in qua diuina relucet imago, vt excellentiori monetæ maior quidem æstimatio, & ad inflectendam, promerendámque Dei bonitatem efficacior vis, & meritum inesse videtur. Ita notanter inquit Salomon Prouerb. 13.8. *Redemptio animæ viri; diuitiæ suæ.* Prou. 13.8.
vbi Theodozion, Aquila, & Symmachus habent, Theodoz.
propitiatio animæ, quasi exprimatur illa Pauli sen- Aquila.
tentia toties repetita, *talibus enim hostijs promere-* Symmac.
tur Deus. Sed maius quidem pondus, & acumen phrasi *redemptionis* inest: ea siquidem innuitur, animam ingenti aliàs debito obstrictam, eleemosyna quasi iusta compensatione in libertatem asseri; id sic affirmante, & expendente Ambrosio in epistola ad Iustum, quæ pro Exodi commentario apponi solet in codicibus nouiter excussis. *Quare drachmam, redemptionem animæ tuæ, quam qui amiserit, turbatur; qui inuenerit, exultat. Est & redemptio animæ misericordia.* Redemptio *enim* animæ hominis diuitiæ eius sunt, *quibus vtique fit misericordia, qua sumptu pauperes iuuat.* & statim: *Misericordia redemptio est animæ, qua drachma, hoc est, integro pretio summæ plenioris expenditur.* Pende singula, accuratè ab Ambrosio scripta, signatè verò hæc extrema, *qua drachma, hoc est, integro* Ambros.
pretio. &c. plurimum enim illis arcanæ venustatis subest; nam & eleemosynas iustum pretium ad redimendam animam faciunt, simúlque cur illis

tanta

tanta vis insit, rationem reddunt. Sed drachmam appendere atque expendere fuerit operæ pretium, & quid in ex eodem Ambrosio ibi, & lib. 5. in Lucam obserua, in hac drachma imaginem Principis, hoc est, Dei elucere, sic enim ille in Lucam, *in drachma Principis figura est*; in Exodum verò, *in denario imago Cæsaris est, in drachma Dei.* Meritò ergo eleemosynæ tanta vis, tantumque pretium inest, vt iusta redemptio animæ, integro pretio appensa, atque expensa censeatur, quod drachma sit in qua Dei imago splendet; nec possit Deus imaginem suam pro animæ redemptione oblatam repellere. Nimirum, & in anima imago Dei; & in eleemosyna imago etiam Dei; vnde imago pro imagine, hoc est, eleemosyna pro anima, iusta compensatione datur; atque hæc integro pretio, vt ait Ambros. redimitur. Nec caussatur sæpiùs monere, fidelibus auribus accipienda, & cauris vocibus populo ingerenda hæc esse, ne in placidissimo pietatis & eleemosynarum pelago, siue qui docet, siue qui audit, naufragium faciant. Addiderim verò in hanc rem ea stulto illi diuiti horrea sua ob felicissimos anni prouentus ampliare, & dilatare proponenti, & de eleemosynis faciendis nihil co-
Lucæ 12. 20. gitanti horrentia à Deo facta verba: *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te.* Lucæ 12. 20. vbi magna emphasi dicitur, *repetent.* sanè quasi rem debito alicui obstrictam, siue oppignoratam; nec pretio redemptam, vt illi notanter innueretur iustissimo iudicio illius animam peccatorum nexibus obligatam, & eorum pœnis obstrictam ab eo repeti; quod cùm ditissimus esset, de ea eleemosynis redimenda non ageret, immò nouas in futurum spes auaritiæ suæ pararet. Additum verò illi peropportunè fuit, *& quæ parasti cuius erunt*: vt eius stultitia vndique appareret, ac irrideretur, cùm & animam, & illius pretium æquè perdidisset: nam, vt Petrus Chrysologus citato serm. 41. ad finem scitè, atque sapien-
Chrysol. ter admonebat, *Homo dando pauperi das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis.* Sic ille.

10. Iam verò vt adnotationis titulo satisfaciam, age, videamus, quomodo eleemosyna firmissimus baculus fuerit, qui fragilem hominis animum in peccata propendentem, immo nutantem, atque labentem sustineat, & firmet. Quò quidem faciunt perplures Sapientis admonitiones; sic enim
Eccles. 17. 18. primùm Ecclesiast. 17. 18. *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit*; tutissimo scilicet præsidio illum muniens. nam id pupillæ natura, atque conditio exigit (vide quæ diximus ad caput primum vers. 10. adnot. 2. numero 6.) subiicit cap. 29.
Eccles. 29. 16. 16. Ecclesiasticus. *Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit*; vbi benè Nicolaus de Lyra. *Aduersus diabolum pugnabit te protegendo in eius tentationibus, & etiam ipsum per victoriam repellendo.* est & hæc è phare-
Eccles. 3. 33. tra Ecclesiastici cap. 3. 33. parænesis, vt iam vidimus, *ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus prospector est eius, qui reddit gratiam, meminit eius in posterum, & in tempore casus sui inueniet firmamentum.* Ad quæ cum primis preme phrasim resistendi, præsertim imagini aquæ, cum qua eleemosyna componitur, adiunctam: sanè quasi opportunissimus clypeus fuerit ad ignita diaboli tela repellenda, id sic adnotante in hæc Sapientis verba S. Gaudentio Bri-

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

xiensi serm. 13. tom. 2. Bibliothec. veter. Patr.
Contrarium nostrum contra iura carnis est, cupiditatum pecuniæ, contra animi iracundiam. quæ sunt arma diaboli, quibus resistendum est vtique galea fidei, lorica continentiæ, misericordiæ clypeo, in quo S.Gaudent.
possimus, vt ait *Apostolus ad Ephesios 6. 16.* omnia iacula inimici cadentia extinguere: *etenim* Ad Ephes. 6. 16.
sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna resistit peccato. Sic Gaudent. vt videris non secus ac aquam igni, eleemosynam ardentibus carnis & cupiditatum affectionibus, & lapsibus è diametro opponi, atque resistere: quasi proprium id munus operum misericordiæ fuerit; atque hunc illa signatè effectum sortiantur, vt vberiora auxilia, quibus tentationes superentur, à Deo impetrent. vti egregiis, & maximè adnotandis his verbis monuit Augustinus in vltima clausula capitis vltimi libri de catechizandis rudibus. *Opera misericordiæ cum pia humilitate im-* August.
petrant a Domino, vt non permittat seruos suos tentari plus quam possint sustinere. id est, non tentari ad ruinam, sed ad coronam. Quare obserua subinde in Sapientis verbis, *& in tempore casus inueniet firmamentum*; Dei scilicet manum opem porrigentem, seque misericordi dantem in firmissimum baculum, cui innitatur, ne cadat. Vnde Chrysologus huic rei intentissimus dicebat serm.
41. *Sed qui intrat carnis pelagus, scindit vitiorum* Chrysol.
fluctus, inter scopulos criminum transit, praterit littora passionum: nisi citò portum pietatis intrauerit, exercere virtutes non potest, lucrum non potest habere virtutum. Qui se stare nouit in huius vitæ lubrico, qui se intelligit carnis viam transire per lapsum, qui se sentit incursionibus ignorantiæ, negligentiæ casibus subiacere, sic ieiunium teneat, vt misericordiam non relinquat. Planè quòd ipsa in lubrico baculus, & firmamentum sit.

Quòd si diabolum non tam iacula mittentem, 2.
quàm tecum colluctantem consideras, Aposto-
lo dicente: *Non est nobis colluctatio aduersus car-* Ad Ephes. 6. 12.
nem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, ad Ephes. 6. 12. scito pugili, ac luctatori, nihil melius, aut opportunius esse, quàm oleo perungi, vt aduersarij manus effugiat, eiúsque vires ac conatus eludat; vt in hanc
rem sic obseruauit Chrysostom. hom. 65. in Mat- Chrysost.
thæum. *Non enim sic oleum corpus hominis roborat, vt animum misericordia stabilit, adeóque confirmat, vt superari à diabolo nequeat; lubricum enim eleemosynæ oleum corpus hominis constituit, ita vt manus diaboli facile propter lubricitatem fugiat. Hoc igitur oleo crebrò nos perungamus: hoc spiritualis caussa est sanitatis, hoc lucem, hoc splendorem animo afferre solet.* Hæc Chrysostom. Hinc denuo illa subsistit Damasceni ratio, cuius occasione
hanc adnotationem confecimus, *sola misericor-* Damasc.
dia liberabit, sola auaritia condemnabit; cùm in iis, qui ex aliis virtutibus iusti, & salui quodammodo esse videbantur, hos iustitiæ flores, siue fructus, auaritiæ malum extinxerit; dum illi misericordiæ rore non irrigati paulatim arefiant, & emoriantur, vnde meritò totam tandem salutis rem occisam dixeris. vide dicta adnotat. præced. n. 2. & adde modò nouam Chrysostomi rationem homil. 11. in epistol. ad Thessalonicenses, nam cùm in hanc rem ad illa Pauli verba, *spiritum nolite extinguere*, 1. ad
Thessalonicens. 5. 19. dixisset. *Ne ergo eum ex-* Chrysost. 1. ad Thess. 5. 19.
tinguamus: sæpe autem contingit, vt etsi nihil irrumpat, extinguatur flamma, cùm defecerit oleum;

subiicit. *Quando eleemosynam non facimus, extinguitur spiritus; etenim ad te venit à Deo eleemosyna, & misericordia. Deinde videt apud te non esse hunc fructum, & non manet apud te immisericordem. Extincto autem spiritu, reliqua scitis, qui ambulatis in nocte, in qua non lucet Luna.* Sic ille. Et quidem satis ad mentem Vatis, qui cùm fiduciam quam de Dei in res suas prouidentia animosè prædicaret, inquiens, *& retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius*, Psal. 17. 27. huius retributionis causam, atque rationem, Deum allocutus, sic reddit. *Cum sancto sanctus eris*; vbi Hebræum vocabulum propriè sonat benignum, siue beneficium; quare Vatablus & alij bene reddunt: *Cum misericorde misericors eris.* & eodem sensu Caietanus. *Cum gratioso gratiosè ages.* Vnde opportunissimè subdit. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* ac si diceret; cùm moris mei sit, misericorditer cum miseris agere, & eleemosynarum oleum in illos transfundere; non immeritò à Deo misericorde, suæ benignitatis, & eleemosynæ oleum, quo meæ animæ lucernam illuminet, expectauerim. Pergit: *Quoniam in te eripiar à tentatione*, &c. Pergit & Chrysostom. contrariam thesim persequens. *Si autem via, quæ fert a terra in terram, noctu est ire difficile, quomodo est tutum ingredi viā, quæ a terra ducit in cælum? Nescitis quam multi sint dæmones in hoc spatio? quam multæ feræ, quam multa spiritualia nequitiæ? Atque si illam quidem habeamus lucem, nihil nos poterit lædere, sin autem illam extinxerimus, nos cito consumunt, citò omnia nostra auferunt. Nam latrones quoque extincta lucerna latrocinantur.* Hæc & alia Chrysostomus.

Psal. 17. 27. & 28.
Hebr. lect.
Vatabl.
Caietan.
Psal. 17. 29.
Chrysost.

12. Sed & huc notanter facit illa Sapientis paræ- nesis, *Misericordia, & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, describe in tabulis cordis tui*, Prouerb. 3. 3 Quam dilucidam, atque opportunam huic rei fecerunt L X X. reponentes, *Eleemosyna, & fides ne deserant te*, &c. vbi præterquam quòd eleemosynas, & fidem signatè coniunxit, quasi fidei sit proprium, eleemosynam facere; nec Deo credere, & assentiri videatur, qui misericors non fuerit. Notetur accurata locutio Salomonis: nec enim dixit, ne deseras eleemosynas, quod sciolus quispiam dicendum fore crederet; sed potiùs, *ne illæ te deserant: ostendens*, inquit Chrysost. homil. 1. in hanc epist. *nos esse, qui illarum egeamus, non ipsas nostri*, atque vt inde immisericordes admonerentur, potius ipsos ab eleemosynis deseri, quàm eos illas deserere; siue quòd eam immisericordiæ legem in se ipsos illi ferant: eadem quippe mensura, qua mensi fuerint, remetietur illis, siue quod sæpiùs ob alia peccata infensus illis Deus, ad eleemosynas faciendas nolit ipsos efficaciùs permouere; *talibus enim ipse hostijs promeretur*, atque placatur. Siue quòd eleemosynæ vineæ animi nostri cultrices sint, sine quibus *vineam animi* (ita Laurent. Nouar. citato loco) *dum solus colere vis relinquis desertam.*

Prouerb. 3. 3.
L X X.
Chrysost.
S. Laur.

Sed iam ad alia.

***

Ad eadem verba, *Cum metu, & tremore.*

Adnotatio X.

Iustis sibi ipsis minimè fidendum, sed potiùs vndequaque metuendum, vt hinc peccatorum pericula, & occasiones caueant, atque diffugiant.

Nec officio meo satisfactum iri crediderim, nisi iis quæ in superioribus dedimus, signatè addiderim, non modò singula peccata, sed ea etiam omnia, quæ ad peccatum illiciunt, siue peccandi, vt aiunt, occasiones cautè & diligenter vitare, opus esse, vt cum metu & tremore, suam quisque salutem operari censeatur. Nam & id ad egregium illud peccati odium, de quo adnot. 4. egimus, maximè pertinet, Ecclesiastico cap. 17. 23. dicente, *Nimis odito execrationem.* Quæ verba Venerabilis Stephan. Cantuar. cùm opportune composuisset cum illis Genes. 19. 17. *ne stes in omni circa regione*; sic explicat: *Quidem enim peccatum odiunt, sed non nimis, quia peccata fugiunt, sed occasiones sequuntur.* Sic ille in allegor. Gotfrid. in præfata Genesis verba: & sub hæc, nisi ad quemlibet peccati halitum, ad singulas eius, ansas, atque illecebras pauidus, tumidúsque horreas, & fuga te ab illis subducas, vix possis tot laqueos, tot tibi substrata retia vitare. Pulchrè S. Paulinus epist. 2. laqueorum retiúmque discrimina describens, ait: *sed & tota huius mundi figura quæ præterit, & per oculos corda prolectat, zabolicis prætenta retibus in qualibet sui specie, laqueus mentis, & gladius est. Credamus Prophetæ, quia in medio muscipularum ambulamus, & inter opertos lethalibus dolis gladios vita transigitur. Excipit nos mundus iste varijs voluptatibus florens, & fallentibus venenatis illecebris, excipit nos innumeris, anguis, insidijs, cui nomina mille, mille nocendi artes.* Nec minus eleganter miserando discriminum appicto exitu Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 1. *Respexit oculus, & sensum mentis euertit, audiuit auris, & intentionem inflexit; inhalauit odor, & cogitationem impediuit; os libauit, & crimen reddidit; tactus contingit, & ignem adoleuit; intrauit mors per fenestras.* Quî ergo tot periculis occurrere? quomodo hæc Scyllæ atque Carybdis discrimina superare valeas? Respondet sapienter Tertullianus lib. de idololatria cap. 14. cùm innumerabiles idololatriæ procellas, & fluctus in Christianam fidem velut in nauim inundantes, hoc est, peccandi discrimina, quæ ex infidelium cohabitatione, & confinio fidelium capitibus imminebanr, longiùs recensuisset: *inter hos scopulos, & sinus inter hæc vada, & freta velificata spiritu Dei fides nauigat; tuta si cauta, secura si attonita.* ac si diceret: tot, tantáque turbulentissimi huius maris esse pericula, vt non aliter valeamus incolumes euadere, nisi cautissima circumspectione fugam adornemus; atque ea præcauere & declinare studeamus. quasi hæc salutis, & incolumitatis sit regula, quò quis cautior, eò tutior: & tunc denique securus, cùm extra telorum iactum se proripuerit: nam, vt est in prouerbio allato à Probo Æmilio in vita Trasybuli, *Timidi*

1.
Eccles. 17. 23.
Steph. Cant.
Gen. 19. 17.
Paulinus.
Ambros.
Tertullian.

mater non fiet; quòd videlicet timidus pericula non modò non amet, sed quàm longissimè fugiat. Vnde rursus Tertullianus lib. de cult. femin. cap. 2. totam timendi vtilitatem ad hanc cautionem, & circumspectionem, qua quis sibimet diffidens pericula, & peccandi occasiones deuitat, sic retulit: *Debemus quidem ita sancte & tota fidei substantia incedere, vt confessæ, & securæ simus de conscientia nostra, optantes perseuerare id in nobis, non tamen præsumere: nam qui præsumit, minus præcauet, plus periclitatur: timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris; vtilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contra si præsumamus neque timendo, neque cauendo, difficile salui erimus.* Hæc Tertullianus. (Tertullian.)

2. Difficultatem non mediocrem habet illud Salomonis Prouerb. 1. 17. (Prou. 1. 17.) *frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum*; non enim auctores solùm in explicando diffident, sed ipsamet exemplaria variant: immò & sensum oppositum reddere videntur LXX. (LXX.) reponentes, *Non enim frustra tenduntur retia auibus.* Vnde optimi interpretes contendunt, verba Vulgati per interrogationem sic efferenda esse: *frustráne iacitur rete?* &c. quòd aliter, nec cum LXX. conuenire possint, nec plenè subsistere, cùm aues quantumuis sint pennis instructæ, & per aëra ferantur, esca tamen illice prope retia sparsa ruere in insidias, & cassibus implicari passim videamus. At enim verò, vt mea fert sententia, nihil est, quod à Vulgati lectione nec hilum mutata, & à sensu, quem nobis ipsa tinnit, recedamus: sed pro illo obseruare, opus est, vocem *pennatorum*, quæ in Hebræo, non sine emphasi duplex est: nimirum (Lect. Hebr.) בַּעַל כָּנָף *bagal Kanaph*, hoc est, *compotis pennæ*, siue vt alij malunt legere, *domini alæ*, siue *magistri alarum*: quod quidem plus est, quàm pennas habere; illis nimirum pro officio, & rei opportunitate, cautè, & callidè ad fraudes atque insidias deuitandas vti. Quare sensus est, frustrà, & ingratiis, retia expandi ante earum auium oculos, quæ pennas suas escæ illicienti non subiiciunt; sed illi superiores aduolitant: ea siquidem solertis auis ab stolida, dum ante vtriusque oculos laqueus esca instructus tenditur, differentia est, quòd hæc illicem escam aspiciens ad terram se deiiciat, falsò credens eam se deprædaturam, quin cassibus implicetur, vnde illi pennas suas ancillari facit; illa verò alarum magistra, & pennæ compos, nunquam illis opportuniùs vsuram credit, quàm cum casses præsentit, vt altissimè subuolet; vnde illud:

(Ouidius.) *Quæ nimis apparent retia, vitat auis:*

Quid autem hæc sibi velint, sic optimè explicat B. Salonius (Salon.) ad ea verba: *Pennati isti sunt sancti & electi viri, qui habent spirituales oculos, quibus & insidias hostis antiqui præuident, & peccata præcauent.* frustrà ergo, *id est, in vanum* iacitur rete ante oculos pennatorum: *id est, laqueus insidiarum diaboli obiectus sanctis, & electis viris, quia facile superare possunt insidias diaboli.* Sic ille. Pende illud *præuident, & peccata præcauent*; notanter etenim vtroque verbo compositio præpositione vsus est Salonius, vt innueret non tantùm sermonem esse de illis qui peccata vident, & cauent; sed de iis sigillatim, qui dolos, & insidias, quæ in peccati occasionibus velut in esca pelliciente latent, præuidentes solerter, & sapienter præcauent, tunc se tutiores, cum cautiores extiterint, arbitrantes: nam, vt bene Tertullianus citato loco, (Tertul.) *qui præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur: vtilius ergo si speremus, nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus*; sed illud est opportunissimum, quod de castissimo Ioseph peccati retia, atque nodos non cunctanter dissoluente, sed vno ictu præcidente, ac dirumpente, hoc est, peccati occasiones longius diffugiente adnotauit Ambrosius (Ambros.) lib. 1. de pœnitentia cap. 13. Nam dum ibi elucidans ea Salomonis verba Prouerbiorum 6. 27. (Prou. 6. 27.) *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo*; siue, vt ipse LXX. (LXX.) secutus legit, *alligabit quis ignem in sinu suo?* dixisset: *adulterinus sermo iuuenculæ nodus adolescentium est: verba adolescentis vincula sunt amoris*; subdit: *Vidit hunc ignem Ioseph, quando eum adulterij cupida mulier allocuta est, voluit eum capere sermone, misit laqueos labiorum suorum, sed pudicum virum ligare non potuit: solutæ enim vincula mulieris vox pudoris, sermo grauitatis, habena cautelæ, fides custodia, castimoniæ disciplina; capere igitur eum retibus suis impudica non potuit, misit manum & apprehendit vestem eius; vt nodum stringeret: verba petulantis mulieris, cupiditatum retia sunt, manus eius amoris nodus est, sed nec retibus capi potuit mens pudica, nec nodo; excussa vestis, solutus est nodus; & ideo quia non alligauit ignem in sinu mentis suæ, non combussit corpus suum.* Vides autem pennatam, siue potiùs compotem pennæ, & alarum magistram, ante cuius oculos frustrà expansum rete, inaniter innecti nodi.

3. Iam si lectionem LXX. &, quam plures ex Hebræis præfatis verbis reddunt expositionem, cum Vulgato nostro conciliare velis; duplicem illis sensum subesse dicito, alterum alteri substratum, & sibi subalternum: vt videlicet, quemadmodum *frustra iacitur rete ante oculos compotis pennæ*; ita non frustrà, & inaniter ante earum auium oculos iaciatur, quæ vt pennas habeant, adeò tamen sunt stolidæ, vt ad terram escâ illice se se deponant, sibi ipsis ita confisæ, vt illam deprædari sperent, quin cassibus innodentur: eo sensu, quo dicebat S. Cyprianus (S. Cyprian.) libro de singular. clericor. *Aduersaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, & lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati saluare se sperat.* Cui sensui opportunissima sunt Isidori Pelusiotæ verba lib. 4. epist. 2. Zosimum quemdam qui in peccati laqueos, & retia sese coniiciens diuini timoris donum à Deo postulabat, sic irridentis. (S. Isid. Pelus.) *Perinde namque facere videris, ac si in meretricis hærens amplexibus, & scorti amori dans operam, interea pudicitiæ compos fieri optes, eorum enim est istud votum, qui meretricis retibus altiùs volant, non eorum, qui ipsius compedibus vltrò semetipsos induunt.* Hos Tertullianus (Tertullian.) lib. de pudicitia cap. 10. mordaci aceto præstringens cum funambulis, ne iis quidem peritis, sed qui artis non satis ignari, per funem tam celeriter, tantàque contentione, grandioribúsque vestigiis, ac si in solido essent, obambulare auderent, sic componit, atque irridet: *Age tu funambule pudicitiæ, & castitatis, & omnis circa sexum sanctitatis, qui tenuissimum filum disciplinæ eiusmodi veri auia pendente vestigio ingrederis, carnem spiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu totius es? perge sane si potueris,* si

si volueris, dum tam securus, & quasi in solido es. ac si stolidas aues circa retia, & laqueos currentes, & circumcursitantes, & illis sese adiungentes; quasi nihil inibi cauendum, sed omnia à se vitanda, omnia superanda sint, & iuxta præcipitia euntes, nec latum vnguem à præscripto limite siue filo discedendum sibi fuerit, maximè irrideat. A quo non it illud Socratis, cùm obuium nescio quem formoso inueni osculum
Isid. Pelus. figentem conspexisset. *Hic facilè gladiatorum cuspidibus innataret, atque in ignem insiliret, qui tantum in se ipso incendium per osculum incitare minimè dubitauit*; auctor est S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epi-
Chrysost. stol. 66. Sed enim Chrysostomus pennatos hosce pennis suis non satis compotes, sed ad terram demissos, laqueis tandem, atque retibus capiendos; siue hos funambulos pendenre vestigio ingredientes à fune excussos in terram deturbandos, ex ipsa rei natura sic elicit homil. 15. ad popul. *Iuxta præcipitium vadens, quamuis decidat, tremit tamē, & sæpenumero ab ipso submersus tremore decidit; ita non procul peccata fugiens, sed secus ipsa vadens in timore, & periculo viuit; sæpiùs & in ipsa prolabitur.* Sic Chrysost.

4. Ps. 118. 101. Hinc notantissimè Dauid in suis vlceribus expertus Psalm. 118. 101. dicebat: *Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua.* Quid enim existimas *via mala* phrasi significari? Peccata? Non opinor: dicere enim à peccatis se abstinuisse, vt Dei mandata custodiret, vel tautologia foret, vel tam frigida oratio, vt Neronianas thermas, vt in prouerbio est, refrigerare posset. Ergo aduerte; eo de quo nunc agimus sensu affirmare Vatem, singulari se industria animæ suæ motus & affectus à peccandi occasionibus, lapsúsque periculis prohibere, vt hoc modo candidè, & absolutè Dei verba, atque præcepta valeat custodire: lapsurus alias, & in præcipitium iturus: ita omnino Illyricum Psalterium, & Ambrosius; dum hîc legit, *ab omni via maligna*, malignam viam explicans lubricam, dubiam, & ancipitis effectus; in Psalterio verò
Psalter. Illyr. Ambros. Lorinus. Aquila. habetur, *Ab omni via vallis*; id est, vt bene Lorinus, *decliui & præcipiti*; sed vt sensus vndique subsistat, Hebræi, Græcíque verbi emphasim obserua: nam, vt Aquila & alij legunt, in fontibus est, *constrinxi pedes meos* quasi pronos atque lubricos animi motus (est enim homo, vt postmodum è Chrysostomo videto, *res lubrica, & ad peccandum prona*) in carcerem conclusi & vinculis coërcui; ne lubricum lubrico impositum me in ineuitabilem, & certum casum darem. Num hæc Seneca audie-
Seneca. rat, qui epist. 116. dicebat: *Quantum possumus, nos à lubrico recedamus, in sicco quoque parum*
Ambros. *fortiter stamus.* Sed omnino ad rem Ambros. *Verè dignus qui super seniores intellexerit, quandoquidem diuino est honoratus spiritu vt seniores doceret, non solùm intellectus veritatem, verùm etiam peccati fugam, culpæque cautelam. Itaque cùm fragilitas humana prona sit, vt labatur, non ad vnum affectibus malum, sed vniuersum toto vestigio feratur in vitium, & currentem cuncta in præceps suscipiat probra: docet quemadmodum vita istius lubricam declinans semitam, itineris huius anfractus viantem implicare non possit*; ac si dicat: Nam si à lubrico recesseris, à præcipitio, & laqueis tutus ibis. Nec aliter Hi-
Hilarius. larius, inquiens. *Perfecta hæc, & Euangelici viri vox est, ab omni se malitiæ via abstinere, & tot vbique occurrentibus erroris semitis nulla earum, per quam nequitia adeatur, incedere.* Bene hoc, *per quam nequitia adeatur*, vt ab ipsomet nequitiæ primo aditu, & à lubrico, & decliui recedamus, qui in sicco vix fortiter stamus. Sed (vt hunc Vatis locum præfatis Sapientis verbis obiter consonare videris) quid post illa Salomon adiiciat vers. 15. audi. *Fili mi ne ambules cum eis: prohibe pedem tuum à semitis eorum*; vbi maximè notanda vox Hebræa נְתִיב; quæ respondet Latinæ *semita*: nam, vt ex Rabbi Salomone ibi aduertit Salazarius, propriè significat eam viam, quam in syluis extetunt feræ, in qua earum vestigiis à venatoribus obseruatis, siue odore à venaticis canibus accepto, laqueos illi suos, & insidias instruere solent: ac si his verbis moneat Sapiens, eum qui à lubrica, & decliui via non cauet, sensim in laqueos à dæmone inibi paratos incidere. Prouerb. 1. 15. Rab. Sal. Salazar.

Sed redeo ad Dauidem qui in hac doctrina nobis inculcanda multus, & frequens est: alibi enim 5.
salutem ac incolumitatem suam, immo & ipsammet vitam, non modò in fugiendo collocat, sed fugam, ac vitam pro vna, eadémque reponit: alibi in spirituali certamine non aliter nisi fuga interposita victorem se euasurum sperat; atque ideo victoriæ symbolum, pennas suas facit. De primo audi Psalm. 55. 9. *Deus vitam meam annunciaui tibi*; sed obserua, Santes Pagninum, pro *vitam meam*, legere, *migrationes meas*, alios *fugam meam*; (quòd Hebræa נד propriè significet *celerem commotionem*, seu *demigrationem*, ac *fugam*: habetúrque Psalmo 54. 8. *Ecce elongaui fugiens.* vbi doctiores legunt, *elongabo elongationem, siue fugam procul:*) vbi vides, quo in loco, siue quanto in pretio Dauidi fuga à facie peccati sit, cùm eam vitæ nomine appellet: idémque sibi fugere, ac viuere sit. Sed victoriæ etiam gloriam egregium ducem fugiendo fuisse consecutum sapienter adnotauit Ambros. lib. de fuga sæculi cap. 5. obseruans illis in Psalmis, in quibus pennarum suarum ad capiendam fugam Vates mentionem facit, victoriæ titulum signatè præfigere; vbi verò pennas has siue fugiendi opportunitatem ad manum non habere significat, non obscurè innuere se in incerto hærere, atque fluctuare: sed Ambrosium illa Psalm. 141. 5. verba, *Periit fuga à me*, versantem audi. *Ergo Dauid vbi fugam quærebat, vt euaderet aduersarium, & non inueniebat pennas suas, ancipiti fluctabat certamine: siquidem vbi in potestate habet pennas suas, titulus Psalmi* in finem *est*; *id est, perfectionem, & consummationem victoriæ.* Sic Ambros. Nec abs re hîc quisquam aduoret illud Velleij Paterculi lib. 1. histor. de M. Antonio, bello ancipiti, & in peius declinanti prouidè, ac prudenter fuga se subducente: *Hanc tamen Antonius fugam suam, qua viuus exierat, victoriam vocabat.* Ita ille: sed illud opportuniùs Salomoni affertum Prouerb. 14. 16. *sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit, & confidit*; siue, vt LXX. legunt: *imprudens autem sibi fidens miscetur iniquo.* quod Cyprianus lib. de singularitate cleric. huic instituto sic scitè aptat: *ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos semper infidus species quascumque noxias extimescit: quorum distantiam Salomon differuit, dicens*, Sapiens timendo declinabit ab omni malo, insipiens autem confidens sui, miscetur iniquo. *Magnum Sapientiæ diuinæ consilium inuentum est, vbi timoris auxilio liberemur. Magna compendia prouidentiæ, vt aliquando fiat virtus, & victoria per timorem Magna remedia contulit Dominus ad saluē, vt habea* Psal. 55. 9. Pagninus. Hebræa. Lect. Ambros. Psal. 141. 5. Vellei Pat. Prou. 14. 16. LXX. Cyprian.

&

& timidus laudem; sicut Salomon reperit, dicens. Beatus vir, qui veretur omnia per metum. Hæc ibi Cyprianus; & eadem mente serm. de ieiun. & tentat. Christi, *liberius anima expedita obuiat impugnanti, vbi compedes impedimentorum defuerint, & aspectus irritamenta non nouerint; securior que est congressus, vbi singula non vellicant dimicantem, nec inebriant animum lenocinia voluptatum.* Sic ille. Ita sanè victoriæ cupidus Hieronymus vrbis laqueos declinans ad eremum confugiebat, obiicientibus fugam sic respondens lib. contra Vigilantiũ. *Cur, inquis, pergis ad eremum? videlicet, vt te non audiam, vt te non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis. Respondebis, hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam. Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam.* Optimè; ac si dixerit: Nolo certam victoriam perdere, & discrimini obiicere, vt incertam & periculi plenam assequar: *spem* enim *pretio non emo.*

6. Chrysol. Hinc equidem Chrysologus serm. 78. Ioannem qui suscitato Domino, & sese discipulis in maris littore conspiciendum præbente, vestitus esse dicitur; quémque ille existimat, fuisse adolescentem illum, qui nefariis satellitibus Christum comprehensum venientibus, *sequebatur eum amictus* Marc. 14. 52. *sindone super nudo*; & à militibus apprehensus, *reiecta sindone nudus profugit ab eis*, Marci 14. 52. acutè opponit Petro, cui omnia è contrario contigisse perhibentur: nam vt nocte Passionis, ne fugeret, indutus dicitur: ita in præfata Christi ad littus maris apparitione nudus inuentus est; sic Ioan. 21. 7. enim Ioan. 21. 7. *Vt audiuit quia Dominus est, tunicâ se præcinxit, erat enim nudus*: vt nimirum ideo honorificis innocentiæ vestibus Ioannes indutus sit, quòd se opportunæ fugæ suo tempore dare nouerit; Petrus contrà, gratiæ splendore nudatus extiterit, quòd in peccandi pericula Christo illum trahente temerario ausu sese iniecerit; sed Chrysol. hæc omnia breui sic perstrinxit Chrysologus: *Mirum fratres cum comprehenderetur Dominus, Ioannes abiecit sindonem; & Petrus inuentus est nudus, quia Ioannem texit fuga: Petrum negatio sic nudauit.* Ita ibi & serm. 150. *Petrus quia fugere noluit, abnegauit; Ioannes, ne abnegaret, aufugit.* Quam ad rem maximè facit quod de spirituali ædificij tecto ad ea sponsæ verba Cant. 1. 16. *Tigna domo-* Cant. 1. 16. *rum nostrarum cedrina: laquearia nostra cypressina,* Gregor. Nyssenus. acutè adnotauit Gregor. Nyssen. hom. 4 in Cant. non omnino planum, & è regione pluuiis oppositum construi, sed cauatum atque decurrens earum ponderi cedens, quò illis meliùs resistat, vt videlicet peccati occursum & incursiones declinemus ne falsa securitate ab eius fallaciis, & blandimentis paulatim emolliti subuertamur. Cùm enim ille dixisset: *Tectum enim necessariò cauatur, cedens aquæ ponderi, nec lignorum imbecillitas resistit fluxia ab insultu ponderis. Propterea subit interna, quæ in concauitatibus intercipitur aqua, ipsæque stillæ, vt est in prouerbiis, hominem domo expellunt in tempore pluuiæ.* hæc sic accommodat. *ne per animi motum emolliti incursionem eiusmodi aquarum extrinsecus in cor influentium influxum admittamus intra penetralia, per quas nobis pereant quæ sunt reposita.* Hæc Nyssen.

7. Armabat Christi milites ad spirituales pugnas, atque certamina egregius bellorum Dei dux cap. Ad Ephes. 6. 15. 6. epist. ad Ephes. vers. 15. & cùm illos veritate, velut baltheo succinctos, & iustitia tanquam thorace indutos reddidisset, inquiens: *state ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ,* subiicit: *& calceati pedes in præparatione Euangelij pacis;* siue, vt in pluribus codicibus, & apud Theophylactum legitur, *in præparationem*; sed enim hi Theophyl. calcei interpretũ pedes vix capiunt: ipséque Chrysostomus hoc dictum obscurius esse fatetur: & Chrysost. verò dum vnusquisque in suum abit, his ad animum intrepidum atque constantem, illis ad mortis memoriã, siue ad affectuum mortificationem, aliis ad Patrum exempla indesinenter premenda, pluribus ad præparationem ad mortem perferendam, siue etiam ad optimã vitam qua securè mortalis cum immortali commutatur, referentibus: mihi S. Gaudentij Brixiensis interpretatio, tractat. S. Gaudentius Brix. 5. de Exod. tom. 2. Bibl. vet. Patr. maximè placet, ipse enim mysticam Paschalis Agni manducationem explicans, Paulum de tutissima circumspectione, qua is qui veritate iam est succinctus, & iustitia indutus, peccatorum laqueos, & scorpionum morsus declinare, ac fugere debet, scitè capit; cùm enim primùm dixisset, *Huius carnem tam fideles in mysterio, quam simul vniuersi credentes in fide sua debemus edere, nostrique cordis interioribus cõmendare, vt non solum præcinctos habeamus castitate lumbos, verùm etiam calceati simus (vt ait Apostolus) in præparatione Euangelij pacis* subiicit opportunè; *itaque & lumbi nostri præcincti esse debent, & calceati pedes. Quid enim prodest homini, si solam corporis habeat castitatẽ, & incautus, & sine instructione calceamentorum legalium malis fuerit supradictis obnoxius: vel, quod quotidie in vsu est, cordis sui calcaneum patens prebeat comestioni serpentum*, Optimè. Pende singula, & id in primis, *solã corporis habeat castitatem*; vbi dum duplicem castitatem innuit Gaudẽtius, alteram externam, quę in sola corporis munditia censeatur, alteram cordis quæ prę omnimodæ puritatis amore quascumque peccati illecebras, & pericula caueat, atque diffugiat; hanc quidem magni faciendam ducit; illam, vt exigui momenti rem despicit, quippe ea ephemera, & ad horam duratura est; ideo notanter ait, nihil ferè prodesse hanc solam habere, quòd homo incautus, & periculis obnoxius, ac proinde in illa tandem dilapsurus, adeò non sit verus castitatis amator, vt à turpi, & inhonesto nec hilum quodammodo differre videatur. Deinde illud accuratè dictum est à Gaudentio, *cordis sui calcaneum patens prebeat comestioni serpentum*; alludit enim ad nocentissimum, & fraudulentum serpentem, qui Genes. 3. 15. animæ calcaneo insidiari non desinit, Genes. 3. 15. vt illi, si inprotectum & nudum inuenerit, venenum statim suum infundat, ac si dicat; quæ hæc dementia fuerit, acerbissimo hosti indesinenter insidianti parẽtem locum facere, & sese illi comedendum, & proculcandum dare? Dormiétne is? torpescétve ad prædam? aut ea inuenta parcere consueuit? Adstipulatur Gaudentio siue in hac cogitatione, siue in eo explicandi modo, Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 7. vbi dum pugnam Ambros. inter mulierem, atque serpentem edisserit; illud serpenti relictum, siue permissum ait quòd nudo calcaneo, parti videlicet non custoditæ, & quæ plagæ obuia sit, insidias moliatur. *Non est ergo* (inquit) *sublata malitia. Denique seruatum est serpenti, vt calcaneum mulieris, & seminis eius obseruet, quò noceat, & venenum suum infundat.* Inde ad rem nostram sic infert. *Non ergo ambulemus in terrenis, & serpens nobis nocere non poterit. Sumamus Euangelicum calceamentum, quo venenum serpentis excluditur, morsus eius hebetatur, vt simus calceati pedes in Euangelium.* En tibi in armorum par

partem ad configendum cum hoste pedum calceos,ſiue cautiſſimæ circumſpectionis munimen, quà cordis calcaneum à voluptatum illecebris Christianus miles custodiat, à Paulo aſſignari, vt pedibus pro armis vtatur, peccandi occaſiones diffugiens. Adiiciam hîc,quia opportuna quamuis non ſine rubore,quia Gentilis,& impuri poëtæ,Anacreontis verba, quibus dum ſeſe & ſcuto armatum, & hasta minacem cum Cupidine præliantem facit, bellandi artes,atque peritiam eò refert, vt hosti terga vertat, fugámque capiat. Sic enim ille in carmine de Cupidine,

Anacreon. *Mox ergo ſumpſit arcum*
Et auream pharetram,
Me prælio laceſſens.
Ego verò, vt olim Achilles
Loricâ amictus, atque
Scuto minax, & hastâ
Cum Amore præliabar:
Iaciebat ille tela,
Vertebam, at ipſe terga.

8. Quòd ſi præfatæ calceorum *in præparationem Euangelÿ* expoſitioni obieceris ea Domini ad Moyſem verba: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, Exodi 3. 5. quaſi non ſemper tanta circumſpectione, & prouida cautione ſit opus, bifariam tibi occurram ex ratione ipſa, quam ibi ſubiicit Dominus: *Locus enim in quo ſtas,terra ſancta est.* Primum enim de ipſomet in feliciſſimam æternæ beatitudinis requiem ingreſſu hæc eſſe capienda, monet indidem Gaudentius hunc in modum: *Ostenditur ergo terra Ægypti, vbi datur præceptio illa ſuperior* (contegendi ſcilicet calceis pedes) *ſancta non eſſe, & ideo ibi habenda mandantur calceamenta: in ſancta autem terra decernuntur eſſe ſoluenda. Quamdiu in huius ſæculi Ægypto conuerſamur, oportet nos Paſcha Domini celebrantes, calceamentis vti ſanctarum Scripturarum, quia tutus non poteſt eſſe greſſus noſter, niſi mandatis Dominicis contegatur, vſquequo intremus in illam ſanctam promiſſionis terram, quæ iuſtis eſt præparata, in qua non ſunt ſerpentes,& ſcorpÿ*.&c. vt vel hinc videris admoneri nos, non antea cautiſſimæ circumſpectionis calceamenta nobis eſſe ſoluenda, quàm mortalitate exuti,& extra telorum iactum,& ſerpentem inſidias poſiti ad ipſiuſmet Dei conſpectum proueliamur. Deinde non abs re de felici, & pacatiſſimo religioſæ vitæ ſtatu hæc ſumpſeris, quaſi ad illius pacem, & quietem deſignandam dictum fuerit,*Solue calceamentum de pedibus tuis,locus enim in quo ſtas,terra ſancta eſt*;id eſt,in hoc maximè eos qui in altiſſimo Religionis ſtatu Deo famulantur,ſæcularibus excellere, quòd intra monaſterij ſepta, & cum ſpiritualibus, & ſanctis hominibus conuerſantes, longè à ſerpentium inſidiis, ſiue à peccatorum laqueis, & occaſionibus poſiti eſſe videantur;ac proinde tanta illa circumſpectione, & metu, quem in ſæculo habere oportet, opus illis non fuerit: ſub quo quidem ſenſu contendat aliquis dixiſſe Dominum Iſaiæ 11.8. *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet.* Sed quare? *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo.* quaſi Religionis mons procul à ſcandali, & peccati laqueis ſit; quippe qui ſcorpios & ſerpentes non fert: nam, ſi qui ibi ſerpentis morſus, ſiue peccandi occaſiones ſunt, eas leuiſſimas, & quibus lethale virus non inſit, omnino dixeris. Sed enim hinc rurſus ex Pauli verbis ad attentiſſimam, & oculatiſſimam circumſpectionem vrgemur. Notanter ſiquidem

Exod. 3. 5.
S.Gaudent.
Iſaia 11.8.

ſit, *calceati pedes in præparatione* (ſiue *in præparationem*) *Euangelij pacis*: vt miniſtrum euangelicum,ſiue religioſum hominem, qui ad euangelicam doctrinam inter ſæculares,& peccatores diſſeminandam cella egreditur, idem admoneat, quod Ezechieli ad concionandum ituro Dominus ingerebat: *Increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas*, Ezech. 2. 6. vt nimirum is,qui inter ſcorpios, homines videlicet peccatis irretitos, & prophanis moribus imbutos ambulaturus, & cum ipſis acturus, & confabulaturus eſt, nudis pedibus minimè incedat; ne *calcaneum patens præbeat comeſtioni ſerpentum*, vti dicebat Gaudentius, ſed aduerſùs ſæcularia venena, calceis timidæ circumſpectionis ſe muniat, & quaſcumque occaſiones, & illecebras, quæ ad peccatum poſſint pertrahere, attentiſſimè caueat, atque diffugiat, nec prophanis blandimentis, atque deliciis emolliri ſe ſinat. Ita quidem cùm de Sponſa ſua Eccleſia acre infidelitati, ignorantiæ, & peruerſis moribus bellum inferente cœleſtis Sponſus adſtantibus dixiſſet, *Quid videbis in Sulamite niſi choros castrorum?* Cant. 7. 1. ſtatim de Religioſibus, ſiue religioſis viris ad hoc certamen deſcendentibus, & pro Dei gloria cum ſæcularibus conuerſantibus, notanter ait: *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis!* hoc eſt, quàm rectè & pulchrè te geris, cùm inter ſæculares homines ad eos lucrifaciendos incedis; dum illis cautè, & cuſtoditè te immiſces, omnimodæ circumſpectionis calceis inſtructus, atque munitus. Nec mihi dubium,Paulum ad hæc Canticorum verba in illis ad Romanos alluſiſſe. Sed pro hac re appoſitè locutus eſt Petrus Damianus ſermone *de ſpirituali certamine*, religioſos viros qui ad hoc ſpirituale bellum incauti, & ſine circumſpectione procedunt, non leuiter pungens: nam cùm priùs dixiſſet,*non ire ad bellum inglorium eſt: ire autem,& ſegniter agere, mortis eſt periculum.* poſtmodum ſubiicit, *qui videlicet, & ſi vſurpare illicita reſpuunt; tamen his quæ licita ſunt, ſuauiter perfruuntur, hi profectò intra ſacram militiam conſtituti ſunt, ſed quid ſpeciale tamen ſit neſciunt: intra numerum militum cenſentur adſcripti, ſed militaris officij probantur ignari, ſiquidem inter armatos non verentur incedere, inter loricatas bellatorum acies non erubeſcunt diſcincti ſegniter ambulare: atque idcirco ad primum vibrantis cuiuſlibet iaculi ictum corruunt,quia nullo cautæ circumſpectionis clypeo muniuntur: meliúſque fuerat intra ſepta domus ignobiliter viuere, quam imbelles inter bella ſine vllis præconiorum titulis interire.* Hæc Petr. Damian. optima,& omni obſeruatione digna.

Ezech. 2. 6.
S.Gaudent.
Cant. 7. 1.
Petr. Dam.

Iam verò ſiue in hanc rem, ſiue pro tota hac adnotatione, egregium Pauli locum accipe, qui quàm perículoſum,& morti affine ſit,peccati occaſiones non declinare, ad viuum exprimit; ſic enim ille ad Roman. cap. 6. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentijs eius, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato.* vbi cùm planum ſit, quo ſenſu dixerit Paulus,peccatum in mortali corpore regnare,vt eius concupiſcentiis obediatur;non immeritò dubites, quid ſit exhibere membra arma iniquitatis peccato? nam quod explanatores aiunt, eandem cum præcedenti ſententiam eſſe, non eſt,cur placeat: cùm & particulæ illæ, *ſed neque*,diuerſam ſententiam neceſſariò faciant, atque ipſæmet locutiones,à præcedentibus omnino diuerſæ ſint,non ſecus ac ſi fideli cuipiam viro admo 9.

Ad Rom. 6. 12.

admonendo diceres: Neve in servum Turcis divendas, sed neque illis arma, quibus adversus te pugnent, tradas, quibus in verbis nō est dubium, quin duo illi monita, alterum de se in servū non tradendo, alterum de armis adversùs se ipsum non dandis suggessisses. Ergo, vt mea fert sententia, ad huius locutionis modum cùm Apostolus monuisset, ne nos in peccati obsequium manciparemus, nouum subdit monitum præcedenti valde opportunum; ne videlicet peccato arma præbeamus, quibus illud aduersùs nos pugnet, hoc est, ne peccati occasiones, & illecebras, atque ea quæ carnem aduersùs spiritum armant, consectemur; *pascitur namque* (inquit Ambros. lib. 1. de pœnitent. cap. 14.) *libido conuiuijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. grauiora his sunt fomenta verborum quæ vino quodam Sodomitanæ vitis mentem inebriant.* Iuuat lectio Syriaca, quæ habet. *Nec etiam paraueritis membra vestra arma iniquitatis peccato.* quæ innuunt ab iis maximè abstinendum, quæ auxiliarem manum peccato commodant, eique locum in nobis parant. Quid iam hæc sibi velint, opportune explicat Cyril Alex. lib. 9 in Leuiticum his verbis: *Noli te conqueri de infirmitate carnis: noli te dicere, quia volumus, & non possumus: volumus continenter viuere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis eius: tu das stimulos carni tua, tu illam aduersus spiritum tuum armas, & potentem facis eum carnibus saginatis, vino nimis iucundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Sic Cyrillus. Preme illa, *tu das stimulos carni tua, tu illam armas*, quæ sensum communem cum Pauli verbis habent, ac si dicat, tumet peccato arma exhibes, quibus ab illo facilè vincaris, dum ab iis quæ ad peccatum pelliciunt, non discedis, immò illa consectaris, & amplecteris. Quo loco non sunt prætermittenda, quæ non secus, ac si hæc audisset, scitè dixit Seneca epist. 116. *Occurret hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce: nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis: nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus; dolebimus, sed parū; concupiscemus, sed temperatè; irascemur, sed placabimur; scis quare non possumus ista? quia nos non posse credimus: immò mehercules, aliud est in re, vitia nostra, quia amamus, defendimus, & malumus excusare illa, quàm excutere: satis natura homini dedit roboris si illo vtamur, si vires nostras colligamus. ac totas pro nobis certè, non contra nos concitemus.* Optimè: quippè peccandi occasionibus, & causis, ac voluptatum illecebris spirituales vires præcidimus, & eneruamus, ferocémque hostem aduersùs nos armamus, siue in nos ipsos arietamus. Cui cogitationi opportunissimè locutus videtur Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 210. incautum & luxui deditum hominem sic monens. *Quandoquidem perinde quodammodò facis, vt qui ob deploratam valetudinem hanc potestatem accepit, vt nulli rei, cuius cupiditate tenetur parcat, verùm & medicos valere iubeat, & ijs epulis vtatur, quæ pestem, & exitium excitant, propterea tibi reditus ad pudicitiam arduus esse videtur. At si tu luxui, qui ad venereos stimulos animum tanquam furore quodam adigit (nam hic libidinis radix, ac mater est) finem imposueris, impudicitiæ quoque flamma extinguetur, detracta enim materia, ignis quoque profectò, qui ex ea augetur & excrescit, opprimetur: quod si tu materiam igni subministras, quónam tandem pacto desinet, ac conquiescet? si quiescentem feram excitas, quis eam sese agitantem, ac furentem curabit?* Hæc Isidorus.

Ambros. *Lect. Syriac.* *S. Cyril. Alex.* *Seneca.* *S. Isid. Pelus.*

10. Hærent his optimè ea, quæ sequuntur in Paulo: *Sed exhibete vos tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo*; ac si dicat: Nec contenti sitis, dum peccato membra vestra arma nō exhibueritis; nisi & illa, iustitiæ arma reddatis; pro peccati nimirum occasionibus, iustitiæ occasiones sectantes, quæ peccato aduersentur, atque repugnent. nam *cibus parsimoniæ, potus abstinentiæ docet vitia nescire* (verba Ambrosij lib. 1. de virginibus) *qui docet causas nescire vitiorum* illis autem verbis, *exhibete vos tanquam ex mortuis viuentes*, &c. affinia sunt hæc ad Coloss. 3. 5. *Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram.* vtraque autem lucem accipiunt ab iis Domini Matth. 18. 9. *si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te, &c. & si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & [illegible] abs te.* etenim quamuis metaphoricè à PP. accipiantur, (vt similia Matth. 5. 29. adnotauit Maldon.) quòd propriè sumpta crudelem, & absurdam sententiam videantur efficere: benè quidem ipsemet paulo pòst admonet, sensum, gratiamque locutionis perire, si aliud, quàm verum oculum, aut veram manum intelligamus; atque ideo perinde hæc fore accipienda, vt quod in exaggerationibus fieri sòlet, intelligatur exceptio, si fieri posset, aut liceret. Ego verò, vt per exaggerationem efferenda ita non tam conditionaliter, quam absolutè ad rem nostram accomodanda censeo: non quòd truncanda manus, aut præscindenda sit lingua, quæ animum ad peccandum illiciunt, vt ipse ab horum membrorum scandalo, atque periculo liber, ac immunis sit, eo modo, quo Atticam meretricem linguam suam abscidisse, ne posset coniuratos prodere, sic refert Tertul. in Apolog. cap. 50. *Attica meretrix carnifice iam fatigato, postremò linguam suam comestam in faciem tyranni sæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos confiteri posset, si etiam victa voluisset*; sed quòd ea membra, quæ vt arma peccato iam olim cómmodare consueuimus, vt in nos illud sæuiret, tam seueris modò legibus cohibeamus, durisque præscriptis frenemus, vt noxio iam vsui præcisa, siue extincta esse videantur. Id enim innuit Paulus inquiens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* &, *exhibete vos tamquam ex mortuis viuentes.*

Ambros. *ad Colos. 3. 5.* *Matth. 18. 9.* *Maldon.* *Tertul.*

Ad eadem verba, *Cum metu & tremore*, &c.

ADNOTATIO XI.

Vt metus & tremoris, ita veræ prudentiæ, veræque fortitudinis opus esse, peccandi occasiones fugere.

NOLVNT nobis præfatam doctrinam salubriter credere, qui volunt sibi infeliciter perire: & quæ, inquiunt, gloria est, à facie peccati fugere? quod fuerit fortitudinis specimen? campum deserere? præsertim cùm ad ineunda cum hoste certamina, ipsúmque profligandum, ac prosternendum suam met diuinam fortitudinem nobis Dominus commodauerit dicente Apostolorum Principe epist. 2. cap. 1. vers. 3. *Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitam, & pietatē donata sunt.* vbi cùm pro *virtutis*, Græcè 1.

Lessio. Gras. Arist. sit δύναμις, quæ vox propriè significat fortitudinem,robur,potentiam,sensus est,non modò pietatem,& iustitiam,aliásque virtutes,sed suammet fortitudinem,ac robur,& si fas est dicere, ipsammet potentiam , siue omnipotentiam , quatenus virtuti atque pietati hæc inseruiunt, iustis Deum liberaliter communicasse. Quî ergo (inquiunt) qui diuina est prœditus fortitudine,ignauā fugam in animum inducet?Sanè quòd nullū veræ fortitudinis specimen adeò perspicuum , atque egregium , nullum diuini roboris opus tam præclarum fuerit, quàm peccandi occasiones quantauis celeritate diffugere. Dauidem audi Psal. 17. 33. Psal. 17. 33. *Deus qui præcinxit me virtute*; (vbi Græcè est eadem vox δύναμις,vnde Pagninus, & alij legunt: Pagnin. *Qui accinxit me fortitudine*) *& posuit immaculatam viam meam.* & vers. 35. *Qui docet manus meas ad prælium,& posuisti vt arcum æreum, brachia mea.* ac si dicat,ex diuina fortitudine , & Dei ad præliandum institutione non minus fortem, atque robustum,quàm æreum arcum redditum fuisse;atque ideo viam virtutis inoffenso pede decurrisse : sed quonam modo?explicat statim : *Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum , & super excelsa statuens me.* Habac. 3. 19. audi & Vatem Habacuc cap.3.19. *Deus Dominus fortitudo mea*;quid inde?*& ponet pedes meos tamquam ceruorum.* ac si vterque dicat ; eo diuinum robur , ac fortitudinem ire,eóque homines impellere , vt peccatum , peccatíque occasiones ad instar ceruorum,videlicet, non modò fugacissimorum timidissimorúmque animalium, sed qui inter omnia alia , fugiendi sint maximè periti; Plin. quippe qui,vt inquit Plinius lib.8.cap.32.*Fugiunt latratu canum audito secunda semper aura vestigia cum eis abeant*;omni celeritate, & circumspectione per mare, per saxa,per ignes fugiat:nec alium erga peccatum perfectum pedum vsum nisi in fuga censeri. Ideo de se Dauid (quod sanè Prophetæ Habacuc,qui à lubrico recessisse, & in solido firmiter stetisse,creditur,non fuit opus dicere)notanter ait, *perfecit pedes meos quasi ceruorum:* vt dicere videatur antea cùm à via lubrica,& decliui pedes non prohiberet,sed nimium sibi fidés, sineret se à peccati illecebris vellicari , & cū ipsis iocari soleret,imperfectam omnino pedum vsum habuisse;immò ipsis fuisse abusum.diuino autem magisterio,& institutione subinde accedēte quæ illum peccati lubricum & ab omni peccandi occasione plenissimè fugere docuit , perfectos iam pedes,legitimúmque eorum vsum nactum fuisse. Cyprian. *Videte nunc*(verba Cypriani lib.de singular.Clericor.)*prudentiam in isto bello fidem nobis datam esse victricem,quæ nos timiditatis remedio liberasset:& contemplamini,quæ sunt modo arma sumenda, si vultis habere legis auxilia.Estote timidi vt sitis intrepidi, & licèt timor in certamine infirmitas esse videatur ,tamen secundum verbum Apostoli*,virtus in infirmitate perficitur:sic ille non importunè,nec sine acumine hæc Pauli verba 2.ad Corinth. 12.9. adlegans, 2. ad Cor. 12. 9. cùm inibi pro *virtus* Græcè sit δύναμις , id est, *fortitudo , ac robur :* & de fortitudine quidem vel ipsemet Philosophus monuerit ; timorem sibi adiunctum habere debere. Sic enim ille lib. magnor. moralium , Arist. *timendum viro forti , sed audendum;si enim non timeas,neutiquam fortis audax eris.* Bene ergo ex Paulo Cyprianus , *virtus in infirmitate* , id est , fortitudo in timore , *perficitur.*

2. Hinc quidem non modò cælestis sponsæ pulchritudo,venustas,decor, forma, atque dignitas; sed tota etiam fortitudo & robur signatè in hac circumspectione , & fuga à Regio vate censetur; sic etenim ille Psalm.44.13. *Et filiæ Tyri*, &c. siue,vt in originalibus est, *& filia Tyri.* pro quibus Ps. 44. 13. & 14. Hieronym. in epist. ad Principiam virginem reponit : *O filia fortissimi, siue fortissima* , phrasi Hebræa : deinde, *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis:cu cum amicta varietate.*Sed obserua , extrema hæc verba ab Hieronymo in citata Hieronym. epist. ad Principiam & aliis legi *in scutulatis ?* vt nimirum sponsa tota armata, siue vndique scutis induta & circumamicta sit;illa verò,*in fimbriis aureis* , in Bibilia Regia haberi *in ocellaturis.* Bibl. Reg. quasi gloriosa ac regia sponsæ vestis oculis intertexta circumquaque foret : vbi vides sponsam, tunc egregia pulchritudine conspicuam , regióque fastigio dignam , cùm fortis , & scutis armata conspicitur, tunc verò armatam fortémque censeri , cùm maximè oculata ad præuidenda, cauendáque pericula,& ad omnem vulneris suspicionem circumspecta,& trepida inuenitur. Sed enim inde optimo merito sponsam fortissimi filiam appellari ; quasi à fortissimo, hoc est,à Deo forti , eam bellandi peritiam siue fortitudinem didicerit ; illud manifestè conuincit , quòd Dei Filio vix mundum ingresso, & Dei fortis nomine insignito : (dixit enim Isaias cap.9.6.*& vocabitur nomen eius Deus fortis*) Is. 9. 6. ab Herode ad necem conquisito pugnare noluit , sed fugere Angelo ad Iosephum commonente:*accipe puerum , & fuge in Ægyptum*,Matth.2.13.in quæ verba Chrysolog. Matth. 2. 13. Chrysol. sermone 151. hæc notanter opportunus habet: *Mandatur fuga, mandatur cælitus , mandatur per Angelum , vt videatur cœlum timor ante tenuisse, quam terram.* Sanè quasi fugiendi consilium Angelicum , atque cæleste, immò verò diuinum sit: nec aliunde quàm à cœlo illud terra didicerit, Dei videlicet Filio,& matre eius totis campis diffugientibus.

3. Post pueri verò matrísque fortitudinem, quæ, oro, fortitudo?quod robur? qui lacerti? quis tam præsens animus? qui Pauli excelsitati, ac magnitudini humana omnia contemnenti , æquari valeat?quippe hic non modò,*ferro , & petra firmior, & spiritualis adamas*(vt inquit Chrysost. homil.2. Chrysost. in epist. ad Roman.) *sic despiciebat vniuersa , quæ cernimus* (ita idem Pater homil.2.de laudib. Pauli)*vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipsos , ac populos spirantes furorem , velut esse quosdam culices existimabat.Mortem verò & cruciatus,& mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum,* sed etiam vt leo spiritualis, qui ad nullius pauerat occursum , in furentes dæmonum phalanges irruebat, eásque profugabat:vnde de ipso Idem. alibi Chrysostom.*Vellem videre leonem illum spiritualem. Quemadmodum enim leo ignem in vulpium greges demisit , ita iste dæmonum , & philosophorum globum , & exercitum irruit , & velut fulminis solet impetus, ita in diaboli phalangas delatus est. Neque enim is iusta acie Paulo restitit ,sed illum ita est veritus , ita ante illum tremuit , vt vel illius vmbram vidēs,vel vocē audiens procul fugerit.*Ita ipse hom. 32. in epist.ad Rom. Iam verò quis Paulo pugnandi modus? quæ bellandi ratio fuit? Quæ? humana omnia,omnésque creaturas, ipsósque dæmones tam magno animo ad singulare duellum lacessere , ac prouocare , vt omnes à se proterendos, ac conculcandos persuasum omnino haberet. Audi illum ad Rom.8.35.*Quis ergo nos separabit à charitate Christi?tribulatio?an angustia?an fames?an nuditas?an periculum?an persecutio?an gladius?*&c. ad Rom. 8. 35. *Sed in his omnibus superamus propter eum , qui dilexit nos.*

num. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, qua est in Christo IESV. Vides eximium athletam; orbísque luctatorem, ac pugilem omni luctæ genere pugnantē, atque vincētem? Pone illi ob oculos carnis illecebram; obiice peccandi occasionem: num qui tribulationem angustiam, gladium, mortem contemnebat, immò & in dæmones irruebat, blandum hunc hostem prouocabit? aut iusta acie illi obsistere audebit? Minimè: quid ergo? fugiet? Ita omnino; totis campis per prona, per accliuia omnibus habenis laxatis, calcaribúsque omnibus adhibitis fugiet, atque profugiet: id in præfata verba ad Rom. quibus creaturas omnes despiciebat, & ad certamen vocabat: vel quid, rogo, sibi volunt ea

1. ad Cor. 9. 27. verba, 1. ad Corinth. 9. 27. *Castigo corpus meū*, &c.

Origen. Audi Origenem lib. 7. in epist. ad Roman. ad fin. *Iste qui modò cælestium virtutum aduersùm se si commoueantur bella non metuit, aliquando carnem suam vel metuit, & ex ea consurgentes insidias formidauit, quando dicebat scribens ad Corinthios:* Macero corpus meum, & in seruitutem subiicio, &c. *Et ideo præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt, & ille, qui de nobis procedit hostis cauendus est ipse.* Sic

Cyprian. Origenes. Nec minus opportunè Cyprianus immediatè post citata superiùs verba subiungens: *Inæstimabilis Domini misericordia, quæ vndique homini suo contulit gloriam, & incomprehensibilis pietas, quæ scilicet pugnas dedit, & palmas, vt confitendo masculorum sæuitiam superemus, & timendo fœminarum blandimenta vincamus, dum modo & de virtute, & de infirmitate super nos Dominus gloriam operetur, vt in omnibus, & per omnia omnipotentem semet ipse testetur, diuidens differentias triumphorum, vt tam consilij, quam viribus, à nobis bella vincantur.* Ita Cyprianus.

4. Retulit huc per allegoriam Philo lib. *quòd deterior potiori insidietur*, miserandam illam innocen-

Phil. tissimi Abelis à truce, & præferoce Caino patratam cædem: dum enim ille dispar hoc par fratrum, virtutis, vitiique typum considerat, Abelem siue virtutem leuiter, atque modestè vellicat, quod ad pugnam egredi prouocatus, & ad sin-

Gen. 4. 8. gulare certamen lacessitus, Genes. 4. 8. in campum descēdere non recusauerit, cùm satius fuisset tergiuersari. Audi illum: *Noster igitur Abel artes eloquentiæ non didicit, contentus mente pernosse, quæ bona sunt: ideo debuerat recusare, & prouocationem inimici contemnere: tergiuersari enim præstat quàm vinci, quam cunctationem inimici appellant timiditatem; amici verò securitatem: satius autem est, neglectis aduersariis fidem amicis habere, vt veridicis.* Pulchrè: ac si dicat; id nō timiditas, atque ideo prudentia; quòd si prudentia, & fortitudo etiam fuerit; nec enim virtutes sibi aduersæ, immò verò connexæ sunt; ita quidem castissimus Ioseph ad pugnam cum impudica hera eum ad libidinem obstinatissimè pelliciente se se composuit vt tergiuersationem, & fugam non ignauo, sed forti pectore pro armis caperet. *Tenacibus manibus* (inquit S. Basilius Seleuciens. orat. 8. de Ioseph) *retentam permittens vestem, libidinis effugit ansam: fuga vsus pro armis, (& hoc fortitudinis) tradit vestem, vt temperantiam teneat.* Scitè illud, *& hoc fortitudinis*; quippe in ancipiti, & aleæ pleno periculo ingentes illos animos, quibus propriis viribus nimium fidimus, ratione cohibere, & frāgere egre-

Hieronym. gium fortitudinis opus fuerit. Vnde Hieronymo in eremum fugienti, ne oculis meretricis caperetur, vt adnot. præced. num. 5. vidimus; imbecillitatémque suam ita profitenti. *Respondebis, hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie, aduersarius armatus obsiste: vt post quam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam; nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam* meritò dixeris: immò verò euge Hieronyme, & tam fortitudinem iacta. Nónne martyrium, egregium fortitudinis specimen, illiúsque culmen, & columen est? Ita omnino. At enim hoc in fuga à libidinis impetu iure censetur; vel audi Augustinum serm. 240. de August.

temp. *Nemo dicat, fratres charissimi, quòd temporibus nostris Martyrum certamina esse non possunt; habet enim & pax nostra Martyres suos. Nam libidinem fugere pars magna martyrij est: ergo contra libidinis impetum apprehende fugam.* Sic ille. Nec omittendum, quod subiicit præfato loco Philo, adeò hoc Moysi fuisse persuasum, vt quamuis diuina fultum virtute, & quod plus est, Deum Pharaonis factum se se agnouerit, attamen cum Magis Ægyptiis, qui malis artibus homines ad flagitia pellicere solent, iterum atque iterum renuerit manus conserere, Exod. 4. 10. *Ideo vides* (inquit ille) Exod. 4. 10.

quòd Moyses illos in Ægypto, id est, corpore veneficos: liceat enim mihi eos sic vocare, sicut mulieres dicimus veneficas, & sexui vocem accommodare: illos, inquam, in Ægypto sophistas veneficos recusat consertatores sibi dare, & aduersarios, quia sophismatum artibus decipulisque mores boni inficiuntur, atque corrumpuntur, negans se eloquentem. Sic Philo: equidem ma- Philo.

gnificam illam scribæ promissionem Christo factam Lucæ 7. 57. *Magister sequar te quocumque ieris*, ab ipso non sine seueritate repulsam, atque Luc. 7. 57.

reiectam hac ratione videris: quid enim fuerit è ratione, veræ fortitudinis magis alienum? quàm incautè quocunque ire; id sic adnotante Chryso- Chrisol.

logo serm. 19. *Decipit, non accedit, qui promittit Dominum incautè sequi. Sed ad omnia posse, quis promittit? Dixisset cautius, sequar te, quocumque iusseris; humanius certè, quocumque volueris*; sequar te quocumque ieris. *Sic dicit, qui inter se & Dominū quid intersit, ignorat*; qui nimirum non fortis, sed temerarius nondum expendit, quid valeant humeri, quid ferre recusent.

Sed iam inquiris, cur potiùs fortitudinis opus 5.

esse dicatur, peccandi occasiones cauere, & à lubrica peccati via diffugere; quàm inter ipsas voluptatis siue peccati illecebras, velle obsistere? Nónne excelsioris, fortiorísque animi fuerit, hostem aggredi, atque lacessere: & quasi in domo sua proculcare, non secus ac ad Martyres in carcere detentos, dicebat Tertullian. cap. 1. *Domus* Tertul.

quidem diaboli est & carcer, in qua familiam suam continet: sed vos ideo in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis. Frequens quidem, & blanda hæc, pariterque fallax non tam fortium, aut robustorum, quàm mollium, atque debilium ratiocinatio est, & meræ omnino eorum, quos petire delectat, ambages, & nugæ. Quare maximè erit operæpretium, tectas has sub specie fortitudinis blanditias omnimodis conuellere, & falsitatis conuincere. Et verò vt à priori (quod aiunt) in primis id præstem, quid inter fortitudinem, & temeritatem, siue audaciam, inter virtutem videlicet, & vitium intersit; Aristoteles lib. 3. Ethic. Aristot.

cap. 1. auctore, audi: *Quæritur, num forti nihil sit terribile, neque metuat quidduam? An nihil vetat, pro eo ac dictum est ipsum quoque timere: fortitudo enim rationem sequitur, ratio verò honesta capessere iubet; quocirca qui non per hanc sustinet, is aut stupidus*

dus est, aut confidens; verùm qui ob honestum tantùm non metuit, solum fortis est; subiicit statim: *Timidus igitur, quæ non decet, metuit, audax verò in quibus non oportet audet; fortis verò in vtroque agit quod decet, & proinde medius exsistit: nam quæ ratio dictat, ea & metuit, & sustinet, quæ magna, acerba, interitúmque inferentia, nisi sint honesta, subire haud iubet: audax verò etiam non iubente ipsa subit; timidus verò, ne si iubeat quidem, solus autem fortis ipsius iussui obtemperat.* Vides, quid audacia, atque temeritas; quid verò fortitudo sit? possis quidem vtriusque naturam ex iis in quibus persistimus explicare: nam qui peccati lubricum timet, & ab eo recedit, qui pellicientes voluptatis blanditias respicit, cadendíque pericula, quæ ratio subire vetat, cauet, is fortis est: qui verò inhonesta peccati confinia amat, subítque pro libito ea discrimina quæ ratio subire prohibet, & quæ ad certum interitum ducunt; is vt audax, & temerarius fertur, ita imbe-

S. Nilus. cillis, & muliebris animi est. Do fideiussorẽ S. Nilum in Ascetico, vbi cùm dixisset: *Virorum fortium est contra hostes progredi, & tutò insidias eorum effu-*

Gen. 34. 1. *gere.* Subdit post pauca, *Nec minus ex iis, quæ de Dina scripta sunt, intelligimus muliebris esse mentis, atque fœmineæ, ea quæ vires nostras superant aggredi, & in iis vt par est, iudicandis, decipi. Nisi enim illa petulanter ad res incolarum spectandas properasset, earum delectatione allici, & capi se non posse confidens, animi indicium rerum terrarum cogitationibus non corrupisset.* Pende illud, *earum delectatione allici, & capi se non posse confidens;* ad hunc enim scopulum frequentiùs alliditur, hîc nostri fortes impingunt, tanta securitate ad viæ lubricum & præceps accedentes; immò & per illud currentes, quasi in solido & sicco firmissimè persisterent; quod scitè dicebat Nilus *muliebris esse mentis atque fœmineæ*, plus iusto de se præsumentis. Vnde egregiæ erit fortitudinis opus, elationem istam comprimere, & sese hominem esse nosse. Firmo

S. Thom. hæc tibi ex S. Thoma 2. 2 q. 133. a. 3. in corp. Vbi dum quæsisset, an fortitudo circa timores, & audacias, tamquam moderatrix versaretur, ita concludit: *Respondeo dicendum, quòd ad virtutem fortitudinis pertinet remouere impedimentum, quo retrahitur voluntas à sequela rationis.* Quid verò virtutem, rationémve sequi, magis impediant, quàm peccandi occasiones? Hominem enim natura sua lubricum, via quæ etiam lubrica sit, ad præcipitium facile trahit; vnam iam habenti febrim, si aliam simul addas, ac duplices, morbúmque augeas, è viuis tolles: onus ferenti, si aliud super imponas, opprimes, atque obrues: sic enim hac de re citatus Cyprianus premens Pauli verba ad Galatas

ad Gal. 5. 17. 5. 17. *Caro concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem; hæc enim inuicem aduersantur sibi, vt non, quæcunque vultis, illa faciatis.* In hunc modum: *Habes nunc carnem tuam, quam superes semper. Quid tibi vis alteram velle conducere? Nemo super vnam febrem cupit adhibere peiorem, ne incipiat hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subuenire. Neque aliquis super onus proprium, tollit insuper alienum, ne oneribus duobus oppressus vsque ad inferos demergatur.* Sic ipse. Is ergo fortis, & verè fortis, qui hæc impedimenta remouerit, vt rationis ductum sequatur, & in via virtutis inoffenso pede procedat.

6. Quid hæc sibi velint, quódve momentum, ac pondus his rationibus subsit, inde coniice, quòd peccandi occasiones non remouere, idem sit, ac debilem cum strenuo, fortissimóque milite, nudum, ac inermem cũ armatissimo, telis, scutóque parato congredi velle. Quo, qui magis temerarium? quid à veræ fortitudinis ratione magis alienum? Nota singula, & peccati quidem robur ac vires, pugnacissimúmque vincendi studium, vt obiter, ita viuaci penicillo depingit nobis Apostolus ad Hebræos 12. 4. dum ait: *Nondum enim vsque ad sanguinem restitistis aduersus peccatum re-* ad Hebr. 12.

pugnantes; vbi verbum *repugno*, Græcè præsertim 4.

spectatum; est enim ibi ἀνταγωνιζόμενοι, nõ quemcunque pugnandi modum, sed eum signatissimè Græca Lect.

designat, quum acerbissimis hostibus in cruenta palæstra fatali quodam æstu efferbescentibus, is qui ab altero fuit appetitus, totis in eum neruis propugnat, atque contendit, & anhelo interiectus corpore nouum robur & vires aduersùs pugnaces hostis conatus indesinenter explicat; vnde inibi Theophylactus premens phrasim resistẽdi inquit: *Porrò cùm dicit, restitistis, ostendit pec-* Theophyl.

catum vehemens quiddam spirare, esséque eis oppositum, ipsos autem stantes, & contra nitentes: obserua illud, *vehemens quiddam spirare*, quod sic capio, ac si dicatur: peccatum lethali halitu venenum in proxima quæque diffundere; quo quidem sensu, quæ arcano sermone sub vini imagine dixit Salomon Prou. 23. 31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingredi-*

tur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & si- Prou. 23. 31.

cut regulus venena diffundet; sic accipienda reor, vt has peccati vires nobis exprimant, quæ mortem, nisi arte caueas, corpúsque, siue potiùs animum subducas, spirant; sic enim de regulo Plinius lib. 8. cap. 21. *Necat frutices, non contactos, verùm & affla-* Plinius.

tos, exurit herbas, rumpit saxa: tanta vis malo est. & Solinus.

Solinus cap. 30. *exstinguit herbas, necat arbores: ipsas etiam corrumpit auras, ita vt aëra nulla alitum impune transuolet infectum spiritu pestilenti.* Audisti peccati vires, & virus *vehemens quiddam spirans*, & flatu suo saxa dirumpẽs? Iam attende tibi, & quónam modo iusta illi acie obsistere, & repugnare valeas perpende, & vires tuas primùm metire. Num saxeus? siquidem ferox hic regulus saxa rumpit: ferreus, aut adamantinus es? Aliter quidem censet Isaias cap. 1. vers. vlt. *fortitudo vestra,* Isaiæ 1. vlt.

vt fauilla stuppæ; siue, vt ex Hebr. Forerius, *vt sti-* Forer.

pula stuppæ; & generaliter c. 40. 6. *Omnis caro fœ-* Isa. 40. 6.

num, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Subdubitabat anxiè Chrysost. hom. 3. de Ozia, quid tam di- Chrysost.

rum, & pestilens malum bonum antè Regem Oziam, inficere? quódve tam ardens, tam concitatũ tentationis fulmen de antiquæ virtutis statu, ac studio illum adeò subitò potuerit dimouere? Sed dum ad lubricam, fragilémque hominis naturam oculos vertit, sic se se hæsitatione facilè liberat: *Quin potiùs nihil hîc esse debet hæsitatione dignum, quandoquidem homo erat, res ad peccandum lubrica, & ad malitiam propensa.*

Iam cùm fortitudo tua vt fauilla stuppæ sit, 7.

peccati occasiones non deuitare, idem esse ac ad certum interitum temerario impetu ruere, nemo ambigat. Bene Seneca ep. 18. *Ignis non refert quam* Seneca.

magnus, sed quò incidat: nam etiam maximum solida non receperunt rursus arida, & corripi facilia scintillam quoque fouent vsque ad incendiũ. Meliùs, & opportuniùs Cyprianus libro iam citato de singul. cleric. *Casuale est omne quod fœminæ est, & copulatio* Cyprian.

eius semper infesta est. Fœdere suo magnas molestias præstat, & cui adhæserit contra fas, insanabilem ingerit plagam. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam. Vnde notan- Ierem. 2. 24.

tissimè Ieremias Israëlitica plebe à peccandi occasio

occaſionibus non diuertente: *Onager*, inquit, *aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam.* vbi enucleatius ex Hebr. Pagninus, *in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum occaſionis ſuæ, quis auertet eam?* ac ſi dicat; cùm morbos aſpides ſibilent, peccatúmque vehemens quiddam ſpiret, peſtilentem videlicet flatum tanquam regulus, ſiue vt ignis candentes, flammantéſque ſcintillas; quid aliud fuerit ignibus ſtipulas, ſeu ſtuppas ſeſe pertinaciùs adiungere, atque adhærere; ſiue malis ſuis non inaſſuetum onagrum amoris ſui ventum attrahere; hoc eſt, occaſiones peccandi ſectari, ac quærere; quam ſpirans venenum hianti ore excipere? ſiue in ardentem rogum non forti, ſed temerario, ac puſillo animo ſeſe coniicere? *Num quid* (Salomon Prouerb. 6. 27.) *poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, vt non comburantur plantæ eius?* hoc eſt, vt interpretatur Auguſt. ſerm. 250. familiariter cum fœmina verſari, quin quantocyus infeliciter vratur: *de familiaritate fœminarum* (inquit ille) *Salomon nos admonet, dicens: Nunquid alligabit quis ignem in ſinu ſuo, &c. Qui familiaritatem non vult vitare ſuſpectam, cito labitur in ruinam.* Qua mente Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 284. Palladium Epiſcopum nimium ſuis viribus, & dignitati fidentem, ac proinde familiarius fœminas inuiſentem, & cum illis conuerſantem, his verbis admonebat, ac vellicabat: *Quid rupe durius fingi queat? quid item aquâ mollius, & quidem aquæ guttulâ? & tamẽ aſſiduitas naturam vincit. Quod ſi natura, quæ ægrè dimoueri poteſt dimouetur, idq; quod minimè perpetitur, quâ tamen arte, aut ratione voluntas, quæ facilè mouetur, à conſuetudine non vincatur?* Ita ille. Sed præfatæ imagini opportunius Cyprianus ſermon. de ieiun. & tentat. Chriſti. *Honeſtius cum ſpiritu, quàm cum carne luctamur, quia carnis complexus fœdus, exhalans nebulas, eum, qui ſibi adhæſit, aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morſus quiſquam euaſit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longè poſitos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius, quàm aſylum requirit.* Ita Cyprian. Nec minus luculenter Chryſoſt. hom. 1. in Pſal. 50. miſerandum Dauidis ex conſpecta muliere lapſum expendens, in theatrorum ſtudioſos, ſic inuehitur: *Audiant curioſi qui pulchritudines conſiderant alienas, audiant qui ſpectaculis inſaniunt theatralibus, qui ad excuſandas excuſationes in peccatis dicunt: Spectamus quidem, ſed nihil mouemur. Dauid, talis, ac tantus læſus eſt, & tu te putas non poſſe lædi. Ille nocitus eſt, qui tantam habebat ſpiritus gratiam, & tibi quomodo credere potero ſine vulnere euaſiſſe? & ille quidem non vidit meretricem, ſed in ſolario domus ſuæ: tu autem in theatro, vbi & locus condemnat animam ſapientis; ibi enim non ſolùm vides res infauſtas, ſed etiam audis ſpurcíloquia, & ex ipſo inceſſu meretricis, habitúque molliris: vbi & auditu, & cantu diabolico læduntur aures, & vndique percutitur mens tua.* Vnde ſtatim ſic concludit: *& cùm tantæ ſint corruptelæ, tanta præcipitia, quomodo poſſum tibi credere, quòd à talibus beſtijs vulneratus non ſis; numquid lapideus es, aut ferreus?* Ita Chryſoſt.

Pagninus. *Prou. 6. 27.* *Auguſt.* *Iſid. Peluſ.* *Cyprian.* *Chryſoſt.*

8. Sed & iis non addere quæ Cyprianus citato libro, & Macharius homil. 27. hac de re ſubiiciunt, religio eſſet: & ſic quidem prior. *Mentior ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti, & quales Epiſcopi, & clerici ſimul, & laici poſt confeſſionum, victoriarúmque calcata certamina poſt magnalia, & ſigna, vel mirabilia vſquequaque monſtrata noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe, cùm volunt in naui fragili nauigare! Quantos leones domuit vna infirmitas delicata, quæ cum ſit vilis, & miſera, de magnis efficit prædam.* Vis videre leonem fortiſſimum ad nullius tyranni, ſiue carnificis occurſum pauentem à delicata fœmina edomitum atque dilaceratum? audi Machariuin, qui inter alia exempla huic rei opportuna hoc ſubiecit. *Alius perſecutionis tempore corpus ſuum præbuit, ac cum ſuſpenſus eſſet, ac efferbuiſſet, poſtea coniectus eſt in carcerem. Huic autem miniſtrabat quædam iuxta fidem pia mulier, cum qua familiaritate contracta adhuc in carcere lapſus eſt in ſtuprum.* Certo igitur certius eſt, non poſſe alligari ignem in ſinu, quin veſtimenta ardeant, & vt indidem Cyprianus, *impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, nec ardere*; ſiue, vt Bernard. ſerm. 64. in Cant. *Cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nónne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare?* Verum poſt citata priùs verba, hæc ſapienter aduerſus humanæ duritiæ incredulitatem iacit Cyprianus. *Ante nos iſta tractantur, & nullis terroribus coercemur. Quid faceremus, ſi opinionibus tantummodo geſtas hiſtorias audiremus? ſed hæc eſt ſemper incredulitas humanæ duritiæ, vt non ſolùm audiendo, ſed etiam videndo non credat alteros interiſſe, niſi & ſe ipſam viderit.* Hæc ille. Alia nos ad cap. 4. verſ. 8. prementes illud Sapientiæ 10. 7. *Et incredibilis animæ memoria figmentum ſtatis.* Vide illa. Modò preme hæc Domini apud Ezechielem verba cap. 24. 12. *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius.* quibus emphaticè innuit poſt omnem conatum atque induſtriam in ſalutem animæ adhibitum; oleum & operam fuiſſe deperdita. Sed quare? expreſſit cauſam Paraphraſtes Chaldæus, qui pro his verbis reponit: *Occaſionibus plena eſt,* vt eadem ſit cum illa ſententia Ieremiæ, *quis auertet eam:* ſiue, *nullus auertet eam.* ac ſi dicatur, quantumuis vſque ad defatigationem enitamur, & (ſi ita loqui fas eſſet) diuinas inſumamus vires, à peccando non retrahetur, cùm peccati auram ore excipiat, & inter illius occaſiones indeſinenter incedat.

Cyprian. *Machar.* *Bernard.* *Cyprian.* *Sapient. 10. 7.* *Ezech. 24. 12.* *Chald.*

Ergo monſtro huic vehementiùs quiddam ſpiranti vno ſolùm modo repugnabis, & armatus ac fortis in illum præualebis; ſi videlicet peſtilentem illius halitum declinaueris, ac fugies: *Hæc ſunt arma iuſti* (dicebat aliò intentus Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 5.) *vt cedendo vincat, ſicut periti iaculandi cedentes ſolent vincere, & fugientes grauioribus ſequentem vulnerare ictibus,* & noſtro intentus inſtituto lib. 1. de pœnit. cap. 13. *hunc ignem non alligemus in ſinu mentis, & receſſu pectoris, nec interioris noſtri vramus exuuias, & forenſe hoc noſtræ animæ veſtimentum, velaménq; carnale edax libidinis flamma conſumat, ſed tranſeamus per ignem, & ſi quod inciderit amoris incendium tranſiliat, & nõ alliget adulterinam cupiditatem vinculis cogitationum, nullos ſibi nodos aſſidua nexu meditationis adſtringat.* Ita quidem pro iuſto & iniuſto Dominum pugnaſſe, atque viciſſe ſic inquit Iſaias cap. 57. 1. *à facie malitiæ collectus eſt iuſtus.* hoc eſt, de medio ſublatus, & à Deo in tuto poſitus: ſed quam ob rem? ne ſcilicet peccaret? Maiorem quidem energiam ea ſententia habet; dum non tam à malitia, quàm à malitiæ facie: ne videlicet faſcinantes peccati oculos, atque lethalem illius halitum virus ſpirantem, & auras corrumpentem pateretur; hoc eſt, ne in lubrico occaſionis peccandi relinqueretur, collectus dicitur. 9.

Ambroſ. *Iſai. 57. 1.*

Sed de hac bellandi peritia, de his armis, de hac fortitudine, vt generali oratione, ita ſignatiſſimè 10.

nos

Lucæ 11.21. nos Assertor monuit Lucæ 11.21. cùm dixit: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet*,
Lect. Syriac. vt Lectio Syriaca reponit, *Cum strenuus quispiam armatus custodit atrium suum, in pace est possessio eius.* En arma, en fortitudinem, en strenuitatem; en denique securitatem atque victoriam; atrium suum strenuè custodire. Vbi quæso obserues phrasim, qua vsus est Assertor: nec enim ad fortitudinem, ac strenuitatem significandam dixit, fortem armatum custodire domum suam, sed potiùs atrium suum: altiùs videlicet rem petens, & bellandi peritiam ad custodiam atrij, quod ante ipsas ædes est expositum, & primùm inuadenti domum aditum offert, reuocans: ac si dicat, qui domum suam fortiter, & strenuè custodire studet, atrium armis, & custodibus munire debet, sic enim nullus oppugnatoribus patebit ad domum aditus; aliter si atrium hostis habeat, domum facile oppugnabit, & expugnabit. Nam, vt alibi dixisse me memini, frustrà à virtute præsidium expectat, qui ipsi virtuti non parat ante præsidium. Vides quid sit, armatum, ac fortem esse? occasiones nimirum quæ viam ad peccatum offerunt, immo & faciunt, omnimodo cauere ne aditum hostis inueniat: eo quidem sensu, quo, & ad Ephesios 4.27. dicebat
Ad Ephes. 4.27. Paulus, *nolite locum dare diabolo*, hoc est, ne vllum diaboli insidiis aditum, quo possit ingredi, patefaciatis; ansam enim ille siue occasionem quærit.
Cyprian. Ita Cyprian. epist. 11. *Ne diabolo insidianti, & sæuire cupienti ad nocendum detur occasio, cùm Apostolus dicat, Nolite locum dare diabolo.* & Prouerb. 5.8. Salomon adolescentem ab extraneæ mulieris consortio & amore deterrens sic admonebat:
Prouerb. 5.8. *longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* Quam enim ibi personam credis agere, quídve significare existimas mulierem extraneam? Num vt sonat meretricem? aut adulteram? Minimè; non enim ænigmatica sed historica & nimis simplex ea locutio esset: atqui alius Prouerbiorum sensus, alius illis subest spiritus; benè siquidem Basilius lib. 4. contra Eunomium:
Basilius. *Prouerbia imagines aliorum sunt, non ipsa quæ dicuntur.* Quid quod sub eo sensu, post primum hemistichium, quo admonetur, vt per aliam remotissimam viam, ac illa incedat, frigidissimè adderetur, *nec appropinques foribus domus eius*; ergo, vt inibi dico, extranea illa mulier, non alia, quàm noxia concupiscentia, siue illicita voluptas, aut peccatum est; vnde domus eius fores de aditu, siue occasionibus, quibus homo in peccatum ingreditur, atque ad illud manducitur, arcano, & legitimo sensu capiendæ sunt: iuxta quem opportunè decurrit, crescitque oratio siue parænesis, ac si dicatur, non modò longiùs ire à peccato, sed & illius occasionibus nullatenus appropinquare debes. nam dum atrium custodieris, & ante fores custodiam adhibueris, nullus domum tuam inuadenti patebit aditus. Qua de re sic opportunissimè S. Ephrem peculiari lib. in verba
S. Ephrem. illa, *Attende tibi*, cap. 9. *Ne igitur ignauum te prabeas, sed grauiter aduersario tuo resistas, & aditum per quem ingredi consueuit inimicus ad prædandum, atque lædendum te, præclude, vt non amplius inueniens ingressum, re infecta recedat.* hæc ille & alia.

***

ADNOTATIO XII.

Eos qui nimium sibi fidentes in occasiones peccandi se conjiciunt, tum victos iam esse, tum ignauos & inertes censeri.

EQVIDEM, quæ Philautiæ, siue proprij, noxiique amoris fallacia, siue 1.
fascinatio est; ea quæ hucusque diximus, sic solet eludere, vt homines qui ventum amoris siue occasionum attrahunt, hæc omnia pro se sumant; atque inde robur, & fortitudinem suam iactēt, quòd inermes cum armato hoste nec sine victoriæ spe cōgredi, atq; confligere non vereantur: sed enim, quisquis hæc infelix effutis, ne falsa hac vmbra tibi blandiaris non iam temeritatis, & audaciæ, sed ignaui, atque pusilli animi te placet arguere, & manifestè conuincere; quippe qui (miser) ante supereris, & vincaris, quàm ad certamen accinctus procedas. Quid enim esse credis, ab iis peccādi occasionibus nolle recedere, quam minutis atq; ignobilioribus hostibus manus dare? ac proinde magno cum dedecore prostrari? Nam si verum fateatis hac prorsus ratione à peccandi occasionibus non lōgè vis ire, quòd iis oblectatiunculis delectetis, atque in solatium voluptatis, quam aperta fronte nō potes amplexari, illas assumas: sic te prodente, & traducente Tertull. lib. de cultu fœminar. c. 2. dum de Gentilium pudicitia sic loquitur. *Nam & si qua in* Tertull.
Gentilibus pudicitia credi potest, vsq; adeò eam imperfectam, & inconditam constat, vt licet animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentia sese dissoluat propter vanitatem Gentilium. solatium appetēdo, cuius rei deuitat effectum. vbi scitè Afer inconditam, ac imperfectam & quasi numeris suis non constantem, eam pudicitiam appellauit, quæ à se ipsa in habitus, aut conuersationis licentia discrepat. Sed ille ad rem nostrā fuit acutissimus morsus: *solatium appetendo, cuius rei deuitat effectum*, quasi eorum animum, & genium nobis depingat, qui quidem non sine magna difficultate, acerbóq; dolore manifestā deuitant impudicitiam; sed enim in solatium eius rei, qua merentes, gementésque frustrātur, quidquid eiusdem (vt dicitur) fermenti, quod externos sensus titillet, & sine lethali crimine committi possit, auidissimè arripiunt.

Rem manifestè aperit præfatus Ieremiæ locus 2.
c. 2. 24. *In desiderio animæ suæ attraxit ventum amo-* Ierem. 2.24.
ris sui, siue *occasionis suæ*; quid enim fuerit occasionis ventum in desiderio animæ attrahere, nisi ab animo æstuante & libidinem anhelante ad id impelli? vt nouerint, qui à peccandi occasionibus non discedunt, laruam, artésq; suas facili negotio retegi, & qui fortitudinem iactitant, debiles, ignauos, & hostibus cedentes ab iis qui rectè sapiunt, haberi: ita quidem citato lib. 3. Eth. c. 2. Arist. nec Aristot.
non S. Thom. 2. 2. q. 123. art. 1. ad 2. sapienter mo- S. Thom.
nuerūt esse falsam quandam fortitudinem, quæ à lapsu, hoc est, ab affectuum impotentia oriatur: sic enim Philosophus dum quatuor falsæ fortitudinis species numerasset, *Postremo alia ex affectuum impotentia rationis expers, vt amore, iráve accensorū: nam siue amet quis, audax potius, quàm timidus erit, multáque pericula sustinebit, &c. siue ira commoneatur, nam extra se rapitur animus. Vnde & feræ siluestres fortes dicuntur, non sunt tamen: conciliatæ quemadmodum & audaces inæquales sunt vehementer.* Ita Aristot. sed vt Christiano, ita seueriori ac rigidiori calamo huic rei intentus Cyprian. lib. citato,

Volo

Volo scire, quæ sit affectio ista communis, quæ morbi dissensio semper ambigua, quæ propositum suum nutantibus consiliis impugnando conturbat. Ut quid sibi adhibuit mulierem, qui ducere contempsit uxorẽ, omnis qui non manducauerit carnem, ut quid habitationem suam carnis apparatibus replet? & qui nõ biberit vinũ, quid vini oblectatione perfruitur? quasi non aliquoties habendo, nec gustando copia esculẽtorũ animus pascitur, & vim odoriferi sola fraglãtia suscitatur (forsam legendum *satiatur*, ut & respondeat verbo *pascitur*, quod prǽmiserat & orationis series aptiùs subsistat) *sæpiùs animus: quid per hypocrisim vult ab hominib. abstinẽs dici, & in secreto carnibus, & ebrietate distendi?* Pergit apposita alia imagine: *Habent multi diuitias, quas suis usibus negant, sed pro cupiditate conseruant, quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possideret. At verò quia cupiditate possessi sunt, perfruuntur animo, quod usu nõ tangunt, ita is qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur, quãuis nullo cõcubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, coniunctione, sẽper oblectatur. Nam si desiderium fœmina nõ haberet, nũquam fœminam suis oblectamentis assumeret.* Vides onagrũ in desiderio animæ suæ attrahentẽ ventũ occasionis suæ? Sed & eodẽ lib. acutè Cypr. *Nec quisquã sibi proponat, & dicat; habere volo quod vincam? hoc est enim dicere, viuere volo sub ruina.* O præclarum vincendi modum!

3. Id autem quàm sit verum, ipsæmet dæmonis artes abundè demõstrãt: ut enim is aduersùs infestissimos sibi hostes, qui ad militiæ leges sese exercent, omnia tentationum tela contorquet, & fortissimas blandissimarum delitiarũ, siue diuitiarum machinas, & arietes instruit, ita eos qui ventum occasionum attrahunt, non nisi leui flatu ridens oppugnat, atque expugnat. Audi aduersùs cautos, & fortes ingentes illius conatus quibus eos aggreditur. *Aduersarius vester diabolus* (inquit Petrus ep. 1. c. 5. 8.) *tanquã leo rugiens circuit quærens, quem deuoret.* Pende ferociã leonis, simúlque militares industrias, ac dolos, quibus animæ arcem obsidẽs undequáque circuit, ut vi, astúve capiat: sed in hac etiam obsidione obseruationẽ, ob quã rugiens obambulet; & omnem machinã moueat ut expugnet; quod videlicet cautum, circumspectúmque ac clausum animũ reperiat; ut ex arcis imagine undique clausæ, atque munitæ apparet. Unde Cypr. lib. de zelo, & liuore, *circuit ille nos singulos, & tanquam hostis clausos obsidens muros explorat, & tentat, an sit pars aliqua minus stabilis, cuius aditu ad interiora penetretur.* quo gustu de Dauide dixit Basil. Seleucẽs. orat. 17. *paruula quadam sui parte nudatum ab armis optimatẽ furtim cecidit;* nimirum ad eum, qui sibi cauet deiiciendum, & expugnandum, omni armorum, & fraudũ genere uti, opus est. Iam verò, quã aliter cum iis, qui temerarij in pericula feruntur, se gerat, leui eos halitu non sine irrisione deiiciens, atque prosternẽs, sic noráter affirmat Iob c. 41. 12. *Halitus eius prunas ardere facit.* ubi si inquiras; cur non dixerit, ligna siue carbones, quod magis videbatur, sed ad rem, prunas quæ ex se ipsis iam ardent, *ardere facit*; respondebo ex Isidoro Hispalensi lib. 3. sentent. c. 5. *Diabolus non est immissor, sed incensor potius vitiorum: neque enim alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi ubi priùs praua cogitationis delectationes aspexerit, quas si à nobis spernimus sine dubio ille confusus abscedit; statimque franguntur iacula concupiscentiæ eius, contemptaque iacent & sine luce faces*; ac si de iis sermo sit de quibus dicebat Cyprian. *quamuis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, coniunctione semper oblectatur*; en concupiscentiæ fomenta, quæ dæmon succendit: sed quomodo? Num plurimum id illi negotij facessit: Minimè: immò verò, *Halitus eius prunas ardere facit.* Leui scilicet flatu; nullo fraudum siue technarum sumptu: sed vili quapiam esca tanquam stolidæ ac rudi auiculæ palam appositæ: ita omnino Gregor. Magn. lib. 31. Moral. c. 30. siue apud alios codices 17. ubi cùm dixisset: *Hostis itaque callidus contra cælestem militem diuersa percussionum vulnera exquirens, modò ex pharetra per insidias eum sagitta vulnerat, modò ante eius faciem hastam vibrat, quia videlicet vitia, & alia sub virtutum specie contegit, & alia ut sunt aperta, eius oculis opponit.* Subiicit, *ubi enim infirmari Dei militem conspicit, illi fraudis velamina non requirit: ubi autem sibi resistere fortè considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat. Nam cùm infirmum quempiam in carnis illecebra videt, apertè corporis speciem, quæ concupisci valeat, eius obtutibus offert.* Hæc & alia Gregor.

Hinc Ananiæ emphaticè dictum fuit à Petro, 4.
Anania cur tentauit Satanas cor tuum? Actuũ 5. 3. Nam si dixeris, à Satana potius, cur Ananiã tentauerit, quàm ab Anania, cur tentatus fuerit, fuisse perquirendum: occurram, magno iure Petrum eum in modũ inquisiisse, siue Ananiã increpasse: perinde enim fuit, ac si diceret cur concupiscẽtiæ fomenta in te primum incendisti, quæ ille subinde halitu suo inflammaret & ardere faceret? aliàs non ausus, neque inflammaturus: Firmat hunc sensum lect. Græca, & eodem it Syriaca, Græcè siquidem pro *tentauit*, est ἐπλήρωσε, *impleuit*, siue *compleuit*: quod nullatenus cum Beda, & aliis eo sensu capiendum videtur, ac si hominis animum, & mentem, quem solus Deus verè implet, Satanas satiare, siue implere polliceatur, sed potiùs de complemento quod peccato ab Anania iam quasi initiato, dum cõcupiscentiæ fomẽta dabat, & à cogitationibus quæ ad ipsum pelliciebant, non discedebat, ipse halitu suo reddidit, prunas ardere faciens atque inflammans, *neque enim alibi concupiscentiæ fomenta succendit, nisi ubi priùs prauæ cogitationis delectationes aspexerit.* Unde Greg. Nyss. orat. de fugiẽd. fornic. de castissimo Iosepho sensuũ suorũ portas aduersùs heræ impudicitiam communiente opportunissimè dixit. *Ignitum est telum fornicationis, sed quæ cremaretur, non inuenit materiam, immò verò in veste factum fuit, & dissolutum.* Pende illud, *non inuenit materiam*; inflammaturum quidẽ si inuenisset: quare statim, *Paratus stabat diabolus adulterij pronubus, & simul cum fornicatrice stringebat vestem, & socius erat ansarũ, quas ipsa apprehendebat, sed nesciebat se luctari cum veterano athleta pudicitiæ, & qui ab illius ansis se facile exuebat.* Ita Nyss. Ergo acutè increpat Petrus: *Cur tentauit Satanas cor tuum?* hoc est, cur diaboli flatui prunam te exhibuisti? Cur peccatum ab illius cogitatione non discedens, initiasti? Sanè quod vulgo dicitur,

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Huc non abs re transtuleris, quasi qui à peccandi occasione, atque periculo non recedit, *dimidium facti*, siue peccati habeat: nam dum solatiũ appetit eius rei, cuius deuitat effectũ: peccati saliuam, siue gustũ (heu!) percipit; & verissimè quidem Græca parœmia ex Theocrito in idyllico 10. *dicitur:* χαλεπὸν χορίω κύνα γεῦσαι, hoc est, *intestina semel canem adgustasse periculosum.* nam *neque canis* (ita Lucianus) *desiturus est, qui semel corium edere didicerit.* Certè Ambr. ep. 42. hæc sensa expressisse videtur,

Marginalia: Greg. Magn. — Act. 5. 3. — Lect. Græca. — Lect. Syriaca. — 1. Petr. 5. 8. — Cypr. — Basil. Seleuc. — Iob 41. 12. — Isidorus. — Greg. Nyss. — Theocrit. — Lucianus. — Ambros.

tur, inquiens: *quia serpentis fraudibus inuoluta est humani generis hæreditas, in eo astutiam serpentis sequamur, vt caput nostrum non proyciamus in pericula, sed præcateris integrum custodiamus.* vbi si attendis, pericula siue occasioni peccati, peculiari antithesi opposuit Ambros. integrum, & inuiolatum esse, quasi in pericula proiici, idem fuerit, ac viciatum, & peccati initiatum esse.

5. Venio iam ad illud quod à posteriori demonstrare promisi; eos qui viribus suis nimium fidũt, & fortitudinem suã iactant, ignauos plerúmque & timidos, grauioribúsque periculis, atque negotiis impares esse: & sanè in hanc sententiã quotquot pleno pectore sapiunt, manibus & pedibus (vt dicitur) eunt. Nam Aristot. citato lib. 3. Ethicorum. *Temerary* (inquit) *prompti, & volentes sunt ante pericula periclitari, sed in ipsis deficiunt: at fortes in rebus, & factis securi, antea quietissimi.* ad quem modũ Eustah. *confidens ante rem, plerũque ignauus*; sed ab Aristotele edoctus Cornel. Tacit. fortissimum militem ex Othonis persona sic describit lib. 1. hist. prope finem: *& fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus.* de ignauis verò Galbæ militibus eod. lib. 1. antè dixerat, *ignauissimus quisque, & (vt res docuit) in periculo non ausurus nimy verbis, linguæ feroces.* Vnde quidẽ prouerbij loco cessit pulchrũ illud Tertul. scomma lib. de corona militis, *in pace Leones, in bello cerui.* quasi ij, qui nimij verbis ante discrimen leones se iactant, in ipso discrimine ignauissimos, fugacésque ceruos sese exhibeant. Certè hac in re pro Tertul. egregiè fideiubent Claudianus, atque Synesius, dum prior militem Leonem nomine, ante periculum Leonem se ferociter iactantem, terroréque omnia implentem, sic inducit.

——iam cuncta furore
Qui grauat, efficiam leuiorem puluere lanæ,
Targibilum tumidum, desertorésque Gothumnos
Vt miseras populabor oues.

Sed enim cùm primùm hostem, quem adeò despiciebat, eminus aspexit.

Ipse Leo dama, ceruóque fugacior ibat
Sudanti tremebundus equo.

Synesius verò ep. 104. venustam narrationem instituit de Ioanne quodam, qui egregium belli ducem se esse dicebat, & artem breuiter, ac feliciter vincẽdi docere pollicebatur, simul iactans, hostes sola aduentus sui fama non fuisse ausos irrumpere: ipsis postea in campum descendentibus, ante *quam intra teli iactum veniretur* (inquit Synesius) *cum milites, eò quòd regio illa minimè equitatui esset opportuna, equis delapsi ad certamen se accingerent, generosus ille nequaquam se in equitum iura peccaturum dixit: sed equestre certamen initurũ. Qui igitur? frænis violenter detortis conuertens se quanto poterat impetu fugiebat, equum cruore spargens omnibus habenis laxatis, stimulisque omnibus adhibitis, ac crebra verbera vóxque hortamentũ sonans.* subiicit Auctor: *in quo difficile admodũ dictu est, virùm potius laudasset quispiã, equum ne, an equitem: nam ille eodẽ modo per prona, eodem per accliuia, pérque consita, nõ minus quàm nuda ferebatur; vno impetu fossas trãsmittebat, supra tumulos attollebatur, hic vbique equo insidebat, nec vsquam de sessione prolapsus est.* Hæc & plura seria, & falsa Synesius ea de re: en leones igneum furorem spirantes; nimios verbis, linguæ feroces.

6. Do tibi hæc omnia Dauidico testimonio firmata; ille siquidẽ Ps. 54. 9. in Deum gratabundus refert, quòd eius auxiliari manu à pusillitate & confractione, siue nimia deiectione animi iã olim fuerit liberatus: *expectabam* (inquit) *eum qui saluum me fecit, à pusillanimitate spiritus, & tẽpestate.* vbi vides pro vna, eadémque pusillanimitatem, siue (vt Aug. & alij legũt) pusillũ animum, & tẽpestatem positam fuisse: vnde Hieron. codẽ modo vtráque vocem est interpretatus, legens: *festinabo vt saluer à spiritu tempestatis, & turbinis.* Quò maximè facit duplex Genebrardi obseruatio, dũ primò adnotat, spiritũ ibi poni pro animo vehemẽter commoto, atque rapido; deinde ait, nonnullos legere *à vento vehementius tumultuante, quam tẽpestas.* Nec omittam hunc ventum siue turbinem plus premere: certè ex Hebræa voce, quod apud Mercerum in eius expositione Rabbi Salomon admonet, *spiritus eradicationis, propulsionis*, siue *translationis* significatur, sumpta imagine à vehemẽtissimo & rapidissimo vẽto, qui arbores radicitus euellat, omniáque rapiat atque proturbet. Dices; quid ergo hæc sibi volunt: aut quî hæ locutiones subsistere possint: cùm à nimia deiectione, & consternatione animi, nihil videatur magis alienũ, quàm ille adeò vehemens, rapidúsque spiritus, qui omnia sursum deorsũ vertat, terrásque cœlo misceat: sed respõdeo, optimè hæc quæ ad speciẽ compugnantia videntur, sibi ipsis constare, eundémque sensũ reddere; quippe spiritus eradicationis, ac propulsionis, qui vno flatu omnia cõturbaturum & eradicaturum cõminatur, idẽ ipse est, cum pusillo abscisso & confracto animo, qui à leui folij motu territatur, atque prosternitur, & qui in pace leo, in bello ceruus est; vt in leone illo vehementes verborum, minarúmque turbines excitãte & sese florentissimum strenuorum militum exercitũ, vt miseras oues populaturum esse iactante; qui non multo post damã leuior, ceruóque fugacior ibat sudanti tremebundus equo, manifestè apparet.

Sed iã nostro instituto aptanda, & cõpingenda hęc sũt. Adhærescere volebat Domino scriba ille, de quo suprà ex Luc. c. 7. 57. nec minus quã quocunque Christus iturus esset, ipsum se fore secuturũ promittebat, atque iactabat, qua sanè omnino de causa, vt timidus atque ignauus & Christianis laboribus impar, & ineptus à Christo reiectus est; id sic adnotante Chrysol. ser. 19. dũ post illa verba, quæ superiùs adduximus, *decipit, non accedit, qui promittit Dominũ incautè sequi* addit: *videtis, quod scribam Christo non repulit volentem, sed fingentem prodidit, & horruit præsumentem.* benè *fingentem prodidit*; ostendens eos qui in pace, siue exteriùs fortissimos leones sese iactitant, in bello, timidos, fugacésque ceruos esse: sed opportuniùs Petri exemplũ adduxero. Aperiebat discipulis passionis suæ scandalũ Christus, inquiens: *Omnes vos scãdalũ patiemini in me in ista nocte; scriptũ est enim: Percutiam pastorem, & dispergẽtur oues gregis.* Quid tũ Petrus? aduersùs Scripturas & Christi asseuerationẽ? *Et si omnes scandalizati fuerint in te ego nunquã scandalizabor*; & apud Lucã c. 22. 33. *tecũ paratus sum, & in carcerẽ, & in mortẽ ire.* Hæc Petrus. Verùm enim verò Christus præsumentẽ horruit, & vana iactantẽ prodidit, dum apud Ioan. 13. 36. inquit: *quò ego vado, nõ potes me modò sequi: sequeris autem postea.* ac si diceret, minimè ô Petre perferẽdæ morti idoneus, ac opportunus modò exsistis, cùm hoc fortẽ animũ, & constantẽ exigat; is verò à præsumente longè absit. nam in periculo minimum ausurus, nimius verbis, & linguæ ferox est: ita certè dicebat Bernard. serm. 37. in Cant. *non superbi, vel arrogantes, sed humiles potius, qui de se præsumere nesciunt, martyrio idonei sunt.* Vnde de Petro notanter postmodum dixit Matth. c. 26. 58. *Petrus autem sequebatur eum à lõgẽ*, quæ sic premit August.

Marginalia: Aristot. — Eustath. — Corn. Tacit. — Tertul. — Claudian. — Synesius. — Ps. 54. 9. — August. — Hieron. — 7. — Luc. 7. 57. — Chrysol. — Matt. 26. 31. — Luc. 22. 33. — Ioan. 13. 36. — Bernard. — Matt. 26. 58.

Aug.st. August.ser.121. de tempore. *Petrus promissor egregius capit ambulare longinquus*; nimirum *confidens ante rem, plerumque ignauus*, vt dicebat Eustathius.

8. At enim subtilius, arcana licèt imagine acumen contegens, Petri præsumptionem cum ignauia coniunctam designauit Dominus, dum illi apud omnes
Matt.26.34. Euangelicæ historiæ scriptores dixit: *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis*, Matth. 26.34. siue, vt est apud Marcum, c. 14.
Marc. 14.30. 30. *priusquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*: vbi meritò ambigas (quamuis id Interpretes prætermiserint) cur Petro Christum negaturo, cantantis galli signum potius quàm aliud quodpiam ab eodem Domino datum fuerit? Dixeris id fuisse mitissimum Christi ingenium, atque eam de Petri salute curam, ac sollicitudinem, vt anticipatam morbo medicinam adhibuerit; iam tunc ex galli cantu negaturum Petrum præmonens vt eo subinde audito è peccati somno surgeret, atque resipisceret. Benè, sed opportuniùs vt opinor, dixeris signatè galli imagine vanam Petri animositatem, qua carcerem, & mortem se libenter subiturum, audentiùs pollicebatur à Christo fuisse increpatam, quòd ea sit galli natura, atque conditio, vt ante pugnam, victoriam canat, ac de ea exultet; vnde galli cantus prouerbiali locutione ad nimiam confidentiam, atque inanem iactationem, qua ignauus quisque nondum inito certamine de aduersario triumphat, & vrsi pellem, quem nondùm telo transfixit, vt est in parœmia, securus diuendit, vsurpari solet: sic quippe in Theæteto dixit Plato, *galli degeneris instar*
Plato. *ante victoriam canit*: ac si Petro negationis crimen prædicens Dominus, simul ingerat, non aliam illi fortitudinem, quàm gallo degeneri qui ante victoriam sæpiùs canat, inesse, dum ipse *ex egregio præsumptore* (ita August. ep. 120. *de gratia noui testamenti* ad
Aug.st. Honoratum) *tam creber negator effectus*; immò verò vt inani præsumptione & vana gloriatione, ita in ignauia, & pusillanimitate gallo Apostolum longè præire, dum priusquàm gallus bis vocem dederit, ter ipse Christum foret negaturus. Nostri quòd veræ fortitudinis, quòd falsæ, siue ignaui, atque pusilli animi signum fuerit? certè fortissimus Dauid cùm & ab insidiis Saulis victor euasisset, & ab ipso suauissimis compellationibus appellatus certior fuisset redditus, omnibus subinde offensionibus oblitteratis in eius gratia semper permansurum, nihilo deinde remissior, nihilo securior factus tutiora loca quæsiisse dicitur 1.Reg. 24.23. sic enim ibi post relatam Dauidis victoriam & magnificas Saulis promissio-
1.Reg. 24.23. nes: *abiit ergo Saül in domum suam, & Dauid & viri eius ascenderunt ad tutiora loca*. Ergo valde & tu quisquis fortem te iactas, & fac similiter.

Tam ad præfata verba, *cum metu, & tremore*, quam ad ea quæ vers. seq. subiungit Paulus: *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere, &c.*

Adnotatio XIII.

Deum iis signatè opem ferre, qui occasiones peccati diffugiunt, illis verò peculiaria auxilia denegare, qui temerarij in pericula ruunt.

1 Nec extra chorum me saltare putem, si hoc in loco illorum præcludam effugium, qui pericula amantes, in illa non casuros se sperant, quòd vt illi infirmi & imbecilles sint, peccatum verò vehementiùs spiret; ad manum tamen cui vis diuina sit protectio, & auxiliaris manus quæ lapsantem teneat, in lubrico firmet, mediísque in flammis illæsum seruet: vnde cœlum ruere citius posse, quàm ipsos à Deo fore deserendos sibi persuadent. Scilicet eadem ipsorum ac trium puerorum causa fuerit, vt sicut iis ob egregiam fidem, & in Deum pietatem in caminum ignis coniectis, ipse *medium fornacis, quasi ventum roris flantem* fecit; ita illis in desideriis animæ Dan.3.50.
suæ trahentibus ventum occasionis suæ, & in sinu suo ignem alligantibus; eóque sese in solatiũ eius rei, cuius deuitant effectum, confouentibus, refrigerantem, ac vitalem auram Deus sit immissurus, quibus sic occurrit Gentilis Manlius non sine risu apud Liuium lib. 6. *Dij prohibebunt hæc inquies*, Tit.Liuius.
sed nunquam propter te de cœlo descendent, tibi dent mentem oportet, vt prohibeas. Aptior tamen, atque grauior Pauli occursus hoc in loco dum præfatis verbis, *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, subiicit: *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Eam signatè rationem nostræ curæ, atque circumspectionis ad cauendas peccati occasiones reddens, quòd Deus sit, qui vitalem animæ spiritum ad bona opera peragenda suggerat; ac si dicat, iis illum opem ferre præstò esse, qui cum hoc metu & tremore suam salutem operantur; non verò illis, qui abiecto metu temerarij in peccatorum pericula se iniiciunt. Quam quidem sententiam ita expressit Cypr. citato sæpius lib. de singular. Cleric. *Custos nobis datus est spiritus*, Cypr.
non vt contraria eligentibus faueat, nec vt voluntarios, & pronos in aduersa confortet: sed vt ab aduersis nitentes separari confirmet. Ita ille.

Accinit Regius Vates Psalm. 138. 10. inquiens: 2.
Si sumpsero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. vbi si primum obserues, dex- Ps. 138. 10.
teram à Dauide ad salutem significandam vsurpari, vt Psalm. 19. 7. *salus dexteræ eius.* Et alibi, quò Psalm.19.7.
etiam phrasis *deducendi* quæ leniter & manu iniecta in signum amoris ducere, significare solet, ire videtur: deinde si non contempseris lectionem Gaudentij Brixiensis sermone 14. quæ habet: *Si sumpsero pennas meas in directum*, siue Apollinarij: *si verò etiam restigradas alas ventis extendero*; Gauden.Brixiens. Apollin.
cuius lectionis vim postmodum aperiam, & pro illis verbis, *habitauero in extremis maris*, cum Tertulliano, siue Nouatian. libro de Trinitate, cap. 6. Tertull.
notanter reposueris, *abiero trans mare*, appositum hunc cum Ambrosio inibi sensum elicis: si ego memet seruabo, Dei manu seruabor: hoc est, si peccandi pericula fugero, & extra maris discrimina me posuero, peculiaribus Dei auxiliis confouebor, & fulciar: ita enim Ambros. *Qui vult manu Christi leuari, ante ipse euolet, habeat pennas suas.* Sic Ambros.
planè Tertullianus libro de idololatr. cap. 24. *velificata diuino Spiritu fides nauigat, tuta si cauta, secura si attonita*, non obscurè innuens, tunc potissimum diuini Spiritus flatum, opémque adesse, ac persentiri, cùm timens, ac tremens qui nauigat, & inter marinos scopulos cautus incedit: vnde Nyssenus orat. *de fugienda fornicatione*, cum cautissimum Iosephi ingenium aduersùs libidinosæ heræ illecebras adnotasset, subiicit. *O iustam, quam Deus Iosephi curam gessit!* quasi iis ex iustitiæ debito, vt ita dixerim, opem ferre Deus teneatur, qui sibi cauent, & à lubrico tentationis recedunt. Tertul.

Sanè in persimilem sententiam opportunè com- 3
posuit

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Pſ.118.101. poſuit idem Ambroſ. octonar. 15. in Pſ. 118. 101. ea Pſalm. verba: *ab omni via mala*, ſiue *lubrica* (vt ſuperiùs vidimus) *prohibui pedes meos*: cum illis Pſalm. 114. 8. Pſal.114.8. *Qui eripuit pedes meos à lapſu*: vt inde peculiari munimine protegi, ac communiri Vates meruerit, ne in peccata laberetur, quòd ipſe ſeſe à peccandi occaſionibus, & delictorum lubrico cuſtodierit. Audi illum hæc, & alia Scripturæ loca ſic ſapienter pertractantem: *Prohibe ergo pedes tuos ne cadas. Sunt enim non ſolùm criminum, ſed etiam infirmitatis pedes, & videndum ne cadas, & vide* 1. ad Cor.10. *tibi forſitan bene ſtare. ſed dicit tibi Paulus*, & tu qui ſtas, vide ne cadas. *Diligenter attende viam tuam, vt* Deut.5. *audias*: Tu autem hîc ſta mecum: *ſtans enim cum Domino, lapſum timere non poteris: ſtans cum Domino poteris dicere*, eruit pedes meos à lapſu; *ſed ita eruit Dominus pedes tuos ab omni lapſu, ſi cognouerit, quòd tu prohibeas pedes tuos à lapſu: ideo hoc meruit Dauid, vt Deus à lapſu pedes eius erueret, quoniam pedes ſuos ipſe prohibebat, ne præcipiti, atque incauto peccatorum laberentur veſtigio.* Hactenus Ambroſ. Quòd ſi, vt adnot. 10. num. 7. vidimus, calceati pedes cautiſſimum incedendi modum, oculatámque circumſpectionem ad pericula vitanda ſignificant; vide Deut.33.24. Moſis eundem ſenſum ſpirantia verba Deut. 33. 24. *Benedictus in filiis Aſer: tingat in oleo pedem ſuum. Ferrum & æs calceamentum eius*; etenim cùm oleum myſticè diuini Spiritus gratiam adumbret, largiſſimis diuini auxilijs imbribus irrorandum Aſer annunciat, quòd pedes affectuum à lubrico peccatorum conſtringere ſtudeat; æreáque ſiue ferrata calceamenta, portet, ne criminum, ſiue noxiæ conuerſationis lutum pedibus adhæreat; vel, ſi poſteriora verba, *ferrum & æs, &c.* non vt præcedentium rationem, ſed vt illis adiuncta, ſiue diſiuncta velis accipere, in idem ſenſus recidit: tùc nimirum maximè cautum, & circumſpectum hominē reddi, cùm diuina ope, & auxilio fulcitur. Porrò vt vt id ſit, illud eſt manifeſtum diuinum auxilium, & cautionem, atque circumſpectionem connexa in vicem eſſe.

4. Pſ.118.120. Firmat hanc cogitationem idemmet Regius Pſaltes Pſalm. 118. verſ. 120. ſic Deum exorans: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Vbi ſi attendis, id ipſum à Domino petere videtur, quòd ſe ipſum præſtare affirmat, vnde iure ambigas, qui hæc oratio ſubſiſtat? Da mihi timorem tuum, ſiquidem ego te timeo. Nam reſponderit aliquis, *Quod petis, iam habes.* At enim verò pulchra ineſt his verbis ſentẽtia, qua innuit Dauid, ad egregium diuini timoris donum petendum, obtinendúmque eos ſolummodo ius habere, qui mundi, carniſque pericula vehementer timent, & corporis laſciuiam cohibere & caſtigare non deſinunt: ſecus verò immeritò diuinum ſibi ſperare affuturum auxilium, qui ſe ipſos cuſtodire & extra pericula ponere nolunt. Hæc ſic diffundente S. Iſidor. Peluſ. S. Iſid. Peluſ. lib 4. epiſt. 2 ad Zoſimum. *Riſu profectò dignus mi homo, (quem ego quo nomine appellem neſcio, dum ſtuporem tuum reprehendo) quando precaris* confige timore tuo carnes meas. *Eorum enim hæc eſt precatio, qui quod in ſe eſt, conferunt, & ieiunant, & ſua ſorte contenti, paruóque beati viuunt, eáque ratione carnis exultantem laſciuiam caſtigant, & compeſcunt, quique cælitus opem, & auxilium ſuæ exercitationi mitti poſtulant. At illis minimè conuenit, qui quemadmodum tu facis, crapula immodica corpus ſaginant, & variis omnimodiſque delitiis eius petulantiam tantum abeſt, vt reprimant, vt potiùs excitent.* Optimè illud *opem, & auxilium ſuæ exercitationi mitti poſtulant.* Námque Ambroſ. vt dicebat Ambroſius, *ita eruit Dominus pedes tuos ab omni lapſu, ſi cognouerit, quòd tu prohibeas pedes tuos à lapſu.* Ergo timenti pericula, pleniſſimum timoris ſui donũ Deus impertitur, is verò qui in illa temerario auſu ſe coniicit, nullum ad diuinum obtinendum præſidium ius habere dixeris. Adiungit præter aliam alibi à nobis appictam venuſtam imaginem Iſidorus. *Perinde quaſi ex naui te ipſam in immenſum pelagus proiiciens, pro ſalute, & conſeruatione tui ſupplicares.* S. Iſid. Peluſ. *Et quo pacto, quæſo, hunc talem hominem, ipſa, ſi velit, ſalus ſeruare poſſit? Nam iis, qui omnia, quæ in re ſunt, implent, quique artem ſuam in auxilium vocant, ne à tempeſtate ſubmergantur, eiuſmodi competit precatio: nequaquam verò iis, qui etiam antequam coorta in mari fuerit tempeſtas, ſe ipſos in pelagus præcipitant*; concludit. *Deſine igitur delicias facere.* Similia habet duabus ſequentibus epiſtolis quas vide.

Proſtratum, & iacentem nullus eſt, qui non proterat, atque conculcet; ita Petrum toties à no- 5.
bis incuſatum, Origenes tractatu 35. in Matth. Origenes. acrius denuò obiurgat, quòd dicente Domino, *Omnes vos ſcandalũ patiemini in me in nocte iſta*: ipſe audaciùs reſponderit, *& ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquàm ſcandalizabor*: cùm potiùs timere, & tremere, atque ſuæ infirmitatis memor obnixius à Deo efflagitare, vt opem ipſi afferret, ne ſimul ſcandalizaretur, debuerit. *Debuerat enim* (inquit ille) *poſtquam audiuit*: quia omnes vos ſcan- Matt.25.33. dalum patiemini in hac nocte, *& poſtulaſſe Dominum, & dixiſſe: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, eſto in me, vt non ego ſcandalizer: & dona mihi præcipuè gratiam hanc, vt in tempore cùm omnes diſcipuli tui fuerint ſcandalum paſſi, ego in denegationem non cadam, nec ab initio ſcandalizer.* Quod ſi ſic ſe gereret, quid inde? reſpondet Origenes: alium forſitan rei euentum fore futurum, vt nimirum Chriſti gratia illi ſuccurrente negationis peccatum euaderet: ſed quónam modo illi ſuccurreret? Num, inter ancillarum eum interrogantium voces: & in ipſamet peccandi occaſione opem illi tribuens? Non opinor: ſed extra telorum iactum potiùs illum conſtituens: ancillulis videlicet tentantibus ab eo longiùs remotis, & negationis occaſionibus, & anſis ſubductis, atque præciſis. Audi: *ſi enim poſtulaſſet, forſitan amotis ab eo ancillis, cæteriſque miniſtris non denegaſſet.* Pulchrè: ſic enim Deus opem ferre conſueuit, vt quos alit, & fouet, à peccandi occaſionibus arceat. Quod ſanè non abs re poſſis confirmare ex iis Pſalm. 33. 8. verbis quæ cap. 1. verſic. 21. adnot. 5. num. 10. alio ſenſu cepimus: *immittet Angelus Domini in circuitu timen-* Pſalm.33.8. *tium eos, & eripiet eos*: ſub iiſdem enim obſeruationibus inibi exhibitis, notanter verò ſub Hebræi Lect. Hebr. verbi (noſtro Latino *eripiet* reſpondentis) in coniugatione *Piel* accepti ſignificatione, quæ refertur ad tranſpoſitionem, ſiue tranſlocationem, magno impetu, & vi factam: huic inſtituto mirificè deſeruiunt. Nam dum Angelum ex Dei præſcripto, ſuppetias iuſto ferentem, excubiáſque circum ipſum facientem inducit Vates, totam diuini auxilij rationem eo defert, vt illum à peccandi periculis magno impetu remoueat, & quàm longiſſimè ponat. *Cuſtos* quippe, vt dicebat Cy- Cypr. prianus, *nobis datus eſt ſpiritus, non vt contraria eligentibus faueat, nec vt volantarios, & fortes in aduerſa confortet, ſed vt ab aduerſis nitentes ſeparari confirmet.*

Iam quidem iuſtam metus cauſam ex Pauli ra- 6.
tione, quòd Deus ſit, qui operatur in nobis velle, & perficere, accipe; nam vt Deus ab aduerſis nitentes ſeparari, confirmat, & ſumentem pennas, & trans mare fugientem; dextera ſua leuat,

& adiuuat : ita pericula & occasiones peccatorum amantes peculiari sua gubernatione destituit, & grandioribus auxiliis desertos esse patitur: quam ad rem signatissimum tibi ex Psalmo 124. locum appono : *Psal. 124. 4.* dum enim numero 4. dixisset Dauid, *Benefac Domine bonis, ac rectis corde*; subiicit : *declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Vbi obserua, inter rectos, & improbos, siue qui operantur iniquitatem, medios à Propheta, poni, qui declinant in obligationes : atque ea de causa, quòd in obligationes declinent, adduci à Domino in sortem & locum eorum qui operantur iniquitatem : sed enim, scire est operæ pretium, quid sit, declinare in obligationes ? *Græca Lectio.* Non dubium, quin Græca vox στραγγαλίας significet nexus, siue implicationes laqueorum, eadem est enim quæ habetur, vt omnes admonent interpretes, apud Isaiam 58. 6. *Isai. 58. 6.* *solue fasciculos deprimentes.* *Tertull.* Hoc est (vt legit Tertullianus libro 4. con. Marc. cap. 37.) *violentorum contractuum obnexus* : vnde declinantes in obligationes opportunè interpreteris, eos, qui peccatorum pericula non cauent, sed ad laqueos, atque insidias, hoc est, ad delictorum occasiones libenter accedunt : hi enim medij sunt inter rectos, & operantes iniquitatem; cùm vna ex parte peccatum reapse non perpetrauerint, immò nec perpetrare se velle iactent : ex alia verò, recti corde non sint; quippe qui Deum in toto corde non exquirunt, sed abducentes se à via recta obliquè cum ipso incedūt: nimirum *pennas in directum*, siue *rectigradus*, ad fugienda peccati discrimina non sumunt, sed iuxta ea indesinenter versantur. *Pagninus.* Quare plures cum Pagnino in expositione Hebrææ vocis עֲקַל *bhacal*, quæ huic respondet, Latinam *obliquationes* legendam, siue hoc sensu capiendam volunt *obligationes*. quod quidem ventum occasionum suarū attrahentibus mirè quadrat : ex his verò is resultat sensus, Deum, vt rectis corde benefacere, & abundantiora suæ gratiæ dona impertiri solet, ita iis qui salutaribus monitis spretis in peccandi pericula se coniiciunt, efficacia auxilia sua quibus anima subsistit, & constat, iusto iudicio denegare. Vsus est autem eleganter Vates verbo *adducet*, quod renitentem trahere significat; non quidem, quòd Deus positiuè, vt aiunt, hominem ad peccantium adducat, *Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, *Iacobi 1. 13.* Iacobi 1. 13. nec etiam quòd peccans inuitus, ad peccandum trahatur, volens enim libénsque peccat; sed vt ostenderet, & Deum in humanæ audaciæ atque nimiæ confidentiæ pœnam, eum qui stabat, paterna & peculiari illa gubernatione, qua suos instituere & protegere solet, destituere, &, hominem tunc insperato casu, & quasi ægro animo cadere; quòd quamuis cùm cecidit, voluntariè, & libenter peccauerit; at ipse antequam ad peccandi occasionem accederet, suis viribus nimium, & stultè confisus, minimè crediderit ab ea in peccatum fore trahendum : expressit hæc scitè, & breuiter sanctus Petrus Chrysologus *Chrysolog.* sermone 70. eam orationis Dominicæ particulam, *& ne nos inducas in tentationem*, sic explicans : *Deus, vt scriptum est, neminem tentat, sed tentare dicitur, cùm contumaciter euntes ad tentationum laqueos derelinquit.* Opportunè illud, *euntes ad tentationum laqueos derelinquit:* vt superbos, vt amentes, vt indignos, quibus ipse commiliter.

7 Certè si attendis, Petri negatio, quam tam prolixè atque acriter onerauimus, non tantùm peccatum, sed etiam peccati audaciæ & temeritatis pœna, ac supplicium fuit : id quod sic docet Orig. *Origenes. Matt. 26. 33.* citato tract. 35. in Matth. *Et quoniam non solùm inconsideratè, sed penè etiam impiè dixit : & si omnes fuerint scandalizati in te, ego non scandalizabor; nec cogitans lubricam naturam humanam, magnū pretulit verbum, ideo nec ad modicum est derelictus, vt scilicet denegaret, vel semel denegaret, sed abundantiùs derelinquitur, vt ter denegaret, vt arguatur audacia promissionis eius per vnam ancillam.* Sic ille. Nec minus perspicuè Tertul. *Tertull.* lib. 4. contr. Marcion. cap. 42. inquiens. *Nam & Petrum præsumptoriè aliquid elocutum, negationi potiùs destinando Zelotem Deum tibi ostendit.* Pulchrè *destinando*, quasi in rem illi debitam; hæc enim, stultæ fidentiæ, atque temerariæ præsumptionis digna merces, vt diuino munimine destituatur. *Nam quicumque* (ita egregiè Cyprianus *Cyprian.* dicto libro de singular. clericorum) *perniciosis conatibus audet exerere virtutem, inuanem non habet Spiritus sancti : ordine igitur suo, non nostro, virtus sancti Spiritus ministratur, & secundùm institutum eius prælia prosperantur*; vnde sic minaciter, seu dolenter exclamat : *Væ, qui per præsumptionem aliquid faciunt, & non per Deum.* Pende illa, *Ordine igitur suo, non nostro, virtus sancti Spiritus ministratur.* Quibus sapienter admonet Cyprianus, immaniter eos decipi, qui se se in pericula inijcere non verentur, quasi secum diuinam opem, siue volentem, siue renitentem trahant : cùm illa non adduci, seu trahi, sed deducere, & præire sit solita, & in summa, sic prohibeat pedes tuos ab omni lapsu (vt dicebat Ambrosius) si cognouerit quòd tu prohibeas pedes tuos à lapsu : quòd si secus feceris, & contumaciter ad laqueos iueris, ne dubites quin ab ea derelinquatis, & vt negationi Petrus, ita lapsui destineris : digna prorsus retributione *vt labatur pes eorum*, Deuter. 32. 35. *Deut. 32. 35.*

8 Sed volo tibi magna benignitate indulgere, & flammis incolumen te euasurum dare. Quid? Ideo ne apud Deum rectum rerum pensitatorem laudem, & non potius acrem reprehensionem mereberis ? Adeò es rudis, vt ignores sapientes viros res non ab euentibus, sed à consiliis quibus aguntur, ponderare; & bonis successibus temere obtentis reprehensionem, & pœnam; malis verò bono fine, sanáque mente ductis laudem & præmium assignare ? Audi hac de re Isidor. Pelusiotam lib. 3. epist. 205. vbi cùm pulchram oratoris imaginem apposuisset, cui causa plus imbecillitatis habens commissa est, atque ideo victoria ob disparem apparatum ab aduersario steterit; inde sic sapienter infert. *S. Isid. Pelus.* *Quorsum hæc commemoraui? Nempe quia ij qui sapientes habentur, non ab euentu, sed ab animi instituto res ponderant; ac sæpe numero eos, qui victi esse videntur laude, & prædicatione efferunt eos contrà, qui victoriam adepti sunt, laudibus haudquaquam afficiunt. Illi enim nihil eorum, quæ facienda erant, prætermiserunt, etiam si alioqui, nihil eorum, quæ instituerant, confecerit. Hi autem in sui capitis perniciem victoriam plerumque adepti sunt.* Hæc Isidor. Quibus adiungas Iureconsultorum *de re militari* *L. 3. ¶. de re milit.* agentium placita; quæ milites aduersùs Imperatorum iussa pugnantes : *etiam si res bene cesserit*, morti addicunt.

8 Illud verò non aliter nisi cum risu, siue cum sibillis excipi debet : quod illinc ex Christi institutione, atque præscripto in oratione Dominica, quam singulis horis recitare non desinis, instanter à Deo petas : ne te in tentationem inducat: hinc verò tu quotidie temetipsum in tentationem inducere non cesses. Quid enim quæso te postulare credis, cùm ais, *& ne nos inducas in tentationem,*

 sed

Matth.6.13. *sed libera nos à malo*? Matth.6.13. Anne vnquam in certamen cum tentatione descendas, siue vt illa te nunquam inuadat, vt aliqui explicant: at quî id fiat? cùm tentatio si vita hominis super terram. An verò, ne in tentationem incidas? Non id prorsus negauerim, cùm frequentior Patrum interpretatio sit; sed cur is sensus dubia, & in aliud propendente phrasi exprimatur, ignorare me fateor: ergo crediderim, id nos à Deo petere, vt auxiliante manu prope à tentationis ictu nos remoueat, nec prope illam nos stare, & quasi sub illius hasta, gladióve esse permittat, vt nimirum, non de proximo, sed eminus, & tuto in loco positi, & periculo superiores cum tentatione pugnemus: quò sanè ire videtur ea locutio, *ne nos inducas*: ac si is, qui cum tentatione certat, id sibi opis, & securitatis habeat, si longiùs ab eius ictu educatur; tunc verò anceps discrimen atque periculum, siue potiùs certum interitū obeat, cùm sub illius gladium inducitur. Videor mihi ex Tertull. hunc sensum eruere, qui lib. de orat. cap.5. non modò pro illis verbis, *sed libera nos à malo*, reponit, *sed euehe nos à malo*; sed ex his præcedentia elucidari, sic affirmat. Tertull. *Eo respondet clausula, interpretans quid sit*, Ne nos inducas in tentationem, *hoc est enim: sed euehe nos à malo*. Ita ille. Sanè vt eminentiori in loco positis non tantùm tentationi suppares, sed ea præstantiores, ac fortiores euadamus; quis enim ignoret, militem eò fortiorem & hoste superiorem esse, quo ex altiore loco cum eo pugnat: ergo id sæpe à Deo efflagitas ne in tentationem te inducat, siue vt à peccandi occasione & tentationis ictu remoueat; id verò sæpe tu facis, vt in tentationem teipsum inducas, & occasione non vocante eam secteris, & trahas: & aduersarij ictibus feriendum, & confodiendum te exponas: en prudentiam! en sapientiam tuam!

9 Sed iam mihi castissimum Iosephum obiicis ad tentationum laqueos euntem, & ab illis diuino protectum auxilio saluum, & incolumen euadentem; nam in grauissimo illo tentationis, quam pertulit, æstu, atque conflictu, non videris ad illius lubriculum impudicam heram, sed ipsum, potiùs ad locum, vbi ipsa stupro opportuna iacebat, venientem; Genes.39.11. sic enim Genes. 39. 11. *Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret, & ipsa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret dormi mecum*. Vides, inquis, illum intrantem, & absque arbitris intrantem? iam sumus ergo pares. Sed enim, qui Iosephi exemplo inniteris, vt peccandi occasiones secteris, quasi diuino protegendus fueris scuto, atrociter erras; ille siquidem in occasionem non irruit, sed incidit; quippe ab ea cogitatione alienissimus ad sui ministerij munia obeunda pergebat; ideo notanter Moyses, *accidit*, inquit, *vt intraret domum, & operis quidpiam faceret*. Lect. Hebr. quæ si Hebræos, & Chaldæos Codices, consulas, necessariam operam, quam ille officio suo nauare deberet, ostendunt: Hebraïcè siquidem est; *ad faciendum opus suum*, & Hebræa quidem vox, quæ operi respondet, propriè significat, *opus ministeriale* Lectio Chal. *& seruile*: Chaldæus autem habet, *vt inuestigaret scripta rationis suæ*: vt iustissima ratione Iosephum excusaret, quòd in tentationis laqueos nolens & inuitus deuenerit, credito sibi muneri, atque ministerio inuigilans, qua sanè ratione adeò non est censendus occasiones & pericula amasse, vt ab illis potiùs se se proripuisse, & diuini Spiritus iuuamen accepisse dicendus fuerit. S.Cypr. *Ordine igitur suo, non nostro, virtus sancti Spiritus ministratur, & secundùm institutum eius prælia prosperantur*.

10 Nec pigebit, quando huc vsque processimus, vltima iis, cum quibus contendimus, solatia eripere: vix enim manus dare adhuc volunt, sed in vltimo vitæ halitu, spiritum haurientes. Quid tandem? inquiunt: esto hæc ita fuerint, & declinantes in obligationes adducamur cum operantibus iniquitatem: nónne vt horum, ita & nostri Deus miserebitur? immò & nostri priùs, qui non omnino proiecta ad malum audacia, sed pedetentim ad peccatum accedentes dum in vltimo gradu intra lineas eramus, à præcipitio infeliciter correpti fuimus? Hæc tu mihi; sed tibi alia denunciat Sapiens, inquiens: *Quis miserebitur incantatori à serpente percusso?* Ecclesiastici 12.13. quasi venia dignus non sit, qui sciens, & prudens, (ô inscitiam, & imprudentiam!) malum sibi imprudenter accersit, & serpentis virus manu tractare audet. Eccl. 12.13. *Etenim bellum quod præter voluntatem incidat*, (inquit Basilius in constitut. monast. cap. 4.) Basilius. *nobis excipere, fortasse necessarium sit; ipsum verò aliquem sibi voluntarium creare, id summæ stultitia est, siquidem ignosci ei forsitan possit, qui in illo priore victus sit, (nolim autem hoc omnino Christi athletis euenire:) at, qui in posteriori hoc superatus discedat, præterquam quòd rem admodum ridiculam facit, non meretur, quod sibi ignoscatur*. Hæc Basilius; ea verò omnino ad hanc rem ab ipso dici, satis ostendunt, quæ immediatè sic subiicit. *Quapropter fugiendæ in primis cum mulieribus congressiones sunt, collocutionésque: nec vnquam ad eas accēdendum*. Nec verò hæc Basilij sensa perinde accipienda sunt, quasi is, qui occasiones & peccati pericula amans, peccat, veniam à Deo impetraturus non sit; quis enim tam stultus fuerit, qui Deo misericordiam suam super omnem carnem effundenti modum imponere, & eandem nauim, in qua vectamur omnes, perforare velit? sed quòd is non tam dignus venia videatur, quàm ille qui extra telorum iactum positus, & cum peccato ad leges artis pugnans, malo fato ob humanam imbecillitatem superatus est. Porrò in Dauide piè id alter Basilius; (Seleucienfis scilicet Antistes oratione 17.) Basil. Seleuc. ad veniam illi dandam excogitauit, quòd insidiis petitus, & cum aduersario manus conserens deciderit; sic enim ille orat. 17. *quando Dominus locutus est ad Nathan, mittens illum ad Dauid*, sub Domini persona loquitur: *Ne verearis dignitatem regiam, noui bellatorem meum, qui inimico terga non dedit, sed deprælians vulneratus est: non est ab euentu mente alienatus, neque ea res hominis propositū immutauit, æstu, non vi prostratus est, optimè se gerens, non fugitans, ictus est*. Nimirum solarium domus suæ conscendens, nec de mulieris forma, siue conspectu, cogitans, in eam infeliciter incidit; nec propè accedens, sed de longè videns carnis fragilitate, & cupiditatis æstu lapsus est.

Huc reuoco acutam dubitationem, quam recentiores, eruditi quidem, & limati iudicij interpretes primum excogitarunt in persimilibus Genes. verbis cap.6.5. & c.8.21. dum ex vna eadémque: ratione, nimirum ex cogitatione hominum ad malum procliui, priori loco ad extremum illis supplicium inferendum, posteriori verò ad ipsis ignoscendū, suámque indignationem mitigandam, Deus incitatus dicitur: sic enim ira accensus, c. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum, pœnituit eum, quòd hominem fecisset, & tactus dolore cordis, intrinsecus: Delebo, inquit, hominem*; capite verò 8. eodem, vt videtur, tenore verborum, lenissimam cogitationem expressit. *Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines; sensus enim, & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua*. En eandem vtrobique rationem, quæ hîc absoluat; illic damnet; hîc ignoscat, illic puniat, & extinguat. *Nequaquā*, inquit, 11 Genes.6.5. Genes. 8.21.

male

maledicam. Quare? Reddit rationem: *sensus enim & cogitatio hominis ad malum prona sunt.* Ac si dicat, cur non misereat fragilis, labentis, fatiscentisque naturæ? Iam vt doleat,& irascatur inde adducitur, *quòd cuncta cogitatio humani cordis intenta esset ad malum.* Vides eandem aciem vtrinque flecti, & quasi præuaricari? Sed hæc si conciliant ij Auctores, vt cùm Deus ad puniendum mouetur, id ipsum maximè impellat, quòd cogitatio hominis ex prauo habitu, peccati assiduitate adquisito, quod sanè malitiam magis infensam reddit, ad malum inclinetur: cùm autem de ignoscendo, & miserendo agit, inde moueatur,quòd cogitatio hominis ad malum prona sit,hoc est,quòd fomitem peccati, ab Originali culpa dimanantem in se habeat, à quo ad malum inclinetur. Doctè quidem,& acutè:ego verò ad rem præsentem id sic inflecto; vt ea ratione Deus hominis misereri dicatur, quòd luteus ille,& fragilis suapte natura sit. Nam *quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est,quoniam puluis*
Ps.101.13. *sumus,homo sicut fœnum dies eius.* &c. Psal. 102. 13. quòd omnino sonant ea verba: *sensus enim,& cogitatio cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.* Inde verò ad pœnas sumendas potissimum accendatur,quòd viderit hominem luteum,& fragilem se se velut accurato studio fragiliorem, & magis luteum reddi,innatam sibi ad malitiam procliuitatem peccandi illecebris, & occasionibus roborans atque augens. Quare verba in hominis exitium citata, vt diuersa ab iis quæ illius causæ fauebant, obserua. Sic enim Moyses. *Videns Deus quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum.* Preme illud, *cogitatio hominis intenta esset:* aliud quippe fuerit,cogitatio ad malum *prona,* aliud *intenta;*illa enim naturalem procliuitatem,hæc verò noxium studium,atque malitiam,quæ cogitationem suopte ingenio ad malum procliuem magis intendit,atque armat denotant; quid enim fuerit cogitationem ad malum intendere, nisi eam veluti arcum tendere,& armare? Iam quid sit ad malum se se hominem armare,pete ex adnotat. 10. num. 9. dicen-
S.Cyril.Alex. te inibi S.Cyrillo. *Nolite conqueri de infirmitate carnis:tu illam aduersùs spiritum tuum armas, & potentem facis,cùm illam carnibus satias,&c.* Iure ergo vt illinc ad miserendum, ita hinc ad puniendum Dominus incitatur, *siquidem ignosci ei forsitan possit, qui in illo priore certamine victus sit,*(vt dicebat Basilius) *atqui in posteriore hoc superatus discedat, non meretur, quòd sibi ignoscatur.* Sed iam ad alia Pauli verba, atque mysteria.

VERSVS XIII.

Deus est enim qui operatur in vobis velle,& perficere pro bona voluntate.

1 SIGNATE' de hoc Pauli loco affirmaueris, quod ipse generali oratione omni scriptura dixit 2. ad Timoth. 3.
2.ad Timoth. 3.16. 16. *Vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus,* nam ab ipso vt egregia orthodoxæ fidei dogmata mirificè firmantur, & hæreticorum errores conuelluntur;ita mortalium negligentia, & torpor acriùs stimulantur, vt in Dei obsequium, à quo vitalis animæ spiritus,& auxiliorum gratiæ largitio pendet, atque dimanat, accuratiùs incumbamus. Hæc suo ordine tradenda, & Pauli in primis contextus instituendus.

Deus est enim.

NOn eadem ab omnibus Patribus huius versus cum præcedenti assignatur connexio,siue non 2
eandem causalis particulæ, *enim* reddunt omnes rationem. Nam præter Prosperi sensa ad expositionem præcedentis versus allata num.7. Chrysostomus, & sui ad Philippensium animos confouendos, eorúmque spem maximè excitandam;contra verò August. Anselm.& Leo magnus atque Fulgentius ad timorem illis ac metum incutiendum,ne ob inanem gloriam à Dei gratia deserantur,hæc referunt. Sic enim Chrysost. *Ne illud tibi timorem incutiat, quod dixi,* Chrysost.
cum timore, & tremore; *non enim ideo dixi,vt desperes,vt virtutem, rem huiusmodi esse putes, quàm consequi nullo pacto queas,sed vt mentē adhibeas,nec te ipsum remittas, & quasi fatisca: si hoc attuleris, Deus omnia operabitur,tu confidito.* Ita Chrysost. pressiùs, & obscuriùs Theodor. *Non quòd vel inuitos cogat,sed quòd* Theod.
animi promptitudinem, & alacritatem inueniens, eam auget gratia. Quę sic opportuniùs diffundit Theoph. Theophyl.
cùm dixisset: cum timore,& tremore, *nunc inquit,sed nihil propterea vobis verendum est:nec enim vt desperetis,hæc intuli,sed vt sitis cautiores. Si enim caueritis, & solertiores vos præstiteritis, Deus omnia peraget:ipse est enim,qui ad eiusmodi voluntatem,& promptiores facit.vt bona velimus & animi eiusmodi promptitudinem ad finem deducit.* Ita Græci.

Augustinus verò lib de natura,& gratia, cap.27. 3
Quare ergo cum timore, & tremore; *& non potius* August.
cum securitate,si Deus operatur?nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, vt quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat, in abundantia sua non mouebor in æternum; *ideo qui in abundantia sua præstiterat,*decori eius virtutem, *auertit paululum faciem suā,vt qui hoc dixerat,fieret* conturbatus(Psal.
29.8.) *quoniam ipse est ille tumor sanandus doloribus.* Psal.29.8.
Ita ibi, & eodem modo in Psalm. 103. concion. 4. *Dicis ô Paule.* operamini; *dicis vt operemur. Quare?* cum timore, & tremore: Deus est enim, *inquit,* qui operatur in vobis. *Ideo ergo cum tremore, quia Deus operatur, nam si non tremueris eum, auferet quod dedit.* Similia etiam habet epist.208.sermone verò 94. de tempore præfata Psalmi 2.verba. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore,*ad hanc sententiam sic adducit. *Hæc autem est summa eruditionis,* August.
Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore; *exulta ei, non tibi; ei,à quo es,quod es: & quòd homo es:& quòd iustus es,si tamen iam iustus es:si autem putaueris, quòd ab illo quidem homo es, à te autem iustus es, non seruis Domino in timore, nec exultas ei in tremore, sed tibi in præsumptione: & quid tibi fiet, nisi quod sequitur;* ne quando irascatur Dominus,& pereatis, *inquit,* de via iusta; *non enim ait,* ne quando irascatur Dominus, *& non intretis in viam iustam,sed* pereatis de via iusta. *Iam enim videris tibi iustus, non rapiendo alienum,non adulterando,non homicidium faciendo,non falsum testimonium aduersùs proximum dicendo:patrem, & matrem honorando;vnum Deum colendo,idolis, & dæmoniis non seruiendo;de hac via peribis si tibi ista præsumpseris:si tibi ista à te esse,putaueris: infideles enim non intrant in viam iustam, superbi pereunt de via iusta.* Hæc August. Et ab eo Anselm.

Anselm. in comment. hûc in modum: *Tanquam ergo interrogaretur Apostolus, & diceretur ei, Quare dixisti*, cum timore, & tremore: *horum verborum rationem reddidit, dicens:* Deus est enim qui operatur in nobis, *ne enim sibi inde aliquid darent, quia dixit*, operamini; *continuò subiunxit*: Deus est enim qui operatur in vobis: ideo, cum timore, & tremore, *id est, cum humilitate. Si enim timetis, & tremitis, non extollimini quasi de vestris operibus, quia Deus operatur in vobis. Timendum est vobis ne fortè quod datum est humilibus, auferatur superbis.* Consentanea sunt, quæ habet Fulgentius epist. 6. ad Theodor. cap. 7. quæ vide: vt Leonis Magni tibi appingam verba, sunt ista ex serm. 8. de Epiphan. *Quis illic præsentem non intelligit maiestatem, vbi veram vidit apparere virtutem, quæ vtique sine Deo nulla est, neque proprietatem obtinet dignitatis, nisi spiritu sui vegetetur auctoris: vnde & Apostolus copiosissimus fidelium cohortator:* cum timore, *inquit*, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere: *& hæc sancti is causa est metuendi, atque tremendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Sic Leo. Cui sententiæ mirificè inseruiunt, hæc quæ modestissimus Bernard. serm. 54. in Cant. de seipso ob elationem atque superbiam, splendore gratiæ à Deo denudato sic dixit: *Superbia inuenta est in me, & Dominus declinauit in ira a seruo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio. Vbi illa inebriatio spiritus? Vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ, & gulæ indulgentior: segnior, obtusiórque ad prædicationem. Heu omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat.* Hæc & alia multa in hanc rem Bernard. pro egregia animi sui demissione, nostrique institutione.

Fulgentius. Leo M. g. Bernardus.

4 Et verò posterior hic explicandi, & connectendi modus germanior, & opportunior Pauli verbis & instituto esse videtur: sed enim sic plusculum dilatandus est; vt quemadmodum illa verba, *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*: non solùm aduersùs inanem gloriam, sed etiam vt fideles omnem curam, atque sollicitudinem in vno salutis negotio collocarent, capienda diximus, ita hæc eodem ductu non modò ad inanis gloriæ cupidos, sed ad inertes, & tepidos in diuino obsequio compungendos, & stimulandos, ne ope gratiæ deserantur, referenda sint. Porrò hanc Pauli mentem esse vel inde liquet, quòd ipse sic explicatus sensum communem habeat cum Vate præfato Psalm. 2. post illa verba, *seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, subiiciente: *Apprehēdite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Hoc est vehementiùs in Dei obsequium, atque eius præcepta custodienda incumbite; ne Deus ob vestram negligentiam, & ingratitudinem grauiter infensus, suam vobis opem subtrahat; & à iustitiæ tramite decidatis. Huc enim manifestè Pauli mens, & sensus inclinat. Hanc verò sententiam, quam hîc subintellectam reticuit Paulus in epist. ad Hebræos enucleatissimè expressit cap. 12. 12. inquiens: *Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur: contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei.* Sed hæc verba alibi pensiculatiùs expendenda.

ad Hebr. 12. 12.

Qui operatur.

5 De verbo ἐνεργῶν, pro quo noster posuit *operatur*, moneo propriè significare, efficaciter, siue actu operari. Quare statim, & ad significandum opus externum actu, ac efficaciter impletum, eo vsus est Paulus; & noster interpres, qui modò explicuit *operatur*, inibi reposuit, *perficiens*: sanè ἐνέργεια Latinè eodem sono *energia* idem, ac efficacia, siue efficax vis, quæ in aliquo agit. Ita quidem apud Rhetores energia dicitur is loquendi modus atque ratio, cuius propria vis est, vt quæ dicuntur, non otiosè, & frustrà dicantur, sed ea potiùs vi, atque efficacitate, vt persuadeant atque delectent. Vnde opportunissimè Paulus in bonis nostris operationibus Deo tribuit energiam; cuius auxiliaris manus, & gratia facit in nobis, ne vires, siue internæ, siue externæ, quibus operari valemus, otiosæ, siue non operantes sint, immò potiùs actu ad opus prodeant. Quo sensu dixit August. in Enchirid. cap. 32. *Nolentem præuenit, vt velit volentem subsequitur, ne frustrà velit.* Notetur ille dicendi modus Augustini, *ne frustrà velit*; perinde est enim, ac si ex mente Pauli dicatur, vt actu, & efficaciter operetur. Hanc verò energiam nostri arbitrij vires, ac libertatem minimè eneruare adnot. 1. ex hoc ipso Græco, atque Latino verbo ostendemus.

Lectio Græca. August. August.

6 Aptauerit verò opportunè his verbis, præsertim iuxta nostrum vulgatum illa Genes. 2. 15. de Deo primum hominem in paradisum inducente, & collocante: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*: prout ab Augustino explicantur lib. 8. de Genesi ad litter. cap. 10. Neque enim ipse sic dicta hæc existimat, vt hominis industria, & operatio in paradiso colendo, & custodiendo exprimatur, sed potiùs vt innuerit Moyses, Deum vt hominis creatorem, ita etiam virtutum, quas ille exercebat, auctorem & operatorem extitisse, sic enim August. *Est alius in his verbis sensus quem puto non immeritò præponendum, vt ipsum hominem operaretur Deus, & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram, sed vt cultam, atque fructuosam; sic Deus hominem multo magis, quem ipse creauit, vt homo sit, eum ipse operatur, vt iustus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat.* Et statim: *Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundùm animam, & secundùm corpus, mutabilis res est, nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus conuersus substiterit, vt iustus, beatúsque sit, non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem, vt homo sit; ipse operatur hominem, atque custodit, vt etiam bonus, beatúsque sit.* Hæc & alia ibi August.

Genes. 2. 15. August.

In vobis.

7 Efficaciter ex his verbis liberum arbitrium adstrui adnot. 1. ex S. Thomę commentario ostendemus; modò falsam Durandi sententiam, siue potiùs errorem licet confutare is quippe in 2. dist. 37. quæst. 1. in eam opinionem discessit, vt assereret, Deum quidem potentias nobis, atque virtutes quibus indesinenter operari possemus, iam semel aliquando dedisse: at ipsum immeditatione suppositi causam nostræ operationis non esse. Quæ fuit etiam Gentilis Senecæ importuna mens lib. 2. natural. quæst. cap. 46. hæc effutientis. *Interim hoc dico, fulmina non mitti à Ioue, sed sic omnia disposita, vt ea etiam quæ ab illo non fiunt, tamen sine ratione non fiant, quæ illius est. Vis eorum, illius permissio est. Nam & si Iupiter illa nunc non facit, fecit vt fierent, singulis non adest, at signum, & vim, & causam dedit omnibus.* Ita Seneca

Durand. Seneca.

Seneca, atque Durandus, Deo tantùm concedentes, quantum pueri rotis, ac trochis, quos cùm ipsi scuticâ priùs mouerint, deinde sinunt à semetipsis currere; contra verò inquit Paulus: Deus est, qui actu, & efficaciter non tantùm per nos, sed etiam in nobis agit ipsum velle, siue ipsammet volitionem liberam, quâ nihil magis solius hominis esse videbatur: ita notanter Primasius hîc aiens. *Deus, inquit, qui operatur in vobis. Non solùm vobiscum, sed intus in vobis miro modo infunditur, & donatur.* Primas. Etenim *nos etiam ipsi quòd renascimur* (sic Gaudent. Brixiens. tract. 8. *de lectione Exodi*, explicans, quomodo requieuisse Deus dicatur, qui semper operetur) S.Gaud. *quòd hæc ipsa opera Domini ex parte nouimus, quòd viuendo vitam quærimus, quòd futurorum spem gerentes piè conuersamur, & loquimur, Dei, inquam, Dei sunt opera.* Ita ille. Nec minus ad rem Gentilis Trismegistus in Pimandro cap. 11. inquiens, *si à quopiam opere influxum suum ille subtraxerit, deficiente vita in mortem corruent vniuersa.*

8. Verùm de sententia, siue errore Durandi Scholastici, ad quos maximè id pertinet, videndi sunt, & præsertim Molin. in 1. par. quæst. 14. art. 3. Sed Molin. dum illi imprudentem hunc dicendi, siue sentiendi modum ex his Sapientiæ verbis cap. 8. 1. *Attingit à* Sap. 8. 1. *fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, refutant; illud apud ipsos obiter desidero, (nam ipsi non explicant,) qua eorum verborum parte, siue qua ratione Durandi error conuincatur. Crediderim, intellexisse Theologos, illis verbis conuelli *à fine vsque ad finem*. Quasi sensus sit, attingit non modò finem vnum, id est, terminum *à quo* intrinsecum, hoc est, initium creaturæ; eius videlicet naturam, vires, facultates, quas initio suæ productionis recipit, sed etiam alterum finem, siue terminum, hoc est, omnes eius operationes, quibus vnaquæque creatura finem vltimũ attingit. Quæ fuit inter alias Bernardus. Bernardi interpretatio in tractatu de gratia, & libero arbitrio, sic dicentis: *Vel certè attingit à fine vsque ad finem; hoc est, ab ortu creaturæ vsque ad finem destinatum à Creatore, siue in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia.* Ita ille.

Velle.

9. NOn agit Paulus solùm de promptitudine animi, siue de eo affectu, quo in bonum propendemus, vt visus est interpretari Theophilact. inquiens: Theoph. *Ipse est enim, qui ad eiusmodi voluntatem, & promptiores facit, vt bona velimus, & animi eiusmodi promptitudinem ad finem deducit.* Idem. Sed de ipsomet efficaci boni desiderio atque consensu interiori quẽ vocationi præbemus, siue de bona voluntate, aut volitione, qua opus virtutis actu volumus, vel vt clariùs dixerim de interiori boni operis actu, qui in externam postea materiam, siue operationem prodit; ita in primis lectio Syriaca, quæ habet: *Deus est,* Lectio Syriac. *qui operatur in vobis, vt velitis*; deinde Augustinus pluribus in locis: & sic primum lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. circa medium. *Illud autem ne-* August. *scio quomodo dicatur, frustrà Deum misereri, nisi nos velimus: si enim Deus miseretur, etiam volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus.* Deus enim est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. *Nam si quæramus, vtrùm Dei donum sit voluntas bona? mirum, si negare quisquam audeat. Atenim, quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quòd bene volumus: nobis verò tribui non potest, quòd vocamur*, ita ibi & expressiùs lib. 2. de peccatorum meritis, c. 18. *Si ergo voluntas, aut bona est, aut mala est, vtique malam non habemus ex Deo, alioquin nescio cùm ab eo iustificamur, quo alio munere ipsius gaudere debeamus, & hinc scriptum arbitror*, Paratur voluntas à Domino; *& in Psalmis*, à Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet; *& quod Apostolus ait*, Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Ita Augustinus. Ad cuius gustum Primasius in commentario. *Conticescat* Primas. Fulg. *humana superbia, & non dicat, Ex me habeo bonum velle, quia & hoc in vobis occulta inspiratione Deus operatur, qui non solùm fidem, sed & perseuerantiã donat. Sed fortè dicet aliquis: ergo meum nihil est: totum tuum est. Sed gratias donatori, quia bona voluntas à Domino præparatur.* Sic Primas. Similiter Fulg. lib. 1. ad Monimum, c. 9. *Omne* (inquit) *opus quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit; ex ipso enim, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: ex ipso ergo est, & voluntas bona, & operatio bona, quod Doctor gentium his verbis affirmat.* Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Ita ille, & eodem lib. c. 11. *Præuenit donans homini bonam voluntatem: subsequitur bene volentem operando in illo boni operis facultatem.* Hæc Fulgentius, quæ fusiùs etiam persequitur ep. 6. de conuersione ad Theodorũ. Sed & Bernard. Bernard. lib. de gratia & libero arbitrio docens, quomodo Deus in nobis operetur hæc tria, cogitare, velle, & perficere; *primum, scilicet cogitare sine nobis; secũdum, scilicet velle nobiscũ; tertium, scilicet perficere, per nos facit.* Hæc subinde sic explicat, *siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiã malam voluntatem sibi per consensum iungit, ministrando & consensui facultatem foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.* Hæc Bernardus. An tamen in hac tam apposita, támque facili explicandi ratione aliquis scrupulus, sicut in scirpo nodus quæri possit, ad expositionem eius particulæ huius versus *pro bona voluntate*, dicam.

Et perficere.

VT Græcè quod iam monui n. 5. idem sit verbũ, pro quo noster immediatè reposuit *operari*, 10. atque ideo Aug. citato loco lib. . de peccat. merit. & August. remiss. c. 18. & lib. de corrept. & grat. c. 9. & alibi sæpiùs legat, *Deus est enim qui operatur in vobis velle, & operari*; scitè, & sapienter noster Vulgatus, cui nunquam eruditio deest, maluit legere, *perficere*; cum allusione ad prouerbialem loquendi modũ, quo Græci de eo, qui ob animi leuitatem, atque inconstantiam: siue etiam quòd ei necessaria non suppetant: res inceptas, siue imperfectas relinquere solet: (vt ille qui *cæpit ædificare, & non potuit consummare*, Lucæ Luc. 14. 30. 14. 30.) dicebant, *Haud perficiet*: qua parœmia alicubi vsus Homerus: ait,

perficiet nunquam hanc viam. Homerus.

Cui quidem adagiali locutioni, illæ sunt contrariæ, *à primis lineis ad vltimas: à calce vsque ad metas*: quibus innuitur, superatis omnibus difficultatibus, & impedimentis inceptam rem ad finem vsque fuisse perductam: quod hoc etiam prouerbio Græci explicãt, *circulũ absoluere*. ad quod forsan allusit Dion. Areop. Dion. Areop. lib. de diu. nomin. c. 4. vbi cùm dixisset. *Hoc vero audemus dicere, quòd ipse qui est omnium causa, propter excellentiam bonitatis omnia amat, omnia perficit, omnia continet, omnia conuertit ad se, & est diuinus amor, bonus, & boni propter bonum*, explicans quomodo omnia amet, atque perficiat, subiicit, *Diuinus amor veluti circulus quidam sempiternus propter bonum conuersione inerrante circumambulans, & in eodem secundùm idem, & progrediens, & manens, & reuertens*: Sic ille. Sed de hoc alibi.

Sed

11. Sed enim, cùm & singula opera nostra, & totum etiam bonorum operum cursum perficere Deus dicatur, non facilè statuas, quo sensu hoc loco Apostolus loquatur. Et verò Scholastici, inter quos signatè ij, qui signatissimi, Mol. in 1. p. q. 14. a. 13. disp. 17. con. 2. Suarez tom. 3. de grat. lib. 10. c. 4. con. 1. Bellarm. tom. 3. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 12. P. Leonardus Lessius non modò maximo ingenio vir, ac de omni litteratura optimè meritus, sed eximiæ etiam pietatis, atque modestiæ (quod obiter lubens dixerim quòd hoc in loco ab importunissimo nescio quo interprete intemperato contumeliç calamo velut atramenti effusione in gratiis denigretur) lib. de gratia efficaci, cap. 11. omnino censent de perseuerantia à Paulo sermonem institui. Addunt Suarez & Lessius eundem his verbis, ac illis cap. 1. versic. 6. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi IESV*, sensum inesse, atque ideo Deum dici in nobis operari & perficere partim per dona habitualia, quæ cum dedit velle infundit, partim per quotidiana auxilia, quæ indesinenter largitur quod per hæc, iuncta diuina protectione, atque gubernatione, qua ipse numquam destituit, quos in soliditate suæ dilectionis instituit, accipiat homo potestatem perseuerãdi, perficiatque id quod in prima iustificatione proposuerat, nempè custodiam mandatorum vsque in finem. Sed & Lessius contendit hanc esse Concilij Tridentini mentem, dum sess. 6. cap. 13. ait: *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant, Deus enim nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.* Pro hac verò interpretandi ratione nonnulli ex antiquioribus stare videntur. Sic namque Primasius, *conticescat humana superbia, & non dicat, ex me habeo bonum velle, quia & hoc in vobis occulta inspiratione Deus operatur, qui non solùm fidem, sed & perseuerantiam donat.* Et post modũ. *Perficere sine dubio ipsius est, qui dixit, sine me nihil potestis facere. Perficit in nobis dum implet, quod dixit:* ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi, *qui cœpit in nobis opus bonũ, ipse perficiet vsque in finem.* Hæc ille. Deinde Anselmus pro huius hemistichij cõmentario hæc Augustini verba ad perseuerantiæ donum spectantia aptat. *Nam neque de perseuerantia boni voluit ipse, sanctos in viribus suis gloriari, sed in ipso, quia eis non solùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo nõ possint perseuerare, si velint, sed in eis operatur & velle, vt quia non perseuerabunt, nisi & possint, & velint, perseuerandi eis, & possibilitas, & voluntas diuina gratiæ largitate donetur.* Hæc ab Augustino Anselmus. Quare hanc explicationẽ Augustino nonnulli etiã volunt impingere: sed de mente Aug. luce clarius statim cõstabit.

Molina. Suarez. Bellarminus. Lessius.

Conc. Trid.

Primasius.

Anselm.

12. Vt verò Scholastici huic explicandi modo adhærere maluerũt, ita interpretes, nescio quo fato, vnanimi conspiratione ab ipsis diuulsi, verbum *perficere*, non de perseuerãtia, siue de vltima manu, & perfectione, quæ præcedentibus operibus imponenda sit, sed de actione externa, quæ internum affectum, siue actum exsequitur, accipiunt: sic enim post alios disertissimè Iustinianus, Cornelius, & Guillielmus Estius Syriacam in primis lectionem secuti, quæ habet: *Deus est qui operatur in vobis, vt & velitis, & vt perficiatis id quod vultis.* Deinde Augustino insistentes (à quo iure miretur aliquis Scholasticos discessisse) ille enim non modò (quo suprà memini) pro *perficere* sæpius legit *operari*, sed etiam lib. 1. de gratia Christi, cap. 5. admonet, non solùm in Græcis, sed in pluribus etiam codicibus Latinis eũ in modum hæc legi, inde sic ea statim explicat. *Videte si nõ Apostolus gratiæ Dei futuros aduersarios, sancto Spiritu tantò ante præuidit, & hæc duo, id est, velle, & operari, quæ iste (Pelagiũ insectatur) ita in nostra esse voluit potestate, tamquam ipsa diuina gratiæ non adiuuentur auxilio, Deum in nobis dicit operari.* Similiter lib. de gratia & liber. arb. c. 9. *Nunquid non corona bonis operibus redditur, sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur, de quo dictũ est,* Deus est enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate; *ideo dixit Psalmus, coronat te in misericordia, & miserationibus.* Ita Aug. & expressiùs eod. lib. c. 17. *Quis istam etsi paruam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniã ipse, vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus,* certus sum, quoniã qui operatur in vobis opus bonũ, perficiet vsque in diem Christi IESV. *Vt ergo velimus sine nobis operatur, cùm autem volumus & sic volumus, vt faciamus, nobiscum operatur, tamen sine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Ad quem etiam modũ Prosper epist. 84. inter epist. Ambrosij & pro *perficere* legit *operari*; & cùm dixisset: *Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potiùs, quàm in Domino glorietur.* statim vt insanam hanc mentem confutet, probetque nullum esse bonum opus quod à Deo nõ sit, subiicit. *Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculũ monet, dicentis:* Cum metu, & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Sic ille. Quò etiam manifestè eunt citata Fulgentij verba lib. 1. ad Monim. c. 9. *Omne opus quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit, ex ipso enim, & in ipso, & per ipsum sunt omnia: ex ipso ergo est, & voluntas bona, & operatio bona; quod Doctor gentium his verbis affirmat.* Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Sic ille. Liquet ergo ex horum Patrum mente non sumi à Paulo *perficere* respectu præcedentium operum, quibus perfectio siue consummatio, & quasi vltima manus imponendã desit, sed respectu *velle*, hoc est interioris affectus, & voluntatis; vt nimirum *perficere* sit, externa operatione exsequi, quod interna voluntate, & affectu anteà homo volebat, quod & ipsemet Lessius prædicto loco paulo antè probauit.

Iustinianus. Cornelius. Estius. Lect. Syriaca. August.

Idem.

Fulgentius.

Sed inquirat forsan non nemo; cur posita iam bona illa voluntate, seu efficaci boni desiderio, atque proposito, quod Deus in nobis iuxta superiùs dicta operatur, externa hæc boni operis perfectio, noua gratia censeri debeat: Bona siquidem voluntas, siue efficax egregiæ alicuius actionis propositum externa operatione destitutum, sicubi ipsius occasio non suppetit, tanti apud Deum meriti esse, quanti simul cum opere ipso foret, communis Theologorum sententia cum sancto Thoma censet, 1. 2. quæst. 20. art. 4. cui sic adstipulatur Ambros. in cap. 1. Lucæ in initio. *Diuina namque iudicia meritum iusti ex mentis habitu, non aliquo factorum exitu metiuntur.* Respondeo, quamuis verum quidem sit, efficacẽ boni operis affectum sine ipso opere cùm facultas operandi non succurrit, tanti à Deo fieri, quanti si externo affectu non careret; negari tamen nullatenus posse, peculiarem Dei gratiam esse, cùm occasiones perficiendi bonæ voluntatis studia exhibet, tum quia externa operatione in bono animi proposito magis quis firmatur, & feruentiùs perseuerat; tum etiam quòd plerũque exteriores virtutis actus ardui sint, atque difficiles vt martyrium ingressus religionis, & plures pœnales actiones, in quibus exequendis contra concupiscentias, & difficultates denuo 13.

S. Thomas.

Ambros.

pugnare,

pugnare,& repugnare necesse sit. Quare non est dubium,quin noua tunc Dei gratia, quæ hominē animet,roboret,atque confirmet, indigeamus. Ita Hieronym. Hieron. Dialog. 3. contra Pelag. *In Domini*,inquit, *potestate est vt id quod cupimus,quod laboramus,ac nitimur,illius ope, & auxilio implere valeamus.* Vnde Bernard. cit. loc. post bonam voluntatem, siue boni operis consensum iam assertum, pro nouo do- Bernard. no,& gratias assignabat: *ministrando consensui facultatem,foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.* Certè plures Patres sic accipiunt illa Ad Rom. 7. 18. Pauli verba ad Ro. 7. 18. *Velle adiacet mihi,perficere autem nō inuenio*, vt dicantur ab Apostolo sub hominis iustificati persona, cur bona insit voluntas operandi quod bonum est, sed tamen à difficultatibus externis,& à concupiscentiis, quæ militant in membris nostris, retardetur, vti apud eius loci interpretes videre est; iis verò Patribus, quæ ipsi adducunt, ego adiungo Paschas. lib. 4. in Matth. ad Paschas. ea petitionis Dominicæ verba, *fiat voluntas tua*; sic disserentem: *Cæterùm qui post suas voluntates adhuc ire sinuntur, veluti iræ filij sua infelicitate pascuntur, nisi quandoque ad voluntatem Dei, bonitate ipsius vincantur,& ditissima virtus Christi eis subuenire dignetur. Porrò hi qui iam quæ Deus vult, diuinitus inspirati ardenter volunt, nec tamē voluntatem operibus consequuntur, quasi perfectionis gradum tenent, nec adeo beati existimantur. Vnde Doctor egregius,vt præmisi,* velle, *inquit*, adiacet mihi perficere autem bonum non inuenio. Hæc Paschasius. Certè Regius Vates Psal. 67. 19. cùm de donis à Christo hominib. do- Psal. 67. 19. natis dixisset, *accepisti dona in hominibus*; denuo in laudes ob noua beneficia erectus subiicit: *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* In quę verba Theodor. *Qui salutem nobis*, inquit, *donauit, hoc nobis, & iter complanabit, ne his bonis frustremur.* Quo quidē modo dixeris, Deū qui velle nobis primùm donauit, nouo subinde dono iter ad opus perficiēdum nobis complanare, impedimēta amoliendo,& nouas vires ministrādo, ne priori dono frustremur. Certè huc intētus S. Valer. Cemeliens. Episc. hom. 11. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*; cùm dixisset, *Hac actuum nostrorum perfecta gloriatio est, si gloriemur in Domino, apud quem victoribus virtutum corona componitur. Ibi sanè de se hominem gloriari oportet, vbi pro nomine Domini voluntaria crucis pœna succedit.* Subdit, *quæ tamen gloriatio hunc habet fructū, si auxiliāte Christo meretur effectum. Nam Propheta dicit Psalm.* 126. 1. Nisi Dominus ædificauerit domū, in vanū laborauerunt, qui ædificant eam;&, In vanum vigilant, qui custodiunt eam. *Videtis ergo quod nec sine Domino, quod bonum est ædificari, nec ædificatum sine Domino poterit custodiri.* Sic Valerianus.

14. August. Iam verò præfata Augustini, atq; Concilij verba pro priori explicatione parum vrgēt; nec enim August. eo in loco hæc Pauli verba explicanda suscepit, nec vllam verbi *perficere* fecit mentionē; quamuis ex iis aliqua vsurpans, nec sine aliquali allusione ad partem huius sententiæ totū de perseuerantia dogma adstruxerit. Ad quē etiam modū Concilij verbis respondeas, nec enim illis literalis expositio, sed materialis tantùm, & mera ad hunc locū allusio subest. Quamuis enim nō pertinaciùs repugnauerim, potuisse Concilij Patres probabilē expositionem sequi: at id est multo vero similius, non tam verba Pauli explicare, quàm suo instituto aptare,& accommodare voluisse. Id enim Patribus est valde familiare, vt consentaneæ imò,& dissimili aliquando asserēdæ sententiæ aliqua Scripturæ verba aptare soleant, ad sonū potius vocū, quàm ad sensum rei se exercentes. Sed volo tibi dare, tum August. tum Concil. præfatis in locis hæc Pauli verba explicāda suscepisse. Quid? Nonne adhuc communi expositioni, quam probamus, locus est? atque ea huiusmodi censebitur expeditissima solutio, vt ex Concilij mente iis Deus perseuerantiæ donum tribuere dicatur, in quibus indesinēter operatur *velle & perficere*. hoc est, quum illis ea efficacia gratiæ auxilia, quibus singulas virtutis actiones amplectantur, ad finem vsque tribuit. Erit ergo sensus Concilij, quem & Pauli etiam esse, mihi non dubiū, Deum in illis, qui gratiæ ipsius non desunt, vt cœpit opus bonum, ita perficere, dum eis ea gratiæ auxilia, quæ ad salutē consequendam opportuna sunt, dare non desinit. Vt enim ex vi verborum Pauli, *velle,& perficere*, ad singulas actiones internas, & externas, quas in nobis Deus operatur, referri debeat: at nisi hæc cum aliquo ad perseuerantiæ donum respectu sumantur, Pauli argumentationis acumen omnino obtundetur, atque frigescet. Certè præfato loco Aug. perseuerātiæ donum sic subinde explicauit: *Tantū quippe Spiritu sancto accenditur voluntas eorū,* August. *vt ideo possint, quia sic volūt, ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint: nã si in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationē reprimendā perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare nō possent, manerēt si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellēt, inter tot,& tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideo perseuerare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent.* Hactenus August.

Pro bona voluntate.

CVius? Dei ne? an hominis? Sanè, vt Græca vox εὐδοκίας ad Dei voluntatem,& beneplacitum 15. Græca Lect. Hieronym. sæpius referri soleat (adeò vt existimarit Hieron. in epist. ad Ephes. id vocabulum à LXX. nouiter fuisse compositum ad Dei beneplacitum significandum) ita præpositio Græca ὑπὲρ humanæ voluntati significādæ, aptiùs proculdubio deseruiet, quod propriè significet *super*; iuxta quam is videtur esse sensus, Deum operari in nobis *velle*, hoc est, bonam voluntatem,& super hanc bonam voluntatem *perficere*, hoc est, externam bonæ voluntatis operationem atque executionem. Priori ratione permoti plures ex Patribus,& interpretibus de diuino beneplacito accipiunt; quamuis nō sub eodem sensu omnes; nam Chrysost. Theophyl.& Chrysost. Theoph. Theodoret. sic exponunt, quasi ideo nobis suam Deus ad bene agendum gratiam tribuat, vt eius in nobis beneplacitum, & bona voluntas compleatur, siue etiam, vt bene viuamus, & ipsis donis in nos collatis gratos, & fideles nosmet exhibeamus. *Pro bona voluntate, vt impleatur erga nos beneuolentia, atque bona voluntas eius, vt sic viuamus, perinde, ac ipse vult: itaque,& ex hoc confidite; omnino enim cooperabitur vobis Deus, vt rectè viuatis si non propter aliud quidquam; eius tamen rei gratia, quia hoc ipsi charum est,& gratum.* Ita Theophylactus.

Anselmus verò, Primas. S. Thom.& alij aptiùs, 16. & textui cohærentiùs hæc capiunt, ac si dicat Anselm. Primas. S.Thom. Paulus, Deum non propter humana merita, sed pro sua in nos beneuolentia,& ad bene faciēdum propensione, bene agendi, ac perficiendi facultatem nobis tribuere: inde verò apparet, aptiùs hūc interpretandi modum subsistere, quòd Pauli instituto opportunior,& iuxta illū appositè crescat oratio, qua Paulus ad gratuitum hoc Dei in nos beneplacitū agnoscendum, necnon ad pellendam inanem

inanem gloriam, & ad salutem cum metu,& tremore perficiendam vrget. Quis enim non timeat, & grauiter timeat, cùm salutem suam, salutem, inquam,æternam, Dei nutibus decurrentem videat? Pulchrè autem his Pauli verbis illa Regij
Psal.29.8. Vatis Psalm.29.8.respondent, *Domine,in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem*, quæ Fulgent.
Fulgent. ep.3.c.20.& 21.tum ad Pauli gustum legit,*in bona voluntate tua*;tum sub hoc sensu sic egregiè interpretatur:*iste autem qui dicebat,fatetur se aliquando tanquam de virtute sanitatis elatum,& in eo se periculum grauissimæ infirmitatis expertum. Dicit enim*
Psalm.29.7. *in alio Psalmo*: Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum; *& quia hoc dicens,adiutorio diuinæ gratiæ fuerat derelictus,& in sua defecerat infirmitate turbatus, sequitur dicens*:Domine in bona voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; auertisti faciem tuam à me,& factus sum conturbatus. *Et vt ostenderet adiutoriū diuinæ gratiæ,quamuis tam habitum humiliter esse, & sine intermissione possidendum;hoc quoque subnectit*;ad te Domine clamabo,& ad Deum meum deprecabor:*nemo autem deprecatur,& rogat,qui non aliquid se cognoscit minus habere,aut quod habet,sua tantum virtute potest ser-*
1.Cor.4.6. *uare:quisquis enim & beneficium rogat,& adiutorium flagitat,necesse est,vt euidentiam suæ imbecillitatis,& egestatis agnoscat:& ideo egestas nostra dari sibi quod non habet, poscit, & imbecillitas nostra custodiri sibi postulat,quod accepit;egestas audit*:quid enim habes, quod non accepisti?*imbecillitas audit*:reuela Domino viam tuam,& spera in eo, & ipse faciet. Hæc Fulgent.satis quidem accommodatè ad hũc Pauli
2.ad Cor.8.9. locum,*Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere*:vt enim egestas nostra petit à Deo dari velle, hoc est,bonã voluntatem;ita humana imbecillitas boni operis executionem efflagitat. Subdit verò Fulgent.*dicat ergo egestas illi,qui* propter nos pauper est,cùm esset diues,vt de illius paupertate,nos
Psal.116.73. diuites essemus;*dicat* da mihi intellectum, vt discam mãdata tua; *dicat etiam imbecillitas illi,qui pro*
2.Cor.13.4. *nobis* crucifixus est ex infirmitate,sed viuit ex virtute Dei,*& qui sic infirmatus est propter peccata nostra,vt semper ipsa sit Dei virtus,Dei sapientia,dicat*
Psal.16.8. *illi imbecillitas humana*, custodi me Domine vt pupillam oculi,sub vmbra alarum tuarũ protege me à facie impiorũ qui me afflixerunt. Hactenus ille.
17. Iam verò absolutissima hac sententia nõ modò extra rationem ponit Paulus quæcumq; hominis merita; sed omnia etiam humana nobilitatis ac doctrinæ ornamenta, siue etiam egregias animi, bonæ indolis,atque ingenij dotes, quibus gratia
August. retribuatur, vnde August.lib.1.ad Simplic.q.2.in fin.cùm ingenuè fateretur, eam ipsius animũ iam aliquando cogitationem subiisse, vt in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, vel maius ingenuum,vel minora peccata,vel etiam honestæ vtilésque doctrinæ spectarentur, atque ideo vel is qui quam minimis peccatis irretitus,vel qui acriori ingenio, & liberalibus artibus magis expolitus fuisset, ad gratiam potissimum eligerentur; hanc tandem mentem à se longiùs excutiens,sic ait:*sed cùm hoc statuero,ita me ridebit ille*,qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta mundi,vt confundat sapientes, *vt eum intuens,& pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores*. Ita ille. Quæ quidẽ sensa omnino deprompta
Ezech.10. fuisse dixeris ex celebri illa Ezech.visione c.1.: 10. in qua pernicissima aquila,simul ac leo bestiarum fortissimus,& regiæ inter ipsa fortis,necnõ homo ad maiestatẽ ac sceptra natus iisdemmet vestigiis, ac tardus & subrusticus bos, obambulare dicuntur;quòd diuino, non humano,aut proprio spiritu ducti graderentur. Nimirum ea diuinæ gratiæ conditio est,vt nec humanis meritis, nec externis dotibus ingenij,aut clari ortus,sed bonæ Dei voluntati innitatur,atque incũbat: ac proinde æquè tardis & rudibus,ac subtilissimis, atq; sublimibus viris tribuatur. Quare subiicit indidem August.
Nónne aduertimus multos fideles nostros ambulantes August.
viam Dei ex nulla parte, ingenio comparari,non dicã quorumdam hæreticorum,sed etiam minorum?item non videmus quosdã homines vtriusque sexus in coniugali castitate viuentes sine querela, & tamen vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide, & vera Ecclesia sic tepidè,vt eos miremur meretricum, & histrionum subitò conuersorũ non solùm patientia & temperantia, sed etiam fide,spe, charitate superari. Hæc August. Nec fuerint his minus opportuna siue toti Pauli sentẽtiæ,quæ habet S.Valerian,Cemeliens.Episc.
præfata hom.11.*Qui gloriatur,in Domino glorietur*, S.Valer.
cùm enim dixisset,*Requirat vnusquisque initia vitæ suæ, & auctorem quærat generis humani: quis corpus formauerit? quis membra composuerit?quis humanam materiam in humana vsum fecerit vegetare. Nónne hæc omnia Dominus sapientia procurante constituit?* subiicit: *Cùm ergo non sit nostrum quod sumus,quomodo nostrum est,quod habemus? stultitiæ genus est,vt cùm alij debeas vitæ beneficiũ,tibi adscribas ornamẽta virtutum*. & statim, *Ecce hic honore extollitur,ille sibi de corporis integritate blanditur:hic diuitias labori suo imputat, ille scientiam doctrinæ vigiliis assignat. Nec nos negare possumus ornamenta religiosæ vitæ vigilantiæ studio comparari. Sed ibi Deus est,vbi integræ religionis est animus,ita Apostolo dicente*, Exemplũ eius quæritis,qui in me loquitur Christus? *Satis ibi vacillat humanum studium,vbi non requiritur Dei auxilium. Nam non dubiè periclitatur fides,si non muniatur patrocinio diuinitatis*. Hæc Valerian.sed de hoc patrocinio diuinitatis adnot.2. copiosiùs agendũ.

Ad ea verba, In vobis, *&c.*

Adnotatio I.

Arbitrij libertas stante gratia subsistit.

TAm egregiè aduersùs hæreticorum errores hunc Pauli locum pensitauit,& partitus est S.Thom.in commentario, vt nefas fuerit,eius verba quamuis pluscula,non appingere; sunt ista. *Cùm dicit*,Deus est enim,&c. *confirmat fiduciam, & excludit quatuor falsas existimationes. Vnam,hominum credentium, quòd homo per liberum arbitrium possit saluari absque diuino auxilio; contra hoc dicit*, Deus, &c. *Ioan.*14. Pater in me manens ipse fecit opera,& 15.sine me nihil potestis facere. *Alij omnino negant liberum arbitrium, dicentes quòd homo necessitatur à fato,vel à prouidentia diuina,& hoc excludit,cùm dicit*,in vobis;*quia interiùs per instinctum mouet voluntatem ad bene operandum*. Isai.26.omnia enim opera nostra operatus es in nobis. *Tertia Pelagianorum,sicut & primi dicentium,electiones esse in nobis,sed prosecutiones operum in Deo;quia velle est à nobis,sed perficere à Deo: & hoc excludit,dicens*,& velle,& perficere,*Rom.*9. Non est volentis,*scilicet velle sine auxilio Dei*, neq; currentis,*scilicet currere*,miserentis est Dei.*Quarta quòd Deus facit omne bonũ in nobis,& hoc per meritæ*

1. (beside line "TAm egregiè…"), S.Thom. (beside "uit,& partitus est S.Thom.")

rita nostra; *hoc excludit cùm dicit*, pro bona voluntate, *scilicet sua, non pro meritis nostris, quia ante gratiã Dei, nihil boni meriti est in nobis.* Psalm. 50. Benignè fac Domine, in bona voluntate tua. Hactenus D. Thomæ commentarius, quem ideo libentiùs retuli, quòd præter alia fidei dogmata, quæ his verbis sapienter adstruit hinc etiam arbitrij nostri libertatem, vnde hæretici illam labefactare contendunt, mirificè stabiliat, vt vel in hac S. Thomæ explicatione se se ante suimet infelicem ortum videre possint Caluinus, & Lutherus damnatos, dum temere pro suo arbitrio hæc Pauli verba explicantes, & diuinæ gratiæ efficacitatem insana pietate expendendentes omnes ab arbitrio nostro vires tollunt, eiúsque ingenuum ac liberùm operandi modum penitus negant.

2. Præter rationem verò, quam ex illis verbis *in vobis*, confecit S. Thom. ex præcedentibus etiam, *salutem vestram operamini*, manifestè conuincuntur hæretici. Vt quid enim Paulus fideles tam acriter ad operandum vrgeret, penes quos libera eligendi facultas non esset? vnde Chrysostomus cùm in hunc modum hæc verba sibi obiecisset: *si Deus est, qui in nobis hoc operatur, vt velimus, cur nos cohortatis? Nam si ipse est, qui vt velimus, facit; frustrà nobis dices obedite; non enim nos sumus, qui obedimus: frustrà dicis,* in timore, & tremore; *totum enim Dei est*: sic subinde respondet, *minimè verò huc expectans, inquit, ita verba protuli*: Deus est qui operatur & velle & operari; *sed eò vt vestram sollicitudinem reuelarem.* & post non nulla in eandem sententiam, hæc ait: *aut ex multa pietate hoc dicit, vt & facit, quando rectè facta nostra dona esse Dei dicit; quemadmodum igitur cùm ea dona Dei dicit, non eiicit nos ex libero arbitrio, sed permittit in nobis liberum arbitrium, ita quando dicit,* operatur, vt velis, *non aufert a nobis arbitrij libertatem; sed ostendit, quòd à rectè faciendo multum, vt velimus promptitudinem accipiamus.* Hæc ille. Sed & Augustinus diuinæ gratiæ custos, rigidúsque satelles eo modo pendit húc locum de grat. & liber. arbitr. capit. 9. inquiens. *Non enim quia dixit*, Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate; *ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est; quod si ita esset, non superiùs dixisset*, cum timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini; *quando enim iubetur, vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium, sed ideo cum* timore & tremore, *ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tanquam suis extollantur operibus.* Ita ibi; epistola verò 106. ipsamet verba, *Deus est qui operatur velle*, ita explicat, vt arbitrij libertati mirè faueant; sic enim ibi, *In iis qui per electionem gratia salui fiunt, adiutor Deus operatur & velle, & operari.* Ita Augustinus, sapienter appellans Deum adiutorem nostrum adhuc dum in nobis operatur velle, hoc est, primam animæ ad ipsum conuersionem, quòd in ipsa quantumuis efficaciter Deus in nobis operari dicatur, liberi omnino existamus, & in vtramque partem voluntatem flectere possimus: benè siquidem Prosper lib. 2. de vocatione gentium cap. 26. cùm diuinam gratiam commendasset, subiicit: *sed etiam voluntas hominis subiunguntur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium.* Pulchrè quidem Origenes lib. 1. in epist. ad Rom. cùm de spirituali certamine inter carnem & spiritum agens dixisset: *E contrario verò spiritui aduersùs carnem decertanti, animámque humanam, quæ media est, ad se reuocare conanti fauent Angeli hominum omnes illi, de quibus ait Dominus,* Quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est, &c. *Fauet, & ipse Dominus, qui etiam animam suam ponit pro ouibus suis;* subiicit, *sed vtraque parte fauoris disciplina seruatur. Non enim vt res agitur, neq; necessitate in alterã partẽ anima declinatur, alioquin nec culpa eius, nec virtus posset adscribi, nec boni electio præmium, nec declinatio mali supplicium mereretur: sed seruatur ei in omnibus libertas arbitrij, vt in quodcumque voluerit, ipsa declinet, sicut scriptum est,* Ecce posui ante faciem tam vitam, & mortem, & ignẽ, & aquam. *Vita ergo Christus est, & mors nouissimus inimicus, qui est diabolus. Habet ergo in arbitrio suo anima, si velit, eligere vitam Christũ, aut in mortem ad diabolum declinare.* Ita Origenes. Vnde Bernard. ser. de duplici baptismo premens ea Pauli verba ad Rom. 8. 38. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei,* sic sapiẽter ait, *nimirum est libertas, qua Christus nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere possit; solùm id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia; præter hanc enim nihil est, quod timeamus.* Hæc Bernardus.

Chrysost. — August. — Prosper. — Origenes. — Bernar. ad Rom. 8. 38

3. Insulsissimi quidem, & stolidissimi hæretici, qui liberum, & spontaneum operandi modum ab homine auferentes suauissimum Deo epulú denegant. Quid enim fuerit, gratissimis ipsum horti sui pomis vesci, quàm egregiis animæ actionibus liberè, & spõtaneè in eius obsequium exhibitis delectari? Audi hac de re Gregor. Nyssen. hom. 10. in Cantica, horti, arborum, & cibi imaginem sic egregiè tractãtem. *Hortus autem est mensa plantatus per arbores animatas. Nos autem sumus arbores: quandoquidem nos quoque sumus qui ei cibũ apponimus salutem nostrarum animarum, cùm sic dixerit is qui conuiuio nostram excipit animam,* Meus cibus, est vt faciam voluntatem patris mei. *Est autem manifestus scopus diuinæ voluntatis, qui vult omnes homines saluos fieri, & venire ad agnitionem veritatis. Hic est ergo ei paratus cibus, vt nos salui simus. Fructus autem noster est liberi arbitrij electio Deo, qui nos metit, ac decerpit tanquam per quendam ramum, tradens animam* Sic ille. Quòd si ab iis fructibus liberi arbitrij electionem tolleres, quid illis suauitatis & gratiæ quo Deus refici ac delectari diceretur, posset inesse: Adhæc, quod præmium atque coronam homo promereretur, & à iudice, quasi suo iure exigeret. Vnde idem Greg. Nyss. in orat. catech. c. 31. cum arbitrij libertatem sic descripsisset, *hoc est liberi arbitrij libera electio res quædam minimè redacta in seruitutem, & quæ est sui iuris, sita in libertate mentis, & cogitationis;* postmodum aduersùs eos, qui insano spiritu affirmabant, iure à Deo compellendos atque cogendos homines ad fidem accipiendam fore, sic sapienter argumentabatur. *Quis enim, vt est rationi consentaneum, amplius vel intemperantem reprehenderit, vel temperantem laudauerit? cùm quilibet in promptu habeat hanc responsionem, quòd nihil eorũ, quod nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate, maiori autem potentia humana trahantur instituta, & proposita ad id quod lubet ei, qui dominatum obtinet.* Ita Nyss. Sanè eæ actiones ex se quidem bonæ existerent, at enim ad Deum, non ad hominem, quà bonæ essent, pertinerent: *Omnis quippe illuminatarum mentium pius motus* (verba sunt Prosperi ep. 84. inter ep. Ambros.) *alienari quidem non potest à propria hominis voluntate, siquidem nihil rectè faciet, nisi quod volens egerit.* Cui rationi innixus Tertull. aduersùs Marcionem arbitrij libertatem sic statuebat lib. 2. cap. 6. *Vt ergo bonum iam suum haberet homo* emanci

Greg. Nyssen. — Tertull.

emancipatum sibi à Deo, & fieret proprietas iam boni in homine, & quodammodo natura, de institutione, adscripta est illi, quasi libripens emancipati à Deo, boni libertas, & potestas arbitrij: quæ efficeret bonum, vt proprium iam sponte præstari ab homine: quoniã ex hoc ratio bonitatis exigeret, voluntariè cœrcenda, & libertate scilicet arbitrij, non fauente, institutionis non seruiente. Vt ita demum bonus consisteret homo, si secundùm institutionem quidem, sed ex voluntate iam bonũ inueniretur, quasi de proprietate naturæ. Pende singula quæ opportunissima ad rem nostram sunt; illud ego non omiserim, *vt bonum iam suum haberet homo emancipatum sibi à Deo*; ac si diceret, vt homo à Deo primùm institutus & illuminatus subinde dum iudicium suum in vtramuis partem posset flectere, bonum operaretur quod sui iuris esset, hoc est, ab ipso spontaneè & liberè elicitum, per quod nimirum & rectè operans denominaretur, & ad æternam beatitudinem promerendam, verum ius haberet; eo modo quo dicebat Nyssenus: *Hoc est liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in seruitutem, & quæ est sui iuris.* Nosti enim ex phrasi emancipãdi significari, filium quem in potestate habemus tanquam rem nostram, immò & tanquam partem nostri; adeò vt caput non habere dicatur (sic veteres filios non emancipatos, nec non seruos capite minutos appellabant) sui iuris efficere: cùm verò liberi, emancipari, serui, manumitti dicantur, opportunè Tertull. manumissionis non meminit; emancipationem verò vsurpauit: quippe qui manumittitur, ex ipsiusmet locutionis vi & proprietate extra omnem potestatem, & manum domini fieri dicitur: emancipatum verò filium, vt sui iuris esse; tamen à patre quidquid habet, accepisse, ipsamet voce explicamus, dum eum, filium dicimus: ad quem sanè modum dũ egregias actiones ego operor, emancipatum iam meum bonum, hoc est, à me ipso, licèt non à me solùm, sed à gratia Dei, quæ mecum est, & mecum laborat, non verò manumissum, quasi à manu Dei non dimanet, ac pendeat, habere dicor.

4. Ita quidem Regius Psaltes, qui alicubi dicebat, *inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiã,* Psal. 118. 36. nõ multo pòst affirmabat, *inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem,* eod. Psal. vers. 112. At, ô bone, si à Deo vt inclinet cor tuum, exposcis; quid te inclinare profiteris: vel, si tu temet inclinas, quid oras, vt à Deo inclineris? sed enim facilè respondebit & cor suum à Deo, & à semetipso inclinari; cùm & Dei gratiam, humanos conatus præuenientem, illósque etiam adiuuantem, & liberum etiam arbitriũ, quod Dei ductum sequatur, bonúmque suum emancipatum sibi à Deo habeat, piè & fideliter agnoscat: vnde ad priora verba Hilarius littera *He* vtrumq; locum sic egregiè conciliat. *Prius, quæ à Deo sunt, cum honore propos...it, & tunc, quæ à se eum cõfessione subijcit: orat igitur, vt Deus tribuat. Est ergo à nobis, cùm oramus, exordium vt munus à Deo sit, deinde quia de exordio nostro munus est eius, ex nostro rursum est, quòd exquiratur, & obtineatur, & maneat:* vt nimirum à Deo initium, & munus à nobis cooperatio, & obsequium sit. Ad quẽ modum Tertull. lib. ad Martyres cap. 1. eos in carcere constitutos sic animabat, & gratulabatur; sic etiã exhortabatur, & vrgebat. *In primis ergo benedicti nolite contristare Spiritum sanctum, qui vobiscum introijt in carcerẽ: si enim non vobiscum nunc introiisset, nec vos illic hodie fuissetis; & ideo date operã, vt illic vobiscum perseueret, ita inde perducat ad Dominum.* Sic ille hinc Dei gratiã pulchrè cõmendans, illinc arbitrium ad cooperandum pungens. Est verò his non minus quàm ouum ouo adsimile, quod ex

Psal. 118. 36.
Ps. 118 112.
Hilarius.
Tertull.

Domini ore apud Lucam cap. 12. habes, dum vna ex parte de se ipso vers. 49. ait. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* ex alia verò discipulos indidẽ vers. 35. commonefacit, *sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,* vt scilicet (ita Prosper ep. 84. inter ep. Ambros.) *superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere; ac si vigorẽ eius aliqua turbarit aduersitas, vnde cœpit inflammari, inde poscat igniri:* vbi vides humanum animum, & studium tanquã lucernam ex fonte luminis, lucem ignémque haurietem, qui eum tepescere non sinat: simúlque illius vitio verti, quòd accensæ iam diuino igne lampades aliquando extinguantur, Matth. 25. 8. Quare Bernard. epist. 114. nescio quam virginem, quæ cum fatua aliquando animum tepescere siuerat; denuo tamen vnde cœpit inflammari, inde rursus recaluit, & accensa fuit; sic acriùs admonebat. *Cæterùm si flammantem spiritum, quo nunc recaluit sine dubio cor tuum intra te, & in meditationibus tuis exardescentem ignem diuinum iam extingui permiseris, quid restat? nisi vt te illi seruandam noueris igni, qui non possit extingui.* Ita ille.

Luc. 12. 49.
Luc. 12. 35.
Prosper.
Matth. 25. 8.
Bernard.

Quò sanè intentus Apostol. Princeps epist. 1. cap. 2. 5. fideles sic commonebat. *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipsi tanquam lapides viui superædificamini*; vbi ad lapidum imaginem duo obserua: alterum, verbum *ædificamini*, quod passiuè sumptum architecti manum lapides perpolientis, subleuantis, & suis locis imponentis denotat, alterum, *viui* epitheton; siue *viuentes*; vt legit Hieron. in cap. 40. Ezech. quo adstruit Petrus humani arbitrij vires, quæ diuino auxilio præuente, propriæ operationis conatum adhibeant, nec se tanquam materiales lapides habeant, qui cùm fabricæ parantur, ac disponuntur, artificis industriam nihil ex se ipsis adiuuare valent, id inibi sic expendente Beda. *Viuos lapides appellat electos, vt conatum insinuet bonæ intentionis, siue actiones eorum, quo præueniente se, ac comitante Dei gratia semper exerceri debeant. Mortui namque, id est, materiales lapides, cùm parantur, aut ponuntur in ædificationibus, nil ipsi laborem operantis iuuare, nil etiam per se nisi cadere possunt, sed quocunque & vbicunque à structore positi fuerint, ita ibidem insensibiliter perdurent, aut elapsi decidant.* Sic Beda; & quidem opportunè, vt tot retro sæculis tum stultissimum Caluini sensum euertat, arbitrium nostrum cum materiali, ac mortuo lapide omnino componentis, quòd velut inanime quoddam nihil omnino agat, meréque passiuè se habeat; tum væsanam Lutheranorum hæresim confutet, omnia opera nostra peccata mortalia esse contendentium, vti de mortuis lapidibus inquit Beda, *nihil etiam per se nisi cadere possunt.* vide Concil. Trident. sessione 6. de iustific. canon. 4. 5. & 6. vt egregia ego Leonis Magni in hanc rem verba, quæ Petri locum mirifice elucidant, tibi appingam: sunt ista è serm. 5. de Quadragesima. *Quamuis enim ædificium nostrum sine opera sui non subsistat artificis, nec fabrica nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio fuerit conditoris, tamen quia rationales lapides sumus, & viua materies, sic nos Auctoris nostri extruit manus, vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur. Gratia igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, ne ab illo bono, sine quo bona esse non potest, deficiat.* Sic Leo.

5.
1. Petr. 2. 5.
Hieron.
Beda.
Concil. Trid.
Leo Magn.

Sed enim, vt videris viuos, siue viuentes lapides operantis laborem, & industriam adiuuantes, & qui ad suum in ædificio destinatũ locum conscendant, 6.

ac

ac proinde à materialibus lapidibus, qui *nihil per se nisi cadere possunt*, se discriminent; quid claro illi olim, nunc tenebratum principi Lucifero Isaïas in-
Isaia 14.12. toner, audi. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Isaïæ 14. 12. Nam si attendis, casum illi, ac ruinam minimè exprobraret Vates; nisi ipse ad propositam sibi gloriam per bonum arbitrij vsum conscendere valuisset, vti electi Angeli
Origenes. ascenderunt: vnde Origenes hom. 1. in Ezech.
Luca 10.18. cum hæc Isaiæ verba, nec non & illa Domini Luc. 10.18. Videbam Satanam tamquam fulgur, de cælo cadentem, adduxisset; inde sic infert. *Hinc iam intelligendum est, quomodo per arbitrij libertatem alij ad bonorum conscenderint summitatem; alij corruerint in malitiæ profundum.* Vnde ad hominem stylum sic conuertit. *Tu verò homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum? Quare agrè fers niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam tuæ fieri salutis? An magis te delectabit, dormientem & in otio constitutũ æterna prosperitate requiescere?* Sic ille. Nec minus appositè verbo illi *ædificamini*, quo ad Dei gratiam, & auxilium, siue præuenientem diuini Architecti manum indicandam, vtitur Petrus, locutus est Aug.
August. lib. de correct. & gratia c. 2. vbi cùm dixisset: *Intelligant, si filios Dei sunt, se agi, vt quod agendum est, agant*, &c. subiicit: *aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, vt quando id agant, sicut agendum est, id est, cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus, vt terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant.* Hæc Aug.

7. Explicabat quidem sapienter August. lib. 8. de
Genes. 2.15. Genesi ad litteram (vt in comment. n. 6. vidimus)
August. ea Genes. verba c. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum*; vt de spirituali opere, quod Deus in homine molitur, sint accipienda. *Sicut enim* (ait ille) *operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram, sed vt cultam atque fructuosam; sic Deus hominem multo magis, quem ipse creauit vt homo sit, eum ipse operatur, vt iustus sit.* At enim perinde id fuerit intelligendum, vt homo quem Deus operatur, agatur vt agat. non vt ipse nihil agat, vnde iis Aug. verbis diuinum in nobis opus ad Dei
Origenes. gratiam asserendam adstruentis, adiunge hæc Origenis citato loco, quibus humanum arbitrium simul asserit, & ad cooperandum cum Dei adiuto-
Ioan. 5.17 rio vrget. *Pater meus* (*inquit Dominus IESV Christus*) *vsque modò operatur, & ego operor, & tibi displicet operari, qui ad opera natus es? Non vis opus tuum fieri iustitiam, sapientiam, castitatem? Non vis opus tuum esse fortitudinem, aliasque virtutes?* Vbi non secus ac dicebat August. Deum in homine operari *vt iustus sit*; iustitiæ opus ab homine fieri ex Origene habemus; quòd nimirum tanquam lapides viui superædificemur, vt sic nos Auctoris nostri extruat manus, *vt cum opifice suo etiam is, qui reparatur, operetur*, vti dicebat Leo Pontifex: vnde
Philipp. Abb. quidem Venerab. Philippus Abbas ep. 21. cùm egregium quemdam iuuenem laudans dixisset, *Rara auis; iuuenis ætate, genere nobilis, conspicuus scientia; præeminens dignitate, sollicitus Ecclesiarum, pauperum adiutor, tenax iusti, rarus admodum inuenitur.* Quis est hic, & laudabimus eum? *Non laudare talem; inuidorum est, & tamen non tam eum, quàm qui talem fecit, laudare debemus, vita enim huiusmodi hominis, non est opus hominis, sed Dei.* subdit opportunissimè: *immò & Dei, & hominis: Dei propter operantem gratiam; hominis per cooperantem obedientiam: itaque Deus & homo laude congrua sunt donandi.* Sic ille.

Huc retulit S. Petrus Damian. ser. 3. de spiri- 8.
tuali certamine illud Deuter. 7. 1. *Cùm introduxerit* Deut. 7.1.
te Dominus Deus in terram, quã possessurus ingrederis, & deleueris gentes multas coram te, Hethæum, & Gergessæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hetæum, & Iebusæum, septem gentes maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq; eas Dominus Deus tibi, percuties eas vsque ad internecionem; non inibis fœdus, nec misereberis earum. scitè expendens structuram verborum, vt hinc priùs Deus gentes delere, illinc nobis delendas, ac percutiendas tradere dicatur; nimirum quòd ipse sic sua nobis ope præïre, & adiuuare velit, vt nos etiã ad pugnandum, & bene operandum inuitet, quò nostram ipsi coronam promereri valeamus. Audi
illum: *Ecce audistis* (*fratres charissimi*) *quia gentes* S. Petr. Dam.
nobis infestas nostris manibus Deus omnipotens tradidit, easque iam à facie nostra in sua prouidentiæ dispositione deleuit; cur ergo degeneri languore torpescimus? Cur collatam nobis cælitus victoriam non arripimus? Cur ex eo, quod in superno iam examine constitutum est, id solùm, quod ad nos pertinet, non implemus? Nam si ipsam verborum seriem cautè perpendimus, iam ipsas gentes apud diuinam sententiam prostratas aspicimus, quas ipsi percutere, & delere iubemur; cùm enim dicitur: cùm introduxerit te Dominus Deus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleuerit gentes. *atque paulò pòst adiungit*, percuties eas. *Luce clarius constat, quia aduersarios nostros in sua præsentia iam omnipotens Deus extinxit, quos nos, vt extingueremus, instituit. Ipse pugnat, & vt nos vincamus, inuitat, ipse hostium vires destruit, & nobis victoriæ nomen adscribit. Vult nos fieri sua virtute victores, vt meritò coronari valeat triumphales.* Hæc Petrus Damian. sapienter monens sic Deum pro nobis, & in nobis pugnare. vt liberum nostrum arbitrium ad exercendas vires suas simul prouocet, ac pungat; nec aliter perfectam victoriam contingere, nisi *quoad pertinet, implemus.*

Sed pro arbitrij nostri libertate, qua Dei gratia 9.
adiutum, non oppressum (vt Caluinus, atque Lutherus autumant) vires suas in vtramuis partem explicat; Isaïas, & Paulus non sensa solùm, sed verba etiam communia habentes, signatissimè locuti sunt;
sic enim ex persona Christi Vates c. 49. 4. *In va-* Isaia 49.4.
cuum laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam
consumpsi; vel, vt Pagnin. ex Hebræo, *inaniter &* Pagnin.
vanè, &c. Quid enim fuerit Christum in vacuum laborare; nisi humani arbitrij vires salutari illius vocationi renitentes, eámque expuentes experiri? Ita ibi Hieron. nam cùm ex Domini persona di-
xisset: *Quomodo in me glorificatus est Pater, quia in* Hieron.
vacuum laboraui, & magnam partem populi Iudæorum ad te reuocare non potui; subiicit: *Hæc autem vniuersa dicuntur, vt liberum hominis arbitrium monstraretur, Dei enim vocare est, & nostrum credere; nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus est, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, vt iustè voluntas præmium consequatur.* Accinit Paulus, & totam sententiam implet, 1. ad Corinth. 15.10. inquiens:
Gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantiùs om- 1. Cor. 15.10.
nibus laboraui; ac si dicat, non in vacuum laborauit Christus in me; quia ego simul laboraui, nec eius gratiam otiosam, & inanem esse, passus sum: sic qui-
dem ibi pro *vacua* Græcè est κενὴ, propriè *inanis*, Lectio Græca.
otiosa; subiicit: *non ego, sed gratia Dei mecũ*: vbi signatè dixit *mecum*; non verò *in me*, (vt è inani suo cerebro, quo humanum prostraret arbitrium, confinxit Caluinus) vt ostenderet, non solam gratiam, in nobis sine nobis operari; sed nobiscum etiam subinde la-
borare, & modo, quo Salomon Sapient. 9. 10. dice- Sap. 9.10.

bat: *Mitte illa de cælis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*: vti hunc locum optimè expendūt Bernardus, ac Cassianus; ille Bernard. siquidem lib. de libero arbitrio, sic ait: *Paulus inquit: Non ego, sed gratia Dei mecum; præsumens se, non operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.* similiter Cassian. collat. Cassian. 13. c. 13. *Nam cùm dicit*, laboraui; *conatum proprij significat arbitrij; cùm dicit*, non ego, sed gratia Dei, *virtutem diuinæ protectionis ostendit; cùm dicit*, mecum, *non otioso, nec securo, sed laboranti, ac desudanti eam coöperatam fuisse declarat.* Ita ille.

10. 2. ad Corinth. 6. 1. Nec minus consentanea Isaiæ verbis habet idem Paulus 2. ad Corinth. 6. 1. fideles sic monens: *Adiuuantes exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* quod perinde fuit, ac si diceret; videte ne otio, & segnitie vestra dum studium, & laborem non adiungitis, Christus in vacuum laborare dicatur; sic Primasius. hæc explicante Primasio: *in vacuum gratiam Dei recipit, qui cum gratia Dei non laborat, nec adiungit studium suum, vt possit Dei præcepta ipso adiutore implere*: vnde ex hoc loco August. lib. de gratia, & liber. August. arbitr. c. 5. arbitrij libertatem sic firmat. *Hoc enim liberum arbitrium hominis & exhortatur & in aliis, quibus dicit*: Rogamus ne in vacuum gratiam suscipiatis. *Vt quid enim eos rogat si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent volūtatem?* Sic ille. Quòd si gratiam Dei vacuam, siue in vacuum receptam Luc 14. 16. videre velis, adi Lucam c. 14. vers. 16. ob oculos tiLect. Syriaca. bi, Deum multos ad nuptias, gratia sua inuitantem; paucos verò vocationi, ac monitis ipsius obtemperantes, sic proponentem. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare*; siue, vt Græco fonte Syrus: *cœperunt ab vno omnes se excusare.* Iam verò cur Deo generaliter omnes inuitāte non omHilarius. nes vocationi responderint; sic aperit Hilarius canone 22. in Matth. *Vocatio quidem bonos efficere debuerat, quia sancta est, & ex optimo affectu inuitantis profecta est, sed per vitiū inemendatæ voluntatis discrimen est vocatorum.* Concinit Chrysost. hom. 46. in Ioan. 6. 70. Ioan. vbi ad ea Christi verba: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus est?* Ioan. 6. 70. sic ait: *Non enim vi, & necessitate quadam Deus bonos facere consueuit, neque electio eius violenta est, sed suasoria; vt enim intelligas, non cogere vocationem, multos* Chrysost. *vocatos perire contingit.* Ita Chrysost. Quò etiam Ioan. 1. 9. possis referre quod ex Ioanne c. 1. 9. nouimus: *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; cùm tamen de quam pluribus dixead Ephes. 4. 18. rit Paulus ad Ephes. 4. 18. *tenebris obscuratum habentes intellectum alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ* Leo Mag. *est in illis*, nimirum, vt pulchrè inquit Leo ser. 18. de Passione: *Virtutis testificatio nunquam à sua luce discedit, & quod aliis minus, aliis amplius micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis*; sub Cyrill. Hierosol. 2. ad Corinth. 4. 4. quo sensu interpretatus est Cyril. Hierosol. catech. 6. ea Pauli verba 2. ad Corinth. 4. 4. *in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij*, hunc in modum: *Obcæcat, & Sol lippos, & ex oculis laborantes, malè affectos, propter luminis vim; non quòd Sol habeat vim excæcandi, sed quòd corrupta videntium natura videre per se non possit. Sic & infideles ægrotantes in corde non possunt videre diuinitatis radios.* Vnde Ambros. in Psalm. 118. Ambros. ser. 12. supernam hanc lucem cum materiali sole componens, sic illam dormientes, torpentésque excitare, atque illuminare affirmat, vt & ipsi, si velint, cordis sui fenestras occludere, & rebelles lumini existere possint: subdens, Dei moris non esse, aliter animorum habitacula ingredi; ne videatur importunus intrare. Sed præstat Ambrosium ipsum hæc Ambros. luculenter explicantem audire; sic ille: *Est ergo & in terris cælum, in quo possunt virtutes esse cælestes.* cælum mihi thronus: *ergo magis iusti affectum, quàm elementum intelligo; illum puto cælum, ad cuius animam venit Christus, & pulsat ianuam, & si aperueris, ingreditur. Nec solus ingreditur, sed etiam cum Patre, sicut ipse ait*: ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Vides igitur, quòd Verbum Deus & otiosum pronocat, & dormientem excitat; qui enim venit, & ianuam pulsat, vult semper intrare, sed in nobis est, quòd non semper ingreditur, non semper manet.* & statim: *Pateat aduenienti ianua tua, aperi ianuam tuam, expande gremium mentis tuæ, vt videat diuitias simplicitatis, thesauros pacis, suauitatem gratiæ: dilata cor tuum, occurre Soli lucis æternæ, qui illuminat omnem hominem: & illud quidem verum lumen omnibus lucet, sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipsum fraudabit: excluditur ergo & Christus si tu mentis tuæ ianuam claudas; & si possit intrare, non vult tamen importunus irruere; non vult inuitos cogere.* Hæc Ambros. Quæ quidem ob oculos habuisse videntur Concilij Coloniensi Patres de Concil. Colon. sacram. Pœnit. dum liberi arbitrij iura aduersùs hæreticos illis insidiantes egregiè stabilientes; Solis illuminantis, & oculi, lucem siue iucunditer haurientis, siue grauiter compressis palpebris repellentis, imaginem sic elucidant vt nihil clarius, nihil splendidiùs luceat. Audi: *Oculus Solem videre non potest, nisi Solis lumen oculum præueniat, vt videat; interdiu tamen Sole lucente libera est intuitio, hominique liberum est, oculos claudere, ne Solis lumen admittat, aut aperire, vt recipiat; haud secus impio liberum est, præuenientesé diuinæ illuminationis gratia à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere, Deo præuenienti, & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare, vel negare consensum, velle, vel nolle pœnitere.* Sic Concilium.

Iam verò quàm stultè causentur hæretici quasi 11. hæc arbitrij libertas cum diuinæ gratiæ maiestate pugnet, ex his Augustini verbis conijcies lib. 1. Re- August. tractat. cap. 22. *Nisi quisque voluntatem mutauerit, bonum operari non potest; quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus docet; vbi ait*, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum; *quod non* Ioan. 1. *est contra gratiam Dei, quam prædicamus, in potestate quippe hominis est, mutare voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi detur à Deo, de quo dictum est*: dedit eis potestatem filios Dei fieri; *cùm enim hoc sit in potestate, quod cùm volumus facimus, nihil tam in potestate, quàm nostra voluntas est*, sed præparatur voluntas à Domino, *eo modo ergo dat potestatem.* Sic ibi August. August. Nec minus dilucidè lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocādo, nostrum sequendo.* Ad hæc cùm lib. de grat. & liber. arbitrio cap. 16. hæc Pauli verba, in quibus sumus, ad Dei gratiam pro loci opportunitate omnimodis retulisse videretur, inquiens, *Certum est nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum*: vt suas etiam partes humano arbitrio singillatim deferret; id sic explicat lib. de spiritu & litera cap. 34. *Quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere potest quodlibet liberum arbitrium, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat: profectò & ipsū velle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi propria voluntatis est.* Hæc August. quæ huic Pauli loco sic rursus aptat lib. 83. qq. quæst. 68. *Quia nec velle quidquam*

quam potest, nisi admonitus, & vocatus efficitur, vt & ipsum velle Deus operetur in nobis.

12. Illud verò errorem habet cum inscitia coniunctum quod Caluinus lib. 2. institut. c. 3. 6. & n. 11. ex verbo *operor* contendit; hominem non liberè, sed necessariò tanquam vi gratiæ cooperari: sic enim huic verbo innixus, ille obgannit. *Deus voluntatem mouet, non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, vt nostra postea sit electionis, motioni aut obtemperari, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo*; sed vt insaniam ad eos, quos spectat, castigandam transmittam, & meum solum negotium agam; debuerat quidem homo mendax memor esse, Paulum eodemmet verbo siue Græcè, siue Latinè spectetur quod hîc vsurpauit, alibi dixisse, dæmonem operari in filiis diffidentiæ: sic enim ad Ephes. c. 2. 2. *in quibus aliquando ambulastis secundùm principem potestatis aëris huius; spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ*; & verò dæmonem malam voluntatis electionem efficaciter non efficere, tam est certum, quàm putidum, & otiosum probare. Quid ergo est, quod operatur? Audi Tertull. & Titum Bostrensem quo modo dæmon animam oppugnet, nec expugnet, nisi sciens, & volens manus ipsi illa dare voluerit, sic enim ille lib. de exhortat. ad castitatem c. 1. *Diaboli vnum est tentare, quod interest vt velis; at vbi voluisti, sequitur, vt te sibi subigat, non operatus in te voluntatem, sed nactus est possessionem voluntatis*. Tuus verò ad illa verba Luc. c. 22. 3. *intrauit autem satanas in Iudam*, &c. in catena S. Thō. *Satanas intrauit, non impellens, sed patulum inueniens ostium: nam oblitus omnium, quæ audierat, ad solam auaritiam dirigebat intuitū.* At enim his sic subscribit Cassianus, premens ea Ioannis verba ep. 1. c. 4. vers. 4. *Maior est qui in nobis est, quàm qui in mundo,* in allegoriis Gotfrid. Tilmani; vt & Deum bonorum operum nostrorum factorem, ac operatorem; dæmonem non nisi malarum cogitationum suggestorem, quas homini diuino adiutorio instructo elidere, atque respuere, omnino integrum sit, sic faciat. *Nullus hominum posset omnino vitare peccatum quodcumque maligni spiritus cordibus nostris inicere voluissent, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita ad compellendū facultas violenta suppeteret. Quamobrem sicut in illis est inuestigationis copia, ita nobis virius respuendi, siue acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam, & impugnationes si pertimescimus etiam protectiones, atque adiutoria Dei è contrario conferamus, de quo dicitur,* Maior est enim qui in nobis est, quàm qui in mundo. *Cuius etiam auxilia multo vehementiori virtute militant pro nobis, quàm aduersùm nos illorum multitudo confligit. Nam bonarum verum non tantùm suggestor, sed etiam factor atque impulsor est Deus.* Sic ille. Ergo quòd in verbo *operor* vim facit Caluinus, meræ oscitantiæ fuerit. Hæc pro arbitrij libertate contra hæreticos dixisse sit satis. Nec plus premenda, aut emungenda sunt: ne præscriptos nobis fines vllo modo egrediamur.

Caluin. — ad Ephes. 2. 2 — Tertull. — Tit. Bostr. — Luca 22. 3. — Cassian. — 1. Ioan. 4. 4.

Ad ea verba, *Deus est*, &c.

ADNOTATIO II.

Gratia Dei liberum arbitrium non lædit.

1. DEPINGE tibi suis coloribus liberum hominis arbitrium: dicito rem esse sui iuris, & minimè in seruitutem redactam, vt aiebat Nyssenus, siue vt attollas eius in vtramque partem vires affer Clem. Alex. lib. 4. stromat. cap. 8. dicentem, *Iam verò id est in nostra potestate cuius ex æquo sumus Domini, & eius, quod ei aduersatur, vt philosophari, vel non credere: per hoc ergo quòd sumus æquè participes eorum, quæ inter se aduersantur, inuenitur, fieri posse id, quod est in nostra potestate.* Affer etiam Clement. Roman. qui lib. 5. Recognitionum ait, *quia liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probaueris, eligere viam, constat euidenter in esse hominibus arbitrij libertatem*: quantumuis enim liberos ipsius conatus, & ausus adornaueris, occurret tibi Paulus monens, *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere.* ac si dicat, quod volueris dicito, quod libuerit pingito, illud certò scias, te dum in humano solum arbitrio hæres, nec diuinam gratiam ad bene operandum memoras, delphinum sine aqua, & viuum cadauer depinxisse. Deus est enim à quo bona cuncta quæ agimus procedunt, qui eam nobis opem, & auxiliarem manum commodat, quæ vires nostras siue internas, siue externas aliter languentes, & quæ nec pedem terra afferre valeant, otiosas esse non sinit, sed potiùs actu, & efficaciter operantes reddit, quippe hæc, illa diuina energia est, ad quam pertinet, veritatem, & bonorum, non modò suadere, sed etiam persuadere. Ita quidem Augustinus libro de gratia Christ. cap. 20. reiiciens commentitiam gratiam, quam Pelagius in veræ locum subrogabat: *Sed nos eam gratiam volumus: istam aliquando fateatur, quā futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur, & speratur, nec solum reuelatur sapientia, verùm etiam & amatur, nec suadetur solùm omne quod verum est, verùm & persuadetur.* Sic August. Iam verò premens hæc Pauli verba libro de gratia, & libero arbitr. cap. 9. sic ait. *Tanquam ergo interrogaretur Apostolus, & diceretur ei, Quare dixisti?* Cum timore, & tremore. *horum verborum rationem reddidit, dicens*: Deus est enim qui operatur in vobis: *si enim timetis, & tremitis, non extollimini tanquam de vestris operibus bonis, quia Deus est, qui operatur in vobis.* Hæc ille, quæ sexcentis in locis contra Palagium repetit. Ad quem modum Prosper epist. 84. inter epistol. Ambrosij, & Fulgentius epist. 6. ad Theodorem hæc vrgent: sic namque ille superiùs à nobis non semel adductus. *Vigilant autem tentatoris insidiæ, vt vbi proficit deuotio, subrepat elatio, & vt homo de bono opere in se potius, quàm in Domino glorietur. Sed sollicitudo nos Apostoli contra hoc periculum monet dicentis*: cum timore, & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate. *Quanto ergo excellentius in mandatis Dei quippe proficiunt, tanto maiores habent causas formidinis, & tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene conscia, & laudis auida in superbia rapiatur excessus.* Ita prosper. Similiter Fulgentius. *Quis verò potest gratiam poscere nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit: propter quod beatus Apostolus non solùm bona opera hominem, sed etiam bonam voluntatem Deum in nobis operari testatur, dicens,* Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Similia habet lib. 1. ad Monimum cap. 9. & c. 14. Sed & Hieronimus, his Patribus antiquior, in cap. 26. Ierem. idem dogma ex iis verbis ita confirmat. *In nostra ergo positum est potestate, vel facere quid, vel non facere, ita dumtaxat, vt quidquid boni operis volumus, appetimus, explemus, ad Dei gratiam referamus, qui iuxta Apostolum dedit nobis* velle, & perficere. Sic ibi & eodem ductu in epist. ad Ctesiphōtem: velle,

Nyssen. — Clement. — Clemens. Roman. — August. — Idem. — Prosper. — Fulgent. — Hieron. — Idem.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

velle, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum; dicit enim idem *Apostolus*: Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere. Hæc Hieronymus.

1. Equidem, vt hoc in loco, Deus in nobis velle, atque perficere operari dicitur, quòd suo nos ipse auxilio, ac ope adiuuet, atque confirmet; ita Origene auctore tractatu 35. in Matth. discipulis vno ex capite dicebat Christus, *Bibite ex eo* (calice) *omnes* Matth. 26. 28. ex alio illum se simul eum ipsis bibiturum indidem affirmabat, inquiens, *bibam illum vobiscum in regno Dei.* quod ipsi ex nobis ipsis, hoc est, Deo suis præsidiis, & auxiliari manu non fouente, adiuuante, atque fulciente, opera salutis perficere nullatenus possimus. Audi Origenem. *Ipse autem, qui accepto calice dicit*: Bibite ex eo omnes, *nobis bibentibus non discedit à nobis, sed bibit eum nobiscum, cùm sit singulis ipse, quoniam non possumus soli, & sine eo vel manducare de pane illo, vel bibere de generatione illius vitis veræ.* Sic ille. His egregiè adstipulatur Cyrill. Alex. lib. de adorat. in spiritu, premens ad hoc institutum quod de Angelis non modò admonentibus Loth, vt de Sodomis quam primum exiret, sed manum eius etiam validè apprehendentibus, vt reapse immunis euaderet, hunc in modum dicitur Genes. 19. 15. & 16. *Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi.* Sic enim Cyrillus: *Indicium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, & exhortationibus menti immissis, vt discedamus à peccato, sed tãtam benignitate nobis etiam exhibet vniuersorũ saluator Deus, vt efficaci subsidio adiuuet, secũdùm quod scriptum*, Apprehẽdisti manum dexteram meam, & in consilio tuo *deduxisti me.* & statim enucleatiùs, & luculentiùs, *Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, vt malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadent admonitionibus, vt subsidiũ inueniamus, & fortius illud præstans, quàm vt malum præsens, & violentum praualere possit.* Hactenus Cyrillus. Cuius doctrina, atque obseruatio, his Pauli verbis, *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere,* mirifice deseruiunt.

3. Diximus alibi ad illa verba Ezechielis cap. 1. 19. *Cùm ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea; & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.* mysticorum animalium vmbra Prælatos & Doctores designari; rotarum verò animalia subsequentium imaginem subditos ad Prælatorum passum incedentes adumbrare. At enim ne horum profectum illi sibi adscriberent, quasi eos suo exemplo, & doctrina ad virtutem capessendam omnino attraherent; subiicit Vates: *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* ac si diceret: Iuuat quidem Doctoris prædicatio, atque doctrina; pungit subditos Prælati exemplum, at si vitalis diuinæ gratiæ spiritus intus non adsit, nec pedem à terra efferre poterunt: ita ad id loci adnotante Venerab. Galfrido in allegoriis Gotfrid. Tilman. *Cæterùm cum euntibus animalibus irent & rotæ, & cum stantibus starent, & cum eleuatis à terra pariter leuarentur, si spiritus vitæ esset in rotis: alioquin quamlibet in virtute proficiant pastores, quamlibet perseuerent, quamlibet quærant quæ sursum sunt, nunquam eos plebes eorum industria praualente, nisi spiritu trahente sequentur.* Hæc Galfridus. Pro quo sic primum fideiubet Iob c. 12. 14. *Si destruxerit, nemo est, qui ædificet; si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat.* Deinde eodem sensu, iisdem pænè verbis Dauid Psalm. 126. 1. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Vtraque autem verba pulchrè inter se componit, & ad hanc rem adducit Gregor. Magn. lib. 11. Moral. c. 8. vbi cùm dixisset: *Omnipotens Deus humanum cor destruit, cùm relinquit; ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem sufficit ipsa sibi*, subiicit. *Vnde plerumque fit, vt cùm audientis cor exigentibus culpis, omnipotentis Dei gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moneatur: quia mutum est os omne, quod loquitur, si ille interiùs in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur. Vnde Propheta dixit*, Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. *& Salomon ait*: Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Ita Gregorius. Auget verò statim sententiæ pondus, ex Caini exemplo, qui ab omnium optimo concionatore, nempe Deo exteriùs admonitus, ad bonam tamen mentem non rediit, quòd qui illi ad aures loquebatur, interiùs non operaretur velle, & perficere; sic enim ille: *Hinc est, quòd Cain & diuina voce admoneri potuit, & mutari tamen non potuit, quia exigente culpa malitiæ, iam intus cor eius Deus reliquerat; cui foris ad testimonium verba faciebat.* Hæc Gregor.

4. Hinc equidem sponsæ in peculiare decus, & ornamentum, aureæ murenulæ sic ab sponso promittuntur Cant. 1. 11. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* vbi Bernardi serm. 41. in Cant. & aliorum mihi perplacet opinio, qui murenulas non colli, sed aurium ornamentum esse existimant: aures verò à cælesti sponso pretioso inaurium ornamento decoratas, ac splendidas, quid aliud, quàm diuinis gratiæ suæ inspirationibus & auxiliis ad obediendum fidei in omnibus instructas, munitásque esse dixeris? Sic namque Prouer. 25. 12. dicitur: *Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem* Quæ verba sic exponit Hieronym. *Rectè humilis auditor inauri comparatur aureæ, quia dum libenter increpanti, ac docenti aurem accommodat, iam se ad recipiendum claritatem sapientiæ cælestis præparat.* Ad quem modum Gregor. lib. 5. Moral. cap. 12. optimè componit ea Iob verba c. 42. 11. *& dederunt ei vnusquisque ouem vnam, & inaurem vnam*; cum illis Domini Ioan. 10. 27. *oues meæ vocem meam audiunt*; inquiens, *quia nimirum innocuis mentibus ornamentum sẽper obedientiæ iungitur.* Ita quidem inibi hæc aurium ornamenta Bernardus ab Angelis sponsi nomine bonas animæ cogitationes, & illuminationes suggerentibus, tribui, sic ait. *Tu, inquiunt, ò sponsa intuenda dilecti inhias claritati, sed hoc alterius temporis est. Damus autem in præsentiarum ornamenta auribus tuis, quod tibi interim consolatio erit, & præparatio ad ipsum quod postulas. Ac si illud Prophetæ ei dicant*, Audi filia, & vide. *Videre desideras, sed audi priùs. Gradus est, auditus ad visum. Proinde*, audi, & inclina aurem tuam *ornamentis, quæ tibi faciamus, vt per auditus obedientiam ad gloriam peruenias visionis.* Hæc & plura ibi Bernardus. Subsistit verò is sensus lucémque non mediocrem accipit ex eadem imagine in contrarium versa apud Isaïam cap. 3. 20. dum'inibi elatis Ierusalem filiis murenulas, & inaures foro ablaturum Dominum, sic Vates minitatur. *Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, &c. In die illa auferet Dominus ornamentũ calceamentorũ, &c. & murenulas, & olfactoriola, & inaures.* Sed obserua diligenter Hebræam vocem לְחָשִׁים *lachasim*, quæ

Marginalia: Matth. 26. 28. — Origenes. — Genes. 19. vers. 15. & 16. — Cyrill. Alex. — Ezech. 1. 19. — Galfrid. — Iob. 12. 14. — Psal. 126. 1. — Gregor. Magn. — Psal. 126. 1. Eccles. 7. 14. — Genes. 4. 9. — Cant. 1. 11. Bernard. — Prou. 25. 12. Hieron. — Gregor. Iob. 42. 11. Ioan. 10. 27. — Psal. 44. 11. — Bernard. — Isaia 3. 20. Lect. Heb.

R.David. R.Abrahan. R. Aben Ezra. quæ inauribus respódet; de ea quippe Hebræi omnes Magistri, R. Dauid, R. Abrahã, Aben Ezra monẽt deduci à radice significãte *mussare*, submissa scilicet, & cõtusa voce loqui ad instar incãtatoris, siue etiam, quod velis, conceptis verbis ea arte proponere, aurésque demulcere, vt persuadeas, & obtineas vnde tam ij DD. quàm Forerius, Sanchez & Forer.us. Sanchez. alij interpretes inferũt hasce inaures non tam fuisse ornamenta, quàm munimenta, contra incantationum, & imprecationum præstigia. Quòd si hæc sub spirituali sensu, vt par est, acceperis, eodem hæ inaures cum illis sponsæ murenulis erunt; itque hic animæ ornatus innuetur, cùm ipsa tum submissas Psal.57.6. & salubres vnius sponsi *incantantis sapiẽter* (Ps. 57.6.) inspirationes exaudit, tum contra mundi incantationes, præstigia, & fascinum, præmunitas, & ornatas aures habet, etenim Sapiente auctore: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscen-* Sapien.4.12. *tiæ transuertit sensum sine malitia*, Sapient. 4.12. ex his quid sibi velit Isaias, siue quã acre superbis animis supplicib. Deus minetur habes; *auferet* (inquit) *Dominus inaures*, rollet murenulas, & aurium ornamenta; subtrahet scilicet blandas illas mussitationes, & submissas voces, quæ aures interiùs ita demulcent, vt persuadeant, & euincant; animámque ad bene operandum efficaciter permoueant: iis verò ornamentis ipsa denudata non dubium quin fascinum passura, & sensu ab inconstantia concupiscentiæ transuerso, mundi præstigiis, & incantationibus faciles aures accommodatura sit. En vna ex parte diuinæ gratiæ pondus, & necessitatem adstructa; ex alia lapsum, & ruinam ea deficiente superuenientem, inflictúmque elatis animis supplicium: Bernard. quod Bernardus in se aliquando expertum fuisse præ egregia ipsius animi demissione, vt iam vidimus, sic plangebat serm. 54. in Cant. *Superbia inuenta est in me, & Dominus declinauit in ira à seruo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia, quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factũ est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lachrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat: meditationes solitas non inuenio. Vbi illa inebriatio spiritus? vbi mentis serenitas, & pax, & gaudium in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odiũ pertinax, linguæ, & gulæ indulgentior, segnior, obtusiórque ad prædicationem.* Sic ille de se; tanquam gratiæ splendore tantisper denudato, & quem vt collem elatũ sponsus transierit. Vnde statim de suis quos cælestibus donis & auxiliis Dominus visitabat, & refouebat, sic subijcit. *Heu omnes montes in circuitu visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Nam collis non sum ex his quos transilit Dominus sponsus? Nam alium quidem intueor singularis abstinẽtiæ, aliũ verò patientia admirandæ, alium quidem summæ humilitatis, & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ, & pietatis, illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare, & penetrare cælos orationum instantia aliósque in aliis præminere virtutibus. Hos, inquam considero omnes feruentes, omnes deuotos, omnes in Christo vnanimes, omnes donis cælestibus, & gratia affluentes tanquam spirituales re vera montes, qui à Domino visitantur, & sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me nihil inuenio; quid me alium putem, quàm vnũ de montibus Gelboë, quem præterit in ira, & indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitator.* Hæc omnia Bernardus.

5. Quàm ergo Deo infensum, atque ingratum extitisse dixeris infelicissimum Pelagium, qui vt arbitrij iura attollere, & amplificare videretur; tam illustres, quàm frequentes gratiæ eius victorias, atque triumphos ab illius manibus extorquere impiis ausibus conatus est. Quid enim Deo illustrius, quid gloriosius adscripseris? quam eam de humana voluntate ad malum prona atque propensa; immò in peccati luto defixa reportare victoriam, vt attingẽs à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, ex nolente volentem faciat? Quam profundæ atque inæstimabilis sapientiæ schola, hæc est, in qua Pater auditur, & docet? quàm insuperabilis potentia: quàm mira fortitudo qua *ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum*, Psal.75.4. non decurrentium fulgurum minis, siue fulminũ horrore destinatos cultu, exsequentium, sed *illuminans tu mirabiliter à montibus æternis turbati sunt omnes insipientes corde*, Psal. 75. vers. 4. & 5. Ita quidem magno iure dicebat Chrysost. in cap. 1. huius Idem Chrysost. epist. Angelos in Pauli conuersione multo festiuius exultasse, atque Dei laudes concelebrasse, quàm cum astra creauit, & solem: nam si iusta lance ponderetur, omnia ex nihilo fecisse, pulcherrimamque hanc mundi molem expressisse ad vnius Pauli voluntatem obstinatè priùs, & ferociter sæuientem, & contra stimulum calcitrantem, subinde verò non impellente fato, nec necessitate adacta, nec ferro, & morte contraposita, sed suauissima gratiæ vnctione mansuefactam, eúmque de lupo agnum, ex vepribus racemum, ex zizaniis frumentum, ex inimico amicum, ex blasphemo Theologum, ex persecutore Euangelij prædicatorem, ex pirata gubernatorem, ex proditore militem (vti pendit Chrysostomus hom. in Sanct. duodecim Apostolos tom. 5.) subitò factum non accedit. *Quàm rabida voluntas!* (inquit August. libro 1. ad Simplician. quæst. 2. Augustinus ad fin.) *quam furiosa: quam cæca: qui tamen vna desuper voce prostratus, occurrente vtique tali viso, quo mens illa, & voluntas refracta sæuitia retorqueretur, & conuerteretur ad fidem.* Ita ibi, & in Psal. 45. premens ea verba vers. 8. *auferens bella vsque ad finem terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scutum comburet igni*, sic ait: *Omnia arma sua perdiderat tanquam fortitudinis suæ, qui dicebat: ego autem non gloriabor nisi in infirmitatibus meis, velut si diceret: non curro aduersus Deum in crassa ceruice scuti mei, qui priùs fui blasphemus, & persecutor, & iniuriosus*, auferens bella vsque ad finem terræ. Hæc ex Augustino.

Sed, siue præ diuinæ gratiæ gloria, siue præ insixo animo nostro Pauli amore, iuuat in tam dulcis victoriæ cogitatione hærere; & acrem ipsum conflictum, ac pugnandi modum ob oculos iacere: vidisti rabidam Pauli voluntatem, furiosam, cæcã; nec modò contra stimulum calcitrantem, sed etiam erecto collo, & dura ceruice aduersùs Deum currentem? vide modò quã ratione, & quibus armis illum Deus aggrediatur, atque id à Salomone accipe Sapient. 6. 17. de diuina Sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, hæc dicente; *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens:* vbi vna phrasi *circumeundi* duas, easque egregias imagines adumbrauit; alteram ardenter amantium, qui ad earum fores, quas sibi in sponsas concupiscunt, pernoctare, easque circuire, & perlustrare solent, si quomodo ingrediendi sibi locum faciant, alteram, militum, siue ducum, qui dum munitissimas arces oppugnant, illas, & obsidione cingunt, & indesinenter circumdant, vt quà opportuniùs animaduerterint, tentent irruere: quo omnino sensu idemmet Dominus apud Ioannem Apocalyps. 3. 19. dicebat: *Ecce sto ad ostium, & pulso*, &c. Ergo Paulum ferociter aduersus

6.

Sapien.6.17.

Apocal.3.19.

sus Deum æstuantem *subitò circumfulsit lux de cælo.* *Actuum 9. 3.* Actuum 9. 3. circumfulsit quidem primò lux visibilis, & quasi obsidione cinxit, vt vel externas sensuum portas occuparet, & inuisibili luci, internæque obsidioni viam sterneret, vnde Bern. serm. 1. in conuers. S. Pauli ad diuinæ gratiæ vires, atq; victoriam id etiam sic retulit: *Bernard.* *Magnificè si quidem in hac vna conuersione, & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur.* Subitò (*ait Lucas*) circumfulsit eum lux de cælo. *O verè inestimabilis diuinæ dignatio pietatis: illustrat cælesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem, qui nec dum infundi poterat, diuina saltem circumfunditur claritate.* Sed acrior intus pugna, adeóque valentior internæ lucis firmata obsidio est, vt non secus, ac is, cui quærenti rimam, vt est in prouerbio, omnia aufugia, omnes rimæ præcluduntur, vndiq; captus, vndique circumseptus hanc vnam vocem dederit: *Domine quid me vis facere?* Vnde Augustin. huc referens ea Psalmi 44.7. verba, *Sagitta potentis acuta,* hos cum *August.* ipso sermones miscet: *Modo ibas ad Christianos alligandos, & perducendos ad pœnam, & modò dicis Christo,* Quid me iubes facere? *O sagittam acutam potentissimam, qua accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus.* & immediatè antea, *Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat, supplicabat Christo, cecidit; prostratus est, occisus est inimicus Christi. De cælo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus, nondum Paulus, adhuc Saulus, adhuc erectus, nondum prostratus; accipis sagittam, cecidis in corde.* Sic August.

7. Sed num potentissima ista sagitta ita transfixus est Paulus, vt velut trabali clauo affixus non potuerit non manus dare, & vel inuitus vocanti respondere? *Anselmus.* Apage. Benè si quidem Anselmus: *Nam licèt percussus Paulus, tamen voluntas eius erat libera, vt resisteret si vellet.* Egregiam verò laudem, & spolia ampla referret cælestis præliator, si ad sui obsequium inuitos cogeret. Aduoco rursus Ambros. *Ambros.* *Illud quidem verum lumen omnibus lucet, sed si quis fenestras suas clauserit, æterno lumine se ipse fraudabit: excluditur ergo, & Christus si tu mentis tuæ ianuam claudas, & si possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult inuitos cogere.* Opportunus ergo ingreditur, tēpestiuus illabitur, suauissimè trahit liberos, ac spontaneos allicit, & dum allicit & trahit, gaudio, atque delectatione perfundit. Ita ad id Christi Domini apud Ioann. 6. 44. *Ioan. 6. 44.* *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus cælestis traxerit eum,* dicebat Beda: *Beda.* *Quomodo trahit Pater? docendo delectat, non necessitate cogendo, quia nemo necessitate credit, sed voluntate.* Luculentiùs verò Prosper aduersùs Collatorem cap. 6. hunc in modum: *Prosper.* *Deus hominem peccatorem ex inuito volentem facit, & quibuslibet modis infidelitatem resistentis inclinat, vt cor audientis obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, vnde premebatur, ibi discat, vbi ignorabat, inde fidat, vnde diffidebat, inde velit, vnde nolebat.* Volens igitur, & lubens surgit, discit, fidit, & vult. Docebat alicubi Plutarchus tantas rationis vires esse, vt vel *Plutarch.* ea hominis pars, quæ affectibus est obnoxia, illi etiā gratanter obsecundet, nisi in totum deperdita, & profligata existat: veritus verò statim, ne id creditu videretur difficilè, cùm id quod rationis est expers, rationem complecti nō soleat, sic tacitæ huic obiectioni occurrit: *Qui autem admirantur, quomodo parere rationi possit, id, quod rationem non habet, hi mihi non videntur mente complecti, quanta sint rationis vires, & quò penetrent, occupando, & ducendo non duris quidem, & renitentibus modis, sed informantibus, & ad cedēdum, parēndumq; disponentibus, quæ res omni necessitate, ac violentia ad transigendū efficacior.* Ita Plutarch. lib. de virtute morum. Quod si de nudæ rationis viribus respectu animalis, immò & brutæ, ac efferatæ hominis partis Plutarcho id dicere licuit, quid nos diuinæ sapiētiæ, cælestique vnctioni deferre debemus? vt nobis certò persuademus, altissimè ipsam corda nostra penetrare, occupando, & ducendo nō duris quidem, & renitentibus modis, sed informantibus, & ad cedendum, parendūq; disponentibus. quæ res est omni necessitate, ac violentia ad transigendum efficacior. Sic sanè de hominibus diuinis donis, atq; beneficiis à Christo allectis, & attractis, vt ipsius tandem domus & habitatio fierent, dicebat Dauid Psal. 67.19. *Psal. 67. 19.* *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus. Etenim non credentes inhabitare Dominū Deum;* quæ Theodor. ex lectione Aquilæ sic fore capiēda *Aquila.* censet, vt fuerit sensus: Dominum eosmet, qui illi rebelles extiterant, ipsique repugnabant, ad se tandem adduxisse, non quidem armorum, sed beneficiorum vi, vt volentes, & alacres Deum in se ipsos susciperent. *Hanc clausulam* (inquit Theodoret.) *Theodor.* *manifestiùs Aquila interpretatus est.* Vtiq; non credentes, vt in ipsis habitares. *Non respexisti* (inquit) *in antiquam eorum perfidiam, verùm & repugnantes vidēs perseuerasti eos beneficiis afficere, donec ipsos propriam habitationem redderet.* Sic Theodor. Ergo *liberum arbitrium* (ita August. epist. 89. quæst. 2.) *August.* *non ideo tollitur, quia iuuatur, sed ideo iuuatur, quia non tollitur.* Diffundit hæc Prosper citata epist. 84. *Prosper.* *An fortè verēdum est, ne liberum arbitrium tollere videamur, cùm omnia per quæ propitiatur Deus, ad ipsum dicimus esse referenda, quod nequaquam esse consequens veritatis ostenditur: operante enim spiritu Dei iuuatur arbitrium, non aufertur, & hoc agit gratia, vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circumsepta, difficultatibus impedita non remaneat in languoribus suis, sed per spem miserātis medici curata reualescat, & gaudeat, se non interrogantem, edoctam, & non quærentem esse quæsitam.* Subdit post nonnulla appositam imaginem, *& sicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt possint videre quod non vident; nec tamen non ipsorum est visio quam medicina contulerit; ita in cordibus tardis & hebetibus per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosa iam & deficiētes lucerna lumē accipiunt, nec tamen nisi earū erit quidquid fulgoris acceperint.* Hactenus Prosper.

Huc facit illud Psaltis: *Viā iniquitatis amoue à me, & de lege tua miserere me.* Psal. 118.29. vbi si inquiras, cur Propheta oret, vt Deus ab eo iniquitatis viā non secus, ac febrim, aut aliam corporis ægritudinē, quam homo à se nequit expellere, amoueat: cùm tamen animi ægritudo voluntate excipiatur, atq; ideo ipse ad iniquitatis viam ab animo amouendā se etiā subinde anhelaturū polliceri possit. Respōdēt Origenes, & Didymus apud Agelliū, minimè hinc quidē liberū homini arbitriū eripi, luculēter tamē doceri, infirmas esse illius vires ad iniquitatē pellēdā, nisi Dei gratia adiunctur atq; fulciatur, eaque lege, siue sua arte, ac methodo curandi ipsū perficiat, ac quod illi deest expleat, vt quod dicebat Prosper, *Prosper.* *voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, seductionibus circūsepta, difficultatibus impedita nō remaneat in languoribus suis, sed per spē miserātis medici conualescat.* Nec omittā Origenis verba appingere, quòd satis opportuna sint. Audi: *Origenes.* *Non ait, me amoue à via iniquitatis, sed, illam à me, vt quæ iam insit, & vt possit expelli; tum nobis opus sit, tum verò multo magis Dei auxilio, vt misericordia nobis impendi Dei lege possit. Id verò persimile est, ac si dicatur medico. Medicinæ ratione me ad salutem reuoca, etiam si sectione sit opus, & vstione, aut alio quouis remedio,* quod 8. *Psal. 118. 29.*

quod molestum sit; subiicit statim: *Huius verò non lex, neque initium est illis, qui nondum respiciuntur, sed adhuc traduntur passionibus, ignominiæ, vel nondum correctionem, & curationem admittunt.* Hæc Origenes. Didymus. Nec minus luculenter Didymus hunc in modum. *Aliter præterea inquit, quantum in me fuit, & ab iniquitate recessi, sed, finis bonorum tui muneris est, neque enim si quis odit ignorantiam: citra magistrum scientiam discet vnquam.* Vnde sic rectè concludit. *Explet igitur Deus quòd voluntati, ac libero arbitrio deest.* Applaudit Chrysost. Chrysost. hom. 19. in Genesim diuinam gratiam cum humano arbitrio opportunè componens his verbis: *Quia ergo liberam nostram naturam fecit omnium Dominus; ipse quidem quæ sua sunt omnia pro sua misericordia semper exhibet, & sciens abscondita in profundo mentis & arcana, hortatur, consulit, conatúsque nostros malos reprimit, & necessitatem vtique non imponit, sed congruis remediis appositis totum iacere in ægrotantis sententia dimittit.* En arbitrium ægrum antea, & infirmum, quod Deus congruis gratiæ suæ remediis sanum, valénsque ad bene operandum reddat, *& cùm de vero lumine tenebrosæ iam, & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nō nisi earum sit quidquid fulgoris acceperint.* Fulgent. Subscribit Fulgent. epist. 3. cap. 22. diuinæ gratiæ momenta in nostri medicinam, atque salutem sic expendens: *Ab hac ergo lege peccati, quæ est in membris nostris, non virtus cuiuslibet hominis fortis, non industria sapientis, sed sola liberat gratia saluatoris, quæ non nisi humilibus gratis datur.* Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Verumtamen hæc gratia sicut non nisi humilibus datur, sic homo humilis esse non potest, nisi detur. Datur enim, vt humiles esse incipiant, & datur vt humiles esse non desinant. Gratia igitur Dei facit, vt humiles simus, & humiles perseuerare possimus. Qui enim potuit, quòd non habuimus, dare ipse potest, quod accepimus custodire.* Iam verò hæc omnia adeò appositè, & enucleatè explicauit Bernardus, vt velut viuaci penicillo ob oculos iacere videatur. Bernard. Ita enim ille lib. de gratia, & libero arbitrio prope finem dum de gratia loquitur: ***Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum, sanat cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum, seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo perueniat, in cæteris comitetur: ad hoc vtique præueniens, vt iam sibi deinceps cooperetur. Ita tamen quòd à sola gratia cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non singillatim: simul, non vicissim, per singulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singulæ opere indiuiduo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illud, sed vt totum in illo; sic totum ex illa.*** Hæc Bernardus.

9. Quàm magno autem iure Deus in nobis absolutè operari dicatur, necnon, quanta sapientia, & sale Paulus, quin arbitrij mentionem fecerit, Ad Roman. 9.16. ad Roman. 9. 16. dixerit, *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* opportunis imaginibus elucidat Origenes. Origenes lib. 3. Periarch. hunc in modum: *Quemadmodum si dicamus, de agricultura illud quod scriptum est:* ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: *Ita*, neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. *Sicut ergo cùm bonos, atque vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo piè, & conuenienter dicet; quia fructus istos agricola fecit, sed à Deo fatebitur præstitos, ita etiam nostra perfectio, non quidem nobis cessantibus, & otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo, qui est prima & præcipua causa operis, adscribetur: sic cùm nauis superauit marina discrimina, quamuis multo labore nautarum, & omni nauticæ artis opere impenso, & gubernatoris studio, atq; industria adhibita res agatur, ventorum quoque aspirantibus flatibus fatigata ad portū salua peruenit, nemo sani sensus nisi misericordiæ Dei salutē nauis adscribet. Sed ne ipse quidem nauta, vel gubernator audet dicere: ego saluaui nauem, sed totum ad Dei misericordiam refert, non quod sentiat, se nihil ad saluandum nauim, vel artis adhibuisse, vel laboris, sed quoniam sentit, à se quidem laborem, salutem verò à Deo præstitam naui; ita etiam in nostræ vitæ cursu à nobis quidem dependendus est labor, & studium, atque industria adhibenda, laboris nostri verò fructus à Deo speranda est salus.* Sic Origenes. Ad cuius gustum bene obseruat. Chrysologus serm. 97. in parabola zizaniorum; Chrysol. seruos, quorum opera paterfamilias seminauerat, ei non dixisse, Nónne bonum semen seminauimus in agro tuo: sed potius, *Domine nónne bonum semen seminasti in agro tuo?* Matth. 13. 27. quòd Matth. 13. 27. ipsi potissimum egregia opera quæ facimus adscribenda sint. *Seminasti*, (inquit) *non seminauimus; Nos quod per te facimus, tibi semper nostro assignamus auctori: & tu in iis, quæ nobis facienda præcipis, ipse operator assistis*, &c. *tu quod vis, habes; nos præter tuā gratiam nihil habemus, per quam stamus*, viuimus, mouemur, & sumus: *& sine qua iacemus, deficimus, & perimus.* Hæc Chrysol.

Arripio hinc auide ansam, vt in concordiam cum nostro Vulgato LXX. interpretes redigā apud Isaiā 10.
cap. 1. vers. 27. ibi enim Noster: *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iustitia*; LXX. verò *cum iudicio, saluabitur captiuitas illius, & cum misericordia*, Isai. 1. 27. LXX.
siue, vt legit Chrys. in hunc locum tom. 1. *& cum eleemosyna*: vbi videris, animæ redemptionem, siue Chrysost.
iustificationem à nostro Vulgato iustitiæ, iudiciiq; opus appellari, à LXX. ad misericordiam, & eleemosynam omnino referri; *reducent eā* (inquit ille) *in iustitia*: hoc est, omnibus rectè expresse expensis & iusto pretio persoluto: LXX. verò *reducent eam in eleemosyna*: hoc est, (inquit Chrys.) *per multa erga homines benignitate Dei*: vt salus illi gratis, & eleemosyna data videatur. Adeò verò hæc inter se non diffident, vt se se inuicem & mutuo explicent: etenim, vt Vulgatus humani arbitrij cooperationem in opere salutis adstruit, nam *qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*; quod in Græca versione subintelligendum est: ita LXX. ad Dei gratiam & misericordiam omnem salutis nostræ rationem coniiciūt, ea Pauli verba prænunciantes: *Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*, ad Titum c. 3. 4. quod si æqua ad Titum 3 4.
lance pensetur, ipse auctor, ipse adiutor, ipse operū nostrorū principiū, & finis sit. Vnde Fulgentius Fulgent.
epist. 4. ad Probam, quæ est de oratione c. 2. sic inquit. *Oratio humilis diuinum promeretur auxilium, compunctio cordis vulnera sua respicit. Oratio verò medelam sanitatis exposcit, & ad hæc quis idoneus? Quis enim vel orare cōpetenter valeat? nisi medicus ipse nobis initium desiderij spiritualis infundat? aut quis perseuerare in oratione queat, nisi Deus in nobis id, quod cœpit augeat, quod seminauit, enutriat, & quod misericordiæ præcedente gratis donauit, indignis, ad effectum perfectionis misericordia subsequente perducat? Sic enim à nobis poterit boni operis meritum non perire, si Deus auctor, atq; adiutor semper glorificetur in opere.* Quò quidem subtiliter retulit per allegoriam Bernard. mysticos illos seraphinos apud Isaiam c. 6. 2. faciem Isai. 6. 2.
& pedes suos velātes, vt prædestinationis initiū, & cōsūmationē vni Deo tribuāt, quāuis ipsamet animæ iustificatio nō sine nobis agatur. Audi Bern. acumē. Bernard.

Quod

Quod ſi de ipſis licèt accipere, ſic pingantur, vt operto capite, & pedibus, ſolum appareat corpus medium, ſed, & ipſum non penitus propter alas quibus volare perhibentur. Conſidero ſiquidem quaſi quoddam corpus caput, & pedes meos in verbis Apoſtoli, quibus ait: Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui: quia quos prædeſtinauit, hos & vocauit, quos autem vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, hos & magnificauit. *Ita initium meum ſola gratia eſt; & non habeo quod mihi in prædeſtinatione attribuam. Non ſic ſanè ab opere iuſtificationis alienus ſum; operatur, & illud gratia, ſed mecum. Vides ne quemadmodum ſeraphim in medio appareat aliquatenus? Porrò conſummatio ſolius gratiæ. Velat igitur ſeraphim caput ſuum duabus pennis, ſi & veraciter cognouerit, & humiliter fateatur: quia miſericordia eum ſola præuenerit; velat, & pedes aliis æquè duabus, ſi miſericordiæ, quæ ſubſecutura eſt, nec ignarus extiterit, nec ingratus.* Hæc Bern. ſer. 4. de verb. Iſaiæ.

Ad eadem verba, *Qui operatur in vobis, velle & perficere.*

ADNOTATIO III.

Sic Deum ſalutem noſtram in nobis operari, vt opus ſuum perficiat, quin manum à tabula ſubmoueat.

1\. August. Geneſ. 2. 15. DIXIMVS in expoſitione litteræ num. 6. hunc in modum explicari ab Auguſtino ea Geneſis verba c. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum*, vt ad virtutum opera quæ Deus in homine indeſinenter operatur, fuerint referenda: ſic enim dicebat ille: *Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat eſſe terram, ſed vt cultam, atque fructuoſam; ſic Deus hominem multo magis, quem ipſe creauit, vt homo ſit, eum ipſe operatur, vt iuſtus ſit, ſi homo ab illo per ſuperbiam non abſcedit.* Cui cogitationi optimè congruit, quod ex Origene lib. 3. Periarch. alibi dixiſſe me memini, ideo Moyſen primum ſcripſiſſe, hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei fore faciendum, poſtmodum verò ad imaginem ſolummodo fuiſſe factum memoraſſe, quia *imaginis dignitatem in prima conditione percepit, ſimilitudinis verò ſibi poſſibilis perfectionem ipſe ſibi eam propria induſtria ex Dei imitatione conſciſcat*; ac ſi diceret, diuinam imaginem homini naturaliter inſculptam, à Deo ſubinde ſupernaturali auctore, nec non ab humana voluntate, & induſtria fore paulatim egregiis virtutum coloribus perficiendam, vt ipſimet Auctori aſſimilis euaderet; quippe Deus *hominem, quem ipſe creauit, vt homo ſit, eum ipſe operatur, vt iuſtus ſit*, homoque qui diuinam gratiam in vacuum non recipit, huius imaginis perfectioni intétus, vult opus ſuum (vti idemmet Origen. hom. 1. in Ezech. dicebat) *fieri iuſtitiam, ſapientiam, caſtitatem, fortitudinem, aliáſque virtutes.* Modò ex his Pauli verbis; *Qui operatur in vobis velle, & perficere*, illud adnotatione dignum cenſemus, Deum operi ſuo ardenti effectu aduigilare, vt non tantùm operetur, ſed etiam perficiat, donec vltimam illi manum imponat: dummodo homo Deo collaboret, & diuinam à ſe manum non repellat, ſiue egregia illius lineamenta non deleat; ita quidem Iſaiæ 49. 16. dicebat Dominus. *In manibus meis depinxi te, muri tui coram me ſunt ſemper*, pro quibus verbis Ambroſ. lib. de bono mortis c. 5. legit, *pinxi muros tuos*; pulchrè id referens ad virtutum picturam in anima à Domino perfectam, quibus ipſa aduersùs hoſtes fortis, & inconcuſſa ſubſiſtit; hunc in modum, *Ideo dixit, muros pinxi; quibus hoſtem poſſumus auertere: habet anima muros ſuos, de quibus eminet; & de quibus ait*, Ego ciuitas munita: ego ciuitas obſeſſa. *His munitur muris: his obſeſſa defenditur.* Subjicit verò ſtatim: *Non detergamus penicule negligentiæ depicta animæ noſtræ muralia.* Sic Ambroſ.

Margin: Origenes. Idem. Iſaiæ 49. 16. Ambroſius. Cant. 8. 10.

2\. Ergo operatur Deus in nobis velle, & perficere; operatur hominem, vt iuſtus ſit, imaginémque quam illi ſemel indidit, perficit, quòd & ipſe tanquam bonus artifex in opus ſuum propenſus ſit, & ipſa in nobis incepta imago ad auctorem ſuum mutis vocibus alloquatur vt opus ſuum perficiat; & de hac quidem hinc dicitur; *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ. 1. 26. vbi pro voce *ſimilitudo*, Hebraicè eſt, צלם *Selem*, quę vox ſignificat *ſilentium*: vt poſſis legere, ad imaginem ſilentem; illinc verò ait Moſes Geneſ. 2. 7. *& factus eſt homo in animam viuentem*; ſiue, vt Chaldæus legit, *& factus eſt homo in ſpiritum loquentem*: vt ex illo ſilentio, & hac voce inter ſe compoſitis dixeris, imaginem Dei in nobis pingi, & delineari ceptam mutis vocibus perfectionem ſuam poſtulare. Porrò de artificis erga opus ſuum ſtudio, accurata locutione dixit Iob. cap. 14. 15. *operi manuum tuarum porriges dexteram*; quippe in Hebræo fonte pro verbo *porriges*, eſt תכסף *caçaph*, quod propriè ſignificat amare, deſiderare, concupiſcere, quaſi in opus ſuum mirè Deus afficiatur, illúdque perficere amet, concupiſcat, deſideret: ac proinde manum à tabula, vt aiunt, nunquã ſubmoueat: vnde ipſe notanter ait, *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*, Ioan. 5. 17. Sed quid tam ipſe quàm Pater operantur? Aperit alibi idemmet Artifex inquiens, *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatẽ eius*, Ioan. 4. 34. Semel videlicet delineatam in homine imaginem perficiens, immò verò peccato obſcuratã & fœdam nouis gratiæ, & donorum coloribus detergens, illuminans, atque ſplendidam reddens. Nec omittam expendere illa verba, *Meus cibus eſt, vt perficiam opus eius*, quæ maximè in hanc rem ſunt: nimirum, ſi ab artifice perquiras, cur continuo, & accurato ſtudio artis ſuę operibus incumbat, reſpondebit tibi; hinc victum, vitámque ſuam, nec non famam, & vtilitatem dependere: dixit ſiquidem alio intentus Seneca lib. 2. de benef. cap. 33. *Facit Phidias ſtatuam. Triplex eſt illi fructus operis ſui, vnus conſcientiæ: hunc abſoluto opere perfecit: alter famæ: tertius vtilitatis, quem allatura eſt aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas*; ad hunc enim modum quodammodo poſſis dicere, Dei filium hominis operi perficiendo tam ſtudioſè, tam ardenter operam nauare, vt hic ſuus cibus eſſe, hinc ipſius famam, & lucrum, cui auidè inhiet, pendere videatur, & verò tum ſalutem creaturæ, lucrum creatoris eſſe, nec non illa ipſum veluť ſuauiſſimo cibo refici, & delectari; tum etiam eius bonitatem, & maieſtatem inde maximè dignoſci, & diuinæ ſuauitatis odorem, & famam toto terrarum orbe percrebeſcere, ſæpius in ſuperioribus ex Patribus confirmauimus: inde pete, vt quam perfecta, & elaborata ſua ipſe opera eſſe velit, tibi oſtendam.

Margin: Geneſ. 1. 26. Heb. Lect. Geneſ. 2. 7. Chaldæus. Iob. 14. 15. Heb. Lect. Ioan. 5. 17. Ioan. 4. 34. Seneca.

3\. Et hac ſanè de re notanter Moyſes in ſuo Cantico dicebat: *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ eius iudicia*, Deuter. 32. 4. vbi Hebræa vox quæ Latinę *perfecta* reſpondet, vt bene inibi obſeruat Agellius omnimodam perfectionem, ſiue rem vndequaque perfectam, & omnibus numeris conſtantem, in

Margin: Deuter. 32. 4. Hebræa Lect. Agellius.

in qua nihil claudicet, nihil impar sit, propriè significat. Quare aptè huic loco coniunxeris tum
Iacob.1.4. illa Iacobi verba cap. 1. 4. *vt sitis perfecti, & integri, & in nullo deficientes*; tum hæc Pauli ad Ephes. 2. 10.
ad Ephes. 2. 10. *ipsius enim factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus*; & verò ex iis, quæ cum vtrúmque locum elucidauimus cap. 1. vers. 8. adnot. 1. num. 3. 4. & 5. copiosius diximus, duo huc transferre cogimur: alterum Iacobi verba ex Græco legi commodè posse, *vt sitis omnibus iustitiæ membris constantes, & nulla in eius parte diminuti*: alterum in Pauli verbis, pro *factu-*
Lect. Græc. *ra* Græcè esse ποίημα *poëma*, elaboratũ videlicet & accuratum carmen, omnibus numeris, syllabis, & apicibus constans. En Dei opera, en, quam ipse in nobis iustitiæ imaginem operatur, ac perficit; siue operari, & perficere aduigilat; vt videlicet omnibus iustitiæ membris constet, nullâque eius parte diminuta, *sit sancta, & immaculata* (siue vt habet
Ephes. 5. 27. Lectio Syriaca *& absque næuo*) ad Ephes. 5. 27. vt
Lect. Syriac. perfecti, & integri, & in nullo deficientes, neque claudicantes, in omnibus operibus bonis ambulemus: & quidem bene ad hanc rem obseruauit Am-
Psal. 118. 73 bros. serm. 10. in Psal. 118. quæsita locutione tam Vatem Regium, quàm Iobum Deo in hominis formatione, non vnam, sed duas manus adsignasse, iisdem pænè verbis vterque inquiens, *manus tua fecerunt me, & psalmauerunt me*, Psalm. 118. 73.
Iob. 10. 8. Iob 10. 8. vt quod toti mundo perficiendo satis supérque fuerat, homini elaborando non videre-
Ambros. tur abundare: sic enim Ambros. *Manus dicit pluraliter, non manu. At verò alibi: ego manu mea solidaui cælum; & manus mea fecit hæc. In hominis constitutione videtur non abundare, quod toti mundo, vt fieret, abundauit.* Sed quare? Quia nimirum cælum, & quidquid cæli ambitu continetur, nec rationi anima præditum, nec Dei imagine, & similitudine constat, leui manu & potuit, & debuit perfici; Dei verò in homine imago non nisi vtráque manu quasi maxima cura, & studio elaboranda, & depingenda fuit. Ita statim Ambros. *Cælum non ad similitudinem, homo ad similitudinem*, & postmodum: *Quod enim secundùm imaginem est, non est in corpore, nec in materia, sed in anima rationali: ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinẽ, & imaginẽ Dei, vbi sapientia, vbi omnis forma virtutis assumitur*; vtraq; ergo manu operatur artifex, & vtramq; etiam ab ipso animato opere exigit, vt operanti respondeat; vnde Dauid qui se Dei manibus factum
Ps. 118. 109. & plasmatum nouerat, notanter dicebat, *Anima mea in manibus meis semper*, Psalm. 118. 109. non in manu, sed in manibus: omni videlicet studio, & conatu ipsi indesinenter aduigilans, vt Dei imago perfecta, & nulla ex parte claudicans fuerit: ne Artifex, cuius opera perfecta, & minimè clau-
3. Reg. 18. 21. dicantia sunt, illi obijceret, *vsquequo claudicatis in duas partes*, 3. Reg. 18. 21. vide quæ circa hæc verba dicentur ad vers. 14. in commenr. num. 10.

4. Sed iam ipsammet imaginem peccato obscuratam, suam à Deo perfectionem, & lucem expos-
Habac. 3. 2. centem sic inducit Habacuc in Cant. vers. 2. *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud*; preme signatam locutionem *opus tuum*; nec enim dixit, Viuifica hominem, siue humanum genus; aut præbe nobis salutem, sed potiùs viuifica opus tuum, ac si iure cum artifice opus inceptum agat, vt vltimam illi manum, & perfectionem reddat. Quò etiam it quod vt vidimus, Regius Psaltes
Ps. 118. 73. Psal. 118. vers. 73. Deo suggerebat, *Manus tuæ fecerunt me, & psalmauerunt me; da mihi intellectum, & discam mandata tua.* Quæ sic expendit ibi Ambros. serm. 10. *Magno commendationis exordio vsus est: si opus Dei esse se diceret; quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur auctoris.* Nec Ambrosius. contentus ad fauorem retulisse, postmodum iuris, atque iustitiæ opus, id ex persona Dauidis sic facere videtur, *Clamat ad Deum Propheta: Opus tuum Domine ne deseras: non derelinquas. Te auctorem conuenio, te teneo conditorem: præsidia aliena non quæro. In adiumentum accingere, qui accinctus es, vt creares*, Pulcherrimè. Sed vt tectos in his verbis aculeos, quibus modestissimè Deum pungere videtur, retegas, obserua illa verba *conuenio*, & *teneo*; prius etenim forense, & apud Iurisconsultos in vsu est, pro *in iudicium vocare*: posterius verò non modò significat arctius constringere, & debitorem à duro, & molesto creditore pugnaciter retineri, vt Matthæi 18. 28. *egressus seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes*, sed etiam Matth. 18. 28. coarguere, atque conuincere: sic dixit Cicero 4. Academ. *Si rectè concluseris, teneo*, & action. 7. in M. Tull. Verrem. *Neque solùm argumentis, sed etiam certis testibus illius audacia tenebatur.* Iam, vide locutionis animos, & acumen. *Te*, inquit, *auctorem conuenio; te teneo conditorem.* Ac si dicat: Teneris Domine, & iure quidem, & ex iustitia opem, & auxiliarem nobis manum dare, quodammodo teneri, videris: ex benignitate, inquam, & misericordia, qua primùm tuam in nobis imaginem aliquando depinxisti, illam denuo illuminare & perficere tibi ipsi, tuæque arti debes: teneris ô summe artifex, qui iam olim inspirasti in faciem nostram *spiraculum vitæ*, quo facti sumus *in animã viuentẽ*, Genes. 2. 7. Genes. 2. 7. opus tuũ malo fato extinctũ misericorditer viuificare: ideò manus ipsas, quæ fecerunt me, & plasmauerunt me, conuenio, vt inceptũ opus perficiant, & vltimam illi manum imponant. At vos (inquiet aliquis artificis nomine,) ingrati exstitistis, & peccatis vestris velut atramento meam in vobis insculptam effigiem denigrastis. Ita omnino Domine, ita est: sed vel hinc te auctorem & conditorem conuenimus, qui in lutea tabula imaginem tuam depingere voluisti. Ita postmodum Ambrosius. *Vnde & hîc edicitur, vt meminerit Deus; quia pul-* Ambros. *uis sumus, & vberioris gratiæ munus infundat, nec infirmum opus deserat. Gubernator fluctuante nauigio plus laboris impendit, quàm cùm secundo regimio labitur fluctu, & ventorum flatum suo supparo superantem præcurrit.* Sic Ambrosius.

Concinit sibi mei idem Vates, eodemmet 5. Ambrosio expositore, & pensitatore Psal. 118. 62. inquiens: *Media nocte surgebam ad confitendum* Psal. 118. 62. *tibi super iudicia iustificationis tuæ*; siue, vt legit Ambrosius, *iustitiæ tuæ*. Quòd si inquiras, quæ hæc Ambros. iudicia? iustificationes? iustitiæque fuerint? explicant Ambrosius ibi & Anastasius apud Agellium de eximiis donis, & beneficiis humano generi collatis: & Anastasius quidem sic loquitur. *Quieto maxime noctis tempore recensens om-* Anastas. Agellius. *nia tua beneficia reputabam, quæ nobis iam inde à parentibus aderant.* Ita ille. Sed enim hîc meritò ambigas, cur beneficia, & benignitatis opera ad iudicia, iustificationes, & iustitiam Vates retulerit? & misericordiam cum iustitia, à qua ipsa longiùs ire consueuit, voluerit confundere? Respondebimus tamen ex Ambrosio Ambrosius. eam diuini opificis benignitatem, & in opus suum studium esse, vt illud dum sese inchoatum, & imperfectum videt, conditorem suum velut ex iustitia conueniat, vt manum sibi porrigat, & *opera manuum suarum ne despiciat*; sic

fic etenim ille. *Quia iustus est, vt opus suum tueatur, ac seruet, vt quos nudos indotata quadam naturæ sorte in hanc proiecit corporis infirmitatem, vigore animi, & misericordia sua dote pauperes vestire dignetur*, Pulchrè; nam quid pietati, benignitati, immò & iuri fuerit adeò consentaneum, quàm vt ditior parens, nubilem filiam in matrimonio collocet? nónne ipsa optimo merito, vel quia fragilis, & grauioribus sæcularium fluctuum discriminibus obnoxia, parentem velut debitorem tenebit, & stricto iure cum illo aget vt iustam ei dotem assignet? Ad eum ergo modum *iustus* quidem *est Dominus vt opus suum tueatur ac seruet*, & quos semiornatos & semidepictos semel operari incepit, misericordiâ iustitia, iustâque benignitate perficiat, & suam in illis imaginem à primis lineis vsque ad metas perducat. Quàm quidem ad rem opportunè possis adducere bonæ illius Thaïdis pœnitentis, quę procax priùs meretrix fuerat, quàm sæpius in die
Vit. Patr. ad Deum iterabat orationem. Nimirum ipsa è cæno lupanaris ad cælum Euangelicæ, ac seuerissimę disciplinæ conuersa, dum noctes diésque in oratione consumeret, ex sapientissimi senis institutoris, ac præceptoris sui, hanc vnam emittebat vocem, *Qui me plasmasti miserere mei*. Quàm sapienter! quàm opportunè! Sed quidni opportuniùs, atque sapientiùs suam Deo pietatem & misericordiam obijciés, dixerit: Qui priùs, qui misericors, qui longa nimis es miserere mei: sanè quod ex his vocibus, vt Deũ ad misericordiam permouisset, illum tamen vt debitorem, & operi suo perficiendo oppignoratum non conueniret: illa verò tam simplici quàm artificiosa oratione ipsum tenere, & quasi constringere videretur, tantùm non dicens: Iustus es Domine, vt opus tuum tuearis, ac serues, & quàm nudam indotata naturæ sorte in hanc proiecisti corporis infirmitatem vigore animi, & misericordiæ tuæ dote pauperem vestire digneris.

6. Vis videre hominem media nocte surgentem ad confitendum Deo super iudicia iustificationis suæ, audi quid apud Lucam 11. 14. dixerit Dominus:
Luca 11.4. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes. Quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam ante illum.* Sed quomodo hæc verba pensitauerit Tertullianus, audi: sic etenim
Tertullian. ille libro quarto conc. Marc. cap. 41. *Amicus autem, etiam si offendit, magis creatoris est homo, quàm Dei Marcionis. Itaque ad eum pulsat, ad quem illi ius erat, cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat, cubantem iam cum infantibus, quos nasci voluerat.* Pulcherrimè. Preme duo: primum subtiliter excogitari à Tertulliano, hunc qui ad ianuam Dei pulsat, is inducitur, non alium quàm hominẽ peccatorem esse qui domo Dei aliquando pulsus, ad eius ianuam sub inde pulsaturus accedat, ideo ait: *etiam si offendit*. Deinde obseruaillud, *ad quem illi ius erat*; & inquire quódnam homini, præsertim peccatori in Deum ius sit? Vnde ius? aut quale ius? itáne homo cum Deo? creatura cum creatore? reus neci addictus cum iudice agere, ius erit? aut quando Deus humano iuri fuerit obnoxius, cui iura dare æterno iure debetur? Subsistit tamen Tertulliani sententia, meritóque hominem ad Deum iure pulsantem facit, quòd quamuis offenderit, *amicus magis creatoris est homo, quàm Dei Marcionis*; quippe (si æquis illam auribus suscipias, & quod ipse ius appellar, omnimodæ misericordiæ opus esse, noueris:) cùm hominem Deus creauerit, iustus est, vt opus suum tueatur, extinctum viuificet, suámq; imaginem peccato obscuratam, perfectam, & illustrem reddat. Quare non abs re dixeris huic pulsationi præfatam Christi vocem respondere, *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius*, Ioan. 4. 34. Sed hæc Tertuliani verba adnotatio. seq. num. 4. rursus non importunè prememus.

Nec contentus fuero, nisi & id tibi ob oculos iecero, contendens huc potissimum prodigij filij historiam ire: is etenim ad bonam iam frugem sese recipiens, optimo parenti hæc suggerebat: *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus*, Lucæ 15. 21. Quid? meræ, aut simplicis humilitatis, & non potiùs hamatæ verba hæc fuisse existimas? Negabat quidem vna ex parte boni patris filium se esse, sed cessabat ne ex alia illam toto ore patrem appellare *Pater* (inquit) *peccaui in cælum*; vides hamum? siue viscum ab industrio aucupe patri absconditum? vt ad illum quamuis altius volare vellet, pennas relinqueret, scilicet, dum prodigus seipsum filium negabat; parentem verò de patris nomine appellare non desinebat, adeò erat rudis & pingui Mineruа, vt ignoraret, patris nomen relatiuum esse, quod necessarium respectum ad filium diceret. Qua ergo ratione? quo prætextu? qui de se ipso humiliter, veracitérque dicebat, *iam non sum dignus vocari filius tuus*; patrem patrem ingeminabat, nisi vt illi suggereret, opem imagini suæ ferre debere? Ita pænè Chrysologus serm. 2. illa verba, *Surgam, & ibo ad patrem meum*, sic premens: *Qua spe? qua fiducia? qua confidentia?* & statim. *Qua spe? illa qua pater est. Ego perdidi, quod erat filij; ille quod patris est, non amisit*; id est, ipse dum me genuit, sui in me imaginem depinxit, num quod ego meis peccatis velut atramento illam denigrauerim, ipse paterna viscera, & teneram erga opus suum affectionem ita facile perdiderit, & non potiùs operi manuum suarum porriget dexteram: ac si omnino dixerit cum Ambrosio iam superiùs citato; opus tuum Domine ne deseras, non derelinquas. *Te auctorem conuenio, te teneo conditorem, aliena præsidia non quæro in adiumentum accingere qui accinctus es, vt creares.* Iam verò quid ad hæc pater? Audi illum pro hac cogitatione egregiè fideiubentem: sic enim ad seruos suos illico locutus dicitur. *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius*, Lucæ 15. 22. ac si cùm primùm imaginem suam obscuratam, denigratámque conspexit, penicillum rursus accipiens, manum illi admouerit, & totam industriam, ac studium impenderit. Vnde ad hæc verba præfato loco Chrysologus, *Vrgentur patris viscera, iterum filium genitura per veniam*. Benè *iterum genitura*; id est, suam denuo imaginem artifex formaturus, & reformaturus, ad eum modum, quo fidus ipsius assecla & interpres dicebat, *filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ad Galat. 4. 19. Rursus verò statim Chrysologus, *Pater viso filio cooperit mox reatum, dissimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem*; vt innuatur, non minus è re parentis, quàm filij esse, de illo subueniendo, & perficiendo cogitare: sanè quasi qui semel genuit, & suam imaginem delineare, aut insculpere cœpit, ad eam perfectè elaborandam, & tuendam initiatus sit, & qui, nisi id præstiterit, mancus, & imperfectus, quique officium suum non impleuerit, esse videatur.

Hinc equidem notantissime Iob capite 10. 8. vt Deum, quem ipse sibi iratum, atque infensum putabat, ad pietatem inflecteret, ab eóque vt mitiùs secum ageret, obtineret, efficacissima hac vtebatur argumen- 8.

Marginalia (right column): 7. — Luca 15.21. — Luca 15.18. & 21. — Chrysol. — Ambros. — Luca 15.22. — Chrysol. — ad Galat. 4. 19. — Chrysol. — 8. — Iob. 10.8.

argumentatione. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repentè præcipitas me?* & statim, *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti, pelle, & carnibus vestisti me; ossibus, & neruis compegisti me.* vbi pende, non tantùm affirmasse, opus Dei, atque id maximè elaboratum, se esse, quod ad rem suã non leuiter faciebat; sed etiam signarè diuinis se oculis tanquam è molli, blandáque materia, in qua non possent non vndique impressarum manuum vestigia apparere, recenter efformatum proposuisse, vt dicere videatur: extant in me, ô Domine, tuarum manuum expressa signa, & lineamenta, quæ me tuum opus esse clarissimis vocibus proloquuntur; cur ego tuam imaginem potius demoliri, quàm opem ei ferre vis? & verò bonitati huius rationis subnixus, ac si Deum ipsa permouisset, pulchrè hac in causa præuaricatus, pro Dei benignitate sic statim respondet. *Licèt hæc celes in corde tuo, tamen scio, quia vniuersorum memineris*; ac si diceret: Iam equidem te teneo; videor enim mihi te videre egregium erga opus tuum studium de industria ad horam celantem; minimè dubitans, nullam te illius obliuionem capere posse, quin suo tempore à primis imaginis tuæ lineamentis, & manuum tuarum vestigiis attractus, opem illi feras, atque eam mirè excolas, atque perficias. Hinc sanè Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses cap. 76. perutilem, atque opportunam hanc elicit admonitionem; vt, curandum nobis maximopere fuerit aliqua semper virtutum lineamenta, diuinarúmque manuum vestigia in nobis retinere, quæ ipsum ad nobis subueniendum, & dextram operi manuum suarum porrigendam, illiciant; ne dum nihil suum in animis nostris agnoscit, viles illi simus; nec habeat, vnde ad opem ferendam pertrahatur. sic namque Irenæus: *Præsta Deo cor tuum molle, atque tractabile, & custodi figuram, qua te figurauit artifex, habens in temetipso humorem, ne indurans amittas vestigia digitorum*; hæc enim dum extant, dum durant, & sese diuinis oculis ingerunt, quantumuis prodigus, quantumuis tepidus, quantumuis diuinæ imaginis pulchritudinem obscurauetis, diuinam clementiam ad opem suo operi ferendam adducent.

S. Irenæus.

9. Quo sanè omnino it egregium hoc apud Isaiam cap. 42. 3. de Christo Domino vaticinium, *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* quod vt miram Dei lenitatem, & patientiam in peccatore sustinendo velut de facie agnoscendam proponit; quis enim hæc sustineat, quæ nihil vtilitatis, molestiæ verò plurimum afferunt? vti quassatus calamus cui si velis inniti, scandulis & aculeis manum perforat, aut linum semiextinctum, quod fumo & fœtore graue est, ita etiam ostendit hanc Dei bonitatem eò inter alia spectare, quòd peccator cum quassato calamo, & lino semiextincto compositus Dei opus & supellex fuerit. Benè enim docet Hieronymus calamum inibi musicum significare instrumentum, quod cùm priùs vocale, & canorum fuisset; postmodum fractum, & quassatum, vtile, & ad rem esse, desinit. Quam significationem opportunè retulit P. Sanchez ad ingrati hominis animum, quem Deus sicut tibicen fistulam, aut tibiam ad suaues modulos inflat, dum sanctam timoris sui, alteriúsque virtutis cogitationem inspirat; quid enim inspirare, nisi inflare fuerit? ille verò vt

Isai 42. 3.

Hieron.

Sanch. 2.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

fracta tibia, & agreste aliquid resonans, minimè ad diuini tibicinis numeros, diuiníque spiritus inflatum respondet; sed durum aliquid, inconcinnum, ferum, & ab inspiratione omnino alienum resonat. Et verò vt ita res se habeat, non tamen illico absonum & vlulantem calamum bonus artifex abiicit, atque confringit, sed operis sui memor, atque misertus, illúmque aliquando ad numeros suámque mentem responsurum sperans, ipsum inflare, & temperare non desinit. Nec fuerit minus opportunè lini fumigantis consideratio: etenim quamuis illi nihil lucis, ac splendoris sit; immò verò putorem faciat, adeóque grauem molestiam inferre soleat, vt (auctore Plinio libro 7. cap. 7.) *plerumque abortus causa fiat odor a lucernarum extinctu*; quamdiu tamen aliquid igneum in illo est, licèt non tam splendens, quàm fumans, quamdiu, inquam, aliquis in peccatore vitæ siue virtutis halitus superest; aliqua videlicet durant pietatis in Deum, atque Deiparam, siue misericordiæ in proximos opera, quæ diuinarum manuum vestigia, quibus ab artifice figuratus est, meritò dixeris; illud bonus Dominus, quæ ipsius patientia, & in opus suum studium est, non illico extinguit, sed potiùs sustinens, & clementer exspectans, flatu suo fouere, & excitare non desinit. Ita ibi Procopius his verbis, *Non desunt, qui lini fumigantis appellatione terrenum hominem velint significare, qui virtutis adhuc, & pietatis scintillam exiguam sibi reliquam fecit. Nunc enim consolatus spem abycere non sinit, qui volentem septuagies septies ad pœnitentiam admittendum edixit.* Sic ille. Cui cogitationi do tibi egregia Tertulliani verba lib. de pudicitia ad finem; vbi agens de illis Christi confessoribus, qui in tyrannorum persecutione, tormentorum vi à fide infeliciter defecerant, vulnerum ipsis inflictorum cicatrices sic illustrat. *Et tamen illæ cicatrices Christiano prælio insculptæ, & vtique inuidiosæ apud Christum, quia vicisse cupierunt, & sic quoque gloriosæ, quia non vincendo cesserunt. In quas adhuc, & diabolus ipse suspirat cum sua infelicitate.* Preme hæc vltima, immò dubita, cur diabolus in infelices has, & miserandas cicatrices suspiret, & non potiùs ipsas rideat, atque irrideat? cùm tam gratuia vulnera, acerbique dolores miseris illis militibus nihil tandem profuerint; & post tot pro Christo perpessa supplicia sese ab illo alienos fecerint. At pulchrè inquit Tertullianus; *in quas ad hæc & diabolus ipse suspirat cum sua infelicitate.* ac si dicat, fuere quidem infelices, plagæ illæ; fuere infaustæ, cùm miserandum exitum certamen habuerit; at enim adhuc grauiori dæmoni supplicio, atque dolori sunt, quòd illarum cicatrices velut aliqua diuinarum manuum vestigia consideret, benéque norit, bonum Dominum calamum quassatum non conterere, & linum fumigans non extinguere, immò operi suo studere, vt illud perficiat, atque viuificet, ac proinde vehementer, & iure quidem dæmon timet, ab illis cicatricibus, siue vestigiis ad salutem, & vitam illis inspirandam Dominum fore adducendum.

Plinius.

Procopius.

Tertull.

Firmat id quæsita locutio, qua diaboli ingenium, & artes hanc in rem descripsit Petrus epistola 1. cap. 5. 8. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret.* nec enim dixit Petrus, quem percutiat, quem occidat, sed signatè *quem deuoret*: vt innueret non id solùm illum intendere, vt hominem ad 10.

1. Pet. 5. 8.

malum illiciat ac pertrahat. siue vt eius animam peccati gladio confodiat; sed hanc ipsius malignam cogitationem, exitialéque votum esse, vt opus Dei ita deleatur, funditúsque pereat, vt nullum ipse manuum suarum vestigium, quo rursus ad illud viuificandum alliciatur, in eo subinde agnoscat. Ita quidem hos à dæmone deuoratos hunc in modum describebat Origenes homilia 1. in Iob. *Corda quæ non sunt in cælo, quæ in cælum nunquam ascenderunt, neque fidei integritate, neque mentis desiderio, neque Domini memoria, neque resurrectionis expectatione, neque iudicij timore, neque spe gloriæ æternæ, sed horum omnium, quæ in cælo sunt, obliuiscuntur, despiciunt quoque, atque derelinquunt.* & statim: *Talia sunt corda omnium ferocium, pertinacium eorum qui non agunt pœnitentiam; huiuscemodi enim corda circuit diabolus, persuadens, atque infatuans, obtundens, atque obdurans corda eorum, qui ea quæ super cælum sunt, in incorruptione non sapiunt, sed ea sola, quæ sub cælo sunt in corruptione, super terram requirunt.* Benè quidem: *neque fidei integritate, neque mentis desiderio,* &c. quòd à leone sic fuerint omnino deuorati, vt totum Dei opus demolitum dissipatúmque dixeris. Nam si vllam in creatura sua virtutis scintillam & digitorum suorum signa inueniret: haud dubium quin in illis adiumentum accingeretur, qui accinctus est vt crearet. Vis videre? audi quid dixerit Amos 3. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* non obscurè significans, eum, qui ob alias prauas actiones leonis præda fuerat, ipsius iam dentibus dilaniata, ob aliquos tamen virtutis gressus, siue pietatis opera auribus, aut cruribus, quasi diuini opificij vestigia impressa, à Domino ab ore leonis extractum & liberatum fuisse; adnotante id S. Eulogio Alexandrino Archiepiscopo libro quarto contra Nouatianos, hunc in modum: *Dicit Propheta:* Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: *his innuitur non oportere prorsus illum despicere, qui in diaboli os inciderit, sed sigillum, quod homo in baptismate acceperit, eripiendum diabolo, quædam enim bruta animalia in aure, quædam in cruce signantur.* Hæc Eulogius, & alia.

Origenes. Amos 3. 12. S. Eulogius.

11. Vnde quidem illi extremis fuerint lachrymis deplorandi, qui *alienati à vita Dei, desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam,* ad Ephesios 4. vers. 18. & 19. non tam quod sceleribus operti, & contaminati sint, quàm quòd *alienati à vita Dei,* hoc est, quibus nullum virtutis vestigium, vt calamum quassatum, aut linum fumigans habere dicebamus, supersit, sed, *neque fidei integritate, neque mentis desiderio, neque Domini memoria, neque resurrectionis expectatione, neque iudicij timore,* aliquod primævæ illius è Deo inspiratæ vitæ, & diuinæ insculptæ imaginis, siue diuinarum manuum in se signum ostendunt, de quibus Paschas. lib. 5. in cap. 9. Matth. ad illa verba, *obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem,* Matth. 9. 32. sic ait. *Quosdam verò alienos à Deo aliquando sic iam tenet, vt totam fabricam penitus quasi perennis exactor possideat;* opportunè illud, *totam fabricam penitus*: vt innuat nullum diuini opificij vestigium iam superesse, nec aliquid extare, quod diuinas manus olere videatur. Vt hinc mirari desinas, optimum Deum æternis, acerbissimísque cruciatibus hominem sibi antè charissimum, vtpote ad suam imaginem factum, sibíque cognatum, & affinem in gehenna torquentem, & viuum indesinenter cremantem. Nam si inquiras, quomodo tenerrima illa Dei viscera tam miserandam sui operis stragem videre queant? occurram tibi, similiter interrogans; quónam modo & tu arida ligna in foco, siue viperam, aut serpentem ardentia lætis oculis, & nullo humanitatis sensu affectus videas: vt verò facile respondebis nullam tibi cum lignis affinitatem, nullam cognationem, aut similitudinem intercedere, ideo nihil esse, cur de illorum incendio doleas, doliturus quidem si hominem tibi similem, quamuis diuersissimæ gentis foret, nec vnquam tibi notum ardere, cruciarive videres: ita & ego facile respondebo, nec etiam esse, cur Deus de damnando, damnatóque homine doleat, in quo nullum manuum suarum vestigium extat, nulla imaginis & similitudinis suæ effigies, quæ in virtute censetur, suis oculis obiiciatur. Ita quidem Ambrósius citato serm. 10 in Psalm. 118. cùm bene ex Scriptura adstruxisset, hominem per peccatum comparari iumentis insipientibus, & illis similem fieri; in hanc rem sic loquitur: *Magnum ergo opus Dei es homo: magnum est, quod dedit tibi Deus; vide ne quod Deus tribuit, amittas. Magnum illud munus, quòd es ad imaginem Dei: & hoc in te punitur magis. Deus enim non punit similitudinem Dei factus, hoc quod accepit, seruare non potuit. Punitur ergo illud quod ad similitudinem Dei esse desistit, hoc est, peccatum tuum; nam suam Deus non damnat imaginem, nec illam in incendium mittit æternum.* & post nonnulla. *Ita imago illa, quæ ad imaginem, & similitudinem Dei factus es, non condemnatur, sed coronatur. Condemnaris autem in eo quod ipse mutatus es, vt fieres ex homine, serpens, mulus, equus, vulpecula: his nos enim nominibus iam Scriptura condemnauit, quia exuti cælestis imaginis ornamento etiam nomen hominis amittimus, qui gratiam hominis non tenemus.* Hactenus Ambrosius. Quò faciunt illæ infelicissimorum spirituum ab altissimo gloriæ culmine in extremum miseriæ barathrum prolapsorum desperatæ ad Christum voces, sapienter à Tertulliano pensitatæ. *Quid nobis, & tibi IESV Nazarene? venisti perdere nos,* Lucæ 4. 34. etenim dum hæc verba hæretico spiritu eò detorquebat Marcion, vt dæmonum ore adstrueret illos à Dei filio non fuisse creatos; sapienter ab ipsius manibus illa sic extorsit Tertullianus lib. 4. contra Marcion cap. 7. *Nec enim dixit, quid tibi & nobis? sed,* quid nobis, & tibi? *se deplorans, & sorti suæ exprobrans.* Sic ille; scitè monens, ea accurata locutione dæmones, & Deum meritò illos plectentem fecisse, cùm ab ipso superni principes creati non seruauerint suum principatum, sed dereliquerint suum domicilium (vt ait Apostolus Thaddæus versu 6.) & miserandam suam sortem, qua à Dei similitudine, & beneficentia omnino alieni habebantur, explicasse: id enim fuit dicere, *Quid nobis & tibi?* id est, eò miseriæ deuenimus, vt nihil nobis, & tibi sit commune, nihil simile; nullum iam pulcherrimæ tuæ imaginis vestigium, quo allici ad ignoscendum siue ad benefaciendum possis, nobis insit.

Ad Ephes. 4. 18. & 19. Paschas. Matt. 9. 32. Ambros. Luca 4. 34. Thaddæi v. 6. Tertull.

Ad

Ad eadem verba, *operatur in vobis velle, & perficere.*

ADNOTATIO IV.

Geminata Deum hominibus beneficia conferre, atque vnum alterius pignus esse.

1. PERSEQVOR idem ac præcedentis adnotationis sub alio titulo argumentum; & quod ibi de Deo indesinenter homini sua in illo imagine illice, benefaciente diximus; modò sic versare, siue repetere est animus: vt ipsum erga dona sua sic affici adstruamus, vt ex vno homini collato beneficio, ad aliud denuo tribuendum allici ac promouere videatur. Iactabat regiam suam munificentiam, atque liberalitatem Theodoricus Rex apud Cassiodorum lib. 2. variarum epist. 2. his verbis. *Amamus nostra beneficia geminare, nec semel præstat largitas collata fastidium: magisque nos prouocant ad frequens præmium, qui initia nostræ gratiæ suscipere meruerunt. Nouis enim iudicium impenditur; fauor autem semel placitus exhibetur. Decorum est namque Principis arbitria non hærere, quia commendantur priora posterioribus donis, & firmatur omnis indubitata de repetitione sententia.* Præclara sanè verba; sed verba, regiæ quidem voces, sed meræ, omnino ac nudæ voces, quippe vt ex Salomone, qui rex ipse, & in regum arte, satis extitit peritus, iam alibi iuxta L X X. translationem, vidimus: *labijs pascit Rex*, Prouerb. 22. 11. magnifica scilicet verba pro donis, & muneribus rependere solitus: vnde apud Oseam 10. 3. quidam, qui regum ingenium, & mores bene nouerant, in suis vlceribus experti dicebant; *Rex quid faciet nobis?* vbi iidemmet L X X. assidui Regum interpretes, siue mastyges hæc plusculum sic explicant. *Rex quid faciet nobis? loquens verba*: vt dicere videantur, Regibus hunc morem esse, vt totum molestiarum leuamen, siue obsequiorum mercedem in dulcibus solùm vocibus, & verbis quibus suos alloquantur, collocare soleant. Quam ad rem non nemo obseruet in illis Isaiæ verbis cap. 46. 1. *Confractus est Bel, contritus est Nebo: facta sunt simulachra eorum bestijs, & iumentis; onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem*; quibus importabile pondus idolorum huius sæculi, & grauissimam molestiam, quam suis cultoribus afferunt, exprimit Vates; de industria inter alia indola primum recenseri *Bel.* Quod propriè significat, *nihil*, siue *defluens*; éstque idem ac *Babal*, quod lingua Punica sonat *Domini loquelam*: *vt* hinc innuatur, hæc idola non nisi loquela, & verbis subditorum molestias demulcere. Abeat ergo Rex Theodoricus: abeant sæculi idola, & mundi Principes, qui dum iactant, amare se sua beneficia geminare, & arbitria non hærere, labiis quidem, suos subditos pascunt, & verba potius, quàm opera geminare, & in inanium promissionum luto hærere consuescunt: solus etenim Deus, hominis bono, & vtilitati studens, vt dixit, fiat, factum est, Genes. 1. 3. *vt tibi totus Deus commendaretur bonus* (inquit Tertull. lib. 3. con. Marc. cap. 4.) *& dicere, & facere.* Vnde emphaticè Paulus hoc in loco ait. *Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*; dona nimirum donis, & benefica opera operibus attexens: vt qui cœpit opus bonum, perficiat vsque in finem. Quam ad rem sic eleganter locutus est Prosper iam alibi à nobis adductus lib. 2. de vocat. gentium cap. 6. *Multo tamen crebrior, multóque numerosior pars illa hominum est, cui particulatim quidquid superna largitas donat, accrescit, vt conferendorum munerum causæ de ijs quæ sunt collata pariantur.* Sanè; quasi posterius Dei beneficium, ac donum; prioris proles, ac partus sit; quòd Dei fauor, & gratia (vti de se inaniter effutiebat Theodoricus) non hæreat; sed primò collatum beneficium alterius semen, & causa esse soleat, ab eóque Deus ad aliud denuo conferendum ansam sumat, atque incitetur.

Dixi ad vers. 1. cap. 1. adnot. 2. n. 4. Dei spiritum peculiariter *donum* dici, & vt Patri innascibilitatem, Filio verò filiationem, ita diuino Spiritui tanquam characteristicam ipsius proprietatem attribui, donum esse, vt inde nobis maximè innotesceret, quàm sit Dei proprium, quàm naturale, quàm antiquum homini benefacere, & eximia dona sua conferre. Modò animaduertere est operæpretium, eandem diuinam personam à Paulo signatè appellari pignus nostrum; sic enim ipse 2. ad Corint. 1. 22. *Qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris*; & eadem epist. cap. 5. vers. 5. *Qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus, qui dedit nobis pignus spiritus*; & ad Ephes. 1. 14. *credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Vnde nõ immeritò ambigas, quî idemmet diuinus Spiritus, & donum, & pignus dici queat? donum siquidem (si Plinio credimus) est, quod re ipsa & de facto, vt aiunt, præstatur: sic enim ipse lib. 35. cap. 14. *Græci enim antiqui dorium, palmum vocabant; & ideo doxa munera, quia manu darentur.* Quod quidem diuino Spiritui perbellè quadrat, dicente Paulo ad Rom. cap. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* At pignus, illud propriè dicitur, quod obligationi supponitur, & creditori pro alia re, ei postmodum exhibenda ad securitatem datur: ergo si diuinum Spiritum donum dicis, quod nobis reapse infunditur, & in sinu nostro reconditur, illum met, pignus iure nequis appellare. Quòd si pignus dixeris, quasi ad futurorum donorum securitatem nobis datum, & veluti obligationi diuinæ promissionis suppositum, eum doni obsidem, atque fiduciam, non verò donum dicito: Verùm enim verò, si rectè sapimus, æquè vtrumque subsistit, nec minus donum quàm doni pignus, & obsidem diuinum Spiritum esse dixeris, quippe in bene faciendo, & donis suis conferẽdis, sic se Deus habet, vt ab vno ad aliud subinde impertiendum illiciatur, & quodcumq; confert munus, tam futuri doni pignus, & obses, quàm præsens donũ est. *Namque velut parturiens magnificentia sua munera* (sic Basilius Seleuc. orat. 2.) *& habere clausum penes se thesaurum impotens, non est contentus prioribus.* Sic ille, opportunissimè verbum *parturio*. quod desideratiuum à *pario* est, vsurpans, vt ostenderet, Deum in benefaciendo non tã parere, hoc est, semel, & vno ictu donum emittere, quàm parturire, id est, totum ad indesinenter pariendũ incumbere; siue à pariendis, & elargiendis donis nunquam cessare; quòd *non contentus prioribus*, sed ab illis ad alia parienda, siue conferenda adducatur: ita quidem in terræ limo, de quo primitus eductus fuit Adam, scitè considerauit. Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 6. eadẽ ratione, qua in Dei manus ad hominem formandum incidit, non tantùm in eximium illud Adæ opus euasisse,

Margin notes (left): Cassiod. — L X X. — Prou. 22. 11. — Osea 10. 3. — L X X. — Isaia 46. 1. — Genes. 1. 3. — Tertull.

Margin notes (right): Prosper. — 2. — 1. ad Corint. 1. 22. — 2. ad Corinth. 5. 5. — Ad Ephes. 1. 14. — Plinius. — Ad Rom. 5. 5. — Basil. Seleuc. — Tertullian.

sed etiam futuri Christi pignus, & obsidem simul fuisse. *Quodcumque enim limus exprimebatur* (inquit ille) *Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & sermo caro, quod & terra tunc: & ita limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Nam cùm semel ad benefaciendum, & dona sua eroganda Deus se accingit, ab vno ad aliud impendendum, & quasi rependendum incitatur. Quare huc intentus Cyprianus, dum in diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis campo expatiaretur epist. 2. eleganter dicebat. *Dei est, inquam, Dei omne quod possumus, inde mouemur, inde sumpto & concepto vigore hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus.* ac si dicat; dum Dei dona quotidie percipimus, ab illis ad alia denuo speranda animum tollimus; atque ea, quæ in manibus habemus, vt futurorum pignora amplexamur.

Cyprian.

3. Ita quidem de diuinitatis Christi thesauris in nos effusis emphatica locutione dicebat Ioannes cap. 1. 16. *& de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quo in loco dum interpretes mirè sese discrutiant, vt explicent, quid sit, *gratiam pro gratia*: obuius ille sensus videtur accommodatissimus, vt moneat Ioannes, nos meritis aliunde omnino vacuos cumulatissima de Christi plenitudine accepisse dona, non eo solùm modo, quo de hydria farinæ potenti Heliæ deprecatione semper abundante dixit Basil. Seleuciens. orat. 33. *quantum in vsus naturæ absumebatur, tantum gratia refundebat*; siue, vt de prima rerũ creatione dixit idem Diuus, orat. 1. *diuina bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora*; sed alia magis peculiari benefaciendi ratione, vt bonus Dominus *gratiam pro gratia*, hoc est, alia dona, pro aliis, siue pro præcedẽtibus sequentia tanquam illorum præmium atque coronam in nos cõtulerit: nimirum quòd ea diuinæ bonitatis pulchritudo, ac flos sit, vt suismet beneficiis ac donis ad noua alia in nos conferenda illiciatur, atque incitetur, *& conferendorum munerum causa*, (vti dicebat Prosper) *de ijs, quæ sunt collata, pariantur.* Sanè *vt fidelis quisque* (egregia August. verba serm. 176. de tempore, qui est 3. de Ascens.) *cùm iam tanta perceperit, per ea, quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa, ac Dei sui præteritam, præsentémque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem.* pende hæc vltima, quibus innuit August. Deum prioribus suis donis, ad ea augenda, & promouenda, siue etiam nouis gratiis ornanda, & cumulanda, ita obnoxium, & oppignoratum manere, vt cum ipso, ex prioribus donis, quasi ex syngrapha, & chirographo, ad alia obtinenda, bono quidem iure homo agere possit.

Ioan. 1.16.

Basilius Seleuc.

Idem.

Prosper.

August.

4. Huc duo ex superiùs datis opportunè aduocauero, & dilatauero: alterum ex præcedenti adnot. num. 6. cùm hominem, etiam si offenderit, ad Dei tamen fores meritò pulsantem, in imagine illius, qui media nocte iuit ad amicum tres illi panes petiturus, sic faciebat Tertull. lib. 4. con. Marc. cap. 41. *Amicus autem etiam si offendit, magis Creatoris est homo, quàm Dei Marcionis. Itaque ad eum pulsat, ad quem illi ius erat, cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat, cubantem iam, cum infantibus, quos nasci voluerat.* alterum ex cap. 1, vers. 1. adnot. 6. num. 9. vbi qua ratione, quóve modo charissimus Dei Filius, ipsum in agonia positus sic orans; *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, Matth. 26. 39. non fuerit tandem exauditus, quasi Deo possibile quodammodo non fuerit, calicem ab illo transferre. Pasch. lib. 12. in Matthæum hunc in modum explicabat, *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei, quia sic est omnipotens, vt & iustus sit, & bonus, & misericors: & ideò quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat, ne nos bonitate sua, suáque iustitia, & misericordia saluaret, quos crearat*; &, vt vtraque inter se componam, & huic aptem instituto, illud velim à Paschasio interrogare, cur ipse vt Deum ad omnimodam misericordiam faciendam, & veniam nobis dandam sese inflectentem faceret, eius iustitiam aduocauit? *Sic est* (inquit) *omnipotens, vt & iustus sit, ac bonus.* Adhæc, quî valeat subsistere hæc Paschasij ratio? *impossibile erat ne nos sua iustitia saluaret*; videtur enim sibiipsi repugnare Paschasius, & contrariis rationibus vti: nam saluare, pietatis, misericordiæ, ac bonitatis est; iustitiam verò ad suum cuique ius reddendum respicit: ergo si saluat, pietate saluat; si iustus est, non misericordiam, sed ius tribuit. Respondet tamen sapienter Paschasius: *Impossibile erat, ne nos sua iustitia saluaret, quos crearat*; ipsammet salutem, & beneficium, ad iustitiam, & strictum ius quodammodo reuocans, quòd nimirum Deus nos antea creasset, & quæ illius bonitas, & perpetuus geminandi sua beneficia mos est, in creationis beneficio syngrapham, siue cautionem ad opem ferendam, & noua retribuenda beneficia, ac proinde ius ad salutem ab ipso exorandam, & obtinendam nobis dederit: *itaque ad eum pulsat* (inquit opportunè Tertullianus,) *ad quem ius illi erat; cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat.* Iam ergo, vt hæc vndique subsistant; dum audis, Dei filium positum in agonia pulsantem ad Patrem, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, cogita & hominem ad eandemmet ianuam pulsantem, vt opem sibi ferat ex creationis beneficio, & quasi ex syngrapha iure agentem, vt saluet quem crearat: ac proinde exorantem, ne transeat à Christo Passionis suæ calix. Sed inquis, si homo eatenus ad Dei ianuam iure pulsat, quatenus ex priori creationis beneficio ad noua dona percipienda Dei syngrapham, atque cautionem habet; cur non potiùs Christus æquè ad Patrem pulsans exaudiatur? cùm multo maiora ab ipso beneficia acceperit, ac proinde fortius ius ad alia promerenda habeat? Certè si homo iuri creaturæ, filij, amici, siue dilecti, qui diuinis aliquando donis fuerit ornatus, innititur, ne Christi calix ab illo transeat: Christus iure naturalis filij, viuæ imaginis, dilectissimi, cuiúsque *in quo* non quæuis dona, sed ipsimet *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei* permanent cum Patre agit? Qua ergo ratione? quo iure? dum vterque pulsat: Pater pro adoptiuo filio, & transsumpta imagine, potius quàm pro naturali sententiam fert? Excogitet sanè non nemo magno id iure dispositum, & peractum fuisse; quippe, & Christi iure, & iure hominis ad vnam & eandem rem simul concurrentibus, vtrum eorum esset antiquius & vetustius & pro maiori antiquitate, siue (vt vulgariter dicitur) anterioritate, iudicium ferri debuit. Et quidem si attendis, prius, anteriúsque hominis ius, cùm ante Christum fuerit creatus; nec enim homo propter Christum, sed Christus propter hominem: nam *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & homo factus est.* Vnde summus Pater, bonitate, ac iustitia sua sic efflagitante, homini salutem suam ex cautione exposcenti, & sese à prima creatione velut creditorem exhibenti, ius suum tanquam anteriori creditori reddidit; & tanto supplici, *proprio*, videlicet, *filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ad Rom. 8. 32.

Tertull.

Matt. 26.39.

Pasch.

Tertull.

Ad Rom. 8. 32.

Hinc

5. Hinc egregium discrimen inter verum Deum, & inania falsorum Numinum simulachra sub ipsiusmet Dei persona ab Isaia propositum; videris cap. 46. 1. *Confractus est* (inquit) *Bel, cor tritus est Nabo: facta sunt simulachra eorum bestijs, & iumentis; onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem. Contabuerunt, & contrita sunt simul, non potuerunt saluare portantem.* & statim, *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua; vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo.* Subdit optimam, & velut necessariam rationem: *ego feci, & ego feram: ego portabo & saluabo.* Quibus in verbis non tenerrimum solùm, sed fortissimum etiam affectum, & amorem spirantibus, non modò obseruare possis, inde Deum verum à falsis optimo iure discriminari, quòd ille molli sinu suos gestet & saluet; hi contra à cultoribus suis portentur, quin vllam ipsis opem, aut leuamen ferant, sed etiam quòd noster Deus ab vno in suos collato beneficio ad noua in illos denuo spargenda, eósque alendos, & tutandos causam sumat; mendaces verò dij longissimè ab hoc eant, etenim cùm suos cultores non fecerint, iis nec benefacere curant; sic verus Deus inquit: *Ego feci, & ego feram; ego portabo, & saluabo*; ac si dicat, quando vos semel feci, & primum vobis creationis beneficium contuli, ad alia, & alia subinde eroganda, & ad vos humeris meis portandos, donec plenam salutem assequamini, me ipsum quodammodo deuinxi, vobísque cautionem ac syngrapham, ex qua mecum ageretis, dedi: vnde signatis verbis Paulus ad Rom. 8. 30. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*; pulcherrima donorum, ac beneficiorum catena ad supremum bonorum culmen illos deducens, quasi ab vno ad aliud conferendum ipse fuerit deuinctus; sic dixit in hæc verba Anselmus: *Quomodo si aliquis imperator disponeret aliquem infimum sublimare ad consulatum, & daret illi sumptus, quibus se prepararet idoneum, & ornaret, vt dignè promoueri posset ad tantum honorem; ita Deus illis, quos prædestinauit ad vitam, dat virtutum, & bonorum operum gradus, per quos ad tantam sublimitatem possint erigi, vocat enim illos, & iustificat, & magnificat.* Contrà quidem, falsa illa simulachra, quæ *non potuerunt saluare portantem*; nec vllam vnquam opem suis adferre consueuerunt; sic loquentia, seséque excusantia sub maris imagine inducit Isaias cap. 23. 4. *Erubesce Sidon; ait enim mare fortitudo maris, dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines*: vt sæculum ad amatores suos opem, & temporalia bona ab illo exposcétes, eiúsque gratiam, & fauorem aucupari ambientes cum stomacho, & exprobatione, Ambros. interprete lib. *de Elia, & ieiunio*, sic loquatur, *Quid me inquietant: quos nescio, quos nō agnosco*: ac si dicat: quid mihi, & vobis? Num ego vos feci, vt ferre tenear? nū parturiui vos, vt enutrire, & exaltare debeam? Quid mihi graues, & molesti estis? Vt hinc obiter videris, ipsósmet animæ nostrę hostes; dæmonem, & mundum, dura, & molesta sua tractatione nos, fugaces videlicet Domini seruos, prodigósque filios, ad Deum, qui noster Pater, & genitor est, sæpiùs remittere, nobísque tenebrosos ipsos, & lucifugas oculos aperire, atque illuminare.

Isai. 46. 1.

Ad Rom. 8. 30.

Anselmus.

Isai. 23. 4.

Ambros.

6. Sanè huc etiam & illud Tertulliani citato loco de homine ad Dei ianuam pulsante opportunè possis aptare; *quem habere panes sciebat, cubantem cum infantibus, quos nasci voluerat*; vbi pulchrè panem filiis distribuendum patri adscribit: vt ostendat Dei in homines ingenium blande, & liberaliter vt naturalis pater, eos educantis, quique quos *nasci voluit*, id est, quos semel fecit, siue quibus semel voluntatem suam vt benefaceret addixit, nouis subinde beneficiis indesinenter ornet; nec illorum curam à se abiiciat; tenerrimúmque erga ipsos affectum exuat. Nec me temperem, quin huc aduocem Agrippinæ Neronis Imperatoris matris fortem, virilémque rationem, qua aduersùs Sillanam impudicam aliàs fœminam, quæ ipsam proditionis, siue coniurationis in filium Neronem arguebat, velut tutissimo clypeo apud filium de fide matris subdubitantem sic se egregiè protexit, ac communiuit Cornelio Tacito lib. 13. Annal. auctore. *Non miror Sillanam nunquam edito partu matrum affectus ignotos habere, neque enim perinde à parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur.* pulchrè; nam parentum affectus altissimè inhærent, & vt innati, ac semper proni, nec amitti possunt, nec diuelli, quin filios blandissimè foueant, & arctissimè complexos teneant. Benè ergo Tertullianus, *quem habere panes sciebat cubantem cum infantibus suis, quos nasci voluerat*; quomodo enim eos, delicaré, & suauiter non cibaret, atque enutriret? Audi Salomonem Sapient. 16. 20. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum de cœlo panem præstitisti illi, sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Notanter *populum tuum*, quem semel liberandum ornandúmq; suscepisti; quémque quia fecisti, ferre, portare, & saluare æquum ducis. En verum Deum: vis nosse sæculi simulachra, *quæ non potuerunt saluare portantem*; adi ciuem regionis illius, id est, mundi, cui adhæsit prodigus ille optimi huius Patris filius: & an Angelorum esca, cœlestive pane ac suauibus cibis illum cibarit, siue nutrierit, inquire: respondebit autem tibi Lucas cap. 15. vers. 15. *& adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos, & cupiebat implere ventrem de siliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Vides illum siliquis porcorum rictu pastum, ac nutritum? Sed quare ipse ad domini sui ianuam pulsans panes ab eo non exigebat? Equidem quòd vt illum habere panes sciret, at eius ianuam non nouerat, nec ad illum siue ex prioribus donis, siue quòd eius filius esset, ius haberet: quid enim Idolis mundi, & homini? quid dæmoni, & animæ ad Dei imaginem creatæ? Ita id omnino obseruante S. Ephrem homilia *de pœnitentia*, his verbis. *Siliquas draco prabet obedientibus sibi: vitricus enim cùm sit, alienis filiis non parcit.* ac si illis ad eius ianuam pulsantibus dicat: *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines: quid me inquietant, quos nescio, quos non agnosco?*

Tertullian.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Corn. Tacit.

Sap. 16. 20.

Luca 15. 15.

S. Ephr.

Enim verò præfata sensa è Dei consiliis esse, illud manifestè ostendit, quòd Israelitica plebe immanissimè errante, & pro Deo vero, conflatiles ac turpes deos constituente, ipse vehementiùs excandescens Mosem sic affatus dicitur, Exod. 32. 7. *Vade descende, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti*; vbi difficultatem non mediocrem continere dixeris ea verba *populus tuus, quem eduxisti.* Quid enim Moysi & populo illi, vt Moysis, & non Domini populus dicitur? eodemmet Mose dum ad populum verba faceret, attestante: *Haccine reddis Domino popule stulte, & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* 7.

Exod. 32. 7.

Deut. 32. 6.

sed etiam futuri Christi pignus, & obsidem simul fuisse. *Quodcumque enim limus exprimebatur* (inquit ille) *Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & sermo caro, quod & terra tunc: & ita limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus.* Nam cùm semel ad benefaciendum, & dona sua eroganda Deus se accingit, ab vno ad aliud impendendum, & quasi rependendum incitatur. Quare huc intentus Cyprianus, dum in diuinæ beneficentiæ, ac liberalitatis campo expatiaretur epist. 2. eleganter dicebat. *Dei est, inquam, Dei omne quod possumus, inde mouemur, inde sumpto & concepto vigore hic adhuc positi futurorum indicia prænoscimus.* ac si dicat; dum Dei dona quotidie percipimus, ab illis ad alia denuo speranda animum tollimus; atque ea, quæ in manibus habemus, vt futurorum pignora amplexamur.

Cyprian.

3. Ita quidem de diuinitatis Christi thesauris in nos effusis emphatica locutione dicebat Ioannes cap. 1. 16. *& de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Quo in loco dum interpretes mirè sese discrutiant, vt explicent, quid sit, *gratiam pro gratia*: obuius ille sensus videtur accommodatissimus, vt moneat Ioannes, nos meritis aliunde omnino vacuos cumulatissima de Christi plenitudine accepisse dona, non eo solùm modo, quo de hydria farinæ potenti Heliæ deprecatione semper abundante dixit Basil. Seleuciens. orat. 33. *quantum in vsus naturæ absumebatur, tantum gratia refundebat*; siue, vt de prima rerū creatione dixit idem Diuus, orat. 1. *diuinæ bonitatis imbèr delatus posterioribus donis obscurat priora*; sed alia magis peculiari benefaciendi ratione, vt bonus Dominus *gratiam pro gratia*, hoc est, alia dona, pro aliis, siue pro præcedētibus sequentia tanquam illorum præmium atque coronam in nos cōtulerit: nimirum quòd ea diuinæ bonitatis pulchritudo, ac flos sit, vt suismet beneficiis ac donis ad noua alia in nos conferenda illiciatur, atque incitetur, *& conferendorum munerum causa*, (vti dicebat Prosper) *de ijs, quæ sunt collata, pariantur.* Sanè *vt fidelis quisque* (egregia August. verba serm. 176. de tempore, qui est 3. de Ascens.) *cùm iam tanta perceperit, per ea, quæ cognoscit præstita, discat sperare promissa, ac Dei sui præteritam, præsentémque bonitatem, quasi futurorum teneat cautionem.* pende hæc vltima, quibus innuit August. Deum prioribus suis donis, ad ea augenda, & promouenda, siue etiam nouis gratiis ornanda, & cumulanda, ita obnoxium, & oppignoratum manere, vt cum ipso, ex prioribus donis, quasi ex syngrapha, & chirographo, ad alia obtinenda, bono quidem iure homo agere possit.

Ioan. c. 1. 16.

Basilius Seleuc.

Idem.

Prosper.

August.

4. Huc duo ex superiùs datis opportunè aduocauero, & dilatauero: alterum ex præcedenti adnot. num. 6. cùm hominem, etiam si offenderit, ad Dei tamen fores meritò pulsantem, in imagine illius; qui media nocte iuit ad amicum tres illi panes petiturus, sic faciebat Tertull. lib. 4. con. Marc. cap. 41. *Amicus autem etiam si offendit, magis Creatoris est homo, quàm Dei Marcionis. Itaque ad eum pulsat, ad quem illi ius erat, cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat, cubantem iam, cum infantibus, quos nasci voluerat.* alterum ex cap. 1, vers. 1. adnot. 6. num. 9. vbi qua ratione, quóve modo charissimus Dei Filius, ipsum in agonia positus sic orans: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, Matth. 16. 39. non fuerit tandem exauditus, quasi Deo possibile quodammodo non fuerit, calicem ab illo transferre. Pasch. lib. 12. in Matthæum hunc in modum explicabat, *Impossibilitas ista de iustitia venit, & bonitate Dei, quia sic est omnipotens, vt & iustus sit, & bonus, & misericors: & ideo quantum ad vtramque naturam spectat, impossibile erat, ne nos bonitate sua, suáque iustitia, & misericordia saluaret, quos crearat*; &, vt vtraque inter se componam, & huic aptem instituto, illud velim à Paschasio interrogare, cur ipse vt Deum ad omnimodam misericordiam faciendam, & veniam nobis dandam sese inflectentem faceret, eius iustitiam aduocauit? *Sic est* (inquit) *omnipotens, vt & iustus sit, ac bonus.* Adhæc, quî valeat subsistere hæc Paschasij ratio? *impossibile erat ne nos sua iustitia saluaret*; videtur enim sibiipsi repugnare Paschasius, & contrariis rationibus vti: nam saluare, pietatis, misericordiæ, ac bonitatis est; iustitiam verò ad suum cuique ius reddendum respicit: ergo si saluat, pietate saluat; si iustus est, non misericordiam, sed ius tribuit. Respondet tamen sapienter Paschasius: *Impossibile erat, ne nos sua iustitia saluaret, quos crearat*; ipsammet salutem, & beneficium, ad iustitiam, & strictum ius quodammodo reuocans, quòd nimirum Deus nos antea creasset, & quæ illius bonitas, & perpetuus geminandi sua beneficia mos est, in creationis beneficio syngrapham, siue cautionem ad opem ferendam, & noua retribuenda beneficia, ac proinde ius ad salutem ab ipso exorandam, & obtinendam nobis dederit: *itaqùe ad eum pulsat* (inquit opportunè Tertullianus,) *ad quem ius illi erat; cuius ianuam norat, quem habere panes sciebat.* Iam ergo, vt hæc vndique subsistant; dum audis, Dei filium positum in agonia pulsantem ad Patrem, *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, cogita & hominem ad eandemmet ianuam pulsantem, vt opem sibi ferat ex creationis beneficio, & quasi ex syngrapha iure agentem, vt saluet quem crearat: ac proinde exorantem, ne transeat à Christo Passionis suæ calix. Sed inquis, si homo eatenus ad Dei ianuam iure pulsat, quatenus ex priori creationis beneficio ad noua dona percipienda Dei syngrapham, atque cautionem habet; cur non potiùs Christus æquè ad Patrem pulsans exaudiatur? cùm multo maiora ab ipso beneficia acceperit, ac proinde fortius ius ad alia promerenda habeat? Certè si homo iuri creaturæ, filij, amici, siue dilecti, qui diuinis aliquando donis fuerit ornatus, innititur, ne Christi calix ab illo transeat: Christus iure naturalis filij, viuæ imaginis, dilectissimi, ciúsque *in quo* non quæuis dona, sed ipsimet *thesauri sapientiæ & scientiæ Dei* permanent cum Patre agit? Qua ergo ratione? quo iure? dum vterque pulsat: Pater pro adoptiuo filio, & transsumpta imagine, potius quàm pro naturali sententiam fert? Excogitet sanè non nemo magno id iure dispositum, & peractum fuisse; quippe, & Christi iure, & iure hominis ad vnam & eandem rem simul concurrentibus, vtrum eorum esset antiquius & vetustius & pro maiori antiquitate, siue (vt vulgariter dicitur) anterioritate, iudicium ferri debuit. Et quidem si attendis, prius, anteriúsque hominis ius, cùm ante Christum fuerit creatus; nec enim homo propter Christum, sed Christus propter hominem: nam *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & homo factus est.* Vnde summus Pater, bonitate, ac iustitia sua sic efflagitante, homini salutem suam ex cautione exposcenti, & sese à prima creatione velut creditorem exhibenti, ius suum tanquam anteriori creditori reddidit; & tanto supplici, *proprio*, videlicet, *filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ad Rom. 8. 32.

Tertull.

Matt. 16. 39.

Pasch.

Tertull.

ad Rom. 8. 32.

Hinc

5. Hinc egregium diſcrimen inter verum Deum, & inania falſorum Numinum ſimulachra ſub ipſiuſmet Dei perſona ab Iſaia propoſitum; videris cap. 46. 1. *Confractus eſt* (inquit) *Bel, cortritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtijs, & iumentis; onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem. Contabuerunt, & contrita ſunt ſimul, non potuerunt ſaluare portantem.* & ſtatim, *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua; vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo.* Subdit optimam, & velut neceſſariam rationem: *ego feci, & ego feram: ego portabo & ſaluabo.* Quibus in verbis non tenerrimum ſolùm, ſed fortiſſimum etiam affectum, & amorem ſpirantibus, non modò obſeruare poſſis, inde Deum verum à falſis optimo iure diſcriminari, quòd ille molli ſinu ſuos geſtet & ſaluet; hi contra à cultoribus ſuis portentur, quin vllam ipſis opem, aut leuamen ferant, ſed etiam quòd noſter Deus ab vno in ſuos collato beneficio ad noua in illos denuo ſpargenda, eóſque alendos, & tutandos cauſam ſumat; mendaces verò dij longiſſimè ab hoc eant, etenim cùm ſuos cultores non fecerint, iis nec benefacere curant; ſic verus Deus inquit: *Ego feci, & ego feram; ego portabo, & ſaluabo*; ac ſi dicat, quando vos ſemel feci, & primum vobis creationis beneficium contuli, ad alia, & alia ſubinde eroganda, & ad vos humeris meis portandos, donec plenam ſalutem aſſequamini, me ipſum quodammodo deuinxi, vobiſque cautionem ac ſyngrapham, ex qua mecum ageretis, dedi: vnde ſignatis verbis Paulus ad Rom. 8. 30. *Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit*; pulcherrima donorum, ac beneficiorum catena ad ſupremum bonorum culmen illos deducens, quaſi ab vno ad aliud conferendum ipſe fuerit deuinctus; ſic dixit in hæc verba Anſelmus: *Quomodo ſi aliquis imperator diſponeret aliquem infimum ſublimare ad conſulatum, & daret illi ſumptus, quibus ſe prepararet idoneum, & ornaret, vt dignè promoueri poſſet ad tantum honorem; ita Deus illos, quos prædeſtinauit ad vitam, dat virtutum, & bonorum operum gradus, per quos ad tantam ſublimitatem poſſint erigi, vocat enim illos, & iuſtificat, & magnificat.* Contrà quidem, falſa illa ſimulachra, quæ *non potuerunt ſaluare portantem*; nec vllam vnquam opem ſuis adferre conſueuerunt; ſic loquentia, ſeſeque excuſantia ſub maris imagine inducit Iſaias cap. 23. 4. *Erubeſce Sidon; ait enim mare fortitudo maris, dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines*: vt ſæculum ad amatores ſuos opem, & temporalia bona ab illo expoſcẽtes, eiúſque gratiam, & fauorem aucupari ambientes cum ſtomacho, & exprobatione, Ambroſ. interprete lib. de Elia, & ieiunio, ſic loquatur, *Quid me inquietant: quos neſcio, quos nõ agnoſco*: ac ſi dicat: quid mihi, & vobis? Num ego vos feci, vt ferre tenear? nũ parturiui vos, vt enutrire, & exaltare debeam? Quid mihi graues, & moleſti eſtis? Vt hine obiter videris, ipſoſmet animæ noſtræ hoſtes; dæmonem, & mundum, dura, & moleſta ſua tractatione nos, fugaces videlicet Domini ſeruos, prodigóſque filios, ad Deum, qui noſter Pater, & genitor eſt, ſæpiùs remittere, nobiſque tenebroſos ipſos, & lucifugas oculos aperire, atque illuminare.

Iſai 46. 1.

ad Rom. 8. 6.

Anſelmus.

Iſai 23. 4.

Ambroſ.

6. Sanè huc etiam & illud Tertulliani citato loco de homine ad Dei ianuam pulſante opportunè poſſis aptare; *quem habere panes ſciebat, cubantem cum infantibus, quos naſci voluerat*; vbi pulchrè panem filiis diſtribuendum patri adſcribit: vt oſtendat Dei in homines ingenium blande, & liberaliter vt naturalis pater, eos educantis, quíque quos *naſci voluit*, id eſt, quos ſemel fecit, ſiue quibus ſemel voluntatem ſuam vt benefaceret addixit, nouis ſubinde beneficiis indeſinenter ornet; nec illorum curam à ſe abiiciat; tenerrimúmque erga ipſos affectum exuat. Nec me temperem, quin huc aduocem Agrippinæ Neronis Imperatoris matris fortem, virilémque rationem, qua aduersùs Sillanam impudicam aliàs fœminam, quæ ipſam proditionis, ſiue coniurationis in filium Neronem arguebat, velut tutiſſimo clypeo apud filium de fide matris ſubdubitantem ſic ſe egregiè protexit, ac communiuit Cornelio Tacito lib. 13. Annal. auctore. *Non miror Sillanam nunquam edito partu matrum affectus ignotos habere, neque enim perinde a parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur.* pulchrè; nam parentum affectus altiſſimè inhærent, & vt innati, ac ſemper proni, nec amitti poſſunt, nec diuelli, quin filios blandiſſimè foueant, & arctiſſimè complexos teneant. Benè ergo Tertullianus, *quem habere panes ſciebat cubantem cum infantibus ſuis, quos naſci voluerat*; quomodo enim eos, delicatè, & ſuauiter non cibaret, atque enutriret? Audi Salomonem Sapient. 16. 20. *Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, & paratum de cœlo panem præſtitiſti illi, ſine labore omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Notanter *populum tuum*, quem ſemel liberandum ornandúmq; ſuſcepiſti; quémque quia feciſti, ferre, portare, & ſaluare æquum ducis. En verum Deum: vis noſſe ſæculi ſimulachra, *quæ non potuerunt ſaluare portantem*; adi ciuem regionis illius, id eſt, mundi, cui adhæſit prodigus ille optimi huius Patris filius: & an Angelorum eſca, cœleſtive pane ac ſuauibus cibis illum cibarit, ſiue nutriuerit, inquire: reſpondebit autem tibi Lucas cap. 15. verſ. 15. *& adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem de ſiliquis quas porci manducabant: & nemo illi dabat.* Vides illum ſiliquis porcorum rictu paſtum, ac nutritum? Sed quare ipſe ad domini ſui ianuam pulſans panes ab eo non exigebat? Equidem quòd vt illum habere panes ſciret, at eius ianuam non nouerat, nec ad illum ſiue ex prioribus donis, ſiue quòd eius filius eſſet, ius haberet: quid enim Idolis mundi, & homini? quid dæmoni, & animæ ad Dei imaginem creatæ? Ita id omnino obſeruante S. Ephrem homilia *de pœnitentia*, his verbis. *Siliquas draco prabet obedientibus ſibi: vitricus enim cùm ſit, alienis filiis non parcit.* ac ſi illis ad eius ianuam pulſantibus dicat: *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines: quid me inquietant, quos neſcio, quos non agnoſco?*

Tertullian.

P. Anton. Velaſq. in epiſt. ad Philip. tom. 2.

Corn. Tacit.

Sap. 16. 20.

Luca 15. 15.

S. Ephr.

Enim verò præfata ſenſa è Dei conſiliis eſſe, illud manifeſtè oſtendit, quòd Iſraëlitica plebe immaniſſimè errante, & pro Deo vero, conflatiles ac turpes deos conſtruente, ipſe vehementiùs excandeſcens Moſem ſic affatus dicitur, Exod. 32. 7. *Vade deſcende, peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti*; vbi difficultatem non mediocrem continere dixeris ea verba *populus tuus, quem eduxiſti.* Quid enim Moyſi & populo illi, vt Moyſis, & non Domini populus diceretur? eodemmet Moſe dum ad populum verba faceret, atteſtante: *Haccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens? numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* 7.

Exod. 32. 7.

Deut. 32. 6.

Deinde quæ Mosis potestas? quod robur? vt de potentissimi, simúlque obstinatissimi regis imperio populum potuisset educere? cùm ipsemet Dominus ad egregium rectissimúmque id facinus efficiendum, descendisse, & in manu valida, & brachio extento perfecisse sic dixerit Exodi 3.7. Exod. 3.7. & 19.1. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & sciens dolorem eius, descendi, vt liberē eum de manibus Ægyptiorum.* & paulo pòst: *Ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis nisi per manum validam; extendam enim manum meam, percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* Quid quòd? ipsemet Exod. 20. 2. Dominus disertissimè dixerat Exod. 20.2. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti,* & c. 29.46. *de domo seruitutis,* & cap. 29.46. *& scient, quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terra Ægypti.* Quî ergo modò ad Mosem ait, *populus tuus quem eduxisti*? sanè, quòd de eo delendo, & penitus conterendo cogitaret; sic enim statim: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Etenim, qui populum perdere, & præcipitare volebat; priùs, suum esse negare; & prioris in illum collati beneficij obliuisci debuit. nam si populum ipse suum esse fateretur, & à se de seruitute Ægypti liberatum memoraret, quî de eo perdendo atque delendo, & non potiùs de venia illi danda, & omni ope ferenda deliberaret? Latuit ne id Mosem sagacissimi, ac solertissimi ingenij virum? adscriptúmque sibi populum suscepit? & ab imploranda misericordia siue ob flagitij immanitatem, siue ob diuinam indignationem deterritus est? Minimè quidem, immò verò ipsamet Dei sapientia vtens, & in ipsum propria tela retorquens, iustissimæ illius iracundiæ sic se opposuit. *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & manu robusta*? Pulchrè omnino, nec fortiori, opportuniorive oratione ad demulcendum excandescentem Dei animum, atque ad lenitatem inflectendum vti potuit: ille siquidem vt populum deleret, à se illum abdicabat, suúmque esse diffitebatur; Moses verò, vt eum tutaretur, non nisi ipsiusmet Dei populum esse, nec ab alio, quàm ab eo de manu Ægypti exemptum, atque liberatum constanter ingerebat; *cur* (inquit) *irascitur furor tuus contra populum tuum quem eduxisti*? quippe qui nouerat Deum, si semel beneficiorum suorum vestigia in illo recognouisset, ab ope ipsi ferenda manum minimè contracturum. Equidem præclaram hanc Mosis cogitationem ipsemet rei exitus satis manifestè firmauit: sic enim huius orationis aculeos bonus Dominus persensit, vt ab iis de sententia seueræ animaduersionis in populum suum fuerit statim deductus: vnde signatè sacer scriptor subdit, *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum.* ac si diceret, populum vt suum agnouit, ideo placatus illius culpam remisit; si non verbis, factis tamen, & reapse dicens: *Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo.* Quomodo enim populum ille *suum*, quem videlicet in lucem primitus ediderat, quem de hostium tyrannide redemerat, quem sibi vnum de populis elegerat, & tot tantísque donis cumulauerat, subitò deleret? Itáne beneficia, & dona sua Deus negligit, atque despicit, & non potiùs ab illis ad noua conferenda illicitur?

8. Nec est dissimilis illa Domini cum Iona ob hederam, cuius vmbra oblectabatur, exsiccatam, Iona 4.10. æstuante, atque dolente elegans disceptatio. *Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periyt. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia hominum?* &c. Ionæ 4.10. vbi obserua, quàm opportunè Dominus, & Prophetam increpet, & se inde ad benefaciendum Niniue deuinctum ostēdat: *Tu* (inquit) *doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret.* ac si diceret: ingratiis, & stultè pro re, quam minimè feceras, nec ad incrementum perduxeras, modò doles: doliturus quidem optimo merito, si eam plantasses, aut fecisses, iure enim tunc in opus tuum propensus, & affectus esses: vnde appositè infert, *& ego non parcam ciuitati Niniue*? ex importuno dolore Ionæ pro re leui, & quæ ad ipsum minimè attinebat, ostendens, quàm grauis sibi dolendi causa sit, extremum magnæ ciuitatis exitium. ac si diceret, vt sapienter, & limato iudicio pensitat Sanchez, Doles quòd herba exaruerit, quid si Sanchez. arbor procera, atque robusta, & nobilium pomorum ferax? quid si à te plantata? quid si multis annis, magno studio, atque opere exculta? Atqui ego plantaui Niniuem, ego quotquot inibi sunt, meis plasmaui manibus, ego parturiui, & ad incrementum perduxi. quid ni feram, quos feci? Sanè si ipsi digni non sunt, quibus ego parcam, & benefaciam: at, quæ in illos iam contuli beneficia, suo iure à me exigunt, vt ea tuear atque promoueam, & malis hominibus, bonis à me iam diu donis ornatis parcam, & mihimet ipsi in illis quodammodo consulam, ac benefaciam: vt hinc noueris, ad Dei gratiam, & fauorem promerendum, ac impetrandum aliter cum illo, ac cum sæculi Principibus agendum tibi esse; hos enim vt demulceas, atque ad beneficia tibi conferenda pronos reddas, quidquid in ipsorum obsequium feceris, illis obiicis, atque recenses; Deum verò vt placatum, gratúmque habeas, non tam ea quæ illi exhibueris obsequia, quàm quæ in te ipse contulerit beneficia, & quidquid pro te fecerit, enumerare, & ipsius oculis proponere debes, hinc enim multo certiùs ac promptiùs ad noua tibi dona impertienda deducitur, atque allicitur.

Nouerat certè hoc Dei ingenium. Regius Psal- 9.
tes, qui Deum sic orabat Psal. 118. 7. *Retribue* Psal. 118.17. *seruo tuo, viuifica me.* siue, vt alij codices habent, *Retribue seruo tuo, & viuam*: vbi si inquiras; cur ille non absolutam largitionem, & donum, sed retributionem signatè efflagitet? *si enim digna* Hilarius. *secundùm opera nostra retributio aderit*) ita ibi Hilarius,) *peccatorum ac delictorum nostrorum pœnas merebimur. Satis est autem, si cui vel hæc fiducia, saltem gratulandi ad Deum fuerit.* Non secundùm peccata nostra fecit nobis, neque secundùm iniustitias nostras reddidit nobis. Quia secundùm Ps. 102.10. altitudinem cœli à terra, longauit iniquitates nostras à nobis. *Magnum est tantam in se misericordiam Dei recognoscere, & scire consuetudinem criminum procul à se abesse, & dignum Dei misericordia se esse cœpisse.* Quî ergo misericordiæ dona, non vt gratiam, sed vt retributionem exposcit? *Quis* Rom. 11.35. *prior dedit illi ei, & retribuetur*? ad Roman. 11.35. vel quî vitæ retributionem, quæ non nisi egregiis meritis datur, flagitare audeat? Quo pignore? qua fiducia? Respondet Vates, certo prioris beneficij pignore, quo in Dei familiam prius fuerat benignè acceptus, retributionem postulare; ideo de industria dixisse, *seruo tuo*, vt non tam sibi, quàm seruituti Dei, eiúsque iam accepto dono munus siue præmium petere videretur. Id inibi obser

Hilarb. obseruante Hilario, cui cùm dixisset. *Sed fortè insolentis illud audaciæ est, sine aliqua confessionis modestia meritum retributionis optasse, nec se in corpore suum, id est, in vili, atque humili sorte, se esse meminisse*; subdit, *exclusit autem Propheta omnem de se vanitatis & iactantiæ opinionem. Nam cùm dixisset,* Retribue *ex fiducia innocentiæ,* seruo tuo, *ex seruitutis officio, & ex conditionis suæ confessione subiecit:* vt nimirum gratiam bonus Dominus pro gratia, & donum pro dono tribueret. Equidem Ambros. dum hæc Dauidis verba elucidat, serm. 3. in Psal. 118. ex illis dubium Petri in mari fluctuantis animum sic reuincit. *Denique reprehenditur Petrus, quia super fluctus ambulans humano magis dubitauit affectu, quam Apostolica auctoritate præsumpsit*, etenim qui ad Apostolicum gradum à Christo fuerat euectus, & in Dominicam familiam adscriptus, minimè dubitare debuit, nouum ipsi munus pro re natam fore retribuendum. Hinc quidem Tertull. in Apologet. cap. 30. dum Ethnicos irridet, quòd orationes suas ad ea Numina dirigerent, quæ opem ipsis minimè adferre possent; solis Christianis efficaces, & impetratrices deprecationes obtingere sic adstruit. *Hæc ab alio orare non possum, quàm à quo scio me consecuturum. quoniam, & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur.* Audis animosa verba? *cui impetrare debetur.* Sed quare debetur? Subiicit: *famulus eius, qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidor, qui ei offero opimam, & maiorem hostiam, quam ipse mandauit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Pende illud, *famulus eius*; est enim ac si dixerit, *Retribue seruo tuo*: deinde istud, *de Spiritu sancto profectam*, & vide, quomodo gratiam pro gratia bonus Dominus reddat; quid enim nisi egregium Dei donum fuerit orationem de Spiritu sancto proficisci? *Nam quid oremus, sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ad Rom. 8. 26.

Marginalia: Ambros. — Psal. 118. — Tertull. — Rom. 8. 26.

10. At enim verò, & illa Christi verba, quibus Petrum increpauit, plus premere, è nostra erit; sic enim Dominus, *Modicæ fidei, quare dubitasti*. Matthæi 14. 31. Sed cur modicæ fidei, & non exigui animi, modicæve virtutis? sanè, quòd fides immediatè circa Deum versetur, ac proinde Dominus imperfectam diuinitatis suæ cognitionem, & sensum illi obiicere videtur, ac si diceret, vix me Deum esse, credere videris. Sed quare? Nonne ipse diuinitati Christi innixus in maris vndas sese coniicere non dubitauit? *In nimis enim positus* (inquit S. Maximus hom. 4. de Petro Apostolo, quæ inter hyemales est vltima) *considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia, & dum Christum respicit, non respicit elementum; credit fide etiam inter vndas solidum inuenire vestigium, iactetur licèt fluctibus, mare ventis pelagus conturbetur.* Respondebit tamen Bernardus, magno iure modicæ fidei Petrum increpatum, qui Dei perfecta opera non nouit, & mancum, ac imperfectum suæ salutis opus fore timuit; ita enim occurrebat ille serm. 1. de Pascha fraudulentæ illi blasphemantium Iudæorum suggestioni, *descendat de cruce, & credimus ei*, quasi id Christo ingererent, vt ex semidata hominibus salute, & opere redemptionis ad metas non perducto, ipsius diuinitatem infringerent: *eò quippe tendebat malitiosa suasio* (inquit Bernardus,) *non vt ipsi crederent; sed nostra quoque si qua erat fides in eum omnimodis deperiret; legentes enim*, Dei perfecta sunt opera, *quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum?* Sed ad rem opportuniùs respondebit Augustinus, modicam Petri extitisse fidem; qui primæ vocationis Christi gratiæ, alia dona quibus saluus & incolumis ad Christum tandem perueniret, attexenda non credidit; sic enim ille de verb. Dom. serm. 13. *Nunquid autem Dominus desereret titubantem, quem audiuit inuocantem: vnde sequitur, & continuò Iesus extendens manum apprehendit eum.* Ita August. nimirum *quos prædestinauit, hos, & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*, ad Rom. 8. 30.

Marginalia: Matth. 14. 31. — S. Max. — Bernard. — Matth. 27. 42. — August. — Ad Rom. 8. 30.

Fuerit sanè id adeò verum, vt quodammodo non priùs hominem damnare posse Dominus videatur, quin eum omnibus donis, quibus antea ornauerat, culpis eius exigentibus, tristi fato spoliatum viderit: vnde quæsita locutione Matthæi 24. 50. & 51. de malo seruo æternis cruciatibus addicendo dixit: *veniet dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Sed quid fuerit? infelicem illum, antequam extremi supplicij sententiam subeat, diuidi. Num medius dissecandus erit & frustratim discerpendus? At id quidem pœnas iam dare est: ergo diuidi, nihil aliud fuerit, quàm spiritualium donorum ablatio, & à Dei seruitute, & familia extraneum pronunciari; quippe aliquo Dei dono, siue Christianæ militiæ signo in homine durante, ab eo damnando diuina manus non potest non retardari, & sese cohibere, adeò suis beneficiis obnoxia est: sed id accipe à Cæsario Nazianzeni fratre dialog. 3. elegantissimè assertum hunc in modum. *Dissecari seruum non corporaliter intelligamus; nam imperitum hoc foret, ac ridiculum, sed per spoliationem spiritualium donorum, & baptismatis, & erga ipsum liberalitatis dissecari à Domino, damnandos, intelligamus. Non enim fieri potest, vt qui Christo adhærent, ac veluti milites illius obsignati signaculo sunt, & zona militiæ ipsius cincti; puniantur, nisi priùs illis spoliati sint.* Firmat pulchra imagine hunc sensum. *Quemadmodum & præsentes hodie leges docent, reos milites non prius affici debere supplicio, quàm illi zona sit adempta, quo significatur, symbolo militiæ ipsis ablato more priuatorum à carnifice puniri posse*: Hæc Cæsarius. Mitiora hucusque, & iucundiora de Dei benignitate diximus: sed enim ne horum occasione metum, & tremorem à Paulo nobis præcedenti versu infixum abiiciamus, acriora ex his verbis monita elicere, erit operæpretium. 11.

Marginalia: Matth. 24. 50. & 51. — S. Cæsar.

Ad eadem verba, *Deus est enim qui operatur in vobis*, &c.

ADNOTATIO V.

Deum in gratiæ suæ donis, atque auxilijs nobis elargiendis, ad eum prope modum nobiscum agere, quo cum ipso nos agimus, ac proinde recto, rectum, obliquo obliquum se exhibere.

Hic, opinor, Paulinæ parænesis cardo vertitur, atque hic primarius admonitionis, quæ huic versui in est, scopus est; vt quando totum hoc, quod in nobis est virtutis, ac 1.

profectus à Dei ope dependet, nos *cum metu, & tremore* nostram salutem operemur; totis videlicet animi viribus, toto nisu, atque conatu in Dei obsequium impendentes; sedulámque operam animæ negotio nauantes; ne sua nos ipse gratia, & auxiliari manu destituat: scitè siquidem, atque sapienter obseruauit Bernard. serm. 2. *de nuptijs Canæ*; ei qui virtutis studium seriò, & constanter suscipit, vnum, aut alium timorem, decidendi videlicet è summa æternæ felicitate, siue dirum gehennæ supplicium subeundi, satis non esse, nisi tertium iis timorem, amittendi diuinam gratiam, addat: *vtique duplex timor* (inquit ille) *communis ac notus omni, at tertius quidem minus communis, & minus notus. Primus enim timor est, ne cruciemur in gehenna: secundus ne exclusi à visione Dei priuemur tam inæstimabili gloria. Tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratia. Et quidem omnis timor Dei, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam; sed is maximè cùm ad omnem tentationem statim occurrit, ne fortè contingat amittere gratiam, vt sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in peius: de periculo minore in grauiorem culpam, quales vtique multos videmus, qui in sordibus sunt sordescentes adhuc.* Hæc Bernardus. Qui, & statim sic sapienter admonet. *Aduersùs timorem istum non est, vnde sibi blandiatur anima, siue de minore forte quantitate peccati, siue de emendatione futura: talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo genera timoris.* Et verò, vt hæc ratio plenè subsistat, & si de diuinæ gratiæ ad benè operandum necessitate, cui illa omnino nititur, sæpiùs differuerim, non grauabor peculiaria Augustini verba ipsam mirificè confirmantem appingere, quippe ipse epist. 250. dum ea scripsisset monita, quæ ad salutem consequendam maximè consentanea sunt, hunc in modum: *De agenda ista temporali vita eo modo, per quem veniendum est ad æternam, noui concupiscentias carnales esse frænandas, tantúmque remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandæ huiusmodi, agendaque vitæ satis est, omnésque molestias corporales pro veritate Dei & salute æterna nostra, & proximi patienter, fortitérque tolerandas: noui etiam proximo ad hoc consulendum omni studio charitatis, vt istam vitam rectè gerat propter æternam: praeponenda etiam nobis spiritualia carnalibus, incommutabilia mutabilibus.* piè, ac sapienter statim subiicit: *& hæc omnia tanto magis, minúsve posse hominem, quanto magis minúsve adiuuatur gratia Dei per Iesum Christum.* Quasi dicat, bonorum operum nostrorum mensuram, mensuræ diuini auxilij omnino respondere; eatenúsque nos in virtute profecturos, quatenus à Dei gratia fuerimus adiuti: si multum, multum; si parum, parum.

2. Quò sanè respexisse dixeris Samuelem lib. 1. Regum 7. 12. cùm, Philistæis à filiis Israël debellatis, & à sedibus iniquè antea occupatis, expulsis, *tulit lapidem vnum, & posuit inter Masphad, & inter Sem, & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij*: (vbi LXX. notanter, *lapis adiutoris*) *dixitque: hucusque auxiliatus est nobis Dominus.* Religiosa quidem, ac sapientia verba: pende enim non dixisse, hucusque perueninmus, pugnauimus, vicimus, de manu hostium sedes nostras vendicauimus; sed potiùs, *hucusque auxiliatus est nobis Dominus*: taxatiua locutione emphaticè indicantes, tam profectuum, & victoriarum, quàm occupatæ terræ mensuram ex Dei auxilio esse desumendam. Sed enim cùm lapis ille Christum in figura præ se ferret, qui sæpe lapis, sæpiùs adiutor in Scriptura appellatur, quid aliud fuerit ad lapidem Adiutoris dicere Samuelem? *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus*, quàm monere Augustinum, *tanto magis, minúsve posse hominem, quanto magis, minúsve adiuuatur gratia Dei per IESVM Christum?* ergo vt à te habes quidquid mali habes, ita ab illo habes quidquid boni habes; & ab illo non habes, quidquid mali non habes, & si stas, ex illo stas, & si à morte, quam rúmer tibi intulisti, suscitaris, ab illo excitaris. Quid enim? venit ne tibi in mentem merito tuo, aut casu, siue fugiendi arte inter tot laqueos, atque discrimina incolumem te incedere? Audi rursus August. lib. 50. homil. 23. cap. 6. ex Dei persona sic te conuenientem. *O tu quid dicis te non multa crimina commisisse. Quare? quo regente? Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres, suasor defuit, vt suasor deesset, ego feci; locus, & tempus defuit, vt hæc deessent, ego feci.* Quid? existimasti aliquando, te, vt volens cecidisti, ita vltrà, & propriis viribus surrexisse? & quid, ergo, credis trinam illam Christi orationem in Passionis suæ nocte significare? casu ne? non bis, aut semel, sed ter orasse dicitur? Audi Paschasium lib. 12. in Matth. *qui Petrus ter negaturus erat*: nimirum vt à morte ad quam per propios pedes præceps iuisti, suscíteris; ipse tibi tam attentè, tam singillatim, tam prouidè opem fert, & dum tu de lapsu, & morte deliberas, ipse de ascensu, & vita cogitat. *Et vbi tibi deficit gratia* (Bernar. serm. 54. in Cant.) *deficis tu. Audi quid dicat gratia dicat: sine me nihil potestis facere. Time ergo subtracta gratia tanquam mox casurus.* Sic ille.

3. Id si graphicè videre velis depictum, in ipsosmet Christi discipulos in Dominicæ Passionis noctε, iam oscitantes, torpentes, & somno deditos: iam excitatos, & solertes, ac mirifica vigilantia orationi instantes oculos coniice. Vnde enim tantam animi mutationem illis adfuisse credis? num vt nox longiùs procedebat, arctior illos somnus complectebatur? siue ad orantis Magistri exemplum quasi calcaribus adhibitis vehementiùs commouebantur? Minimè; sed potiùs prout Christus accedebat, siue ab illis recedebat, vel excitabantur, & ad vigilandum, & orandum animos, & vires sumebant, vel somno occupati, desides, ac torpentes reddebantur, non secus ac ex Solis accessu, vel recessu, in tenebris, siue in luce sumus, Paschasio, & Drogone id scite adnotantibus, & ad nostram institutionem referentibus: sic enim prior lib. 12. in Matthæum: *Considerate Christi mysteria quamdiu cum illis adfuit IESVS, nullo grauantur somno discipuli; progrediente ergo pusillum ab eis, nec vna hora potuerunt vigilare illo absente: propter quod semper orandum, vt maneat nobiscum: quemadmodum ipse est pollicitus.* Nec aliter Drogo serm. de Dominicæ Passionis Sacram. *statim, vt recesseris, somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos.* Pergit in eandem sententiam Cassianus collatione 12. cap. 4. *Sciens impurissima colluuionis aspergine protinus maculandum, siue paululum quid ab eo protectio diuina discesserit.*

4. Dices: ergo nullam prorsus nostri profectus rationem, curámve habere, opus fuerit, sed diuinæ gratiæ id totum committere? immò verò contra ait Paulus: *cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis velle, & perficere.* ac si dicat, quia Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere, oportet nos, *cum metu, & tremore*, hoc est, omnes neruos intenden-

Bernard. August. 1. Reg 7. 12. LXX. August. Idem. Paschas. Bernard. Paschas. Drogo. Cassian.

tes nostram salutem operatij;nam si inertes,& desidiosi sumus,diuinis auxiliis destituemur:& enim
Chrysost. *sicut in velum laxum* (Chrysost. hom. 34. in epist. ad Hebræos) *ventus incidens nihil operatur,sic et iam Spiritus sanctus in anima remissa,& segni permanere non sustinet.* Ita quidem quæsita locutione dixit
Psal.118.131. Vates Psal. 118.131. *os meum aperui,& attraxi spiritum.* nam si meministi, iam alibi ex
Aristot. Aristot. 3. Physic. confirmaui, tractum esse speciem motus violenti, & sub hac significatione videris dixisse
Tullius. Tullium lib.7.epist.10. *Nihil duobus nobis est stultius; me,qui te non Romam attraham, te,qui non huc aduoles.* Quid ergo? ex Vatis ne sententia inuitus, siue reluctans diuinus adducitur Spiritus? Nonne de ipso verissimè dixit
Cyprian. Cyprian.epist.1. *vt sponte Sol radiat,dies illuminat, fons rigat,imber irrorat, ita se Spiritus cœlestis infundit*;cur ergo ipsum,tanquam renitentem vis attrahere? Sanè,certo certiùs est, quod inibi etiam ait Cyprianus, gratuitum de Deo, & facile primum munus, siue gratiam esse, quippe hæc immerentibus datur; at enim verò nosse oportet, cœlesti hoc dono simul dato,non mediocrem sollicitudinem, & diligentiam, nec leuem bonorum operum exercitationem ab homine exigi: vt sua in ipso dona Deus promoueat, ac *velle,& perficere* in eo indesinenter operetur,vnde ignauo, & torpenti seruo ipse di-
Matth.25.27. cebat, *oportuit te committere pecuniam meam nummulariis,& veniens ego vtique recepissem quod meum est cum vsura,* Matth.25.27.Ideo ergo sapienter Vates, os suum aperuisse, & Spiritum attraxisse, ad studij sui vehementiam, & ardorem indicandum memorat,quippe qui nouerat ad illius dona promerenda feruenti fide, & ardenti bonorum operum studio opus esse, nec otiosis, & negligentibus erogari; ita hæc breuiter præstringente Hi-
Hilarius. lario ad ea verba: *Non enim vltro,inquit,expetendus est; attrahendus est,& infantium more tanquam lac innocens hauriendum.* Ad quem modum post citata verba dicebat Cassianus,*ac proinde pro perpetuitate eius cum omni contritione,& humilitate cordis indefessis est orationibus excubandum.* Sanè apud
Zach.10.4. Zachar. 10.4. hac ratione Christus *paxillus* dicitur: *ex ipso*(inquit) *angulus,ex ipso paxillus,ex ipso arcus prælij:* vt nimirum innuatur sicut à paxillo res dependent, eóque ablato in terram cadunt:
Isaiæ 22.25. (sic Isaiæ 22.25. *auferetur paxillus,qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit, quod pependerat in eo,*) ita ab illo quidquid boni habemus,quidquid sumus,omnino dependere:simúlque ad nos etiam maximè spectare paxillum hũc, industriæ nostræ malleo fortiter ac firmiter infigere, de quo etiam vel ex Hispana parœmia ad-
Cassian. monemur, *A Dios rogando, y con el mazo dando*; eam verò visus est expressisse Ethnicus Cato apud Sallustium, dum fortiter hæc, sed pio accipienda
Sallust. sensu ingerebat, *Non votis,neque supplicationibus muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo,bene consulendo prosperè omnia cedunt:vbi socordiæ te,& ignauiæ tradideris,ne quidquam deos implores; irati,infestique sunt.* Ita ille.

5. De Regum quidem corde, siue animo, in Dei manu,hoc est,sub peculiari ipsius cura, & protectione esse, signatè dicitur à Salomone Prouerb.
Prouerb.21.1. 21.1. *cor Regis in manu Dei,quocunque voluerit inclinabit illud.* In quæ verba cùm, (nescio quâ ra-
Themist. tione) Gentilis Themistius incidisset, sic ea capienda censuit, vt maximum Principibus discrimen, si à rectitudine aliquando deflexerint, immineat,ne à Dei manu illos fulciente,custodiente,ac conseruante decidant: vnde ea Valenti,imperatori pessimo, eruditus adulator sic ingerebat orat.6. *Ego verò quam eleganter hoc ipsum Assyriorum litteris proditum animaduerti, Regis scilicet animum in manu Dei custodiri.Vnde ei,quantum imminent periculi prouidendum,ne si ad agendum aliquid, quod a Deo sit alienum, feratur, custodiente sese Dei manu tandem excidat.* Quod statim eo vsque vrget, vt ad prophanos aliorum sermones Principi vitandos etiam aduocet hunc in modum: *Non enim tibi solùm, imperator, quæ sancta sunt animo ac cogitatione tractanda,verùm etiam ijs,qui apud te sermonem instituunt, eadem vsurpanda dicendo, cùm vnumquodque verbum ex ijs,quæ ad aures tuas accidunt,in incorruptam illius manum inscribatur.* Sed enim, quod Sapiens hoc in loco de Principibus singillatim dixit, alibi omnibus indiscriminatim aptauit, vt siue pro virtutis studio, & pietate in Deum, ab ipsius manu foueantur, & custodiantur; siue pro illorum negligentia,& ingratitudine,ab eo repellantur:sic enim Ecclesiastes,cap.9.
1. *Omnia hæc tractaui in corde meo,vt curiosè intelligerem.* (LXX. *& cor meum vidit hoc:*) *sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei*: ac si clariùs dixerit: Id mihi vel in meis visceribus experto,pro comperto est eos qui iustitiæ,atque sapientiæ grauiter incumbunt, auxiliari Dei manu regi,atque protegi; quasi tacitè inde etiã innuat, illos qui desides,atq; insipientes sunt,à Dei manu repelli. Ita in vtramq; partem hunc locum expendente Olympiodoro tom.1.Biblioth. *Proponit quâ in re satis facere sibi possit sapientis intuitus,& cognitio,quòd videlicet iusti sapientésque homines,vnà cum operibus eorũ sub vmbra Dei, ac protectionis suæ dextera conquiescant.Neq; enim permittit Deus,illos impotentium dentibus deuastari: at verò de impijs scriptum est,*& ipsi de manu tua repulsi sunt,Psal.87. 6. Hæc Olympiod. Sed & apud eundem Ecclesiastem cap.7.16. vbi nos habemus, *Bonum est,te sustentare iustum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam,quia qui timet Deum,nihil negligit*, in catena Græcorum Patrum sic habetur. *Cæterùm bonorum maximum illud est,si succurrentem Deum,manúmque iacenti porrigentem vicissim tu apprehendas,vt ab illo pendens nusquam peccato manum tuam porrigas:nam incesta manu contingere, quæ ab omni labe sunt aliena,scelestum planè est,& abominabile. At qui timore Dei confixus, Deo subditus est,is aduersa omnia facile vitat.* Hæc ibi appositissimè. Eccles.9.1. Olymp. Psal.87.1. Eccles.7.1.

Quòd si nosse velis, cur homines,qui aliquam virtuti operam nauare videntur,de manu Dei tan- 6.
dem repellantur, audi Dauidem Psal.118.10. *In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis.* Et primum quid sit,repelli,disce ab Augustino ibi dicente: *Quid est enim a Deo repelli,nisi non adiuuari? Quos autem non adiuuat,hos meritò perhibetur repellere tanquam flammea framea prohibeantur indigni, ne manum extendant ad arborem vitæ.* Iam verò sic scitè perquirit in id loci Hilarius,quî possit diuinæ benignitati cõgruere hominem à se repellere? *Competere bonitati Dei non videtur, vt à mandatis suis quemque repellat. Qui ergo secundum Prophetam mauult peccatorum pœnitentiam, quam mortem, numquid existimandus est à mandatis suis quemquam repellere?* Respondent verò tam ipse, quàm Ambrosius ex Christi verbis Matth.25.29. *Omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* meritò magno iure tepidum, atque negligentem à mandatis Dei repelli, quod dum opus Dei negligenter exequitur, ipsum magis impedire,& commaculare,quàm perficere videatur:ac proinde Psal.118.10. August. Hilarius. Ambros. Matth.25.29.

de ipse sese Dei adiutorio fraudare; contrà verò strenuum, ac diligentem, qui toto cordis impetu ad Dei mandata custodienda currit, nec animum intèr Deum, & mundi concupiscentias partitur; abundantioribus Dei auxiliis dignum se reddere, vt quod humanæ fragilitati deest, id ex Dei gratia, & benignitate percipiat. Audi Ambrosium, *Ambros.* *Cui addendum nisi ei, qui toto corde exquirit Deum? vt quod deest naturæ, id Dei operatione acquirat, & gratia,* &c. *Qui autem non habet, vt in corde suo exquirat Deum, sed negligenter facit, maledicto subiectus est, sicut legimus,* Quia maledictus omnis, qui opus Dei facit negligenter. *Meritò ergo repellitur, quia maledicto dignus est, quia polluit magis, & impedit opus, quod negligenter putauerit exequendum.* Hæc Ambrosius. Quibus similia sunt, quæ habet Hilarius; *Hilarius.* post quæ ita concludit. *Deus ergo non aufert nisi non habenti, secundum quod neque repellit nisi negligentem. Adeò autem bonitate plenus est, vt habentem abundantia muneretur; adeò verò non vult, quemquam non habere, vt non habenti, ipsum quod habet, adimat. Neminem igitur nisi obnitentem, repellit, neminem nisi negligentem, reijcit;* opportunè ergo Vates auxilium Dei petiturus præmisit, se totum Deo addictum, nec quidquam in rerum humanarum curas esse partitum, nam si secus fuisset, iure à diuinis mandatis repelleretur. Quò aduoco tanquam huic instituto maximè congruentem, pulchram rationem, qua aliò intenti vtuntur *Impp. Theod. & Valent.* Impp. Theodos. & Valentinian. in l.2. C. *quando, & quibus quarta pars debeatur ex bonis decurionum;* hunc in modum: *Naturale quippe vitium est negligi, quod communiter possidetur, vtque se nihil habere, qui non totum habeat arbitretur; denique suam quoque partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ.* quæ Deo etiam quodammodo aptati potest, dum in eos qui in toto corde exquirunt illum, ipse bonum, atque benignum se exhibet; dona sua in illis augens atque custodiens, negligentes verò, negligat, & corrumpi patiatur.

7. *Psal.72.1.* Sic itidem dicebat Dauid Psal.72.1. *Quàm bonus Israël Deus ijs, qui recto sunt corde.* quæ verba *Lect. Tigur.* Lectio Tigurina, interiecta aduersatiua, *sed* ita emphaticè extulit: *Quàm bonus Israël Deus: sed ijs, qui recto sunt corde.* ac si dicatur: bonum quidem Deum, hoc est, benignum, & liberalem esse; sed iis qui rectè, & simpliciter incedunt. nam cum illis qui in diuersa scinduntur, & duobus dominis inseruiunt, multo aliter se habet; de manu sua eos repellens. Vnde ipse apud Oseam cap.14.6. ait, *Osea 14.6.* *ero quasi ros, Israël germinabit sicut lilium.* pulchra imagine, gratiæ suæ fœcunditatem, & animæ cui inest felicitatem ostendens; etenim vt in terra promissionis ros (quod ad hæc verba interpretes, *Ribera.* præsertim verò Ribera obseruant) ob pluuiæ defectum (quoniam inibi in vernis mensibus pluuia non est;) id præstat, vt frumentum necnon reliqua germina nimio calore percussa non pereant; sed refrigerata excrescant, & ad iustum incrementum, ac maturitatem perueniant. ita gratia sua Deus, & concupiscentiæ æstum temperat, atque refrigerat; & peccatoris nostri ariditatem irrigans, bonorum operum flores fructúsque germinare nos facit. At quibus in animis præstare id Deus *Hebr. lect.* dicitur? obserua quæso veterem Hebræorum le- *Petrus Galat.* ctionem, atque explanationem apud Petrum Galatinum lib.3. con. Iudæos cap.17. & lib.9. cap. 11. sic namque apposita interrogatione, & responsione adhibita legebant, *Quando ero ros Israëli? cum germinabit sicut lilium.* Sed cur potiùs cùm germinabit sicut lilium, non verò sicut alij flores, seu plantæ? Respondebant illi, quòd id radicis lilij sit proprium, vt cordis similitudinem sursum versi habeat; vnde ex ipsa admonebatur, tunc Deum roris vice illis fore, cùm ipsi ad modum lilij cor rectum, & sursum versum ad Deum habuerint.

Sed hac de re per plures eiusdem Vatis regij 8 occurrunt sententiæ; sic enim primum Psal.7.12. *iustum adiutorium meum a Domino, qui saluos facit* *Psal.7.12.* *rectos corde:* vbi non est dubium, sermonem non esse de æterna salute iustis danda, sed de opportuno auxilio, quod ei, qui in discrimine versatur, affert, illum in tuto collocans, atque reponens, ut tam ex ipso contextu, quam ex Hebræo verbo, quod significat, opitulari, siue auxilium præbere, satis liquet. Iam recti animi fiduciam animaduerte; *iustum* inquit, *adiutorium meum a Domino;* sed à Vulgati lectione ad Hebraïcam, & à communi *Lect. Hebr.* sensu ad peculiarem priùs diuerte: sanè pro *adiutorium* in fonte est, מָגֵן *magen* hoc est, *scutum*, siue *clypeus*, indicans Propheta se Deum pro clypeo habere, cuius præsidio, ac protectioni innitatur. At enim sub hoc sensu premere oportet etiã epitheton *iustum*, & huic scuti imagini aptare; & ne ab illa dissiliat, sic capio vt significet; amplum & oblongum clypeum, qui totum pugnantis corpus à pedibus ad caput tegat, ne quid improtectum, aut plagæ obuium supersit: quid enim infelici Achab triplici ære munita arma profuerint? dum *vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam di-* *3. Reg. 22. 34.* *rigens, & casu percussit Regem Israël inter pulmonem* *Hebr. lect.* *& stomachum,* 3. Reg. 22.34. vbi Hebræa habent, *Lect. Chald.* *inter iuncturas, & loricam;* Chaldæa verò, *inter iuncturas loricæ,* lethale vulnus per rimulas infligens: qua quidem ratione peculiaria, & opportuna auxilia, quæ amicis suis Deus tribuit, à communibus, & generalibus, quæ in eos, qui in peccata decidunt, etiam spargit, scitè discriminat Dauid; etenim, vt Nazian. orat. in id Euangelij, *Cùm con-* *Nazianz.* *summasset IESVS sermones hos,* pulchrè contemplatur: *vndequaque impurus ille Spiritus te perscrutatur, atque explorat; vbi feriat, vbi vulneret, nunquid detectum, apertúmque reperiat, plagæque obuium,* vt nisi speciali Dei auxilio, & protectione muniaris, non secus ac Achabum te interimat, inter iuncturas sagittam coniiciens: ergo inquit Vates, Deum sic se eum suis gerere, vt peculiari ope, atque præsidio tanquam amplo, & oblongo scuto vndequáque protegat, ac muniat, ne quid apertum, plagæque obuium hostis reperiat. Modò ad Vulgati lectionem, vnde diuertimus, redeamus, *iustum adiutorium meum à Domino.* Quare *iustum*, & non potiùs benignum atq; misericors? quid enim gratiæ cum iustitia? respondet non importunè ex præcedentibus verbis: *si reddidi retribuentibus mihi mala,* Chrysost. *Anxilium peto iustum à Deo, quia* *Chrysost.* *non vlcisci desidero;* quasi ij qui iniurias suas liberaliter condonant, ex æquo cum Deo agant; vt & illis peccata remittat, & auxilia ad alia vitanda conferat; fidenter orantes, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* opportuniùs verò respondet August. peccatoribus *August.* quidem misericors adiutorium, sed rectis corde iustum à Deo adiutorium reddi, quod illis liberaliter concedatur; his verò quasi ex iustitia rependatur: *non enim iniustus est Deus* (inquit Paulus ad Hebræos 6.10.) *vt obliuiscatur operis vestri:* ad diuinam quippe iustitiam propemodum spectare videtur, ne eum deserat, à quo desertus non est; (quamuis & id tandem ad misericordiam spectet.) Sed audi August. *Duo sunt officia medicinæ,*

alte

alterum, quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur. Iuxta illud primum dictum est in superiore Psalmo: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, *iuxta hoc alterum in hoc Psalmo dicitur*, si est iniquitas in manibus meis. *Ibi infirmus, vt liberetur, hic iam sanus, ne corrumpatur, orat; iuxta illud ibi dicitur:* Saluum me fac secundùm misericordiam tuam. *Iuxta hoc dicitur*: Iustum auxilium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde. *Et illa enim, & ista Saluos facit, sed illa ex ægritudine ad salutem transfert, hæc in ipsa salute conseruat. Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc iustificari desiderat. Hic autem iustum auxilium est quod iam iusto tribuitur. Dicat ergo ibi peccator qui dixit, infirmus sum:* Saluum me fac Domine propter misericordiam tuam, *& dicat hic iustus qui dixit si reddidi retribuentibus mihi mala:* Iustum auxilium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde. Hæc Augustinus: Iure igitur Deo ingerunt iusti, vt tutissimum illis auxilium opportunè ferat; sed iure priùs cordis rectitudinem, & munditiam ab illis ipse exposcit; sic
Psal.4.6. enim Psal.4.6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino*. hoc est, vt interpretatur inibi idem August. *Rectè viuite, & sperate donum Spiritus sancti: vt vos veritas, cui credidistis, illustret.*

9. Capiet hinc forsan non nihil lucis obscurum
Zachar.4.4. Zachariæ candelabrum; de quo ille cap.4.4. *Ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud, & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.* Explico singula vt nodum indicem: sanè, vt totum candelabrum Christianam Ecclesiam adumbrare,
Cyril. Alex. August. Hieron. communior Patrum Cyrill. Alex. ibi, August. siue Ticonij hom.8. in Apocalyps. & antiquiorum interpretum apud Hieronymum sententia fert: ita lucernas ardentes, egregiæ in primis sanctitatis viros, deinde iustos omnes, qui virtutum splendore in Ecclesia fulgent, significare probabilius
Ioan.5.35. est: sic de Ioanne habes, *ille erat lucerna ardens, & lucens*. De lampade verò, quæ adeò non habebat infusoria sicut lucernæ, vt eæ potiùs ab ipsa oleum & lumen habere dicerentur, rectè monent
Isaia 61.1. ex Isai.61.1. Cyrill. & Anast. Nyss. q.53. in Scripturam, illustrem Christi Domini typum esse.
Cyril. Alex. Anast. Nec omittam verba Cyrilli. *Obserua præterea septem lucernis infusoria affuisse, per quæ oleum illis infunderetur, lampadi non affuisse. Quid ita? est enim lumen verum Filius, non externum, neque inductum, nec ab alio datum, cui facultas illuminandi contigerit, sed ipse est secundùm naturam, lumen, quod autem in sanctis est, ab ipso communicatum est.* quæ appositè confirmat Dauid inquiens, Psalm.17.29.
Psal.17.29. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus illumina tenebras meas.* Hinc singillatim de infusoriis, hoc est, de fistulis, siue canalibus, quæ à lampade ad lucernas oleum transmittunt, mentionem fecit Propheta: sed en difficultatem, etenim cum lucernæ septem tantùm fuerint, infusoria duplicata esse, ex originibus satis con-
Hebræa lect. Lect. Chald. Hieron. stat: nam in Hebræo & Chaldæo, & in lectione Hieronymiana, & in antiquis Codicibus habetur, *& septem, & septem infusora lucernis*; vt videlicet vnicuique lucernæ, duæ fistulæ, per quas oleum transfunderetur, responderent. Ab hoc nodo vt se extricent interpretes, torquentur, & torquent, miseros librarios plerique accusantes; quod vocem *septem* mendosè duplicauerint. At ego qui aliunde nouerim, leue, & inconstans natura sua mendacium esse, & ruinoso innixum fundamento; hic verò eam lectionem in tot libris ac linguis radices egisse, videam; consultius mysterium, quàm mendacium id dixerim.

Et quidem, cùm pleraque Scripturæ testimonia, ex aliis commodè explicari, iamdiu didicerim, non aliter hunc locum capiendum reor, ac quandam seueræ illius sententiæ in Balthasarem regem apud Danielem 5.25. prolatæ & in pariete conscriptæ particulam, alibi explico. Porrò diuina sententia hæc erat: *Mane, Thecel, Phares*; Daniel 5.25. 10.
quam sic interpretatus est Daniel: Mane, *numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud*: Thecel, *appensus es in statera, & inuentus es minus habens*: Phares, *diuisum est regnũ tuum*, &c. sed scire oportet, in Hebræo necnon in lectione Chaldæa duplicari vocem *Mane*: vnde Pagninus & alij vertunt: *Numerus, Numerus*: siue *Numerauit, numerauit Deus*. Dum verò, quæ huius geminationis causa fuerit, inter auctores ambigitur, illud mihi succurrebat, voluisse Deum illi Regi non modò denunciare, numeratos atque finitos regni, ac vitæ illius dies esse, sed etiam ipsum sibimet breuiorem peccatis suis numerum effecisse: dum in illorum pœnam violenta ac repentina morte in nocte illa mulctari commeruit; quasi duplicatus Hebr. lect. & Chaldæa.
Numerus indicet duplicem apud Deum vitæ Balthasaris numerum, atque mensuram fuisse, quorum alter, iuxta diuinæ bonitatis beneplacitum, & secundarum causarum exigentiam, non spectatis flagitiis, mortem in supplicium attrahentibus, longior atque diuturnior: alter in flagitiorum, & obstinationis illius pœnam, breuior, atque contractior esset, quò videtur respexisse Hieron. in commentar. inquiens, *quòd scilicet numerasset Deus regnum illius atque complesset, & appendisset in statera iudicij sui, vt ante eum iugularet gladius, quam natura dissolueret.* Ad hunc ego modum crediderim, monitum à Zacharia, Deum duplicata infusoria, siue fistulas, per quas in iustorum lucernas, nouæ gratiæ ac donorum oleum (nam de prima gratia, quæ gratis omnino datur, sermo non est) sapienter transfundat habere: vt singulis pro vniuscuiusque meritis largiatur; & strenuis & rectis corde, vberiora ac copiosora, negligentibus verò, & oscitantibus minora, & inefficaciora gratiæ auxilia rependat. Quam ad rem hæc opportunissimè scripsit S. Isidorus Pelusiota lib.3. Hieron.
epist.271. *& si enim gratia sit, non tamen temere, ac citra discrimen vllum effunditur, sed mensuras ab iis qui eam accipiunt, sumens, tantum influit, quantum fidei vas sibi oblatum inuenerit.* Apponit statim largæ exemplum mensuræ in Paulo, quòd vas electionis fuerit, vnde subdit: *ob eam proinde causam ad quosdam se confert, atque apud eos permanet, à quibusdam autem recedit.* Quo omnino sensu Thessal. ita monebat Paul. epist.1. cap.5. Isid. Pelus.
19. *Spiritum nolite extinguere.* Quid? manus illi inferre poterant? Haud opinor, sed sensus est, 1. ad Thessal. 5.19.
strenuos atque alacres in diuini Spiritus obsequio vos præbete, vt largam ipse olei sui mensuram vobis eroget; aliter enim à donis suis fouendis manum contrahet, ac proinde spiritus vestri lucerna paulatim extinguetur: hunc iis verbis sensum sic reddente S. Diadocho Photiensi Antistite, in tractat. centum capitum de perfect. spirit. cap. 28. Spiritum nolite extinguere: *id est, ne Spiritum sanctum tristitia afficiatis, ne suo ille vos splendore desinat protegere. Nec enim æternum illud, & viuificum Spiritus sancti lumen extinguitur, sed illius tristitia, hoc est, auersio mentem sine lumine cognitionis obscuram, & caligine circumfusam relinquit.* Ita ille; sed & eadem prorsus ima- Diadoch.
gine

gine huc etiam retulit per allegoriam Ambrosius
Lucæ 21.25. ea Christi verba apud Lucam 21.25. *erunt signa in Sole & Luna*, vt Sol diuinus, cùm primum cognitionis, & gratiæ suæ lumen sponte, & liberaliter in mentibus nobis impertiat: hos subinde cœlestis suæ lucis radios pro fidelium diligentia, siue torpore, dilatare, vel contrahere dicatur. Audi illum lib. 10. in Lucam. *Plurimis enim à religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidia, quia mihi Sol ille iustitia mea fide vel minuitur, vel augetur. Et quemadmodum si plurimi radios mundani Solis aspiciant, pro capitu videntis aut pallidior Sol videtur, aut clarior, ita pro deuotione credentis vnicuique spiritale lumen infunditur.* Hæc Ambros.

11. Verùm hæc explicatiùs tradidit idem Psaltes
Psal.17.25. Psal. 17.25. vbi cùm dixisset, *& ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea; & retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.* hoc est, cùm integro & perfecto animo eum coluerint, vicem ipse rependens suis me donis cumulabit; subdit generali oratione: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerso peruerteris.* quæ sanè verba mirificè confirmant mensuram illam Dei, vitæ, ac morum nostrorum mensuræ respondentem, quam alibi ex Nazianz. adduxi, quámque ipse rursus adstruit carm. 8. de virtute humana hunc in modum,

Nazianz. *Nam vita mensura comes velut esse superna*
Certa solet: summi quoque sic mensura monarcha
Mensuram nostram comitatur congrua vita:

Seneca. Siue perpulchram Senecæ sententiam epist. 41. cuius indidem memini: *Sacer intra nos spiritus sedet, bonorum, malorúmque nostrorum obseruator, & custos: hic prout à nobis tractatus est, ita ipse nos tractat.* nimirum hoc loco (vt bene obseruat Agel-
Agellius. lius) id iudicat Dauid, Deum, & homines quandam contractus speciem inter se inire: vt si hi bona fide cum Deo agant; atque ei integro animo obsequantur, ipse integrum, ac munificum datorem erga illos se exhibeat; quòd si secus fecerint, & debitæ gratitudinis specimen & officia Deo nō persoluerint (id enim est peruersum esse) ipse etiam alium se eis quàm antea, ostendat, & benignę gubernationis rationem immutans gratię suæ dona imminuat, atq; decurtet. Nec grauabor singula verba percurrere quòd peculiare vnicuiq; pondus & vis subsit. Et primò pro illis, *cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris*, benè re-
Lect.Tigur. ponit lectio Tigurina, *Qui bonitati studet, ei benigne facis: & erga virum simpliciter integrum integrum te exhibes.* Nam, vt alia omittam, pro voce *vir* He-
Lect.Hebr. braicè est, גבר *gaber*, quæ propriè significat virum robustum, strenuum, heroïcum, qui fortiter se gerit: *innocenti* verò respondet תמים *temim*, perfectus, consummatus; inculpatus vita, & moribus, quibus appositè concinit verbum *Tamam* in Hitpael, pro quo noster posuit *innocens eris*; etenim in ea coniugatione propriè significat, perfectè, ac consummatè se habere cum aliquo: similiter pro *electo* in fonte est נבר *nabar*, id est, mundante, purificante, poliente, & expoliente se ipsum, siue purificato, mundato, polito, terso, qui splendore, & pulchritudine perfectæ vitæ fulget; cui opportunè respondet *electus eris*, vt ei, qui ita splēdet innocentis vitæ nitore, non vulgarem remuneratorem, siue auxiliatorem, sed electum, ac spectabilem, qui in illius sinum mensuram confertam, coagitatam, & supereffluentem cōferat, quæ omnia, vt vides, manifestè ostendunt, talem se

Deum erga homines gerere, quales ipsi fuerint; atque iis peculiaria gratiæ dona & auxilia tribuere, qui peculiari obsequio, & sollicitudine ipsum prosequuntur, iusto adiutorio seu amplo, & oblongo scuto eos protegente, & circumdante, ne quid in illis improtectum, & plagæ obuium hostis reperiat; & quò ipsi magis liberales in Deum fuerint, liberaliorem illum in se ipsos experiri: vnde quidem notanter ab sponsa Botrus Cypri sibi esse Christus dicitur Cant. 1. 13. *Botrus Cypri dile-* Cant.1.14.
ctus meus mihi, in vineis Engaddi, quod vt Botrus non semper eadem forma in vite cernitur, sed in diem crescit, & maior efficitur, ita Christus talis appareat, qualis is qui eum capit, idoneus fuerit: id sic pensitante Greg. Nyss. hom. 3. in Cant. *Qui* Gregor. Nyss.
natus est puer IESVS, qui in iis, qui ipsum susceperunt, diuersa proficit sapientia, & ætate, & gratia, non est idē in omnibus, sed pro modo eius, in quo est, quatenus is, qui ipsum capit, est idoneus, talis apparet, aut infans, aut proficiens, aut perfectus, conuenienter vestri natura, qui non semper cernitur in vite eadem forma, sed formam mutat cum tempore florens, perfectus maturus, & vinum factus. Hæc Nyssenus; & alia. Quibus opportunè adiunxeris, quæ ex veteri traditione affirmat non semel Paschasius in Matthæum, in sanctissima Christi facie pro rerum opportunitate, & diuersis eorum qui illum adspiciebant meritis, duas formas, vnam suauissimam, alteram seueriorē reluxisse. Sic enim ille lib. 2. in Matthæum, Paschas.
Vera videtur illa traditio, de qua supra iam memini me dixisse, quia erat in facie IESV nonnunquam quædam diuinitatis eius conspersio, ita vt duæ formæ in eo vicissim apparerent: vna secundùm quam omnes eum videbant: altera secundùm quam in monte transfiguratus legitur. Quam sanè formam sic vicissim temperabat, vt vnicuique appareret secundum quod fuerat dignus. Ita Paschas.

At enim illud hemistichium. *Cum peruerso peruerteris*, vt accuratiori explicatione indiget, ita 12.
sententiam omni obseruatione dignam continet. Nec existimes vocem *peruersus* ad morum peruersitatem esse reuocandam, cùm aliud tam Hebræa locutio, quàm antithesis, quæ est inter hæc & præcedentia verba, quæ virum simpliciter integrum, atque perfectum adstruunt, manifestè exigant: ergo ad eam obliquitatem siue curuitatem, quæ rectitudini atque integritati opponitur, cùm non tam ob lethalia flagitia per negligentiam, & mores minus integros siue immaculatos ab studio virtutis & cordis rectitudine, & omnimoda munditie quis deflectit (Hispanè ab hac locutione dicimus, *no andar a derechas*:) propriè retuleris cum lectione Tigurina, quæ habet:
cum eo qui incuruus incedit: tu quoque peruersè incedis. vnde sensus est, ei qui segniter & negligenter Lect.Tigur.
se habet, quin officio suo erga Deum plenè satisfaciat, eandem Deum vicem rependere; & non secus, ac si segniter & negligenter in eius custodia se haberet, vberiora dona, & potiora auxilia, quibus peccata reapse superantur, ei denegare. Firmo id tibi ex Dauide Psal. 43. 23. dicente, *Exurge, quare obdormis Domine:* non quòd adeò rudis & Psal.43.23.
imperitus esset sapientissimus Vates, qui Deum somno, aut obliuioni obnoxiū crederet, sed quòd ea imagine pulchrè ostendat, eum qui in custodiendo Israële, id est, iis qui puris oculis Deum vident, non dormit, neq; dormitat; in illis tutandis, qui negligenter & dormitātes in eius obsequium incumbunt, ad eum modum se habere, ac si dormiret, nihilque ad eum pertineret, illis laborantibus opem ferre; id sic adnotante Basilio in Psal. 29. Basilius.
Dor

Dormitantibus nobis, & pigrè agentibus dormire dicitur Deus, suis nos vigilys, & inspectione indignos iudicans. Quò scitè retulit per allegoriam Venerab. Drogo serm. de Sacram. Domin. Passionis, lanceam ac aquæ scyphum dormienti Sauli à Dauide ablata fuisse 1.Reg.26.12. *quia superbus, & negligentibus sermo sapientiæ simul cum gratia subtrahitur.* Sed de hoc rursus adnot.seq. n.2. Modò occultum Dauidis aculeum illo in verbo *peruerteris,* placet retegere: equidem in Hebræo longè aliud est verbum, videlicet פתל *Patal*, id est, *luctari*, quod in Hitpaël est, *cadere in lucta*, siue, vt verbo Latino morem geramus, peruertere se in lucta, metaphora à luctatoribus sumpta, siue dum sese flectunt obliquant, ac variè torquent, vt alterum subuertant, siue potiùs dum nonnunquam, vel, vt à luctandi tædio sese expediant, nec ampliùs defatigentur, vel vt aliis gloriam volentes tribuant, reluctanti cedunt, & sese in luctá peruerti sinunt: vnde eleganter dicitur Deus in lucta cum negligentibus, & qui obliquè agunt, sese peruertere, & reluctanti cedere; quatenus dum suæ gratiæ auxiliis nostræ cooperationi insistit; & cum torpore, ac negligentia nostra indesinenter luctatur, velut tædio, ac molestia affectus (nam *acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger iis, qui miserint illum,* Prouerb.10.26.) ab humana ingratitudine, & desidia, quam ipse, si vellet, potentioribus auxiliis edomare, ac vincere posset; suam tandem gratiam superari, & in lucta cadere sinit, vt in debitam negligentiæ, ac ingratitudinis pœnam, à gratia infeliciter deseramur, & in grauiores culpas turpiter decidamus, ad eum modum quo de lucta flagitiorum Hierusalem cum diuina misericordia, ad illa verba Domini apud Matth.23.37. *Hierusalē, Hierusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos.* Sic disserit Chrysost. siue apud illum Auctor oper. imperf. homil.46. in Matth. *Hierusalem, Hierusalem, quo vsque nunc luctata es contra misericordiam meam, nunc autem illam superasti. Volo enim te misereri, sed vires misericordiæ faciendæ non habeo: incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi lassata a proposito suo defecit.* Ita ille. Sed ad rem omnino Bernard. serm. de triplici custodia manus linguæ, & cordis: *Omnes nobis causamur deesse gratiam, sed iustiùs forsitan ipsa sibi queratur gratia, deesse nonnullos; nempe res cordis est gratia deuotionis ista, quam querimus, & hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat habitaculum exhibere.* Bene dissimulare dicitur, qui non recto corde, obliquus incedit; sed illud opportuniùs, *iustiùs ipsa queratur sibi deesse nonnullos*, quia, vt alibi idem Bernard. ait, gratiam non vt gratiam venerantur, sed contemnūt, ac negligūt, verùm de hoc latiùs adn.seq.

13. Applaudit his, & cum præfatis Dauidis verbis, *cum peruerso peruerteris*: siue, vt ex Lectione Tigurina vidimus, *cum eo qui incurnus incedit, tu quoque peruersè incedis*, mirificè conuenit, diuinum oraculum Leuitici 26.26. *Quòd si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedam.* Sed obserua LXX. habere, *si ambulaueritis erga me obliqui, ego quoque contra vos incedam in furore obliquo*; expressiùs verò, & omnino ad rem nostram S.Clementem Rom.lib.2. Const. Apost. cap 47. sic legere, *si obliquè coram me ambulaueritis, ego quoque contra vos obliquè ambulabo*; & eodem ferè modo Origen. homil.1. in Cant. *Si incederitis mecum obliquus, incedam & vobiscum obliquus*: vbi manifestè vides peculiarem ingratitudinis modum, quo negligens, ac remissus homo erga Deum se gerit: necnon peculiarem supplicij, ac pœnæ modum illi respondentem: quem Deus in negligentem magno iure exercet. Sanè peccatores, qui criminum sordibus animum polluere non verentur, terga ad Deum vertere dicuntur, Ierem. 2.27. *Verterunt ad me tergum & non faciem*: vnde iis optimo merito dorsum Deus etiā vertere dicitur apud eundem Vatem c.18.17. *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico, dorsum, & non faciem ostendam eis*; contra verò, rectos corde, siue eos, qui in toto corde exquirunt Deum, coram illo ambulare, & rectá facie faciem eius exquirere, vt videlicet ad illius nutus se componant, nec ab eius placitis latum vnguem deflectant, sæpiùs prædicant Scripturæ. Quod facit, Ezechieli à Deo tributam magnetis faciem. nam vbi nos habemus cap.3.9. *vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam.* Hebræa vox (vt loco magis idoneo tracto) magnetem sonat: & verum illud à Mardobæo vetusto auctore libro de lapidibus pretiosis cap.43. (fabulosum id esse, mihi non dubium, at enim Scriptura ad vulgares rerum opiniones, quamuis non adeò certas solet respicere; vt in Paulo fascinum (de quo non satis inter auctores constat) memorante ad Galat.3.1. apparet de magnete lecto cōiugali imposito traditur, *cadit adultera lecto quam lapis emittit celati criminis index*, vt velle videatur Deus, iustos adeò fidos & optimos sibi amicos esse, vt vel in ipsa facie fidei suæ indicem gestent. At enim pulcherrimum iis talionem illum rependere, & hilari facie occurrere, æquè notum est: nam & hoc sensu per plures Patres capiunt Christi verba Matth.5.8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* & apud Salomonem Sap.6.17. dicitur *Quoniam dignos se ipsa circuit quærens, & in vys ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis*; benignum scilicet, & fauentem se illis præbens, & instar lampadis præcedens, vt eos dirigat; id enim est, Dominum sese illis, siue faciem suam ostendere. Nam vbi apud nos Num. 6.25. dicitur, *Ostendat Dominus faciem suam tibi*, Hebraicè, vt Pagninus, & alij transferunt, habetur, *Lucere faciat Dominus faciem suam ad te*; quippe iis ros esse perhibetur, qui germinant sicut lilium. Iam medium inter vtrosque locum & statum, tepidos ac negligentes habere, vt nec ad Deum dorsa vertant, nec eius faciem simpliciter exquirant, sed obliquè ante Deum incedant, hoc est, qui grauia quidem peccata audacter non suscipiant, sed de voluntate Dei exquirenda, & de profectu in virtute, siue de venialibus erratis cauendis, nequaquam curent, neque fatigentur, præfata Domini verba nos admonent, simul ac terrent, dum obliquis obliquum Deum futurum, qui eodem videlicet modo eos tractet: nec de peculiari illorū tutela & protectione cogitet, apertè ostendunt: vnde quidem si ea acuratissimè in Hebræo fonte examinaueris, comperies legendum, *si ambulaueris casu mecum, ego quoque vobiscum casu incedam*; vbi maximè obseruanda est ea locutio *casu* vtrinque incedere: hoc est, vtcumque hominem erga Deum se habere, & è contra, nulla scilicet apposita cura, sed sicut res cadunt; Hispanè significatissimè dicimus, *Hazer las cosas a poco mas ò menos, como cayere*, vt videris quàm minax locutio sit, qua ait se vtcumque, sine peculiari scilicet, ac paterna cura, sed cōmuni prouidentia & quasi fortuito, suppetias negligenti allaturum: ac si dicat, *Ayudar os he à poco mas ò menos, como caso, sin especial cuydado*: quod vers.27. & 28. plusculum videtur vrgere; ibi enim similibus nostrati Vulgati

Margin notes: 1.Reg.26.12. — Lect. Hebr. — Prou.10.26. — Matt 23.37. — Chrysost. — Bernard. — Iterem.2.27. — Ierem.18.17. — Ezech 3.9. — Lect. Hebr. — Mardob. — ad Gal.3.1. — Matth.5.8. — Sap.6.17. — Num.6.25. — Pagninus. — Leuit.26.26. — LXX. — S.Clem Rom. — Origen. — Lect. Hebr. — Leuit.26.v.27.& 28.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom.

gati verbis, *si ambulaueritis contra me, & ego incedam aduersus vos in furore contrario*; in Hebræo,
Hebr.lect. diligenter, vt dixi, examinato hæc respondent: *si ambulaueritis casu mecum, & ego incedam casu vobiscum in furore fati.* seuerissima sanè vltio; maximus enim furor fati est, tum ob frequentia pericula; tum potissimum, quòd inuoluat quandam Dei desertionem, siue manumissionem. ac si dixerit, *Alla os dejo à vuestras auenturas.* Ab hoc verò quæ mala non proueniant? Vis nosse casum, sine furorem casus? recurre ad præfatum locum libri Regum, vbi de Achab infelicissimè in bello interem-
3.Reg.22.34. pto dicitur: *Vir quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israël inter pulmonem, & stomachum.* quæ maior enim casus siue infelicitatis vis excogitari valeat, quàm à sagitta in incertum missa potentissimum regem inter iuncturas, vbi peritissimus iaculator de industria rem agens vix posset pertingere, lethaliter vulnerari? At enim longè aliter apud LXX. hic
LXX. locus effertur: nam illi pro iis verbis, *vir in incertum sagittam dirigens*, reposuere (mirum) *rectè collimans.* Quòd si inquiras, quî possint tam compugnantes locutiones mutuo coïre? Respondebo, eam casus, cui homo à Deo derelinquitur, naturam esse, vt certum casum siue interitum secum afferat; nec aliud esse à Dei manu peculiariter custodiente hominem repelli, quàm à dira satellitis manu scopum rectè collimante ad mortem percuti; scilicet, cùm casu in malum sodalem te ad peccatum suadentem, & persuadentem incidisti, casu peccasti. Non opinor qui Dominum ex Au-
August. gust. ore nuper audiui dicentem: *Regebam te mihi, seruabam te mihi: vt adulterium non committeres, suasor defuit: vt suasor deesset, ego feci: locus & tempus defuit, vt hæc deessent, ego feci.* ergo tandem intellige: *vbi tibi deficit gratia, deficis tu.* vbi casus locum habet, gratia peculiaris locum non habet.

14. Cant.1.5. Quòd si id oculis subiectum habere velis, sponsam audi Cant.1.5. dicentem: *Nolite me considerare quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol*; sed obser-
LXX. Symmach. ua pro extremis his verbis LXX. & Symmachum legere, *tortè inspexit me Sol*: vt idem his sensus subsit, ac præfatis Leuitici, quasi sponsa non rectè, sed obliquè incedens vicissim ab sponso obliquè aspecta, hoc est despecta fuerit, atque eo faciem lumenque suum ab illa auertente: antiquum ipsa splendorem, decorémque perdiderit. Sed hæc opportuniùs ab Origene homil.1. in Cant. accipiens: sic namque ille ad ea verba sub sponsæ per-
Origen. sona. *Non putetis ò filiæ Hierusalem, quod natiuum alis est ista nigredo, quam videtis in vultu meo; sed scitote, quoniam despectu Solis est facta. Sol enim iustitiæ, quia me non inuenit rectè stantem, nec ipse in me rectos direxit lucis suæ radios.* & post nonnulla hæc magis explicans subiicit: *Cum verò rectè stetero ante eum, & non fuero obliquus in aliquo, neque declinauero ad dexteram, neque ad sinistram, sed fecero rectas semitas pedibus meis contra Solem iustitiæ incedens in omnibus iustificationibus eius sine querela, tunc & ipse me rectus respiciet, & nulla erit obliquitas nec causa despectus: & tunc reddetur mihi lux mea, & splendor meus.* Hæc Origen. quæ statim visibilis Solis imagine sic illustrat: *Sol iste quidem visibilis ea corpora, quibus à summo libramine insederit, infuscat, & vrit; ea verò quæ procul sunt, & ab ista colibratione longius posita conseruat in candore suo, nec omnino vrit ea, sed illuminat: Sol verò spiritualis, qui est Sol iustitiæ, in cuius pennis sanitas esse dicitur, econtrario eos quidem, quos rectè corde inuenerit, & ad iteram sui directos consistentes illuminat, & omni fulgore circumdat: eos autem*
qui obliqui incedunt cum eo, necessariò etiam ipse obliquè non tam respicit, quam despicit, hoc eis præstante inconstantia sua, & instabilitate; quomodo enim qui peruersi sunt, possunt suscipere, quod rectum est?* Hæc & plura Origen. vtraque Leuitici & Cant. verba inter se componens. Quî autem obliqui, siue torui huius Dei aspectus effectus sit, sic satis dilucidè ostendit Isaias c.64.6. *Ecce iratus es: & peccauimus, & facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersa iustitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium vniuersi.* Sed ne iam longiores simus in seq. adn. commodiùs hunc locum explicabimus. Isai.64.6.

Ad eadem verba, *Deus est enim qui operatur*, &c.

Adnotatio VI.

Strenuitate, & assidua virtutum exercitatione nobis opus esse, vt Dei in nobis gratia permaneat.

Millies hac de re egisse me memini, sed cùm magnum hac in re sit momentum ad æternam salutem consequendam, *mihi eadem dicere non pigrum*, vt cap seq. ait Paulus, quippe inculcare, quàm monstrare salubrius est. Et quidem cùm præcedentia verba, *cum metu, & tremore vestram salutem operamini*, sensum habeant communé, vt iam vidimus, cum illis Psal.2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite disciplinam*, eodémque ductu hæc in quibus sumus: *Deus est enim qui operatur in vobis, velle, & perficere*; cometire videatur, ac illa, quæ sequuntur in Vate, *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*, proprium huius loci esse, dixeris, admonere, ei qui in diuina gratia, & sub peculiari Dei protectione perdurare cupit, opus omnino esse, assiduis orationibus vigili obsequio, morúmque munditie diuinum beneplacitum promereri: nam, vt adnot. præced. citatus dicebat Chrysost. *sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur, sic etiam Spiritus sanctus in anima remissa, & segni permanere non sustinet.* Insaniuit certè Ethnicus ille, qui dixit, 1. Chrysost.

O faciles dare cuncta deos, eadémque tueri
Difficiles. Lucan.

quippe Paulo verissimè dicēti, *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* ad Rom.11.29. cótrarius esse voluit, sed enim, si attendis, sanus etiam, atque opportunus Lucani verbis sensus esse potest: is nimirú, Deum vt facilè, spontè, & gratuitò suam gratiam, & dona hominibus primitus conferre; ita non facilè & gratis ea conseruare velle, sed debita gratitudinis officia, & talenti quæstú ab illis exigere; aliàs gratiarum cessare decursum, vbi recursus non fuerit. Ita Bern. serm.1. in capite ieiunij, nec modò nihil augeri ingrato, sed & quod acceperat verti ei in perniciem. Et verò sub hoc sensu eleganter posita videtur vox illa *difficiles: etenim maioris difficultatis esse videtur, præsentia bona tueri, ac retinere* (sic Greg. Nazianz. orat.1. in Iulian.) *quàm absentia adipisci, minorisque negotij esse, sublatam ex oculis felicitatem studio, & cura recuperare, quàm præsentem conseruare.* Ita Gregor. Nazianz.

Formauit hominem propriis manibus Deus, vt ex illarum attactu homo Deum saperet: vt ad ea Genes. verba cap.2.7. *Formauit Dominus Deus* Genes.2.7.

hominem de limo terræ; sic scitè dixit Galfridus in [Galfrid.] allegoriis Gotfridi Tilmani: *Ex quo assumpsit hominem Deus, dignum prorsus, vt aliquatenus etiam Deum sapiat homo, & omnis eius operatio, sermo, cogitatio diuini aliquid timoris habeat, & amoris.* at [Genes. 2.15.] enim vix illum formauerat; cùm *tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Quid est *tulit*? siue quid opus fuit addere, *tulit*, cùm satis esset dicere *posuit*? Occurrit Ambros. lib. de paradiso cap. 4. pro verbo *tulit*, reponens *apprehendit*: sicque capiens, vt inde significetur, vix hominem fuisse creatum cùm ad virtutis profectum & bonorum operum exercitium, quo in primæ dignitatis gratia subsisteret, fuerit à Deo euoca- [Ambros.] tus. *Apprehendit ergo eum virtus Dei*, (ait Ambros.) *inspirans processus, & incrementa virtutum.* ac si diceret: Apprehendit eum, vt ipse apprehenderet disciplinam ne periret de via iusta; vnde statim: *Non idem est operari, & custodire: in opere enim quidam virtutis processus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quod quasi consummata custodiat: hæc duo ab homine requiruntur; vt & operibus noua quærat, & parata custodiat.* Ad quem modum lib. de Spiritu sancto in præfat. cùm de [Idem.] inclyto illo belli duce Samsone dixisset, *meritò fortior cæteris omnibus habebatur, quia eum Spiritus Domini dirigebat; quo duce solus nunc alienigenarum fugabat populos, nunc leonem, morsu inuiolabilis fortitudine insuperabilis discerptum manibus diuidebat*, sapienti voto subdit: *vtinam tam cautus ad seruandam gratiam, quam fortis ad superandam bestiam.* At enim verò, vt qui prior hac in re defecit, negligentiæ priùs argui debuit Adamus; à Dei enim virtute apprehensus, vt operibus noua quæreret, & parata custodiret, ipse ignauus pigérque seruus pro labore, somnum cepit. Quid inde? Imparatum tunc, & improtectum (nam vt dicebat super adnot. Basilius, *dormitantibus nobis, & pigrè agentibus dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs suáque inspectione indignos iudicans*) rapax lupus adoritur, miseréque ac infeliciter dilaniat. Docuit id nos eleganter Rupert. lib. 3. in Genes. cap. 13. dum figuratam Scripturæ locutionem, qua Deus meridiano somno quasi occupatus in- [Rupert.] ducitur illis in verbis: *Cùm audirent vocem Domini deambulantis ad auram paradisi post meridiem*, Ge- [Genes. 3. 8.] nes. 3. 8. premens, sic ait: *Culpandus ne est Deus, qui toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? Non vtique, sed tota culpa illius est, qui custodem suum dormire permisit; nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormiat, aut dormitet, inquietare debet. Vnde & per* [Isai. 62. 7.] *Prophetam spiritus eius dixit*, Isai. 62. 7. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, videlicet tota die, & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini. Hæc Rupert. Sed & Apostoli in Passionis nocte, vt Adæ imitatores, ita eiusdem culpæ, siue pœnæ participes, quippe percusso pastore dispersæ oues à lupo dilaniatæ [Matt. 26. 31. & 56.] sunt (Matth. 26. 31.) dum fugæ peccatum susceperunt, ea sanè de causa, quòd torpentes & dormitantes diuinum auxilium demeruerint: *adeò tentati sunt Dominum deserendo* (inquit Tertull. lib. [Tertull.] de orat. c. 8. dum premit illa verba, *& ne nos inducas in tentationem*) *qui somno potius indulserant, quam orationi.*

3. [ad Hebr. 12. 13.] Nec aliò certè id Pauli monitum ad Hebr. 12. 13. qui cùm dixisset, *Gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret; magis autem sanetur*: de cuius sententiæ explicatione vide superiùs dicta vers. præced. adnot. 3. num. 9. quæ huic instituto apprimè inseruiunt) subiicit, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*: vbi dum ab interpretibus ambigitur, quid sit aliquem deesse gratiæ Dei, sapienter ex Græco fonte ferè omnes respondẽt, idem esse, ac deseri à gratia Dei, *quasi dicat* (inquiũt [Iustin.] Iustinianus, Ribera, & alij) *ne quis destituatur, siue* [Ribera.] *deseratur à gratia Dei.* sed enim, si animum intendis, in primis id monitum gratiæ potius, quàm homini dandum erat; cùm ipsa sit, quæ deserat, homo verò qui deseratur; deinde longè diuersum est me ab aliquo deseri, siue destitui, ac me illum destituere, siue deserere vt actiua à passiua significatione longè differt: & quidem verbum *desit*, Græcè etiam actiuam habet significationem, ὑστε- [Lect. Græca.] *[illegible]* enim propriè est, aliquid alicui deesse, vt Matth. 19. 20. *quid adhuc mihi deest?* & Luc. 22. 35. [Matt. 19. 20.] *Nunquid aliud defuit vobis?* vnde & Erasmus appo- [Luc. 22. 35.] sitè legit: *Ne quis sit, qui deficiat à gratia Dei*; & Ribera sapienter explanat: *Deesse autem gratiæ Dei ille dici solet qui Dei vocationi & inspirationibus minimè respondet*: Quî ergo idem fuerit hominem gratiæ Dei deesse, & gratiam deesse homini? respondet Bernard. serm. de triplici custodia: *Omnes* [Bernard.] *nobis causamur deesse gratiam, sed iustius forsitan ipsa sibi queratur gratia deesse nonnullos.* ac si cum Concil. Trident. dicat Deum neminem deserere, quin priùs deseratur ab illo. ergo ex vtraque lectione is sensus coalescit, eum qui gratiæ Dei deest, qui videlicet ipsius inspirationibus ad noua virtutis incrementa eum impellentibus non respondet; præsertim verò minores culpas non auersatur (quod voce sanctimoniæ notanter monuit Apostolus; eam enim meliores interpretes sic exponunt, vt sit ea animi puritas, qua leuiora peccata fugimus) ab ipsa tandem gratia destitui. Quod si Græcum verbum, necnon Pauli sensum plusculum premas; videris imaginem ab iis, qui iter simul agunt; quorum alter diligens, ac strenuus, alter ignauus imbecillis & claudicans sit, esse desumptã; hic etenim dum æquis passibus strenuum viatorem non sequitur, in via remaneat, atque deficiat; tam ab alio destitutus, quàm ipse ab illo deficiens necesse est: certè sub hoc sensu rectè ex Græco legeris cum Guillelmo Estio, *ne quis sit deficiens a gratia Dei*; [Guil. Estius.] addens ex Iustiniano, *vt ὑστερεῖν dicatur ille qui in* [Iustin.] *cursu deficit, nec præeuntem assequitur*; ac si moneat Apostolus, (quod ex immediatè antecedentibus verbis, *gressus rectos facite pedibus vestris*: necnon ex iis, quæ præmiserat. *Remissas manus & soluta genua erigite*, fit manifestum) adeò strenuè ad currendum cum gratia quotidianos virtutis profectus inspirante vos comparate; vt minimè in cursu consistatis; ipsa siquidem ad tardum vestri gradum ambulare non patietur, imò vos transiet, atque præcedet: quod breui sic præstrinxit in commentario Chrysostom. *Attendite ne quis ve-* [Chrysost.] *strum remaneat*; luculentiùs verò Bernardus in [Bernard.] allegoriis Gotfrid. Tilmani ad cap. 12. Ioannis cùm de variis hominum sortibus, qui Christum non assequuntur, siue quòd à Christo fugiant, siue quòd ipsi præcedant, siue quòd ignauè sequantur, sic agens. *Quidam sunt, qui non sequuntur Christum, sed fugiunt; alij non sequuntur, sed præeunt, nonnulli sequuntur, sed non assequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui nec dum peccare desistunt, de quibus scriptum est*, omnis qui malè agit, odit lucem; *& Propheta*, qui elongant se à te, peribunt. *Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententias suas præferunt. Quorum imaginem tenebat Petrus, cùm pro [illegible] volente pati Dominũ increparet, dicens.*

P. Anton. Velasq in epist. ad Philip. tom. 2.

dicens: Absit hoc à te Domine; tandem subiicit, *sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter, ac remissè agunt, vel vsque in finem non perseuerantes de medio itinere auertuntur; talibus dicit Apostolus*, remissas manus, & genua soluta erigite. Sic ille.

4. Eccles.2.7. Adiungo Ecclesiastici verba c.2.7. monentis: *Metuentes Dominum sustinete misericordiam eius, & non deflectatis ab illo, ne cadatis.* & quamuis idem omnino sensus subsit his verbis, *ne deflectatis ab illo*, ac illis, *ne quis desit gratia Dei*; priùs obseruare oportet peculiarem illam locutionem, *sustinere misericordiam eius*; inquiet enim non nemo, potiùs fuisse dicendum, amplexamini misericordiam, siue sustinete iudicium: vt enim misericordia obuiis manibus suscipitur, ita sustineri non dicitur, nisi id quod graue, & ponderosum est; vti de dira damnatorum punitione, & cruciatibus agens Iudas v.7. B. Iudas in sua Canonica v.7. dixit: *Ignis aeterni poenam sustinentes*; & de acerbissimo crucis Christi ad Heb.12.2. supplicio Paulus ad Hebr. 12. 2. *sustinuit crucem*; ad quem modum de graui tribulationum suarum 2. ad Tim.2.10 & c.3.11. pondere idem Apost. 2. ad Tim. c.2.10. *Omnia sustineo propter electos.* & cap.3.11. *quas persecutiones* Ierem.6.11. *sustinui.* & Ierem. 6.11 *laboraui sustinens*, & 20.9. Ierem.20.9 *defeci, ferre non sustinens*; & eodemmet loco Eccl.2.4. Eccles. 2.4. *Omne quod tibi fuerit applicitum accipe, & in dolore sustine*; verùm praeterquam, quod scitè Bernard. dicebat Bernard. citatus vers. praeced. adnot. 2. n. 2. *Onerat nos, cum exonerat Deus; onerat beneficio, cum exonerat peccato: vox onerati, Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* &c. ad manum est responsio, diuinam misericordiam, siue gratiam; humeris, id est, laboribus, & operibus sustinendam; siue instar tecti domus, fulcris, siue columnis fulciendam esse,

Iuuenal. *Ne coll ipsa ruant subductis tecta columnis.*

Cant.2.5. Id quod bene nouerat sacra sponsa, cum Cant. 2. 5. dicebat: *Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo*; siue, vt LXX. habent: LXX. *Confirmate me in vnguentis, & stipate me in malis, quia vulnerata charitatis ego sum*; satis indicans, eò quòd charitate recenter vulnerata esset; fulcris, & sustentaculis virtutum indigere, ne à proposito & rectitudine deficeret, hoc enim per flores iuxta nostrum vulgatum, siue per vnguenta, vt reddunt LXX. omnino significatur. Accipe fideiussorem Gregor. Nyssen. homil. 4. in Cant. vbi dum Gregor. Nyss. vnguentum ad virtutem sic refert: *Virtus enim est vnguentum, quoniam est seiuncta ab omni tetro odore peccatorum.* in hunc modum haec verba explicat: *Fulciri quippe rogat vnguentis ad obtinendam bonorum firmitatem.* Fulcite me (inquit) vnguentis. *O admirabiles columnas! & noua fulcra! Quemadmodum sunt vnguenta, columnae domus? quemadmodum firmissima tecti constructio nititur bene spiranti odore? An non planè perspicuum est, quod quae multifariam à multis exercentur virtutes pro varietate operationum etiam nominantur: virtus enim est non solum bonum intueri, & esse participem eius, quod est melius, sed etiam immutabilitatem in bono conseruare. Qui ergo vult fulciri vnguentis, quaerit sibi adesse firmitatem in virtutibus.* Haec ille.

5. Nec discrepat alter sapiens ab altero, dum Salomon de anima amore saucia; Ecclesiasticus verò de metuentibus Deum loquitur; quippe magnus amor magis formidat, & vt de Christi sponsa ex Ambros. serm. 11. in Psalm. 118. alibi dixisse Ambros. me memini: *Sancta anima nescit aliud desiderare quàm sponsum, qui est Christus IESVS: illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis viribus intendit, illum mentis gremio fouet, illi se aperit, effundit: & hoc solum* *veretur, ne illum possit amittere.* haec ergo quae tam ardenter amat, vt amore langueat, siue vulnerata charitatis sit. dum veretur, ne sponsum amittat: eius misericordiam virtutum fulcris, atq; columnis sustinere satagit; est enim ex illis, qui contemplantur, ne desint gratiae Dei: quibus mirè assonat ea verba: *Non deflectatis ab illo ne cadatis*, eò enim in primis eunt, vt iustus à recto virtutis tramite, siue etiam à continuis virtutum processibus, quos virtus Dei, quae eum manu ducit inspirat, vt dicebat Ambros. non discedat, ne illa longis itineribus tendente, ipse ignauè remaneat, & gratia Dei frustretur: deinde, vt eos etiam, qui in culmine virtutis videntur collocati, pungat Sapiens, vt gratiae Dei, quae ad noua virtutum incrementa indesinenter impellit, se non subtrahant; ne ab aedificij culmine, quod bonis operibus sustinere, & fulcire nolunt, deturbentur; sic dicebat Leo serm. 5. de Quadragesima adnot. 1. adductus; *quia rationales lapides sumus, & viua materies, sic nos auctoris nostri exstruit manus, vt cum opifice suo, etiam is, qui reparatur, operetur: gratiae igitur Dei obedientia se humana non subtrahat, ne ab illo bono, sine quo bona esse non potest, deficiat.* ac si dixerit; caueamus, ne Leo Mag. dum Dei manus ad maiores virtutis profectus, & nouos in spirituali aedificio gradus nos prouocat, atque vrget, ipsi huic studio negligentia, & torpore nostro nos subtrahamus; ne dum iratus ille manum auertit, ab ipsomet aedificij culmine nos proturbet. Quam ad rem sic sapienter loquitur S. Valer. homil. 11. *Nunquam enim deserit Dominus voluntatem religionis studio florentem, nec desunt solatia diuinitatis, vbi sunt actus bonae conuersationis. Tunc sanè nos bona deserunt, cùm deteriora succedunt, quia non dubiè diuino auxilio destituimur, postquam iniquitatis desiderijs occupamur.* Ita ille. S. Valer.

6. Ille verò signatissimus Pauli locus est 1. ad Corinth. 15. 10. vbi de semetipso sic inquit: *Gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboraui.* 1. ad Cor. 15. 10. Quae verba cum aliis eiusmet Apostoli sic sapienter componit, & elucidat Bernard. serm. 54. in Cant. *Cum adest* (de gratia loquitur) Bernard. *time, ne indignè opereris ex ea. Nam hoc monet Apostolus.* Videte, *inquiens*, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; *& ad discipulum*: Noli, *inquit*, negligere gratiam Dei, quae in te est; *& de semetipso aiebat*: gratia Dei in me vacua non fuit. *Sciebat homo consilium Dei, habens redundare in contemptum donantis donum negligere, neque expendere ad quod donatum est; idque intolerabilem esse superbiam, indicabat; & propterea studiosissimè hoc malum, & ipse cauebat, docebatque cauendum.* Sic ille. Bene, *ne indignè opereris ex illa*; & illud: *neque expendere ad quod donatum est*; quippe hoc signatè seruum bonum, à pigro & nequam discriminat, quod ille in datis sibi talentis operetur, & quaestum faciat; hic commissam sibi pecuniam otiosam, & in sacculo repositã habeat. At enim duo in praefatis Pauli verbis est operae pretium obseruare: alterum ab Ecclesia in officio eiusdem Apost. sic peculiariter efferri; *Gratia Dei in me vacua non fuit: sed gratia eius semper in me manet*: vbi dum pro illis verbis aduersatiuae particulę subiectis: *sed abundantius illis omnibus laboraui*; reponitur; *sed gratia eius semper in me manet.* meritò ambigas, cur haec vt aduersa sententia opponatur illi: *gratia eius in me vacua nõ fuit*: nec enim videtur opponi, *vacuam gratia esse*: & apud aliquẽ *manere*; sed potiùs, *vacuã gratiã habere*, & *abundantius laborare*; vt locutus est Paulus; siue, *illã manere*, & *non manere.* Attamen eleganter & emphaticè à Pauli vocibus, quàm à sensu haec immutata sunt: nam procul

proculdubio pro vna eadémque re positum est, laborare cum gratia; ac gratiam in homine permanere; quòd aliter illa non permaneat, quia (vt dicebat Chrysost.) *Sicut in velum laxum ventus incidens nihil operatur; sic etiam Spiritus sanctus in anima remissa, & segni permanere non sustinet.* Vnde egregiè subsistit antithesis inter gratiam vacuam & non permanentem; Pauli sententia expressa, & aucto eum in modum censu, vt sensus sit, non aliter manere gratiam nisi dignè opereris. ex illa: *Gratiarum enim cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat vertitur ei in perniciem*, inquit sapienter Bernard. serm. 1. in cap. ieiunij.

Chrysost.

Bernard.

7\. Nec minus dignum obseruatu alterum est, Ambrosianum videlicet in commentario, necnon Ennodium Ticinensem ad Constantium peregrino modo hæc Pauli verba sic legisse: *Gratia Dei in me egena non fuit*. vnde nouitate perculsus Iustinianus. *Non possum* inquit, *diuinare, quid Græcè legerit Ambrosius qui hoc loco ait*, gratia eius egena in me non fuit At enim satis sese ipsemet Ambrosiaster explicuit, subdens, *quia non propter quod persecutus est, minorem gratiam in Apostolatu accepit*; sed vereor, ne laudem, quam in accurata & exquisita lectione adeptus ille fuerat, explicando perdiderit: id enim vt à communi sensu, ita à Pauli contextu longè it. Quid ergo fuerit, gratiam Dei in Paulo egenam non fuisse; pulchrè hoc explanat Ennodius: *Quod dixisse est: Christus in me, quem dignè, aut abundanter munerauerit, inuenit, non enim pauper est diuina gratia, sed meritorum nostrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari, quæ tunc non suis æstimatur meatibus fouere, quando de suis cursibus ariditatis nostra vena nihil recipit.* Preme elegantem imaginem illis intertextam verbis, *meritorum nostrorum putatur quadam macie. aut exilitate tenuari*; ipsa nimirum ex se pinguis, florens, atque decora, dum à nobis negligitur, nec in id ad quod donata est, expenditur, dum vacua habetur, ac otiosa, macie, ac squalore confici, imminuique videtur. Quid ergo mirum, si gratiarum cessauerit decursus, vbi recursus non fuerit? Quid ingratus possit causari?

Ambros.
Ennod.
Iustinian.
Ambros.
Ennodius.

Seneca. *——faciles dare cuncta deos, eadémque tueri Difficiles.*

Opportunius sanè huic rei Seneca lib. 4. de benef. c. 34. & 35. interrogabat: *Si promiseris te daturum beneficium, & postea ingratum esse scieris dabis? an non?* post multa verò quæ vel ex Stoicorum, vel ex suimet sententia, vt rem hanc vndequaq; verset, luculenter affert, sic tandem concludit: *Omnia esse debent eadem, quæ fuerunt, cum promitterem, vt promittentis fidem teneas. Quæ autem maior fieri mutatio potest, quam si te malum virum. & ingratū comperi? quod tanquam digno dabam, indigno denegabo, & irascendi quoque causam habebo deceptus.* Quæ nostro instituto sic accommodes ex Bernardo serm. de septem misericordiis: *Nónne enim iure perditum reputatur, quod ingrato donatum est, aut dedisse non pœnitet, quod perisse videtur? oportet proinde gratum esse hominum, & deuotum, qui percepta gratiæ munera non modò manere sibi desideret, sed & multiplicari.* Ita ille.

Bernard.

8\. Ostendo tibi Deum ingrato infensum, & iratum, & quòd tanquā digno dabat, indigno denegantem, apud Ioan. Apocal 3. 16. vbi Laodiceno Episcopo hæc inquit, *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* quibus in verbis præter pluta, quæ in hanc rem congerunt Patres, & interpretes, obserua, in eo cardine Dei minas, atque iram

Apoc. 3. 16.

verti: vt talem se ei Deus exhibeat, qualem ipse in se tepidum illum experiebatur. Vomitum enim, atque nauseam ex defectu caloris stomachi siue ex illius tepiditate prouenire, non abs re dixeris: ergo vt grato, & in diuino obsequio feruenti, feruentem in eo confouendo, & denuo munerando se præbet Dominus, ac si illum in se ipsum tanquam optimè conditum, & gustui opportunum cibum plus traijciat, ita cum tepido, tepide tanquam is qui minus foueat, & foueat, se gerit. Hinc illud prouenit, *incipiam te euomere*; quòd videlicet non subitò, & velut vno ictu à gratia deseratur, atque in grauiora crimina repentè ruat, sed potiùs sensim, ac paulatim delabatur, dum meritorum nostrorum quadam macie, aut exilitate gratia sic tenuari, atque egena, & imbecilla reddi videtur, vt labenti homini manum efficaciter adiutricem, ac valenter opitulantem quodammodo porrigere non valeat, eo modo quo tepidus, ac debilis stomachus ingestas sibi escas concoquere, ac retinere non potest: vnde ad hæc verba Richard. Victorin. *Notandum, quod non dixit euomam, sed* incipiam euomere, *quia qui per teporem resoluitur, non subitò nec ex toto a gratia deseritur, vt raptim ad malum relabatur sed gratia deserente, & ipso primum minima, deinde maiora contemnente paulatim succiditur, & gradatim a summis ad ima descendit. & tandem præcipitanter ad ima ruit.* Sic Richard.

Richard.

9\. Adiungo indicatum præced. adnot. Isaiæ testimonium c. 64. 6. *Ecce tu iratus es, & peccauimus, & facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium vniuersi.* en animam à summis ad ima, fœda, turpiáque ruentem. Sed quid sibi vult illud, *iratus es, & peccauimus?* Num diuina nos ira impelauit? & ad peccatum impulit? senserunt hunc aculeum antiquiores interpretes apud Cyrillum Alexand. & ne Deum peccati auctorem vllo modo facerent; Prophetæ verba ad hunc modum transposuerunt: *Peccauimus, & iratus es.* Audi Cyrill. *Visum est quibusdam interpretum alium sensum his verbis apponere; inuerterunt enim dictionū ordinem, & sententiarum vim, & ad hunc modum se habeat, quod dictum est.* Ecce nos peccauimus, & tu iratus es nobis. *Non enim inquiunt, causa illis delinquendi fuit ira diuina, at, quia illi furiosè debacchati sunt, Deus iratus est: timent enim, vt videtur, necubi peccati auctor diuinus furor intelligatur.* Pia quidem, sed valde importuna interpretandi ratio, quo enim iure sententias transponere, & dictorum seriem interuertere possis? Id ego corrigere, non interpretari dixerim: ergo stat diuina sententia: *iratus es, & peccauimus*; non quòd ira diuina hominem ad peccandum inducat, sed quòd tepidis ob illorum negligentiam, & ingratitudinem iratus Dominus, incipiat eos euomere, grandiora illis auxilia paulatim subtrahens, donec à summis ad ima decidant. Sed hæc optimè inibi tradidit Cyrillus: *Illud arbitror dicendum esse, iram diuinam propterea condemnari non debere, si qui ei sunt obnoxij, non satis virium habeant ad effugiendum peccati insultū. Quamdiu enim seruator in nobis voluptatem capit peccatum vincimus, & à vitiorum sordibus recedentes spiritualis fortitudinis insignibus strenuè coronamur: at vbi fortitudinis suppeditatorem exacerbamus, indebilitatem corruimus & infirmam, ac remissam mentem nostram inuenimus. Deus enim est virtutum Dominus.* Hæc ille, quæ variis sacræ paginæ testimoniis abundè confirmat.

Isai. 64. 6.

S. Cyr. Alex.

10\. Hinc de se ipso Dauid Psalm. 131. 4. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem;* *denec*

Psal. 131. 4.

I 3

donec inueniam locum Domino : notanter tum somnum, hoc est, noxium sæculi amorem, prophanas, & turpes cupiditates; tum dormitationem, hoc est, tepiditatem, & inter virtutes, & vitia fluctuationem à se repellens; quòd à dormitatione ad somnum, à remissione scilicet animi, ac negligentia ad peccatum deueniatur, sic hunc locum capiente Augustino in commentario: vbi dum
Augus. priùs somnum sic explicat, *Omnes istæ felicitates sæculi, quæ videntur, somnia sunt dormientium, & quomodo qui videt thesauros, in somnis dormiens diues est, sed euigilabit, & pauper erit, sic omnia ista bona huius sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent, quando nollent si modò non vigilant, quando vtile est, & inuenient, somnia illa fuisse, & transiisse, sicut dicit Scriptura*, Velut somnium surgentium: statim de dormitatione sic differit: *Sunt autem quidam, qui non dormiunt, sed dormitant aliquantulum, retrahunt se ab amore temporalium, & rursus reuoluuntur in eum, quasi dormitantes caput crebro inclinant, euigila, somnum excute, dormitando casurus es. Non vult Psalmus, oculis suis dare somnum, nec palpebris suis dormitationem, eum, qui vult inuenire locum Domino.* pende illud, *dormitando casurus es.* Quare? quia *dormitantibus nobis, & pigrè agentibus*
Basilius. (vt aiebat Basilius) *dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs, & inspectione indignos indicans.* Ita quidem
Deut. 32.35. ipse Deuter. 32. 35. dicebat: *Ego retribuam eis in tempore, vt labatur pes eorum.* Quid? retribuet ne eis lapsum, ac peccatum Deus? Minimè; quid ergo? Disce ex lectione Hebræa quæ habet, *In tempore quo nutabit pes eorum.* Similiter LXX. *cùm labetur pes eorum*; ac si diceret, dignam illis pœnam rependam. qualem? vt quemadmodum in mei obsequio ipsi segniter, & remissè se gesserunt; signatè verò, mihi in paupere, & egeno esurienti, atque sitienti opem non tulerunt; ego etiam cùm illi in lubrico fallente vestigio lapsauerint efficaciosa auxilia subtrahens labi, atque cadere permittam. Quæ ob oculos habens Paulinus epist. 32. ad plebem de eleemosyna, sic sapienter mo-
Paulinus. nebat. *Multa præterea nobis in hoc sæculo cruces, innumera discrimina, morborum labes, febrium ignes, & dolorum tela grassantur, in animas cupiditatum faces accenduntur, vbique prætenti latent laquei; vndique stricti horrent gladij inter insidias, & pugnas vita transigitur, & per ignes doloso cineri suppositos ambulamus. Igitur prius quam in aliquam tantarum ægritudinum labem casu, vel merito actus incurras, festina medico susceptus, & charus fieri, vt in tempore necessitatis paratum habeas remedium salutis*: vt nimirum cùm lapsaueris, manum porrigat, & à lubrico ad planum transferat.

II. His apta Christi verba, atque rationem, qua seruo nequam conuicto, atque damnato totam talentorum parabolam sic conclusit, sitne illustra-
Matt. 25.29. uit. Quia *omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo*, Matth. 25. 29. siue, vt est apud Lucam c. 19.
Luca 19.26. 26. *Et quod habet auferetur ab eo.* Quòd si inquiras, quis hic sit? qui non habet; & qui à non habente, auferri aliquid possit. nam si aliquid ei demi potest, nequit dici, cum non habere, cùm id quod ei demis iam habeat. Respondet optimè
Maldon. Maldonat. in Matthæum sensum esse, non *quidem generaliter omni habenti auferri, sed omni, qui plus habet gratia, quam acceperat, quia eam adhibita diligentia multiplicauit, maiorem quoque dari gratiam, & omni qui gratiam quam accepit, non multiplicat, sed otiosam, & inutilem retinet, eam ipsam, quam habet gratiam auferri, quia indignum se reddidit vt haberet*, atque ideo cùm dicitur, *qui non habet*, non de gratia, sed de lucro, hoc est, de gratiæ incremento, cùm dicitur, *quod habet auferetur ab eo*, de ipsamet gratia quam otiosam habebat, sermonem esse. Vnde Matthæus noluit absolutè dicere, *quod habet auferetur ab eo*, sic quæsita locutione, *quod videtur habere*, non solùm, quòd (vt idem Maldonat. inquit) seruus ille, qui pecuniam in terram defoderat, perinde pecuniam habebat, ac si non haberet, quia otiosa, & inutilis erat, sed etiam quòd, dum otiosam habebat, indignè haberet, siue indignum ea se reddiderit, ac proinde ac si illius iam expers esset existimandus. Sed à Salomone videntur esse desumpta. Prouerb. 11. 16. dicente, *Robusti* Prou. 11.16.
habebunt diuitias; siue, vt Caietan. legit, *fortes fulcient diuitias*, quam quidem sententiam LXX. Caietan. LXX.
in vtramque partem sic explicarunt. *Diuitiarum pigri fiunt indigni, fortes autem nituntur diuitijs.* Pende singula, & extrema primùm, pulchrè siquidem fortes diuitiis inniti dicuntur, quia dum ex gratiæ talento debitores se quæstus, ac lucri agnoscunt, ex lucro lucrum, & ex quæstu, quæstum facere student. Audi Faustum Rhegiensem Antistitem in institut. ad monachos tom. 2. Bibl. vet. Patr. præfata verba, *omni habenti dabitur, &* Faustus.
abundabit: ita prementem, *Gratia ergo de gratia nascitur, & professus profectibus seruiunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, vt quanto quis plus acquirere cæperit, tanto plus conetur adquirere, & quanto auidiùs de sapientiæ bonis hauserit, tanto plus haurire desideret, sicut ipsa de se loquitur Sapientia*, Qui edunt me, adhuc esurient. Ita Faustus. Et verò adeò illis hoc tam ardés studium, est necessarium, vt si secus faciant, diuitiarum thesauro se fraudent: eò enim it lectio illa Caiet. *fulcient diuitias*: Caietan.
quasi ex virtutum fulcris, & sustentaculis ne labantur, & ruant, vt num. 4. ex Ecclesiastico dicebamus, opus habeant: sed illud expressiùs, & luculentiùs quod addidere LXX. *Diuitiarum pigri fiunt indigni*, quòd ipsas non pro merito & dignate tractent: sic infidelis Labani diuitias optimo merito ei ademptas, sibique & filiis suis adscriptas gloriabatur Rachel Genes. 31. 16. dicens: *Deus* Gen 31.16.
tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filijs nostris, hæc ad spiritualem sensum ad hunc modum trahente Ambros. epist. 3. *Meritò à Deo arbi-* Ambros.
tro dicuntur, esse sublata, quia ipse est auctor bonorum, cuius gratia ignaui exuuntur, quia decorem hæreditatis diuinæ capere improbi, atque infirmi non queunt: succedit autem intentus, & spiritum in se fortis habens; quis autem fortis, nisi solus Deus, qui omnia coërcet, & regit? His ergo debetur hæreditas Dei. Ita Ambros.

VERSVS XIV.

Omnia autem facite sine murmurationibus, & hæsitationibus.

HÆc ita cum præcedentibus con- I.
iungit Iustinianus, vt quoniam Iustinian.
Paulus dixerat, Deum gratiæ suæ potestate, atque efficacitate efficere, vt velimus, & agamus, modò ne liberum arbitrium, ac diligentia nostra excludatur, subdat, *omnia autem facite*, &c. ac si dicat; ita quidem operatur Deus in vobis velle, & perficere, vt vestrū [illegible] neque

neque enim tanquam muta, & irrationabilia instrumenta humanas flectit ipse voluntates. Aliter Anselm. Anselmus, inquiens. *Hic adiungitur predictæ humilitati patientia. Superius enim dictum est*, cum timore, & tremore vestram salutem operamini, *& nunc præcipitur, vt sine murmure cuncta faciatis.* Ego verò ad illa vers. 12. verba, *sicut semper obedistis, non vt in præsentia mihi tantùm*, ex ea quam germanam existimo murmurationum & hæsitationum expositione, hæc potissimum esse referenda, mihi persuadeo.

Omnia autem facite.

2. Hieron. Hieronymus; siue is qui tāti Doctoris nomine gratiā, & splendorē scriptis suis cōciliare voluit, in epist. ad Demetriad. tom. 9. cùm hæc Pauli verba citasset, ex illis virginem ita monet. *Remoremur hîc virgo paulisper, & pretiosissimas margaritas, quibus exornanda est sponsa Chisti per singula Apostoli verba pensemus:* omnia, *inquit*, facite; *non enim quasi ad arbitrium nostrum quædam ex mandatis Dei debemus eligere, sed generaliter vniuersa complere, nec aliqua præcepta eius, quasi vilia munuscula, ac parua contemnere, sed imperantis in omnibus maiestatem aspicere. Nullum quippe mandatum Dei contemptibile nobis videri potest, si eius sæpè cogitemus auctorem.* Sic ille, & ad eius gustum Bern. serm. 1. in Conuers. sancti Pauli; ac si hæc ipsius verba præ manibus haberet, de ijs quos pusillanimes, & peruersè obedientes appellat, ita conqueritur. Bernard. *Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt, obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & diiudicant, eligentes in quibus obediant imperanti, immò in quibus præceptorem suum, ipsorum obedire necesse sit voluntati.* Hæc Bernardus.

Sine murmurationibus.

3. Biblia Reg. Regij codices pro γογγυσμῶν *murmurationibus*, habēt ὀργῆς, id est, *ira*, quòd, vt inquit Iustinianus, quibus irascimur, eorū dicta, factáque curiosiùs rimamur, & facilè carpimus, ac reprehendimus: verùm id longè pretium videtur, illegitimámque eam lectionem esse, inde liquet, quòd non nisi apud Regiam (vbi frequentiores iræ) reperiatur, & cum sequenti voce malè hæc hæreat: igitur Græcè & Latinè legendum est, *sine murmurationibus*. At, sub quo sensu? Respondent Iustinian. Græci Patres, & ex interpretibus Iustinianus & alij, velle Paulum abesse murmurationes, quibus aliorum vita, & facta perstinguntur. *Ostendit* (inquit OEcumenius) OEcumen. *quòd multi erant impugnantes, & ad murmurationem inducentes: sed hoc, inquit, præclarum est, vt is, qui vellicatur, non murmuret, neque in dubium, aut hæsitationem cadat.* Similiter Theophylactus, & Chrysostom. qui, etsi communem sensum hæc habere existimat cum illo monito 1. 1. ad Cor. 10. 10. ad Corinth. 10. 10. *Neque murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt*; acutè inquirit, cur cùm Corinthiis adimere hunc morbum voluit, Israëlitarum, qui ob illum à serpente percussi & exterminati sunt, mentionem fecit; hîc verò nihil huiusmodi attulit, sed id simpliciter præcepit? Sic verò in egregiam Philippensium laudem, & honorem respondet: Chrys. *Nimirum quoniam illi ab hoc morbo iam fuerant occupati, quamobrem altius inferre vulnus necesse habebat, ac vehementius obiurgare. Hic verò ne se occupari sinant, monet. Igitur erga eos, qui nondum peccarant superueniam erat detioribus verbis vti, quò sibi cauerent. Nam, & ad animi humilitatem adducens non attulit exemplum illud ex Euangelio, vbi superborum supplicium narratur, sed ab exemplo Dei admonitionem duxit, ipsisque omnino vt ingenuis loquitur, vt legitimis filijs, non vt famulis.* Adhibet optimam rationem. *Etenim ad virtutem sequendam is, qui bona, & generosa mente præditus est, exemplo eorum qui rectè se gesserunt, adducitur. is verò, cui mala mens, ac malus animus: eorum exemplo, qui virtutis munera non obierunt: ille honore, hic supplicio.* Hæc Chrysost.

Non placet nonnullis hæc interpretandi ratio; vel ob hoc solùm, quòd existimār, non esse ex decore, & maiestate perfectorum, quales erant Philippenses; maximè post sublimiora illis consilia ab Apostolo adhibita, de eo vitio admoneri, quòd ab ipso virtutis limine arcetur, nec nisi in imperfectos, & tyrones cadit. Vnde malunt, murmurationes has sub passiua significatione capere; quasi ad omnimodam puritatem eos vrgens Paulus dicat: Omnia adeò sanctè, atque perfectè facite, vt nemo quidquam habeat quod vobis obiiciat; aut vnde murmurandi ansam arripere possit. Sed si verum fateor, mihi vterque explicandi modus quasi Pauli verbis parum consentaneus, æquè displicet: & priorem quidem non improbo, ob rationem, quam alterius explicationis auctores afferebant; alienum omnino à viris spiritualibus esse, aliorum mores perstringere, & noxio dente carpere; contrarium enim nobis suadent Chrysostomus, & Theophylactus hoc loco, his vterque verbis: *Diabolus quoniam nequit nos à bene factis abducere, alia via conatur mercedem nostram inanire: aut enim vanam gloriam, aut arrogantiam inducit, aut si nihil horum, murmurationem.* Hæc Chrysostom. & scimus, quia verum est testimonium eius. Sed ideo non probo, quòd hic sensus verbis Pauli non respondeat: aliud est enim, si intendis animum, *ne murmuraueritis*, vt ad Corinthios ipse dicebat; aliud, *omnia facite sine murmurationibus*. nam vt illa admonitio ad interdicendum murmurationis vitium it, ita hæc locutio ad aliquod aliud monendum, cui murmuratio intermisceri non debeat, potissimum tendit: quod inde collige quòd nullus esset loquendi mediocriter gnarus, qui vt in detractionis peccatum inueheretur his Pauli verbis vteretur; sed potiùs illis ad Corinth. Sed id ex veriore explanatione fiet ampliùs manifestum. Posterior verò expositio inde facile conuellitur, quòd, & præter omnium sensum voluntariè conficta sit, & Apostoli vocibus, & modo dicendi manifestam vim faciat. Ecquis enim sanæ mentis, vt alium moneret ne cui aliquam irascendi occasionem daret, hæc verba vsurparet, Omnia fac sine ira. 4.

Probabiliores sunt, quas vna ex parte August. 5.
ex alia Theodoret. Primas. Ambros. & S. Thomas August.
afferunt explicationes; ille enim præfatione in Theod.
Psalmum 93. dum Psalmi titulum, qui est, *Psal-* Prim.
mus ipsi Dauid quarta Sabbatorum, cum hoc Pauli Ambr. S. Thom.
loco componit de murmurationibus erga diuinam prouidentiam ob bonorum labores, & impiorum felicitatem eo modo, quo apud Romanos Syllanis temporibus: *vnum erat deorum crimen* (inquit Seneca in consolat. ad Marciam cap. 12.) Seneca. *Sylla felix*: dum videlicet vulgi voces Deum accusabant ob immeritam crudelissimi hominis felicitatem; sic capit. *Quarto die luminaria fecit Deus* August. *in cælo, solem in potestatem diei, Lunam, & stellas in potestatem noctis. Hoc quarto die fecit. Quid ergo sibi*

vult, quòd de quarto die accepit Pſalmus titulum? In quo Pſalmo docetur patientia aduerſus felicitates malorum, & labores bonorum. Habes Paulum Apoſtolum dicentem ſanctis fidelibus roboratis in Chriſto. Omnia facite ſine murmuratione, & diſceptatione, vt ſitis irreprehenſibiles, & ſynceri, immaculati filij Dei in medio nationis tortuoſæ, & peruerſæ, in quibus apparetis ſicut luminaria in mundo verbum vitæ habentes. *Similitudo de luminaribus data eſt ad ſanctos, vt ſine murmuratione ſint in natione tortuoſa, & peruerſa.* Hæc Auguſt. Quibus opportunè nectes, quæ de bonorum laboribus & aduerſitate eadem murmurationis locutione vſurpata dixit Seneca ep. 107. ad hunc modum. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui imperatorem gemens ſequitur. Quare impigri, atque alacres excipiamus imperia, nec deſeramus hunc operis pulcherrimi curſum, cui quidquid patimur intextum eſt.* Quam ſtatim ad rem hos Cleanthis Stoïci Philoſophi verſus adducit, ac celebrat. Seneca.

Cleanth.
Duc me parens, celſique dominator poli,
Quocumque placuit; nulla parendi mora eſt;
Aſſum impiger: fac nolle, comitabor gemens.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.
Maliſque patiar, quod pati licuit bono.

Poſt quæ, hæc ſubiicit: *Sic viuamus, ſic loquamur, paratum nos inueniat, atque impigros fatum. Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit; at contra ille puſillus, ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mauult deos quàm ſe.* Ita Seneca.

6\. Ambr. Opportuniùs, & à Pauli ſcopo vix tantillum aberrantes Theodoret. Ambroſius, Primaſius, & S. Thom. has murmurationes, ad eas querimonias, quas de virtutis difficultatibus, ac Chriſtianæ diſciplinæ laboribus haberi, ſolent; quas ij, qui remiſsè, & negligenter in ea exercent, maximè vſurpant, generaliter referunt. S.Thom. *Opera enim virtutum* (inquit S. Thomas) *ſunt difficillima, & in iis habet locum murmuratio.* ergo ſub perſona Pauli ſic inquit Theodoretus. Theod. *Prompto, & alacri animo ferte labores, quos pro virtute ſuſcipimus, quæ pro Euangelio adeuntur pericula, & moleſtias, ac difficultates, quæ tolerantur æquo animo ferentes, nec diuerſis quidem cogitationibus, & rationibus vtentes. Vobis enim diuitias congregatis. Nemo enim maxima lucra colligens ægrè fert, & murmurat.* Similiter Ambroſ. addens, hiſce querelis virtutum ſaporem, ac ſuauitatem magna ex parte obtundi, atque deperdi; Ambroſ. ſic enim ille: *Vt fidei, & operum ſuorum fructus poſſint habere, commonet, vt omnia, quæ ad diſciplinam pertinent Chriſtianam, ſine hæſitatione faciant, & murmurationibus, quia ſi negligenter, & indeuotè aliquid agitur, ad effectum non perueniet, quia in reprehenſionem cadit, ſed vt omni ſimplicitate operentur quaſi filij Dei immaculati.* Hæc Ambroſ. Ad ingratitudinem verò ſic reuocat hæc Primaſius. Prim. *Ingratus ſeruus, qui gratia domini ſui queritur eſſe præcepta.* Cui quidem expoſitioni valde conſentanea Gilleb. ſunt quæ venerabilis Gillebertus habet, dum ver- 1. ad Cor. 6. 10. ſans Pauli verba 1. ad Corinth. 6. 10. *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro* negligentem, & deſidioſum, qui cum tædio, ac murmure Deo inſeruit ipſum non tam portare, quàm moleſtè trahere, ſic tradit. *Qui dicit hoc, portari à nobis vult Chriſtum, ſed glorioſe, non cum tædio, non cum murmure, non cum indignatione, & fluctuante propoſito. Denique portari, non trahi. Trahit, cui oneroſus eſt Chriſtus, oneroſa caſtitas, oneroſa humiliatio, obedientia grauis, paupertas ſordet. Deformiter portas, qui ſic conuerſaris. Faſcis quidem grandis videtur fides, & pietas ponderoſa; non potes dicere.* Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Et ſtatim murmurationis phraſim huc rurſum aduocans, & incuſans, ſubiicit. *Quid? fœnum tibi videtur fides tua? ſub cuius onere ſic ſedes, ſic murmuras, quomodo plauſtrum ſtridet onuſtum fœno. Non eſt fœnum Chriſtus, ſed flos eſt, ſed fructus eſt, ſed lignum vitæ eſt. lignum, quod dat fructum ſuum in tempore ſuo, & tu non vis tempus exſpectare. Beati qui reſeruntur tempore ſuo.* Sic Gillebert. His etiam Gentilis Seneca egregiè adſtipulatur, omnem ab honeſtate querelam, & tergiuerſationem ita ſecernens. *Nihil honeſtum eſt quod ab inuito, quod à coacto fit: omne honeſtum voluntarium eſt. Admiſce illi pigritiam, querelam, tergiuerſationem, metum: quod habet in ſe optimum perdidit. ſibi placere.* Ita ille. Seneca.

Verùm enim verò in huius vocis explicatione, præ cæteris ſcopum mihi rectiſſimè collimaſſe 7. videtur Anſelmus, cui ex interpretibus adhæſit Guillielm. Eſtius, qui illam de eo ſignatè murmure, quod obſequium, & obedientiam erga Prælatos in iis, quæ præter ſubditorum placitum iubentur, comitari ſolet, ſic accepit: *Superius dictum eſt, cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini, & nunc præcipitur, vt ſine murmure cuncta faciant, id eſt, æquo animo laborem in operibus bonis, quæ iubentur à prælatis ſuis.* etenim, vt ſuperiùs inſinuaui, Paulus ad verſ. 12. vbi Philippenſes ad obedientiam vrget, hoc in loco redit: eſt verò valde familiare iis qui de obedientia erga prælatos præcepta tradunt, murmurationem ſubditis cùm primùm præcidere. Ita Sanctiſſimus Parens Noſter Ignatius, in ſuis conſtit. perfectæ obedientiæ leges filiis ſuis proponens, inquit, *cum* S.Ignat. *humilitate debita ſine excuſationibus, & murmurationibus obediant*; & eodem modo ſanct. Cæſarius Arelatenſis homil. 8. obedientem ſubditum ſic inſtruit. *Quidquid tibi à ſuperioribus fuerit com-* S.Cæſar. *mendatum accipe tanquam de cœlo, ſicut de ore Dei prolatum; nihil reprehendas, nihil diſcutias; in nullo penitus murmurare præſumas, totum iuſtum, totum ſanctum, & vtile iudica. quidquid tibi à Prælato videris imperari.* Ita Cæſarius. Similiter Auguſt. ad fratres in eremo ſerm. 61. qui eſt *de obedientia*, ſic Auguſt. ait. *Debet autem obedientia eſſe ſine mora, non cum murmure, neque cum triſtitia animi,* &c. Quò maximè faciunt, quæ ad hæc verba præfata epiſtola ſcribit Hieronymus ſiue verus, ſiue putatus; ſed quia ſequenti voci *hæſitationibus* communia ſunt, commodius in illius expoſitione appingemus.

Et hæſitationibus.

Neutiquam inter auctores conuenit, quid hæſitationis nomine velit Paulus: immò nec 8. apud illos de lectione huius vocis ſatis liquet; ſed in vtroque hæremus, ſiue hæſitamus. Syrus enim interpres, pro *hæſitationibus* poſuit *diſſidio*; Cypria- Cyprian. nus verò lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum le- Lect. Syriac. git *reputationibus*; & verò Græcè habetur, διαλογισμῶν, hoc eſt, *diſceptationibus*, vt exponunt inter- Lect. Græca. pretes; ſiue quòd hæc vox propriè ſignificat perplexas, & dubias ratiocinationes: quod, vt mea fert ſententia, opportuniſſimè expreſſit Vulgatus phraſi hæſitandi, vt ex noſtra expoſitione elucebit.

Et illi quidem interpretes, qui num. 4. murmurationem paſſiuè accipiebant, ſic conſequenter 9. exponebant hanc vocem, vt Paulus rem augens, ſuos

suos discipulos adeò sanctos atque perfectos optet, vt de illis non modò obmurmurare, sed nec de illorum sanctitate dubitare, siue internis cogitationibus hæsitare nemo inte posset; sed nimium hoc acumen iam ibi retudimus, nec est cur in eo ampliùs hæsitemus. *Iustinian.* *Cornel.* Iustinianus, & Cornelius, qui ad sonum vocis se exercentes, murmurationes pro detractationibus, & obtrectationibus capiunt, hæsitationem ad curiositatem, qua quis inquirit, cur ille, cuius mores carpit, hoc vel illud, siue sic, aut non sic agat; referunt: Addit Iustinianus, posse etiam hæsitationes reuocari ad præcedentia verba: *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere*; quòd ex illis dubitari possit, quid nobis agendum supersit, eo modo, quo multi tempore Augustini propter illius sententiam de prędestinatione non bene ab illis perceptam hæsitabant. Hæc tamen omnia ex dictis non difficile quis refellat. Meliùs Patres, qui murmurationes de querimoniis erga laborem virtutis explicabant; dum hæsitationes, ad eas dubitationes, quæ hac occasione in animo oriuntur referunt. nam *omnis qui murmurat* (inquit Primasius) *dubitat de præceptis*; *Primas.* siue ad eas moras, & cunctationē, quam noxij affectus in animum inducunt, à bonis operibus illum retardantes, atque indeuotum, & negligentem reddentes, satis consequenter, reiiciūt, sub quo sensu visus est hæc accepisse Basilius in responsionibus breuior. ad interrog. 291. dum ea cum illis Isaiæ verbis de Christo Domino, *calamum quassatum non conteret*; sic componit. *Basilius.* *Isai 42.3.* *Sanè per quassatum calamum illum significari arbitror, qui non ea, qua oportet animi sinceritate mandatum Dei exsequitur, quem non conterrere conuenit, neque abscindere, sed sanare potiùs, sicut Dominus docuit, cùm dixit:* Attēdite, ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. *& Apostolus etiam præcipit, dicens:* Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus. Ita Basilius. & ea quidem de re sic disserit citata epistola Hieron. siue Pseudo Hieronymus in commentario horum verborum: *Sine murmuratione* (sic enim legit ipse.) *Viles, & ignobiles domino palam contemni videmus a seruulis, eisque ad minima quæque præcepta in faciem resisti solere: at hoc in personas nobiles iam non admittitur; quantòque potentiores domini, tanto serui ad obedientiam promtiores sunt, cùmque difficiliora præcipiunt, libentiùs audiuntur. Certè ad Regis imperium ita omnes parati sunt, & in procinctu obedientiæ constituti, vt etiam optent iuberi, & non solùm bene merituros esse se credunt si iussa fecerint, sed tanquam iam meruissent, quod iussi sunt, ita pro dignitate præcipientis seruitium beneficij loco ducitur. Nobis verò Deus ipse, æterna illa maiestas, ineffabilis, atque inæstimabilis potestas sacras literas, & verè adorandos præceptorum suorum apices mittit, & non statim cum gaudio, & veneratione suscipimus, nec pro magno ducimus beneficio tantæ, ac tam illustris potestatis imperium, maximè cùm non iubentis quæritur commodum, sed vtilitas obsequentis.* *Hieron.* Hactenus ille. Sunt verò huic expositioni peropportuna, quæ præfato loco sic subiicit Seneca: *Seneca.* *Honestum omne securum est, tranquillum est. Si recusat aliquid, si complorat, si malum iudicat, perturbationem recipit, & in magna discordia volutatur. Hinc enim species recti vocat; illinc suspicio mali retrahit.* Verùm huic rei opportunissimus est Bernard. serm. 2. de sanct. Michaële pedem illum animæ scandalum parantem, & ea de causa ex Domini præscripto abscindendum in hunc modum explicantem: *Bernard.* *Sic etiam proficere in sancta conuersatione, & ascendere per gradus scalæ, quæ Iacob apparuit, ac iuxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire desiderantes, sæpius scandalum patimur a pede quodam pusillanimitatis, & negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere, & remissius magis ire conatur, sed abscindi eum necesse est, vt pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo sine impedimento.* Ita Bernard. His verò hæsitationibus aptè opponas Ecclesiastis sententiam c. 8. 5. *Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus, & responsionem cor sapientis intelligit.* *Eccles. 8.5.* Ad quæ verba Hieronym. sic premit tempus à sapiente cognitum, siue obseruatum. *Hieronym.* *Qui Dei, vel Christi præceptum custodiat, simul etiam scire, quid, & quare, & quo tempore is iubeat, vel, quod idem est, ad hæc attendere, & omnes nutus imperantis magno iudicio notare, ipsosque temporis articulos obseruare, ne qua prætereat minima occasio, quominus exactè Dei exsequatur voluntatem.* Hæc Hieronymus.

10. Et verò appositè hunc locum sub ea expositione composueris cum illis Iacobi verbis c. 1. 6. *Qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento mouetur.* *Iacob. c. 1. 6.* Quæ sic statim plus explicat: *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis:* vbi Græca vox, δίψυχος, quæ Latinè *duplex* respondet, & *Græca Lect.* Iacobi sensum aperit, & ea in quibus sumus, maximè illustrat; propriè enim significat, vt monet Hesychius, *is cuius animus in dubio est, & velut in duas partes discissus*; *Hesych.* quod, quæso, quid aliud esse dixeris, quàm hærere, siue hæsitare? amore enim duarum rerum, quæ simul connecti nequeunt, qui captus & inter illas scissus non toto corde, sed hæsitanti animo cunctabundus ad alterutram accedat, simul atque recedat, necesse est; marinis fluctibus adsimilis, quos hac hic ventus, illac ille agitat. His concinnit illud Eliæ lib. 3. Regū c. 18. 21. *3. Reg. 18.21.* *Vsque quo claudicatis in duas partes: si enim Dominus est Deus, sequemini illum: sin autem, sequimini Baal.* Preme phrasim claudicandi *in duas partes*; siue vt habēt LXX. *in ambobus poplitibus*; *LXX.* quæ non est accipienda, quasi plebs illa iam Dei cultu, & timore ablegato, se se tota impiæ Baalis superstitioni mancipàret; iam è contra, neglecta immani religione, rursus tamen erratura, ad Deum verum se cōuerteret, hæc enim nō essent explicanda ea locutione, quippe altero tātùm pede, siue dū vni, siue dū alteri cultui addicebātur, claudicarēt, & vt erga Deū recti, ita erga Baal claudi, siue è contra, decerētur, sed potiùs eò cūt, vt indicarit Elias, lubricis illos gressibus incedere, neq; in certo loco firma vestigia ponere, siue hærere, sed, huc atque illuc inter Dei timorem, ac cultum, & impiam Baalis venerationem siue studium placendi suis regibus, medios fluctuare; modò ad hoc, modò ad illud, prout ex vsu suo esse, credebāt, sese attemperantes: vt enim claudicare in duas partes, est, nutante gressu, hac, atque illac corpus inflecti, ita illi dum Deum simul, atque idola colebant, *nec Deo nec idolis* (ita Procopius) *fidi, & obtemperantes erant*; *Procop.* sed in vtramque partem lapsabant: vnde Hebraicè significanter habetur, *Vsquequò transitis super duas cogitationes.* *Lect. Hebr.* nec minùs appositè Chaldæus: *Chald.* *Vsquequò diuisi estis in duas partes*; eo modo quo dicebat Satyricus;

——dupliei diuersum scinderis hamo. *Persius.*

& alicubi Homerus,

Non huic firma satis mens est in pectore; verùm *Homer.*
Claudicat, inque pedem residet procliuis vtrumque.

Ergo inquit Elias: Vsquequo hæretis in salebra, ambigui, & dubitantes, cui vos parti omninò accommodetis. nam dum hæc tam diuersa miscere,

&

& coniungere studetis, & veri ac falsi Numinis cultus vultis esse participes, ab vtroque vos alienos esse profitemini. Ita quidem Origenes hom. 8. in Exod. optimè hæc Scripturæ testimonia elucidans hūc in modum ait. *Cum ergo venimus ad gratiam baptismi vniuersis alys dys, & dominis renunciantes, solum confitemur Deum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Sed hoc confitentes nisi toto corde diligamus Dominum Deum nostrum, & tota anima, & tota virtute adhæreamus ipsi, non sumus effecti pars Domini: sed velut in cōfinio quodam positi, & illos offensos patimur, quos refugimus, & Dominū ad quem confugimus, propitium non efficimus, quem non ex toto, & integro corde diligimus, & ideo luget nos Propheta, quos videt huiuscemodi inconstantia fluctuare, & dicit*, Væ duplices corde, & animo *& iterum*, vsquequò claudicatis vtrisque genibus vestris? *sed & Apostolus Iacobus dicit:* Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Hæc Origenes. *(Origen.)*

11. Nec minus opportunè hæsitantes, & duplices corde viros ex his Isaiæ verbis perstrinxeris c. 51. 20. *Fily tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus*; & verò, quamuis hæc orygis imago è re nostra etiam sit, ea tamen, quam pro illa substituunt LXX. mitè his quadrat; sic enim reponunt: *sicut beta semiarida*; siue, vt alij codices necnon Basilius in Ascetico, Cyril. Alex. lib. 4. de adorat. in spirit. & in commentariis Hieron. habēt, *sicut beta semicocta*. Quod si scire velis quos hæ betæ semicoctæ adumbrēt; accipe à Hieronymo sic monente: *Qui incredulus est appellatur beta cruda, qui autem simplici contentus fide absque ratione, & dogmatum veritate* (suspicabar corruptum esse Hieronymi locum, & reponendum fore *absque rationum, & dogmatum varietate*, vt distributio subsistat, & allusio ad locum Apocalypsis æquè respondeat) *facit opera iustitiæ, potest dici, beta cocta. Porrò qui inter vitia, atque virtutes medius fluctuat, & duplici corde accedit ad seruitutem Dei, iste rectissimè vocatur, beta semicocta, ad quem, & in Apocalypsi Ioannis loquitur Deus:* Vtinam aut calidus esses, aut frigidus, nunc autem quia tepidus es euomam te. Hæc Hieronym. Nec dissidet illaqueati orygis similitudo, quòd is illos ad viuum adumbret, qui vna ex parte acuto intellectu, & diuina luce persuso sunt præditi; ex alia noxiis affectibus irretiti vix pedem in stadio virtutis ponunt, siue retra efferunt, cùm illum referentes inter virtutes, & vitia fluctuant, siue vt de betis semicoctis inquit citato loco Cyril. Alex. *remissi sunt animo, & mente soluti*. Sanè de orygis cornibus hæc inquit Oppianus lib. 1. *Cornua similia mucronibus, validiora acuto ære, atroci ferro, & duro silice*, at verò illa tam dura, tam valentia cornua fragilibus vitis ramicibus innodentur, *per omnia fit inutilis:* vt inquit Epiphanius capite de vro, qui idem cum oryge à naturalis historiæ scriptoribus esse asseritur. hos bellè pingit, siue pungit Bernard. serm. 3 de Ascensione: vbi cùm dixisset, *Quidam ad omnia via, & vitæ huius exercitia non solum ambulant sed & currunt, immo potiùs volant, vt & eis, & vigiliæ breues & cibi dulces, & panni suaues, labores non solum tolerabiles, sed, & appetibiles videantur*. subiicit de his orygibus illaqueatis: *Alii autem corde arido & affectione recalcitrantis vix trahuntur ad hæc.* obserua accuratam illam locutionem, *affectionis recalcitrantis*, quæ animum in duas partes diuisum, & ad vtrālibet accedentem, & recedentem, siue hæsitantem indicat, qui non secus, ac ille sit, de quo Tullius ad Atticū epist. 1. lib. 10. *A quo nihil speres boni, quia non vult, nihil timeas mali, quia non audet*. Quod quidem, & illa huius loci particula, *dormierunt in capite omnium viarum*, Hieronymo interprete æquè significat: sic enim ille. *Porrò iuxta LXX. qui noluerunt habere diuitias spirituales in omni verbo, & scientia, & operibus bonis, sed fuerint pauperes, qui non sustinent comminationem, nequaquam habitabunt in domibus, quæ virtutibus extruuntur, sed in principys viarum, & in exitu, tangentes omnia, & omnia relinquentes.* Ita Hieronymus.

(Isa. 51. 20. — LXX. — Basilius. — Cyr. Alex. — Hieron. — Apoc 3. — Oppian. — Epiphan. — Bernard. — M. Tull. — Hieronym.)

Nec hinc discedam, quin ex iisdem Patribus moneam, infelicem hūc hominum, qui Christiano nomine cēsentur statū esse; nam præterquam, quod sapienter dixit Seneca epist. 120. *maximum indicium malæ mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, amorémque vitiorum assidua iactatio*, nihil illis ineptius, insulsius; nihil fragilius, & quod in lapsum magis propendeat, inueneris: vnde indidem Hieron. ait: *Comparantur betæ semicoctæ, quod genus oleris est vilissimi, & fragilissimi, de quibus oleribus puto illud in Psalmis dici* Ne zeleris in malignantes, neque æmuletis facientes iniquitatem, quoniam sicut fænum velociter arescent, & sicut oleta herbarum citò decident, Psal. 36. 1. *est etiam ægrotantium cibus*. Sic ille. Porrò de betarum insulsitate sic lusit epigrammatarius. 12.

(Seneca. — Hieronym. — Ps. 36. 1.)

Vt sapiant fatua fabrorum prandia, betæ,
O quam sæpe petet vina pipérque coquus.

Spirituales verò betas, nō minus insulsas, inconditas, vino correptionis, & pipere castigationis indigentes, sic inueniebat Bernard. durus tepidorū mastyx serm. 6. de Ascensione: *contra sanè inuenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est; quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio; quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. quos denique, vt videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet.* Hæc omnia Bernard. Nec mitiùs Cyril. Alex. citato lib. de adorat. in spirit. illa Angelorum ad hos verba: *Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione*, Gen. 19. 17. sic vrgens. *Dicit enim Angelus, illum iter facere non solum absque respectione, & reditu, sed apponit vtiliter:* Ne steteris in omni circum regione, *quo mea sententia significat, periculosum, & damnosum esse, segniter, ac ignauiter à malo euolare. Propheticus sermo scribit:* Væ facientes opus Domini negligenter, *Ierem.* 49. currite autem, vt comprehendatis, *etiam ipse diuinus Paulus alicubi dicit*, 1. ad Cor. 9. *Nam non velle, strenuè agere, & à malis celeriter exire, quum meus ad suum principium reduci non patitur, & quasi cum indignatione à singulis malis abstrahitur; ad omne autem, quod vtile est, ægerrimè impellitur. nihil aliud fuerit, quàm stare in campo malitiæ.* Ita Cyril. hæsitantem in bono & claudicantem in duas partes à malo & criminoso vix discriminans. vnde statim subiicit: *è quo tamen cursim exire oportebat; ne dum cessas, ac moraris, supplicio simul impliceris, prius quam terminos exeas, priusquam maculam eluas, priusquam inquinamentum, quod ex antiqua ignauia menti insedit, abluas, priusquam alleues crimina, & salutare iugum subeas, refocillandus per Dominum.* Hæc Cyril.

(Bernard. — S. Cyl. Alex. — Gen. 19. 17. — Ierem 49.)

Quòd si Deo insipidæ, atque inconditæ, fatuæ hebetæ merito perhibentur, sibi quidē ipsis non multo suauiores, & iucūdiores esse dixeris; quippe qui in duas partes claudicantes, nec Dei annona, 13.

nec

nec mundi cibis reficiuntur, quòd neutri fidi, & constantes habeantur; nec ad vnius alteriusve penetralia vnquã accedant: id quod egregiè docuit Bernard. ser. 4. in Ascensione Domini, cui titulum *de duabus mensis* præfixit: in propria persona hæsitantium, ac tepidorum vitam sic describẽs: *Nonne velut inter duas mensas positi epulantes, & epulantes hinc, inde spectamus ieiuni? sic sumus, sic sumus omnino. An fortè non agnoscimus mensas? non consideramus epulas? delitias non videmus? Hinc mihi sunt, quos video delitiose viuentes in omnibus bonis sensibilibus huius mundi: inde cõtemplor alios, quibus disposuit Christus regnum, vt edant, & bibant super mensam eius in regno Patris sui. vtrobique, video similes mei homines, fratres meos: & heu me! ad nullũ licet extendere manum.* Sic Bern. ac si dicat: Heu miserã tepidorum sortem! quos nec spiritualium delitiarum epulis, quibus beatæ coctę hoc est, qui strenuè & alacriter in virtutis ac perfectionis stadio currunt, indesinenter perfruũtur, nec carnalibus temporalium bonorũ ac voluptatũ dapibus, quibus sæculares homines abũdant, vesci licet. Quis enim alius fructus hominibus inter duas mẽsas positos, neutrique accũbentes maneat? Nullus opinor nisi odor, qui hinc indéque aspergitur; sic omnino cẽsuit Ambr. lib. 1. de Abel, & Cain. c. 6. huc per allegoriã reuocans, quod de Isaac, & Ismaël altero liberæ, altero ancillæ filiis tradit sacra pagina: illũ scilicet, vt legitimum paternam hæreditatem suscepisse: hũc quasi libertinũ patris bonis depulsum: Audi illum: *perfecta enim virtutes totum accipiunt gloriæ patrimonium: vsitatis & mediocribus vile aliquid aspergitur, & ideo Agar, quæ* aduena *&* accola *Latinè dicitur, & Cethura, quæ* odoriferata *interpretatur, hæredes non sunt; qui enim medijs vtitur disciplinis, accola, non habitator est: sapientiæ odore aspersus non fructu expletur, saturitatem autem cibus, non odor inuehit, quia odor fructũ nuntius est.* Hæc Ambr. Sed enim, ne huius odoris amore capiaris; scito non vitæ, seu fructuum, sed mortis odorem hũc esse: equidem Bern. ep. 114. sanctimonialẽ quandam, quæ à deuotionis studio aliquando intepuerat, & inter religionis, ac sæculi mẽsas ieiuna, & in duas partes claudicans vtrosque conuiuantes spectauerat, ad meliorem iam frugem receptam sic alloquitur. *Viuens mortua eras: viuens mundo, mortua Deo, siue vt veriùs loquar, nec mũdo viuens, nec Deo. Volens quippe sub habitu, & nomine religionis, instar vnius de sæculo conuersari, sola Deum à te voluntate repuleras. Non autem valens, quod stultè volebas, non tu quidem mundum, sed te mundus repulerat. Deum ergo repellens, & à sæculo repulsa inter duas, vt dicitur, sellas corrueras. Nec Deo itaque viuebas, quia nolebas, nec sæculo, quia non poteras, alteri quidem volens, alteri inuita, sed tamen vtrique mortua.* Sic Bernard. Carpe iam hæsitationis fructum.

14. Applaudit his rursus eleganter Origenes citata hom. 8. in Exod. optimè pendens dubios hos & fluctuantes Dei seruos, & à mundo quidẽ, quem bona fide fugerant, vehementiùs pulsari, ac cædi, quod sæcularibus affectibus, quos explere nequeunt, grauiùs concutiuntur: siue quod ipsimet sæculares homines, hos quos in Dei obsequio claudicantes vident, totis buccis irrideant; & à Domino quidem non protegi, nec à mundi sibilis defendi. *Sumus* (ait) *nos qui non integra, nec perfecta fide sequimur Deum nostrum, & ab alienis recessimus diis, velut in medio quodã confinio positi, & ab alienis quasi fugaces cædimur, & à nostro Domino tanquã instabiles, & dubij non defendimur.* Certè Aug. sæuos sæculi dominos fugiens, & ad verum Deum confugiens, sic illũ sibi conciliare, & demulcere parabat lib. 1. soliloq. c. 1. *Accipe me ab istis fugientem famulum tuum, quia & isti me quando à te fugiebam acceperunt alienum.* Ita ille opportuna quidẽ argumentatione vsus: at enim, qui sic priores dominos fugit, vt Deo, vero Domino non adhæreat, nec illos sanè aufugit, nec hunc, ad quem omnino non confugit, gratum habet: ab alienis ergo dominis tanquam fugax & erro cæditur, & à vero Domino tanquam instabilis, & dubiæ fidei nõ defenditur. Hunc certè opportunè cómonefeceris ex illa ratiocinatione, qua Christi cõfessores inter carnificũ manus pro fide iã positos, & modis omnibus cruciatos, & excarnificatos ad perseuerantẽ tolerantiam sic armabat, & animabat S. Cypr. lib. de laude Martyrij: *Positus inter arma carnificum, & tela probantium quæstionum, sta sublimis, ac fortis considerans quanta sit pœna negare tempore, quo frui sæculo nequeas, cuius causa negares.* optimè; ac si dicat: Si à Christo deficis, heu miserum te qui iam nec Christo, quòd infidelis; nec sæculi bonis, quòd tecto iam corpore fractus frui poteris.

Quàm verò fragiles, ac infirmæ, vt dicebat Hieron. beatæ semicoctæ sint: quàm inconstantes, inquã, & à virtutis proposito citò deficientes, labãtes Moysis manus, & populũ ea de causa ruinæ obnoxiũ reddentes, vt est apud Exodũ c. 17. ex Ambros. sententia bene adumbrant. Ita enim ibi, *Cùmque leuaret Moyses manus, vincebat Israël; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec.* quæ sic vrget Ambr. ep. 9. *Hoc docuit Moyses, quãdo manus eius grauiores fiebant, ita vt vix sustineret eas Iesus Naue, ideòque vincebat populus, quando nõ perfunctoriè gerebantur opera, sed plena põderis, atque virtutis: non nutantis animi, aut titubantis affectu, sed fundatæ mentis stabilitate.* Sic Ambr. A quo non iuit Prosper lib. 2. de vocat. gentiũ sapienter moriens. *Plurimi cùm fide & intellectu videantur ornari, laborant tamen indigentia charitatis, & ij, qui fide, & intellectu videns, nequeũt inhærere, quonia perseuerari in eo non potest, quod non ex toto corde diligitur.* Quo etiã per allegoriam trahit Origen. illa Gen. verba c. 1. 28. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*; quasi ea solùm anima crescere & multiplicis virtutis fructus edere possit, quæ spiritui cõiuncta carnales affectus respuat, nec inter virtutes, & vitia media fluctuet. Audi illũ hom. 1. in Gen. *à verò si anima cõiuncta spiritus atque eius, vt ita dicam, coniugio copulata declinet, aliquãdo ad corporis voluptates sensúmque suũ in delectationes carnis inclinet, aliquando verè videatur obtẽperare salutaribus monitis spiritus, aliquando vitiis carnalibus cedat; talis anima velut adulterio corporis maculata neque crescere, neque multiplicari legitimè dicitur, quoniam filios quidem adulterorum imperfectos scriptura designat.* Sic Origen.

Hæc ad frequentiorẽ Patrũ expositionem pertinet. At enim si in eo nos, vt par est, explanatione persistimus, quam voci *murmurationibus* dedimus n. 7. eodẽ ductu hæsitationes ad subditorum obsequium erga Prælatos non possumus nõ referre: immò verò adeò è re perfectæ obediẽtiæ esse nouimus, hæsitationem non habere, vt vel hinc explicatio murmurationibus exhibita maximè subsistat. Certè Theosteristus sancti Nicetæ confess. discipulus de perfectione obedientiæ eius agens, in oratione funebri de illo, quam ex Metaphraste habet Surius mense Aprilis, inquit: *Omnia cum simplicitate ex corde sincero sine hæsitatione aliqua faciebat.* Duplex verò hæsitationi sub hoc sensu acceptæ potest subesse significatio: altera ad promptitudinem, qua Prælatorum iussa à subditis

Marginalia: Bernard. | Ambros. | Bernard. | Origen. | August. | Cyprian. | 15. | Exod. 17. 11. | Ambros. | Prosper. | Gen. 1. 28. | Origen. | 16. | Surius.

tis executioni exteriùs mandantur, altera ad interiorem mẽtis assensum, siue iudicij & intellectus consensionem spectantes. Porrò priori acceptioni non mediocriter iuuat, tum quod subiicit Paulus, *vt simplices filij Dei*; est enim filiorũ Dei propriũ, teste Philone, ei, siue illis, qui ipsius in terris vices gerunt, prompte, & alacriter obedire, *faciunt* (inquit ille lib. de Abel, & Cain) *suum officiũ obedientes filij, qui naturam Patris imitando, incunctanter cum festinatione quod bonum est, agunt*, tũ etiam significatio, sub qua hæsitationẽ capit Seneca citato loco lib. de vita beata; vbi hæsitationem cum pigritia sic coniungit: *Quidquid aget in bona, exibit facile, & paratè, & sine tergiuersatione agetis: nam pigritia, & hæsitatio pugnam, & inconstantiam ostendit.* Quò etiam respexisse dixeris Ambros. cùm ait: *Quia si negligenter aliquid agitur, ad effectum non peruenit.* Verget ergo Philippenses iuxta hũc sensum Apostolus ad perfectam; immò & Angelicam obedientiam. Nam de Abrahamo in obediẽti arte valde perito id potissimũ Patres commendant; quòd Dei monitis summa alacritate, & festinatione fuerit semper obsecutus; & de illius è paterna domo egressũ, sic censet Philo lib. de Abraham. *Oraculo percussus, quo iubebatur migrare, deserta patria cognatione, paternáque familia, non secus ac si è peregrinatione domũ redire iussus esset, iter accelerauit in regionẽ externam, rem factam se habere putans, si mandatum exequeretur celeriter.* pulchrè illud, *non secus, ac sine peregrinatione domum redire iussus esset*: vt ostenderet, eodem prorsus modo ac lapis dum centrum petit, maxima in illud velocitate mouetur, & fertur, arduum illud, ac difficile mandatũ obuiis manibus Abrahamũ suscepisse, & eamet promptitudine executioni mandasse, ac si res sibi omnium gratissima, ac iucundissima foret. Accinit Chrysost. hom. 13. in Gen. ad ea verba c. 12. 4. *septuaginta quinque annorum erat Abraham quando exiuit ex Haran*, obseruans, illũ & si ætate senem, ab obediendum tamen iuuenem factum, vt quanta posset velocitate Dei præceptis obtemperaret. *Vidisti (inquit) quomodo, nec ætas fuit obstaculo, vt domi resideret, sed nec senectute nec aliis maioribus causis prohiberi potuit, quin omnibus disruptis vinculis quasi iuuenis, & iuuenescens, ac a nullo prohibitus festinabat, & anhelabat Domini præceptum perficere.* Hæc Chrysost. De illius verò promptitudine in charissimo filio iuxta Dei præscriptum propriis manibus mactãdo multa sunt quæ iidẽmet Patres monent. Ambr. siquidẽ lib. 1. de Abraham c. 8. in illud Gen. 22. 4. *Eleuatis oculis vidit locum procul*; id in primis obseruat quod præfatis Chrys. verbis valde consentaneum est, illum cùm ad immolandũ filiũ pergeret, ætate licet iam ingrauescente acutissimo fuisse visu præditum, vt sacrificij locum valde distantem distinctiùs videret, quasi ex studio obediendi caligantes oculi iuuenescerent, & illuminarentur: *solet hebescere* (ait ille) *visus senum, vt etiam propinqua non facile conspiciant. Hic non solum vidit locum, sed etiam longè positus aspexit.* Deinde epist. 43. pulchrè expendit phrasim arripiendi gladium, qua ad velocitatem, & alacritatem, qua Dei mandatum exequebatur, vtitur Scriptura inibi vers. 30. *extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suũ.* In quæ verba Ambr. *Quasi exsors natura exerebat gladiũ, ne mora sacrificium decoloraret.* Bene quidem *decoloraret*; hoc est, ne cunctatio candorẽ, venustatem, gratiam, & suum veluti florem obedientiæ demeret; quæ omnis moræ siue dilationis impatiens est. Pergit Ambros. & duplicatam Dei vocem, qua ictum vibrantis dexteræ occupauit, inquiẽs. *Abraham ne extendas manum in puerum*; eò reuocat *tanquã veritus, ne preueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset.* Ita Ambros. ad cuius gustum Basilius Seleuciensis orat. 7. de Abraham, *Ruentem ad iugulum feriendum dexteram desuper tenet: ingeminat vocationem, vt manum comprimat. Totum enim in opus intentum, & qui tantillum absuit, quin in filij sanguine ferrum mergeret, cohibet, appellatione conuertit, verbo frænat impetum; tanquam fræni impatientem equum ad se trahit.* Premit verò hæc plusculum statim Basilius, atque hæc verba non aliter Abraham auribus insonuisse existimat, quàm si grauiùs illis admoneretur, ac pungeretur, quòd segniter, atque cunctanter se gesserit, ne datum sibi mandatum alacriter absoluerit; sic enim ille. *Qui tandem conuersus,* Adsum, *inquit. Num sacra mea lentitudine desidas:* Sic Basil. Vides tam esse obedientiæ velocitatem, & promptitudinem necessaria, vt aliter decoloretur, atque fœdetur?

17. De extrema autẽ Angelicæ obedientiæ promptitudine, ac velocitate, signatissimè dixit Psaltes Psalm. 103. 4. *Qui fecit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Siue, vt Aquila, *ignem impetuosum*, vel, vt Symmach. *igneam flammam*; Angelicum ministerium erga diuina iussa, ac desiderium, notanter cum spiritibus, hoc est, ventis, simúlque cum ignea flamma componens, vt innuat nihil ipsis Dei voluntatem, & imperia exsequentibus velocius, ardentiúsve excogitari posse, nec fulgura dicto citiùs micare, & collucere, nec rapidissima fulmina cursus suos celeriùs exequi. Ad quem modum præced. Psal. 102. vers. 20. de iisdẽ supernis spiritibus dixerat *Benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute, qui facitis verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius*; vbi, dum aliquale negotium interpretibus facessit, quòd Angeli verbum Dei facere, ad audiendam vocem illius, dicantur, cùm potiùs dicẽdum videretur, vocem Dei illos audire, vt verbum Dei faciant; non incommodè respondet Agellius, præpositionem illam *ad*, perinde capiendam, ac si dicatur, *simul atque audierunt*; quasi sensus sit: Vix dum audierunt vocem diuini præcepti, & statim faciũt verbum eius: vt quamuis diuini verbi præceptum antecedat, tamen tanta illorum in obsequendo velocitas, & intentio est, vt nescias pænè quid prius sit, vóxne sermonum Dei, an illorum in exequendo celeritas. Sic Agellius. Nos simpliciorem eius loci expositionem ad vers. 10. cap. 3. adnot. 1. damus.

18. Verùm enim verò, ea hæsitationis acceptio, quæ ad mentis perplexitatem, & dubitationem, quam quis habet, dum iis, quæ à prælato iubentur, pleno iudicio, ac mente non acquiescit, sed iussa apud se discutit, & examinat, & iterum, atque iterum sententiis alternantibus diiudicat, refertur, multo aptior & litteræ conformior videtur; huc enim Græca vox διαλογισμῶν, quam posuit Paulus, it: propriè enim significat dubiam, & perplexam ratiocinationem, & alternantium sententiarum vicissitudinem: huc etiam Latini vocabuli frequentior vsurpatio, quæ pro dubitatione, & perplexitate mentis apud Auctores sumitur, manifestè facit; sic enim in primis dixit Augustinus sermone 237. de tempore. *Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæsitantes, non contra ipsam fidem humanis suspicionibus argumentantes.* deinde huc intentus Cicero Appio Pulchro dicebat: *Noli ignoscere hæsitationi*

Margin notes: Philo. Seneca. Ambr. Philo. Chrysost. Gen. 12. 4. Ambros. Gen. 22. 4. Ambros. Basil. Seleuc. Ps. 103. 4. Aquila. Symmach. Ps. 102. 20. Agellius. Græca Lect. August. M. Tull.

V. Tul. *hæsitationis meæ*; & lib. 2. de Finibus. *Accipiendũ est igitur, quid sit voluptas, quam si explicuisset, non tam hæsitaret.* Et eodem modo Seneca lib. de vita beata, cap. 8. vbi cùm dixisset. *Mundus quoque cuncta complectens, Rectórque vniuersi Deus in exteriora quidem tendit, sed tamen in totum vndique in se redit; idem nostra mens faciat, cùm secuta sensus suos per illos se ad externa porrexit, & illorum, & sui potens sit.* subiicit: *hoc modo vna efficitur vis, ac potestas concors sibi; & ratio illa certa nascitur, non diffidens, nec hæsitans in opinionibus, comprehensionibúsque, nec in sua persuasione, quæ cum se disponit, & partibus suis consentit, & vt ita dicam concinit summum bonum tetigit.* Et huc quidem peculiaris illa Cypriani lectio, *sine reputationibus*, respicit, vt enim *reputo* est, *mente reuoluo*, & *animo rursum pendo*; sic *reputatio* accuratam siue repetitam considerationem significat: sic dixit eleganter Plinius lib. 10. c. 17. *Harum volatus in reputationem cæterum quoque volucrum nos impellit.* Quæ ad rem obedientiæ opportunè aptantur; hæc enim adeò prompta, & submissa esse debet, vt nullus reputationi, hoc est, accuratæ, &, vt ita dicam, secundæ considerationi, cur hoc non illud mihi iubetur, locus sit: vnde hanc subiiciendi iudicij rationem, & normam præscribebat citata ep. S. P. N. Ignatius: *Vt statuatis vobiscum ipsi, quidquid superior præcipit, ipsius Dei præceptum esse, & voluntatem; atque vt ad credenda, quæ catholica fides proponit, toto animo, assensúque vestro incumbitis; sic ad ea facienda, quæcumque superior dixerit* (iam superius admonuerat, hæc omnia sic capienda esse, vt nullum in iis peccatum conspiceretur) *cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ sine vlla prorsus disquisitione feramini.* Quæ sanè omnia mirè firmantur ex eodem Paulo ad Rom. 4. 20. vbi de Abraham in spem contra spem credente inquit. *In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit potens est, & facere.* Quæ verba OEcumenius, siue apud illum Seuerianus sic singillatim explicat: *Non hæsitauit, id est, non vacillauit, non dubitauit.* Dans gloriam Deo: *hoc est, non curiosè scrutatus, quomodo possibile esset hoc fieri, quónam pacto id fieri contingeret, quomodo id suscipi posset.*

Seneca. Cyprian. Plinius. S. Ignat. ad Rom. 4. 20. Oecum. Seuerian.

19. Sed & huc denique Pauli scopus, & obedientiæ sermo, quem persequitur, inclinat: sic citato loco Theosteritus de B. Nicetæ obedientia agens. *Quæ verò à Præside ipso dicebantur, tanquam à Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem curiositatem, & hæsitationem abiiciens, fidem autem, ac certam persuasionem habens omnia exequebatur*; vbi hæsitationi, fidem, & certam persuasionem, notanter opposuit, quòd hæc ad perfectam obedientiam necessaria sint: vnde S. Antioch. hom. 40. quæ est *de obedientia*, sic illam quidditatiuè diffiniebat: *Obedientia est, qua quis persuadetur, & obedit citra vllam diiudicationẽ, adeò vt quod superioris imperio imponitur, iucundus quis, & alacer, non item turbulentus expleat.* Ita Antioch. Nec omittenda præclara exempla, quæ S. Ignatius præfatis verbis, quibus monuerat, cæco quodam impetu voluntatis sine vlla prorsus disquisitione ad parendum nos ferri debere, sic subiicit: *Sic egisse credendus est Abraham filium suum immolare iussus: sic noui Testamenti tempore aliqui è sanctis Patribus iis, quos commemorat Cassianus, vt Ioannes Abbas, qui quod erat imperatum, non reputabat, vtile ne esset, an inutile, vt cùm aridum lignum tanto, ac tam diuturno labore per annum irrigauit; nec vtrum fieri posset, nec ne, vt cùm conatus est, tam ex animo ingens saxum solus dimouere loco, quod ne multi quidem simul homines impellere potuissent.* Subdit egregia miracula in huius obedientiæ comprobationem in vitis Patrum, & à Gregorio scripta. Sed iam hinc ad adnotationes vocamur.

S. Antiochus. Genes. 22. 3. Cassian. lib. 20, 24. & 26. In Vitis Patr. 2. par. lib. de obed. Greg. lib. 2. Dial. c. 7.

Ad ea verba, *sine hæsitationibus.*

Adnotatio I.

Perfectam obedientiam, mentis & iudicij consensionem exigere.

1. HÆc quidem potissima lex in obedientia sancitur, vt quod in expositione literæ dicebat Antiochus citra vllam diiudicationem Prælati iussa suscipiantur, & omnimoda *mentis* atque iudicij consensione dicto citiùs executioni mandentur: & verò, vt omnes ferme Patres, qui obedientiæ monita dedere, legem hanc sapienter præscribant, ac versent, nullus opinor (nisi me in optimum parentem amor obcæcat) explicatiùs, ac sanctissimus Ignatius perfectissimæ obedientiæ custos, rigidúsque satelles in litteris ad PP. Lusitanos, quas obedientiæ epistolam frequentiùs appellamus, nobis tradidit, simul ac exposuit duplici, vt ad illam nos vrgeret ratione vsus, quòd nimirum obedientia & holocaustum quoddam sit, in quo totus homo sine vlla prorsus imminutione conditori suo ac Domino per manus ministrorum in charitatis igne immoletur, & renunciatio quædam integra, per quam diuinæ prouidentiæ superioris ductu gubernandum sese vltrò addicat, ac mancipet: ex quibus benè ille colligit, perfectam obedientiam nõ minus obsequentis mentem, atque iudicium, quo omnia, quæ à Prælato præscribuntur, recta esse censeat, quàm animum & voluntatem, qua iussa libenter exequatur comprehendere: quam sanè doctrinam grauissimis rationum momentis, & florida Patrum eruditione ipse confirmat. Nos dulcissimi parentis vestigiis *non passibus æquis* insistentes duplicem illam ratiocinationem persequemur.

S. Ignatius.

2. Et primum obedientiam, quod de patientia dixit Iacobus c. 1. 4. *opus perfectum habet*, vndique scilicet perfectam, & numeris omnibus constantem esse debere; pulchra numi imagine adhibita sic monuit Bernardus serm. 1. de S. Andrea. *Deo necesse habemus reddere obedientiæ numum, nec suscipiet eum, nisi integer inueniatur, & sine aliqua falsitate.* quibus verbis scitè adstruit obedientiam tum tributum esse, quòd Deo ipsi persoluimus; tum hoc ab ipso non aliter admitti, quàm à vectigalium exactoribus numi suscipiuntur, ij enim non secus ac, *qui venditant*, qui vt inquit Tertull. lib. de pœnit. cap. 6. *prius numum, quo paciscuntur examinant, ne scalptus, néue rasus, ne adulter*; persoluentium pecunias accuratè examinant, an iusto pondere, & debita materiæ qualitate constent, scrupulari illas pondere librantes, ac expendentes: at enim, quî obedientiæ numus non scalptus, siue diminutus, & cui notabilis pars desit: siue etiam non rasus, hoc est, detritus, & vilior, immò non adulter, cui regia imago non subsit, dici queat? cui præcipuam hominis portionem, & in qua Dei imago potissimum censetur, videlicet mentem, & intellectum furtim demptis? *Orientales* (inquit Ioannes Boëmius de moribus, & ritibus omnium gentium lib. 20. de Asia) *victimas non iugulant, sed præcluso spiritu necant, ne quid mancum Deo offeratur, sed integrum*: & tu te ip-

Bernard. Tertullian. Ioan. Boem.

sum in holocaustum Deo immolans, mentem quam primum ipsi consecrare debes, vis subtrahere? Audi
Ambrof. Ambros. lib. 1. officior. capit. vlt. *Primum illud decorum est, vt quod habes pretiosissimum, hoc est, mentem tuam, qua nihil habes præstantius, Deo deputes.* Porrò Ioannes XXII. religiosa vota perpendens, vel ob id potissimum Paupertati, & Castitati obedientiam præponebat, quòd hæc non externas tantùm operas, sed interiores etiam animi affectus, signatissimè verò mentem, & intellectum Prælati arbitrio submittat: sic enim Pontifex in extrauagan. *ambitiosa,*
Ioan. XXII. Pont. de verbor. sig. *Magna est paupertas, sed integritas maius bonum est; sed obedientia maxima: nam prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur, & animo, quos veluti effrenes, & liberos ditioni alterius humilis iugo propriæ voluntatis adstringit.* Hæc ille.

3. Hinc Christiana tempora sub Dei persona respiciens & laudans Ieremias capit. 31. 31. dicebat:
Ierem. 31. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti; pactum. quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus: sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum.* vbi duo pende: alterum pro his verbis, *dabo legem meam in*
LXX. *visceribus eorum*, LXX. necnon Augustin. con-
August. cion. 1. in Psal. 118. reponere, *dans dabo leges meas in mentes eorum:* vt videas rum, hanc propriam filiorum Dei notam, atque characterem esse, vt non modò toto animi impetu, sed etiam plena mentis, & intellectus consensione, ad Dei leges custodiendas ferantur, nec aliter illis essentiantur, & acquiescant, ac si ab illorum mente, & intellectu ea sensa emanassent: rum etiam, idem esse, Dei legem *in visceribus*, ac *in mentibus* iustorum conscribi; quod in visceribus, hoc est, in affectu, & voluntate esse nequeat, quin in mente, & intellectu priùs sit; id quod S. N. Parens in citata epi-
S. Ignatius. stola sic expressit. *Præterea, nisi hæc obedientia iudicij existat, fieri non potest, vt vel consensus voluntatis, vel executio talis sit, qualem esse oportet; natura enim ita comparatum est, vt animi nostri vires, quæ appetitiuæ dicuntur, sequantur apprehensiuas, & nisi adhibita vi, voluntate iudicio repugnante, diu obtemperare, non poterit.* Hæc & multo plura inibi S. Parens.
Seneca. A quo non abit Seneca epist. 82. inquiens: *Adijce quod nihil perfectè fit, nisi in quod totus animus incumbit.* alterum, dum de Iudaïcæ plebis obsequio dicitur, *pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum*; de obedientia verò discipulorum Christi subditur, *dabo legem meam in visceribus*, (siue *in mentes*) *eorum, & ero eis in Deum*, ingens, & penè immensum inter hos obediendi modos constitui discrimen, quasi prior seruorum ad oculum seruientium, posterior filiorum ex toto animi affectu Dei iussa perficientium, sit; id enim vult sibi Dominus, cùm de Hebraïco populo inquit, *& ego dominatus sum eorum*: ac si diceret; me, non vt Deum intimos cordis affectus, atque recessus intuentem, simul ac exigentem; sed vt dominum, cui seruorum more ad oculum seruirent, externas operas, & pensa exhibentes, respiciebant: ita quidem de humana seruitute scitè di-
Seneca. xit Seneca lib. 3. de benef. cap. 20. *Errat si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere, pars melior eius excepta est. Corpora obnoxia sunt, & adscripta dominis, mens quidem sui iuris, quæ adeo libera, & vaga est, vt ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quin minus impetu suo vtatur.* ergo illi, vt Domino non vt Deo, corpore scilicet, non mente obsequebantur: vnde ipsorum obsequium ingratum, & inuisum Deo erat; ideo pro illis verbis: *& ego dominatus sum eorum*; LXX. habent: *& ego neglexi eos.* Cur enim seruilem cultum ipse non despiceret, & molestè ferret? de LXX.
Christianæ verò Ecclesiæ filiis variata locutione ait, *ero eis in Deum.* quasi, dum illi eius legem in mente habent, hoc est, mente & corde obsequuntur, ipsum non solùm vt patrem intimo affectu reuerentur, sed etiam vt Deum apud illos plenissimè regnantem habeant. Quid enim, Chrysologo interprete, est, Dei regnum in nos aduenire; nisi eius legem in mente signatè habere, & ad ipsius arbitrium viuere? Audi illum serm. 67. *Hoc est regnum* Chrysol.
Dei, quando & in cælo, & in terra Dei voluntas est, sola, quando in omnibus Deus meus est, Deus viuit, Deus agit, Deus est totum, vt iuxta Apostolum Deus sit omnia in omnibus. Ita ille.

Iam quod de obedientia idem S. Parens noster superius dicebat, renunciationem quandam 4.
esse, per quam diuinæ prouidentiæ superioris ductu gubernandum sese quis addicit, eodem tendit; inde enim efficitur, vt propriam prius mentem is exuat, & diuino ductui sic fidat, vt absque vlla hæsitatione, & diiudicatione Prælati monitis plenissimè acquiescat. *Vera quippe obedientia* (inquit Greg. Magn.
Greg. Mag. ad c. 3. lib. 1. Reg.) *nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur, nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit odire, quia hoc tantũ bonum putat, si præceptis obediat.* Ad quem modum Basil. in constit. monastic. capit. 23. dum perfectum obedientem cum artificis instrumento, quod ipsi in omnibus, in quibus eo vti vult, deseruit, sic componit: *Quemadmodum faber, ædificatorve singulis* Basilius.
artis instrumentis pro arbitrio vtitur suo, neque vnquam vllum inuentum est instrumentum quod ad quemque ille vsum voluisset, non se facile tractandum præbuerit, ac moderatoris manui cesserit; idem quoque conuenit verum pietatis cultorem, proinde vt instrumentum quoddam vtile opifici ad complendam spiritualem fabricam omnibus in rebus parere, in quibus vt operam suam nauet, rectum esse Antistes iudicarit; inde necessaria argumentatione ita concludit: *& vt instrumentum non sibi ipsi deligit quod facto vsus sit ad artem iuuandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam conuenit, ipsum esse, qui sibi suo iudicio opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet consilioque concedere*; secus quidem omnia præpostera, & absque ratione fient. Quid enim? instrumentum mouere, an moueri? oues pastorem suum ducere, an ab eo duci pascive deceat? Porrò hac imagine in rem hanc sic vsus est
Grez. Nazianz. orat. 9. ad Iulianum: *Oues pastores* Greg. Nazia.
ne pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si rectè pascamini, iudices ne iudicate, nec legislatoribus leges præscribite; sed enim, vt videas vti conspirent Ethnici cum Christianis, audi Senecam epist. 94. aliàs, 95. grauiter sibi Platonis leges displicere affirmatẽ, quòd longa in principio oratione, & veluti prologo, animos demulceãt, & corũ quæ præscribũt, nõ secus ac si Magister cũ discipulis disputationẽ institueret, rationẽ reddãt. *Nõ probo, quòd Pla-* Seneca.
tonis legibus adiecta principia sunt: legẽ enim breuẽ esse oportet, quo faciliùs ab imperitis teneatur, velut emissa diuinitus vox sit, Iubeat, nõ disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quàm lex cũ prologo. Mone, dic quid me velis fecisse: non disco, sed pareo. Pulchrè id & reli

& religiosis viris nonnunquam ingerendum, & ad incutiendum ipsis pudorem inculcandum; cum longiori sæpe, & prolixiori prologo ad quoduis illis a Prælato denunciandum mandatum, opus sit.

5. Sed pulchrius subiiciam ex Cornelio Tacit. lib. 6. Annal. si prius iecero fundamentum. Ælius Seianus inter Tiberij Imperatoris familiares primus aliquamdiu fuit, immò verò per sexdecim annos omnia apud eum potuit. Hinc eius amicitiam omnes ambire, omnes colere, & retinere gestiebant, quippe *Seiani propinqui, & affines* (inquit Tacit. lib. 6. annal.) *augebantur, vt quisque Seiano intimus ita ad Cæsaris amicitiam validus: contrà, quibus esset infensus, metu, & sordibus conflictabantur.* Sed, quæ Aulæ, quæ Fortunæ, quæ Principum (& hæc quidem maior) volubilitas, & inconstantia est, cùm iure dixisses, cælum citius ruere posse, quàm Seiano malum à Tiberio inferri, illi non modò Principis gratia, quæ pluma leuior erat omnino euolauit, sed nimio etiam amore, nimium odium successit: ergo illum vt euexit, depressit, & oppressit; & *quo die illum Senatus deduxerat, populus in frusta diuisit, in quem quidquid congeri poterat* (sic Seneca lib. de tranquil. anim. c. 11.) *dij hominésque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret.* Nec Seiano solùm offensus, & infensus Tiberius omnes illius amicos exosos, & inuisos habuit, & eo solùm nomine morte mulctabat: vnde scite aliò intentus dixit idem Seneca ep. 55. *quoties aliquos Seiani odium, deinde amor merserat, æquè enim offendisse illum, quàm amasse periculosum fuit*; (sed quæ tempora Seianos non ferunt?) Hinc quotquot ob Seiani amicitiam rei habebantur, illam siue verè, siue falsò exuentes, ea se labe vnquam infectos pertinaciùs negabant; vt qui scirent inde vitam, famámque suam dependere. At enim, tunc temporis M. Terentius ob id in crimen, & iudicium vocatus contrariam defensionis suæ viam iniuit: Seiani videlicet amicitiam animosè, & constanter sic primum professus apud Cornel. Tacit. lib. 6. Annal. *Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat adnoscere crimen quam abnuere, sed vtcumque casura res est, fatebor, & fuisse me Seiano amicum, & vt essem, expetisse, & postquam adeptus eram, lætatum*, & in ipsius me Principis sensum & caput adhuc subinde modum reiiciens: *Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudiæ, & Iuliæ domus partem, quas adfinitate occupauerat, tuum, Cæsar, generum, tui Consulatus socium, tua officia in Repub. capessentem colebamus.* post quæ verba subiicit rationem nostro instituto opportunissimam. *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est.* ac si diceret. Quod fuerit crimen Imperatorem sequi & eius vestigia obsequentem premere? maxime cùm ad nos non iudicare, siue diiudicare, sed cæco & glorioso impetu illius monitis parere omnino pertineat. Nec pudebit cum hac Gentilis hominis sententia, aliam non absimilem S. P. N. Ignatij obedientiæ amantissimi componere. Sanè ipse aliquando dixisse fertur, non dubitaturum turbulento mari in naui sine velo, remísque sese committere, si id sibi à Prælato præscriberetur: cumque sciolus nescio quis, ipsi obiiceret, & quæ hæc prudentia fuerit? prudentissimè ipse respondit. Viderit id, qui imperat; nec enim ad subditum spectar, prælati sui iussa discutere, & propria prudentia, & iudicio metiri: ac si dixerit, illi summum rerum iudicium Deus dedit, mihi obsequij gloria est. Ad quem quidem modum rectè compositos, & institutos egregios illos pueros, quibus ferox rex nisi aureum ipsius simulachrum reuerenter colerent, atrocissime mortem minitabatur, atque repræsentabat, iam alicubi vidisti dum tyranno insultanti: *& quis est Deus, qui eripiat vos de manu mea?* illi sedatissimo animo responderunt; *Ecce enim Deus noster, quem colimus potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex liberare. Quòd si noluerit, notũ sit tibi rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus*, Daniel 3. 17 quod perinde fuit, inquit ibi Theodoret. ac dixere, *Ne ab iis quidem malis temere liberari petimus, sed ipsi omnem nostri gubernationem, & prouidentiam permittimus; & eius quod futurum est, ignari, gubernatori nostro quocunque illi libuerit, nauem dirigendum committimus*, &c.

Cornelius Tacit. — Seneca. — Idem. — Petrus Ribad. in eius vita. — Dan. 3. 19. — Theod.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

6. Nec mihi dixeris puerorum hoc iudicium, & obedientiam esse, cùm nihil minus de supremis illis spiritibus excelso Dei solio assistentibus nobis enunciet sacer textus: sic namque Isaias capit. 6. 2. *Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*; siue, vt Hebræa Lectio habet: *sex alæ erant vnicuique, duabus velabat vnusquisque faciem suam, & duabus velabat pedes suos, & duabus volabat.* Vides illos velata facie, & declinatis oculis volantes, siue iussa Dei perficientes? quòd nihil discutiant, diiudicent nihil, nec aliò nisi ad promptissimum obsequium adspiciant. Habet verò pulchram emphasim, quòd Seraphini à Dionysio Areopagit lib. de cælesti hierarch. non duos tantùm, sed multos pedes (arcano videlicet sensu) habere dicuntur: vt argumento sit eam perfecti obedientis normam esse, vt multos ad mandata exequenda pedes, nullos ad ea discutienda oculos habeat. Sed tam huic Isaiæ testimonio, quàm præfatæ doctrinæ opponas Petrum epistola prima capit. primo, 12. dicentem, *in quem desiderant Angeli prospicere*; quomodo enim vna ex parte declinare oculos, faciémque velare, ex alia verò desiderare, prospicere: hoc est, auidissimè exoptare, Deum intueri, ac mentis oculos ipsius visione nulla intermissione, & satietate plus pascere, possint conuenire? Verùm ex Vulgati lectione, quæ non ipsorum cælestium spirituum, sed Dei faciem, & pedes Seraphinorum alis velari adstruit, facilè occurras, & vtrumque testimonium in concordiam rediges: nimirum supernæ mentes vno ex capite in Deum indesinenter prospicere concupiscunt, vt ipsius mandata quàm celerrimè exequantur; eo modo quo superiùs dicebamus ex illis Psaltis verbis: *Potentes virtute qui facitis verbum eius ad audiendam vocem sermonum eius*, Psalmo. 102. 20. ex alio verò obsequij gloria contenti ipsiusmet Dei faciem, pedésque, hoc est, vt interpretatur Bernardus serm. 4. de verb. Isaiæ, diuinorum decretorum principium, & finem, siue ordinem & causas, & quo consilio, quo fine id à Deo præscribatur, nullo modo conspicere, aut disquirere audent; Hæc enim perfectæ obedientiæ lux, hæc natura est.

Isai. 6. 2. — Lect. Heb. — Dionys. Areop. — 1. Petr. 1. 12. — Psal. 102. 20. — Bernard.

7. Vnde quidem videris Mosem, dum ardentem rubum attentiùs contemplari concupiuit, vt hominem rusticum, & imperitum à Deo tractatum & accedere prohibitũ. *Ne appropies*, inquit, *huc*, Exod. 3. 5. sed quare? Ita ne Deus accedentes ad se repellere, & arcere solet? respondent Patres, Ruper. Euseb. Hugo Victor. Caiet. & alij, quòd audacter, & parum religiosè ad scrutandum mysterium ignis in rubo ardentes accederet. At cur audaciæ, & temeritatis nota inuratur, qui Dei imaginem in rubo contemplari, & venerari gestiuit? e medio,

Exod. 3. 5. — Rupert. Euseb. Hugo. Victor. Caiet.

Philo. siquidem rubi (Philo libro de vita Mosis) *promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, diuinum planè simulachrum, luce fulgens clarissima, vt Moses suspicari posset, Dei esse imaginem.* Respondeo, non inde argui Mosem, quòd rubum videre, & contemplari vellet, sed quòd rationem, cur arderet, nec combureretur, curiosus scrutari concupierit; hæc enim ipsius mens fuit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* indidem vers. 3. *Quare?* inquis; & quis te diuinorum arbitrum, & pensitatorem fecit? Non eris contentus, si rubum ardentem & incombustum videris, quin tuo iudicio *quare non comburatur* examines? vbi Deus, siue quæuis Dei imago, siue vestigium adest, nónne omnia certo ordine disposita, & constituta erunt? Quid igitur diuinis te consiliis ingeras? Aptè citato loco sub
Cornelius Tacit. præfati M. Terentij persona Cornel. Tacitus: *Abditos Principis sensus, & si quod occultius parat exquirere, inlicitum, anceps, neque ideo adsequare.* Sic ille. Hinc Metellum Pontificem, qui cum arderet Vestæ templum, dum Palladium, quod nemini videre licebat, religiosè, ac animosè ne combureretur, rapuit, oculos amisit; ab illorum calumnia, qui quòd cæcus mansisset, à sacerdotij dignitate repellebant, prudenter tutabatur Orator Pollio apud Senecam lib. 4. controuer. 2. inquiens. *Lex æstimari hoc voluit tunc, cum quis peteret, non cum haberet sacerdotium. Habes Vesta duplex Pontificis tui meritum, seruauit sacra, nec vidit*; tanquam dixerit: immò vel ob hoc Sacerdotio dignissimus existit, cui oculorum orbitas religioni, ac pietati cessit, vt vel ipsamet sacra contrectans, & ab incendio eripiens, non viderit.

8. Sed enim cæcam illam atque ideo oculatissimam supernorum spirituum obedientiam ac obsequium optimè imitabatur, ac exprimebat Abra-
ad Rom. 4. 3. ham, de quo Paulus ad Rom. cap. 4. 3. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam*; vbi maximè est notandum, Apostolum, cùm de eximia Patriarchæ obedientia, & egregiis huius virtutis actionibus sermonem instituat, hæc omnia per phrasim credendi signatè exponere voluisse, vt exprimeret quanta animi securitate, quámque subdita diuinis consiliis mente, licèt ea ipsi præscriberentur, quæ ad speciem incredibilia, & inter se compugnantia videbantur, absque vlla hæsitatione, & diiudicatione Deo adhæserit, atque obtemperauerit. Id ad illud Domini ad Abraham
Genes. 12. 1. monitum: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi, faciámque te in gentem magnam,* Genes. 12. 1. sic adnotante Chrysostomo hom. 31. in
Chrysost. Genesim, *Nisi pius fuisset, satis erat ad reddendum eum segniorem, & ad obedientiam magis cunctabundum. Nam si fuisset ex magno illo numero, dicere potuisset: Quare me peregre proficisci iubes? & in alienam terram abducis? Quare si me magnum facere vis, non hic magnum facis? Quare in domo paterna versantem tua benedictione non dignaris? Quod si contingat, priusquam perueniam in locum, quem iubes, defatigatum me itineris laboribus perire, quæ mihi ex promissis vtilitas? At nihil horum vel in mentem suscipiendum censuit: sed sicut voluntarius seruus ad solum imperium obediuit, nihil curiosè quærens, vllúmque aliud negotium prætexens.* Ita Chrysost. Nec minus eleganter Chrysolog. serm. 55. singulas Abrahæ actiones in Dei obsequium, & iuxta illius præscriptum
Crysol. exhibitas ad hunc modum commendans. *Abraham vbi Deum Patrem credit, mandatorum formas non attendit asperas, & acerbas: circumcisionem recipit verecundam, & quæ cælestis Pater iubet, non discutit, sed iudicat gloriosa.* Pende singula, atque illud, *vbi Deum Patrem credit*, sic cape, vt sensus sit, cùm in animum induxit, se à Deo tanquam à patre gubernandum fuisse susceptum, nihil ab ipso sibi fore præscribendum, quod & suis rationibus maximè vtile atque expediens non esset: certo certius existimauit. Ita Cyrill. Alex. lib. 11. in Leuit. dum filios, & subditos ad obtemperandum parentibus atque præpositis vrget, quòd Dei nomine agant subiicit: *& ideo nullo genere aduersus patrem, ne verbo quidem habendum certamen est, aut mouenda contradictio: pater est, mater est: vt ipsis videtur, agant, faciant, dicant, imperent.* Sed deinde obserua ea verba Chrysologi, *non discutit, sed iudicat gloriosa*: quæ eadem esse videntur cum illis M. Terentij. *Tibi summum iudicium dij dedere nobis obsequij gloria relicta est.* ac si vterque velit, nihil esse subdito gloriosius quàm absque vlla hæsitatione, & diiudicatione data sibi mandata perficere. Cyrill. Alex.

Et iure quidem id homini fuerit gloriosum, cùm inde signatè reddat ipse gloriam Deo: vti de Abrahamo dicebat Paulus in expositione litteræ n. 18. adductus, *non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo*, ad Roman. 4. 20. sic enim extrema hæc verba explicabat indidem Seuerianus: *Dans gloriam Deo: hoc est, non curiosè scrutatus quomodo possibile esset hoc fieri? quonam pacto id fieri contingere? quomodo id suscipi posset?* Sed cur peculiarem hanc gloriam Deo dare dicatur, qui iussa non discutit & curiosè scrutatur? Collimauit, opinor, scopum S. P. Ignatius in citata non semel epistola *de obedientia*, dum ait, eum qui mente & iudicio Prælato obtemperat, sese in excellentiori, & nobiliore animi sui parte vincere, ac proinde gratissimæ, & pulcherrimæ subiectionis Deo victimam offerre; quid enim in homine intellectu præstantius? quid quod eum cælestibus spiritibus, ac ipsi Deo magis similem reddat? ergo dum hunc subiicit, dat *gloriam Deo*: nihil sibi tribuens, nihil relinquens, sed illi omnino credens, & vndequaque acquiescens: vnde quidem videris, ab hac iudicij demissione, & subiectione non modò gloriosum & Deo & obedienti obsequium deriuari: sed etiam adeò magnum obedientiæ momentum accedere, vt inde obediens quis, siue inobediens denominetur. Vel audi quid de vxore Loth, Sodomis egressa retróque faciem obuertente dixerit Salomon Sapientiæ 10. 7. *& incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*; vbi pro *incredibilis* Græcè est ἀπιστούσης, quam vocem Iansenius *incredula*, Vatablus *diffidentis*, siue *non se credentis Deo*; alij *non obtemperantis*, vel *inobedientis* transferunt: sed cur rogo, non obtemperans dicatur, quæ Sodomam iuxta Domini præscriptum fuerat egressa? Cur incredula & diffidens, quæ nisi credidisset, acres de Sodomitis Deum pœnas sumpturum, nunquam egrederetur? Cur tandem *incredibilis*, siue incredula *anima*, non verò incredibilis mulier, siue fœmina, aut vxor Loth dicatur? Non difficile sanè vnica ratione hac omnes difficultates opprimes: nimirum cùm illa retro respexit, vt nimis attentè & curiosè supplicium quod Deus fuerat minitatus, visu exciperet, & diffidens & incredula, & inobediens anima extitit. Obediuit sanè corporis egressu, credidit forsam monitis Dei: sed dum hæc oculis videre, & scrutari proprióque iudicio examinare, & metiri voluit, quin mente, & intellectu, diuinis præceptis adquiesceret, satis ostendit, emortuum, & sine anima id obsequiũ fuisse, eámque incredibilem, & inobedientem habuisse animam. A quo non longiùs iuit Philo Cyrtius in catena Lyppomani, inquiens. *Satis est, nouisse Deum,* Philo.

9. ad Rom. 4. 20. Seuerian. S. P. Ignat. Sapien. 10. 7. Lect. Græca. Iansen. Vatabl.

Deum, scelerum pœnas exigere; quæ verò illæ sint, aut quomodo infligantur, inquirere, temeritatis est, quæ desiderat castigationem.

10. Exhibuit sese in pulcherrimo obsequio Abrahæ potius filium, quàm vxoris Loth socium paralyticus ille, cui Christus salutem impertiuit, simul præscribens, *Tolle grabatum tuum, & ambula*, Ioan. 5. 12. nam dum ex salute sibi data, Christum superiorem sibi ac prælatum agnouit, nec de præcipientis nomine, datáve sibi potestate percontatus, ipsius imperata perfecit: & verò Iudæis hunc ipsi scrupulum ea de re iniicientibus, *Sabatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum*; ipse constanter respondebat: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.* Quasi diceret, inquit Euthymius, *ipse mihi dixit: ipsi obediui, siquidem eum, qui me sanum fecit, maiorem cunctis ducere debui*: siue, vt ait Theophylactus. *Deliratis, & desipitis, iubētes nè obediam ei;* cúmque de præcipientis nomine eum rursus interrogasset, ipse se nihil scire affirmabat. Sed enim, Iesu ab eo non multo pòst in templo inuento, ipsius nomen didicit, atque ei ingentes gratias agens in alios diffudit, annuntians Iudæis non quod illi perquirebāt, quisnam videlicet esset, qui ei grabatum tollere præscripsisset, sed quis illi contulisset sanitatem; *Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* At inquies, cur modò Iesu nomen interrogauit, non verò antea cùm illi præscripsit, vt lectum tolleret? Respondeo, quòd alia gratitudinis, alia obedientiæ lex sit, illa enim benefacientis nomen nosse, atque diffundere, & mitis laudibus celebrare iusta ratione postulat; hæc verò adeò non petit introspicere, quis is sit, qui imperet, quáve ratione, aut causa imperet, vt potius exigat, ne horum aliquid à subdito discutiatur, siue examinetur. Quod sanè vel Gentilis Otho apud Cornelium Tacitum libro 1. historiarum in oratione ad milites habita perdocuit, illos, quòd consiliorum Principis ignari, quæ à Tribunis, & Centurionibus præscriberentur, in peiorem partem acciperent, sic monēs, atque obiurgans: *Imus ad bellum, non omnes nuncios palàm audiri, omnia consilia cunctis præsentibus tractari, ratio rerum, & occasionum velocitas patitur. Tam nescire quædam milites, quàm scire oportet ita se ducum auctoritas, sic rigor disciplinæ habet, vt multa per centuriones, tribunósque tantùm iuberi expediat: si vbi iubeātur, quærere singulis liceat, per eundem obsequio, etiam imperium intercidit.* & post nonnulla: *parendo potius commilitones, quàm imperia ducum sciscitando res militares continentur; vobis arma, & animus, mihi consilium, & virtutis vestræ regimen relinquite.* Hæc ibi.

Ioan. 5. 12.

Euthym.

Theophyl.

Ioan. 5. 15.

Idem.

Cornel. Tacit.

11. Detorquentur ad varios sensus, & cogitationes illa Isaiæ verba cap. 45. 15. *Verè tu es Deus absconditus*; sed si ad Vatis mentem accuratiùs attendis, ideo Deum absconditū appellasse videris, quòd cùm esset in Rege Cyro (de quo toto illo capit. sermo est) egregiáque eo administro in populi sui gratiam, atque liberationem ederet facinora, ea tamen sic perageret, vt à Cyro potius, quàm à Deo ea perfici videretur. Quo quidem argumento sibi debent subditi persuadere absconditum in suis Prælatis Deum esse; qui illorum consilia, & imperia moderetur, & regat, vt hinc nec ad parendum difficiles, nec ad hæsitandum, siue de officio, aut re quæ illis iniungitur, faciles sint; sed iuxta Cyrilli monitum cùm in Prælato nomen suum Deus posuerit: *Pater est, mater est, vt ipsis videtur, agant, faciant, dicant, imperent.* Certè quamuis Caiphas, corruptæ mentis, & peruersæ voluntatis homo esset, cuius animus inuidia, & auaritia plenus ad iniquitatem solummodo spectabat, quia tamen Pontifex anni illius erat, tam vera, támque opportuna de Saluatoris nece verba, iniquo licèt animo, protulit, vt ea Euangelista Ioannes non potuerit non probare, & non secus ac si sacri Scriptoris essent peculiari commentatione illustrare. *Hoc autem* (inquit Ioannes) *à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit quòd Iesus moriturus erat pro gente. Et non tantùm pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, Ioannes 11. 15. vt in pessimo etiam Prælato videas Deum absconditum, qui, etsi prauum illius animum, & cor non regeret, labia tamen illius, quòd hæc ad subditorum institutionem respiciant, ita moderaretur, & quasi iustis habenis comprimeret, vt nec vnum ipsa verbum mendax, siue inutile profunderent; quippe *labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est*, Malachiæ 2. 7. vbi maximè notandum est verbum *custodient*: quod quodammodo innuere videtur, verba quæ aliàs noxiè, aut imprudenter ab animo non bono aut à mente errante erant diffundenda, à labiis colligi, & custodiri, quasi hæc Dei habenæ sint, quibus ministrorum suorum consilia, atque præcepta moderatur, & à recto tramite deflectere non sinit. Quò facit Hieronymi & Cyrill. Alexand. inibi in nomine Angeli facta obseruatio, quòd quamuis ex Græca voce verti posset *nuntius*; de industria tamen Angeli nomen ob sanctitatem, & puritatem, qua Sacerdos præditus esse debet, fuerit repositum, siue quod magis è re nostra est, quòd licèt Prælatus sibi homo existat, qui sibi videlicet peccet: sibi erret: at subditis Angelus, cuius natura indefectibilis, & qui errare nequeat, certo quodammodo sit: vnde notantissimè Dominus Matth. 23. 2. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere.* Notetur illatiua *ergo*, immediatè cathedræ subiectæ: eam enim habet vim: Iubetur tibi aliquid à Prælato? sit is Scriba, sit is Pharisæus, sit malus, sit pessimus: ergo id tibi omnino faciendum est. Nam vt sibi ille malus fuerit, tibi optimus, & opportunus erit, egregiúmque tua obseruantia sortietur effectum. Ita Cyprianus serm. de baptismo Christi: *Scribæ, & Pharisæi in Cathedra Moysi sedentes dum agunt, quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis vtuntur, & officium, non vita tantis effectibus honoratur.* Sic Cyprianus.

Isaia 45. 15.

Ioan. 11. 15.

Malach. 2. 7.

Hieron. Cyrill. Alexand.

Matth. 23. 2.

Cypr.

12. Sic Romanos admonebat Paulus cap. 13. 1. *Non est potestas, nisi à Deo*, siue, vt Græca, & Syriaca habent: *Non est potestas, quæ non sit à Deo*: & statim: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: In quæ verba scitè adnotauit Chrysostomus homilia 23. non dixisse Apostolum: Non est Princeps, aut Prælatus nisi à Deo, siue qui à Deo non sit, sed signatè, *non est potestas, nisi à Deo*, siue quæ à Deo non sit: quòd nimirum quamuis plures Principes, plures Prælati sint, qui ad principatum, siue præfecturam à Deo non euehantur: quî enim ad gubernationis culmen improbos, insanos, & insipientes plerósque Deus assumeret? sed ipsi potiùs muneribus per fas nefásque sese ingerant, & obtrudant: at omnis ipsorum potestas, & gubernatio à diuina prouidentia, & dispositione singillatim dimanat, ac in ipsis Deus absconditus censeri debet. Parum autem est, non esse humanam potestatem, nisi à Deo: cùm nec diaboli potestas sit, quæ à Deo non sit: nam, vt ipse iniustam pessimámque habeat voluntatem, iustam tamen exercet potestatem, vnde 1. Reg. 18. 10. accurata locutione dicitur, *inuasit Spiritus* Dei

Ad Rom. 13. Lectio Græca. Syriaca.

1. Reg. 18. 10.

Dei malus Saül. Quòd si inquiras, quomodo idem spiritus, & Domini esse, & malus appellari possit? Gregor. Occurrit Gregor. lib. 2. Moral. cap. 6. *Sciendum est, quia Satanæ voluntas semper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta, quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestatem. Quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non, nisi iustè permittit. Vnde bene in libris Regum dicitur*, Spiritus Domini malus irruebat in Saül. *Ecce vnus, idémque spiritus, & Domini appellatur, & malus: Domini videlicet per licentiam potestatis iustæ; malus autem per desiderium voluntatis iniustæ.* Sic Gregor. Ergo quemcumque nactus fueris Prælatum, Deum in illo absconditum considerare debes, vt sine murmurationibus, & hæsitationibus obedias, cùm non sit potestas nisi à Deo.

12. Iam vt diaboli potestas, Gregorio Doctore, iusta, ac proinde sine hæsitatione suscipienda est; ita ipsemet dæmon à nugacibus quibusdam exorcistis in Iesu, & Pauli nomine apud Lucam Actor. 19. 14. aliquando exire iussus; quamuis eorum mores carpere, & fictam ipsorum dignitatem irridere pro ingenij sui procacitate non desiuerit; ipsorum tamen imperio non potuit non obtemperare; historiam sic Actuum 19. 14. enarrante Luca. *Tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habeant spiritus malos nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum quem Paulus prædicat, &c. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis?* & in rem nostram ad hunc modum elucidante Cypriano sermone de Cyprian. Baptismo Christi, & manifestat. Trinitatis. *Obediunt dæmones exorcistis*, Christum, *inquiunt*, scimus & Paulum nouimus, & in nomine Christi, quem Paulus prædicat adiurati egredimur, vos autem penitus ignoramus. *Ecce in nomine suo nihil quæstuarij peragunt exorcistæ, nec se eis deferre ipsi dæmones profitentur, sed nomen Christi etiam per lucrorum sectatores suæ gloriæ retinet potestatem. Et fiunt in talibus causis ministri mercenarij sicut naues itineraria, quæ per pelagus eue hunt institores, quarum rectores potius eorum, quos ducunt, pecuniis inhiant, quàm saluti.* Hæc Cyprianus, vt vel hinc discas, Dei nomen in Prælato, quiuis ille sit, reuereri, atque eius monitis in omnibus, vbi S. Ignat. peccatum non cernatur, (vt admonet S. P. Ignatius in constitut. 3. par. cap. 1. §. 23.) clausis luminibus, & toto impetu parere.

Adnotatio II.

Tunc subditum sapienter obedire, atque egregij intellectus specimen edere, cùm propriæ prudentiæ minimè innixus intellectum obedientiæ supponit.

I. S. Ignat. Disertissimè id præfato loco pertractauit S. Parens Ignatius: cuius hęc inter alia verba sunt. *Ergo sicuti ne voluntas erret, cum superioris voluntate coniungitur, sic intelligentia ne fallatur, ad superioris intelligentiam conformanda est.* Ne inni-Prou. 3. 5. taris prudentiæ tuæ, *sacræ litteræ monent, atque in rebus etiam humanis censent sapientes, veræ prudentiæ esse, suæ ipsius prudentiæ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni iudices esse non possunt.* Vnde rectè infert, *Quòd si in rebus nostris, alterius, etiam non superioris iudicium, atque consilium nostro anteponendum est, quanto magis ipsius superioris, cui nos vt Dei vicem gerenti, ac diuinæ voluntatis interpreti moderandos tradidimus.* Hacte-nus S. Ignatius. Quæ Ambrosius libro de paradiso Ambros. sic opportunè firmat. *Ergo quia sciuit infirmum te esse ad iudicandum, voluit obedientem esse mandato: sciebat enim Deus esse te fragilem; sciebat iudicare non posse.* Rectissimè, tantùm non dicens, ne voluntati solùm ne à bono erret, sed intellectui etiam ne à vero deflectat, singillatim prouideri; dum superioris iudicio submittitur; quippe suis in rebus infirmi iudicij, nec sanæ mentis homo censetur. His adeò consentit Cassianus, vt censeat ex obedientia, & omnimoda intellectus subiectione, rerum omnium scientiam promanare: audi illum sub persona Abbatis Piamontis collat. 18. cap. 3. *Neque vos moueat, aut ab* Cassian. *imitatione retrahat, ac diuertat, etiam si vobis ad præsens alicuius rei, vel facti ratio, vel causa non liqueat, quia eos, qui bene de cunctis ac simpliciter sentiunt, & vniuersa, quæ à senioribus tradi gerive perspexerint, fideliter imitari magis, quàm discutere student, per operis experientiam etiam rerum omnium scientia subsequetur.* Sic ille. Sed hæc vt breuiùs, ita opportuniùs tradidit Bern. lib. de vita solitaria, hunc in mo- Bernard. dũ: *Stultus fiat, vt sit sapiẽs, & hæc omnis sit eius discretio, vt in hoc nulla sit ei discretio: hæc omnis sapiẽtia eius sit, vt in hac parte nulla ei sit.* Felix omnino insipientia, & præmio digna ignorãtia; vti de iis, qui quę non intelligunt credunt, & quæ nesciũt, sperant sapientissimè dixit Hilar. lib. 8. de Trinit. *Habet enim non* Hilarius. *iam veniam, quàm præmium, ignorare quod credas: quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias.* Hæc Hilarius, & alia postmodum afferenda.

Appono tibi præclarum primi exemplaris exem- 2. plum ab eodem Bernardo acutissimè expensum sermone 3. de Resurrect. Domini, dum illa Christi verba apud Lucam cap. 2. 49. optimis parentibus cùm ipsum sibi deperditum post triduum in templo inuenerunt, dicta: *Nesciebatis quia in iis, quæ Pa-* Luca 2. 49. *tris mei sunt, oportet me esse*, cum iis quæ Lucas de suo subiicit, *& ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & erat subditus illis. Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*; eodem tenore, & ductu accipienda censet: quasi ex illis eodem euntibus is resultet sensus; Christum, quod à suis parentibus non caperetur, hoc est, nõ plenè eius sensa percepta fuerint, relicto proprio iudicio, & animi sententia ad illorum mentem, atque iudicium quasi sibi quia parentum, & superiorum suorum opportunius, & vtilius sese demittere, ac subiicere voluerit. Sed audire præstat Bernardum hæc floridè diffundentem. *Attende (inquit) quid fecerit magni consilij Angelus,* Bernardus. *quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris vnius, (Beatam virginem loquor) & fabri pauperis, ipse est Ioseph. Inuentus enim in medio Doctorum audiens illos, & interrogans, quodammodo increpatus à Matre est*, Fili, quid fecisti nobis sic? Nesciebatis quia in iis quæ Patris mei sunt, oportet me esse: at illi non intellexerunt verbum; *& quid fecit verbum? non capiebatur in se, descendit ita, vt esset subditus illis*: vnde sic monet, *Quis iam non erubescat, obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit? sic mutauit consilium suum, vt quod iam tunc ceperat, ex tunc vsque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de eius doctrina, vel operibus inuenies vsque ad annos triginta.* Hæc primùm Bern. Qui statim suomet acumine punctus sapienter ambigit quonam modo, & voluntatem, & consilium suum salua prudentia deserere, Christus Dei sapientia, & iustitia potuerit? *O Domine (ait ille) voluntas, de qua dixisti, vt non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? Si bona erat, quomodo derelicta est? sic, & consilium: si non bonũ, quomodo tuum*

tuum: si bonum, quomodo relinquendum? Sed statim sapientiùs respondet. *Et bona erant, & eius erant, neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet, vt fierent meliora; neque enim oportebat, propria praeiudicare communibus*; subdit nonnulla de voluntate propria, quam Dominus libenter omisit, & de illius consilio parétum iudicio subdito hæc addit. *De consilio idem dicimus. Christi erat, & bonũ erat consilium illud, quod ait*, Quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse; *sed quia illi non intellexerunt, mutauit consiliũ illud vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est. Exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus*. Hactenus Bernard. Sed dũ ille hæc Christi, & Euangelistæ verba eodem filo assuit, cur nõ etiã possit attexere quę sequuntur: *Et Iesus proficiebat sapiẽtia, & ætate, & gratia apud Deũ & homines*. Quasi inde egregius hic ad speciem profectus assurgeret, quòd bonã voluntaté, bonúmque cõsilium suum Dominus relinqueret, vt parentum iudicio subdita *fierent meliora, neque enim oportebat, propria praeiudicare communibus*. Cui cogitationi opportunè aptabis, quod Hebr. Philo ad illa Gen. verba c. 2. 12. in quibus fluuius Heuilath terrã,
Genes. 2.12. *vbi nascitur aurum optimum*, siue *bonum*, vt ipse legit, irrigare dicitur, arcano sensu excogitauit. Nimirum dum aurum prudentiæ symbolum esse, primum adstruit; hærens deinde in illo epitheto *optimum*, siue *bonum* perquirit, qua occasione aurum illud signatè dicatur bonum? cùm inde inferre non nemo possit; aliquod esse prudentiæ aurum quod bonũ non sit. Nec renuit id admittere Philo, monens esse etiam prudentiam quæ bona nõ censeatur, ea quippe quæ propria est; & cui homo cõtra Sapientis monitũ in-
Philo nititur: audi illum lib. 1. legis Allegor. *Certè est. Nam duo sunt genera prudentiæ, alterum vniuersale, alterum particulare; vniuersalis illa, quæ Dei sapientiam inhabitat, ceu domicilium, bona est, itaque prudẽtia mea, cùm sit particularis, non est bona*. Sic Philo, adstruens eam solùm prudentiam bonam esse, quæ sibi non innixa Dei prudentiæ, & dispositioni clausis oculis se committit, ac subdit.

3 Præbeo alterum Sapientiæ Dei exemplum. Ora-
Matt. 26.39. bat ad Patrem in ipsa Passionis suæ nocte: *Pater mi, si possibile est transeat, à me calix iste*, Matt. 26. 39. vbi non dubium, quin ad denotandam Passionis mortísque suæ acerbitatem, quæ illi ob oculos obuersabatur, & sese miris modis terribilé repræsentabar, signatè dixerit; *calix iste*, id est, vt explicat Maldonar. *Passio, & mors ista terribilis*. Postmodũ verò, cùm Petrus nefarios satellites in Christũ irruẽtes ferro animosè exciperet, ac repellere conaretur, mitissima eũ Dominus oratione reprehendens, ait: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Ioan. 18. 11. variata dubio procul calicis acceptione iuxta ancipité calicis significationé, nam in Scriptura vt opti-
Maldonat. mè confirmat statim citandus Maldon. in vtramque partem, & bonam, & malam, & pro re acerba, & pro iucunda accipitur, quia solet eodem calice aliquando amara, aliquando dulcis potio exhiberi, sic tan-
Psal. 10.7. quam de re amara dicitur Ps. 10. 7. *Ignis, sulphur, &*
Ps. 74.9. *Spiritus procellarum, pars calicis eorum*, & Psal. 74 9. *calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc: verum tamen fex eius non est exina-*
Isai. 51.17. *nita*; & Isai. 51. 17. *bibisti de manu Domini calicem iræ eius*. Rei verò periucundè significandæ dicitur Psal.
Psalm. 22.5. 22. 5. *calix meus inebrians, quàm præclarus est*. Quo omnino sensu hoc loco Christus, (nam eadẽ vtrisque verbis mens est quem terribilem priùs & acerbum calicem appellarat, suaué nunc, & dulcissimũ, vtpotè donum à Patre charissimo sibi exhibitũ nuncupat: vt dicere videatur Petro: suauissimũ ne poculum, quo me Pater meus singulari beneuolẽtia reficere, ac recreare dignatur, è manibus, siue è labris extorquere vis? At, quæ hæc sermonis mutatio: Modò terribilis, & acerbitate plenus, modò præclarus, ac periucundus, idem calix est: Ita quidem prout Patris voluntas Christo manifestabatur; hac enim non modò ad obediendum reddebatur promptissimus, sed etiam aliam quasi mentem, alios oculos ad res intuendas assumebat, & quod priùs acerbũ, & horribile videbatur; pòst Patris cognitam voluntatem non nisi suaue, & iucundum apparebat: id ad vers. 54. eiusdem capitis 26. Matthæi optimè pensitante Maldonato; vbi inter alia hæc habet, *Loquitur quidem Christus vt ubique de morte sua, eámque calicem* Mald.
appellat, sed in oratione, antequam Patris sententiam audiret; calicem, id est, rem difficilem, & horribilem appellabat, nunc Patris cognita voluntate eandem mortem, calicem id est, rem sibi iucundissimam appellat; nihil enim non dulce, nihil non suaue est obedientiæ. Sic ille.

Quàm aliter, hoc est quàm longè à vera pruden- 4.
tia primæ parentis prudentia, & sciendi cachoëtes iuit, dum diuini præcepti temeraria discussione, & iudicio fieri iudex, qui illud pro arbitrio, quàm fuerit æquum, quàm vtile, diiudicare, & suis momentis examinare, voluit. Id enim Ruperto auctore lib. 3. comment. in Genes. cap. 9. significant ea verba, quæ post diaboli suggestionem subiicit Moyses cap. 3. 6. *Vidit igitur mulier*. Quasi ipsa propriis oculis rem Genes. 3.6.
videre, atque discutere tentauerit: sic namque Rupertus, *Vidit mulier, id est, considerauit, diligẽter intuita* Rupert.
est cui ipsius attinuit, & iudex eorum, quæ audierat, ipsa esse voluit. Audierat, quòd dixisset Deus, In quocumque die comederis ex eo, morte morieris: *Audierat serpentem è contrario dicentem*: Nequaquam moriemini. *Inter hæc anceps, naturam ligni propriis sensibus diiudicare voluit, vt sciret, cui potissimum, Deo videlicet, vel serpenti palmam concederet veritatis*. Sed quàm seuerè, quàm verè temerarium, & imprudentissimũ hunc sciendi, & diiudicandi appetitum carpunt aliò licèt euntes Tertull. atque Saluianus, dum ille libro de pœnit. c. 4. inquit: *Audaciam existimo de bono diuini præcepti disputare; neque enim quia bonum est, ideo auscultare debemus, sed quia Deus præcipit*: hic verò Tertull.
lib. 1. de Prouiden. ait, *Sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quàm sinaris: sufficit quòd tibi Deus a ... agi, & dispensari cuncta testatur*. Hæc Saluian. Massil. Ad Saluian.
quem modum citato loco Hilarius. *Extra Euangelica promissa est, quisquis extra fidem eorum est, & impia in intelligentia crimine spem simplicem perdidit*. Bene quidem quòd fidei non dubitanti, non curiosè disquirenti candida spes innititur, [illegible]de statim addit, *At verò vltima impietatis furor est, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrumpisse credendi* proprio scilicet iudicio mysteria examinando, & expendendo.

Nec Euæ solùm id crimen, esset enim tollerabi- 5.
lius malum: sed Adami etiam facinus fuit, Dei præcepta discutere, immò proprio potius quàm Dei iudicio res suas ducere. Etenim si attendis, illud ei in arbore scientiæ boni, & mali, pulcherrimum floruit, ac maturuit pomum, si suo ipse iudicio à Dei præscripto exempto, quid bonum, quid malum, quid sibi vtilius in posterum foret, perdisceret. Quod sanè ex non minus pungenti, quam sapienti oratione, qua illum Deus dicitur allocutus, cognosces: sic enim ad illum à vanissima cogitatione excissum, & sese ignorantia, & amentia inuolutum conspicientem, Dominus Genes. 3. 22. *Ecce Adam quasi vnus* Genes. 3.22.
ex nobis factus est, sciens bonum, & malum: siue vt LXX. habent, *factus est tanquam vnus ex nobis* LXX.
in cognoscendo bonum, & malum. Quæ Chaldæus sic Chaldaei.

optimè expressit: *Ecce Adam est vnicus in saeculo, ex se sciens bonum, & malum.* Preme illud, *ex se*: & Adami peccatum, atque stultissimam prudentiam nosce. Poterat ille quidem ex Dei praecepto, quid bonum, quid malum esset, perdiscere: at ipse *ex se* id nosse, bonúmque ac malum, necnon Dei praecepta proprio arbitrio pensitare, voluit: vnde illi opportunè praefatis verbis insultauit Dominus; ac si dixerit, En eum qui nostri adsimilis ductore opus non habet, cùm ex se bonum, & malum dignoscere, atque discriminare valeat, nec ad felicitatem comparandam alieno iudicio egeat. O pulchrum caput! Aptauit haec religiosae vitae cultoribus Bernard. lib. de vita solitaria ad fratres de Monte Dei, hunc in modum. *Lignum scientiae boni, & mali in paradiso, censura discretionis est, in conuersatione religionis penes Patrem spiritualem, qui diiudicat omnia, ipse verò à nemine iudicatur: ipsius est discernere, aliorum est obedire. Adam gustauit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait,* Quare praecipit vobis Deus, vt de ligno non comederetis? *Ecce discretio, cur praeceptum sit? & addit:* sciebat enim, quia qua die comederitis, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij. *Ecce vt quid praeceptum sit: scilicet, quod deos fieri non sinet: Discreuit, comedit, & inobediens factus est, & de paradiso eiectus est.* Haec Bernardus.

6. Qua quidem in re illud est maximè mirandum, plerumque subditos, dum Praelatorum iussa discutere, & suo arbitrio pensitare, immò, & eorum iudices fieri volunt, de iis rebus iudicium ferre, quae maiori ex parte eos latent, quin earum naturam, & opportunitatem percalleant; sed externam tantùm faciem, & colorem cognoscant. Vt in Eua cernere est; de eo siquidem pomo, quod nunquã gustauerat, sed foris solùm aspexerat, ac si intus, & in cute cognosceret, bonum sibi vtile, ac suaue futurum iudicauit. *Infirma auctor iudicij* (inquit Ambros. lib. de paradiso, c. 13.) *de eo, quod non gustauerat, iudicabat.* Vnde scitè dicebat S. Nilus in Ascetico. *Qui enim curiosus est in explorandis consiliis praeceptoris, quique sedulus examinat, & expendit ea, quae sibi ab ipso praecipiuntur, is sibi quominus progrediatur, atque proficiat, est impedimento. Quod enim conueniens, & consentaneum ab imperito iudicatur, non idem verè conueniens, & consentaneum est apud artificem: Horum enim iudicia sunt cõtraria: artifex vtitur scientia artis, ignarus coniectura. Porrò coniectura rarò assequitur veritatem, sed plerumque aberrat à vera rectitudine, & facile fallitur, atque decipitur:* Ita Nilus subiicit praeclaram imaginẽ, quae, quantum ars coniecturae praestet, dilucidè ostendit: *Quid enim primo aspectu videtur absurdius? quàm cùm gubernator in ea nauigatione, quam nautae matutinam appellant, iubet, vt vectores naui in obliquum vergente in eo latere considant, quod vndis obruitur, relicto latere sublimiori, praesertim cùm ventus impellat, atque vrgeat latus illud, in quo iussit pondus inferri: Nonne coniectura ju s diceret, vt alterũ latus, quod erat sublimius onere premeretur, omnésque in eo considerent? at gubernatoris iudicio, potius, quàm propria coniectura, atque opinioni vectores credunt, & obediunt. Quid ita? quia quamuis ea, quae cernunt, aliter suadeant, arti tamen illius, cui salutem suam commiserunt, necessitas cogit obtemperare. Sic igitur qui salutem animae suae aliis crediderunt, omissis propriis opinionibus, & coniecturis, periti rectoris arti cedant, & scientiam illius suis cogitationibus anteponant.* Qui secus facit, fide iubebit pro Bern. epist. 87. ad Ogerium, dicente. *Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Nec stulto solùm, sed maligno etiam praeceptori se erudiendum, ac imbuendum, hoc est, decipiendum tradit. Audi Cassianum collat. 18. c. 3. *Nunquam rationem veritatis intrabit, quisquis à discussione coeperit erudiri, quia videns eum inimicus suo potius, quàm patrum iudicio confidentem, in id vsque propellit, vt etiam illa, quae maximè vtilia, atque saluberrima sunt, superflua ei videantur, & noxia.* Sic ille.

Sed Bernardi cogitationem optimè firmat serui illius parabola, qui *abiens fodit in terra, & abscondit pecuniam domini sui*, Matt. 25. 18. is enim adeò insipiens, & ignarus rerum describitur, vt absque alio, siue testium, siue rationum apparatu ex proprio ore, & facta ab ipsomet ratiocinatione à domino suo fuerit conuictus, quod pessimè in talenti administratione se gesserit. Videris verba & rationes apud Matthaeum, vt ego tibi, cuius ille conditionis seruus fuerit, cuiúsue imaginem adumbret, & prae se ferat, ex Gregorio Magno hom. 9. in Euang. dixerim. Sanè cùm is fuerit, qui vnicum signatè talentum accepit, *vnius verò talenti nomine intellectus tantummodo designatur*, ait inibi Greg. Non abs re inde significari existimes hominem in oculis suis sapientissimum, & apud semetipsum omnium prudentissimum, qui totus mens, totus intellectus & acumen sit. En igitur intellectum absque intellectu, & sine cõsilio consilium, dum proprio intellectui, & consilio quis innixus superiorum mandatis non attendit. Quare cùm ex persona Domini notanter dixisset Regius Vates Psalm. 31. 10. *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris*, ad id omnino obedientis subditi intellectum peculiari à Deo munere donatum reuocans, vt sese ipsi commonstranti viam, & ductoris munere fungenti subiiciat, & obsequatur; subdit: *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Sed iure ambiges, cur ad eorum exemplum, qui sine intelligendi facultate sunt, equum & mulum notanter apposuerit, cùm stupidior asinus, rudior bos sint? Respondet verò inibi August. rationem esse, quòd bos possessorem suũ, asinus praesepe domini sui agnoscant, Isai. 1. 3. equus verò, & mulus erecta ceruice sint, qui se sola instructione, & monitis ad viam dirigi non sinunt; nisi camo, & fraeno constringantur, vnde meritò de illis dici sine intellectu esse, quasi ea egregia mens, praeclarúsque intellectus fuerit, qui ductorem clausis oculis sequitur: illa verò sine intellectu mens, & sine mente intellectus, qui sibi soli innititur; nec aliorum monitis acquiescit. *Ostendit nobis* (inquit August.) *quid sit intellectus.* Nolite esse sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. *Equus, & mulus erecta ceruice sunt, non sunt equus, & mulus; sicut ille bos, qui agnouit praesepe domini sui.* Sic August. A quo non longiùs iuit Bernard. serm. 1. in conuers. Pauli, dum premẽs Apostoli patientiam, & humilitatem, qui cùm in somnis Ananiam salutares sibi manus imponẽtem vidisset, non tamen illico se putauit illuminatum, & sanitati restitutum, quin Ananiae aduentum, & impositionem manuum expectaret, ad nostrum id institutum sic detorquet. *Vidit, ait Dominus, virum imponentem sibi manus vt visum recipiat, fratres, Paulus hoc cùm vidisset non continuò illuminatus est. Nunquid non expectauit Ananiae manum, quia venturum eum fortè in somniis praeuidit: Haec dico charissimi, quia vereor, ne quis fortè sit inter vos, qui solo se somnio praesumat illuminatum esse, nec iam aequanimiter patiatur ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum.* Haec ille, vt videris quàm prudenter superiùs dixerit, Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit; quis enim stultior, ac insanior, quàm qui somniat se ipsum regere, & aliorum ope non indigere existimat?

VERSVS

Marginalia (left): Bernard. — 6. — Ambros. — S. Nilus. — Bernard. — Cassian.
Marginalia (right): 7 Matt. 25. 18. — Vide sis — Gregor. Mag. — Psal. 31. 10. — August. — Isai. 1. 3. — August. — Bernard.

VERSVS XV.

Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ: inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo.

1. POSSIT hæc aliquis cum præcedentibus ita connectere, vt murmurationibus & hæsitationibus sensu dato opponantur. Græca siquidem
Græca Lect. vox ἄμεμπτοι, pro qua noster posuit, *sine querela*, tam sub actiua significatione, quàm sub passiua sumi potest. & vt sæpiùs significat eum, de quo nemo iure conqueri possit: ita actiuè eam aptè vsurpaueris pro eo qui non querulus siue queribundus, non morosus, non iurgiosus est. Applaudet his auidè proculdubio Cornelius, qui vocem
Cornel. *simplices*, vt murmurationum, & disceptationum inimicam positam affirmat, quòd qui simplices, & candidi sunt, non sunt curiosi in peruestigando quid hic vel ille faciat? non disceptant, non murmurant, sed omnia in meliorem partem interpretantur, & quemque suo officio, & iudicio relinquunt, séque suis tantùm rebus immiscent. Ad quem etiam modum *filij Dei sine reprehensione*, huc
Theoph. reuocauit Theophylactus inquiens. *Serui est ingrati, obmurmurandi id vitium. Fieri enim qui potest vt querulus sit, qui paternis, & suis rebus insudet, & studeat filius?* Sed non est, cur generales sententias, atque monita singulis his verbis à Paulo affixa tam strictè capiamus, certè ipse hypothesi ad thesim reuocata è priuatis illis obedientiæ circumstantiis de quibus præd. vers. egit ad grauiora, & communiora Christianæ documenta emergere videtur.

Sine querela.

2. NEc verò ideo probauerim Erasmi versionem, quæ habet *inculpati*, quasi *nulli affines culpæ*, latiori vocabulo, quàm Græca vox exigit: etenim
Græca Lect. Iustin. Cornel. ἄμεμπτοι, vt iam dixi, & ante me monuerunt Iustinian. & Cornel. propriè denotat eum, de quo nemo queri potest, & verò si attendis, aliud est, *esse sine culpa*, & esse, siue incedere *sine querela*; illud enim ad totam vitæ rationem generaliter spectat, atque eam significat puritatem, quæ ab omni peccati labe sit immunis, quod quidem statim expressit Paulus, subdens, *sine reprehensione*, vt ibi explico; hoc verò eas virtutis actiones, quæ ad proximi vtilitatem, siue bonum pertinent, signatè respicit; vt ex Græca, & Latina voce constat: vnde hæc sic
Anselmus. explicat Anselmus, *sine querela, id est, vt proximus non possit de vobis conqueri*. Iuuat locus Lucæ c. 1. 6.
Lucæ 1. 6. vbi de Baptistæ parentibus inquit: *erant iusti ambo incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus*
Ambros. *Domini sine querela*, in quæ verba Ambrosius, *vnde sanctus Euangelista non solùm iustos ante Deum, & incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sed etiam* sine querela *incedentes, ait. Quod mire cum prophetico congruit dicto, quo sanctus Salo-*
Prouerb. 3. *mon in Prouerbiis vsus est.* Prouidè bona semper coram Deo, & coram hominibus. *Nulla ergo querela est, vbi & mentis bonitas concordat, & facti. Et plerumque iustitia durior hominum querelam excitat.* Sic Ambros. Sed illud est multo opportunius quod non semel monuit Augustinus Scripturam non solitam dicere, aliquem sine peccato, sed potiùs *sine* August. *querela* conuersari, quòd hæc ad proximos, illud ad Deum referatur. Sic namque ille lib. de perfect. iustitiæ contra Celestium tom. 6. *Sed aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Dei vnigenito dictum est: aliud esse* sine querela, *quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit, quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana conuersatione iusta querela esse non possit. Quis enim iustè queritur de homine, qui nemini male vult, & quibus potest, fideliter consulit, nec contra cuiusque iniurias tenet libidinem vindicandi, vt veraciter dicat*, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ita ibi Aug. & lib. de natura, & gratia cap. 14. *cum aliquoties in Scripturis inueniatur, homines dictos esse* sine querela, *non inuenitur, qui dictus sit sine peccato, nisi vnus solus, de quo apertè dictum est*, Eum qui non nouerat peccatum, 2. ad Cor. 5. Hæc August.

Sed vt ego etiam *sine querela* sim, monstrabo viam, qua & aliorum interpretum stricta explicatio subsistat, & per latiorem simul campum nos expatiari possimus. Sanè vos *querela*, (quod ad ea 3.
verba cap. 13. vers. 6. libri Sapientiæ. *Sed tamen adhuc in his minor est querela*; commonui) si peni- Sap. c. 13. v. 6.
riùs consideretur, non quascúmque querimonias, sed eas propriè accusationes significat, quæ non tam ex odio, quàm ex amore oriuntur, aut quarum causa, & origo sit crimen, seu facinus contra leges amoris, atque beneuolentiæ: sic apud disertissimum poëtam Didoni reginæ amoris æstu flagranti, & amoris litem cum Ænea agitanti ipse non comiter, & vrbanè, sed obstinato animo subrusticè respondebat,

Desine méque tuis incendere téque querelis. Virgil.
Similiter Horat. 2. ode 6. Horatius.

——— *desine mollium*
Tandem querelarum.

&, quod firmius, & magis è re nostra est, ita Iurisconsulti peculiari significatione querelam appellant eam actionem, quâ liberi aduersùs inofficiosa parentum suorum iudicia & vice versa, parentes contra insana liberorum testamenta naturalem portionem, id est, trientem, & semissem, & postulant, & obtinent, vt toto titulo *de inofficioso testamento*, siue in Pandectis, siue in Codice Iustiniani lib. 3. videre est. Hinc, qui in his vocibus non nisi oppositam murmurationibus, & hæsitationibus sententiam agnoscunt aptè suam tutabuntur expositionem, quasi ij qui de proximis, & amicis non murmurant, nec disceptant, contra amoris leges non peccent, vel iuxta meliorem explicationem, qui Prælatorum iussa alacriter, & sine disceptationibus perficiunt, iura paternæ pietatis non violent; sed beneuolos, & obsequentes filios erga suos parentes, ac superiores se exhibeant. Nos verò laxiorem sententiam facere, & cum sequentibus verbis, *& simplices filij Dei*, coniungere, siue eodem reuocare possumus, vt velit Paulus, eos omnino inculpatè, & absque vlla peccati labe cum Deo agere, tanquam germani, & officiosi filij, qui bono parenti omnimodis obsequuntur, & cor suum præbent.

Et simplices filij Dei.

4. DIsplicet rursus Erasmus, qui legit *innocentes*. Erasmus
Significat id quidem Græca vox ἀκέραιοι, sed Græca Lect.
cum

cum maiori aliqua energia: nam præterquam, quòd commodiùs ipse legisset *candidos*; sic enim illa ab Eustathio sumi solet, & huc it illud Christi *Eustath.* Domini, Matthæi 10.16. *simplices* (id est, *candidi*) *Matth. 10. 16.* *sicut columbæ*, vbi etiam est ἀκέραιοι (vnde vtraque hæc verba inter se componit. Theodoret. in comment.) *Theodor.* propriè hac voce significantur, *integri, intacti, incolumes, illæsi, nihil mali adhuc passi, sinceri, puri, non adulterati*; sic dicitur, οἶνος ἀκέρατος, *vinum purum.*

5\. Sed inquiris, debeátne hæc vox *simplices* per se subsistere, vt aiunt Metaphysici, an cum sequentibus *filij Dei* coniungi. Respondent recentiores interpretes, minimè esse cum his coniungendam; cùm Græcè ἀκέραιοι, *simplices*, sit masculi generis; τέκνα verò id est, *filij*, sit neutrius, similitérque in pluribus exemplaribus pro sequentibus verbis, *sine reprehensione* habeatur ἀμώμητα, quę neutrius etiam generis vox est vnde manifestè fieri, Græcè hæc sic esse dispungenda, vt non coniungantur hæ voces, *simplices filij Dei*, sed potiùs illæ *sine querela, & simplices*: deinde verò *filij Dei sine reprehensione*. Et quidem indubitata hæc esse, vel is animaduertet, qui prima elementa Græcè norit, at enim Vulgatum interpretem tam in vetere, quàm in nouiter excussa editione, aliter dispungere, atque hoc modo connectere, *& simplices filij Dei*, is etiam viderit, qui habuerit oculos, cùm post ea verba, *& sine querela*, apponat comma, & hæc *simplices filij Dei*, absque vllo disiunctionis signo agglutinet. quam constructionem Anselmus, S. Thom. Primas. & *S. Thom. Primas.* veteres Latini secuti sunt, cui etiam in Paraphrasi adhæsit Iustinianus. Inter Græcam verò, & Latinam lectionem medios sese præbuisse videntur Ambrosianus in comment. & Hieronym. citata *Ambros.* epist. ad Demetriadem, ad eum modum legentes hæc verba, vt vtrique dispunctioni eorum lectio conueniat; sic enim legit Ambros. *simplices sicut filij Dei*, quod ita exponit, *vt omni simplicitate operentur, quasi filij Dei immaculati, vt memores professionis suæ respondeant.* Ad quem modum Hieronymiaster. *vnde beatus Paulus clamat & docet*: Omnia *Hieronym.* facite sine murmuratione & hæsitatione vt sitis irreprehensibiles, & simplices sicut filij Dei immaculati in medio nationis prauæ, &c. similiter ex Haymone Magister ex persona Pauli ait, *simplices* *Magister sent.* *dico sicut filij Dei.* At enim verò hæc, vt vulgatæ dispunctioni ad speciem, ita Græcæ Lectioni reapse fauere, & à Latina dissidere videntur: aliud quippe est esse simplices sicut filios Dei decet, aliud verò, simplices, & germanos filios Dei esse: vt consideranti patebit. Quòd si instes, quæ harum lectionum melior, & alteri præferenda sit? respódebo, Græcam, bonam, quidem esse; mihi verò Vulgatam nunquam dimittendam, nunquam non amplexandam & sanè iuxta illam, & sensus aptior & cótextus atque oratio mollior esse videtur, vtraque tamen à nobis exponenda, & adnot. illustranda est.

6\. Ergo dum iuxta Vulgatum Philippenses vrget Apostolus, vt simplices Dei filij sint, id primum optat, vt vitæ puritate, & sanctitate germanos ac legitimos Dei filios se exhibeant; quomodo videtur hæc verba explicasse Primasius dum ait. *Considerate, cuius filius sit is, qui quum simplicis naturæ sit,* *Primasius.* *filios non vult habere degeneres.* Quem quidem sensum vel ideo germanum ac legitimum esse censeo, quod appellationi filiorum Dei appositè adiungitur epitheton *simplices*, ad veros, & hac appellatione dignos filios ab spuriis & adulterinis discriminandos. Quasi dicat, vt sitis legitimi filij Dei qui cum generosis moribus referatis, nec diuinam originem turpibus actibus commaculemini. Qua de re multis disseruit Greg. Nyss. in orat. Domin. orat. 2. vbi hæc habet inter alia. *Cum igitur,* *Gregor. Nyssen.* *vt Patrem Deum in oratione dicamus, Dominus nos docet, nihil mihi facere aliud videtur, quam sublimem, & altam instituere, atque præscribere vitam: non enim vtique mentiri nos veritas docet, vt dicamus, nos esse quod non simus, & appellemus nos eo nomine, quod natura nobis attributum non sit; sed vt dum incorruptum, & iustum, & bonum patrem nostrum dicimus, vitæ integritate propinquitatem referamus, eámque veram esse ostendamus. Vide quanto nobis opus sit apparatu? quali vita? quanto ac quali studio? vt ad eum modum fiducia, erecta tandem conscientia ad Deum dicere audeamus, Pater.* Et statim non *simplices*, sed degeneres filios demonstrans, & coarguens subijcit. *Nam si pecunias spectes, si circa sæculares vitæ fraudes occupatus sis, aut ex hominibus gloriam quæras, si vitiosis cupiditatibus seruias deinde eiusmodi orationem in ore habeas: quid dicturum esse putas eum, qui vitam tuam intuetur, & orationem intelligit? Nam ego quidem eiusmodi quædam quasi Deo ad tale dicente, mihi verba videor audire. Patrem vocas, qui vita corruptus es, eum qui incorruptibilitatis, & integritatis pater est? Cur sordida tua voce contaminas nomen incorruptum? cur falso tibi verbum hoc vsurpas? Cur naturam impollutam dedecoras? si filius meus esses, meis bonis prorsus etiam tu in vitam, insignem esse oportebat, non agnosco naturæ meæ imaginem in te aduersariorum sunt ista insignia.* Hæc omnia Nyss.

Ab hac explicandi ratione non longè it sensus, 7. quem Anselm. & S. Thomas reddunt, vt simpli- *Anselmus. S. Thomas.* ces filij Dei dicantur, qui vnius Dei obsequio vacant, hoc est qui Deum cum mammona non coniungunt: sic namque Anselm. *Et quantum ad vos suis simplices, id est, sine duplicitate cordis, quia* vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis, *&*, nemo potest duobus dominis seruire. *Duplex enim est, qui & Deo, & sæculo placere cupit, volens & in hoc mundo, & in cælo diues esse. Sed vos, qui filij Dei esse cupistis, in simplicitate cordis quærite illum, vt sicut ipse vnus est, ita & vos ad imitationem eius simplices sitis, vt ei placere studeatis.* Hæc Anselmus, *Anselm.* Pressiùs S. Thom. pulchram reddens rationem cur simplices dicantur filij Dei: *Filius enim est similis patri. Deus autem simplex est, vnde simplices simus, sicut filij Dei, quod est quando intentio est ad vnum, Iacob. 1. 8.* Vir duplex animo inconstans est in om- *Iacob. 1. 8.* nibus viis suis. *Matthæi 10. 16.* estote prudentes *Matth. 10. 16.* sicut serpentes, & simplices sicut columbæ: Sic S. Thomas.

Deinde is etiam sensus ex Augustino in Psal. 93. 8. subesse potest his verbis, vt ex natura Dei, quam simplices filij exprimunt, iniurias sibi illatas facile, & liberaliter condonent, quam ad rem luminarium imaginem Paulum statim vsurpasse sic in bi affirmat Aug. *Habes Paulum Apostolum dicentem* *Augustinus* *sanctis fidelibus roboratis in Christo*: Omnia facite sine murmuratione, & disceptatione, vt sitis irreprehensibiles, & synceri, immaculati filij Dei in medio nationis tortuosæ, & peruersæ: *Similitudo de luminaribus data est ad sanctos, vt sine murmuratione sint in natione tortuosa, & peruersa*, & post nonnulla. *Quanta & de ipsis luminaribus fingunt homines, & patienter ferunt? quomodo iusti patienter debent ferre omnes etiam de se falsas criminationes. Hoc ipsum est quod iam dudum dixi, quia illa stella Mercurij est, & illa stella Saturni est, & illa stella Iouis est, conuitia sunt stellis. Quid illa, cùm audiunt tanta conuitia? Nunquid mouentur? aut non exercent cursus*

sus suos? sic & homo, qui in natione peruersa, tortuosa habet, verbum Dei sicut luminare est, fulgens in saeculo. Sic Augustinus cuius sensui valde est affinis ille Libanij Rhetoris, Ethnicis licèt verbis expressus in orat. ad Theodosium, vbi de imprudenti quarumdam ciuitatum consilio agens ait: *Non satis prudenter consilio inito descenderunt ad mulctas, quae mulctantes ipsos mulctarunt. Et fatebantur res suas in deteriore conditione esse, quòd nesciuerant, Deos imitari. Nam dij ipsi quotidie condonant quaedam verba aduersùs se prolata, quando tristitia afficiuntur ex rebus non commodè gestis. Etenim homines saepe se ipsos perdunt, & tamen culpam in deos contumeliosè reiiciunt: at dij tolerant: hinc hominum propago maior. Nam si poena sequeretur quaeuis delicta, pauci seruarentur, Quisquis igitur vult deos imitari, gaudeat magis remittendo poenas, quàm soluendo.* Haec ille. Sed pergit statim Augustinus, *Quaedam de Luna mentiuntur homines quando vident obscurari Lunam, & dicunt: Malefici illam deponunt: cum certis temporibus defectum suum habeat secundùm Dei dispositionem. Non curat tamen ista verba hominum, illa quae in caelo est.* Haec Augustinus. A quo nonnulla sumpsit, de more Anselm. in comment. sic enim ait. *Et sicut luminaria patienter ferunt, quidquid de eis homines fingunt, ita iusti debent patienter ferre omnes etiam de se falsas criminationes, Nam qui perdiderit tolerantiam, non est quasi luminare cla us desuper, sed obscuratus est, & de caelo cadit.* vbi obiter aduerte falsis inimicorum criminationibus, quantùuis grauiores atrociorésque eae fuerint, iustos minimè obscurari, quoadúsque tolerantiam amiserint: ergo criminationes aliorum non obscurant; propria impatientia obscurat.

Libanius. *Anselmus.*

9. Possunt ex his, nonnulla Graecè dispunctioni etiam aptari. Nam in primis haec expositio quam immediatè adduximus, Augustino innititur, qui more Graecorum haec verba dispunxit, vt apparet: deinde quòd Anselmus, & S. Thomas in his verbis *simplices filij Dei* meditabantur, aequè illis seorsim sumptis poterit aptari: vnde Magister sent. qui vt vidimus, sic legebat, *simplices sicut filij Dei*, iisdem ferme verbis haec explicat ad hunc modum, *simplices non duplices, vt qui duobus hominibus seruire volunt, contra quod dictum est*, Non potestis Deo seruire, & mammonae, *simplices dico*, sicut filij Dei, *sicut Deus simplex est, ita & filij eius puro ac simplici animo debent incedere*, Praeterea vocem *simplices* ab aliis seiunctam opportunè sumes pro candido, & benigno, qui omnia in meliorem partem capit, ac interpretatur, sinistras de aliis opiniones, & interpretationes abiiciens, quò simplicitatem sic reuocauit Seneca lib. 2. de ira c. 24. inquiens: *Simplicitate opus est, & benigna rerum aestimatione, vt nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestúmque erit credamus.* Tandem sub hac voce, mentis simplicitatem, & animi candorem, quo veraciter, & sincerè quis loquitur, conuenientem pectori frontem gerens, & sine vlla doli tergiuersatione negotia, & res tractans non abs re dixeris à Paulo commendari, ad eum modum quo Prouerbia locutione veteres taxabant διπλοῦς ἀνδρας, *duplices viros*, qui aliud sentirent, aliud loquerentur. Et sanè vt in adnot. videro, sub hac etiam significatione, beatus Iob appellatur simplex Iob. cap. 1. vers. 1. *erat vir ille simplex ac rectus.* Qui nimirum doli expers quod sentiret, loqueretur secus ac illi,

Magister Sent. *Seneca.* *Iob. c. 1. v. 1.*

Qui bene cùm dicant, retro mala mente volutant.
vt est apud Homer. Odyss. σ. Siue vt Odyss. ρ. inquit,

Qui bene cùm loquerentur, atrocius mente premebat.

Homer.

quasi opponat Paulus (inquit Cornel.) simplices nationi prauae, atque peruersae, eo sensu, quo Hebraïco idiomate voci *prauus* respondet ea, quae significat peruersum, fallacem, versutum, tortuosum, qui simulat, ac dissimulat, si quique specie veritatis, & recti fallit, & decipit, haec benè Corn. quamuis Graecis vocibus, vereor an conuenienter aptentur.

Sine reprehensione.

Hieronymus & Augustinus citatis locis, & Ambros. in comment. legunt *immaculati*: sicuti pro praecedentibus verbis *sine querela*, posuerunt *irreprehensibiles*, cùm re vera aptiùs hoc loco id nomen reposuissent, nam vt dixi Graecè est ἀμώμητα, siue ἀμώμητοι, *irreprehensi*, siue *reprehensioni non obnoxij*. Nam μῶμος, idem est ac *reprehensio* Quod si vim vocabuli velis exhaurire, scito μῶμος, Latinè itidem Momus nomen esse infamis cuiusdam Dei, venusto, & opportuno mendacio à veteribus confícti, & in fabulis frequentius inducti, ab Hesiodo praesertim in Theogonia, & à Luciano, qui alter etiam Momus fuit, dialogo de haeresibus, & aliis in locis celebrati, qui quidem Nocte matre, Somno patre progenitus nihil operis edebat, sed aliorum deorum opera curiosis oculis contemplabatur, & si quod fuisset omissum, aut perperam factum, summa id cum libertate carpebat: vbi obiter obserues, proprium otiosorum, & inertium, ac lucifugarum ingenium esse, in aliorum studia, & vitam curiosiùs inquirere, & maledico dente quidquid obseruauerint, rodere. Ergo vix, aut ne vix quidem vllum è diuinis operibus Momi morsus effugiebat, iam enim, vt inquit Lucian. lib. 2. verar. narration. tauri naturam incusabat, quòd in fronte, & non potiùs sub oculis, quo infligendum à se vulnus visu regeret, ac moderaretur, cornua haberet, iam, vt auctor est Plato, Creatorem in hominis opificio malignè arguebat, quòd in pectore fenestras, per quas quidquid in cordis specu, ac recessibus lateret, non addidisset, sed & in Venere, hoc est, in ipsamet pulchritudine, ac venustatis flore, id quod reprehenderet, inuenit, vt refert Philostratus, in epist. ad vxorem, quod illius sandalium stridulum, nimísque loquax, ac strepitu molestum esset, quod arcano sermone eò bene retuleris, vt innuatur externae, siue internae etiam pulchritudinis naturale vitium esse, sese ostẽdere, ac euulgare. Hinc notissimum Adagium, *Momo satisfacere.* A quo plures prouerbiales formulae dimanant, vt hanc faciem ne Momus quidem possit reprehendere. Ne Momum iudicem recusauerim, non dubitem tecum vel Momo iudice decertare, quas accuratè colligit, & elucidat Adagiorum collector (à quo haec poenè desumpsimus) qui & illud Platonis lib. 6. de Rep. adduxit, *Philosophia studium esse eiusmodi, vt ne à Momo quidem possit reprehendi.* Nec crediderim otiosè ingratiis vt haec à me adducta, cùm ad vocabuli, in quo sumus, elucidationem, & ad Pauli sententiam, ac sensum maximè faciant. Ergo inquit, optare se, adeò inculpatam Philippensium vitam fore, vt vel Momus ipse nihil in ea inueniat, quod possit carpere. Egregium quidem, & vt ita dixerimus ambitiosum votum. At enim, quid ni in iis quos filios Dei nuncupauit, tantam puritatem, tam eximiámque vitae probitatem non optet, atque exoptet Paulus? Certè Greg. Nyssen. citato loco premens filiorum Dei dignitatem, qui eum fidenter Patrem appellare possunt, sic in hanc rem loquitur. Quis dabit mihi alas tanquam columbae, *inquit alicubi magnus ille Dauid in Psalmis, dixerim*

10. *Hieronym. August. Ambros. Graeca Lect.* *Hesiodus.* *Lucian.* *Plato.* *Philost.* *Erasmus.* *Plato.* *Greg. Nyssen.*

dixerim etiã ipse parem vocẽ emittere ausus. Quis dabit mihi alas illas ad hoc vt possim vna cum sublimitate præstantia, maiestatisque verborum mente subuolare? vt terram quidem omnem relinquam, transcámque aërem in medio fusum, assequar autem æthercam pulchritudinem, & ad sydera euadam, & omnem in iis ordine, ac ratione digestum ornatum inspiciam? ac, ne in his quidem consista, sed hæc etiam percurram, & extra omnia quæ mouentur, ac mutantur, euadã, atque stabilem assequar naturam, ac potentiam immobilem, & in se ipsa statutam, fixam, fundatam, atque firmatam, omnia ducentem, pariter atque ferentem, quæcunque existunt, omnia, inquam, quæ ab inenarrabili voluntate diuinæ sapientiæ pendent? vt ab omnibus quæ alternant, & mutantur, mente procul remotus, in immutabili pariter & immobili animæ statu, eum qui nec mutari, nec in alternum peruerti potest, per animi sententiam, atque iudicium prius conciliem, & familiarem reddam, deinde verò maximè familiari, & amica appellatione in vocem, ac dicam: Pater. Nam quali dicenti opus est animo? quanta fiducia? quali conscientia? & post nonnulla. *Nam si quis exciatione etiam nunc opus habens, se ipsum inspiciens, & vitiosam conscientiam suam agnoscens plenam maculis, & scelerum notis iniustis prius quàm à tot, tantisque malis expurgatus sit, se Dei cognationi inserat, ac dicat, Pater, iusto iniustus, puro impurus, contumelia, atque conuicium planè ea verba fuerint, siquidem suæ nequitiæ patrem, Deum nominat.* Hactenus Nyssenus.

In medio nationis prauæ.

11. *Anselm.* ACutè in *nationis* vocabulo sic hæsit Anselmus? *Nationis, id est Gentilium, qui non sunt renati, sed sicut nati sunt carnaliter, ita viuunt:* ac si eadem hæc Ethnicorum cum illa Israëliticæ plebis Ezechiel 16.3. exprobratio sit. *Ezechiel. 16. 3.* *Et quando nata es in die ortus, tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis:* Sed cur appellauit eam Apostolus prauam, & peruersam: siue, vt Syriacus & August. legunt, *tortuosam*: vel vt è Græco alij, *distortam*? *Lect. Syriaca. Augustinus* *Iustinianus.* Benè respondet Iustinian. quòd à recto vitæ tramite toto cælo aberrarent, dum rerum conditore neglecto, idola colerent. Sed si Græca accuratiùs examines, hæc ratio non vndique forsan subsistet, quippe ibi habetur: *σκολιᾶς ϗ διεστραμμένης*, quæ voces vt significent rem: intortam, inflexam, atque obliquam; at de iis propriè dicuntur, quæ rigida, ac solida firmitate, onus aliquod nequeunt sustinere, sed ei cedunt, ac inflectuntur, seu distorquentur. Vnde ligna, quibus id non accidit, contrario, vocabulo *ἀστράβη* nominantur, eo quòd rigorem fortissimè seruent, ac minimè torqueantur, veluti palma quæ ponderi nullatenus cedit, immò aduersùs illud fornicatur. Quare non minus opportunè dixeris, Gentiles ab Apostolo notati tanquam virtutis pondus non sustinentes; qui animi mollitie vitiis, & carnis blandimentis atque voluptatibus succumberent: quod non obscuram continet antithesim ad præcedentia relatum, vt fideles *sine querela, & simplices Dei filij*, atque irreprehensibiles, perfectissimum vitæ institutum retinentes, ac solida firmitate seruantes, opponantur à Paulo Gentilibus vitiorum lue corruptis, ac contaminatis, qui voluptatum illecebris delinirentur, ac eneruarentur, & à virtutis rectitudine, immò verò à naturæ ipsius statu deijcerentur: habent enim id delitiæ, & voluptates, ad quas Ethnici auidissimè inhabitant, vt animi vigorem inflectant siue infringant. Sic dicebat Tertullianus lib. de cul. fæmin. c. 13. *Tertull.* *Discutienda enim sunt delitiæ, quarum mollitia, & fluxu fidei virtus effeminari potest*; Seneca epist. 51. *Seneca.* *Indurandus est animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Vna Hannibalem hibernæ soluerunt & indomitum illum niuibus, atque Alpibus virum eneruauerunt fomenta campaniæ, Armis vicit, vitiis victus est*, & paulo post. *Debellandæ sunt in primis voluptates, quæ, vt vides, sæua quoque ad se ingenia rapuerunt.* Hæc ille.

Et peruersæ.

SEd cur non fuit contentus Paulus Gentiles appellare nationem prauam, nisi etiam adderet peruersam? 12. Adeò ipsi intererat, illos traducere, & prauitatis, & peruersitatis appellationibus castigare? Non otiosè, siue solo criminationis studio à Paulo id præstitum credas; sed optimo quidem iure; & duplici forsan de causa. Nam cum primis hinc maximè collaudat Christianos cùm ipsorum æmulos, & persecutores, plus onerat, & peiores ostendit, ita sapienter Tertull. lib. 1. ad Nationes cap. 7. Christianorum defensionem à Nerone omnium mortalium pessimo his Pauli temporibus illos diro odio, & acerbissimis modis persequente sic sapienter instituebat. *Tertul.* *Principe Augusto nomen hoc ortum est, Tiberio disciplina eius inluxit; sub Nerone damnatio inualuit; vt iam hinc de persona persecutoris ponderetis; si pius ille princeps, impij Christiani: si iustus, si castus; iniusti, & incesti Christiani; si non hostis publicus, nos hostes publicè, quales simus, damnator ipse demonstrauit, vtique æmula sibi puniens.* Sic ibi, & eadem elegantia in Apologetico cap. 5. *Idem.* *Consulite commentarios vestros, illic reperietis, primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore dãnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Pulchrè.

13. Deinde in his tam accuratis, ac geminatis vocibus, quibus Ethnicorum prauitatem & peruersitatem præstrinxit Apostolus, possit aliquis odorari illam Domini sententiam Lucæ 16. 8. *Luca 16. 8.* *Quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt*; hoc est prudentiores, atque promptiores sũt prophani. & perditi homines in malum, quàm iusti, & sancti in bonum: nam vt eæ voces ex accurata Græci fontis disquisitione ad animi mollitiem, & inflexionem, quæ pondus virtutis nequit sustinere; & in fœdas voluptates, & corruptissimos mores dilabitur, vt vidimus, propriissimè referantur: benè etiam obseruauit Cornelius eas ab Apostolo de industria positas, vt respondeant iis, quæ de iustis ipse præmiserat; *Cornelius.* vt nimirum simplicibus opponat prauos, & peruersos; siue fallaces, versutos, tortuosos, qui simulant, & dissimulant, & specie recti decipiunt, quæ omnia quæsitissimum peccandi studium denotant. Quid quòd ipsimet voluptarij homines ex iis vocibus quasi indicè signantur; *qui semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam*, ad Ephesios 4. 19. *ad Ephes. 4. 19.* quod perinde est, ac si dicatur; auarissimè, siue auidissimè, id est, toto animi impetu id impuras delitias præcipites ferri, quasi in agone certantes, vt in iis immunditiis alios omnes superent, vt alibi pensiculatiùs ex Hieronymo explico: *Hieronym.* vbi vides prudentiores, promptiores, & auidiores filios sæculi ad malum, quàm filios lucis in bonum: sic generali oratione de improbis dixit Marcus Tullius in oratione pro Sextio. *M. Tullius.* *Audaces homines*

mines, & perditi nutu impelluntur: & ipsi etiam sponte sua contra Rempublicam incipiantur. Boni verò nescio quomodo tardiores sunt, & principijs rerum neglectis ad extremum tantùm denique necessitate excitantur; de hæreticis verò signatè Hilarius lib.
Hilarius. 8. de Trinitate: *Plus impendunt cogitationis ad falsa, quàm nos doctrinæ aptamus ad vera.* ad quem mo-
S. Hieron. dum Hieronymus ea Isaiæ verba cap. 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittis in mari legatos, & in vasis papyri super aquas, ite Angeli veloces*, &c. hæreticis singillatim & verbo ad verbum aptat, quasi ad se & alios perdendos, & decipiendos velociores, & doctiores,
Isai. 18. 1. orthodoxis sint: *Pergunt* (inquit) *nuncij leues ad gentem excelsam, & peregrinum populum, & pessimum. Nullus enim Ecclesiasticorum tantum habet studij in bono, quantum hæretici in malo, & in eo se putant lucrum consequi, si alios decipiant, & ipsi perditi cæteros perdant.* Sic Hieronym. Quò etiam pulchrè retulit Gregorius Nyssenus orat. *in suam ordina-*
Gregor. Nyssen. *tionem*, ea verba Psal. 72. 3. *Zelaui super iniquos; pacem peccatorum videns*: ac si zelotypia Vates vreretur, cùm mutuam in malum pacem, atque concordiam, diligentius & studiosius à peccatoribus quàm à iustis mutuò coli, & custodiri videret; sic enim Gregorius: *Zelaui super iniquos, sic ait Psalmista. Ego verò non nihil quasi per parodiam inflectens dictum illud, ita legam:* Zelaui super iniquos. Zelaui pacem peccatorum videns; *illi inter se iunguntur, & nos ab inuicem separamur, illi quasi testudine facta coëunt inter se, at nos testudinem nostram cuneùmque dissipamus.* Ita ille.

14. Nec abs re dubitauerit, quæ huius tantæ prauitatis, & peruersitatis, hoc est, maioris promptitudinis, & ardentioris studij malorum ad malum, quàm iustorum ad bonum, ratio fuerit? Quæ enim (malum) hæc infelix, siue peruersa sors sit, vt splendidioribus obiectis, & ditioribus promissis stimulatæ, fulcitæque virtutes ardentiùs, celeriùsque non currant? debiliores ne illis pedes? imbecilliora brachia habere dixeris? Visus est persensisse hos aculeos Origenes hom. 8. in Isai. eamque causam reddere, quòd mali, & perditi homines egregium, & doctissimũ ad perdiscenda & ebibenda ab eo peccata, & errores magistrum, & præceptorem, diabolum habeant: qui eo in loco Isaiæ
Origen. *magnum sensus* appellatur: sic enim Origines. *Docemur, quid futurum sit inimico nostro, & zabulo, quem, sensum quemdam magnum nunc Propheta nuncupauit. Quomodo enim serpens sapientior erat omnibus bestijs, quæ sunt super terram, &, filij sæculi huius sapientiores super filios lucis in generatione sua sunt, & dispensator iniquitatis sapienter fecit secundum sapientiam non bonam: eodem modo iste, qui figuraliter princeps Assyriorum dicitur, magnus est sensus: est mirari magnitudinem sensus eius, in quo abusus est ad instruendos sapientes mundi istius, qui cum omni verisimilitudine, cunctáque virtute falsitatem sectarum suarum componentes exhibent.* vnde præfato loco Nyssenus impiorum concordiam, quam ipse tam ardenter zelabat, huic magno sensui sic attribuit. *Furto subreptam possessionem nostram animarum prædo ad hostes veritatis delatam proiecit, non vt beneficio eos afficeret; nemo sic arbitretur, non enim potest afficere beneficio inuentor malorum, verùm vt eos in malarum rerum concordia deteriores efficeret.* Sic Nyssen.
S. Greg. Nyssenus. At enim verò, hæc ratio minimè subsistit: vt enim malorum doctor, magnus dicatur sensus; quanto maior sensus sit ipsa Dei sapientia, qui in præce-
Isai. 30. 20. & 55. 4. ptorem gentibus datus est Isaiæ 30. 20. & 55. 4. quamque excellentior doctor diuinus fuerit Spiri-

* P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

tus, de quo Dominus, *ipse docebit vos omnia.* nam vt infinitam diuinæ Sapientiæ præstantiam sileam, ille improborum magister, *operatur in filios diffiden-* Ioan. 14. 26.
tiæ, ad Ephes. 2 vers. 2. sed extrinsecus solummodo malum proponendo, atque ad illud incitando: Ad Ephes. 2. 2.
at diuinus Doctor *operatur* quidem *in nobis velle, & perficere*, non tantùm suadendo, & inspirando, sed per interiorem vnctionem actu, & efficaciter efficiendo, quin hominis vires otiosas, & inefficaces esse sinat, de quo vers. 13.

Ergo opportuniùs dixeris ad discipulos causam referendam, eorúmque inertiam meritò fore onerandam, qui segnius, & tardius in virtutem & vitam, quàm mali in vitium & mortem currant: sed quare? sanè, Augustino auctore, *mouetur anima non pedibus, sed affectibus*, hoc est: affectus sunt animæ pedes, quibus in vtramuis partem illa mouetur; & verò cùm *calor sit omnis affectus*, vt inquit Tertull. lib. de pallio. cap. 4. multum refert, quo incidat, an in frigidam, an in calidam, & igneam materiam. nam *simile additum simili* (vt Philosophorum, & Medicorum axioma fert,) *facit furere.* iam quis dubitet, quàm sit ad malum ardens ac igneum, siue pronum, atque procliue hominis ingenium, quam frigidum, ac remissum ad bonum? sic dixit Hieronym in epist. ad Demetriad. *Feruentissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus, & summam in rebus paruis exhibentes alacritatem, ad maiora torpescimus,* & Bernard. ad cap. 1. vers. 11. adnot. 1. n. 9. à nobis adductus *Mirum est ò homo miser, quòd ad mala sis totus auidus, totus promptus, totus facilis, totus sapiens, & totus sollicitus: ad bona autem es totus durus, totus piger, totus tepidus, totus stultus, totus incredulus, & rebellis.* ergo affectuum calor ardore humani ingenij fultus, & incensus in malo plus proficit, quàm in bono. Adijce facilem, & latam mali viam; difficilem & arduam virtutis semitam esse; illa mero meridie; hoc est, temporalibus bonis, & voluptatibus, externis oculis subiectis, hac opertis oculis siue rebus per speculum & in ænigmate visis, siue consideratis, iter perfici. Vt verò, quæ videntur, fortiùs illiciunt, & rapiunt; ita ad ea promptiùs, auidius & ardentiùs currimus.

(Margin: 15. August. Tertull. Hieron. Bernard.)

Inter quos lucetis.

Benè mouerunt Iustinianus Cornelius & Estius, Græcè ambiguum esse, affirmet ne Apostolus, 16.
Philippenses tanquam luminaria lucere, an monere, vt luceant; cùm Græcum φαίνεσθε tam imperatiuus, quàm subiunctiuus sit; & quidem Cyprian. lib. 3. testimoniorum ad Quirinum, & epist. ad Rogatianum expresse legit *lucete*, & eò videtur inclinare lectio Syriaca, quæ admonitionem sapit, dum habet, *vt spectemini inter eos tanquam luminaria in mundo.* Ad quem modum Primas. *Sic luceat Dei genus in genere humano, sicut Sol, & Luna in mũdo: id est, omnes, catholici inter hæreticos, Iudæos, & paganos.* & apertiùs ad sequentia verba, *verbum vitæ continentes*, inquiens: *exemplo vestro illum inuenitur, & verbo.* & Ambrosianus, *vt tam clari appareant, vita, conuersatione, moribus, quemadmodum Sol, & Luna inter stellas splendore sublimes sunt.* Sed Vulgatã, sequi omnino placet, pro quo quidẽ omnes Latini signatè verò hac fidei iubet Anselm. *Hæc sententia & laudantur, & roborantur ab Apostolo discipuli, vt quia se tales esse cognoscant, studeant, valentiùs perseuerare tales.* Illud ego magis ambigo, vbinam oculos habuerit Estius, cùm de ambigua huius loci lectione agens, absque vllo scrupulo affirmauit, dixisse Theophylactum, imperatiuum sibi magis

(Margin: Iustinian. Cornel. Estius. Cyprian. Lect. Syriaca. Ambros. Anselm.)

magis placere; cùm nunquam id in discrimen adduxerit Theophylactus, immò oppositum indubitanter fuerit amplexatus his verbis: *vt enim faces in tenebris splendent, sic ipsi estis inter obliquos, & tortuosos, quippe qui & erecti consistitis, & luci studentis.*

Sicut luminaria in mundo.

17. Idem. Cornelius. THeophylactus vt ex verbis nuper citatis constat, luminarium imaginem ad faces in tenebris splendentes retulit. Quod simplicius visum est Cornelio, de iis singillatim facibus hæc accipienti, quæ in portu ex alta turri, vel pharo suspenduntur, vt nauigantibus noctu ad portum contendentibus præluceant, itérque, ac portum eminus demonstrent. Sed hæc Theophylacti cogitatio à communi aliorum Patrum expositione; luminarium nomine cœli luces, Lunam videlicet, & stellas intelligentium longè it; & quod de suo addidit Cornelius, nisi ego erro, à Pauli scopo non leuiter aberrat; nec enim luminarium imaginem ideo ipse vsurpauit, vt affirmaret fideles tanquam faces ex editiori loco micantes Gentilibus in procelloso hoc mundi mari naufragantibus portum salutis, atque iter in cœlum suo exemplo, & sancta conuersatione demonstrare, ac prælucere; sed potiùs vt ostenderet, quantum illorum vita Ethnicorum moribus antecelleret, simúlque vt adstrueret, adeò in mediis infidelitatis, ac vitiorum peruersæ nationis tenebris, egregias fidelium virtutes collucere; vt non possent non ipsimet eas animaduertere, atque laudare eo modo, quo sapienter dixit Seneca libro 4. de

Seneca. Beneficiis, cap. 17. *Maximum hoc habemus naturæ meritum, quòd virtus in omnium animos lumen suum præmittit, etiam qui non sequuntur illam, vident.* Et epistola 108. *Omnibus enim natura fundamenta dedit, semémque virtutum: omnes ad omnia ista nati sumus: cùm irritator accessit, tunc illa animi bona velut sopita excitantur. Non vides quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quæ publicè agnoscimus, & consensu vera esse testamur?*

Desunt inopiæ multa, auaritiæ, omnia,
In nullum auarus bonus est, in se pessimus.

Ad hos versus ille sordidissimus plaudit, & vitiis sui fieri conuitium gaudet. Ita Seneca, Nec minus opportunè epistola 120. de Sapiente inquiens: *Fecit multis intellectum sui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulsit, aduertitque in se omnium animos, cùm esset placidus & lenis, & humanis, diuinísque rebus pariter æquus.* Sic de egregiis viris sapienter dixit sanctus Paulinus episto-

S. Paulinus. la ad Aprum: *Sufficit vniuersorum institutioni forma paucorum quæ in vtrumque preponitur, vt credentibus exemplo sit, indurantibus testimonio.* Quo planè sensu hunc locum expendunt Patres, & primùm Tertullianus libro de cult. fœmin. cap. 13. vbi cùm ex persona fœminæ, cui obiiceretur nimium corporis ornatum rem esse mali exem-

Tertull. pli, dixisset: *Non est mihi necessarium hominibus probari, nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est.* Muliebre illud, & inuerecundum acumen hoc Pauli, & aliis Domini testimoniis sic retundit. *Aut quid est?* luceant opera vestra. *Aut quid nos Dominus lumen terræ vocauit, si non relucemus inter tenebras, & extamus inter dimersos? si lucernam tuam sub modium abstruseris; in tenebris relicta à multis incurseris necesse est. Hæc sunt quæ nos* luminaria *mundi faciunt: bona scilicet nostra.* Ita ille. Ad quem etiam

modum Anselmus. *Lucetis sicut luminaria cæli,* Anselmus.
quia sicut Luna, & Stella non amittunt lucem suam propter noctem, sed magis lucent; sic vos mente in cœlo fixi licèt inter tenebrosos, & infideles sit vestra conuersatio, non obscuramini, sed magis lucetis bene operando. Variauit verò paululum sensum non multo pòst, atque eò retulit luminarium in tenebris collucentium imaginem vt fideles, quòd corde in cœlo fixi essent, à recto virtutis tramite, siue à cælestibus passibus non flecterent, quamuis infideles, atque improbos turpiter incedentes viderent. Sic enim subiicit. *Tales enim sancti de conuersatione, quam habent in cœlo, despiciunt omnia, quæ iniqui faciunt in terra. Sicut Stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium adhærentes firmamento sacræ Scripturæ, vel cœlestibus desideriis non obscurat mundana iniquitas; qui enim mente sunt in supernis, & de supernis cogitant, sicut dictum est:*

Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, *de* Matth. 6. 21.
ipsis cogitationibus supernorum patientes fiunt; & quidquid in terra fiat, sic non curant, donec peragant itinera sua, quemadmodum luminaria cœli non curant, quomodo exerceant dies, & noctes, quamuis tanta mala videant fieri super terram. Sed enim priorem sensum de suo vt interpres deprompsit Anselm. posteriorem hunc ab Augustino in Psalmo 93. mutuatus est: vbi eadem verba habet; hæc verò ille eodem sensu scripserat. *Et quomo-* August.
do luminaria in cœlo per diem, & per noctem procedunt, peragunt itinera sua, cursus certos habent, & committuntur tanta mala, nec deuiant desuper Stellæ fixæ in cœlo agentes per tractus cœlestes, quæ illis præstituit, & constituit creator ipsorum, sic debens sancti, sed in cælo figantur corda eorum, si non frustrà audiant, & respondeant, sursum se habere cor, si imitetur eum, qui ait, Nostra conuersatio in cœlis est. Hæc ibi Augustin. Ad quem mo-

dùm Psalmo 146. 4. has Stellas easdem facit cum Ad Philip. 3. 20.
illis Vatis ibi. *Qui numerat multitudinem Stella-* Psal. 146. 4.
rum, & omnibus eis nomine vocat, his verbis: *Sunt Stellæ quædam lumina in Ecclesia consolantia noctem nostram omnes, de quibus dicit Apostolus,* in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo: in ista, *inquit*, natione tortuosa, & peruersa, in quibus apparent tanquam luminaria in mundo verbum vitæ habentes: *ipsas Stellas numerat Deus omnes secum regnaturos, omnes secum aggregandos corpori Vnigeniti sui, qui indignus est, nec numeratur, animaduertat quisque, vtrum luceat in tenebris, vtrum iniquitate tenebrosa sæculi non seducatur: si non fuerit seductus, nec victus, tanquam Stella erit, quam iam numerat Deus.* Hæc & alia August. Ambrosius verò non tam sensum, quàm similitudinem deseruit, siue commutauit, dum pro luminaribus conspicuo splendore in tenebris coruscantibus, ipse Solis, & Lunæ metaphoram, suo fulgore Stellarum claritatem obscurantium, atque obtundentium sic reposuit. *Tam clari appareant, vita* Ambros.
conuersatione moribus, quemodum Sol, & Luna inter Stellas splendore sublimes sunt. Sicut enim Stellæ apparente Sole obscurantur, ita iniusti, & infidi præsentibus iustis turpes, & deformati videntur. Verùm hæc, vt à Pauli mente non dissideant, eius tamen verbis minimè consentanea sunt. Ad gustum quidem Cornelij in Basilij laudem, oratione 19. præsente Basilio habita hæc verba sic vsur-

pauit Nazianzenus. *Quin te quoque Pharaonis, hoc* Gregor. Naz.
est, omnis Ægyptiacæ, atque aduersariæ potestatis Deum appello, & Ecclesiæ columnam, & firmamentum,

tum, & Domini voluntatem, & luminare in mundo verbum vitæ sustinens. Sic ille, non tam Paulum explicans, quàm ad illius verba alludens, siue ad eorum sonum se exercens.

18. S. Nilus. Illud verò pluris faciendum, quòd hoc sibi Pauli loco proposito plangit S. Nilus in Ascetico; antiqua illa mundi luminaria miro splendore lucentia, primitiuæ videlicet Ecclesiæ filij, nec non rigidi illi eremi, ac solitudinis cultores, suo tempore magna iam ex parte obscurata fuisse. Appingam in nostri admonitionem atque exemplum nonnulla ex iis quæ ipse conscribit, quod perfectissimæ vitæ summa, & institutio sint. *Mundum ignorabant cùm ab humanis essent perturbationibus remoti. Apud eos non erat, qui magis alio vel egeret, vel abundaret, qui iudicaret, aut iudicaretur. Habebat enim quisque iudicem incorruptum, propriam conscientiam. Non erant apud illos alij diuites, aly pauperes. Non liquefiebat alius fame, cùm alius cruditate laboraret, egentium enim inopiam, eorum, qui abundabant, benignitas explebat. Par inter illos ius, & æquabilitas vigebat, reiecta propter ditiorum cum tenuioribus communionem inæqualitate. Immo verò tunc etiam erat inæqualitas ex eo, quòd vt nunc propter insaniam aliis alij student anteferri, ita tunc humilitate alios alij vincere, & abiectiores esse contendebant. Aberat odium, aberat inuidia, exsulabat inanis gloria, exsulabat arrogantia, omnes seditionis causæ erant sublatæ, ad eiusmodi enim cupiditates erant velut mortui, atque omni sensu carentes, adeò vt ne in somnis quidem eas viderent. Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes, & stellæ minimè errantes, quæ vitæ splendore noctem illustrabant, ac veluti portus quidam tuti, qui perfugium facile omnibus à cupiditatum tempestatibus ostendebant.* Vidisti perfectissimam viuendi normam? vide modò limpidissimæ huius lucis radios obscuratos. *Verum accurata illa, ac cælestis viuendi ratio non aliter, quàm imago præ describentium negligentia paulatim in dies deterior effecta, ad summam dissimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exemplari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quique huic vitæ renunciauerant, atque homines esse desierant, & deuictis cupiditatibus ad cælestium illarum mentium naturam aspirare contendebant, rursum ad terrena negotia reuersi turpibus occupationibus rectè viuentium diligentiam inquinarunt.* Pergit multis. His verò opportunè aptes P. Salmeronis obseruationem ad id loci; nimirum sicut Solis & Lunæ eclipses magis notabiles sunt, faciliúsque deprehenduntur, quàm aliorum siderum occultationes; ita dum impij in peccatorum tenebris degunt, à paucis notari, siue reprehendi: at enim si quispiam ex iis qui euangelicam perfectiónem profitentur, cuilibet vel leui peccato succumbat, mille conuitiis, atque contumeliis obnoxium reddi.

Ad ea verba, *Filij Dei.*

ADNOTATIO I.

Filiorum Dei appellationi vehementem exhortationem subesse, vt qui hoc nomine censentur, ab omni peccati labe se custodiant, & cælestibus inhæreant.

1. APPOSITE de omnimoda puritate, & rectitudine interpretabatur Hieronymus, siue

P. Amon. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Auctor epistola de Demetriadus dum enim ea sic citasset: *Sicut filij Dei immaculati*; hæc subiicit: Hieron. *Non est exhortatio vehementior quàm qua nos Scriptura diuina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat, tanto patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus.* Hæc ille, & alia, quæ postmodum afferemus: vbi non nemo ambigat, cur hæc filiorum Dei appellatio vehementior ad bene agendum exhortatio sit? Nónne ad sedulum obsequium impendendum serui nomen, atque conditio acriùs pungit? suauius siquidem, & morosius filij in domo, quàm serui educantur, illos enim requies, & indulgentia manet; de his verò vel ipsa parœmia monet, *Nullum otium seruis*; vnde cum allusione ad seruilem conditionem hæc aculeatissima verba dicebat Tertullianus lib. de Patientia cap. 4. Tertullian. *Si probos quosque seruos & bonæ mentis pro ingenio Dominico conuersari videmus, siquidem artificium promerendi, obsequium est, obsequij verò disciplina morigera subiectio est; quanto magis nos secundum Dominum moratos inueniri oportet, seruos videlicet Dei viui, cuius iudicium in suos non in compede, aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ, aut salutis*; vnde sic statim infert, *Cui seueritati declinandæ, aut liberalitati inuitandæ tanta obsequij diligentia opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur.* Quid maius? aut quòd magis premat dici potest? Subsistit tamen Hieronymi mens: nec vlla quidem exhortatio vehementior, quàm qua nos Scriptura filios Dei vocat censeri debet: hinc enim non modò ad exactissimum seruorum obsequium, sed etiam ad Dei naturam & pulchritudinem in nobis exprimendam ipsiúsque imaginem, ac similitudinem in moribus nostris ostendendam, quod vt multo maius, atque sublimius, ita accuratius & diligentius studium exigit, stimulamur, atque impellimur. Quid enim filius, quàm patris imago, & species fuerit? dicente Scriptura, *Mortuus est pater, & quasi non est mortuus, similem enim filium reliquit post se.* Ecclesiastici 30.4. Eccli. 30. 4. ac si dicat eam filij rationem siue conditionem esse, vt absentem patrem repræsentet, siue præsentem faciat: sic acutè dixit Nizetas in orat. 42. Nazianzeni, Nizetas. *Omnis filius patris sui tacita ratio, & diffinitio est*, quòd nimirum, vt bona diffinitio naturam, & essentiam rei explicat, ita filius quidquid boni in patre elucet exprimere, atque illum intus, & in cute cognoscendum tradere, & vt diffinitio cum suo diffinito, conuerti debeat: ergo non est exhortatio vehementior, quàm cùm filius Dei quis dicitur, quippe ex ipsa, Deo vndique ad similem, & tacitam ipsius rationem, ac diffinitionem, qua velut de facie cognoscatur, sese exhibere debet. Vnde Gregor. Nyssen. orat. 2. in orat. Dominica magno iure contendit, vni illi licere Deum appellare Patrem, qui in se ipso ea bona cernat, quæ Deum habere nouit. Audi. Greg. Nyssen. *Nam quali dicenti opus est animo? quanta fiducia? quali conscientia? vt vbi Deum quoad eius fieri potest, per illas appellationes, quæ in illo animaduertuntur, ad intellectum inenarrabilis gloriæ quasi manuductus mente conceperit, atque didicerit, quòd diuina natura, quodcunque tandem ea sit ipsa, bonitas sit sanctimonia, exultatio, potentia, gloria, puritas, æternitas, semper eodem modo, atque similiter sese habens, ac quæcumque talia circa diuinam naturam intelliguntur, cum & per diuinam scripturam, ac proprias cogitationes animaduerterit, deinde talē emittere vocem, & eum qui talis sit, suum Patrē nominare audeat? Perspicuū est enim, quòd si alicuius intelligentiæ particeps sit, non ausurus sit, cùm non eadem* etiam

etiam in se cernat, illam vocem ad Deum emittere, & dicere Pater. Hactenus Nyssenus. Preme hæc extrema, *non ausurus sit, cùm non eadem etiam in se cernat*; quippe Patris similitudo, ac diffinitio filius est, illius naturam, ac essentiam declarans, & se ipso veluti viuaci penicillo delineatam, ac expressam circumferens.

2. Ioan. 1. 12. Hinc notantissimè Ioan. c. 1. 12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Sed obserues velim perdifficilem locum, cuius explicatio magnum interpretibus negotium facessit; quomodo enim Christus Dominus, illis ipsis qui eum iam apud se receperant, immò verò, qui ex Deo iam nati fuerant, potestatem dedisse dicatur, *filios Dei fieri?* si enim ex Deo iam nati sunt, quo modo non frustrà datur eis potestas, vt sint filij Dei? Quid enim fuerit ex Deo natum esse, nisi filium Dei? Nec satisfaciunt, qui ex Caietano responderint, illis in

Caiet. verbis, *qui non ex sanguinibus*; relatiuum *qui*, referre filios, non verò credentes, siue ex Deo iam natos, vt sensus sit. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui quidem filij non ex sanguinibus nati sunt, sed ex Deo. Nam reclamat Græcus textus, se non perceptum, immo nec de facie notum, ab iis fuisse, cùm vox τέκνα, id est, filij, neutro genere dicatur, ac proinde cum relatiuo masculino construi non possit: sed nec illorum expositio, qui filios tanquam hæredes à Ioanne scribi volunt, vt sermo sit de æterna beatitudinis hæreditate iis oblata, qui ex Deo nati sunt, mihi omnino probatur, quod vtcumque id dici queat, at à Ioannis consuetudine, qui filiorum phrasi, eo sensu quo sonat sæpius vtitur, atque delectatur, alienum esse videtur. Ergo vt alia omittam, eorum in primis sententiam probo, qui Cyrillo

Cyrill. Alex. Alex. ductore, vocem Græcam ἐξουσίαν, id est, *potestatem*, non capiunt eo sensu, vt facultatem aliquid faciendi, sed potiùs vt dignitatem, excellentiam, atque auctoritatem significet, eo modo,

ad Rom. 13. 1. quo ad Roman. 13. 1. dicitur, *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo.* Deinde hac phrasi filiorum Dei, aliquid multo peculiarius, illustrius ac dignius, quàm illa natorum Dei, siue *qui ex Deo nati sunt*, à Ioanne denotari crediderim; quasi nati ex Deo dicantur, qui per primam gratiam & charitatem in baptismate perceptam filij Dei, quantum ad habitum, velut recenter nati constituuntur; de

1. Petr. 2. 2. quibus signatè dixit Petrus 1. epist. 2. 2. *quasi modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem.* Filij verò Dei, ij singillatim dicantur, qui perfectissima viuendi ratione, & eximio virtutum candore pulcherrimam Dei naturam imitantur, & exprimunt, non secus ac naturales filij patrem suum oris lineamentis ac colore repræsentant; vt hæc peculiaris ac egregia Ioannis sententia fuerit, iis qui per fidem Christum receperunt, ac ex ipso è tenebris ad lucem vocati, siue nati sunt, summam hanc excellentiam, ac dignitatem à Deo collatam; vt ipsomet illos donis gratiæ suæ adiuuante, & stimulante per virtutum ornamenta, Dei filij, qui ipsum definire, & velut de facie notum reddere videantur, euadant; ad eum quidem modum, quo homo in prima conditione ad Dei imaginem & similitudinem faciendus primùm

Genes. 1. 26. & 27. Genes. 1. 26. deinde non nisi ad Dei imaginem factus dicitur Genes. 1. 27. quod, vt inquit Origen. libro 3. Periar. à nobis ad cap. 1. versus 9. adnotatio 5. numero 4. adductus. *Imaginis dignitatem in prima conditione percepit, similitudinis verò sibi possibilis perfectionem ipse sibi eam propria industria studiis ex Dei imitatione consciscit.* & eadem Origenes. mente Bernardus libro ad fratres de monte Dei: Bernard. ad Galat. 4. 19.
Sed est alia magis Deo propinqua similitudo, in quantum voluntaria, quæ in virtutibus consistit, in qua animus virtutis magnitudine, summi boni quasi imitari gestit magnitudinem & perseuerantiæ in bono constantia æternitatis eius incommutabilitatem. Iam verò præfatæ explicationi non leuiter fauet Cyril. Alex. libro 4. comment. in Isaïæ orat. 2. dum adductis iis Pauli verbis ad Galatas capit. 4. vers. 19. *filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, pulchrè adstruit ex diuinæ legis custodia, speciali Spiritus diuini munere sanctificationem atque iustitiam in nostris animis indentis, diuinámque imaginem delineantis formari nos in Dei filios, in quibus Dei Patris nostri character eluceat. Audi illum: *Formatur in filium Dei intelligibiliter informatus diuinarum legum scientia ad speciem, effigiémque excellentem, quæ virtutum ornatu in animis hominum inhæret, ac insidet. Hæc autem pulchritudo intelligi potest spiritualis: formatur enim veluti in Christo per sancti Spiritus participationem ad ipsius speciem: scribit siquidem ad Gal. 4. diuinus Paulus:* Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, *formatur autem in nobis Christus, sancto Spiritu nobis diuinam quamdam formam per sanctificationem, & iustitiam indente; sic enim in animis nostris elucet character substantiæ Dei ac Patris.* Hæc Cyrillus. S. Cyrill. Alex.

Hæc ergo Chrystianorum temporum gloriosa felicitas, & fortunatissima gloria, hæc asseclarum Christi veneranda dignitas, atque augusta maiestas, vt supra seruorum gradum, & conditionem euecti *Filij Dei nominemur, & simus*, 1. Ioan vers. 1. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*, ad Romanos 8. 15. Quid verò inter seruos, & filios Dei intercedat discrimen, satis expresserat immediatè ante Apostolus inquiens: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Notetur præclarus dicendi modus Pauli, *spiritu Dei aguntur.* Sanè inficiari nemo potest, eximium quid denotare, seruum Dei dici, atque esse, quippe sedulum obsequium promptam obedientiam, omnimodámque deditionem inuoluit, vt suo loco iam vidimus: at spiritu Dei agi, multo maius, atque sublimius est, nimirum non modò significat, *ita viuere, suásque omnes actiones ita componere, vt filios Dei decet*; quemadmodum Iustinianus explicat, rem diffinitam cum diffinitione, siue distinctas locutiones confundens, sed etiam designat, tam perfectè, tam sanctè, tam conformiter ad Dei voluntatem viuere, vt vnus cum Deo spiritus homo esse, & diuinum spiritum pro anima, à qua omnes motus, operationes, actus accipiat, habere videatur. *Quia ad comparandam filiorum hæreditatem, non satis est, diuino semel imbui spiritu*, (inquit ad hæc verba Chrysost.) *nisi eius ducatu perpetuo regamur, cùm nauclerus sit animæ nostræ, & auriga, & ductor*: vnde Anastasius Nicenus in quæst. in Scripturam tomus 1. Bibliothecæ vet. Patrum. cùm dixisset: *Qui Deum dixit Patrem, & peccatorum remissionem, & supplicij ablationem, & iustitiam, & sanctificationem, & redemptionem, & filiorum adoptionem, & in eum qui est eiusdem generis fraternitatem, & spiritus suppeditationem confessus est per hanc solam*

Margin notes, right column: 3. — Ioan. 3. 1. — ad Rom. 8. 15. — Iustinian. — Chrysost. — Anast. Nicen.

solam dictionem. Non potest enim Deum non vocare Patrem qui illa omnia bona non sit assecutus, & factus sit Filius Dei, vt rationem dictorum reddat, subiiciens hæc Pauli verba sic inquit: *Nam quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Qui ergo Deum Patrem vocauit, æquum est, vt ostendat eam vita agenda rationem, vt hac generis nobilitate non videatur indignus*; sed id ex simili phrasi filiorum diaboli quòd scriptura non nisi ad grauissimos, ac flagitiosissimos peccatores, qui dæmonis ingenium, & naturam referant, denotandos, vti solet, optimè explicatur: certè quisquis grauiter peccat; diaboli seruus efficitur, dicente Domino: *Qui facit peccatum seruus est peccati*, Ioan. 8.

Ioan. 8. 34. ad Rom. 6. 16. 34. & Apostolo ad Roman. 6. 16. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos, ad obediendum serui estis eius, cui obeditis*. at filius diaboli is signatè dicitur, qui diaboli mores & malitiam sic exprimit, vt eius spiritum ebibisse, siue illius personam gerere videatur. Ita Iudæis plenis inuidia, & atrocissima cupiditate interficiendi filium Dei, ipse apud

Ioan. 8. 44. Ioan. cap. 8. 44. dicebat: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio*. ad quæ verba plura in hunc sensum affert Maldon. similiter, & de immanissimis hominibus, falsum testimonium contra bonum Naboth dicere audentibus 3. Regum 21. 13. dici-

3. Reg. 21. 13. tur, *& adductis duobus filiis diaboli fecerunt eos sedere contra Naboth*; & statim: *at illi, scilicet vt viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine*: & ad Elimam magum omnis iustitiæ inimicum, ac diaboli artes exercentem, notanter

Actuum. 13. 10. dixit Paulus Actuum 13. 10. *O plene omni dolo, & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas*. Ad quem sanè modum, vt seruorum Dei generalior appellatio est, quibuslibet iustis iure adhibita: ita filij Dei, ij signatè atque emphaticè dicuntur, qui diuinum spiritum ebibisse & ab eo ad omnes operationes agi, ac moueri, videntur, vnde, Cyrillo Alex. interprete, idem met Dominus, hos eximia sanctitate insignes viros, ex Spiritu sancto natos appellauit, quasi in illius mores diuinúmque ingenium transformatos, inquiens: *Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est*, Ioan 3. 6. ad quæ verba Cyrillus lib. 2. in Ioan.

Ioan. 3. 6. Cyrill. Alex. cap. 43. *Natum ex Spiritu sancto spiritum hominis dicimus, non quia ex eo secundùm naturam est, sed quia per ipsum ad Deum reformati, ac proprio eius charactere insigniti, ad suam, vt sic dixerim, qualitatem animo transformamur*. Sic ille.

4\. Agebat de summo Christi sacerdotio, ac Pon-

ad Heb. 7. 26 tificatu Paulus ad Hebræos 7. 26. & illum Leuiticis sacerdotibus infinito interuallo superiorem, ac excellentiorem sic faciebat: ***Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.*** obserua illa, ***talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex.*** Sed quare decebat, vt noster Pontifex Leuiticis sacerdotibus esset excellentior? Quia nimirum pro Christianæ Ecclesiæ præ synagoga excellentia ac dignitate (quippe nos filij, illi serui) dignior Pontifex, ad cuius normam, vitam, ac mores componeremus nostros debuit nobis obtingere: id sic adnotante in eum locum Primasio.

Primas. *Quasi diceret Iudæi velut serui timore legis Deo seruientes, legales Pontifices habuerunt, sibi conseruos mortalésque ac peccatores, qui pro semet ipsis, similiter indigebant, offerre. Nos autem, quibus dictum est*, Iam non dico vos seruos, sed amicos meos,

Ioan. 15. 15. *& quia filij Dei sumus seruiendo illi amore filiatio-*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

nis, decet, vt habeamus Pontificem immortalem, segregatum à peccatoribus. ergo hæc, nec alia, Christianorum mensura, vt quia Dei filij sunt, ad perfectam naturalis filij sui imitationem enitantur, & *in eum, qui est eiusdem generis, fraternitatem, & spiritus suppeditationem*, vt dicebat Anastasius Nizenus, moribus, & vitæ probitate se habere testentur. Certè ob egregiam Christianæ Ecclesiæ puritatem, atque candorem ipsius filij, & à Paulo, & à Christo Domino lux appellantur: ille siquidem ad Ephesios 5. 8. dicebat: ***Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino***; Dominus verò Matthæi 5. *vos estis lux mundi*; atque hac ratione huc per allegoriam à pluribus refertur, quod in prima mundi conditione bona à Deo lux visa fuerit. *Vidit lucem* (inquit Moyses Genes. 2. 4.) *quod esset bona*; sed enim, ad ea verba acutè perquirit Hugo Victorinus, in qua luce viderit Dominus, bonam lucem fuisse. *Nam si cætera opera sua* (ait ille) *in luce vidit, si essent bona, in qua luce vidit lucem, si esset bona? Nihil enim sine luce videri potest, sed nec tenebræ sine luce videntur, quanto magis lux non videtur sine luce?* respondet vero, in Christo, qui est *lux vera*, bonitatem lucis perspectam fuisse; quòd hæc illam imitaretur, immò ex illa tanquam ex naturali causa, siue potiùs tanquam ex parente ortum duceret; sic namque Hugo. *Verùm alia fuit lux increata, in qua ista lux creata videbatur, quod esset bona, quia illam imitabatur, quæ semper est bona. Quod enim ab ipsa discordare videtur, & quod ei simile esse videtur, bonum esse videtur, & vtrumque non nisi in ipsa, & per ipsam videtur*. Sic ille.

Ephes. 5. 8. Matth. 5. Genes. 2. 4. Hugo de S. Vict.

Commendant hæc maximè filiorum Dei dignitatem: ego verò præfatis Pauli verbis iuxta Primasij explicationem acceptis, maius ac illustrius quidpiam in hanc rem subesse crediderim: ex insigni videlicet filiorum Dei probitate, ac rectitudine, ex increatæ lucis exemplari deprompta summam atque omnimodam Christi sanctitatem, atque puritatem à Paulo illatam fuisse. Nam si attendis, non dixit, nostram sanctitatem decere, & aptam illi esse, sed potiùs talem decuisse, *vt nobis esset Pontifex*, &c. quasi immensa, ac infinita illius sanctitas, nos, qui ad singularem vitæ munditiam, atque innocentiam à Deo vocati sumus, deceret, maximéque nobis conueniens esset, vt debita inter Pontificem, & subditos siue inter caput, ac membra, proportio reperiretur. Vide si quid de filiorum Dei probitate præsumat Apostolus, quando non alium, nisi Christum sanctum, innocentem, impollutum, segregatum à peccatoribus, & cælo excelsiorem factum, docere, & aptum ac conuenientem illis esse affirmat; quasi horum dignitas, atque conditio, eximiam, atque infinitam illius sanctitatem suo quasi iure postulare videatur. Et verò ab hac cogitatione non longiùs irè videtur præfato loco ad Ephesios Paulus, subdens: ***vt filij lucis ambulate Fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & sanctitate***, maximè si his verbis adiunxeris illa Domini apud Matth. 5. 16. ***Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.*** Quid enim in primis fuerit apud Apostolum, filios lucis, nisi filios Dei esse? audi Hieronimum ibi: ***Si Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt; filij Dei filij lucis sunt; nec non, si Christus lux vera est, filij quoque eius, ad quos loquitur, dicens.*** Filioli mei adhuc modicum vobiscum sum, ***filij veræ lucis sunt***: vnde quidem, vt filios lucis ambulare idem certè erit, ac sic luce-

5\.

ad Ephes. 5. 8 & 9. Matth. 5. 16. Hieron. Ioan. 13. 33.

re, vt ex rectè factis cælestis Pater glorificetur. His verò haud dubium quin significetur, ex humanæ virtutis radiis, qui à superno lumine defluere, ac oriri noscuntur inæstimabilem diuinæ lucis pulchritudinem quodammodo pensitari, ac hominibus innotescere. Ideo non dixit Christus; *vt glorificent Deum, qui in cælis est*, sed signatè, *Patrem vestrum*: vt ex filiorum decore, ac venustate, vt in humanis accidit, Patris pulchritudo, atque elegantia deprehenderetur. Firmat hæc pulchrè Cyprian. lib. de zelo, & liuore, inquiens. *Si hominibus lætum est, & gloriosum filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad Patrem lineamentis paribus soboles subcisiua respondeat, quanto magis in Deo Patre lætitia est, cùm quis sic spiritualiter nascitur, vt actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur? Quæ iustitia palma est, quæ corona, esse te talem de quo Deus non dicat, Filios generaui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Hæc Cyprianus.

Cyprian.

Isai. 1. 2.

6. Hieron.

En augustissimam filiorum Dei dignitatem, & quomodo nulla sit (vt dicebat Hieronym.) *exhortatio vehementior, quàm quà nos Scriptura diuina filios Dei vocat*; nec non, quàm magno iure addiderit Paulus, *sine reprehensione*; siue *irreprehensibiles*: aut, *Momi morsibus non obnoxij*. Exigit enim cum primis hæc filiorum Dei conditio, vt qui hoc nomine censentur, vt diuinæ legi maximè aptari, ac conuenientes, ita à vitiorum sordibus sint vndique immunes: *vt dum incorruptum, & iustum, & bonum Patrem nostrum dicimus*, (vt dixit in literæ expositione citatus Nyssenus) *vita integritate propinquitatem referamus, eámque veram esse ostendamus.* Quod indidem sic tantisper diffundit. *Nam bonus Deus non habet bonam naturam, vt sit pater malæ electionis, & instituti, neque vt eius, qui est vita profanamus, qui est sanctus, neque vt eius, qui mutatur, qui est immutabilis, neque qui à peccato est morte affectus, is qui verè est vita: neque vt eius, qui ignominiæ affectibus, ac perturbationibus se indecorè gerit, qui est purus, & immaculatus, neque vt eius qui per auaritiam aliis facit iniuriam, qui est largus, ac beneficus, neque omnino eorum, qui in aliquo malo inueniuntur, qui bonus cernitur in omnibus.* Ita Nyssen.

Nyssen.

Quod quidem videor mihi siue prænunciatum, siue admonitum videre illis in verbis de Sponsi cælestis ventre, Cant. 5. 14. *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.* nam huius loci vna illa germana expositio mihi est, quam adhibuit Procopius in Exodum, vt in ventris nomine non sit materialiter hærendum, sed per ipsum Christi fili quos ipse matris vices gerendo se fore pariturum promisit Isa. 66. 9. intelligantur, sic enim Procop. *Ventrem Christi nominat sponsa Sanctorum chorum, quem ipse in almam lucem protrahit, & fouit*: vbi ex sequentibus sponsæ verbis, siue ex eboris, & sapphiri imaginibus non dubium, quin ipsorum candor, atque innocentia satis exprimatur: at enim non nihil ibi latet in rem hanc obseruatu dignum; quippe Nyssen. hom. 14. in Cant. dum hæc verba sic legit. *Venter eius tabella eburnea in lapide sapphiro*: in hac tabella eburnea allusionem fieri ad legis tabulas Dei digito inscriptas, & Moysi traditas (quæ sanè, vt inquit Paraphrastes Chaldæus in cap. 1. Cant. vers. 11. ex sapphiro lapide excissæ erant.) sic existimat; *quo tempore Legislator natura insculptam lapideis tabulis legem Mosi tradidit, illas ipsas tabulas appellant lapideas tabellas, quibus diuini characteres insculpti erant.* vnde sic capias hæc verba, ac si Dei filij tam perfectam diuinæ legis obseruationem profiteantur, támque ad illius normam sese compositos ostendant vt quod dixit Paulus, *ipsi sibi*

Cant. 5. 14.

Procopius.

Paraphr. Chaldæus.

sunt lex; Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, ad Roman. 2. 14. & 15. *Etenim* (pergit ita Nyssenus) *hoc in loco illud, quod edicta, & leges Dei recipit, indicatum vocabulo ventris, esse tabella eburnea dicitur.*

Nyssenus. ad Rom. 2. 14. & 15.

Vel si ventris imagini propriæ sumptæ adhærere mauis inibi tabulas legis, signatè esse dicito, vt ab illis simul progigni, & nasci filij Dei videantur, atque eo insigniantur charactere, quòd ab ipsò matris vtero diuinæ legis obseruantiam educant, nec aliter in lucem prodeant, quin secum opus legis scriptum in cordibus suis ostendant: secus quidem ac primi, & terreni parentis filij, qui qua tales in peccatis nascuntur, & ad peccata indesinenter propendent: vnde in oratione Dominica Deum non modò Patrem, sed cælestem etiam nostri originem memorare iubemur: id ad ea verba, *Qui es in cælis*, sic adnotante Chrysologo serm. 68. *Quia fuit tibi quondam pater, qui te resoluit in limum, qui te ad claustra duxit, & pertraxit inferni, terram nesciat, amorem carnis ignoret, patrem pulueris non requirat, nihil in se vitij licere permittat, qui Deum Patrem cælestem repetit ad naturam, & qui se Dei filium credit actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat, ne etenim ad terrena descendens ad ipsam tanti originis tendat iniuriam.* Sic Chrysol. ibi: vnde quidem prodigus ille ad bonam frugem se recipiens accurata locutione dicebat, *Pater peccaui in cælum, & coram te iam non sum dignus vocari filius tuus*, Lucæ 15. 21. Sed *cur in cælum*? Num in illum tela misisti? vel vt id fuerit, ex iniuria cælo illata Dei filium esse demeruisti? Respondet Nyssenus libro de orat. Dominus componens hæc prodigi verba cum illis, *qui es in cælis*, in hunc modum. *Hæc autem aliquomodo cum verbis orationis congruebant. Dicebat enim illic*, Pater peccaui in cælum, *non adiectu vs confessioni peccatum in cælum, nisi persuasus patriam sibi esse cælum, quo relicto peccauerat.* Quare rursus Chrysolog. serm. 67. ad eadem verba, *qui es in cælis*, cùm dixisset. *Hoc cùm audis, non sic accipias, quasi sit loco clausus, qui claudit omnia, sed intellige, esse tibi genus è cælo, cuius Pater habetur in cælo, & age, vt viuendo sanctè, sanctè respondeas Patri*; subiicit lydium lapidem ad dignoscendum Dei filios: *Dei filium ille se probat, qui vitiis non obscuratur humanis, qui diuinis virtutibus elucescit.* 7

Crysol.

Lucæ 15. 21.

Greg. Nyssen.

Idem.

Hinc illa grauissima optimi Dei de perfida, & ingratissima plebe querimonia Isaiæ 1. 2. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Vbi Cyrillus. & Chrysostomus signatè legerunt, *genui*. quo verbo maius accedit orationi pondus. Quid enim peius? quid intolerabilius? quàm tanto patre natos filios peccato seruire, ac vitiis obrui: sed vide quid ad speciem diuersum, siue contrarium subiiciat. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis.* pende illa *semini nequam*; quibus malam ac turpem stirpem illis manifestè obiicit: vbi iure ambigas, cur à se genitos filios malæ stirpis arguat? vel cur eos, quos nequam progenie ortos dixit, filios suos appellauit? Siue etiam cur iam diuinam originem, iam turpem progeniem illis exprobret? aut tandem cur illis mala stirps vitio vertatur; cùm nemo in manu habeat, huius vel illius filium esse? sed iis omnibus facile occuras, si primùm animaduerteris pro illis verbis *spreuerunt me*, lectionem Tigurinam reposuisse, *desciuerunt à me*: deinde zizaniorum parabolam in memoriam reuocaueris, disces enim ex ipsa duplex reperiri semen alterum bonum à Deo seminatum, alterum pessimum 8

Isaia. 1. 2. Cyrill. Alex. Chrysost.

Lect. Tigur.

à dæmo

à dæmone inter mixtum: *Simile est* (inquit
Matth. 13. 24. Dominus Matth. 13. 24.) *Regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo; cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Ad quæ verba nō est prætermittenda hæc Chrysologi obseruatio
Chrysol. serm. 97. *Audistis quemadmodum sator mundi rerum principia bona seuit, neque vllum malum ab originis processit auctore, ab inimico superseminatum est malum*; & post pauca: *Sic legem diuinis, & veracibus satam preceptis, humanis & mendacibus fucauit inuentis*; hunc enim ex iis diuinæ querelæ sensum esse, videris: ingratum illum populum à Dei origine desciuisse, diuinúmque semen cum pessimo dæmonis semine malè commutasse, dum vitiis, & voluptatibus, potius quàm diuinæ legi, quæ cælesti Dei ventri ad parturiendos, & formandos filios inesse dicitur, adhærere maluerunt;
Basilius. vti ad hæc verba sic docuit Basilius. *Semini nequam, hoc scilicet, quod ab inimico homine, nempe zizaniorum puro frumento interseritum est, & inspersum, quod et ad primum adoleuit, ac maturuit, in filium euasit iniquitatis, filium, inquam, perditionis, & gehennæ, ob hoc digni fuerunt, qui oppelrentur, & quos prosequamur luctu, qui pro eo, quod filij essent Altissimi, filij facti sunt exleges, & iniqui; pro eo quòd non perseuerant in diuiniore sua regeneratione, semen fiunt nequam.* Ita Basilius. Ad quem modum Gregorius Nyssenus in expositione literæ adductus ex persona Domini di-
Gregorius Nyssenus. cebat: *Si filius meus esses, meis boni prorsus etiam tuam vitam insignem esse oportebat: non agnosco naturæ meæ imaginem in te, aduersariorum sunt ista insignia.* de suo autem hæc paulo antè dixerat Nysse-
Psal. 4. 2. nus. *Non potest arbor bona malos producere fructus, si quis igitur graui tardóque corde, vt inquit Scriptura, atque mendacium quærens audet orationis verba vsurpare, sciat is quòd non cælestem Patrem inuocat, sed infernum, qui, & ipse mendax est, & eius quod in vnoquoque conflatur, mendacij pater exsistit.* Ita Gregorius.

9. His accinunt quæ sequuntur in Isaïa, nimirum,
Lect. Heb. *filiis sceleratis.* Nam Hebræum verbum in *Hyphil* est, *excissum esse*, vt ramus à trunco abscinditur, innuens, hanc esse peccati naturam, quòd animam à diuina, & generosa stirpe rescindat, & ignobilissimæ atque infami inserat. A quo non it Hyeroni-
Hieronym. mi commentarius hæc dicentis. *Non quòd alia sit gens, & alius populus, vt quidam putant, sed ipse Israël, & gens appellatur, & populus, & filij scelerati, siue iniqui: vt qui primùm per beneficium filij appellati sunt Domini, postea vitio suo vocarentur filij iniquitatis, siue vt reliqui consona voce dixerunt*, filij corrumpentes, *id est*, υἱοὶ διαφθείροντες, *qui natura bonum suo vitio perdiderunt*: subscribit indidem Nyssenus
Nyssenus. dum ait, *Propterea animi affectibus, ac perturbationibus obnoxij filij iræ ab Apostolo appellantur, & qui à vita desciuerit*, perditionis filius *nominatur.* Hinc
Bernard. scitè eam reddidit rationē Bernardus serm. 60. in Cant. cur sceleratos hos filios signatè cum ficu in-
Luca 13. 6. fructuosa Christus cōposuerit apud Lucam c. 13. 6. quòd nimirum ea huius arboris conditio sit, vt præter fructum nihil speciosum, siue amœnum habeat, nec proceritate, pulchritudine, aut vmbræ opacitate conspicua sit, vt inde fieret manifestum, illos generosam stirpem corrupisse, nec aliquid decori, aut honesti præ se ferre quod pulchræ radici,
Bernard. atque origini conueniret. Ita enim Bernard. *Per ficum Iudæorum populus exprimitur, & bene ficus, quæ licèt bona Patriarcharum radice prodierit, nunquam tamen in altum proficere, nunquam se humo attollere voluit, nunquam respondere radici proceritate ramorum, generositate florum, fecunditate fructuum. Malè prorsus eum tua radice tibi conuenit arbor pusilla, tortuosa, nodosa.* Radix enim sancta *& quid dignum tuis apparet in ramis.* Sic Bernardus. Quàm verò turpe sit, quàm indignum, à tam generosa, támque diuina stirpe degenerare; vel ex materialibus, rebus sinceritatem sui seminis asseruantibus, nec ab illo desciscentibus opportunè, commonefacit Ambrosius, degeneres Dei filios increpans: atque eleganti hac oratione verberans, lib. 3. Hexaëmer.
cap 7. *Quæ sit autem similitudo non ignoras, qui ad imaginem, & similitudinem Dei factus es. Herba generi respondet suo, tu non respondes tuo generi. Tritici granum sparsum terræ generis sui gratiam reddit, & tu degeneras? Fruges non adulterant sui sinceritatem seminis, tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis castitatem?* Hæc Ambrosius. Ambrosius.

Nec discedam hinc, quin Chrysologi atque 10.
Nysseni sensa superiùs adducta relegam, atque expendam. Non leuem videlicet cælesti Patri malū filium inferre iniuriā de parentis nomine ipsum compellātem Quod eodem loco à priori, vt aiunt, rectè confirmat Nyssenus, quòd vox patris causam Nyssenus.
eius, qui ex ipso habuit, vt consisteret, & similitudinem cum filio naturaliter significet, atque ideo peccatorum principium, atque originem quodammodo esse videatur. Audi illum. *Nam patris vocabulum causam ex ipso procreati significat. Ergo si conscientia vitiosa quis præditus patrem suum Deum dicat, nihil aliud quàm suorum malorum quasi principem, & auctorem eum insimulabit. At nulla* communio luci cum tenebris, *inquit Apostolus 2. ad Cor. 6.* 2. ad Cor. 6.
14. *sed cum lumine lumen consociatur, cum iustitia iustitia, cum honestate honestas; cum incorrupto incorruptum.* Qua sanè de causa Philone Hebræo au- 14.
ctore ad vocem Esau suū patrem Isaac compellātis: *Ego sum filius tuus primogenitus Esau*; vehementi ille admiratione, ac stupore correptus sic dicitur. *Expauit Isaac stupere vehementi, & vltra quam credi potest, admirans.* Genesis 27. 33. *Indignatur namque* (ait Philo) *quòd primo quidem filium se consiteri præsumpserit prauus, ne famuli quidem ordinem promereatur.* Cautiùs ergo, ac prudentiùs prodigus ille Genes. 27. 33. Philo.
filius cogitans apud se ratiocinabatur. *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis*, Lucæ 15.18. *Hoc est dicere*, inquit Chrysolog. serm. 5. Luca 15.18. Chrysol.
quia non mereor iam filij gloriam, vt venia consequar pro mercenario labore mercedem, & cui honor sobolis perit, saltem vitalis maneat in quotidiano pane substantia. Hæc ille.

Ad ea verba, *Simplices Filij Dei.*

ADNOTATIO II.

Germanos Dei filios vni rei cælestibus videlicet bonis, & animæ saluti incumbere.

IN alterum siue filiorum Dei, siue hominum verè simplicium indicem (vt 1.
vtrique explicationi satisfaciamus) si, vt dicebat sanctus Thomas, eius S. Thomas.
intentio ad vnum fertur, & vt Deus simplex est, ita qui germanum ipsius filium se esse profitetur, simplex sit, vnus sit; vni nimirum Dei obsequio vacet, vnius animæ negotium ge-

rat, cælestibus tantummodo rebus, ac spiritualibus bonis inhæreat, adeóque non statuat oculos suos declinare in terram, vt nec vno oculo cælum altero terram aspiciat, sed toto animo, & obtutu quæ sursum sunt sapiat, quæ sursum sunt cogitet. Hoc opinor est, simplicem esse, hoc Dei filium, hoc ipsi adsimilem esse. Et verò hac singillatim ratione insiliorum suorum educatione cum aquila sese ipse componi voluit, dum à Mose inducitur, *sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*, Deuter. 32. 11. vbi LXX. *& super eos desiderauit*. Quid desiderauit? generosæ illos indolis, & origini suæ respondentes inuenire. Nosti id quod tam Patres, quam prophani scriptores de experimento, quod de pullis suis aquila capit, scripsère: vel adi Tertullianum lib de anima capite 8. Nazian. orat. de Episcop. Clement. Alexand. in exhortat. ad gent. Hieronymus in capite 40. Isaïæ, August. tract. 36. in Ioan. Basil. hom. 7. in Hexaëmer. Plinium lib. 10. capite 3. vt ego hæc tantùm Ambrosius verba appingam lib. 5. in Hexaëmer. capite 18. *Itaque asseretur quòd pullos suos radiis Solis obiiciat, atque in aëris medio pio paruulos vngue suspendat, & si quis repercussus Solis lumine intrepidam oculorum aciem seruauerit, probatur, quòd veritatem naturæ sinceri obtutus constantia demonstret; sin verò lumina sua perstrictus radio Solis inflexerit: quasi degener, & tanto indignus parente reiicitur.* Dixerat verò antè, *non puto auaritia nutriendi eam inclementem fieri, sed examine iudicandi.* En experimentum, quod diuina aquila de filiis suis capit; an videlicet ad ea, quæ sursum sunt, inconniuenti oculorum pupilla aspiciant; an verò conniueant, & ad terrena oculos conuertant. En quod dicebat Paulus ad Ephes. 5. 8. *vt filij lucis ambulate*; qui diuinarum rerum lucem intueamur, suscipiamus amplectamur; quod ita accommodauit, & præstrinxit citato loco Clem. Alex. *vt germani filij lucis intueamur lucem, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehendat Dominus, quemadmodum Sol aquilam.* Quibus bellè conciliunt hæc Cypriani de orat. Domin. *Meminisse fratres dilectissimi, & scire debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat ille de nobis conuersemur quasi Dei templa, & Deum in nobis constet habitare. Nec sit degener, actus noster à spiritu, vt qui cælestes, & spirituales esse cœpimus, non nisi spiritualia, & cælestia cogitemus, & agamus.* Vide quanti sit, terrena despicere, & mente in cælum euolare, ne radio Solis perstrictus, *quasi degener, & tanto indignus parente* reiiciaris, quippe à filiorum Dei culmine, & fastigio ex terrenorum amore decidit: vnde cum lachrymis in Threnis capite 5. 16. *cecidit corona capitis nostri tunc perit, cùm bona voluntas amittitur. De qua sanè rectè Propheta gratulabundus, canit,* scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos Domine. *Tunc ergo mens nostra corona virtutum decoratur, cùm scuto bonæ voluntatis in omnibus non solùm ornatur, sed etiam in protectione Dei defenditur, sed cùm bona voluntas in mentem cadit, quid aliud quàm corona virtutum, & decor nostræ salutis amittitur.* Hæc ille.

Deut. 32. 11. LXX. *Tertul. Nazian. Clem. Alex. Augustinus Basilius. Plinius. Ambros.* *ad Ephe. 5. 8.* *Clemens. Alexander.* *Thren. 5. 16. Paschas. Psal. 5.*

2\. Respicit huc quidem ipsa humani corporis constitutio, cùm oculi in capite non deorsum inclinato, sed sursum erecto, arcano sensu locati sint, vt iis omnibus, quæ sub aspectum cadunt despectis, atque neglectis, superna tantùm, ac cælestia conspiciant, & affectu complectantur. Audi Ecclesiasten cap. 2. 14. *Sapientis oculi in capite sunt: stultus in tenebris ambulat.* Sed rideas forsan sapientissimi hominis sententiam; quasi alio in loco sapiens ab insipiente oculos habeat, & vt illi in capite, huic in pedibus insint; at enim siue ex dictis, siue ex iis, quæ ad hæc verba egregium fratrum par Basilius, & Gregorius Nyssenus admonent, pulchrè Salomonis sententia subsistit, sic enim capiunt oculos in capite habere, ac illis sursum aspicere, & cælestibus inhærere, quòd hæc hominis natura, hic internæ mentis vsus sit, huc eum sapientia ducat; id naturalis ratio admoneat, aliàs oculos in calcaneo habere, & in stultitiæ atque amentiæ tenebris ambulare videatur. Sic enim Basilius hom. vlt. in Hexaëmeron. *Tui corporis effigies, rudimentum quoddam est, quo docearis, ad quem sis finem conditus, vt Deum contemplaris factus es, non vt humi repat vita tua, non vt pecudum rictu voluptate perfruaris, verum vt ad normam & institutum cælestis vitæ tuam ipsius componas, & hac gratia non inscite dixit sapiens Ecclesiastes*: Sapientis oculi in capite eius. *Cuius nam oculi non sunt in capite? at qui hic in capite, id est, vt ea contemplentur, quæ in sublimi sunt, nam qui non ad bona, quæ in sublimi sunt, sed quæ in terra respectat. is vtique defigit, detrahitur oculos in terram.* Ita Basil. Similiter Nyssenus hom. 5. in Ecclesiastem secundum hemistichium plusculum premens ad hunc modum: *Quando ergo perspiciendi, & contemplandi vis in anima occupatur in rebus sensilibus, in eius calcaneos oculorum transit natura, per quos aspicit, quæ sunt inferiora*, & post nonnulla, cælestem Pauli vitam accuratè expendens, illis ipsius verbis ad Romanos 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi, Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* hunc sensum reddit. *Quod perinde est, ac si diceret: Quis meos oculos effodiet à capite, & transferet ad id quod conculcatur, & est terrestre.* Hæc Nyssenus. Nec tamen contentus ero hac oculorum obseruatione, nisi in gratiam eorum, qui *simplices filij Dei*; vel *simplices*, siue *non duplices* homines sunt, peculiarius, ac opportunius aliquid obseruem: an nimirum oculorum siue visus nostri naturam esse, vt quamuis duplicati nobis à creatore dati sint oculi, & eorum quilibet res cernere, atque cognoscere valeat; eas tamen vterque non duplicatas, sed simplices videant: solùm enim *lippientibus oculis singularis lucerna numerosa est*, vt eleganter dixit Tertullianus libro 1. contra Marc. cap. 2. Id quod tam latè quàm acutè pertractauit Galenus lib. 10 de vsu partium cap. 12. hanc oculorum in videndo simplicitatem, siue singularitatem inde prouenire demonstrans, quòd rerum visibilium species in puncto quodam ante oculos coniungantur, & eodem modo optici oculorum nerui speciebus receptis in altero subinde vniantur puncto; atque hinc fieri, vt duobus oculis singularis repræsententur res visæ; nec non, vt neruis illis ex ægritudine disiunctis, *singularis lucerna numerosa sit*: vt inde de naturæ nostræ simplicitate, & de filiorum conditione moneamur, non duplices nobis videndas res, non duplicata nos negotia, ac curas habituros, non vno ad cælum oculo, altero ad terram contuendum nobis esse, sed vnam tantùm rem, vnam curam, vnum negotium; Dei videlicet obsequium; cælestium sollicitudinem, siue animæ nostræ curam nostris oculis obiiciendam, ac repræsentandam esse: ne lippientes ac cæci siue qui oculos habeamus in calcaneis, esse videamur.

Ecclesiast. 2. 14. *Basilius.* *Basilius* *Nyssenus.* *Tertull.* *Galenus.*

Nec

3. Cant.4.9. Nec mihi hanc cogitationem adscripsero, cælesti sponso Canticor. 4. 9. dicente. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Vt enim his verbis plures adhibeantur à Patribus, & interpretibus explanationes, vna illa germana ac literalis, nisi ego erro, est, quæ non de vno ex oculis siue de vno ex crinibus, sed iuxta superiùs dicta. sub imagine oculorum qui interius vniti singulares, siue simplices res vident; ea sic accipit, vt sponsa inde maximè commendetur, & sponsi cor percutere, siue in sui amorem omnino allicere dicatur, quòd totam oculorum aciem in ipsius charitatem & obsequium defixam habeat, huc omnes cogitationes, & curas suas reuocans, & tanquam in scopum dirigens, vt vnica sibi sollicitudo, vnus amor, vnum negotium sit; animæ scilicet salus,& cælestium bonorum studium, quem quidem sensum: videntur reddidisse Gregor. Nyssenus,& Anselmus ad hæc verba, ille enim hom. 8. in Cant. à præfata Galeni doctrina non longiùs discedens sic ait. (Gregorius Nyssenus.) *Sunt enim nonnulli, qui in diuersis oculis malè sunt acris visus, in id quod non potest consistere in multas dispertientes naturas, id quod est in peruersorum oculorum visionibus: ij sunt, qui dicuntur multa aspiciunt. nihil vident.* & post pauca: *Est ergo cæcus quidem is, qui multos habet oculos, qui multis oculis ad vana aspicit; ille autem est, acris visus, & perspicax, qui per vnum animæ oculum ad solum bonum aspicit.* Sic Nyssenus. A quo hæc sic diffundit vener. Gillibert. serm. 30. in Cant. (Nyssenus. Gilleb.) *Aspectus aspectum prouocat, ideo tuo illum tenta vulnerare prospectu. Oculi tui semper ad Dominum, vt amoris tui nutibus capiatur, illaqueetur criniculis. Non tamen dicit in oculis, & criniculis quasi in pluribus, sed quasi in vno; si plures habes oculos, omnes alios claude, vt hoc vno vtaris, quo solo dilecto intueri soles, & quo solo vales.* &c. *Oculus tuus vnus est, si purus est, vnus est, si ad plura non est, vnus est, si quodammodo simplicatus, & strictus, & directus in vnum est non fusus, non diffusus, non sparsus in multa. Oculus tuus vnus est, si intendis, & intueris semper in vnum, & in illum vnum.* Hæc, & plura Gillebertus, Breuius Anselmus. (Anselmus.) *vulnerasti dico* in vno oculorum tuorum: *id est, quia oculi in te vniuntur conspiciendo.* Quo sanè in cardine tota Tertulliani in libro de pallio, excusatio vertitur, quòd Iureconsultus cum esset, reiecta tamen toga pallióque suscepto, à forensi tumultu, & sæcularibus, negotiis se penitus abdicauerit, & strictiùs, atque angustiùs vitæ genus capessens vni animæ saluti gnauiter operam impenderet. Audi illum ambitiosa sermonis pompa pro se sic perorantem. (Tertul.) *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo; nulla rostra praeoccupo; nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non milito, non regno, secessi de populo: immò vnicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, ne curem.* Sic ille. Apud quem pendas velim illum dicendi modum: *Nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo.* Eo enim innuit, vni animæ negotio velut creditori, cui ipse vix soluendo sit, debitorem se esse, reliqua omnia nullum in ipsum ius habere, vt ea curare debeat.

4. Sed ille huic rei, signatè verò S. Thomæ expositioni, simplices Dei filios ex Dei similitudine, qui simplex est deducentis. valde appositus, ac opportunissimus locus est Ecclesiastes 7. 30. vbi hoc inter certissima animi sui sensa proponit Salomon. (E. 7.30.) *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Sed obserua tam ex Hebræa, & à Latina locutione, quàm ex venustate antithesis, quæ inter vtrumque hemistichium intercedit, sic dictum ibi esse, quòd fecerit Deus hominem rectum, ac si diceretur, *hominem* simplicem, nec enim synonyma solùm Hebraïcè, & Latinè esse videris, *simplex ac rectus*; vt Iob. 1. 1. *Vir simplex ac rectus*, ad quæ verba Gregorius Magnus hom. 30. in Euang. (Gregorius Magnus.) *Quæ est rectitudo sine simplicitate? aut quæ simplicitas sine rectitudine?* & alibi passim apud scriptores; sed etiam Vulgatum vbi in fonte inuenit *rectum*, solere reponere *simplicem*, vt eruditè ibi ostendit Pineda: (Pineda.) pro quo facit Gregorius Thaumaturgi paraphrasis, quæ habet. (Gregor. Thaum.) *Animaduerti, quod homines animis simplices à Deo creati, &c.* Iam si inquiras quid fuerit? factum à Deo hominem simplicem, respondebo, significare, factum vnum, non duplicem, siue multiplicem; hoc est, vni curæ, vni rei, siue vni cogitationi tantùm, diuini nimirum obsequij, & animæ suæ salutis procurandæ natum, atque addictum nam vel satyricus dixit,

Pectora nostra duas non admittentia curas. (Iuuenalis.)

En primariam, ac veram hominis felicitatem. En illius germanam naturam, atque conditionem vt simplex sit, vnus sit; vni Dei obsequio vacet, vni animæ saluti inuigilet Sed proh dolor! *ipse se infinitis miscuit quæstionibus*; quibus quæstionibus? Aperiunt LXX. Pagninus, & quotquot ex Hebreo transferunt: (LXX. Pagninus.) *ipse quæsierunt cogitationes multas.* Ac si diceret, admisit, & amplexatus est multas curas; suscepit sibi plura agenda negotia, & qui in diuina simplicitate Deo adsimilis fuerat creatus, vt cælestibus solùm inhæreret; ad hæc mortalia, caduca, terrena, infelix, oculos declinauit pulchrámque illam vnitatem discindens, sese in mille partes diuisit, atque partitus est. Id enim si attendis, apertè innuit illa personæ mutatio, quæ apud LXX. & in Hebræo est, nam cùm de homine simplici, ac recto in singulari dicatur à Deo factus, *fecerit Deus hominem rectum:* de ipso varias cogitationes, & curas admittente in plura dicitur. *Ipsi quæsierunt cogitationes multas*, quod enucleatiùs expressit lectio Tigurina, (Lect. Tig.) *ipsi autem plures facti cogitationes vanas persecuti sunt*, quasi pro varietate rerum, curarum, atque cogitationum, quas persecutus est, se ipsum discinderit, ac multiplicem fecerit. Qui autem vnus homo multiplex fiat, pulchrè Hieronym. epist. 18. inquiens: (Hieronym.) *Cùm ad imaginem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus, & quomodo in theatralibus scenis, vnus, atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem, ita & nos tot similitudines habemus, quot vitia.* Expende illa, *cùm ad imaginem Dei conditi simus*, quibus Dei imaginem ad simplicitatem, & cogitationum, ac curarum singularitatem manifestè reuocat Hieronymus, dum illi personarum, siue affectuum multiplicitatem opponit. Parum est autem, hominem dum à simplicitate decidit, multiplices sibi tanquam histrionem sumere personas, cùm plurium belluarum pelles ac formas singularis ille, ac regiam diuinæ imaginis personam gerens sibi superinducat, dicente regio Vate: (Psal.48.13.) *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48. 13. Vides hominem simplicem, in singulari numero signatè positum, dum vnitatem discindit, non vnam, sed plures bestias factum. Diffidis? Audi Chrysostomum hom. 23. ad popul. (Chrysost.) *Cùm nempe tanquam asinus recalcitres, lasciuias vt taurus, tanquam equus verò post mulieres inhies, ventri tanquam vrsus*

sus indulgeas, vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas vt camelus, porrò rapias quidem vt lupus, ac vt serpens irascaris, ferias vt scorpius, sis subdolus vt vulpes, nequitia ve-ò tanquam aspis, & vipera venenum serues, ac sicut ille malignus dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus enumerare valeam, talis in te natura signa cùm non intuear. Hæc Chrysost.

5. Quò maximè facit quæsita hæc Domini apud
Ezech. 14. 4. Ezechielem locutio cap. 24. vers. 4. *Hæc dicit Dominus Deus: Homo, homo de domo Israël.* Sed quid est *homo, homo*? aut qui non superfluat hæc hominis conduplicatio? quid enim homo supra hominem addiderit? aut quid sit homo, quod non sit homo? Respondet tamen inibi Hieron. notanter dici *homo homo*, quòd non omnes homines dici valeant homines homines; sed homines iumenta, aut homines vulpes pro bestialium affectionum, quibus inseruiunt, varietate: sic namque ille: *Quódque secundò dicitur*, Homo homo filiorũ Israël, *&c. duplicem in nobis iuxta Apostolum ostendit hominem exteriorem, & interiorem. Multi enim habentes hominis faciem corporalem, diuersarum bestiarum assumunt imagines, quas dissipari Propheta cupiens deprecatur*, Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum dissipabis, *illi de quibus scriptum est:* Homo cùm in honore esset, non intellexit. comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, *Psal-*
Psal. 48. 13. *mus* 48. 13. *non sunt homines homines, sed sunt homines iumenta. Rursum qui in Euangelio audiunt*, Serpentes genimina viperarum, quis ostendit vobis fu-
Matth. 3. 7. gere à ventura ira, Matth. 3. 7. &c. 23. 33. *non sunt homines, homines, sed homines serpentes, & de quibus scriptum est*: Vulpes foueam habent, & vo-
Matth. 8. 20. lucres cæli nidos, Matth. 8. 20. *ac de Herode*: Di-
Luca 13. 32. cite vulpi huic, *Luc.* 13. 32. *non sunt homines homines, sed homines vulpes.* Hactenus Hieron. ab Origen. Sed pergit, hic *considera, an inuenire valeamus, quid sit illud quod nomen hominis duplicet. Quando iste homo, qui est exterior, homo fuerit, eo, qui est interior homo, serpente existente, non est in nobis* homo, homo. *Quando verò interior homo iuxta imaginem perseuerauerit conditoris, tunc nascitur homo, & fit istius modi secundùm exteriorem, & interiorem hominem bis* homo, homo. Ita Origenes.

6. Hinc, tum illa vagantis per creaturas animæ, & sæcularibus deliciis, siue fallaciis deditæ, acris in-
Ierem. 31. 22. crepatio Ierem. 31. 22. *vsquequò deliciis dissolueris filia vaga*, tum blanda hæc Pauli sententia 2. ad
2. ad Cor. 11. 2. Corinth. 11. 2. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quid enim fuerit, deliciis hominem dissolui, quàm in varias affectionum partes discindi, siue distrahi, ac dilacerari? eo modo quo
Seneca. gentilis Seneca dicebat epist. 52. *Si voluptati cessero*, (en animum delicijs dissolutum) *cedendum est dolori, cedendum est paupertati: idem sibi in me iuris volet, & ambitio, & ira inter tot affectus distrahar, immò discerpar.* Nec aliter de se ipso Augustinus in
August. Meditat. cap. 4. *Coarctat auaritia, accusat superbia, consumit inuidia, inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat, detractio lacerat, ambitio supplantat, rapacitas obiurgat, discordia dissipat, ira perturbat, leuitas dissoluit, torpor opprimit, hypocrisis fallit, adulatio frangit, fauor attollit, calumnia pungit. Ecce liberator meus de gentibus iracundis.* Quid verò sibi velit Apost. inquiens, *Despondi vos vni viro*, &c. quàm innuere? se, vt optimum medicum tot diuinæ imagini, siue simplicitati inflictis vulneribus, tot animæ in varias affectiones partitæ discissionibus, atque rupturis opportunam medicinam adhibuisse, *vni* tantùm *viro*, hoc est Christo illam despondens, siue, quod ex Græ-
ca voce alibi dixi, *parans, statuens, agglutinans, & vndique concinnè aptans*, vt à dispersione, & discis- Græca Lect.
sione collecta, & resarcita ad diuinam vnitatem, & simplicitatem redeat, non aliter quàm se sibi sic gratulabatur August. libro 2. conf. cap. 2. de illis gentibus iracundis liberatum, & pristinæ vnitati restitutum fuisse: *amore amoris tui facio istud, re-* August.
colens vias meas nequissimas in amaritudine animæ meæ, & colligens me à dispersione in qua frustatim discissus, dum ab vno te auersus in multa euanui. vnde statim subiicit Paulus, *Timeo ne sensus vestri seducantur, & excidant à sinceritate, quæ est in Christo.*
ac si dicat: Vereor ne rursus dissoluamini, & qui 2. ad Cor. 11. 3.
modò ad similitudinem Dei simplices estis, ad terrena postmodum reuersi, singuli multiplices efficiamini, cogitationes multas persequentes.

Capies ex his facile id quod ad speciem dubium 7.
apparet, vnam atque eandem rem in Scripturis iam commendari, iam reprehendi, iam præmiis, iam pœnis affici: vix enim aliquid vna ex parte videris, ad quod discipulos suos tam impensius, quàm ad negotiationem Christus Dominus vrgeat. Nam apud Matth. 13. 45. regnum cælorum cum homine negotiatore sic composuit: *Simile est regnum cæ-* Matth 13. 45.
lorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inuenta pretiosa dedit omnia sua, & parauit eam, & cap. 25. 14. tum sub regis peregre abeuntis persona hoc seruis suis generale mandatum dedit. *Ne-* Matth. 25. 14. & 17.
gotiamini dum venio; tum etiam vers. 27. negligenti seruo, qui à negotiando supersederat, cum stomacho obiecit: *Serue male, & piger oportuit te committere pecuniam meam numulariis*; ex alia verò infelix ille Tyri Princeps signatè negotiationis arguitur Ezech. c. 28. 16. & grauissimis hisce verbis reprehenditur. *In multitudine negotiationis tuæ repleta* Ezech. 28. 16.
sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei. Similiter apud eundem Vatem cap. præced. vers. 43. illiusmet Principis vrbs Tyrus vt negotiatioinbus florentissima, ita infelicitate, & ruina insignis perhibetur: sic enim ibi, *Quæ in exitu ne-* Ezech. 27. 33
gotiationum tuarum de mari implesti populos multos in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditasti reges terræ. Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum opes tuæ, & omnis multitudo tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt. Ad quem etiam modum dum grauissima ciuitatis Niniuæ flagitia, durissimáque illis respondentia supplicia à Nahum Propheta sic describuntur c. 3. 1. *Væ ciuitas sanguinum, vni-* Nahum. 3. 1. & 16.
uersa mendacij dilaceratione plena, non recedet à te rapina. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis. Et micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruina, nec est finis cadauerum; illa tot criminum summa & suppliciorum causa videtur. *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli*, vers. 16. En vnam eandémque rem iam probari, iam respui, modò admoneri, modò damnari, hic noxiam, illic innoxiam esse, & quod de fortuna dixit Plinius libro 2. capite 7. solam Plinius.
in tota ratione mortalium vtramque paginam facere. At enim nihil in his dissonum, sed omnia sibi concinere, & inuicem plaudere, nec aliud quàm præfatum Ecclesiastes sensum, hominem vt à Deo rectum, & simplicem factum, beatitudini destinatum, ita à se ipso in varias cogitationes & curas partitum, peccatis, atque suppliciis obnoxium redditum, continere videris. Eò enim manifestè eunt omnia Christi monita ad negotiationem impellentia, vt vnum solùmodo salutis negotiũ suscipiam, nõ nisi de regno Dei coëmẽdo,

&

& acquirendo cogitemus, atque huic negotiationi, res omnes creatas non secus, ac fini vltimo, media, & ad beatitudinem instrumenta substernamus, atque subiiciamus; ideo regnum cœlorum vni margaritæ, cui comparandæ omnia inseruiant, vni agro, pro quo cuncta alia enumeranda sint, accurata locutione comparatur; quod ad hunc scopum non modò omnes nostras curas, atque consilia, sed quidquid nobis, siue opum, siue virium, siue honoris, & dignitatis sanguinis, atque salutis, siue denique vitalis spiritus fuerit, referre, ac dirigere debeamus, vna hac intentione, ac spe contenti. Quò
Cantic. 4. 1. sanè illa sponsæ laus it Cantic. 4. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*; egregia enim caprarum in altissimo monte pascentium, siue sursum aspicientium (Hebræa enim Pa-
Hebr. Lectio. gnini lectio pro *ascenderunt* habet, *quæ aspiciunt*) imagine, ea denotatur anima, quæ inter humana negotia, in quibus versari necesse est, sursum omnino aspirit, & ad Dei obsequium refert, quin illis qua hmuana, & terrena sunt, aliquomodo implicetur, vti ad ea verba sic inquit Theodor. *Neque per capillos capilli sunt intelligendi, neque pro dentibus dentes, sed capilli ea quodammodo significant, quæ in sponsa haud ita sunt necessaria, quæque ad corpus pertinent. Vita enim capilli, & sensibus carent, quasi dicat: In negotiis etiam humanis, in quibus non possumus non implicari, laudabiliter, decoréque geris, caprarúmque gregi videris similis, qui pascitur in monte Galaad, & propter montis altitudinem insignis est.* Qua quidem de causa, Hilario interprete, duæ discipulis suis à Domino tunicæ interdictæ sunt, ipso
Mat. 10. 10. apud Matthæum dicente cap. 10. 10. *Neque duas tunicas*: quasi vna Christi tunica, siue de eo habendo, & possidendo vnica cura nobis induenda sit;
Hilar. *sufficiet enim* (inquit Hilarius) *nobis Christus semel in-*
August. *dutus*. Nec aliter explicauit Augus. ea Christi ver-
Luc. 10. 42. ba Lucæ 10. 42. *vnum est necessarium* inquiens: *Vnum opus est, vnitate, quæ in Domino est, ille solus nobis necessarius est, ille satis est, cætera, quæ multa sunt necessaria non sunt.*

8. Quo omnino sensu, & Tyri Princeps, inclytæque illæ vrbes negotiationis arguuntur, &, quod magis mireris, piger ac nequam seruus, quòd non negotiauerit, capitis damnatur; vnum enim atque idem serui, ac Principis crimen fuit. Ille quòd talentum in terra defoderit, hoc est, cœlesti negotiatione neglecta & oculis in terram declinatis, terrena lucra & carnales concupiscentias sectatus fuerit, in crimen & in supplicium vocatur. Etenim *talentum in terra fodere* (inquit Gregorius
Gregor. Mag. Magnus in homilia 9. in Euangel.) *est, acceptum ingenium terrenis actibus implicare, lucrum spirituale non quærere, cor à terrenis cogitationibus nunquam leuare*; Princeps verò Tyri, florentésque illæ vrbes, non negotiationis, sed negotiationum arguuntur. Preme verba Ezechielis, *in multitudine negotiationum tuarum*, sicut & apud Nahum: *Plures fecisti negotiationes tuas, &c.* Quæ omnia manifestam eorum inscitiam condemnant, qui à rectitudine, & simplicitate deflectentes, multas negotiationes, ac terrenarum rerum curas fuerint amplexati. Quare obserua Symmachi lectionem ad illa
Symmachi. Ecclesiast. verba, *ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*; huic proposito opportunissimam; sic enim ille: *ipsi verè operati sunt variam negotiationem*, ab scopo videlicet toto cœlo aberrantes, qui vni æternæ salutis negotio creati varia terrena, atque inania suscipere maluerunt. Quò iuerit ille Domini in
Luc. 11. 43. Pharisæos impactus stimulus Luc. 11. 43. *Væ vobis Pharisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro*: quasi vni Deo diligendo nati, vnique animæ negotio destinati dilectionem ipsi inter Deum & sæculum partirent, & honoribus, & dignitatibus expiscandis incumberent. Ita Beda, stimulum hunc ad nos etiam transferens hûc in modum. *Væ nobis miseris, ad quos Pharisæorum vitia transierunt, qui breue, & incertum vitæ nostræ curriculum, quo peccata humiliter plangere debebamus, pro prioratu in vicem superbè certando, peccatis amplius onerare non metuimus.* Beda. Illud verò ex iam dictis manifestè etiam vides, hanc tam multiplicem negotiationem, idem cum otio, siue à negotio cessationem esse: cùm torpens ille, & piger seruus, vt ab vno animæ negotio supersedens, ita pluribus terrenis sese implicans, & cor à terrenis cupiditatibus non leuans, vt dicebat Gregor. inducitur, quasi quidquid ab illa simplicitate, & animæ salute deflectit, quantumuis magnum, & excellens sit, non tam negotium, quàm iners otium computari debeat. Certè Bernardus libro de vitâ solitaria cùm dixisset: *Omnium tentationum, & cogitationum malarum, & inutilium sentina, otium est; summa etenim mentis malitia est otium iners*; quid tandem iners hoc otium sit, sic statim diffinit. *Quod quicumque in cella non agit fideliter, & feruenter, quodcumque agit quod propter hoc non agit, scilicet vt Deo seruiatur, in eo quod agit, otiatur*; subdit scitè: *vbi pro vitando otio, otiosa sectari, ridiculum est.* Sic ille. Bernard. Et verò hoc in loco, dum ad communem viuendi modum, in quem tam rude, quàm eruditum vulgus cursu vadit, mentis aciem conuerto, libet non libenter, sed dolenter quidem lectorem admonere ex Seneca ep. 1. *Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Seneca. Sanè dum vocante nos virtute ad diuinam simplicitatem imitandam, æternæque salutis negotio instante, externa & terrena quærimus, & infinitis nos quæstionibus immiscemus, cogitationes vanas, & inutiles persequimur, variámque negotiationem operari studemus: *aliud* agimus, vnum enim nobis solummodo satis, *vnum necessarium* est: cætera omnia *aliud* sunt, vana sunt, nihil sunt: præter rationem, siue præter perfectam hominis naturam sunt: quare qui aliud agit, piger videlicet seruus, qui talentum in terra abscondit, terrenis actibus sese implicans, *nihil* agit, *malè* agit. *Quid est ergo* (sic Seneca epistola 44.) *in quo erratur? cùm omnes beatam vitam optent, quòd instrumenta eius, pro ipsa habent, & illam, dum petunt, fugiunt.* Idem. Acutè, nam quidquid è creatis tibi datum est, non vt eo fruaris, sed vt vtaris, datum tibi est, hoc est, vt non pro vltimo fine, in quo cor tuum fixeris: sed pro instrumentis ad animæ negotium peragendum, & æternam salutem comparandam vtaris.

Nec ineptè in hanc rem veterem parœmiã vsurpaueris, *Multa nouit vulpes, echinus, siue erinacius vnum*: ea siquidem, vt accommodatè ad prudentiam politicam monemur, præstabilius esse, vnico in rebus arduis consilio, modò id verum, atque efficax sit, quàm pluribus friuolis, siue dolosis vti, ad eum sanè modum, quo herinacius vna duntaxat arte, suis videlicet spinis sese in pilæ speciem inuoluens, vt nulla ex parte prendi queat, aduersùs canum morsus tutus est, & vel hac ratione adhuc cùm sibi in futurum præparat cibos, & supra iacentia poma volutatur vt spinis affixa secum circumferat, ore tamen vnum non ampliùs portat, quo vnica illa arte sua meliùs vtatur: vulpes verò quamuis multi iugis dolis instructa sit, perámque fraudibus refertam habere se iactet, à 9.

veta

venatoribus tamen sæpiùs capitur: ita ad cœlestis prudentiæ leges accommodatiùs instruimur, totam sapientiæ nostræ rationem, in eo cardine versari, vt vni tantùm animæ negotio incumbamus, atque pro vna pretiosa margarita omnia nostra liberaliter numeremus, cùm sit multo præstabilius, *vnum magnum* (vt alio dicitur Prouerbio) nosse æternæque beatitudinis gemmam possidere, quàm plures leuidenses, nulliusque momenti res, siue pueriles nænias adipisci. Erinacij quidem ingenium, siue etiam figuram ille Nazianzeno Gregorio præ se ferre videbatur, de quo ipse in Apologetico dicebat. *Nihil mihi fortunatius eo homine videbatur, qui clausis, compressisque corporis sensibus, atque extra carnem, mundumque positus, in seque collectus, secum, & in se cum Deo colloquens superiorem rebus in aspectum cadentibus vitam ageret.* Porrò cùm illinc sæculi homines terrenis bonis adhærentes, & pro illis, & in illis laborantes, contendentes, insudantes sint illi Magistratus summi sint Principes deaurati, sint Dynastæ, Reges, Imperatores; hinc verò pauperculum quempiam, cunctis sæculi bonis destitutum, sed vni quidem animæ negotio sedulam operam nauantem videris, conuenienter clamaueris, *Multa mouit vulpes, echinus vnum.* Nam, vt de hoc sapienter dicebat Seneca epistola 8. *Mihi crede, qui nihil, vel minora agere videntur, maiora agunt*; ita de illis tu dicito, qui maiora agere videntur, minora, siue nihil agunt. — Gregor. Naz. — Seneca.

Equidem cum Augustino libro 1. confes. cap. 10. acrium verberum, quæ illi prima litterarum elementa addiscenti scholæ magister inflixit, quod pilæ ludo nimium deditus tempus inaniter tereret, ac si iis tunc pulsaretur, meminisset, à næniis ad seria animum transferens eidem supplicio eandem ob culpam ipsum mer p dantem sapienter adiiciebat, cùm non magis vtiliter tempus ille consumeret, qui litteris impensiùs incumbebat, vt honores, famam, & magnum nomen apud suos consequeretur. quod quidem pilæ ludum, quo Augustinus impediebatur, vix hilum superabat: sed id iucundiùs accipies ab Augustino sic pulchre diffundente, *Non deerat Domine memoria, vel ingenium in pueritia, quæ nos habere voluisti pro illa ætate satis: sed delectabat ludere & vindicantur in nos ab eis, qui talia vtique agebant: sed maiorum nugæ negotia vocabantur; puerorum autem talia cùm sint, puniuntur à maioribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel vtrosque: nisi verò approbet quisquam bonus rerum arbiter, vapulasse me, quia ludebam pila puer, & eo ludo impediebar, quominus celeriter discerem litteras, quibus maior deformiùs luderem, ideo enim litteris incumbebam, vt in hoc sæculo florerem; ad honorem hominum, & falsas diuitias famulantibus ipsis: haud aliud faciebat ipse, à quo vapulabam.* Hæc omnia August. Pende illa, *maiorum nugæ negotia vocabantur*; & hæc, *haud aliud faciebat ipse, à quo vapulabam*, opportunè vtraque dicta; sed illa multo opportunius, *quibus maior deformius luderem*; quippe grandia hæc grandium hominum negotia, non modò otia, siue nugæ puerorum sunt: sed, quod est deformius, pueriles næniæ ad grandæuos viros translatæ; quòd si nihil tam turpe, nihil tam ridiculum, vt alicubi dixit Seneca, quàm *elementarius senex*, quanto deformior senex ille fuerit, qui incipiat *adolescenturire, & nescio quid nugarum agere*, vt dixit nescio quis: Et verò, vt hoc ita se habere, nec sola pedantis illius negotia nugas esse, videris, quid de summis illis & sacris quodammodo Eugenij Pont. Max. totius orbis terrarum negotia pertractantis, simúlque expedientis occupationibus, quod illum ab vnico animæ negotio tantillum auocarent, censuerit Bernardus audi, sic enim ille libro 1. de consideratione ad Eugenium. *En quo te trahere debent hæ occupationes maledictæ, si tu pergis, vt cæpisti, ita te dare totum illis, nihil tui tibi relinquens. Perdis tempus, & si licet me tibi alterum exhibere Jethro tu quoque in ijs stulto labore consumeris; quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid est nisi aranearum tela? Quæso te, quale est istud de manè vsque ad vesperam litigare? aut litigãtes audire?* Ita Bernardus. Nec dissimile existimauerim quod de Augusto Cæsare prouincias, regna, imperia sibi parante refert Seneca libro de breuitate vitæ, cap. 5. negotium id sibi otiosum, & inutile videri, eóque vota, ac suspiria sua indesinenter ire, vt vtili, & fructuoso otio sibi viueret. *Diuus Augustus* (inquit ille) *cui dij plura, quàm vili præstiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem à Republica petere. Omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi speraret otium. Hoc labores suos, etiamsi falsò, dulci tamen oblectabat solatio, aliquando se victurum sibi.* Quam ad rem subiicit ipsius verba, quæ in epistola ad Senatum inuenisse se, dicit, *Sed ista fieri speciosius, quàm promitti possunt, me tamen cupido temporis optatissimi mihi, prouexit, vt quoniam rerum lætitia moratur adhuc, perciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.* Addit Seneca. *Tanta visa est res otium, vt illam quia vsu non poterat, cogitatione præsumeret.* Hæc ille, & multo plura. — Senec. — Bernard. — Exod. 18. 18. — Seneca.

11. Huc aduoco notissimum Christi monitum Matt. 6. 33. vbi cùm dixisset, *Nolite solliciti esse, dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt; scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Subiicit: *Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Sed libet in primis fugere à notissima Lyrani, & aliorum expositione nimium emungentium aduerbium illud *primùm* ad hunc modum. *Quia primum relatiuè dicitur ad secundum, patet, quòd non excludit sollicitudinem omnino circa necessaria vitæ, sed ostendit, quòd homo principaliter de spiritualibus debeat sollicitari, & secundo de temporalibus*; reclamante, in primis Assertore, dum ait: *Nolite solliciti esse*, à suorum animis sollicitudinem pellens, & quæ sita locutione eam explicationem diluens: nam qui dixit *primùm quærite regnum Dei*, non dixit, *& deinde*, aut *secundò* quærite alia bona; sed *hæc adiicientur* vobis, nihil circa hæc sub persona nostra sollicitè faciendum præscribens, ac si diceret, hæc impensiùs curare, aut quærere ad vos nõ spectat, sed meæ potiùs curæ erit, ea vobis non tam dare, quàm adiicere, vtpote quæ in bonis numerari non debeant (sic id verbum premit ibi Chrysostomus) sed accidentium loco haberi. Ita ibi Glossa: *Primum quærite regnum Dei, id est, præponite omnibus rebus creatis, vt autem hoc quæratis, non debet subesse sollicitudo, ne illa desint. Scit Pater vester, vt dixi, quia his indigetis: & ideo non subdit; deinde ista quærite, sed ait: apponentur, id est, consequentur sine vllo vestro impedimento.* Quid ergo? (ais) claudenda sunt nobis omnia desideria? nihil est optandum? Respondebo cum Ethnico, & poëta, ne tibi seuerus, at grauis videar; sic enim disertè Iuuenalis satyra 10. — Matth. 6. 33. — Nicol. Lyra. — Chrysost. Glossa. — Iuuenal.

Nihil ergo optabunt homines? si consilium vis.
Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conueniat nobis, rebúsque sit vtile nostris.
Nam pro iucundis aptissima quæque dabunt dI,
Charior est illis homo quàm sibi.

12. Sed opponis, quid ergo sibi vult aduerbium illud *primùm*; nónne id, vt inquit Lyra, relatiuè ad secundum dici solet? Respondeo ex Ambrosij — Nic. de Lyra.

brosij doctrina huic instituto peropportuna, me primum legere, secundũ non legere, atque ideo in primo illo totos nos semper esse debere. Sic enim hærebat Ambrosius in libro cui titulus, *Virginis institutio* cap. 11. in iis *Primi*, atque *Nouissimi* cognominibus Christo in Scriptura datis. *Cur ego sæculo potiùs laboramus, & fraudamus animam nostram tantæ bonitatis dispendio, quia nulli alij, nisi huic seruire Domino debemus? huic ergo non est secundus: ego certè hoc testimonium defero, lego quia* primus, *lego quia non est secundus.* Ita ille. At enim verò, non ideo tibi respirandi intercluditur facultas; nec vitæ, naturæve subsidia, & humana officia interdicuntur, sed hæc tibi ex Christi monito præscribitur regula, vt dum pro solo Dei regno es sollicitus, omnia ad illud obtinendum referas, & hunc tuis desideriis, rebus, officiis, actionibus scopũ præfigas, vt ad hęc Christi verba sic admonuit

August. August. lib. 2. de serm. Domini in monte. *Manifestè hîc ostendit, temporalia non esse talia bona nostra, propter quæ benefacere debeamus. sed tamen necessaria esse; regnum verò Dei, & iustitia eius bonum nostrum est, vbi finis constituendus est*; & statim: *Quærentibus autem primùm regnum Dei, & iustitiam eius, id est, hoc præponentibus cæteris rebus, vt propter hoc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo, ne necessaria desint; & ideo ait*: hæc omnia adiicientur vobis, *id est, conuenienter sine vllo vestro impedimento; ne cùm ista quæritis, illinc auertamini, aut duos fines constituatis.* Quod sanè dixeris fuisse odoratum bonum illum Epictetum Stoïcum, verúmq; Philosophum in Enchirid. & apud Stobæum serm. 11. vbi humanam vitam cum nauigatione componens, sic

Epictetus. ait: *Vt si è nauigio in nauigatione aquatum exeas, incidit, vt obiter in via cochleas, aut bulbos colligas, animum tamen ad nauigium intentum habere conuenit, & sæpe respicere, an gubernator vocet, & si vocet, ea omnia abijcere, ne victus eò conijciaris instar pecudum: sic in vita si pro bulbo, aut cochleola, vxorcula nobis, aut filiolus præbeatur, nihil prohibebit illis vti: si autem gubernator vocet, curre ad nauigium relinquens hæc, neque respiciens.* Hæc Ethnicus in vnum diuinæ voluntatis scopum omnia nostra dirigens.

Iona 1.7. LXX. Theophyl.

13. Quò quidem respicere videtur grauis illa Christi ad Hierusalem admonitio, siue imprecatio

Matt. 23. 37. apud Matth. 23. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti*; vbi cùm sensus sit, vt doctè aduertit Mal-

Maldonat. donat. Hierosolymitanos, siue potiùs Hebræorum populum sæpiùs à Dei Verbo admonitos, & ad meliora vocatos fuisse, nec tamen voluisse respondere: vt ex parabola de inuitatis ad prandium

Matth. 22. 3. Matth. 22. 3. necnon ex Prouerbiorum verbis

Prou. 1. 24. c. 1. 24. *vocaui, & renuistis*; & ex Isai. 65. 12. *voca-*

Isai. 65. 12. *ui, & non respondistis*; & Ierem. 7. 13. *Locutus sum*

Ierem. 7. 13. *ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis.* quasi idem sit, vocare, & congregare voluisse: non immeritò ambigas, cur phrasim congregandi, siue potiùs gallinæ imaginem Dominus voluit vsurpare? August. lib. 1. de quæst. Euangel. cap. 36. ad huius auis in filios charitatem, quæ pro illis & infirmatur, & contra miluum pugnare nunquam desinit, sic re-

August. fert. *Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita vt eorum infirmitate affecta infirmetur & ipsa. Et quod difficilè in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens contra miluum pugnat, sic & mater nostra Dei sapientia per carnis susceptionem*

1. ad Cor. 1. 25. *infirmata quodámodo, secundùm illud Apostoli,* Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; *protegit infirmitatem nostram & resistit diabolo, ne nos rapiat*;

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Hilarius. sed opportunius opinor, eò retulit Hilarius, quod Iudæis terrenis rebus inhærentibus, nec animum ad cœlestia tantillum eleuantibus vitalem calorem, & igneum spiritum, quo ab iis caducis rebus sese efferrent, & pennas acciperent, quibus quæ sursum sunt quærerent, quæ sursum sunt saperent, voluerit Dominus impertire, ipsi verò oculos suos statuerint declinare in terram. Audi illum: *Tanquam gallina congregans pullos suos continere eos sub alis suis voluit: terrena videlicet nunc, & domestica auis factus, quodam corporis sui tanquam alarum operimento calorem, vt pullis suis vitæ immortalis indulgens, & in volatum velut noua generatione producens*; & post pauca: *Vt qui conditione nascendi editi iam fuissent, nunc alterius generationis ortus, & calore confouentis renati in cœleste regnum tanquam pennatis corporibus euolarent.* Hæc ille. ex quibus non omnino abs re dixeris, congregandi phrasim non tam ad singulorum genera, quàm ad singulos generum pertinere, vt vnusquisque tanquam filia vaga, & delitiis dissoluta, siue discissa resarciendus & colligendus esset, vt ad diuinam imaginem & simplicitatem per terrenorum contemptum & cœlestium amorem accederet. Certè August. vel ex Gentili Platone diuinam similitudinem in fuga à terrenis cupiditatibus ita ponebat lib. 9. de ciuit. Dei c. 16. *Vbi est illud Plotini* (lege *Platonis.* nam & Platonis in Theæteto hæc sententia est, & boni codices sic habent) *vbi ait, fugiendum est igitur ad clarissimam patriam, & ibi Pa-* August. *ter, & ibi omnia. Quæ igitur classis, inquit, aut fuga? similem Deo fieri. Si ergo Deo quanto similior, tanto fit quisque propinquior, nulla est ab illo alia longinquitas, quàm eius dissimilitudo; in corporali verò illi æterno, & incõmutabili, tanto est anima hominis dissimilior, quãto rerũ corporalium, mutabiliúmque cupidior.* Sic Aug.

ADNOTATIO III.

Simplices Dei filios ex Patris imitatione bona pro malis referre.

SI germanorum, siue simplicium filiorùm Dei characteri, vel etiam perfectæ Dei imitationi, ac similitudini insistas; opportunè adhæseris August. ex iniuriarum condonatione Dei filios pensitanti, atque illos cum luminaribus firmamenti, vt iam vidisti, componenti, quod vt ipsa patienter ferunt conuitia, & iniurias ab hominibus illatas, quin moueantur, cursúsque suos in eorum salutem exequi desinant, *ita insti patienter debeant ferre omnes de se falsas criminationes*; & verò hac in re habemus firmiorem Dominicum sermonem tam egregiè pro August. fideiubentem, vt dum *simplices filij Dei* ad eos, qui inimicos suos diligunt, referuntur, non alterius quàm ipsiusmet Assertoris sententia, siue explicatio esse videatur; sic enim ipse Matth. 5. 44. *Diligite inimicos vestros benefacite ijs, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Pulchrè siquidẽ premens illa verba, *vt sitis filij*, adnotauit Aug. lib. 2. de serm. Dom. in monte c. 46. gloriosam Dei cognominationẽ: nec nomen quidem solùm, sed ipsámet substantiã rei *vt filij Dei nominemur, & simus*, hinc omnino cõsurgere; *itaque non ait* (inquit ille) *facite ista, quia estis filij, sed facite ista, vt sitis filij*, quasi ad hoc fastigium nõ possis aliun-

1. August. Matt. 5. 44. August.

de conscendere, quantumuis terrena deserueris, & cœlestibus te inhærere præsumpseris, nisi ex inimicorum dilectione: ea enim vis illi particulæ *vt* inest, vt rationem causæ, siue instrumenti ad hanc felicitatem habeat, quasi dilectione efficiatur quis Dei filius. Concinit Ambrosius lib. 1. off. cap. 48. virtutis quantitatem siue qualitatem ex maiori, mediocri, vel minore iniuriarum tolerantia deputans, vt qui tandem inimicum dilexerit, germanus Dei filius efficiatur; sic enim ille.
Ambros. *Nam mihi infirmo si quis iniuriam faciat, fortassis licèt infirmus, donem iniuriam meam. Si crimen obijciat, non sum tantus, vt sim contentus conscientia mea, etiam si me eius obiecti alienum nouerim, sed cupio abluere ingenui pudoris notam, tanquam infirmus, ergo*
Deuter. 19. oculum pro oculo, dentem pro dente *exigo, & con-*
1 Cor. 4. *uitium conuitio rependo. Si verò is sum, qui proficiam,*
Matth. 5. 44. *& si nondum perfectus, non retorqueo contumeliam, & si infundat ille conuitijs, & inundet aures meas contumelijs, ego taceo, & nihil respondeo. Si verò perfectus sim (verbi gratia) loquor, nam veritate infirmus sum: si ergo perfectus sim, benedico maledicentem, sicut bene-*
1. ad Cor. 4. 12. *dicebat & Paulus, qui ait*, Maledicimur, & benedicimus; *audierat enim dicentem:* Diligite inimicos vestros; orate pro calumniantibus, & persequentibus vos; *ideo Paulus persecutionem patiebatur, & sustinebat, quia vincebat, & mitigabat humanum affectum proposita mercedis gratia, vt filius Dei fieret; si dilexisset inimicum.* Pulchrè.

2. Sed pergat non nemo, atque illud in his verbis ambigat, cur dixerit Dominus, *vt sitis filij Patris vestri*; cùm faciliùs dixerit, *vt sitis filij Dei*; quæ enim hæc locutio fuerit, vt filius Patris sui quis dicatur? cuius enim nisi patris sui filius esse quis possit? Respondet verò tam ibi, quàm in Psal. 99. August. id his verbis subesse acumen, vt non quocumque modo, sed perfectissimo Dei filius inde quis fiat, diuinos nimirum mores atque ipsammet, vt ita dixerim Dei faciem, eásque perfectiones, quæ in Deo maximè elucent, & quibus ipse impensiùs delectatur, ad viuum exprimens: sic namque ille indidem: *cum ad hoc nos vocat ad similitudinem suam vocat*, & luculentiùs in Psalm. 99. *Accedit ergo vtcumque anima humana interior homo recreatus ad imaginem Dei, qui tanto erat longè factus, quanto ierat in dissimilitudinem. Non enim locorum internallis acceditur ad Deum, aut receditur à Deo, dissimilis factus longè recessisti, similis factus proximè accessisti. Vide quos modò nos vult accedere Dominus, faciens primò similes, vt accedamus*; estote, *ait*, sicut Pater qui in cœlis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. *In quantum autem in te charitas crescit, efficiens te, & reuocans te ad similitudinem Dei pertendit vsque ad inimicos, vt sis ei similis: quantum accedis ad similitudinem, tantum proficis in charitate.* Hæc August. quasi dicat: en diuinæ similitudinis mensuram: charitatem, quantum in ea proficis, tantum ad Deum atque ad ipsius imaginem accedis: si peruenis vsque ad inimicorum dilectionem, Deo similis euadis: sed hæc vno verbo præstrinxit Chrysost. homil. 27. in Genes. sic efferens Christi
Chrysost. verba, *vt sitis similes Patri vestro.* Adstipulatur Pa-
Paschas. schasius lib. 3. in Matth. hunc locum sic expendens: *Hic notandum, quod non ait, facite ista, quia estis filij, sed ait, facite quæ moneo:* vt sitis filij Patris vestri: *ex quo mira locutio generatur. Quid enim filius patri potest esse nisi filius, & tamen pater iam dicitur, licèt adhuc facultas fiendi credentibus offeratur.* vt sitis (inquit) filij Patris vestri; *ac si dicat facite opera, ne degeneres sitis.* En ergo eos, quos simplices Dei filios ob iniuriarum condonationem Paulus appellat, à Christo Domino filios Patris sui; hoc est, qui ei maximè similes sint, dici.

Iam Solis imagini à Domino propositæ luminarium similitudo, qua, vt monet August. hic vsus 3.
est Paulus, omnino concinit; ipsam verò, hanc in August.
re luculentiùs vsurpauit ad Ephes. 4. 26. inquiens:
Sol non occidat super iracundiam vestram; vbi cùm ad Eph. 4. 26.
sermo sit de iræ breuitate, seu de mensura iræ præfixa, vt quàm primùm frænetur, & compescatur: *ne retineatur in pectore* (inquit ibi Ambros.) *sed* Ambros.
die orta, cum die decidat; meritò dubitabis, cur hac periphrasi vsus fuerit Paulus? præsertim cùm effusiores iræ habenas dedisse videatur, qui integrũ illi diem tanquam terminum præfixit: leue ne malum dixeris? *vsque ad occasum* (sic in ea verba Hie- Hieronym.
ron.) *in tanta scelera debacchari, quanta tota vita sua non possit lachrymis expiare.* At enim, si attendis, aliò respicit Paulus, nec Solis imaginem ad indulgentiam posuit, vt existimares licere tibi cum illius luce iracundiam tuam metiri, & diem integrum ipsam fouere, sed potiùs in exemplum, & testimonium, vt nisi ex illo didiceris Dei patientiam, & in condonandis iniuriis lenitatem, qua Dei filius censeri possis, Solis deinceps toties te degeneris naturæ arguentem testem habeas, quoties denuo benignus orbi illuxerit: id hunc in modum obseruante Hieron. epist. 36. ad Castoriam, Idem.
Si Apostolus interpretatur, Sol non occidat super iracundiam vestram, *quid agemus nos in die iudicij? super quorum iram non vnus dies, sed tantorum annorum Sol testis occubuit.* Ita ille.

At enim si Dei naturam & ingenium tantisper 4.
consideraueris, rem à priori, vt aiunt, demonstrabis: & quidem, quamuis ad c. 1. v. 2. adnot. 2. tota, Dei naturam summè beneficam, & ad indesinenter benefaciẽdum pronam, multis adstruxerimus: iis modò non ero contentus, nisi eam viuaciori penicillo delineauerim addens nõ solùm summè, sed etiam opportunè, beneficam, & ad benefaciẽdum procliuem esse. Quid autem sit opportunè benefacere, ex Paulo maximum omnium beneficiorum Dei expendente discemus: sic enim ipse de copiosa humano generi redemptione missa ad Galat. 4. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus* ad Gal. 4. 4.
filium suum; & ad Ephes. 1. 10. *Vt notum faceret nobis* ad Eph. 1. 10
sacramentum voluntatis suæ secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum. Quibus in locis obseruatu digna est phrasis, *plenitudinis temporum*, nec iis interpretibus acquiescendum, qui sic capiunt, ac si diceretur præfixum, siue prædefinitum fini veteris legis, & Euãgelij initio tempus; maius enim aliquid plena hæc locutio portendit, aliàs cur non dixit Paulus, cùm venit decretum siue præfinitũ tempus quod ei sensui facilius & expeditius erat. Respondent aliqui dicentes, ea phrasi denotari completum iam fuisse tempus. Addunt alij, notanter impletum tempus dici, quòd tunc Deus impleuerit, quod promiserat, suámque olim obligatam fidem liberauerit: sed iam non de nomine tantùm, sed de re succedit quæstio, cur videlicet, tunc signatè nec antea, aut pòst, impletum fuerit tempus? sidémque tunc suam nec antea voluerit Deus liberare, maximè cùm in verbis ad Ephesios non mediocrem emphasim habeant illa, *in dispensatione plenitudinis*, &c. Græcè siquidem voci *dispensationi* respondet οἰκονομία, œconomia, quæ accura- Lect. Græc.
tam dispositionem, ad artis, & prudentiæ leges aptatam significat, vnde per translationem ab oratoribus sumitur pro dispositione, quæ, quid &

& quo loco dicendum sit ostendit, vt ex Quintil. libris apparet. Quare, vt id magis explicaret, subiicit Apost. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; indicans, vt ibi adnotat Hieronym. *Omnia Dei opera, consilij, rationisque plena esse*. Quid quod? si ad acuta veniamus, plenitudo temporis, siue tempus plenum, peculiarem quandam aduentus filij Dei opportunitatem, siue maturitatem designat; sic enim dixit alicubi magnus poëta,

ad Eph. 1. 11.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Virgil. Æn. lib. 6. 7.

ad quæ verba boni auctores iterationem factam obseruant, vel ex eo quòd egregium poëtarum par Claudianus, & Ouidius vnica oratione, quod duplici Maro, complexi fuerint. Nam ille lib. 1. de raptu Proserpinæ dixit,

Claudian.

Iam vicina thoro plenis adoleuerat annis
—— Virginitas.

Ouidius verò lib. 14. Metamorph.

Ouidius.

Hæc vbi nubilibus primum maturuit annis.

Ergo non priùs Filium suum misit in mundum, quin tempori sua opportunitas, atque maturitas aduenisset: vt maximum Redemptionis beneficium, maximè opportunum, & venusto maturitatis flore conspicuum eluceret! Quæ ergo iam tandem hæc maturitas, atque opportunitas fuit? Aperuit Vates Psalm. 118. vers. 126. prophetico ore Dei filium sic alloquens, *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam*; etenim *hoc faciendi Domino tempus* (inquit ibi August.) *quid est nisi gratia, quæ fuit in Christo suo tempore reuelata, de quo tempore ait Apost.* cùm autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum. sic August. nec aliter Cassiodor. aiens, *Hoc est enim Domini facere prædictis temporibus aduenire.* Sed quale faciendi Domino tempus assignet Vates obserua: *dissipauerunt*, ait, *legem tuam.* ac si dicat. En Domine plenum, opportunum, atque maturum faciendi, siue hominibus benefaciendi (nam Dei facere, benefacere est, vt ex his verbis alibi monui) tempus; in quo tua dona, suæ maturitatis decore, atque elegantia ad gloriam florebunt: ipsi siquidem non modò à tua lege discesserè, sed eam procaciter, atque aperto capite præruperunt, atque effregerunt. Ita inibi Ambrosius; qui cùm dixisset, *Ergo cum videret in Spiritu sancto Propheta præuaricationes populi, luxuriam, delitias, dolos, fraudes, auaritiam, temulentiam, quasi pro nobis interueniens, currit ad Christum*; subiicit ex Persona Psaltis: *Tempus faciendi Domine: hoc est, vt est, vt pro nobis crucem ascendas, mortem subeas*: vt nimirum indensissima humanæ nequitiæ caligine, miserationum tuarum lux splendidiùs fulgeat, & pessimis hominibus in peccatorum cæno, ac fæcibus turpissimè iacentibus, tu Domine omnis bonitatis fons, atque origo opportunè miserearis, & auxiliarem manum præbeas.

Ps. 118. 126.

August.

Cassiod.

Ambros.

5. Sed hanc expositionem sibimet reddidisse videtur Paulus, dum ad Roman. 5. 6. inquit, *Vt quid enim Christus, cùm adhuc infirmi essemus, secundùm tempus pro impijs mortuus est?* nam illud, *secundùm tempus*, vt Theodoret. admonet, tum idem Paulo est, ac *plenitudo temporis*, tum propriè significat (quod etiam Theodulus adnotauit) *opportuno, & conuenienti tempore*; est enim Græcè κατὰ καιρὸν; & quidem καιρὸς temporis articulum à quo opportunitas, & quasi maturitas rei dependet, signatè denotat: en igitur opportunam Dei dilectionem, en maturo, & suo flore conspicua beneficia, en crucem, ac mortem conuenienti, ac opportuno tempore pro hominibus susceptam.

ad Rom. 5. 6.

Theod. Theodul.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Quando ergo? *cùm adhuc infirmi essemus.* hoc est, cùm omnium flagitiorum, ac scelerum morbis langueremus, cùm impij, atque inimici Deo maximè essemus. Ita penè Hieronymus epist. 151. ad Algasiam quæst. 2. & 7. sic capiens, *Cum omnia plena essent infidelitate, & peccato, & maximè egerent redemptione, & medico*: vt enim egregium bonitatis & charitatis suæ specimen præberet, si bonos dilexisset, & obsequentissimis filiis ingentia beneficia distribuisset, & mortem pro iis obire non recusasset; ac pro impiis & sceleratissimis inimicis, à quibus multis, ac magnis iniuriis atque contumeliis fuerat lacessitus, atrocissimum crucis supplicium oppetere, opportunissimæ dilectionis, atque optimæ & beneficentissimæ naturæ fuit. Firmat suam sententiam iterata oratione Apostolus subiiciens: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis Christus mortuus est.* vbi primùm, nolim omittas Origenis obseruationem ad id, *cum adhuc peccatores*; accuratè enim ipse adnotat hoc in loco *peccatores*, superiori verò *infirmos*, atque *impios* à Paulo, eos appellari, pro quibus Dei Filius mortem obiuit, vt omnium flagitiorũ sordibus inquinatos, & opertos esse commonstraret. *Per hæc namque nomina* (inquit) *omne peccati colligitur genus. Aut enim non ignorans Deum quis, & volens seruare mandatum, vincitur fragilitate carnis, & illecebris præsentis vitæ decipitur, & infirmus appellatur: aut sciens, volénsque contemnit madatum, & odit disciplinam Dei, ac proijcit sermones eius post se, & peccator nominatur. Quod si interdum etiam ij qui sub lege sunt, & Deum colere videntur, impij in Scripturis diuinis nominantur, idcirco quod relinquentes Deum patrum suorum, deos gentium colunt*, &c. Deinde expende quæsita locutione dixisse Paulum, *commendat charitatem suam Deus*; vt diuinæ dilectionis splendorem, & excellentiam demonstraret: certè Græcum συνίστησι, appositè legetis, adstruit, confirmat, notam siue nobilem, & illustrem facit: quasi ex tam immanium inimicorum dilectione, & tam egregiis in ipsis collatis beneficiis, charitatem suam Deus vt maximè opportunam, & splendore conspicuam illustrarit, & summè amabilem ac gloriosam reddiderit. Vnde eodemmet cap. vers. 20. adiicit Apostolus; ea inter alias de causa Mosis legem, quoad in ingentem cumulum vis peccati excresceret, viguisse, vt longè deinde opportunior, ac pulchrior Christi gratia atque misericordia appareret; sic enim Paulus, *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum*: quî hæc commodè intelligantur, quin Deus peccati auctor, & causa fuerit, vide apud eius loci interpretes: *vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Sanè quasi maiori gratiæ, ac cumulatioribus donis à Deo diffundendis, grauiores ei ab hominibus illatæ iniuriæ locum fecerint; vt quod apud nos euenisse non vidimus, in Deo verissimum sit Aristotelis pronunciatum lib. 2. Rhetor. c. 8. *& non iniuriam inferre; sed & accipere, ad mutandam iram valet.* Vnde ad præfata Apostoli verba, ita Bernard. serm. de Natiu. Virg. *Profectò misericordia Dei est, quòd non sumus consumpti nos; qui nos, nos periuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta vtique mundi huius: consulite conscientias vestras fratres, & videbitis, quia vbi abundat delictum, superabundat & gratiam.*

Hieronym.

Origen.

Græc. Lect.

ad Roman 5. 20.

Aristot.

Bernard.

6. Adiungo disertissima Ioëlis, atque Isaiæ hac de re vaticinia: quæ vix commentatore indigeant: sic enim prior cap. 3. à num. 12. *Mittite falces, quo-*

Ioel. 3. 10. *niam maturauit messis, venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.* (LXX. *repleta sunt mala eorum.*) vides mundi torcular felleis peccatorum succis plenum, atque redundans; & ad vindictæ amaritudinem bonum Deum incitans; quia *multiplicata*, siue *repleta* est malitia eius: *causati enim* ad Rom. 3. 9. *sumus Iudæos, & Græcos* (inquit ad Rom. 3. 9. Paulus) *omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt*, &c. Audi modò Deum velut leonem rugientem, & ad vltionem, debitásque de peccatis pœnas sumendas accedentem; subdit enim Ioël. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem* Hebr. lect. *suam, & mouebuntur cœli, & terra*; siue vt Hebræa apud Pagninum habent, *& contremiscent cœli, & terra*; & magno quidem iure: nam vt alter Vates Amos 3. 8. dixit: *leo rugiet, quis non timebit?* Amos 3. 8. Sed quæ ex hoc tonitru erumpunt fulmina? quàm auidus humani sanguinis huius leonis apparet furor? Audi, *& Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israël. Et scietis quia ego Dominus Deus vester habitans in Sion monte sancto meo, & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius. Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudæa ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*: hæc omnia ibi Vates, quæ de Filij Dei ad nos aduentu adeò sunt clara, atque conspicua, vt Hieronymi commentarium afferre opus non sit. Pende ergo qualia de peccatis, & iniuriis tibi illatis supplicia Deus sumpserit; felleis peccatorum torcularibus, non lactea solùm torcularia, quæ iusta magnæ misericordiæ mensura erat, sed, quod absque vlla mensuræ ratione, siue proportione est; montes stillantes dulcedinem, & colles fluentes lacte, riuósque ac fontes prædulcium aquarum, immensa scilicet beneficia, donáque, ac miserationes humanum captum excedentes opponens; vt *vbi abundauit delictum*; non tam abundet, quàm superabundet *& gratia.* Quo in loco non me temperauerim, quin aurea hæc S. Valer. S. Valeriani Episcopi homil. 12. *de bono conseruandæ pacis*, verba subiecerim; *Infinita autem virtus est, odia vicisse beneficiis. Nam ille inter cæteros palmam perfectæ virtutis obtinet, qui ad vicem veneni pocula dulci melle componit*; sed & egregia gentilis Senecæ sensa Deum cum benigno & humano patre, qui infantuli sui maledictis arrideat, hilarioremque vultum ei reddat, scitè componentis libet afferre. Sic enim ille lib. 7. de benef. cap. 31. Seneca. *Non est mihi relata gratia. quid faciam? Quod dij rerum omnium optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseuerant, alius illis obijcit negligentiam nostri; alius iniquitatem, alius illos extra mundum suum proijcit, & ignauos, hebetésque sine luce, sine vllo opere destituit, &c. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arrident, non cessant dij beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus, sed æquali tenore bona sua per gentes, populósque distribuunt, vnam potentiam sortiti. Prodesse spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu mouent, syderum cursu notant tempora, hyemes, æstatésque interuentu lenioris spiritus molliunt; errorem labentium animorum placidi, ac propitij ferunt.* Hactenus Seneca, pro suo captu & modo peccatorum torcularibus colles lactis, ac dulcedinis riuos opponens.

7. Isai 40. 1. Subiicio Isaiam cap. 40. 1. sub Dei persona populum sic blandè consolantem: *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Deus vester; loquimini ad cor Hierusalem, & aduocate eam; quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius.* vbi, si ad exactam dispunctionem, quam ex Vulgata correctissima apposuimus, attenderis, locum aliàs obscurum, illustrem feceris, atque conspicuum: ea enim populo peccatorum pondere oppresso consolationis ratio proponitur: *Quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas illius.* quæ verba cùm sic appingantur, vt nullum inter vtramque orationem punctum, aut aliud distinctionis signum mediet, sed sub bimembri oratione vna sit sententia; hunc habent expeditissimum, & germanum sensum, quòd hominum peccata in immensum iam cumulum excreuerint, omnia illis liberaliter remittere, & condonare statui copiosa ad eos redemptione missa, nec enim iniuriam inferre, sed denuo etiam accipere ad mutandam iram valet; habet verò peculiarem vim huic instituto opportunam Hebræum verbum, quod respondet illi *dimissa est*, &c. propriè Lect. Hebr. enim significat beneuolentia prosequi, ac fauere; nam *vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Concinunt his illustria ad hanc rem eiusdem Vatis verba cap. 43. 22. sic Dei ore cum hominibus contendentis. *Nonne me inuocasti Iacob, nec* Isai 43. 22. *laborasti in me Israël, non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me*, &c. *Verumtamen seruire me fecisti in peccatis tuis, & præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* quibus extremis verbis LXX. habent, *sed in peccatis tuis ante me stetisti.* pugnantis scilicet habitu, peccatorum tela impiè, & procaciter in me vibrans. Huic verò insolentissimæ impudentiæ, quam vicem rependat Dominus? Hanc: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Opportunè, & magna emphasi: nam illa diuinæ personæ, eaque iterata designatio, *ego sum, ego sum*. nescio quam cum diuina essentia, quæ ineffabili nomine *Iehoua* siue *qui est*, exprimitur, affinitatem habere videtur; quasi iniurias remittere, & magna pro illis beneficia conferre, diuinæ naturæ, atque essentiæ proprium, ac naturale sit, quod plus plus voluit, explicare subiiciens *propter me*, vt innuat, se sibimet hanc liberalitatem, & iniuriarum condonationem debere, nec suæ bonitati aliter satisfacere, & in hoc veluti cardine essentiam, atque naturam suam maximè verti. At qualis ille delendi iniquitates modus? Respondet Paulus, *Delens quod erat ad-* ad Col. 2. 14. *uersus nos chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci suæ.* ad Coloss. 2. 14. vt pro magnis iniuriis maxima præmia rependeret. Ecce tibi quæ sit Dei natura, quod ingenium, quàm benigna cum suis hostibus consuetudo, iam inde simplicium filiorum Dei naturam, & ingenium facile pensitabis: sed ne lectori molestiam longissima dissertatio afferat, in aliam id adnotationem diuidamus.

ADNOTATIO IV.

Simplices Dei filios iniurias suas liberaliter remittere.

VIDISTI Dei ingedium, atque naturam, qui multis, iisque grauissimis iniuriis, ac contumeliis lacessitus vt vicem peccantibus rependat, maxima illis beneficia, & dona 1.
distri

distribuit: *Qui solem suum oriri facit super bonos,*
& malos, & pluit super iustos, & iniustos; immò ve-
rò, qui suum iustitiæ Solem non nisi super malos
oriri fecit, & cœlestium donorum, & beneficio-
rum imbrem super impios; ac deterrimos tantùm
ad Roman. 3. 23. peccatores pluit: *Omnes enim peccauerunt, & egent*
gloria Dei ad Rom. 3. 23. ex hac ergo Dei natura,
ipsius sunt pensitandi filij, vt qui eum ore retu-
lerit, pulchrúmque huius benignitatis specimen
dederit, dum opportunam, ac maturam dilectio-
nem habuerit, inimicos suos diligens, atque ipsis
benefaciens, inter simplices, & germanos filios
habeatur; is verò, cuius charitati opportunitas
hæc, atque maturitas defuerit, tanquam adulteri-
nus reiiciendus sit. Id quidem vt tibi ob oculos
Dei Filius poneret, cùm è Bethania in Hierusa-
lem paulo ante Passionem suam reuerteret, de in-
dustria verè esuriens, *Cum vidisset a longè ficum ha-*
bentem folia, venit si quid forte inueniret in ea, & cùm
venisset ad eam, nihil inuenit præter folia, non enim
erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei, Iam non
amplius in æternum ex te fructum quisquam mandu-
Marc. 11. 13 *cet.* Hæc omnia Marcus cap. 11. 13 & vers. 20. *Et*
cum manè transissent, viderunt ficum aridam factam
a radicibus; etenim nec iræ impetu, à quo Chri-
stus erat alienissimus, nec supplicij inferendi cau-
sa, quod sentire arbor non poterat, sed arcano so-
lùm mysterio arefactam à Christo hanc ficulneam
ex Patrum sententia credendum est. Et verò
dum quale mysterium, siue quis huius rei à Chri-
sto gestæ sensus fuerit, inuestigantes, atque dis-
cutientes interpretes, ad id maximè offendunt,
quòd vno ex capite maledictione arefacta ficul-
nea fuerit, quia ficus non habebat: ex alio quasi
in illius excusationem notanter dicatur, non ad-
uenisse ficorum tempus; cur enim, inquiunt, ma-
ledictione puniatur arbor, quòd fructum non
habeat, cùm tempus fructuum non est? appositè
ex Origene respondeas: Immò ex hac signatè de
causa arefactam, & supplicio affectam, quòd cùm
tempus ficuum non erat ficus non ferret; nimi-
ad Galat. 22. rum Christiani fructus, siue *fructus Spiritus* (vt in-
quit Paulus ad Galat. 5. 22.) *est charitas, gaudium,*
pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, qui
quidem tunc opportuni, atque maturi censentur,
cùm tempus fructuum non est, cùm videlicet er-
ga inimicum producuntur, eo modo, quo tunc
Deo proprium benefaciendi tempus, atque op-
portunitas fuit, cùm spectata naturæ facie non
benefaciendi, sed grauissimè puniendi tempus ad-
erat. nam quid fuerit mirandum, plurísve facien-
dum? quòd fructus in tempore fructuum feras,
hoc est, cùm iuxta humanæ naturæ exigentiam,
amantibus amorem rependeris? *si enim diligitis*
eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nón-
ne, & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres
vestros tantùm, quid amplius facitis? nónne & ethni-
ci hoc faciunt? estote ergo vos perfecti, sicut & pater
vester cœlestis perfectus est; qui tunc plenum, ac
opportunum tempus ad filium suum in terras
mittendum iudicauit; cùm pluribus, ac grauiori-
bus iniuriis fuit ab hominibus lacessitus: sed iu-
Origen. uat audire Origenem homil. 16. in Matth. *Cùm*
igitur amicus tuus tibi benefacit, si charitas tua eum
diligit, reddit ficus fructum in tempore suo. Quòd si
inimicum diligat, tunc ficus profert fructus in tempore
non suo. Porrò Christus non solùm vult fructus in tem-
pore suo, sed etiam cùm non est tempus fructuum. vult
enim suos meliores esse omni natura, à quibus exigit
Psalm. 81. 6. *opera magis Dei, quàm hominum, secundùm illud.* Ego
dixi, dij estis, & filij Excelsi omnes. *Quia verò non*

reddidistis fructus; *ideo* sicut homines moriemini.
Hactenus Origenes. Vides lydium lapidem ad di-
gnoscendos simplices Dei filios? Preme igitur il-
la; *vult enim suos meliores esse omni natura*, &c.

Nec latuit id perditissimos illos homines Dei 2.
filio vehementer infensos, de quibus in libro Sa-
pientiæ cap. 2. toto egit Salomon, dum illius diui-
nitatem, quæ eorum animis minimè insidebat ex
patientia, & lenitate in contumeliis illi allatis, in-
flictísque suppliciis explorare, atque discutere
apud se statuebant; cùm enim vers. 13. dixissent,
Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se no-
minat, post pauca in eamdem sententiam subii-
ciunt vers. 19. *Contumelia, & tormento interroge-*
mus eum, vt sciamus reuerentiam eius, & probemus
patientiam illius. Morte turpissima condemnemus
eum, erit enim respectus ex sermonibus illius. (vbi
quod alibi me monuisse memini) notatu dignis-
sima est Græca vox *βάσανος*, quæ respondet no-
stræ *tormentum*. æquè enim significat lapidem ly-
dium, siue indicem, quoad præstantiam auri ex-
plorandam, ac dignoscendam certissimis, nec
vnquam fallentibus indiciis, eius rei periti vtun-
tur; vti eleganter tradit Plinius lib. 33. cap. 8. in-
quiens: *His coticula periti, cùm è vena vt lima ra-* Plinius.
puerint experimentum, protinus dicunt, quantum au-
ri sit in ea, quantum argenti, vel æris scrupulari diffe-
rentia, mirabili ratione non fallente: vt videris im-
portunissimos artifices opportunissimè fuisse ra-
tiocinatos, vt filij Dei diuinam staturam, germa-
námque Patris sobolem à patientia, bonitate, lon-
ganimitate tanquam ab opportunis extra tem-
pus suum editis fructibus, scrupulari differentia
mirabili ratione non fallente intus, & in cute co-
gnoscerent. nam, vt Gregorius Magnus lib. 1. Greg. Magn.
dialog. cap. 5. occasione Constantij viri Dei, qui
rusticum despicientem, atque irridentem illum
blandissimo complexu tenuit, atque exosculatus
est, scitè dixit, *Qualis enim quisque apud se latet,*
contumelia illata probat; eodémque Gregor. teste
lib. 3. Moral cap. 32. *dum mansuetudo amittitur su-*
pernæ imaginis similitudo vitiatur. Sed quale quæ-
so, hoc lydio tormentorum, ac contumeliarum
lapide rapuerunt experimentum? Accipe id à Gre-
gor. Nysseno lib. de perfecta Christiani forma,
qui cùm priùs quot, (non vnum è vena, sed plu-
ra è venis omnibus.) eáque repetita sanguinea ex-
perimenta sic descripsisset. *Quæ* (de patientia lo-
quitur) *quot modis in imagine inuisibilis Dei conspi-*
citur? vbi gladij, & fustes, & vincula, verbera, ala-
pis, maxillæ percussæ, facies sputis oblita, humeri ver-
beribus traditi, iudicium impium, crudelis sententia,
milites subsannationibus, irrisionibus, contumelijs, &
calami percussionibus immitem sententiam per delitias
exacerbantes: claui, & fel, & acetum, & grauissima
quæque ipsi sine causa illata, immo verò pro innume-
rabilibus beneficijs; hæc subiicit: *tunc ille quomo-*
do ista patrantes vultus est? Pater, *inquit*, ignosce Luc. 23. 34.
illis, quia nesciunt quid faciunt. *Nónne poterat*
contra eos superiùs vel cœlum perfringere, vel ipsos
terra hiatibus abolere, vel dimouere ex proprijs ter-
minis mare, & voraginibus terram submergere, vel so-
domiticum ignis imbrem demittere vnico verbo, vel
aliquod aliud acerbum supplicium irrogare? Attamen
hæc omnia muti, patientique animo pertulit, vitaque
tuæ per se ipsum leges patientiæ dedit. Hactenus Nys-
sen. Perge, & tu his addens, illũ morte turpissima
condemnatum, & summa ignominia, acerbissi-
misq; doloribus in crucem actum creaturas, qua-
rum ipse Princeps, & auctor erat, in sui vltionem
adeò nõ incitauisse, atque acuisse, vt ea potiùs ad
iustissi

iustissimam de impiis carnificibus vindictam sumendam sic se armantes, & acuentes, vt quò illos ineuitabili casu finirent, finiri, & ipsæ vellent lenissimo affectu cohibuerit, atque exarmauerit, potentissimis summo Patri precibus, & lachrymis ea de re oblatis, atque interpositis, Magno id Leone adnotante sermone 6. de Passione, vbi cùm dixisset, *Pendente enim in patibulo Creatore vniuersa creatura congemuit, & crucis clauos omnia simul elementa senserunt. Nihil ab illo supplicio liberum fuit. Hoc in communionem sui, & terram traxit, & cælum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reserauit, & densarum horrore tenebrarum radios Solis abscondit. Debebat hoc testimonium suo mundus auctori, vt in occasu conditoris sui vellent vniuersa finiri*; hæc subdit: *sed patientia Dei seruat rebus, atque temporibus ordinem suum, nosque in illum potiùs vocat affectum, vt eorum salutem petamus, cuius crimen horremus.* Quo quidem certissimo reuerentiæ, & patientiæ eius experimento ipsismet impiis persecutoribus dati sunt oculi, vt nisi obstinata prorsus quorundam mentis cæcitas obstitisset, videre omnes in clara luce potuerint, Christum talia, tam dira, támque ignominiosa tolerantem, & pro suppliciis beneficia rependentem; germanam Dei prolem, atque Filium esse: vnde de Centurione, qui priùs *ex aduerso stabat*, quasi Christi diuinitatem oppugnans, inquit Marcus

Marc.15.39. cap.15.39. *Videns autem Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* nec Centurio solùm, sed & *ii*

Matt.27.54. *qui cum eo erant*. vt inquit Matthæus cap.27.54. id

Luca 23.43 ipsum pronunciarunt, additque Lucas 23.34. *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

3. Nec aliter se gerere potuit Christus; qui, & Dei filius, & lumen de lumine erat. Dixit siqui-

Ioan 5.19. dem ipse Ioan. 5.19. *Filius non potest à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quacumque enim ille fecerit, hæc, & filius similiter facit.* & bene, *non potest à se facere*. quippe quà filius, viua Patris imago, ac diffinitio est, atque ideo à paterna patientia, & bonitate nullatenus poterat deflectere; sanè cùm, & illum dicentem audio, sanctificatum se à Patre primùm, deinde in mundum

Ioan. 10.36. missum fuisse: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum*. inquit Ioan.10.36.) sic mihi sapere videtur; vt Pater Filium suum in mundum mittens, bonitatis ac patientiæ suæ spiritum in ipso quamprimum collocarit, & benignitatis oleo eum inunxerit, quo mala sibi illata patientissimè toleraret, & misericordiæ taliohem rependeret: quid enim fuerit filium à Patre sanctificatum: quàm ad humani generis redemptionem designatum, vt vult Maldon. vel in temporali generatione cum humana carne totum diuini Spiritus ad sanctificationem fontem, ac proinde totam Patris patientiam ebibisse. Audi Tertullian. lib. de patient.

Tertull. cap.3. *Ad solita scilicet veniam offensæ patientia erudiuit, non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit. arundinem quassatam non fregit, lignum fumigans non restinxit. Neque enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis.* Preme hæc, *spiritum cum tota patientia.* quòd hæc sit Patris natura, quam Filio communicauit, nec Patrem suimet spiritum absque tota patientia sua collocare posse. Ergo ad eum modum, quo *cùm venit plenitudo temporis*, hoc est, cùm hominum peccata in immensum cumulum excreuerunt, *misit Deus filium suũ*, infestissimis inimicis opportunissimè benefaciens, & acerbis flagitiorum torcularibus, quibus sodomiticos ignes, siue diluuij aquas iustissimè effunderet, lacteos colles, & montes dulcedinis rependens, ita filius, qui *non potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, & quæcumque ille fecerit, hæc, & filius similiter facit*; cùm acerbissimorum hostium odium in se armatum, & ad extremum furorem erupisse conspexit, cùm videlicet se à discipulo ad necem venditum, à Iudæis ad crucem postulatum, à Pontificibus diuinæ Maiestatis læsæ in crimen vocatum, à diro furentium inimicorum & carnificum cuneo iam iam circumseptum vidit, suum tempus, suámque horam, ac opportunitatem putauit, in qua excellentissimum omnium beneficium hominibus conferret, & tenerrimum, ac blandissimum amoris sui specimen, ac pignus daret; tunc enim, & in illo temporis articulo, dum discipulorum, & peculiariter ipsiusmet teterrimi, & infestissimi hostis Iudæ pedes magna animi demissione lauit, tum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, in quo non ad horam, sed ad finem vsque sæculi sese suis manducandus apponitur, opportuno amoris vulnere deuictus instituit, vt felleis, & amarulentis iniuriarum, & iam iam imminentium suppliciorum torcularibus montes dulcedinis, & colles lactis apponeret; id quod magna verborum emphasi, ac pompa sic nobis aperuit Ioannes cap.13.1.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexit suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. hoc est, vt ex Patribus inquiunt Maldonat. & interpretes maiora dilectionis signa dedit eis, dum & pedes lauit, & Eucharistiam instituit. Sed pende illa, *Quia venit hora eius*; cùm nimirum crudelissimorum hostium iam erat completa malitia, atque odium, furor, doli, atque insidiæ ad cumulum peruenerant, & ad exitum perducebantur, cum enim articulum temporis sui plenitudinem ac idoneum benefaciendi tempus existimauit, vt factis proferret quod nescio quis dixit, *Tenendam hanc normam puto quæ dignitatem, & opportunitatem habet.* Quare compone, quæso, cum his verbis illa eiusdem Assertoris ad purissimam Matrem in nuptiis Cana Galileæ vinum pro conuiuis ab eo efflagitantem: *Nondum venit hora mea*, Ioan.2.4. vtraque enim sese vicissim respiciunt, quippe tunc vt acutè suspicatur Irenæus lib. 3. cap.18. *feruore quodam ducebatur Deipara bibendi sanguinis Christi*, atque ideo Eucharistiæ institutionem à filio petere videbatur. Cui sanctissimo voto sic obuiam Dei Filius iuit: *Nondum venit hora mea*: ac si diceret, nondum tanto beneficio hominibus conferendo plenitudo temporis occasio atque opportunitas aduenit; (Hispanè bellè exprimitur *No es sazon*) nullis enim modò sum iniuriis lacessitus, nullis conuitiis, atque contumeliis proscissus, non insidiis circumuentus; nec ad mortem postulatus, vt his fellis, & amaritudinis torcularibus me in dulcedinem, & suauitatem obiiciam opportunéque, ac maturè diligere videar.

Ioan. 13.1. — M.Tullius Att.lib.8.ep — Ioan.2.4. — Irenæus

Cui sanè opportunitati declarandæ opportuna locutione vsus est Paulus, cùm de diuina huius Sacramenti institutione agens 1. ad Corinth.11. 4

23. dixit, *In qua nocte tradebatur, accepit panem*; noctem, illiúsque tenebras pulchrè, atque dilucidè inculcans; nec enim ad noctis tempus, cùm Sol iste visibilis sublatus è medio erat (quid enim tanto mysterio id inseruiret?) sed ad ingratitudini 1.ad Cor. 11. 23.

potius,

potius, odij, & maleuolentiæ caliginem, ac densissimas tenebras adspexit Apostolus, vt beneficij opportunitatem commendaret, ac cum Ioanne cap. 1. 5. diceret, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Ioan. 1. 5. hoc est, in obscurissima ingratitudinis caligine, tetrísque immanis odij tenebris, pulcherrimam charitatis Christi, ac beneficiorum ipsius lucem splendidissimè irradiasse, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. Certè de ipso (vt in superioribus sæpe vidimus) iam pridem dixerat Salomon Sapient. 7. 25. Sapien. 7. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei syncera, & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.* Sed obserua postremum hoc verbum, pro quo Græcè est Græc. lect. παρεμπίπτει, cui præter alias significationes alibi à nobis datas, alij has etiam reddunt, *offensat, irrumpit:* ex quibus videris, non tam de interiori macula licèt leuissima, (quæ enim hæc Dei Filij laus esset tanto verborum apparatu celebrata à peccato immunem exsistere?) quàm de externa flagitiorum humani generis malignitate, quæ quanta vis sit, ipsum à benefaciendo nequeat retardare, esse accipiendum. Quare subdit Sapiens: *est enim hæc speciosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior;* sed qua ratione? *illi enim succedit nox: sapientiam autem non vincit malitia.* ac si diceret: visibilem enim lucem nocturna tandem caligo obscurat, & suo horrore inuoluit; hæc verò diuina lux, quæ emanatio est claritatis omnipotentis Dei syncera, in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, quin beneficiorum suorum radiis immerentibus præluceret, nec ob peccatorum tenebras à benefaciendo cessaret, paternam tolerantiam, & beneficentiam exprimens. Vnde Cyprianus lib. de Cyprian. bono patientiæ sic huic rei opportunus ait: *Quia ad hoc descendisse se dixerat, vt voluntatem Patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum suarum, quibus indicia diuinæ maiestatis expressit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore seruauit.* Ita ille.

5. Sed à naturali Dei filio ad eum, cuius ipsemet filius Dei, filius appellari voluit, gradum faciamus. Equidem Dauid vt omnium virtutum præclarum exstiterit exemplar, at mansuetudinis, ac lenitatis singulare atque eximium specimen dedit, nec aliam ipse virtutem, qua velut illecebra ad carnem ex illo suscipiendam Deus alliceretur, & tanquam homo prenderetur, nisi mansuetudinem proposuit Psalm. 131. 1. inquiens, *Memento* Psal. 131. 1. *Domino Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Vnde vir qui iuxta Dei cor esset, ab ipsomet Domino renunciatus est lib. 1. Reg. c. 13. 47. & Act. 13. 22. 1. Reg. 13. 47. Act. 13. 22. *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Nam, & si generali ratione optimè virum iuxta Dei cor Dauidem dixeris, quòd Dei voluntati fuerit obsequentissimus, & cuius cor eadem vellet, quæ Dei cor volebat, non secus ac duplex instrumentum musicũ, cuius fides eodẽ modo apparatæ, eadem manu pulsatæ essent; aptius opinor, ac opportunius hanc cum Dei corde consonantiam, atque concentum ad egregiam Dauidis in hostes suos mansuetudinem atque lenitatem, quæ diuinam bonitatem, & in peccatores indulgentiam inter omnes Dei virtutes, atque attributa splendidiùs emicantem; singulariter exprimeret, retuleris, cui sanè cogitationi non leuiter iuuat, quòd mansuetudo, & lenitas propria optimi cordis, in quo ita naturalem sedem habet, laus sit. nam iram diffiniuit Aristot. lib. 1. de anima cap. 1. text. 19. *feruor cordis suffusi sanguinis.* Adde vel hac mer ratione, *secundum Dei cor* dici, quòd Dei filio in hac Aristot. lenitate, & iniuriarum condonatione persimilis fuerit. Quid enim vna ex parte proprius, aut verius Dei cor dixeris, quàm ipsius Vnigenitus filius? qui, & in sinu Patris esse dicitur Ioan. 1. 18. *vnigenitus filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit;* Ioan. 1. 18. & Genes. 6. 6. pro Dei corde disertè ponitur. nam Gen. 6. 6. vbi iuxta Vulgatum de Deo inquit Moses, *tactus dolore cordis:* Chaldæus Paraphraster reposuit, *&* Chald. *pœnituit Dominum in Verbo suo;* ex alia verò, quem in tota sacra pagina inueneris, qui Christi mansuetudinem, & in acerbissimos inimicos benignitatem tam ad viuum delineauerit, fidúmque typum gesserit? vt ex eius gestis erga Saulem, Absalonem, Semei infestissimos sibi hostes, qui Iudæ proditoris, & aliorum Christi persecutorum figuram prætulerunt, manifestè apparet; Sauli enim, quem opportunè posset è medio tollere, misericorditer pepercit, cúmque mortuum lachrymis decorauit, & illi quàm officiosissimè parentauit; egregiúmque in ipsius familiam, & posteros studium retinuit, Absalonem, à quo parricidiali furore fuerat diuexatus, ne quis interficeret obnixiùs orauit, Semei, qui indignissimis eum contumeliis lacesserat, pepercit, & neci, quam ei belli duces inferre studebant, eripuit; sed opportuniori id tibi exemplo suasero.

6. Moliebatur induratus Saulis animus continuas Dauidis vitæ insidias, cúmque aliquando iniquo hoc studio efferuescens, casu in eam speluncam intraret, quam tunc Dauid cum delecta suorum manu fortè subierat, ardentes à suis sociis mitissimo eius animo subiiciebantur faces, ne oblatam sibi cælitus occasionem elabi fineret, sed è vestigio extingueret. Quid tunc ipse? *Confregit* 1. Reg. 24. 18. *Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos vt consurgerent in Saulem,* lib. 1. Reg. cap. 24. 18. contentus, si ipse extremam chlamydis Saulis oram abscidisset, quam Regi ostenderet vt quàm facile in eo articulo ipsum potuisset interficere, moneret. Quod equidem facinus miris ad cœlum laudibus extollendum dixeris. Ita certè Chrysost. homil. de Dauide, & Saule inquiens: *Egressus est* Chrysost. *ex spelunca dexteram illam totius orbis pretio parem simul cum capite coronatam gerens;* & paulo antè; *Ne igitur illud reputemus, quod Deus vetuit, ne Dauid occideret Saulem sed illud considera, quod ex insidiis Saulis tripla, quadruplíque corona redimitus est, etenim qui seruauit hostem, eum qui semel, atque iterum, imò frequenter lanceam in caput eius vibrarat; quum esset occidendi potestatem nactus, tamen pepercit; idque cùm sciret post eam præstitam clementiam, fore, vt denuo ab illo impeteretur; perspicuum est, quod millies coronam meruit animi proposito, millies autem interfectus propter Deum plurimas tulerit martyrij coronas, qui quemadmodum, & Paulus ait: Quotidie mortuus est propter Deum. Quum enim posset hostem sibi insidiantem de medio tollere propter Deum noluit, & maluit periclitari.* Ad quem modum Gregor. Nyss. tract. 2. in Psalmos, titulum Greg. Nyss. Psalm. 57. *Ne disperdas Dauid in tituli inscriptione:* qui egregij huius facti occasione conscriptus est, sic versat, & elucidat: *Quoties longanimitatis iste pugil ob coronam huius victoriæ, à seipso tanquam agonotheta prædicatur, ipso fortassis Spiritu sancto mirabiliter sæpius hanc vocem iterante quasi præstantior sit virtute humana, & supra naturæ fines euecta: solius enim incorporeæ, & immaterialis naturæ hoc erat dicere, quam nulla humanarũ affectionum tangit,* qui

qui iram à natura sua substantia innatam habet, qui multa mala perpetiebatur ab eo, cui nullam mali inferendi occasionem dederat, immò ab eo in quem multa, & insignia beneficia contulerat, quando omnem licebat iram in cædem sui persecutoris exsaturare, neque ipse manus ei attulit, & ei qui ad cædem festinabat, illud, Ne disperdas. dixit, *Deo digna vox, quæ hominis interitum vetat.* Rursus indidem Chrysostomus. *Ne dicas illum nihil eorũ sensisse affectuum, quales nos illi per coniecturam tribuimus, sed id quod accidit non fuisse Philosophiam, sed stuporem; considera, quam vehementer exasperatus sibi temperarit. Siquidem quod iracundiæ fluctus in animo illum intumuerint, multáque cogitationum iactatio concitata fuerit, sed eam tempestatem refrænarit amore Dei, animósque represserit, ex ijs, quæ facta sunt perspicere licet.* Surrexit, *inquit*, & abstulit oram chlamydis Saulis clanculum. *Vides, quanta ira tempestas coorta fuerit? At non processit vlterius, neque fecit naufragium: eo quòd gubernatrix illico sentiens periculum, tempestatem vertit in tranquillitatem.* Hæc ille. Qui itidem de illius sociis ad vindictam impellentibus agens subdit. *Sed quò magis hæc illi dicebant, eò magis hic pepercit hosti. Intelligebat enim quòd Deus ideo tradiderat eum, vt ipsi maiores occasiones probandæ virtutis suppeditaret.* Audis Patres Dauidicæ lenitatis, & mansuetudinis locupletes testes, & laudatores? scito modò hæc ad rei faciem optimè dici; ipsa verò introrsum perspecta, Deo aliter visum, immò, & ipsimet Dauidi cùm factum suum attentiùs perpendit; sic enim textus sacer

1. Reg. 34. 6. 1. Reg. 34. 6. *Post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul*; siue, vt clarius

L X X. Lect. Hebr. L X X. & Hebræa, *& percussit cor eum, quia demfserat pinnam diploidis eius*: vbi vides Dauidem à suomet corde percussum, & flagellatum ea de re fuisse; vnde ipse ad internum hoc fulmen non

August. mediocriter contremuit, vt monuit August. lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 48. inquiens: *& quia vel panniculum ex eius veste præcidit, percusso corde trepidauit.* Sed quare? nónne diro hosti pepercit? nónne viros suos ad cædem accendentes sermonibus confregit? In tanta ergo mansuetudine, & concitatæ iræ repressione leuissimæ oræ chlamydis particula, siue filum aut hilum, vllum potest habere momentum? Ita omnino; quòd simplices Dei filij non librentur vulgari lance, siue magnis ponderibus, vastísve mensuris; sed lydio dilectionis inimici lapide *scrupulari differentia* explorentur, ac dignoscantur, nec illis vllo modo liceat hostem, licèt grauissimum, & crudelissimum, non modo in capitis eius illo non lædere, sed nec in tenuissimo vestis filo violare, vt hac in re illa parœmia maximè locum habeat, *Pilus vmbram facit.* Notanter verò in leuissimo hoc errato à suo corde admonitus, verberatúsque Dauid fuit, qui in grauissima postea peccata lapsus, atque prolapsus è vestigio ab ipso percussus nõ dicitur, quòd qui in morum lenitate ac mansuetudine iuxta Dei cor, ac proinde illi adeò affinis, vt ipsius filius, & filij sui pater esset futurus, non ab alio, quàm ipsomet corde, in quod ipse peccabat, & cui inferebat iniuriam, reprehendendus, ac plectendus esset. Quare non multo pòst, eundem Danidem ad vindictam de Nabale Carmelo sumendam anhelantem hoc velut fræno cohibuit prudens Abigail. *Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus est bona de te; non erit tibi hoc in singultum, & scrupulum cordis, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.*

1. Reg. 25. 30. 1. Reg. 25. 30. Preme illud, *in scrupulum cordis*, qui scilicet illud tanquam à Dei corde dissonum stimulet, ac pungat. Sed hæc verba adnot. seq. commodiùs elucidabimus.

* Ergo ab inimicorum dilectione filiorum Dei 7.
simplicitas, atque perfectio, siue exacta Dei similitudo desumitur: vnde, Iob quòd paulùlum excanduisse videretur, onerosus consolator Baldad *Iob 18. 4.* improperabat. *Qui perdis animam tuam in furore tuo*: vt diceret, qui animi tui pulchritudinem commaculas, & diuinæ similitudini iniuriam infers: vbi notanter reposuere L X X. *vsa est te ira*, *L X X.* monentes, eum qui mansuetudinis dignitatem amittit, sese velut seruum iræ, pessimæ dominæ à qua deformetur, & conculcetur, subiicere. Quò intentus Chrysolog. serm. 139. ingerebat: *In te* *Chrysol.* *commissorum remissor esto peccatorum, ne perdas in te diuinæ infulas potestatis.* obserua primùm vocem *infulas*, quæ ad augusta, & veneranda refertur, vt ex Spartiano liquet, qui vt summam imperij di- *Spartian.* gnitatem attolleret, dixit, *tanta maiestatis infulis dignum*; deinde vide quàm sint his consentanea, quæ Seneca lib. de consol. ad Helbiam sic ait: *Seneca.* *Nemo ab alio contemnitur, nisi à se antè contemptus est, humilis, & proiectus animus fit contumeliæ opportunus; qui verò aduersus seuissimos casus se extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias infularum loco habet.* Habe & tu, ne perdas animam tuam in furore tuo. Vis videre eo in cardine totam rem verti; attende igitur quanta primùm cum tranquillitate iudicatus, immò. & iuxta Sapientis phrasim, quanta cum reuerentia tractatus, & dimissus, ille decem millium talentorum debitor, ille, inquam, totius Decalogi reus, vt inquit August. serm. 15. de verb. Dom. ille *qui* *August.* *multa fecerat damna* (inquit Origen.) *& magna ei* *Origen.* *erant iniuncta, & nullum ei attulit lucrum*, à Domino fuerit, sic enim Matth. 18. 24. *Oblatus est ei* *Matt. 18. 24.* *vnus qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari*, &c. *Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Quid humanius? Num tot, tanta quæ ab illo perpetrata flagitia ei exprobrauit, aut obiecit? Num probrum vllum, aut contumeliosum verbum in eum protulit? Nónne ad primum eius gemitum condoluit, eíque misertus est vnde quæso tantæ humanitati, & benignitati exercendæ ansam arripuit Dominus? Dixerim, quòd seruus ille cætera malus, & peccatorum ære oppressus, iniuriarum tamen sibi illatarum immemor exstiterat, ac proinde quasi non omnia diuinæ similitudinis abiecisset lineamenta, non debuit vt abdicatus filius absque tranquillitate & reuerentia tractari. Vt verò hæc ita se habere intelligas, quónam modo cum eo se Dominus gesserit, postquam debitum conseruo noluit dimittere, audi; hoc enim verborum, siue conuitiorum tonitru illum consternauit, *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Sed & suppliciorum fulmen adiiciens, *iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum.* In quæ verba Chrysost. in catena S. Thom. *Et quandoquidem* *Chrysost. S. Thom.* *decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque est conuitiatus, sed misertus. Quando autem contra conseruum ingratus est effectus, tunc dixit*, Serue nequam, & hom. 27. in Genesim. *Verè hic videre licet, quantum malorum sit, iniuriarum reminisci, quoniam cùm millia talenta consumpsisset,*

non

non vocauit eum malum, sed nunc quando conseruo crudelis fuit. Ita Chrysost. Ex qua sanè doctrina nô omnino abs re ei dubio possis occurrere, quod in præfatis Domini de Dauide verbis; *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet* Actuum 13. 22.
omnes voluntates meas. Actuum 13. 22. mouent interpretes, quî omnes Dei voluntates fecisse Dauid, dici possit, qui ab illis non semel insigniter discessit: vt Bersabee adulterium, in quo per non paucos menses velut in luto pertinaciùs hæsit, Vriæ cædes, & populi superba numeratio manifestè probant: nimirum præterquam, quòd ad diuturnius vitæ spatium, in quo Dei præcepta accuratissimè seruauit Dauid, potiusquam ad vnum, vel alterum opus, acri præsertim pœnitentia postea delera (quam rationem suo loco tracto) bonus Dominus maluit aspicere; ea dilectionis inimicorum, qua Dauid maximè claruit, excellentia est, vt quasi multitudinem peccatorum operiente, Dei oculis eius pulchritudine, & suauitate captis, certo quodammodo imponere videatur. Adeò enim ipsos illius misericordia in Saulem sanguinem eius sitientem, lenitas, & benignitas in Semei, dum indignissimis contumeliis eum lacessebat, paterna charitas, & indulgentia in perduellem, & parricidiali furore ferocientem Absalonem dudum occupauerat; vt ad alia vix posse conspicere, viderentur.

Video longiorem me hac in re fuisse, sed enim (quæ rei dignitas; & ad mores formandos opportunitas est) adeò non me pœnitet vt quatuor subinde adnotationes subiicere quibus ex iniuriarum condonatione simplices Dei filios, regia magnitudine, virili atque heroïca fortitudine, mascula sapientia, nec non vera felicitate fortunatissimum de inimicis vltionem assequente, dignoscendos proponam, operæ pretium me facturum: nec lectori ingratum, siue iniucundum fore duxero.

Adnotatio V.

Eos, qui illatas sibi iniurias facilè, & liberaliter remittunt, simplicium filiorum Dei specimen regia magnitudine regióque splendore dare.

1. Satis supérque erat euiusuis dignitatis & côditionis hominibus, *si mens non læua fuisset*; ad suas iniurias facile & libenter condonandas, superior à Christo Domino, nec non à Paulo proposita ratio, quòd hac via atque ratione ad diuinam naturam, & similitudinem exprimendam tam cœlesti passu contenderet, vt inter simplices, ac germanos Dei filios adlegerentur. *Quæ enim* Cyprian.
gloria est (sic Cyprianus premens ea Christi verba, *vt sitis filij Patris vestri*, Matth. 5. 44. lib. de bono
Matth. 5. 44. patientiæ) *similem Deo fieri? qualis, & quanta felicitas habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari:* Quare hac vna ratione freti non modò aduersùs vnum, aut alterum obstrepentem, ac contraria obtrudentem, sed (quod aliò intuitus dixit Seneca epist. 87.) *contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat, Insanitis, erratis, stupetis ad superuacua. neminem æstimatis suo.* At enim verò, quòd mundus, siue mundani homines lapsæ mentis errore eò prolapsi sunt, vt à vera gloria tam longiùs abeuntes, quanto ipsam ardentiùs appetunt, (sicut euenit in labyrintho properantibus; quos suamet velocitas implicat) quidque ea sit, & quomodo petenda prorsus ignorantes, nouas gloriæ, siue honoris leges, atque scientiam, *quæ se extollit aduersus scientiam Dei* adstruant atq; adornent, quasi ex dignitate, & amplitudine viri principis, siue ingenui non sit, illatas sibi iniurias patienter ferre; age iam videamus, hos sęculi sapientes, atque legislatores non modò desipere. sed velut vestro perculsos amentia rapi; nec si ad externa ornamenta spectes, maiora vlla, aut illustriora homini, aduenire posse, quàm si ad leges Dei côpositus dilexerit inimicos, eisque pro malis egregia contulerit beneficia: de industria siquidem Paulus hos simplices Dei filios cum cœli luminaribus videtur côposuisse, vt quemadmodum hæc in diei, noctisque potestatem tanquam principes, nec non ad res luce sua de facie cognoscendas factæ sunt, itidémque, & fortitudinis, quòd militia cœli dicantur, & felicitatis, quæ in luce censetur, symbolum sint; ita iniurias suas condonantibus quidquid regij splendoris, ac magnitudinis, quidquid fortitudinis, sapientiæ, ac felicitatis humana potest excogitare ambitio, subsit. Sed ad singula.

Et quidem nihil esse illustrius, & quod veram 2.
gloriam, atque magnitudinem ita præ se ferat, quàm inimicos diligere, eisque bene facere, vel ex illis Pauli verbis ad Rom. 3. 23. *omnes enim pec-* Ad Rom. 3. 23.
cauerunt, & egent gloria Dei, collige; quid enim fuerit? egere peccatores gloria Dei, nisi, egere quodammodo gloriam Dei (vt sic impropriè, & humano more dixerim) peccatoribus siue inimicis, vt ex venia ipsis data illustrior, & magnificentior appareat: sanè, si attendis, id subest acumen huic accuratæ locutioni, *gloria Dei*, cùm (vt ex orationis serie manifestè apparet) pro gratia Dei, & remissione peccatorum hominibus facta à Paulo ponatur. Ergo ille qui vidit, quàm sit Deo gloriosum inimicis suis parcere, & benefacere, compendio vsus, gratiam, & veniam, gloriam Dei quæsito vocabulo appellauit, ac si diceret, illi venia à Deo accipienda; Deus verò illis danda æquè quodammodo egent, ipsi vt Deo grati, Deus verò, vt noua, & accidentali gloria splendidiùs emicet, dum optima ipsius natura nobis innotescit. Sic pulchrè aduersùs eos, qui carnem tanquam peccatricem à resurrectionis gloria ablegabant, dicebat Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 9. *Quid ea* Tertull.
exprobras carni, quæ Deum expectant, quæ in Deû sperant, quæ honorantur ab illo, quibus subuenit? Ausim dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia omnis vis Dei benefica vacuisset. Vt verò aptiùs hæc subsistant, compone hunc locû eum illis eiusdem Pauli verbis ad Hebr. 4. 16. *Adeamus* Ad Hebr. 4. 16.
cum fiducia ad thronum gratiæ eius; vt videris quàm emphaticè, quàm pulchrè has gratiæ, & gloriæ voces vtrobique commutauerit, & plura quæ in hanc rem superiùs vidimus ad vers. 11. adnot. 8. n. 2. lege. Sed adde Tertull. lib. de patientia c. 15. Dei thronum ita delineantem: *sedet enim in throno spi-* Tertull.
ritus eius, mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex: quem tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, Patiëtia scilicet. Ita ille Cerda.
cum allusione (vt acurè ibi adn. doctissimus Cerda) ad c. 19. lib. 3. Regnum vbi Eliæ Deus in aura tenui, & leniter sibilante sese ostendit quasi suum in peccatorum remissionem spiritum efflans, vt ad c. 1. vers. 2. adnot. 2. n. 22. copiosiùs tracto. Ac proinde in Augustissimo maiestatis solio gloriosum sese spectandum, atque colendum exhibens. At enim

qui iram à natura sua substantia innatam habet, qui multa mala perpetiebatur ab eo, cui nullam mali inferendi occasionem dederat, immò ab eo in quem multa, & insignia beneficia contulerat, quando omnem licebat iram in cædem sui persecutoris exsaturare, neque ipse manus ei attulit, & ei qui ad cædem festinabat, illud, Ne disperdas, dixit, *Deo digna vox, quæ hominis interitum vetat.* Rursus indidem Chrysostomus. *Ne dicas illum nihil eorũ sensisse affectuum, quales nos illi per coniecturam tribuimus, sed id quod accidit non fuisse Philosophiam, sed stuporem; considera, quam vehementer exasperatus sibi temperarit. Siquidem quod iracundiæ fluctus in animo illum intumuerint, multáque cogitationum iactatio concitata fuerit, sed eam tempestatem refrænarit amore Dei, animósque represserit, ex ijs, quæ facta sunt perspicere licet.* Surrexit, inquit, & abstulit oram chlamydis Saulis clanculum. *Vides, quanta iræ tempestas coorta fuerit? At non processit vlterius, neque fecit naufragium: eo quòd gubernatrix illico sentiens periculum, tempestatem vertit in tranquillitatem.* Hæc ille. Qui itidem de illius sociis ad vindictam impellentibus agens subdit. *Sed quò magis hæc illi dicebant, eò magis hic pepercit hosti, Intelligebat enim quòd Deus ideo tradiderat eum, vt ipsi maiores occasiones probandæ virtutis suppeditaret.* Audis Patres Dauidicæ lenitatis, & mansuetudinis locupletes testes, & laudatores? scito modò hæc ad rei faciem optimè dici; ipsa verò introrsum perspecta, Deo aliter visum, immò, & ipsimet Dauidi cùm factum suum attentiùs perpendit; sic enim textus sacer 1.Reg.24.6. *Post hæc percussit cor suum Dauid, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul*; siue, vt clarius LXX. & Hebræa, *& percussit cor eum, quia dempserat pinnam diploidis eius*: vbi vides Dauidem à suomet corde percussum, & flagellatum ea de re fuisse; vnde ipse ad internum hoc fulmen non mediocriter contremuit, vt monuit August. lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 48. inquiens: *& quia vel panniculum ex eius veste præcidit, percusso corde trepidauit.* Sed quare? nónne diro hosti pepercit? nónne viros suos ad cædem accendentes sermonibus confregit? In tanta ergo mansuetudine, & concitatæ iræ repressione leuissimæ oræ chlamydis particula, siue filum aut hilum, vllum potest habere momentum? Ita omnino; quòd simplices Dei filij non librentur vulgari lance, siue magnis ponderibus, vastísve mensuris; sed lydio dilectionis inimici lapide *scrupulari differentia* explorentur, ac dignoscantur, nec illis vllo modo liceat hostem, licèt grauissimum, & crudelissimum, non modo in capitis capillo non lædere, sed nec in tenuissimo vestis filo violare, vt hac in re illa parœmia maximè locum habeat, *Pilus vmbram jacit.* Notanter verò in leuissimo hoc errato à suo corde admonitus, verberatúsque Dauid fuit, qui in grauissima postea peccata lapsus, atque prolapsus è vestigio ab ipso percussus nõ dicitur, quòd qui in morum lenitate ac mansuetudine iuxta Dei cor, ac proinde illi adeò affinis, vt ipsius filius, & filij sui pater esset futurus, non ab alio, quàm ipsomet corde, in quod ipse peccabat, & cui inferebat iniuriam, reprehendendus, ac plectendus esset. Quare non multo pòst, eundem Dauidem ad vindictam de Nabale Carmelo sumendam anhelantem hoc velut fræno cohibuit prudens Abigail. *Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia, quæ locutus est bona de te; non erit tibi hoc in singultum, & scrupulum cordis, quod effuderit sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* 1.Reg.25.30. Preme illud, *in scrupulum cordis*, qui scilicet illud tanquam à Dei corde dissonum stimulet, ac pungat. Sed hæc verba adnot. seq. commodiùs elucidabimus.

Marg.: Chrysost. — 1.Reg.24.6. — LXX. Lect. Hebr. — August. — 1.Reg.25.30.

7. Ergo ab inimicorum dilectione filiorum Dei simplicitas, atque perfectio, siue exacta Dei similitudo desumitur: vnde, Iob quòd paululum excanduisse videretur, onerosus consolator Baldad improperabat, *Qui perdis animam tuam in furore tuo*: vt diceret, qui animi tui pulchritudinem commaculas, & diuinæ similitudini iniuriam infers: vbi notanter reposuere LXX. *vsq; est te ira*, monentes, eum qui mansuetudinis dignitatem amittit, sese velut seruum iræ, pessimæ dominæ à qua deformetur, & conculcetur, subiicere. Quò intentus Chrysolog. serm. 139. ingerebat: *in te commissorum remissor esto peccatorum, ne perdas in te diuinæ infulas potestatis.* obserua primùm vocem *infulas*, quæ ad augusta, & veneranda refertur, vt ex Sparriano liquet, qui vt summam imperij dignitatem attolleret, dixit, *tanta maiestatis infulis dignum*; deinde vide quàm sint his consentanea, quæ Seneca lib. de consol. ad Helbiam sic ait: *Nemo ab alio contemnitur, nisi a se antè contemptus est, humilis, & proiectus animus fit contumeliæ opportunus; qui vero aduersùs sæuissimos casus se extollit, & ea mala, quibus alij opprimuntur, euertit, ipsas miserias infularum loco habet.* Habe & tu, ne perdas animam tuam in furore tuo. Vis videre eo in cardine totam rem verti; attende igitur quanta primùm cum tranquillitate iudicatus, immò & iuxta Sapientis phrasim, quanta cum reuerentia tractatus, & dimissus, ille decem millium talentorum debitor, ille, inquam totius Decalogi reus, vt inquit August. serm. 15. de verb. Dom. ille *qui multa fecerat damna* (inquit Origen.) *& magna ei erant iniuncta, & nullum ei attulit lucrum*, à Domino fuerit, sic enim Matth. 18.24. *Oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet, vnde redderet, iussit eum dominus eius venundari*, &c. *Procidens autem seruus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit illi.* Quid humanius? Num rot, tanta quæ ab illo perpetrata flagitia ei exprobrauit, aut obiecit? Num probrum vllum, aut contumeliosum verbum in eum protulit? Nónne ad primum eius gemitum condoluit, eíque misertus est vnde quæso tantæ humanitati, & benignitati exercendæ ansam arripuit Dominus? Dixerim, quòd seruus ille cætera malus, & peccatorum ære oppressus, iniuriarum tamen sibi illatarum immemor exstiterat, ac proinde quasi non omnia diuinæ similitudinis abiecisset lineamenta, non debuit vt abdicatus filius absque tranquillitate & reuerentia tractari. Vt verò hæc ita se habere intelligas, quónam modo cum eo se Dominus gesserit, postquam debitum conseruo noluit dimittere, audi; hoc enim verborum, siue conuitiorum tonitru illum consternauit, *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?* Sed & suppliciorum fulmen adiiciens, *iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadúsque redderet vniuersum debitum.* In quæ verba Chrysost. in catena S. Thom. *Et quandoquidem decem millia talenta debebat, non vocauit eum nequam, neque est conuitiatus, sed misertus. Quando autem contra conseruum ingratus est effectus, tunc dixit*: Serue nequam, & hom. 27. in Genesim. *Verè hic videre licet, quantum malorum sit, iniuriarum reminisci, quoniam cùm millia talenta consumpsisset*, non

Marg.: Iob 18.4. — LXX. — Chrysol. — Spartian. — Seneca. — August. — Origen. — Matt. 18.24. — Chrysost. S.Thom.

non vocauit eum malum, sed nunc quando conseruo crudelis fuit. Ita Chrysost. Ex qua sanè doctrina nō omnino abs re ei dubio possis occurrere, quod in præfatis Domini de Dauide verbis; *Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet* Actuum 13. 22. *omnes voluntates meas.* Actuum 13.22. mouent interpretes, quî omnes Dei voluntates fecisse Dauid, dici possit, qui ab illis non semel insigniter discessit: vt Bersabee adulterium, in quo per non paucos menses velut in luto pertinaciùs hæsit, Vriæ cædes, & populi superba numeratio manifestè probant: nimirum præterquam, quòd ad diuturnius vitæ spatium, in quo Dei præcepta accuratissimè seruauit Dauid, potiusquam ad vnum, vel alterum opus, acri præsertim pœnitentia postea deleta (quam rationem suo loco tracto) bonus Dominus maluit aspicere; ea dilectionis inimicorum, qua Dauid maximè claruit, excellentia est, vt quasi multitudinem peccatorum operiente, Dei oculis eius pulchritudine, & suauitate captis, certo quodammodo imponere videatur. Adeò enim ipsos illius misericordia in Saulem sanguinem eius sitientem, lenitas, & benignitas in Semei, dum indignissimis contumeliis eum lacessebat, paterna charitas, & indulgentia in perduellem, & parricidiali furore ferocientem Absalonem dudum occupauerat; vt ad alia vix posse conspicere, viderentur.

Video longiorem me hac in re fuisse, sed enim (quæ rei dignitas; & ad mores formandos opportunitas est) adeò non me pœniteret vt quatuor subinde adnotationes subiicere quibus ex iniuriarum condonatione simplices Dei filios, regia magnitudine, virili atque heroïca fortitudine, mascula sapientia, necnon vera felicitate fortunatissimum de inimicis vltionem assequente, dignoscendos proponam, operæ pretium me facturum: nec lectori ingratum, siue iniucundum fore duxero.

Adnotatio V.

Eos, qui illatas sibi iniurias facilè, & liberaliter remittunt, simplicium filiorum Dei specimen regia magnitudine regióque splendore dare.

1. SATIS superque erat cuiusuis dignitatis & cōditionis hominibus, *si mens non læua fuisset*; ad suas iniurias facile & libenter condonandas, superior à Christo Domino, nec non à Paulo proposita ratio, quòd hac via atque ratione ad diuinam naturam, & similitudinem exprimendam tam cœlesti passu contenderēt, vt inter simplices, ac germanos Dei filios adlegerentur. *Quæ enim* Cyprian. *gloria est* (sic Cyprianus premens ea Christi verba, *vt sitis filij Patris vestri*, Matth. 5. 44. lib. de bono Matth. 5. 44. patientiæ) *similem Deo fieri? qualis, & quanta felicitas habere in virtutibus, quod diuinis laudibus possit æquari:* Quare hac vna ratione freti non modò aduersùs vnum, aut alterum obstrepentem, ac contraria obtrudentem, sed (quod aliò intuitus dixit Seneca epist. 87.) *contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat, Insanitis, erratis, stupetis ad superuacua. neminem æstimatis suo.* At enim verò, quòd mundus, siue mundani homines lapsæ mentis errore eò prolapsi sunt, vt à vera gloria tam longiùs abeuntes, quanto ipsam ardentiùs appetunt, (sicut euenit in labyrintho properantibus; quos suamet velocitas implicat) quidque ea sit, & quomodo petenda prorsus ignorantes, nouas gloriæ, siue honoris leges, atque scientiam, *quæ se extollit aduersus scientiam Dei*, adstruant atq; adornent, quasi ex dignitate, & amplitudine viri principis, siue ingenui non sit, illatas sibi iniurias patienter ferre; age iam videamus, hos sęculi sapientes, atque legislatores non modò desipere, sed velut vestro perculsos amentia rapi; nec si ad externa ornamenta spectes, maiora vlla, aut illustriora homini, aduenire posse, quàm si ad leges Dei cōpositus dilexerit inimicos, eísque pro malis egregia contulerit beneficia: de industria siquidem Paulus hos simplices Dei filios cum cœli luminaribus videtur cōposuisse, vt quemadmodum hæc in diei, noctisque potestatem tanquam principes, nec non ad res luce sua de facie cognoscendas factæ sunt, itidémque, & fortitudinis, quòd militia cœli dicantur, & felicitatis, quæ in luce censetur, symbolum sint; ita iniurias suas condonantibus quidquid regij splendoris, ac magnitudinis, quidquid fortitudinis, sapientiæ, ac felicitatis humana potest excogitare ambitio, subsit. Sed ad singula.

Et quidem nihil esse illustrius, & quod veram 2. gloriam, atque magnitudinem ita præ se ferat, quàm inimicos diligere, eísque bene facere, vel ex illis Pauli verbis ad Rom. 3. 23. *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, collige; quid enim fuerit? egere peccatores gloria Dei, nisi, egere quodammodo gloriam Dei (vt sic impropriè, & humano more dixerim) peccatoribus siue inimicis, vt ex venia ipsis data illustrior, & magnificentior appareat: sanè, si attendis, id subest acumen huic accuratæ locutioni, *gloria Dei*, cùm (vt ex orationis serie manifestè apparet) pro gratia Dei, & remissione peccatorum hominibus facta à Paulo ponatur. Ergo ille qui vidit, quàm sit Deo gloriosum inimicis suis parcere, & benefacere, compendio vsus, gratiam, & veniam, gloriam Dei quæsito vocabulo appellauit, ac si diceret, illi venia à Deo accipienda; Deus verò illis danda æquè quodammodo egent, ipsi vt Deo grati, Deus verò, vt noua, & accidentali gloria splendidiùs emicet, dum optima ipsius natura nobis innotescit. Sic pulchrè aduersùs eos, qui carnem tanquam peccatricem à resurrectionis gloria ablegabant, dicebat Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 9. *Quid ea exprobras carni, quæ Deum expectant, quæ in Deū sperant, quæ honorantur ab illo, quibus subuenit? Ausim dicere, si hæc carni non accidissent, benignitas, gratia, misericordia omnis vis Dei benefica vacuisset.* Vt verò aptiùs hæc subsistant, compone hunc locū cum illis eiusdem Pauli verbis ad Hebr. 4. 16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius*; vt videris quàm emphaticè, quàm pulchrè has gratiæ, & gloriæ voces vtrobique commutauerit, & plura quæ in hanc rem superiùs vidimus ad vers. 11. adnot. 8. n. 2. lege. Sed adde Tertull. lib. de patientia c. 15. Dei thronum ita delineantem: *sedet enim in throno spiritus eius, mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex: quem tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, Patiētia scilicet.* Ita ille cum allusione (vt acutè ibi adn. doctissimus Cerda) ad c. 19. lib. 3. Regnum vbi Eliæ Deus in aura tenui, & leniter sibilante sese ostendit quasi suum in peccatorum remissionem spiritum efflans, vt ad c. 1. vers. 2. adnot. 2. n. 22. copiosiùs tracto. Ac proinde in Augustissimo maiestatis solio gloriosum sese spectandum, atque colendum exhibens. At enim

Ad Rom. 3. 23. — Tertull. — Ad Hebr. 4. 16. — Tertull. — Cerda.

enim ipsemet Dei filius, & verbis, & re ipsa in throno maiestatis Dei sedens hæc mihi opportuniùs confirmare visus est: nam & de inimicorũ dilectione agens ipse apud Lucam c.6.35. sic ait. *Verumtamen diligite inimicos, benefacite, & mutuũ date, nihil inde sperates, & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos:* vbi notãda maximè illa *Altissimi* appellatio, qua vnicè in toto Euangelio Patrẽ suum hac occasione Christus condecorauit, ostendens, tunc eũ qui semper & innata magnitudine Altissimus est, nobis sese Altissimum signatè patefacere, cùm super ingratos, & malos benignus est: simúlque obseruandum eos, qui iniurias remittunt, non solùm virtutis pulchritudine, sed altitudinis & magnitudinis excellentia Dei filios ipsi adsimiles esse. Certè de eodemmet Dei filio in dextera Dei, hoc est, in Augustissima solij parte sedente, ac præfulgente, inquit ad Hebræos Paulus c.10.13. *In sempiternũ sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedũ eius.* Quasi eo ipso, quòd in dexteræ Dei throno sedeat, inimicis suis adeò benefacere, & bene velle suamet magnitudinis, & beneficentiæ lege teneatur, vt suorum gloriam, quam ipse tantopere amat, nec non regni traditionem suo tandem faciendã differre non dubitet, donec inimici eius donis suæ gratiæ molliti, & allecti sese ad ipsius obsequium transferant. Audi Anselmum sub hoc sensu ista ita sic capientem. *Causa est quare iam glorificatus nondum suos glorificet, vel in passione iudicatus nõdum inimicos iudicet, quoniam adhuc nonnulli ex inimicis fient amici, & optimum sibi locum sub pedibus eius acquirent.* Pende quàm eximia atq; immortalis hæc benefaciendi inimicis gloria sit, quam regni sui amplitudini, atque maiestati præponere Deus ipse quodammodo videtur. Nec ibit id longiùs à Senecæ sensu lib. 1. de clem. c.20. dicentis: *Clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed eum, qui cum suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intelligit magni animi esse, iniurias in summa potestate pati, nec quidquam esse gloriosius Principe impune læso.* Ita ille.

ad Hebr 10. 13. — *Anselm.*

3. Sed quàm bene hæc nouerat Regius Psaltes, qui animæ salutem à Deo exorans Psal.40.5. dicebat: *Sana animam meam, quia peccaui tibi:* vbi maximè notanda illa causalis, *quia peccaui tibi*; videtur enim Propheta suo quasi iure salute exposcere, quòd peccauerit. Talibus ne *hostiis promeretur Deus?* Absit. Quid ergo fuerit illum peccato innixum veniam postulare? Respondet Aug. egregiam hanc Dauidis confessionem esse, nullis ambagibus, nullis excusationibus factam vt se Deo misericorde, & benignissimo remissore egere ostendat; ac si diceret: *Infactis meis* (sic Aug.) *in peccatis meis non accuso fortunam, non dico, hoc mihi fecit fatum; non dico, adulterum me fecit Venus, & latronem me fecit Mars, & auarum me fecit Saturnus: ego dixi, Domine miserere mei: sana animã meam, quoniam peccaui tibi.* Sic ille. Bene quidem: Medici enim scientiam commendat qui ægritudinem suam aggrauat, benigniorémque remissorẽ ostẽdit, qui maius debitum confitetur. At vt hæc nostro instituto opportuniora sint, preme quæsitam Dauidis locutionem, *peccaui tibi*; nec enim dixit, peccaui *in te*, siue *aduersus*: sed signatè *tibi*. Sed quare potiùs *tibi*, quàm in te? Sanè si aduertis, nec priora grammatices elementa tibi memoria exciderũt. Datiuo singillatim vtimur, ad eã personam significandam cui damnum lucrúmve aliquod obuenerit, & verò cùm nullũ ex nostris peccatis Deo possit contingere detrimentum, Iob 35.6. sapienter attestante, *si peccaueris quid nocebis ei?* non omnino abs re dici posse, crediderit nõ nemo aliquod Deo lucrum ex nostris peccatis, quorum verè pœnitemus, si Dauidis locutio subsistat necessaria ratione contingere. Quòd si hæc sensa castigatis verbis, & modesto, cautóque, loquendi genere dixeris, non omnino inficiamus ibimus, immò tuæ cogitationis bonum fideiussorem dabimus Steph. Cantuar. in allegoriis Gotfridi Tilmani ad c.32. Deut. similem locutionem Moysis Deut. 32.5. *peccauerunt ei*; sic prementis *Aliud est peccare Deo, aliud non peccare, & aliud peccare in Deum: dupliciter peccat quis Deo, id est, ad honorem Dei, consecutiue scilicet per gloriam ignoscendi, quia ex peccato sequitur sæpe contritio, ex contritione remissio, quæ est gloria Dei*; vnde, tibi soli peccaui, *Ps.50.5.* item, Da gloriam Deo, Iosuæ 7.19. *Vel peccat quis Deo, per curam, quia qui peccat cura Dei se subdit, qua ab eo salutem sperat.* Ita Steph. Oppotunè ergo Dauid, Domine miserere mei: Domine sana animã meam; sed qua fletus ratione id dixerit? *Quia peccaui tibi:* quòd egregia scilicet laus, illustrísque gloria ex grauissimæ iniquitatis meæ remissione tibi Domine obtingat. Quò refero signatissimum discrimen, quod inter iustorum, & peccatorum casus, siue lapsus intercedit, dum impij in Scriptura retrorsum; iusti verò in faciem tanquã adorabundi cadere dicuntur, vt adductis exẽplis tum Heli, 1. Reg.4.18. & impiorum satellitũ, qui Dominum comprehensum veniebãt, Ioan. 18.6. dum de primo dicitur: *Cecidit de sella retrorsum, & fractis ceruicibus mortuus est*; de Iudæis verò *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram* tum etiã Moysis, Ezechielis, & triũ discipulorum in Domini Trãsfiguratione *in faciem suam* cadẽtium, Num.16.4. Ezechiel. 2. 1. & Matth. 17.6. sapienter adstruit P. Gasp. Sanchez in id Isaiæ 28.13. *vt vadant, & cadant retrorsum*: vt argumento fuerit impios reprobósque homines, qui de peccatis pœnitere nolunt, turpissimè ea de re, & infideliter peccare: at eos, qui acri pœnitentia, & amara cordis contritione, viam ignoscendi Deo parant, & eius benignitati, atque clementiæ locum faciunt, tanquam adorantes, & venerabundos cadere, pulchrum Deo honorem & egregiam laudem, per ignoscendi gloriam dantes.

Ps 40.5. — *August.* — *Steph.* — *Iosua 7.19.* — *1. Reg 4.18.* — *Ioan.18.6.* — *Num.16.4.* — *Ezech 2.1.* — *Matt.17.6.* — *Isa.28.13.*

Extraho in hanc rem è Sapientiæ libro meis commentariis elucidato egregia Salomonis ad Deum verba de admirabili ipsius in peccatores lenitate, & benignitate, c.11.24. Nam cùm dixisset à vers.18. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarũ ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Sed & sine his, vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ*; postmodum subiicit: *sed misereris omnium, quia omnia potes.* Verùm difficilis videtur hæc consecutio, *misereris, quia omnia potes*; videbatur enim dicendum cum Ioële c.2.13. *quia benignus & misericors es, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Quæ enim potentiæ ad miserandũ ratio, siue cum benignitate connexio atque coniũctio? Duas reddidit huius consecutionis rationes pulchras, & appositas P. Viegas in c. 10. Apocalyps. com.4. sect. 2. quas inferiùs cõmodiùs afferemus, duas alias huic rei opportunas modò assignare 4.

Sap.11.24. — *Ioël 2.13.* — *Viegas.*

placet,

placet, & alteram quidem ex interlineari Glossa
Gloss.intern. desumo, quæ ait *potentiam Dei esse bonitate plenam,* quod sic capio, vt sensus sit: potentiam in benefaciendo, & parcendo potissimũ censeri, atque hunc legitimũ ipsius partum, ac fœtum ex illius visceribus dimanantẽ esse, vt dixisse videatur Sapiẽs; *Quia omnia potes, omnium misereris;* nã potentiores oportet esse clemẽtiores, ad ignoscendum magis proni, sanè quasi pro potentiæ modo, siue magnitudine, clementiæ, & benignitatis modus atque magnitudo esse debeat: vnde illa *omniũ* & *omnia,* mutuo se pulchra venustate respiciunt: ac si dicatur, alius moderatiùs misericordiã impertiret, quia moderatã haberet potentiã, te verò summe Rex omniũ misereri, & clementissimum in inimicos te exhibere oportuit, quippe potentissimus siue omnipotẽs es. Quò placet aduocare tũ Ecclesiæ preces, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserãdo manifestas:* tum etiam id exomologesis, siue confessionis peccatorũ, quam quotidie facimus, initium, quo Deum iratũ placare, & demulcere studemus: *Confiteor Deo omnipotenti.* nã simile certè hinc oritur dubiũ, nec enim tam opportunè omnipotentia, cùm pecata nostra recensemus, quàm misericordia & benignitas Deo obiiciẽdo videbatur, ex benignitatis enim cõmemoratione nihil est, quod timeatur: at ex omnipotentia quis non vereatur? ne aliqua iræ scintilla prosiliat, qua nocentes absumantur. Et quidem vt aliquando cogitauerim ideo accuratam, & opportunã peccata sua commemoranti hanc omnipotentis Dei appellationem esse, tum quòd insaniam, suam simul cum malitia coniunctam, vt plus plus se humiliet, atque deiiciat miser homo cõfiteatur, quippe qui non fuerit veritus omnipotentem, qui, vt dicebat Sapiens, *vno spiritu* potest peccantem extinguere, impudenter offendere: tum vel maximè, quòd immensum peccati onus, quod nõ nisi omnipotens sustinere, ac delere valeat, ad maiorem Dei laudem & gloriam, ostendat: præfatæ rationi malo nunc insistere, vt peccator de industria omnipotentiam Deo obiiciat, & in ea hæreat, atque nitatur, *quia eius potentia bonitate plena est;* nec possit, qui est omnipotens, misericordiam magnam non præstare.

5. Est huic altera ratio non dissimilis; ideo dici, *Deũ omniũ misereri, quia omnia potest:* quòd ex maiestate sit, nulla lege teneri ad nocẽtes pœnis afficiendos, sed pro libito possit, si velit, sceleratissimis etiã & perditissimis parcere, & huc potiùs crediderim respectũ ab Ecclesia dicente: *Deus qui omnipotentiam tuã parcẽdo maximè, & miserando manifestas.* quib. videtur exprimere supremi Domini esse, nõ obligari ad puniẽdos sontes: quod quidẽ innuisse videntur illi qui dicebant: *Quis est hic qui etiã peccata dimittit? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* & Dei Filius apertissimè. *Vt intelligatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi*
Matth.9.6. Luc.5.21. *peccata,* Matth.9.6. Marc.2.7. Luc.5.21. Ad quem sanè modum & hìc etiam videris ciuilium magistratuum, ac supremorum Principium dispositas, & ordinatas esse potestates, vt illi tanquam creditum sibi iudicandi munus, siue apud eos depositum, nequeant illud pro libito dispensare, & nocentes pœnis absoluere; hi verò tanquã supremi rerum domini, penes quos vitæ, necisque ius sit, clementia, atque humanitate in reos aliquãdo vti possint, ac debeant. Firmo tibi vtrãque rationẽ ex Dei colloquio cum Elia peccatoribus semper infenso, ac de illis supplicia indesinenter reposcẽte, quod sic pulchrè meditatur Basil. Seleuc. or. 11. de

Elia. *Miror equidem Elia zelum tuum ac virtute probo. Procliue est in peccatum hominum genus, & si vindictam cum criminibus confligere patiar, deficiet durius tractari nescium. Tibi peccantes cernere graue spectaculum, mihi verò qui sum Dominus lex de humanitate clamantem,* Nolo mortem peccatores, sed vt Basil. Seleuc.
conuertatur, & viuat. *Tu ergo subi diuersorũ à peccato liberũ, carne vestitus cum Angelis conuersare: ego verò ad homines per incarnationem veniam.* Pulchra omnia. Pende verò illud, *mihi verò, qui sum Dominus, lex de humanitate scripta est.* vt dicere videatur, ad diuersas vterque leges pro dignitatum distinctione, ac varietate componimur: te equidem, qui homuncio es, pœnas peccatis ex æquo respõdentes irrogare decet, proprium id enim iudicium inferioris ordinis & minorum magistratuũ, qui legibus quibus seueritas & duritia inest, hærere debent, nec impunè dicere licet, *erraui, ignosce: lapsus sum, non putaui, si vnquam posthac:* ad meam maiestatem non nisi humanitas, & clementia qua peccatorum miseratione commoueat, attinet, hanc enim humanitatis legem mea mihi magnitudo, diuinitatisque fastigiũ in quo sum, omnino præscribit, atque ad eam adigit: vbi vides quàm sit regiũ, & sublime parcere, ac misereri, necnõ, quàm longè à vera magnitudine eat vltionem sumere, quippe id, rustici iudicis propriũ (prouerbiali locutione dicimus Hispanè *Alcalde de aldea que puede prender y no soltar:*) illud non nisi supremorum Principum, ac dominorum sit. His quam sint consentanea Themistij sensa or. 5. de imperat. Theodosij humanitate vide; sic enim ille, *Dubitabis igitur, atque illud considerabis, num Deus aliquis, an homo nobis in templum aduenerit, nec audacius, quam de arena, qua in terra est, numero pronuntiabis, et Principi cælestem illam appellationem conuenire? iam dudum enim erat illud quidem præclarum, atque admirabile, cùm aurum videremus sæpius duobus ex solis ararij ad eos reuerti, à quibus iniustè erat exactum. Nunc autem homines vidimus ex inferorum vestibulo ad vitã excitatos, quos lex ipsa quidem illuc amandauit, legum illinc Princeps ac dominus reduxit: qui hoc ipsũ præclarè vidit, aliam Regis, aliam iudicis laudem, ac virtutem esse: huic sequendas leges, illi interdum etiam corrigendas, earũmque seueritatem, ac duritiẽ esse declarandam, vtpote, qui viua, spiritũsque lex sit, non in fixis, atque immobilibus literis posita.* Et verò vt illis Basilj sub Domini persona verbis; *Tu ergo subi diuersorium à peccato liberum: carne vestitus cum Angelis conuersare; ego verò ad homines per incarnationem veniam:* tantùm non dicit Dominus, ergo tu, cui nõ nisi prætoris, vrbanive iudicis persona benè hæret, cœlum conscende, vbi nulla ad sontes puniendos lege tenebetis; ego ad homines apud quos magna miserendi, atque parcendi seges aderit, opportunè aduenìam, vt cælestem humanitatis legem afferens, Dei Filius, supremúsque rerum Dominus innotescam. Ita post citata verba scitè subdit Themistius: *Hac enim causa videtur esse, ob quam regia potestas à Deo in terris è cælo transmissa sit, vt ab immota constantique lege, adspirantẽ, atque viuam hominibus esset perfugium constitutũ.* Ita ille.

Ezech.33.11. M.Tull. orat. pro Ligario. Themist.

Hinc quidẽ, cùm aliquando Christũ Samaritani inurbanè noluissent excipere, atque in illos Iacobus, & Ioannes grauiter cõmoti Magistro dixissent, *Domine vis dicimus, vt ignis descendat cœlo, & cõsumat illos?* Luc.9.55. *sciebant enim* (inquit Ambr. ad id loci) *& Phinees reputatum ad iustitiam, quia sacrilegos interemerat, & ad preces Heliæ ignem descendisse de cœlo, vt Propheta vindicaretur iniuria.* ipse Dominus *conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis,* 6.
Luc.9.55. Ambr.

cuius

cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. & bene quidē ac magno iure illos increpasse dicitur, qui ipsum non pro eius fastigio & maiestate, sed calceo Heliæ metiebantur, nec vt supremum dominum magnanimúmque Principem, sed vt prætoré quendam, aut exiguæ dignitatis hominē, qui iniurias suas remittere nesciret, vulgari sensu æstimarent. Ita Titus Bostrenus in
Titus Bostr. hæc verba tom. 1. Biblioth. vet. Patr. inquiēs. *Dominus autem in eos non cōmouetur, vt ostenderet, quia non habet vltionis studium perfecta virtus, procul à religiosis indignatio, procul à magnanimis cupiditas vltionis.* A quo non longiùs iuit Ambros. inibi in-
Ambros. quiens, *Sed vindicetur qui timet. vindictam non quærit, qui non timet*; proprium enim est veræ magnitudinis, extra metū, atque timoré esse. Sed Bern. serm. 27. in Cant. hanc magnanimitatem non nisi ex immēsa cœli magnitudine, vt Christus descendit, mēsurandam esse docet: etenim cùm dixisset: *Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet: vt, verbigratia, quæ multum habet charitatis magna sit, quæ parum parua, quæ verò nihil nulla dicente Paulo:* Si charitatē nō habuero, nihil sum, post nonnulla ita subiungit: *Verùm si adycias etiam vsquequaque vim facere regno charitatis, & vsque ad vltimos eius terminos occupare illud, pius inuasor præualeas, dum ne inimicis quidem claudenda viscera pietatis existimes, benefacias ijs quoque qui te oderunt: ores & pro persequentibus, & calumniantibus te, nec non & cum ijs qui oderunt pacē esse pacificus studeas, tunc prorsus latitudo cœli, latitudo tuæ animæ, & altitudo non dispar, sed nec dissimilis pulchritudo. Impletúrque tunc demum in ea quod dicitur*, extendens cœlum sicut pellem. Sic Bernard. Quæ, oro similis excogitari valeat magnitudo?

6. Iam vt regium hinc fastigium maximè attolli videri, nihílque adeò ex Regū, virorúmque Principi maiestate esse, quàm proprias iniurias liberaliter condonare, indicará superiùs prudentissima Abigail verba ad Dauidem, cùm ad sumendā de Nabale Carmelo vindictam acer, atque festinus pergeret, modò expende; sic enim illa 1. Reg. 25.
1. Reg. 25. 29. 29. *Malitia non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Cùm ergo fecerit tibi Dominus Domino meo omnia hæc, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israël non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis Domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris.* vbi primò obserua, malitiā ibi pro re indigna, viro præsertim summæ conditionis poni Hispanè propriè diceremus
Nicol. de Lyr. Ruyndad. Ita Nicol. de Lyra hæc verba, *malitia non inueniatur in te*; sic explicans, *quia non decet tantam dignitatē* quasi adeò cum magnitudine, & eximia sorte vltio pugnet, vt quem semel infecerit, maiestate indignum reddat, siue coarguat. Hunc eorum verborum sensum esse, illa satis ostendūt: *non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis*, quibus imaginibus pulchrè elegans fœmina Dauidē admonuit tam indecoram rem vltionem esse, vt nec conditionis mutatione, nec vllo bellorū felicitate, nec diuturni temporis elapso spatio expianda aliquādo esset, quin potiùs quo ipse altiorem locū esset occupaturus, grauius, ac molestius huius indignitatis memoria ipsum esset vexatura, regium animum compungens atque exagitans, tū quod facinus principe prorsus indignū admiserit, tū etiam quò non posset eius animo nō esse infixū huius turpidinis labē ex suorū memoria nūquā exurendā, atque ideo nec illos ei fidendū putaturos, qui ingeniū ad vltionē pronum haberet; nec ipsum ab iis quos sibi fidos futuros nō nosset,

securū aliquādo reddi posse. Quæ omnia videtur mihi expresse Lect. Tigur. quæ habet: *Tu ... it tibi Domino meo in vacillationē, & offenaculum cordis.* qua- Lect. Tigur.
si corde non modò anxio & mœstitudine oppresso, sed etiam vacillante ac fluctuante, huc claudicante, hoc est, dubio, & nunquam securo esset futurus. Accinit Seneca ex omnium consensione Seneca.
Alexandrum incusans, & Magni cognomine denudans, quòd, cætera felix, ingens vsque ac liberalis animi specimen exhibēs Callisthenē Seuerum illius monitoré occiderit. *Hoc est* (inquit) *Alexādri crimen æternum, quòd nulla bellorum felicitas redimet. nā quoties quis dixerit, occidit Persarū multa millia, opponetur.* & Callisthenē. *Quoties dictum. Omnia Oceano tenus vicit, ipsum quoque tētauit nouis classibus, & imperiū ex angulo Thraciæ vsque ad Orientis terminos protulit, dicetur*, sed Callisthenē occidit. *Omnia licet antiqua ducum Regūque exempla transierit; ex ijs quæ fecit nihil tā magnū erit quā scelus Callisthenis.* Hæc Seneca lib. 6. natural. quæst. cap. 3.

Pupugit humanum, & iuxta Dei cor Dauidis 7.
animū disertissimus mulieris sermo, atque illū ad cædē & vltionem anhelantē non modò fregit, ac cohibuit, sed ad ingentes ei ob magnū, & amātissimū consilium referēdas gratias sic impulit. *Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te in occursū meū, & benedictū eloquium tuum & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irē ad sanguinem, & vlciscerer me à manu mea*, 1. Reg. 25. 32. Quæ Lect. Ti- 1. Reg. 25. 32.
gur. sic expressit. *Laudandus Dominus Deus Israël,* Lect. Tigur.
qui efficit vt mihi hodie obuia venires. Gratiam habeo moribus tuis, tibíque beneficium debeo, quæ me hodie coërcuisti, quominus sanguinem funderem. liberarémque me manu mea. vbi vides ad opportunā & veritate ornatissimā Abigalis orationem Dauidem sic resipuisse, vt agnouerit, nihil à dignitate sua magis alienum efficere potuisse, quàm temerariū ardore vltionis ferri, atque ideo Deum, cui suæ res, notanter verò regia dignitas, & honor peculiari curæ iam erant, signatissima prouidentia, æstuāti illius ad vindictam animo occurrisse; illúmque restrinxisse, ne regio in posterū solio indignus videretur. At deinceps hoc cōsilio admonitus, quàm ad regiam dignitatē, quámque ex illius maiestate in suis iniuriis cōdonandis se ille cōposuit. Equidē cùm post relatam de Absalone victoriam procacissimus illi Semei, qui atrocissima in Dauidem maledicta iactauerat, ad illius pedes prouolutus veniam & pacem ab eo postulasset: ipse lubens concessit, atque Abisai contra obstrepentē, sícque ad vltionem acuentem: *Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, qui maledixit Christo Domini.* his è regio verè animo elicitis verbis sic increpauit. *Quid mihi & vobis filij Saruiæ? Cur efficimini mihi hodie in satā; ergo ne hodie interficietur vir in Israël? an ignoro hodie me factum regem super Israël?* 2. Re- 2. Reg 19. 22
gum 19. 22. pulchrè illos qui eū ad iram & vltionem accenderēt, aduersarios, & hostes appellans, quasi à regia dignitate proturbare, & illustrē de manibus extorquere vellent triumphū, vindictæ turpitudine illum polluentes: sic Principē admonens dicebat Chrys. hom. 4. in Matth. *Bestias feras* Chrysost.
ad mansuetudinis prouehis dignitatem, te ipsum de throno deyciens, & honore regali ad animalium irrationabilium furorem cogis: thronum, atque fastigium lenitati ac mansuetudini, deiectionem vilémque fortunam vindictæ assignans. Oppone ergo hæc Abigail, & Abisai Dauidi data consilia, & vtrámque illius responsionem expende, vt mulierem viro sapientiorem, ac felicioris genij: Dauidem verò consilia ex veritate, & maiestate pendentem

prudentem videris. Sed num erga Semei generosius Dauidis animus minus regiè se gereret quàm Imperator Hadrianus? qui ad illum, qui priuatam vitam agens, infelicissimus hostis fuerat, Imperator factus, dixisse fertur (apud Spartianum in eius vita) *euasisti*, id est: ò te ob meum fastigium, cui vltio maximè repugnat, felicem! aliàs nõ abires impunis: ac si diceret cum Theodahado ad regni culmen recenter euecto apud Cassiod. lib. 10. variar.
Cassiod. *Mutanimus cum dignitate propositum, etsi ante iustis districte defendimus, nũc clementer omnia mitigamus.* Cui etiam rei pulchrum illud placet aptare Diogenis dictum, quod Xenophanto eo modo canente, quo Alexander ad arma accenderetur, dixisse
Diog. Laert. fertur: *Meliorem eum sibi musicum fore si cantus caneret, quibus Alexander ardens, & furens reprimeretur.* Sanè quasi id regiæ dignitati magis consentaneum esset; dixit enim verissimè Seneca lib. de
Seneca. ira cap. vlt. *Sola sublime, & excelsa virtus est, nec quidquam magnum est, nisi quod simul est placidum.* Vnde ab eodem Alexandro Porus Indiæ rex aliquando captus, vt ab illo victoria insolente obtineret, vt non modò mitiùs secum ageret sed iram amicitia commutaret, sic supplex orasse fertur, *Regaliter mecum age.* At enim cùm Alexander regiæ dignitatis non omnino gnarus ab eo tunc sciscitaretur, *Nunquid amplius?* ipse scitè respondit, *In verbo regaliter omnia insunt.*

8. Ad similis Sauli magnanimi, & regia mens: (in ea vtinam perdurasset) qui illustri de Ammonitis parta victoria, populum non modò miris præconiis illum celebrantem, sed ad necem etiam illos postulantẽ, qui duriùs de eo fuerant antè locuti, sic ipse regiis verbis repressit, atque sedauit. *Non*
1. Reg. 13. 13. *occidetur quisquam in die hac*, 1. Reg. 13. 13. sanè quasi maximè intempestiuum, & cum regia fortuna atque felicitate ex aduerso pugnaret. Vnde
Nicol. de Lyra. ad id loci Nicolaus de Lyra. *Quia populus videbat Saulem potenter triumphasse, ideo volebat, eos interficere, qui eum despexerant in sua electione, sed Saul hoc fieri impediuit, vt a clementia regnare inciperet offensas proprias remittendo, vnde dicit Seneca lib. de clementia, Nullum ex omnibus magis decet principem, quàm clementia, magni enim animi proprium est placidum esse, tranquillumque offensas, & iniurias remittere, muliebre autem est litigare, & more iræ sine gerere.* Hactenus Lyra. Callebat certè veram magnitudinem Saul, qui eam ad lædendum alios, seséque vlciscendum minimè referebat, ac si hæc Senecæ notissima ipsi essent ex lib. 1. de clem. c. vlt. *Hæc diuina potentia est gregatim, ac publicè seruare, multos autem occidere, & indiscretos incendio, ac ruinæ potentia est, ne alioqui si factus sibi non remiserit inimicus præter quàm quod Deum non sit imitatus, de se potius, quàm de subditis sumit supplicium.* Pende illud, *incendij, ac ruinæ potentia est.* scitè; quasi diceret mala hæc potẽtia, pessima magnitudo. Quid enim peius? quid longius à vera magnitudine, quàm valere ad nocendum, malúmque inferendum? Quò pulchrè retulit Plutarc. lib. *de non irascendo*, dicterium quod in Philippum Olynthum egregiam vrbem delentem quidam iecit. At condere vrbem non valet ille tantã; subdens Plutarc.
Plutarch. *ita iræ dicas licet. Proruere vales, conuellere, & dissipare, excitare, seruare, parcere, tolerare placidi animi, & indulgentis, moderatique & Camilli, Metelli, Aristidis, & Socratis est: fodicare & mordere formicæ, & muris.* Certè apud Romanos, quos veram magnitudinem optimè semper pensitatos nemo ibit inficias: pulcher hac ratione mos inualuit, vt magistratus cùm ciuem condemnaturi essent prætextam (proprium scilicet Magistratuum vestimentum, atq; insigne) ponerent, eámq; peruersam inducerẽt, floridiorem nimirum ac nitidiorẽ eius partem introrsum ad se vertentes, vt ad illa Senecæ verba lib. 1. de ira c. 16. de Magistratu reum capitis damnante. *Itaque & si peruersa induenda magistratui vestis, & cõuocanda classico concio est, procedam in tribunal non furens, nec infestus, sed vultu legis*, &c. Seneca.
adnotauit Muretus, non tam mœroris significandi gratia, vt ipse Muretus existimat, quàm vt illa imagine innuerent, dolere se iudiciaria potestate, in hominis perniciem vti, quasi hæc peruersa potentia, & potentiæ abusus, non vsus esset: id quàm consonet illis Ieremiæ verbis, *in tempore tui abutere eis*, cap. 18. 23. quæ nos ad c. 1. vers. 10. adnot. Ierem. 18. 23.
8. n. 15. explicauimus, facile est videre.

His nõ pauca Ethnicorum Principum exempla 9.
qui non modò iniurias suas liberaliter condonarunt, & infestissimos hostes, amicissimos sibi fecerunt; sed hanc ob causam ingẽtem apud suos laudem & gloriam tanquam magnanimi viri adepti sunt, ideo libériùs adiungere, & recensere placet, vt Christianorum causa, qui ad famam, honorémque suum iniuriarum vindictam facere peruersè existimãt, inuidiosior, & damnabilior, ex illis reddatur. Et primum Lycurgum Spartanorum Principem Delphis ædem Apollinis ingredientem sic Oraculum affatum fuisse, Græci omnes affirmant.

Tu mea nunc in opima gradũ fers templa Lycurge,
Chara Iouis soboles, cælique tenentibus axem.
Te ne Deum, dubito, an mortalem dicere fas sit?
Sed diuum mage dicendum te credo Lycurge.

Ad quæ verba Gentilis Themistius Emphrada orat. 5. de Imperatoris Theodosij humanitate, *Cur* Themist.
Deum illum potius ô Apollo? An quod celeberrimas victorias Princeps ille reportarit? an quòd occisorum ab se hostium cadauera cumularit? An quòd hastatorum ac spiculatorum auro splendentium satellitio cingeretur? aut quoniam ante eum aureorũ curruum Nisæis equis trahentibus pompa præcederet? siue quod torquibus idem, & tiara, ac purpurea veste fulgeret? respondet verò: *Ego tamen* (diceret Apollo) *parui ista facienda esse scio, vt quæ a plerisque nequissimis, & stolidis Principibus obtineantur, quos non modò Deos, sed ne homines quidem appellare deceat.* & post nonnulla. *Quæ cum ita sint, quid in Lycurgo tandem animaduerti, cuius gratia Deum potius quàm hominẽ appellandum coniecerim: facilitatem nimirum, iustitiam atque pietatem, harumq; principem omnium humanitatem. Cuius vnius beneficio reges ad Dei similitudinem accedunt*, &c. *Adeóq; mitis & placato ingenio fuit, vt eum quẽ sibi in concione oculũ effoderat, cum lapidibus obruere vellent Lacedæmonij, seruarit, atq; à supplicio vindicarit. Quem cùm secum in domũ suam adduxisset, ita informauit, ac mansuetum reddidit, vt pro nefario ciue, bonũ illum virum efficeret.* Hæc de Lycurgo Themistius. Quibus persimilia sunt, quę de Iulio Cæsarum primo tã Plutarchus, quàm August. tradiderunt: ille siquidẽ dum ipsius in hostes lenitatem ac beneficentiam, signatè verò regium animum, quo deuicti Pompeij statuas solo prostratas iacere nõ permisit, sed honorificè reposuit, ex Cicerone pendit, inde effecisse vt statuas ipse suas, nomen scilicet & gloriã maximè stabilierit, sic affirmat: *Hostibus suis multis salutem dedit, nonnullis honores quoque & magistratus, velut Bruto & Cassio addidit, quorum erat vterque prætoriam statuas deiectas Pompeij non permisit iacere, sed reposuit; quamobrem Cicero ait: Cæsar dum Pompeij statuas erigit, suas stabilit.* Aug. verò lib. 1. de ciuit. Dei c. 23. eam illum gloriã iniurias condonando adeptũ obseruat, August.

vt pertinacissimus ipsius hostis Cato tantæ laudis inuidia percitus, dum filium suum benignitati Cæsaris reliquit, se ipsum maluerit interimere, quàm ab illo clementer tractari, vt eam gloriam ab ipsius manibus extorqueret. Audi. *Quid ergo est, nisi quòd filium, quantum amauit, huic parci à Cæsare & sperauit, & voluit, tantum gloriæ ipsius Cæsaris, ne ab illo sibi etiam parceretur, vt ipse Cæsar dixit, inuidit, aut vt aliquid nos mitiùs dicamus, erubuit.* vbi non prætermittam expendere hac animi lenitate, & facilitate in condonandis iniuriis, eam magnanimitatis, & bellicæ virtutis laudem ac gloriam adeptum esse, vt & hodierna die egregiæ magnanimitatis virum prouerbiali formula Cæsarem appellemus, & ab illo tam Ethnici, quàm Christiani Imperatores Cæsarum nomine glorientur. Sed & Octauianus Augustus, à quo ob felicitatem, & gloriam Augustorum nomen gloriosum & faustum semper fuit, tam egregiæ huius mansuetudinis, quàm imperij orbis terrarum, magni Cæsaris successor fuit: nam de illo sic Seneca lib. 1. de

Seneca. Clement. cap. 10. *Bonum Principem Augustum, & bene illi conuenisse Parentis nomen fatemur, ob nullam aliam causam, quàm quòd contumelias quoq; suas, quæ acerbiores principibus esse solent, quàm iniuriæ, nulla crudelitate exequebatur, quod probrosis in se dictis arrisit.* Et verò adeò erat Augusto persuasum, clarissimum suo nomini splendorem apud posteros hac ratione conciliaturum, vt hostes sibi maximè infensos hæredes testamento instituerit, siue substituerit: id sic obseruante Tacito lib. 1. Annal. *In spem secundam nepotes, pronepotésq; tertio gradu primores ciuitatis scripserat, plerosq; inuisos sibi, sed iactantia, gloriáque ad posteros.* Ita ille. Adde his Principibus Imperatorem Othonem, què Plutarchus, & Cornel. Tacitus maximè commendant, quòd Marium Celsum antea sibi inimicissimum, blandissimè fuerit complexus, & inter intimos amicos

Plutarch. habuerit; sic enim Plutarc. *Iubens Marium Celsum ad se adduci, amplexus est virum, & benignè allocutus monuit, vt causæ magis obliuisceretur, quam veniæ meminisset.* Ad quem modum licèt obscurius Tacitus

C. Tacit. lib. 1. hist. lucem à Plutarcho accipiens. *Nec Otho quasi ignosceret, sed ne hosti metum reconciliationis adhiberet, statim intra intimos amicos habuit.*

10. Quòd si ab Ethnicis Christicolæ veræ magnanimitatis exempla nolũt accipere, vel ab ipsis belluis de magnitudine sua admoneantur. *Sic imma-*

Seneca. *nis fera* (inquit Seneca lib. 3. de ira c. 25.) *ad latratum canis lenta respexit;* & c. 33. *Magni animi est iniurias despicere: ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit.* ad quem modum Ouidius lib. 3. de tristib. eleg. 5. cùm hanc thesim proposuisset;

Ouidius. *Quo quis est maior, magis est placabilis ira,*
Et faciles motus mens generosa capit.

ex regia leonis natura id ita confirmat,

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.

nec minus eleganter Claudianus,

Claud. *—toruique leones*
Quæ strauisse valent, ea mox prostrata relinquunt,
Nec nisi bellantis gaudent ceruice iuuenci
Nobiliore fama.

Equidem cùm primus parens singulis creaturis iuxta propriam cuiusuis naturam nomen imposuisset, hunc animãtium regem quæsito vocabulo appellauit *Chephir*, id est, *placabilis*, à verbo כפר *caphar* quod est *placare* (vt Genes. 32. 20. *placabo eum* &c.) vbi id inuenitur verbum: quòd regia huius bellaæ ira supplici demissione placetur. Iam hæc sic firmat Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 347. vt homines ex ferarum moribus humanitatis admoneat; sic enim ibi. *Audio autem feras etiam, quibus plus animi inest, id quidem quod obluctatur vlcisci: quod autem fractum, & debilitatum est, misericordia prosequi solere. Cùm igitur, & apud homines, & apud feras inimicitiæ, ac belli certi limites sint, quos transilire minimè oporteat, ne tu quoque committas, vt ijs, qui victi sunt, irascaris, nec eos, qui humi prostrati sunt, tanquam hostes premas.* Ita Isidorus.

Adnotatio VI.

Iniurias suas facilè remittentes simplicium filiorum Dei specimen egregia fortitudine exhibere.

Redeo ad verba Sapientiæ: *sed misereris omnium, quia omnia potes*, & vt 1.
ea fortitudini non minus opportunè aptem, aliam huius consecutionis rationem reddo sequentibus illis verbis subnixam, *& dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam:* nimirum, ideo à potentia Deum ad miserendum moueti, quòd suus semper locus pœnas reposcendi, nisi homines resipiscant, illum maneat, quin eius potentiam, & imperium effugere vllus aliquando valeat: ita in parabola zizaniorum Matth. 13. 30. seruis ad eradicanda zizania, hoc est, ad homines peccatores perdendos (vt ipsemet Assertor interpretatus est) nimium festinantibus Dominum sedatissimo animo videtis respondentem, *Sinite vtráque crescere vsque ad messem;* sed quare? respondet Paschas. inibi lib. 7. in Matth. *Pius Do-* Matt. 13. 30.
minus quem tempora non fatigant, qui quando vult suas potest abolere iniurias. Certè, si rem attentiùs examinas, humana hæc ad vltionem de hoste sumendam festinatio adeò ex fortitudine non est, vt imbecillitati, ac fragilitati maximè innitatur, quippe hæc vindictæ occasionem ad suas manus denuo non redituram veretur: sic degeneres belluæ deuorandæ prædæ insistunt, nec hosti inducias tribuere audent; secus quidem aquila, qua nulla auium valentior, nulla vehementiùs volat, secus leo, *fortissimus bestiarum*, vires etenim fortitudinémque suam generosè dissimulantes, gestiunt cum capta præda ludere, quòd eam ex ipsorum vnguibus elabi non posse, optimè norint: quod nobis lepidus ille epigrammate de leone Cæsaris ita ob oculos iecit.

Æthereas aquila puerum portante per auras Martial.
Illæsum timidis vnguibus hæsit onus.
Nunc sua Cæsareos exorat præda leones,
Tutus & ingenti ludit in ore lepus.
Quæ maiora putas miracula? summus vtrisque
Auctor adest: hæc sunt Cæsaris, illa Iouis.

Quod sanè acumen illis verbis, quibus Petrum Christi patientiam in Malcho vulnerantem ipse punxit, *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26. 53. subesse Matt. 26. 53.
videtur: etenim & notanter tam splendidè, támque magnificè suam potentiam in duodecim Angelorum legionibus, *de quibus* (inquit ibi Hieronymus) *septuaginta duo millia Angelorum sunt,* Hieron.
explicuit, atque ostentauit: (siue de cœlestibus spiritibus id capias, siue de omnium gentium, & nationum vniuersitate, quæ septuaginta & duabus linguis, vt inibi ait Hieronym. censetur: & citra

& cùm Imperatoribus Vespasiano, & Tito, in hostes Christi erant insurrecturæ, sic id adnotante Remigio: *Possumus etiam intelligere per Angelos Romanorum exercitum, cum Tito enim, & Vespasiano omnes lingua aduersus Iudæam surrexerunt, & impletum est, quia pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos:*) vt Petrum inconsiderantiæ argueret, qui si ipsum tam fortem, atq; potentem considerasset, ad vltionem de hostibus è vestigio tam auida festinatione sumendam nunquam inuolauisset: ita Paschas. lib. 12. in Matth. premens illa, *An putas quia non possum?* hunc in modum: *Ac si diceret Petro, quid est, quod tu mihi auxilium præstare festinas, & in gladio tuo humano vincere æstimas? An putas quia non possum propter duodecim Apostolos etiam plus quam duodecim legiones impetrare à Patre meo Angelorum? Non ergo vestro indigeo auxilio, neque humano gladio.* Opportunè illud, *tu mihi auxilium præstare festinas*, vt dicere videatur, adeò imbecillum me, & inermem credis, qui subitæ vltionis occasionem rapere, necesse habeam? quasi non possim quandocumque velim, hostes meos omnium orbis nationum exercitibus circumdare, siue etiam totas orbis nationes armatis Angelorum legionibus obsidere. Ergo quòd pœnas de hostibus è vestigio non repoleam, potentiæ & fortitudinis indicium est, qui illos in rete captos, & sub ictu semper habeo. Quò facit illustris Aristotelis locus lib. 3. Ethicor. cap. 8. vbi de fortitudine non vera agens, cùm vulgi opinionem sic posuisset. *Et iram quoque in fortitudinem referunt, fortes enim videntur esse illi, qui iracundi perinde ac feræ contra vulnerantes feruntur, propterea quòd fortes, iracundi esse consueuerunt.* statim illam ita oppugnat: *sed quidem honestatis causa agunt, ira tamen ipsos adiuuat, feræ autem ob dolorem propterea enim vel quòd percussæ sunt, vel timent incitantur: nam si in syluis, vel saltibus suis fuerint, non irruunt. Non igitur fortes sunt, quippe quæ dolore & ira in periculum impulsæ feruntur.* Vides iracundos & sese vlciscentes cum belluis, quæ quòd timeant, vel imbecilles sint, ad lædendum incitantur, ab Aristotele compositos?

2. Ab hoc non it, quod Martyrum animæ sub altare Dei collocatæ, dum illum ad vindictam de hostibus sumendam acriùs vrgerent, atque acuerent, sustinere, atque expectare iussæ sint, Ioanne id in Apocal. c. 6. à vers. 9. vt oculato teste sic referente. *Et cùm aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant; & clamabat voce magna dicentes: Vsquequo Domine (sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de ijs, qui habitant in terra? & datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum.* &c. vbi velim consideres homines ad vindictam expetendam festinantes, Deum verò procrastinantem, & vltionem protrahentem. Sed quare? Sanè ob immensam ipsius potentiam atque fortitudinem, cui hostes nunquam elabi possunt. Quod sanè in loco, vbi diuinum hoc oraculum insonuit, nimirum *sub altare Dei*, mirificè adumbratur: nam in altari summa diuinæ fortitudinis, atque potentiæ testatio, atque adiuratio fit: quod in primis collige ex illis Genes. verbis cap. 33. 10. *erecto ibi altari inuocauit super illud fortissimum Deum Israel.* Deinde, quod signatè super illud sacrificium instituatur, Deóque licèt benignissimo, non sine sanguinis effusione, & pientissima victimæ extinctione in supremi dominij reuerentiam, excelsique vitæ, necísque iu-

Remigius. — Paschas. — Aristot. — Apoc. 6. 9. — Gen. 33. 10.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

ris attestationem, religioso cultu, ac pompa offeratur, quòd si iam semel aliquando Isaaci sacrificium ad necem super altare religati benigno tunc Deus vultu suscepit, quin ille reapse vitam immolatus amitteret, vnde de illo Iacobus cap. 2. 21. *offerens Isaac filium suum super altare?* & Paulus ad Hebræos 11. 17. *vnigenitum offerebat*; non nisi ipsomet Dei filio fideiussore, siue vade dato, *qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo*, ad Hebr. 9. 14. id effectum est: ergo super altare supremæ potentiæ, & omnium maximæ fortitudinis protestatio fit, & sub altari, insignis lentitudo, ac lenitas in reposcenda de inimicis vltione, insigni etiam albarum stolarum pretio ab animabus vindictam exposcentibus redempta, ostenditur: quòd fortitudo, & procrastinatio in puniendo, siue etiam in iniuriis condonandis lenitas mirificè hæreant, atque coniunctæ sint. Ita omnino Cyprianus lib. de bono patientiæ, allato subinde hoc Apocalypseos loco inquiens, *Expectare nos iubet Dominus, & futuræ vltionis diem forti patientia sustinere.* Pulchrè, *forti patientia*, quòd à fortitudine patientia dimanet. Sed & nonnulla ex his attigit optimus Magister meus Alcazar in calce commentarij huius loci affirmans, in quinto sigillo cœlestem à Christi spiritu lucem fuisse impartitam, vt agnosceretur, quàm esset sacris litteris consentaneum, differri à Deo supplicia, & infinitam Dei patientiam eò subliminorem, ac perfectiorem ostendi, quo plus dissimulationis præ se ferre videtur.

3. Sed hic ipsiusmet Domini sensus esse videtur Exod. 9. 15. ad Pharaonem intonantis, *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribísque de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam; & narretur nomen meum in omni terra*; sed implicitus locus explicatione indiget: etenim negotium facessit, Deum Pharaoni peste è vestigio extinguendum fuisse minitatum, cùm siue ipse, siue populus non statim nec peste postmodum perierint. Quid quòd illa verba, *idcirco autem posui te*, à priori oratione videntur dissentire: nam si Hebræa consulas, verbum *hæmadti*, propriè significat *sustentare*, siue *statuere*: vnde Pagnin. transfert *stare feci te*: si ad Græca transeas, LXX. legunt, *conseruatus es*: ad quem etiam modum Chaldæus habet, *sustinui te*; quæ omnia aduerbio illi *autem* subiecta non tollendum statim de medio, sed peculiari ratione seruandum, & sustinendum, denotant. His benè occurras tam ex lectione Hebræa, quàm ex Chaldæa, quas adducit & probat in id loci P. Pereyra disput. 3. in cap. 9. Exodi: sic enim Chaldæus: *Quoniam nunc prope erat coram me, vt misissem plagam fortitudinis meæ, & percussissem te, & populum tuum morte, atque ita deletus esses de terra.* similiter Hebræa: *Et quidem si voluissem, potuissem te interimere peste, qua occidi pecora tua, verumtamen, ideo te stare feci*, &c. vnde apparet, hunc esse eius loci sensum, Potuissem quidem, vel vno spiritu te extinguere, quin secundo ictu opus foret, sed de industria te seruare & sustinere volui, minutis ictibus paulatim feriens, vt egregium toti orbi fortitudinis specimen exhibeam: sed nónne (inquis) ea fuerit maior fortitudinis demonstratio vno statim regem spiritu regnúmque delere? Minimè, quippe hæc ad prædam festina non aduolat; sed procrastinat, & dissimulat. Do tibi huius explicationis auctorem OEcumenium, qui hæc verba à Paulo ad Rom. 9. 17. allata (quamuis eadem sententia & sensu pro *fortitudinem*

Iacobi 2. 21. — Ad Hebr. 11. 17. — Ad Hebr. 9. 14. — Cyprian. — P. Alcazar. — Exod. 9. 15. — Hebr. lect. — Pagninus. — LXX. — Chaldæus. — Pereyra. — Lectio Chald. — Hebræa lect. — OEcum. — Ad Rom. 9. 17.

legerit Apostolus *potentiam*) sic elucidat. *Potentia Dei est longanimitas, adeóque maxima potentia eius. Quis enim non obstupesceret, si Deus sit longanimus: ait itaque, in hoc regnare, permisi te, vt demonstraretur, quàm sim longanimis.* Ita ille: sed & ipsemet Apostolus hęc manifestè firmat, dum postmodum præfata verba illustrans, ait: *sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum.* Audis quid sit egregia, ac diuina fortitudine esse prædítum? sustinere scilicet in multa patientia ditos & infestissimos hostes. Quid enim leoninum robur magis commendet, quàm rutum ingenti eius ore leporem ludere? *sic immanis fera* (inquit Seneca lib. 3. de ira cap. 25.) *ad latratum canis lenta respexit; ingenti scopulo fluctus assultat, qui non irascitur, inconcussus iniuria persistit, qui irascitur motus est.* Hæc ille.

4 Audisti sæpiùs in hanc rem illud expendere ex lib. Numer. 14. 17. cùm Deum meritò in prauam plebem iratum, & excandescentem, hásque intorquentem minas *feriam igitur eos pestilentia, atque consumam*; sic post alia Moyses demulcebat, & placabilem facere adnitebatur, *Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut iurasti, dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera, nullúmque innoxium derelinquens, &c. Dimitte obsecro peccatum populi huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ*, quasi ex patientia, & misericordia, diuina nobis fortitudo splendidius, quàm ex rerum creatione, gubernatione illustrissimísque diuinæ dexteræ prodigiis innotescat: vnde quidem adeò fuit efficax atque opportuna hæc Mosis allocutio, vt nulla interposita mora, nullo ea de re interiecto verbo responderit Dominus, *Dimisi iuxta verbum tuum*; nec contentus vtcúmque dixisse, iureiurando id etiam firmauerit, & inclytam apud homines toto terrarum orbe hinc sibi orituram gloriam hunc in modum asseruerit, *Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra.* At enim verò aliquid aliud forsan est, quod in hanc rem obserues in illo verbo *magnificari*; dixeris enim satis fuisse prædicto sensui ponere, *ostēdatur, innotescat*; plus verò esse *magnificetur*; quasi misericordia, & ex illa, fortitudo quodammodo vltra debitos fines extendi, ac dilatari videatur. Ergo crediderim Chaldæo Paraphrasti, quem statim afferam subnixus, Mosem, dum pro populo orabat, vidisse nonnullos ex illo pœnitentia compunctos veniæ petendæ insistere, alios verò obstinato adhuc animo in peccatis suis voluptatibus illectos perdurare: cúmque quasi bona mater de grauiori horum ęgritudine vehementiùs commoueretur, enixiùs à Deo petiisse, vt quemadmodum pœnitentibus veniam, ita his supernam, ac cœlestē lucem, qua peccati fœditatem cognoscerent, dignósque pœnitentiæ fructus facerent, misericorditer impertiret, vt dum non modò subiectæ ceruici, sed rectæ etiam, atque obstinatæ misereretur, & immerentibus veniam daret, ipsius misericordia, ac proinde fortitudo plus plus innotesceret, & magnificentiùs splenderet. Sed audi Chaldæum illis verbis: *nullúmque innoxium derelinquens*, sic hærentem: *Dominus patiens, & multum benefaciens, dimittens iniquitates, & scelus, parcens eis, qui conuertuntur ad legem eius, & eos qui non conuertuntur iustificat*: vt exprimere videatur illam Christi Domini locutionem de renuentibus venire ad nuptias, *Compelle intrare*, Lucæ 14. 23. sitque sensus, subiectis parcere humana, immò & leonina fortitudo est: nam

Chald. Paraph.

Lucæ 14. 23.

Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Ouidius lib. 3. de trist. eleg. 5.

Diuina verò fortitudo illustriùs, & magnificentiùs prælucere debet, quæ non prostratis solùm, sed rebellibus, atque bellantibus misereatur.

Apto iam hic alteram ex expositionibus, quam illi consecutioni Salomonis, *misereris omnium, quia omnia potes*, reddebat P. Viegas, quòd iram posse cohibere, & peccantibus parcere, excelsum quendam, ac generosum animum, qui impotens sui non sit, sed potens maximè ad sibi, quidquid tandem acciderit, imperandum, præ se ferat: ac proinde egregiam hanc Dei patientiam, immensam ipsius magnitudinem declarare: quæ quidem ratio fortitudinis est propria, siue ex fortitudine omnino patescit; eam verò optimè firmant Ambros. lib. 1. officior. cap. 36. & Themistius orat. 9. in laudem Valentis. Sic prior: *& re vera iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur.* Sic Ambrosius, Themistius verò: *Hoc enim optimè intellexisse videris, & si ingentes in Principe animos inesse oporteat, tamen ingentes illos animos, obedientes esse debere, vt ratione quoquò velis flectantur. Quorum vim atque impetum vbi semel deferbuerint, reuocare non magnæ, sed pusillæ potiùs abiectæque mentis est*: vnde M. Tullius in orat. pro M. Marcello Cæsaris fortitudinem, ingénsque robur, ac vires, bellicámque virtutem ea maximè ratione probat, ac prædicat, quòd se ipsum vicerit, Marcello inimicissimo sibi quondam hosti facile, ac liberaliter ignoscens; contrà verò Seneca Alexandrum grauiter insectatur, & tanquam imbecillum ac debilem reprehendit, quòd totum terrarum orbem armorum potentia domans, ab ira sui impotens vinceretur. Nec pigebit vtriusque verba, quòd valde sint opportuna, appingere. Sic ergo Cicero: *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ, & naturam, & conditionem, vt vinci possent, habebant: nulla est enim tanta vis, tantáque copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari frangique possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.* Iam aduersis vestigiis ira de Alexandro Seneca epist. 113. *Alexander Persas, & Hyrcanos, & Indos, & quidquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat, fugabátque, sed ipse modò occiso amico, modò amisso iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mœrens, victor tot regum, atque populorum, iræ, tristitiæque succubuit: id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestatem, quàm affectus.* Nec moraliter tantùm, sed physicè etiam, vt aiunt, hæc cape, nec aliquid fortitudini adeò aduersari, quàm iram, hac ratione scito. Audi eundem Senecam lib. 1. de ira cap. 11. *Sed aduersùs hostes, inquit, necessaria est ira. Nusquam minus; vbi non effusos esse oportet impetus, sed temperatos, & obedientes. Quid enim est aliud, quod barbaros tanto robustiores corporibus, tanto potientiores laborum comminuat, nisi ira infestissima sibi? Gladiatorum quoque ars tuetur, ira denudat, &c. Quid Cimbrorum, Theutonorúmque tot millia superfusa Alpibus, ita sustulit, vt tanta cladis notitiam ad suos non nuntius, sed fama pertulerit, nisi quòd erat illis ira pro virtute, quæ vt aliquando perculit, sternitque obuia, ita sæpius sibi exitio est.* Subdit, in nostram ne laudem, an in vituperium? *Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriuntúrque*

5 (margin) · Viegas. · Ambros. Themist. · M. Tull. · Seneca. · Idem.

quo

quorum vnica illis cura est in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? vt quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouisa sunt, non suffugia aduersus perpetuum cœli rigorem. Hos tamen Hispani, Gallique, & Asiæ Syriæque molles bello viri antequam legio visatur, cædunt, ob nullam rem aliam opportunos, quàm ob iracundiam. Hæc, & multo plura ibi Seneca.

6. Præsentia hæc erant Salomoni Prouerb. 16.32.

Prou. 16.32.

asserenti. *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore vrbium.* quæ clariora

LXX.

fecerunt LXX. reponentes: *Melior vir longanimis forti, & qui continet iracundiam, melior est, quam qui vrbem capit:* vbi manifestè de maiori fortitudine, ac robore sensu iam dato sermo est, quasi fortior, valentiórque Cæsar fuerit iracundiam cohibens, quàm gentes barbaras, ac præferoces, subiiciens, ignauísque ac infirmi animi Alexander ab ira deuictus, quamuis orbem domauerit atque subegerit. Sed meritò ambigas: cur hæc fortitudo, quâ iram quis regit, & vincit præstantior illa quæ vrbes expugnat, ac demolitur, iure habeatur? Respondet autem Greg. Magn. 35. in Euang.

Greg. Magn.

Minor est ergo victoria, vrbes expugnare, quia extra sunt, quæ vincuntur. Maius autem est, quod per patientiam vincitur, quia ipse à se animus superatur, & semetipsum sibimetipsi subiicit, quando eum patientia in humilitate tolerantiæ sternit. Benè quidem. Sed illud mihi perplacet, quod suggerit Venerabilis

Vrban. Pont.

Vrbanus Pontifex in Metaphrasi in Psal. 50. ideo nimirum excellere, qui iram vincit, quòd qui cum externo hoste concertat, tam animi, quàm corporis, armorúmque ac telorum fortitudine vtatur, omnésque interiùs, atq; exteriùs in pugnam neruos contendat; qui verò cum ira luctatur, eámque subiicit, solis aduersùs eam animi viribus decertet, ac pugnet. Sic nempe Pontifex: *Cum quis contra populos, & vrbes decertat, totus simul interior, & exterior homo pugnat, & si expugnat, non magnum videtur coronam de tali victoria meruisse, eò quod extra illam sunt quæ vincuntur. Qui autem contra proprium animum virtute sapientiæ in se certat, non totus, sed minor quam dimidius dimicat.* Sic ille. Quòd si viro summa dignitate, & eximia sapientia conspicuo, infirmæ conditionis hominem, nullísque animi, aut corporis dotibus opem ferre liceat, dixerim; pro Pontifice Salomonem apertis tibiis fideiubere, illáque verba, *qui dominatur animo suo*, si Hebraïco textui, vt optari par est, respondeant, non in tertio casu, sed in ablatiuo capienda esse: Hebraïcè si quidem habetur, qui *dominatur spiritu suo*, vt sensu ab Vrbano dato dicatur, qui in inito cum iracundia certamine solo spiritu pugnat, ac vincit.

7. Componebat Magnus Cassiodorus lib. de Amicitia, pulcherrimas septem virtutes cum septem primæuis creationis diebus, vt vnicuique diei virtutem propriè respondentem accommodaret, & quidem cùm in quintam diem, in quâ pisces creati sunt

Genes. 1.20.

(sic enim Genes. 1.20. de quinta die: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*) oculos coniecit; non aliam illi virtutem, quàm fortitudinem assignauit, inquiens, *Fortitudo sit dies quintus.* Quòd si reclames, hæc sibi non rectè conuenire cùm fortitudini aptior multo illa videatur dies, in quâ Deus siue ferocissimas, atque valentissimas terræ bestias leones, tygrides, elephantos, tauros, vrsos, & apros, siue etiam eam, in qua homo, à quo fortissimi Hectores, Achilles, Hercules, Sanson, & alij procreati sunt, in lucem edidisse dicitur; res-

Cassiod.

pondebo ex Cassiodoro nihil in fortitudinis symbolum aptius, & opportunius, quàm pisces excogitari potuisse; quippe quibus sub aquarum, fluctuúmque pondere non vox, non latratus, non rugitus subest; sed muti semper, silentésque persistunt, vt fortissimorum virorum, qui sub aquis tribulationum, contumeliarum, atque iniuriarum in constantissimum silentium componuntur, pulcher typus fuerint. Sed audi totam Cassiodori sententiam. *Fortitudo sit dies quintus, per quem in hoc mari magno, & spatioso quasi pisces spirituales procellosa fluctuum molimina toleremus, & cohibeamus linguæ lubricum sub censura silentij.* Nec latuit

Plutarch.

id quidem Plutarchum, qui in libro *de profectu ab inimicis capiendo* absolutissimè pronunciauit: *Silentium in maledicto res grauis, & Socratica, vel potius Herculea.* Optimè, *vel potius Herculea*; quid enim Herculeum animum, & insuperabile robur ita ostendat, quàm *in maledicto silentium*? Ita quidem in Domini Passione admirandum silentium

Matth. 27. 14.

obseruatum Matthæo est cap. 17. 14. & ab Ambrosio ad diuinum Christi robur, egregiúmque

Ambros.

de hostibus reportatum triumphum ita relatum serm. 17. in Psal. 118. *Calumnia grauis est, & ideo Dominus, quæ sunt grauiora suscepit, & calumniis appetitus silentium detulit triumphale*; pulchrè *triumphale silentium*, quod vt veram, atque diuinam fortitudinem indicat, ita certissimam obtinet victoriam. A Christo autem edoctus S. Eusebius Ver-

S. Euseb.

cellensis Episcop. & M. dum ab hostibus, hæreticis videlicet Ariomanitis, comprehensus, & tetro carcere inclusus, ac vinculis compeditus, multis conuitiis, atque calumniis appeteretur, vt egregiæ animi fortitudinis specimen daret, & sese hostibus valentiorem, & præstantiorem ostenderet, nullum illis verbum respondere apud se statuit, vt ipsemet in epistola, cui titulus, *dum esset in exilio, ad presbyteros, & ad plebes quasdam Italiæ transmissa*; sic ait: *His ergo multa dicentibus, & de sua potestate gloriantibus in hoc illis ostẽdere volui, quia nihil erant, nec poterant dum tacens, vt carnificibus corpus tradidi*, &c. & post pauca: *Quàm libero autem fuerim animo, dum ab ipsis patior, & recludor, & per quatriduum seruor, & diuersorum increpationes, & persuasiones audio, in hoc ostendi, quia nec vnum sermonem dixi.* Vides quintæ diei, siue fortitudinis opus, piscem mutum procellosa fluctuum molimina tolerantem, & cohibentem linguæ lubricum sub censura silentij?

Firmat id tum auri natura, tum arcana significatio, ad iustorum examen, siue probationem relata: sic enim de iustis tribulationum igne examinatis atque exploratis Sapientiæ 3.5. *Quoniam* 8.

Sapient. 3.5.

Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, tanquam aurum in fornace probauit illos: vbi non dubium, quin ad iustorum dignitatẽ, & summum pretium significandum à Salomone aurum assumatur, dicẽte Petro 1. epist. c. 1. 7. *vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro, (quod per ignẽ probatur) inueniatur*, &c. sed fuerit operæ pretiũ nosse, quid sit in causa, cur aurum omnium metallorum præstantius, & dignius habeatur? Dixi ad id loci Sapientiæ ex

1. Petr. 1.7.

Plinio lib. 33. c. 3. quòd *rerum vni nihil igne deperit, tutò etiam in incendiis, rogisq; durante materia.* Id

Plinius.

autem quid fuerit, nisi aliis metallis fortius, & valentius esse, ac proinde optimo merito ad fortissimos Martyres (de quibus Salomoni potissimum sermo est) denotandos assumi? Sed quorsum hæc? Sanè, vt noueris proprium fortitudinis opus silentium, & patientiam esse: nimirum, (quod ad cap. 1. vers. 13. adnot. 2. num. 8. ex Venerabili Galfrido dixisse me memini) *aurum percussum silet.* Hinc

Galfrid.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Hinc Ieremias de egregio,& forti viro, qui *dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobrijs*, notanter ait: *Ponet in puluere os suum, si fortè sit*
Thren. 3. 29. Ambros. *spes*, Thren. 3. 29. Quæ Ambros. serm. 10. in Psal. 118. sic primum legit: *Dabit in sepultura fossuram os suum, si tamen est spes patientiæ*; deinde hunc in modum explicat: *Ostendit quandam supra modum patientiæ taciturnitatem, vt tanquam sepeliat os proprium ne loquatur, & velut quodam aggere virtutum obstruat, ne vocem doloris emittat*: virtutum aggerē, velut æneum ac fortissimum murum voci oppositum, quòd insuperabile, & fortius metallum *aurum percussum* sileat; contrà ve-
Corn. Tacit. rò, vt est apud Cornel. Tacit. lib. 1. histor. *ignauissimus quisque, & (vt res docuit) in periculo non ausurus, nimij verbis, lingua feroces.*

9. Ezech. 3. 8. Adstipulatur Dominus Ezechielis 3. 8. vbi Vatem ad concionandum incredulæ, & exasperatrici plebi, siue ad illi repugnandum missurus, sic eum primum munit, atque armat, vt victoriam in manu repræsentet, & ponat: nam cùm dixisset, *Domus autem Israël nolunt audire te, quia nolunt audire me, omnis quippe domus Israël attrita fronte est, & duro corde*; subdit, *ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Quæ ergo prophetæ facies? quæ frons hostium fronte durior, atque valentior? *vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam, ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Sed
LXX. obserua apud LXX. solum haberi, *& erit semper*
Pagninus. *firmior petra*; Hebraicè verò, vt Pagninus transtulit, esse, *vt adamantem fortiorem silice dedi fron-*
Lect. Tigur. *tem tuam*: ad quem etiam modum habet Lectio Tigurina: *sicut adamantem; qui silice durior est, reddidi faciem tuam.* Vbi si attendis, Prophetæ hostes cum silice componuntur, quòd iracundi hominis, & ad vindictam proni perbellus typus sit, quippe percussus incalescit, scintillas vibrat, & vomit, vt proxima quæque vrat, ac incendat; vnde Ambros. lib. 1. offic. cap. 21. dum patientiæ
Ambros. præcepta daret, sic dicebat. *Non respondeas irato ad iracundiam suam, citò culpam excutit, si lapides teras, nónne ignis erumpit?* Vates verò adamanti, qui, quod indomabili sit duritia, malleis non cedens, imò ipsos frangens, egregium patientiæ symbolum apud sacros, & profanos haberi consueuit; notanter comparatur, vt patientia, & lenitate inimicis suis iræ furore percitis longo interuallo fortior, ac valentior, ipse appareat; omnia enim adamas, indomitus ipse semper, tandem domat, atque confringit; de eo enim sic Plinius
Plinius. lib. 37. cap. 4. *Incudibus hi deprehenduntur, ita respuentes ictum, vt ferrum vtrinque dissultet, incudésque etiam ipsæ dissiliant. Quippe duritia inenarrabilis est, simúlque ignium victrix natura, & nunquam incalescens. Vnde, & nomen, indomita vis, Græca interpretatione accepit.* & paulo inferiùs, *duarum violentissimè naturæ rerum, ferri, ignísque contemptrix.* En patientiæ faciem duriorem valentiorémque silice, iracundiæ scintillas expuente: vnde Seneca lib. in sapientem non cadere iniu-
Seneca. riam cap. 19. sic huic rei opportunus ait. *Quo quisque honestior genere, fama, patrimonio est, hoc se fortius gerat, memor in prima acie altos ordines stare, contumelias, & verba probrosa, & ignominias, & cætera dehonestamenta, velut clamorem hostium ferat, & longinqua tela, & saxa sine vulnere circa galeas crepitantia, iniurias verò, vt vulnera alia armis, alia pectori infixa non deiectus ne motus quidem gradu sustineat.* Ira ille, totam fortitudinem eò reuocans, vt patienter, & sedato animo ignominias, & iniurias perferamus. Disce à Gentili Christiane, vel erubesce: immò erubesce, & disce.

Iam à contrario nihil imbecillius, aut magis ignauum, quódque confractum, atque exiguum animum ita denotet, quàm irasci, & ad vltionem accendi, & anhelare. Quò in primis maximè facit quod ad vers. 12. adnot. 7. num. 6. ex Dauide Psal. 54. 9. attulimus, homines qui turbines, ac tempestates cient, atque iræ impetu siue furore omnia commouent, & propulsant, maria cœlo miscentes, ac terram à suis sedibus eradicantes, & transferentes, pusillanimes, minutos, ac vilissimos esse; dicebat siquidem Psaltes, *exspectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate*: vbi ex Hebræo legi potest, *à vento vehementius tumultuante, quam tempestas*; siue, *à spiritu eradicationis, propulsionis, siue translationis*, pro vna, eadémque re, & has turbatissimi animi tempestates, & turbines, ac pusillanimitatem, & deiectionem animi reponens Dauid: sicuti Salomon Prouerb. 18. 14. *spiritum ad irascendum facilem*; (sic enim habet Noster Vulgatus.) Hebraicè, vt legit Pagnin. dixit *percussum*, siue vt LXX. transtulerunt, *pusillanimem*: vel vt Chaldæus *demissum*.

10. Psal. 54. 9. Hebræa lect. Prou. 18. 14. LXX. Chald. Hebr. lect. Iuuenal.

——— *quippe minuti*
Semper, & infirmi est animi, exiguique voluptas
Vltio; continuò sic collige, quòd vindicta
Nemo magis gaudet, quam fœmina.

Optima sanè confirmatio, &, vt cætera mala, prauásque animi affectiones à se ipso, siue à primo parente homo hauserit, iram tamen signatè à muliere, tanquam certissimum diuturni in eius ventre domicilij pignus, accepisse videtur: quod non obscurè affirmauit Iob cap. 14. 1. aiens: *Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* obserua verò pro, *repletur multis miserijs*, Hebræa habere, *saturus ira*. LXX. similiter, *plenus iracundiæ*: vbi præterquam, quòd *ira* pro *multis miserijs* ponitur, quasi earum omnium loco sit, vt inferiùs expendo, notanter huic sententiæ proponitur, hominem de muliere natum fuisse, vt iracundiam tanquam hæreditarium vulnus ex ipsius visceribus extraxisse norit. Quò placet referre quod Strabo lib. 9. refert cùm inter Bæotos, atque Pelasgos super quodam facinore plectendo grauis oborta lis fuisset, Pelasgósque duarum vatum siue sacerdotissarum iudicio id permitterent; Bæotis ex diuerso allegantibus leges nullibi iudicium fœminis deferre; sic inter ipsos tandem pactum fuisse, vt totidem viri iudices adiungerentur, ea ex omnium consensione lege, quòd si virorum absoluentium, mulierúmque damnantium æquales essent numero sententiæ; eorum qui absoluerent calculi superiores, exsisterent. quod non eò reuoco quasi in re dubia potius apud illos absoluendi, quàm damnandi consilium esset: id enim ad Romanorum ius atque prudentiam barbaris ignotam pertinuisset, sed quod naturali luce animaduertisse, & tanquam certum apud illos constitutum crediderim, mulieres viris ad vltionem, atque vindictam proniores esse futuras.

Iob. 14. 1. Strabo.

Probarunt id aucto quidem censu nobilissimi Philosophi, Aristot. Seneca, Plutarch. ac Themistius. nam fœminis in iræ infirmitate, pueros, senes, ægros, siti, faméque laborantes, & si quæ infirma, atque vilissima animalcula sunt, mures, formicas, & denique amantes pueris, senibus, ægris, sitientibus, & famelicis, muribus, formicis multò infirmiores, consortes, atque collegas assigna 11.

Seneca.

gnarunt. Nec strictim, sed copiosè omnia hæc, prout his valentissimis saxa, ac montes eradicantibus sum infensus, adducere, & enumerare est animus, & primum quidem sic Seneca durus iratorum mastyx lib. 1. de ira cap. 16. *Contrà mihi videtur, veternosi, & infelicis animi, imbecillitatis sibi conscij, sæpe indolescere vt exulcerata, & ægra corpora, quæ ad tactus leuissimos gemunt, ita ira muliebre maximè, & puerile vitium est. At incidit, & in viros. nam viris quoque puerilia, ac muliebria ingenia sunt.* & eodem lib. cap. 9. *Irascuntur boni viri pro suorum iniurijs? Sed idem faciunt, si calida non bene præbeatur, si vitrum fractum est. si calceus luto sparsus est. Non pietas illam iram, sed infirmitas mouet: sicut pueri, qui tam parentibus amissis flebunt, quàm nucibus. Irasci pro suis non est pij animi, sed infirmi.* Similiter Plato lib. 4. de Repub. dum rationalem partem, à concupiscibili distinguit, sic ait. *Nam, & in pueris hoc aliquis videat, qui statim atque nati sunt, ira quidem pleni apparent, ratiocinationis verò, meo iudicio, quidam nunquam compotes fiunt,* &c. Ita Plato: ad cuius gustum Themistius orat. 9. post citata superiùs verba: *Quorum vim, atque impetum, vbi semel deferbuerint reuocare, non magnæ. sed pusillæ potiùs, abiectæque mentis est*: subiicit, *veluti si puer vulnus sine dolore iam sanatum fodicet iterum, & in vociferando tempus consumat; cùm adhibere remedium, atque ita liberari, sit cõsultius.* Sic Themist. tacito siue surdo verbere crudelem, ac proinde puerilem, atque muliebrem Tiberij Principis animum cædens, de quo Tacitus lib. 4. Annal. *Sed in animo reuoluente iras, etiam si impetus offensionis langueret, memoria valebat*; sed hunc opportuniùs perstrinxit S. Valerianus Episcop. hom. 12. *de bono conseruandæ pacis*: inquiens, *scimus quidem dilectissimi, quòd aliquoties in contẽtione verborum laceratis auribus corda suspirant, sed ipse sibi iniuriam facit, qui litigiosi hominis verba custodit; ipse se maculat, qui alterius dicta queritur in se fuisse collata.* Iam in hanc iratorum, seséque vlciscentium infirmitatem, & abiectionem animi ad naturalis Philosophiæ calculos. Iam idem Seneca, quam Aristoteles, atque Plutarchus reuocant. Ita enim primus lib. 1. de ira cap. 13. *At qui iracundissimi infantes, senésque, & ægri sunt, & inualidum omne natura querulum est,* & lib. 2. de ira cap. 19. *Senes, difficiles, & queruli sunt, vt ægri, & conualescentes, & quorum aut lassitudine, aut detractione sanguinis exhaustus est calor. In eadem causa sunt siti, faméque rabidi, & quibus exangue corpus est, malignéque alitur, & deficit.* Ad quem modum Plutarc. lib. de non irascendo; *Vt enim vlcus aut tumor affectus est plagæ alicuius magnæ in carnem inflictæ, sic in mollissimis animus inclinatio ad dolendum exprimit, & effert maiorem iram à maiori imbecillitate; ideóque fœminæ maribus iracundiores sunt, & incolumibus languidi, & iuuenibus senes, & felicibus ærumnosi.* Iam Aristot. è cuius patera omnes biberunt lib. 2. Rhetor. cap. 2. *fessi, aut ægri, egentes, amantes, sitientes, vniuersè dictum cupientes, & non assequentes, iracundi sunt, & moueri faciles.* His mures & formicas, quibus nihil vilius, sic adiungit Seneca lib. 2. de ira cap. 34. *Pusilli hominis, & miseri est repetere mordentem: mures, & formicæ si manum admoueris, ora conuertunt: imbecilli à se lædi putant, si tanguntur.* Vnde Græcus Menander,

At feruidum istud, atque exasperans nimis
Infirmitatis omnibus statim nota est.

Plato. — Themist. — C. Tacitus. — S. Valer. — Seneca. — Aristot. — Seneca. — Menand.

Adnotatio VII.

Iniurias suas liberaliter condonantes simplices Dei filios digna tanto nomine sapientia se exhibere.

QVi cœlestem Patrem vitæ probitate & dignitate refert, vera sapientia præditum, conspicuúmque fore, necesse est; quippe, vt ex Nazianz. in Apolog. alicubi vidimus, 1.
sapientia, quæ omnia regit, complexúque suo quidquid vsque laudabile est & præclarum tenet, adeo vt ipse quoque Deus, quamuis permultis nominibus vocetur, hoc tamen nomine impensius quàm vllis alijs delectetur; & verò tam propriam hanc mitis, atque benigni animi dotem, ac laudem esse, vt ex patientia tanquam lydio lapide velut è vena rapiatur experimentum, quantum auri sapientiæ in homine sit, & scrupulari differentia mirabili ratione non fallente dignoscatur, sic monuit disertissime Salomon Prouerb. 19. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur*; hoc est, ex hominis patientia, ac mansuetudine eius sapientia, ac prudentia sit. manifestè deprehenditur (libet perbellam sententiam efferre Hispanè: *Tanto tiene vn hombre de cuerdo, quanto tiene de sufrido*) Salomonem sic elucidante Gregor. Magno. hom. 35. in Euang. *Per impatientiam autem vitium, ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur: scriptum namque est,* Doctrina viri per patientiam noscitur. *Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si viuendo nesciat æquanimiter aliena mala tolerare.* Nec minus clarè Hebraïco fonti hæc sententia inest; vbi habetur: *Intelligentia hominis differre facit iram eius.* ac si dicatur; proprium sapientiæ ac prudentiæ munus esse; iram cohibere, atque animum reddere mitem, ac placidum. Quare optimè ait Chrysost. hom. 54. in Genes. *Hoc certissimum signum, quo inter noscitur vir ratione preditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis. si non quasi seruus ducatur, aut ab ira, aut ab alys affectionibus, sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilémque suam generositatem seruet. nec in brutorum ferociam degeneret.* Ita quidem S. Valerianus Episcop. Cemel. hom. 12. *de bono conseruandæ pacis*; dicebat, *& verè dilectissimi, difficile est, vt accepta iniuria dolor non in quacunque parte corporis desæuiat. Sed sapientis est, superuenientem dolorem, aut patientes ferre, aut fomentis mollioribus temperare.* Vnde Cyprian. lib. de bono patientiæ; hanc cum sapientia ita coniunxit, vt quòd Ethnicos falsam habuisse patientiam crediderit, falsam etiam ipsorum sapientiam fuisse tanquam certissimo indicio deprehenderit. Ita enim ille: *Hanc (patientiam) se sectari Philosophi quoque profitentur, sed tam illis patientia falsa, quàm falsa sapientia est.* quasi dixerit, si vera illis inesset sapientia. veram patientiam habuissent: sed vt illa iis defuit, hanc quoque abesse necesse fuit. Nec abnuunt ipsimet Gentiles, quorum vnus inquit:

Cùm duo inter se loquuntur, & irascitur alter
Is qui se irati huius verbis nõ opponit sapientior est.

& alter, *Nihil neque iucundius, nec docto viro dignius est, quàm posse conuitium ferre.* Nec alio iuerit Seneca lib. 3. de ira cap. 30. vbi cùm dixisset, *Friuolis turbamur, & inanibus: taurum color rubicundus excitat, ad vmbram aspis exsurgit: omnia, quæ natura*

Naziang. — Prou. 19. 11. — Gregor. Magnus. — Chrysost. — Valer. — Cyprian. — Euripides in Protesilao, Philemon nec dicitur in Phi... [illegible]

ra fera, ac rabida sunt, consternantur ad vana, subdit, *idem quoque inquietis, ac stolidis ingenijs euenit: rerum suspicione feriuntur, adeò vt iniurias vocent modica beneficia.* Discertissimè, & pro sæculi vsu dum plures rixæ, & contentiones ex suspicionibus, atque hæ ex ingeniorum stoliditate oriuntur.

2. Sanè, si rem attentiùs consideres, vni patientiæ, & intelligentiæ, quæ, vt dicebat Salomon, differre facit iram, sapientiæ cathedra, & magisterium perhibetur. Nec aliud innuere videtur Dominus ex throno super cherubim, quasi è sapientiæ cathedra (nam cherubim denotat plenitudinem scientiæ) mitissima responsa reddens, & acrem seueritatem differens; sic enim diuinum
3.Reg 8.6. oraculum depingitur lib. 3. Reg. cap. 8.6. *& intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi in sanctum sanctorum subter alas cherubim. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius desuper.* Quid verò in arca fœderis conclusum
Ad Hebr. 9. 4. esset, obserua ex Paulo ad Hebræos 9.4. *in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti;* vbi tabulis legis adiuncta virga debitum transgressoribus iniungendum supplicium non obscurè indicat. Sed enim dum cherubini alas suas super arcam expandere, atque protegere dicuntur, quasi obnitentes, ne virga ad peccatores plectendos ex arca extrahatur, apertè monemur ad diuinæ sapientiæ plenitudinem maximè pertinere, diuinam punitionē differre, ciúsque opus esse, supplicia impedire, atque vltionem cohibere. Ad quem sanè modum Dauid dum omnium sapientissimus in cathedra solióque sapientiæ ad docendū maximè idoneus inducitur, quasi tenerrimus ligni vermiculus ad iniurias suas condonandas, & bona pro malis reddenda, esse
2.Reg.23 8. perhibetur, 2.Reg.23.8. sic enim ibi, *Hæc nomina fortium Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni ver-*
Chald. *miculus.* quæ de Dauide esse accipienda, tam Chal-
Hieron. dæus, & Hebræi apud Hieron. in tradit. in lib. 1.
Lyra. Paralip. quàm Lyra, Dionys. & alij affirmant: vt vel hinc videris carnalis sapiētiæ cathedram, quæ vltionis doctrinam, eiúsque modos, & articulos docet, non pestilentiæ solùm, sed inscitiæ, stultitiæque cathedram esse: vnde Ecclesiastes cap. 7.
Eccles. 7. 10. 10. eleganti, & quæsita locutione dixit, *ira in sinu stulti requiescet.* nam ex significatione, & vsu vocis *sinus*, quæ denotat; vel id quod est medium, vel quod blando amore complectimur, sic
Deut. 13.6. de vxore tenere amata dicitur Deuter. 13.6. *vxor*
2.Reg. 12. 3. *quæ est in sinu tuo*, & 2.Reg. 12.3. *& in sinu illius*
Prou. 5 20. *dormiens*, & Prouerb. 5.20. *& foueris in sinu alte-*
Eccles 9.1. *rius*, & Ecclesiast. 9.1. *Non zeles mulierem sinus tui*, &c. nec non ex formula requiescendi, quæ propriissimè dicitur de eo, quod in proprio loco, & centro suo quiescit, & manet; germanus huius loci sensus est, iracundiam, atque vltionem, naturalem & propriam stulti hominis esse, quem velut proprium centrum, vel tanquam legitimum coniugem illa petit: dicas Hispanè coniugali formula, *Para en uno son*; cui sententiæ valde affi-
Prou. 27 3. nis est illa Prouerb. 27.3. *graue saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior*; siue, vt ex
Pagnin. Hebr. Pagnin. *Grauitas est saxo, & pondus est arenæ, sed ira stulti grauior est vtroque*: vt sensus sit tam saxo, quàm arenæ propriam inesse grauitatem quā centrum petant; sed multo maiorem esse grauitatem pondúsque iræ in sinu stulti requiescentis, quod à centro suo nequeat diuelli. Certè, si rem calles, hinc Paulus, qui iram homini alienam non esse optimè nouerat; sapientem ab stulto discriminabat, si placabilem, breuémque iram haberet, sic enim ad Ephes. 4.26. *Irascimini,* Ad Ephes. 4. 26.
nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram; etenim dum eam iræ mensuram dedit, vt cum die orta cum die decideret, acutè innuit aduentitium homini morbum, hoc est, qui ipsum tanquam naturalem locum, siue centrum non petat, siue qui Solis calore, sapientiæ scilicet monitis coërceatur. Cui cogitationi opportunissimus dixit Seneca lib. 1. de ira cap. 16. *Iram sæpe miseri-* Seneca.
cordia retro egit: habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem, violentisque principijs vtitur: non aliter, quàm qui à terra venti surgunt, & fluminibus, paludibúsq; concepti, sine pertinacia vehementes sunt. Sed quæ ipsemet de eisdem ventis breuem nec duraturum impetum habentibus scribit lib. 5. q. natur. c. 8. audi: *Omnis illorum vis conspectu Solis extinguitur: etiamsi vehementiores flauere, circa medium tamen diem relanguescunt nec vnquam vsque in meridiem aura producitur.* En humanam iram, quæ ab ira stulti longissimo interuallo differt: nam vt hæc diuturna, & grauissima, quia naturalis, & centro suo hærens, ira illa breuis, atque placabilis, quòd violentis principiis concepta, & extra proprium locum euagetur.

Et verò virum patientem, ac mansuetum germanum sapientiæ partum esse, vel de ipsius facie 3.
cumprimis noueris Salomone attestante. *Sapien-* Eccles 8.1.
tia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit. Eccles. 8.1. vbi antithesi posita
LXX. *sapientia hominis illuminabit vultum eius, &* LXX.
imprudens vultu suo odietur. Quid enim fuerit sapientiam in hominis vultu lucere; nisi eius faciem decore mansuetudinis, & serenitatis pulchritudine splendescere? Ita Montanus, & Thuanus apud Ioan. Pinedam ad id loci, quorum prior:

— Hominis faciem sapientia luce Arias Mont.
Perfundit, mutátque oras, vultúmque superbum,
Atque supercilium demit, redditque modestum.

Alter verò,

Nempe micat rosea sapientis fronte coruscus Thuan.
Fulgor, & ex vultu feritas, ac ruga recessit.

Sunt verò ad hanc rem hi Claudiani versus etiam aptissimi in Panegyrico Malliano pulchrum sapientis vultum ex patientia, & tranquillitate sic delineantis.

Seruat inoffensam diuina modestia vocem, Claudian.
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas,
Nulláque mutati tempestas proditur oris,
Quin etiam fontes expulsa corrigit ira
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

En patientiæ, sapientiæque pulchritudinem in hominis facie splendentem: oppone huic imprudentis vultum, qui, vt LXX. aiunt, non potest LXX.
non inuisus esse. Hunc certè impatientia, atque ardore vindictæ ferum, trucem, ac horribilem obiter videris à nobis ex Seneca depictum ad cap. 1. vers. 1. adnot. 1. num. 13. vide, & denuò illum ira pingentem lib. 3. de ira cap. 4. *Nulli cer-* Seneca.
tè affectui peior est vultus, quem in prioribus libris descripsimus, asperum, & acrem, & nunc subito retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore, ac spiritu verso subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exsilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus. Adijce dentium inter se arietatorum, & aliquem edisse cupientium, non alium sonum, quam est apris tela sua attritu acuentibus. Adijce articulorum crepitum, cum

seipsa

seipsa manus frangunt, & pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractósque altiùs gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdúmque compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Hæc ille. Nec omittenda quæ in vtramque partem sic diffundit lib. 1. de ira cap. 16. *Habet iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit, insequitur adiectis conuitijs, maledictisque. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens, quietáque totas domos funditus tollit, & familias Reip. pestilentes cum coniugibus, ac liberis perdit, tecta ipsa diruit & solo exæquat, & inimica libertati nomina extirpat. Hæc non frendens, nec caput quassans, nec quidquam indecorum iudici faciens: cuius tunc maximè placidus esse debet, & in statu vultus, cum magna pronunciat.* Hactenus Seneca.

4. Sed iam inquiris, quæ patientiæ, & iniuriarum condonationi cum sapientia coniunctio siue affinitas? cuius rei non vnam, sed multiplicem rationem placet reddere. Atque vt illam quidem licèt non contemnendam, leuissimè tangam, quam tradidit Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 296. obiecta alicui probra & contumelias eius patientia, & silentio dilui, atque exarmari sic adstruens, *& optimum apud omnes calculum feres, & ea, quæ de te commemorantur, falsa esse demonstrabis. Nam qui indignatur, & exardescit, hoc ipso veras esse contumelias ostendit, qui autem eas irridet, ac pro nihilo ducit, perspicuum argumentum profert nullius sceleris sibi conscium esse.* Quod bene confirmes vel ex iis quæ sub persona Cremutij Cordi annales suos, quibus pungentes inerant aculei, defendentis, ait Tacit. lib. 4. Annal. in hunc modum. *Carmina Biba Bibaculi, & Catuli referta contumelijs Cæsarem leguntur. Sed ipse D. Iulius, ipse D. Augustus, & tulere ista, & reliquere. Haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia: nam spreta exolescunt, si irascare, adgnita videntur,* potiores illi partes defero, quæ hominem ex rerum natura, & veritate res ipsas expendentem, nec ad aliorum opinionem sese accommodantem, ac proinde hac ratione aduersario suo superiorem digniorémque facit, & vt id, sacris momentis sim firmaturus, non possum non incipere à Gentili Seneca, qui lib. 3. de ira cap. 5. sic philosophatur. *Adijce, quòd cùm indignatio eius à nimio sui suspectu veniat, & animosa videatur, pusilla est, & angusta: nemo enim non eo, à quo se contemptum indicat, minor est. At ille ingens animus, & verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit.* Apponit pulchram imaginem: *tela à duro resiliunt, & cum dolore cadentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius est, veluti nulli penetrabilem telo, omnes iniurias, contumeliásque respuere? Vltio doloris confessio est, non est magnus animus, quem incuruat iniuria.* Optimè illud. *Ingens animus, & verus æstimator sui,* qui videlicet dignitatem suam verè æstimat, cognitione, & sapientia præditus, ac proinde iniurias, & contumelias, quibus mediocres animi tantopere commouentur, atque turbantur non tam despicere, quàm complecti, & pluris facere videtur, ex illis patienter toleratis felicem se & clarum, aduersarium verò miserum, atque ærumnosum deputans. Ita certè dicebat Gentilis Plato in Gorgia: *semper eum, qui intulit, eo, qui sustinet, iniuriam esse miseriorem.* Vnde disertissimè Augustini lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 37. *Quid enim prodest, quòd percussus repercutit? Nunquid propterea aliquid, quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat, sanum autem, firmúmque ista non iuuant, quin potiùs misericorditer perferendam alterius infirmitatem indicat, quam alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.* Quà innixus ratione Seneca epist. 71. optandas iniurias ex Socratis sententia sic affirmabat: *Vt sis beatus, & te alicui stultum videri sine, quisquis volet tibi contumeliam faciat, & iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus: si vis beatus esse, si fide bona vir bonus, sine te contemnat aliquis.* Nimirum illo iniuriam tibi inferente, te illam æquanimiter sustinente, egregium dabis sapientiæ documentum, non modò tanquam animum habeas sui compotem, qui de potestate sua, de consilio, de ratione, non excat, qui ingentes generosi pectoris spiritus ratione flectat, & benignitati, humanitati, beneficæque potentiæ subiiciat, sed etiam qui erga eum, qui tibi iniurius extitit, instar peritissimi medici phreneticum, ac furentem ægrum curantis, te geras. Verùm hac de re Chrysologum audi serm. 38. *de iniuria æquo animo toleranda:* vbi cum post multa pulchram hanc imaginem proposuisset, *& si vultis, vt quod diximus pleniùs innotescat, carnalium medicorum loquamur exempla. Nónne quoties miserum hominem choleræ inflammauerit incendium, & dominante febre vesanum reddiderit ægrotátem, turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor viuit? Hinc est quòd frendit dentibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit, atque afficit obsequentes, tunc medicus ad virtutis laudem ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur patientia, tolerantiam sumit, iniurias despicit, morsus sustinet, fert labores, & non leues pœnas patitur, vt à pœna liberet laborantem, fouet oleo, insistit curis, erogat medicinam, certus quòd mercedem honoris, obsequijs repẽset ægrotus, dum receperit sanitatem.* Præsenti instituto sic aptat. *Rogo, quæ maior phrenesis? quæ par dementia? sancti hominis percutere maxillam? mansueti fratris faciem verberare? placidi vultus gratiam tristi liuore perfundere? nudare hominem solo, quo regitur, vestimento? & ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori; angariare hominem suis actibus occupatum? & alienam pœnam suum solatium computare?* ex quibus sic concludit, & monet: *ergo fratres, si talia perpetrantes, grauissima phrenesi laborare cognouimus, obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, tota virtutis pietate portemus, vt, & fratres nostros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium consequamur.* Hactenus Chrysologus.

Porrò hac de causa dum dilectionem inimicorum suis Dominus præscripsit accurata locutione vsus grauioribus inimicitiis maiora beneficentiæ opera sic apposuit: *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:* siue, vt Syrus habet, *orate pro ijs, qui vexant vos cum violentia,* Matth. 5. 44. vbi dum vides simplici inimicitiæ, dilectionem; odio, quod externum grauioris inimicitiæ opus est, beneficentiam: persecutioni verò, atque calumniæ, orationem, ac preces in illius gratiam, qui persequitur, & calumniatur, à Domino opposita, libet inquirere, cur pro grauioribus inimicis orare iubeamur? cum recto charitatis ordini magis videatur consentaneum pro nobis ipsis odio habitis, calumniis, & persecutioni obnoxiis, ac vexatis orationem, ac preces fundere, ne in angustum insidiarum, & tribulationum redacti patientiam amittamus: sicuti ad ea Psalmi 108. 4. verba 5.

Marginalia: Isidor. Pel. — C. Tacit. — Seneca. — Plato. — August. — Seneca. — Chrysol. — Matth. 5. 44. Lect. Syriac.

ra fera, ac rabida sunt, consternantur ad vana, subdit, *idem quoque inquietis, ac stolidis ingenijs euenit: rerum suspicione feriuntur, adeò vt iniurias vocent modica beneficia.* Disertissimè, & pro sæculi vsu dum plures rixæ, & contentiones ex suspicionibus, atque hæ ex ingeniorum stoliditate oriuntur.

2. Sanè, si rem attentiùs consideres, vni patientiæ, & intelligentiæ, quæ, vt dicebat Salomon, differre facit iram, sapientiæ cathedra, & magisterium perhibetur. Nec aliud innuere videtur Dominus ex throno super cherubim, quasi è sapientiæ cathedra (nam cherubim denotat plenitudinem scientiæ) mitissima responsa reddens, & acrem seueritatem differens; sic enim diuinum oraculum depingitur lib. 3. Reg. cap. 8.6. *& intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi in sanctum sanctorum subter alas cherubim. Siquidem cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes eius desuper.* Quid verò in arca fœderis conclusum esset, obserua ex Paulo ad Hebræos 9.4. *in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti;* vbi tabulis legis adiuncta virga debitum transgressoribus iniungendum supplicium non obscurè indicat. Sed enim dum cherubini alas suas super arcam expandere, atque protegere dicuntur, quasi obnitentes, ne virga ad peccatores plectendos ex arca extrahatur, apertè monemur ad diuinæ sapientiæ plenitudinem maximè pertinere, diuinam punitionē differre, eiúsque opus esse, supplicia impedire, atque vltionem cohibere. Ad quem sanè modum Dauid dum omnium sapientissimus in cathedra solióque sapientiæ ad docendū maximè idoneus inducitur, quasi tenerrimus ligni vermiculus ad iniurias suas condonandas, & bona pro malis reddenda, esse perhibetur, 2. Reg. 23.8. sic enim ibi, *Hæc nomina fortium Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus,* quæ de Dauide esse accipienda, tam Chaldæus, & Hebræi apud Hieron. in tradit. in lib. 1. Paralip. quàm Lyra, Dionys. & alij affirmant: vt vel hinc videris carnalis sapiētiæ cathedram, quæ vltionis doctrinam, eiúsque modos, & articulos docet, non pestilentiæ solùm, sed inscitiæ, stultitiæque cathedram esse: vnde Ecclesiastes cap. 7. 10. eleganti, & quæsita locutione dixit, *ira in sinu stulti requiescet.* nam ex significatione, & vsu vocis *sinus*, quæ denotat; vel id quod est medium, vel quod blando amore complectimur, sic de vxore tenere amata dicitur Deuter. 13.6. *vxor quæ est in sinu tuo*, & 2. Reg. 12.3. *& in sinu illius dormiens*, & Prouerb. 5.20. *& foueris in sinu alterius*, & Ecclesiast. 9.1. *Non zeles mulierem sinus tui*, &c. nec non ex formula requiescendi, quæ propriissimè dicitur de eo, quod in proprio loco, & centro suo quiescit, & manet; germanus huius loci sensus est, iracundiam, atque vltionem, naturalem & propriam stulti hominis esse, quem velut proprium centrum, vel tanquam legitimum coniugem illa petit: dicas Hispanè coniugali formula, *Para en uno son*; cui sententiæ valde affinis est illa Prouerb. 27.3. *graue saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior*; siue, vt ex Hebr. Pagnin. *Grauitas est saxo, & pondus est arenæ, sed ira stulti grauior est vtroque*: vt sensus sit tam saxo, quàm arenæ propriam inesse grauitatem quā centrum petant; sed multo maiorem esse grauitatem pondúsque iræ in sinu stulti requiescentis, quod à centro suo nequeat diuelli. Certè, si rem calles, hinc Paulus, qui iram homini alienam non esse optimè nouerat; sapientem ab stulto discriminabat; si placabilem, breuémque iram haberet, sic enim ad Ephes. 4.26. *Irascimini, nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram*; etenim dum eam iræ mensuram dedit, vt cum die orta cum die decideret, acutè innuit aduentitium homini morbum, hoc est, qui ipsum tanquam naturalem locum, siue centrum non petat, siue qui Solis calore, sapientiæ scilicet monitis coërceatur. Cui cogitationi opportunissimus dixit Seneca lib. 1. de ira cap. 16. *Iram sæpe misericordia retro egit: habet enim non solidum robur, sed vanum tumorem, violentisque principijs vtitur: non aliter, quàm qui à terra venti surgunt, & fluminibus, paludibúsq; concepti, siue pertinacia vehementes sunt.* Sed quæ ipsemet de eisdem ventis breuem nec duraturum impetum habentibus scribit lib. 5. q. natur. c. 8. audi: *Omnis illorum vis conspectu Solis extinguitur: etiamsi vehementiores flauere, circa medium tamen diem relanguescunt nec vnquam vsque in meridiem aura producitur.* En humanam iram, quæ ab ira stulti longissimo interuallo differt: nam vt hæc diuturna, & grauissima, quia naturalis, & centro suo hærens, ita illa breuis, atque placabilis, quòd violentis principiis concepta, & extra proprium locum euagetur.

3. Et verò virum patientem, ac mansuetum germanum sapientiæ partum esse, vel de ipsius facie cumprimis noueris Salomone attestante. *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.* Eccles. 8.1. vbi antithesi posita LXX. *sapientia hominis illuminabit vultum eius, & imprudens vultu suo odietur.* Quid enim fuerit sapientiam in hominis vultu lucere; nisi eius faciem decore mansuetudinis, & serenitatis pulchritudine splendescere? Ita Montanus, & Thuanus apud Ioan. Pinedam ad id loci, quorum prior:

— Hominis faciem sapientia luce
Perfundit, mutátque oras, vultúmque superbum,
Atque supercilium demit, redditque modestum.

Alter verò,

Nempe micat rosea sapientis fronte coruscus
Fulgor, & ex vultu feritas, ac ruga recessit.

Sunt verò ad hanc rem hi Claudiani versus etiam aptissimi in Panegyrico Malliano pulchrum sapientis vultum ex patientia, & tranquillitate sic delineantis.

Seruat inoffensam diuina modestia vocem,
Temperiem seruant oculi, nec lumina feruor
Asperat, aut rabidas diffundit sanguine venas,
Nullâque mutati tempestas proditur oris,
Quin etiam fontes expulsa corrigit ira
Et placidus delicta domas, nec dentibus vnquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

En patientiæ, sapientiæque pulchritudinem in hominis facie splendentem: oppone huic imprudentis vultum, qui, vt LXX. aiunt, non potest non inuisus esse. Hunc certè impatientia, atque ardore vindictæ ferum, trucem, ac horribilem obiter videris à nobis ex Seneca depictum ad cap. 1. vers. 1. adnot. 1. num. 13. vide, & denuò illum ira pingentem lib. 3. de ira cap. 4. *Nulli certè affectui peior est vultus, quem in prioribus libris descripsimus, asperum, & acrem, & nunc subitò retrorsum sanguine fugato pallentem, nunc in os omni calore, ac spiritu verso subrubicundum, & similem cruento, venis tumentibus, oculis nunc trepidis, & exsilientibus, nunc in vno obtutu defixis, & hærentibus. Adijce dentium inter se arietatorum, & aliquem edisse cupientium, non alium sonum, quam est apris tela sua attritu acuentibus. Adijce articulorum crepitum, cum seipsa*

Marginalia: 3. Reg. 8.6. — Ad Hebr. 9.4. — 2. Reg. 23.8. — Chald. — Hieron. — Lyra. — Eccles. 7.10. — Deut. 13.6. — 2. Reg. 12.3. — Prou. 5.20. — Eccles. 9.1. — Prou. 27.3. — Pagnin. — Ad Ephes. 4.26. — Seneca. — Eccles. 8.1. — LXX. — Arias Mont. — Thuan. — Claudian. — LXX. — Seneca.

seipsa manus frangunt, & pulsatum sæpius pectus, anhelitus crebros, tractósque altiùs gemitus, instabile corpus, incerta verba subitis exclamationibus, trementia labra, interdúmque compressa, & dirum quiddam exsibilantia. Hæc ille. Nec omittenda quæ in vtramque partem sic diffundit lib. 1. de ira cap. 16. *Habet iracundia hoc mali, non vult regi. Irascitur veritati ipsi, si contra voluntatem suam apparuerit clamore, & tumultu, & totius corporis iactatione, quos destinauit, insequitur adiectis conuitijs, maledictisque. Hoc non facit ratio: sed si ita opus est, silens, quietáque totas domos funditus tollit, & familias Reip. pestilentes cum coniugibus, ac liberis perdit, tecta ipsa diruit & solo exæquat, & inimica libertati nomina extirpat. Hæc non frendens, nec caput quassans, nec quidquam indecorum iudici faciens: cuius tunc maximè placidus esse debet, & in statu vultus, cum magna pronunciat.* Hactenus Seneca.

4. Sed iam inquiris, quæ patientiæ, & iniuriarum condonationi cum sapientia coniunctio siue affinitas? cuius rei non vnam, sed multiplicem rationem placet reddere. Atque vt illam quidem licèt non contemnendam, leuissimè tangam, quam tradidit Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 296. obiecta alicui probra & contumelias eius patientia, & silentio dilui, atque exarmari sic adstruens, *& optimum apud omnes calculum feres, & ea, quæ de te commemorantur, falsa esse demonstrabis. Nam qui indignatur, & exardescit, hoc ipso veras esse contumelias ostendit, qui autem eas irridet, ac pro nihilo ducit, perspicuum argumentum profert nullius sceleris sibi conscium esse.* Quod bene confirmes vel ex iis quæ sub persona Cremutij Cordi annales suos, quibus pungentes inerant aculei, defendentis, ait Tacit. lib. 4. Annal. in hunc modum. *Carmina Bibaculi, & Catuli referta contumelijs Cæsarem leguntur. Sed ipse D. Iulius, ipse D. Augustus, & tulere ista, & reliquere. Haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia: nam spreta exolescunt, si irascare, adgnita videntur.* potiores illi partes defero, quæ hominem ex rerum natura, & veritate res ipsas expendentem, nec ad aliorum opinionem sese accommodantem, ac proinde hac ratione aduersario suo superiorem digniorémque facit, & vt id, sacris momentis sim firmaturus, non possum non incipere à Gentili Seneca, qui lib. 3. de ira cap. 5. sic philosophatur. *Adyce, quòd cùm indignatio eius à nimio sui suspectu veniat, & animosa videatur, pusilla est, & angusta: nemo enim non eo, à quo se contemptum iudicat, minor est. At ille ingens animus, & verus æstimator sui, non vindicat iniuriam, quia non sentit.* Apponit pulchram imaginem: *tela à duro resiliunt, & cum dolore cadentis solida feriuntur: ita nulla magnum animum iniuria ad sensum sui adducit, fragilior eo quod petit. Quanto pulchrius est, veluti nulli penetrabilem telo, omnes iniurias, contumeliásque respuere? Vltio doloris confessio est, non est magnus animus, quem incuruat iniuria.* Optimè illud. *Ingens animus, & verus æstimator sui,* qui videlicet dignitatem suam verè æstimat, cognitione, & sapientia præditus, ac proinde iniurias, & contumelias, quibus mediocres animi tantopere commouentur, atque turbantur non tam despicere, quàm complecti, & pluris facere videtur, ex illis patienter toleratis felicem se & clarum, aduersarium verò miserum, atque ærumnosum deputans. Ita certè dicebat Gentilis Plato in Gorgia: *semper eum, qui intulit, eo, qui sustinet, iniuriam esse miseriorem.* Vnde disertissimè Augustini lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 37. *Quid enim prodest, quòd percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid, quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat, sanum autem, firmúmque ista non iuuant, quin potiùs misericorditer perferendam alterius infirmitatem indicat, quam alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.* Quà innixus ratione Seneca epist. 71. optandas iniurias ex Socratis sententia sic affirmabat: *Vt sis beatus, & te alicui stultum videri sine, quisquis volet tibi contumeliam faciat, & iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modò tecum erit virtus: si vis beatus esse, si fide bona vir bonus, sine te contemnat aliquis.* Nimirum illo iniuriam tibi inferente, te illam æquanimiter sustinente, egregium dabis sapientiæ documentum, non modò tanquam animum habeas sui compotem, qui de potestate sua, de consilio, de ratione, non exeat, qui ingentes generosi pectoris spiritus ratione flectat, & benignitati, humanitati, beneficæque potentiæ subiiciat, sed etiam qui erga eum, qui tibi iniurius extitit, instar peritissimi medici phreneticum, ac furentem ægrum curantis, te geras. Verùm hac de re Chrysologum audi ferm. 38. *de iniuria æquo animo toleranda:* vbi cum post multa pulchram hanc imaginem proposuisset, *& si vultis, vt quod diximus pleniùs innotescat, carnalium medicorum loquamur exempla. Nónne quoties miserum hominem choleræ inflammauerit incendium, & dominante febre vesanum reddiderit ægrotatem, turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor viuit? Hinc est quòd frendit dẽtibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit, atque afficit obsequentes, tunc medicus ad virtutis laudem ad artis gloriam, ad famæ cumulum armatur patientia, tolerantiam sumit, iniurias despicit, morsus sustinet, fert labores, & non leues pœnas patiur, vt à pœna liberet laborantem, fouet oleo, insistit curis, erogat medicinam, certus quòd mercedem honoris, obsequijs repẽset ægrotus, dum receperit sanitatem.* Præsenti instituto sic aptat. *Rogo, quæ maior phrenesis? quæ par dementia? sancti hominis percutere maxillam? mansueti fratris faciem verberare? placidi vultus gratiam tristi liuore perfundere? nudare hominem solo, quo regitur, vestimento? & ob vilem prædam nil Deo, nil homini, nil naturæ relinquere, nil pudori; angariare hominem suis actibus occupatum? & alienam pœnam suum solatium computare* ex quibus sic concludit, & monet: *ergo fratres, si talia perpetrantes, grauissima phrenesi laborare cognouimus, obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, tota virtutis pietate portemus, vt, & fratres nostros liberemus à pœna, & nos æternum patientiæ præmium consequamur.* Hactenus Chrysologus.

Porrò hac de causa dum dilectionem inimicorum suis Dominus præscripsit accurata locutione vsus grauioribus inimicitiis maiora beneficentiæ opera sic apposuit: *Diligite inimicos vestros, benefacite ijs, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos:* siue, vt Syrus habet, *orate pro ijs, qui vexant vos cum violentia*, Matth. 5. 44. vbi dum vides simplici inimicitiæ, dilectionem; odio, quod externum grauioris inimicitiæ opus est, beneficentiam: persecutioni verò, atque calumniæ, orationem, ac preces in illius gratiam, qui persequitur, & calumniatur, à Domino opposita, libet inquirere, cur pro grauioribus inimicis orare iubeamur? cum recto charitatis ordini magis videatur consentaneum pro nobis ipsis odio habitis, calumniis, & persecutioni obnoxiis, ac vexatis orationem, ac preces fundere, ne in angustum insidiarum, & tribulationum redacti patientiam amittamus: sicuti ad ea Psalmi 108. 4. verba

[Margin notes: Isidor. Pel. — C. Tacit. — Seneca. — Plato. — August. — Seneca. — Chrysol. — 5. — Matth. 5. 44. Lect. Syriac.]

Psal.108 4. verba. *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* pro nobis ipsis, calumniis, & aliorum detractionibus afflictis orandum esse admonuit
August. Augusti. inquiens, *Vt quando aliquos sentimus ingratos, non solum non reddentes bona, sed insuper reddentes mala pro bonis, nos oremus*, &c. *vt animum nostrum Deo miserante, atque opitulante vincamus, quo ferimur in vlciscendi cupiditatem, cùm detrahitur siue præsentibus, siue absentibus nobis.* Sic ille. Dixeris consultissima id ratione præscribi: vt quo vno iam modo possumus, bonum pro malo inimicis rependamus: nam ei, qui persecutionem, & calumniam, hoc est, rei familiaris, ac boni nominis iacturam patitur, quid nisi oratio, qua inimico bene faciat, possit superesse? cùm tam externis bonis ob persecutionem, quàm bona fama ob calumniam nudatus, nec officiis, nec laudibus ad benefaciendum valeat accurrere: quid enim pauper erogare, quid ludibrio habitus laudare, aut honoribus prosequi queat? vel potiùs ad Basilij mentem eam reddideris rationem: ægrè ferat Dominus, discipulos suos minus in virtute, quam sæculares homines in vitij improbitate crescere, præsertim cùm leuioribus inimici incursibus non leuiter in virtutis stadio profecisse censeantur, ac proinde iniuriarum augmenta, virtutum incrementa sequi, par duxit: sic namque ille orat. 9. quæ
Basilius. est de ira: *Quale enim spectaculum, quam graue, & admirandum, ac sanè non nihil etiam ipsam naturam humanam exsuperans hominem multis conuitijs iactatum, & qui etiam fortassis vulnus in facie accepit, quique alia sexcenta perpessus est, quæ & verbis, & re ipsa ad extremam infamiam tendunt, non ira incendi, neque vltionem parare, sed mansuetum pro eo, qui sibi iniuriam intulit, preces adhibere.* vel tandè ex S. Valeriano Episcop. hom. 13. *de bono pacis conseruandæ*,
S. Valer. dicite: *Sine dubio hic Dominus conscientiam ficti cordis admonuit; sciebat enim dilectionem verbis compositam, ac licèt largam erogationis expensam, fieri frequenter ingratam. ita ergo te ostendis non initum illam vindicem tui eleemosynâ fecisse, si inimici tui plagas cœlesti medico supplici oratione commendes, & profusis lachrymis auxilium salutis implores.* Sic Valerian. At enim verò, hanc ego precum, quæ pro inimico fundendæ sunt, mentionem signatè à Domino factam crediderim, tum vt non modò sedatissimum sed excelsum, etiam atq; sublimem sufferentis iniuriam animum, qui superiorem aduersario se exhibeat, tum etiam infelicem & miserãdam illius sortem, qui iniuriam infert, & persecutionem mouet, pro quo tanquam extremè indigente ipsemet conuitium ferens, vexatus, & afflictus sui quodam modo oblitus orare debet, ostẽ-
Chrysost. deret. Sed hoc à Chrysost. accipe serm. *Deum laudemus fide formata exemplo sanctorum*, tom. 5. *Fuit tibi quispiam iniurius aut malo affecit? ingemisce, ne maledictis incesseris: funde lachrymas, non iniuria gratia, sed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodum & Dominus tuus Iudam defleuit. Non enim quod cruci suffigeretur deflebat, sed quòd se ille esset ad sui perniciem proditurus. Læsit te quispiam, aut contumelia insectatus est? Deum precare, vt mox ille ciciletur, & parcat: frater enim est, tuum est membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus est mensam.* & statim: *Dicet aliquis. At si id egero, maiorem mihi in modum aduersarius insultabit. Ergo & maiora te, & plurima manebunt præmia, cùque instius ira mittenda est. cùm illum videris vulnere mortali affectum; dæmon enim plagam illi inflixit: idcirco ne ... rursum per te exulcerandus, vel aliquo ... calcandus, quem videris per dæmonem con-* sternatum. Ita Chrysostomus.

Aduoco hic Iobi locum cap. 14. 1. præced. adnot. indicarum, vbi cùm in Hebræis, & Græcis 7.
originibus fuerit: *Homo natus de muliere, saturus* Iob. 14.
ira, siue *plenus iracundiæ*: noster Vulgatus iustam, aptámque translationem fecisse existimauit, si reponeret, *repletur multis miserys*, quòd qui iræ se mancipauerit, in omnes miserias incidat, siue potiùs illis omnibúsque ærumnis & calamitatibus prematur, repleaturque vt videris, quàm proprium magnanimi, sapientísque hominis sit, vt misero extreméque indigenti opem ferat; vnde
præfato loco Chrysostom. *Consiste itaque & animi* Chrysost.
quadam magnitudine velut scuto prælato fratrem vel mortuum è prælio subtrahere, percussúmque ita haud irritabis, quin potius affixum ei spiculum auellito. Sed enim, vt appareat, quàm superior ac dignior aduersario existat, qui iniurias sibi irrogatas condonat, & pro illius salute preces fundit; simul etiam hoc loco obserua, quàm sit ærumnosum, atque miserandum, aliena misericordia viuere. Certè
Saluianus Massiliensis dum miserum, ac luctuo- Saluianus.
sum fugientis Dauidis statum perpenderet, id omnium miserrimum censuit, quòd non solùm seruorum contumeliæ, sed quod est multo grauius, atque acerbius, eorum esset misericordiæ obnoxius: sic namque ille lib. 2. de Prouidentia, cum allusione ad maledicta, quæ impurus Semei
in Dauidem iactabat, 2. Reg. 15. 30. *Quale illud* 2. Reg. 15. 30.
fuit, cum tantus, & ex tanti nominis cunctis Regibus altior, mundo maior, omnes admodum suos cum paucissimis suis fugeret in comparatione dudum sui egestuosus, in comparatione sui solus fugiens cum metu, cum dedecore cum luctu; operto (*inquit Scriptura*,) capite, & nudis pedibus incedens, *super istis prioris status a se ipso exulans, penè iam post se viuens, deiectus vsque in seruorum suorum, vel quod graue est, contumeliam, vel quod grauius, misericordiam: vt vel sibi compateretur, vel maledicere publicè non timeret.* Pulchrè, *vel quod grauius misericordiam*; quanto enim ingenuo viro fuerit acerbius ab inimici misericordia pendere, quàm illius contumelias audire, atque perferre? ita certè tunc temporis Dauid cùm maledicentem Semei gladio vellet cogere Abisai, vt à maledictis temperaret, regio animo, regia voce clamauit Dauid, *dimitte eum*
vt maledicat, 2. Reg. 16. 10. durius & acerbibius 2. Reg. 16. 10.
deputans, *vt sibi compateretur*, quàm vt *maledicere publicè non timeret*.

Adhæc, inde in eo, qui iniurias suas despicit, 8.
atque remittit sapientia maximè elucet, quòd interno intuitu, & cogitatione humi non repat, & externis subiecta oculis solùm intueatur, sed res sapienti oculo introspiciens ad primarias, & immediatas iniuriarum suarum causas attendat: & dum Deum salubri prouidentia hæc permittentẽ; diabolum verò executioni mandantem, & aduersario tanquam instrumento vtentem, huic magno iure irasci desinit; iniuriámque illi rependere inutile, & abs re iudicat. ita quidem prædicto loco Dauid Semei non modò maledicta, sed lapides etiam in eum conii cientẽ à gladio Abisai impunem abire voluit, quod ad occultam Dei manum, qua permittente illi in eum lapides mittebantur, sa-
piẽter adspiceret: *Dominus enim* (inquit ille) *præci-* 2. Reg. 16. 10.
pit ei, vt malediceret Dauid, & quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit? nimirum rex prudentissimus Semei manibus coniectos lapides, nõ vt vulgares & è triuiis sumptos, sed vt lydios, & cotulas, quibus tam patientiæ sapientiæque eius experimentũ Dominus caperet, (iuxta ea quæ ex Plinio lib. 33. cap. 8.

cap.8.adnot.3.n.8.diximus) quam de perpetratis criminibus pœnas ab ipso exposceret, considerabat venerabatúrque. Certè Iob auctore cap.5.6.
Iob. 5.6. *Nihil in terra sine causa fit, & de humo nō oritur do-*
Gregor. Magnus. *lor.* Quia sic Greg.lib.6.Moral.c.5. *Pœna non nascitur de ea creatura, quæ percutit, sed de ea, quæ peccando vim percussionis extorsit.* & quidem huc etiam facit, quod indidem Plinius de iis lydiis lapidibus
Plinius. agens præmisit: *Sunt autem modici quaternas vncias longitudinis, binásque latitudinis non excedentes, quòd à sole fuit in his, melius, quàm quod à terra;* ergo in iis contumeliosis Semei lapidibus, ad Solem, hoc est, ad Deum, quàm ad terram adspicere potiùs habebat Dauid, quia illi *melius.* Quæ omnia sic optimè elucidauit Bernard. serm.34. in Cant.
Bernard. *Vetuit ergo prohiberi maledicū conuitiantem quæstum, existimans maledicta, & addit.* Dominus misit illum ad maledicēdum Dauid. *Prorsus secundùm cor Dei ferebat sententiam: sæuiebat lingua maledica, & ille intendebat, quid in occulto ageret Deus. Vox maledictionis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionē in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid in ore blasfemi Deus? Absit, sed eo vsus est ad humiliandum Dauid, Nec latuit Prophetam, quippe cui incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauerat Deus, & ideo dicit.* Bonum mihi, quia humiliasti me. Hæc Bernard. Huc illud maximè spectat quod seq.adnot.n.1.dicemus, vide ibi.

8. A quo non it illud Christi monitum Matth.5.
Matth.5.39. 39. *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram.* Nam si ad hæc verba ambigas, cui bono altera percussori maxilla obuertēda sit? cùm & patiētiæ ex primo ictu satisfiat (sicuti ex Chri-
Ioan.18.23. sti exemplo apud Ioan.18.23.discimus, cum diro illi satellite colaphum infringente, alteram ipse maxillam ei percutiendā non reddidit:) & in percussoris bonum quod pro illato malo redderetur, nullatenus id cedere possit: respondebo magno iure hoc à Christo præscribi, & magna vrbanitate & fructu maxillam denuo percutiendam offerri, quippe quæ non tam ab humana, quàm à diuina manu in magnam ipsius vtilitatem cedatur. Nam si attendis, non casu, aut fortuna, sed attentissimo Dei cōsilio homini hæc eueniunt, & dum Deus eas iniurias, & contumelias illi inferri permittit, salutari manu hac alapas infligere videtur: Vt implendo *facies eorum ignominia*, quærant no-
Psal.82.17. men ipsius, Psal.82.17. Nec obscurè hæc innuit
Osea 11.4. ipsemet Dominus Oseæ 11.4.sic cùm dixisset, *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, & nesciebant, quòd curarem eos, in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,* quæ de laboribus, & tribulationibus à Deo hominibus immittendis, vt eos hac ratione ad se adducat, frequenter, & verissimè accipiuntur, subiicit: *& ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum;* vbi
LXX. LXX.notanter reponunt, *& ero eis quasi dans alapas homo super maxillas eius.* pulchra nutriciј imagine, qui infantulo alapas dare cōsueuit, vt ipsum instituat, bonósque illius mores formet, ostendens, ipsum mediis iniuriis, ac contumeliis, quæ homini iracundiæ calore ab alio homine irrogātur, illius pueritiam, & tyrocinium in virtute instruere, atque formare, vt per hosce profectus ad perfectionis fastigium valeat conscendere, id sic
Chrysol. considerante Chrysol. citat serm.38. *Putas ne potest ille vulneribus inuenire victoriam, qui nec ictu palmæ acquirere vult coronam? Potest iste morte inquirere gloriam, qui pro honore diuino, humana grauis videtur iniuria? Homo nónne præceptis talibus infantiæ tuæ rudimenta componuntur? Palmæ, paruulorum sunt verbera, non virorum. Hinc est, quòd lenibus mandatis pueritia Christi animatur, vt ad grauia toto iam robore Euangelica iuuentus accedat, vt hoc laboribus pœnis, morte se gaudeat obtinere, quod per infantiam prauis iniurijs acquirere non valebat.* Hæc Chrys. Meritò ergo Deo misericorditer tibi alapas danti, alteram tu maxillam obuertis.

Ad quem sanè modum, si primarium iniuriarum & persecutionum auctorē diabolum, vt par est, consideres, non erit, cur iis, quorum manibus malitiā ille suam exercet, grauius irascaris, sicuti receptum est, vt iudici reum neci addicenti non tortori capitalis sententię exequutioni manus cōmodanti seueritas, siue rigor adscribatur. Quare Regius Vates Psalm.127.1. persecutiones quas passus fuerat, sic recēsebat, vt persecutores silentio premeret, nec vllam ipsorum mentionem faceret; aiebat enim, *sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israël: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.* At cur incompta, & suspensa oratione eos, qui te expugnarunt, non nominas? Cur Saulem, Absalonē, & alios non recenses? Sanè quod ad primarios persecutionum auctores, videlicet dæmones, non ad illorum administros, qui externam tantùm operam præstabant, sapienter adspiceret: id sic pensitante Zenone Veronens. ad id Psalm.2. Bibl.vet.Patr. *Sed nunc tacito impugnantium nomine impugnatio sola memoratur; & causa noscenda est, cur auctores impugnationis silentur. Omnes humanæ iniuriæ, quæ religiosis viris inferuntur, non eosdem habent auctores, quos habent ministros. Executio quidem hominum est, sed diaboli instinctus est. Et huius nobis intelligentiæ Apostolus auctor est, dicens:* Non enim nobis certamen est aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs potestates mundi, potestates harum tenebrarum spiritalis nequitiæ, &c. Vnde post nonnulla quæ in hanc sententiam affert, sic concludit Zeno: *Non ergo his irascendum est, à quibus aliqua perpetimur, sed quoties per contumelias ad iracundiam prouocamur, quoties per conuitia ad lites excitamur, quotiésque ad dolorem, & impiam damni querelam per rapinas, & furta compellimur, aut in corporis voluptates alendas adhortationis sollicitamur instinctu agnoscendus est hostis ille: per quem hæc operum, ac delictorum incentiua præbentur. Neque irascendum est hominibus alienæ instigationis operarijs, sed potiùs in his detestandi officij intercessio fœda miseranda est, quòd sint vasa diaboli, satanæ ministerium, & latrocinantium tela, & alienæ malitiæ, ac nequitiæ paritores.* Hęc & plura in hanc rem Zeno ibi. Nec dissimiliter Chrys. hom.51. ad popul. inquiens. *Cùm igitur aliquis infestat, ipsum ne respicias, sed dæmonem instigantem & omnem in illum iram effunde: ipsius autem est miserere, qui mouetur ab eo. Nam si mendacium à diabolo est, etiam irasci temere multo magis ab ipso. Cum mordentem videris, cogita quòd est diabolus, qui eum instiget.* Sic ille. 9.
Psal.127.1.
Zeno.

His illa etiam ratio proxima est quæ mites & liberales in remittendis iniuriis, sapientes facit, quòd ipsi vnicè placere Deo norint. Nam aliàs, *quomodo placebit iratus in fratrem?* inquit Tertull. lib.de orat. c.10. & verò quantumuis nos iniusti persequantur, & vexent, *quamdiu ita sunt, vt exercent nos* (monitum August.in Psal.54.) *non eos oderimus, quia in eo, quod malus est quis eorum, vtrum vsque in finem perseueraturus sit, ignoramus: & plerumque cùm tibi videris, odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.* Do tibi opportunum exemplum: gentes, quæ in Christum non credebant, sub imagine quadrupedum, atque reptilium perfecto vt sibi vide 10.
Tertull.

videbatur odio Petrus oderat: ideo dum illi in linteo ad edendum fuerunt appositæ, ipse sibi stomachum præ nausea mouere sic affirmauit: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immundum*. Actuum 10.14. siue, vt addit Orig. lib. 2. in Leuit. & Cyrill. Alex. lib. 9. in Iulian. *Neq; intrauit in os meum omnis caro profana*. quod bellè respondet Hispanæ locutioni, qua de inimico nobis maximè in viso atque infenso dicimus, *no le puedo tragar*, sed quid tum Dominus? *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris*. Quæ vt indidé Cyrill. & Chrys. in comment. nec non Ambros. in cap. 6. Apoc. monent increpationem continét, perindéq; esse ait Ambros. ac illud, quod Moysi Ægyptum ire detractanti Exod. 6.12. dictum est à Domino, *solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*, Exod. 3.5. quasi Petro dixerit Dominus: cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, atq; eum fratrem, quem ego meo sanguine redemerim, ac proinde cuius vestigia osculari, ac venerari debeas: sed accipe totum Ambros. locum, & eius acumine fruere. *Vnde Dominus in visione quadrupedum atque reptilium Petrum, ne gentes despiceret docuit, dicens*, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. *Ad hunc igitur sensum pertinet illud, quod Dominus dixit ad Moysem*, Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis, &c. *calceamenta autem pedes muniunt, ne terram tangant, per terram verò gentes designantur*. Solue, *inquit*, calceamentum de pedibus tuis: *id est, aufer odium & despectionem gentiũ de corde tuo, locus enim in quo stas, terra sancta est, id est, mundus, in quo habitas, meo sanguine redemptus est*. Hæc Ambros. Caue ergo, ne *cum tibi videris odisse inimicum*, fratrem Christi sanguine redemptum, & cum eo in throno gloriæ sessurum, quémque venerari, atq; suspicere hac de causa maxima debeas, stultè oderis.

Actuum 10 14
Origenes.
Cyrill.
Chrysost.
Ambros.
Exod. 6.12.
Exod. 3.5.

II. Tandem ideo patiens, & iniuriarum remissor sapiens mihi esse videtur, quòd Christum apud se non dormientem, sed suscitatum habeat, scitè siquidé cum allusione ad Christum à discipulis vehementiori oborta in mari tempestate suscitatum, Matth. 8.25. dixit August. in Psal. 108. expositione prima. *Deinde cùm Christi patientia recordamur tanquam ipso excitato, sicuti factum est, cùm dormiret in naui. qui perturbationem cordis nostri tempestatémq; tranquillat, animo sedato atque placato*. Vt enim iis, qui sæua iracundiæ, cupiditatisq; sese vlciscendi tempestate iactantur, dormire videtur Dei sapientia Christus, quòd nihil altum, nihil sublime sapiant, sed ventorum, ac procellæ furore hac, illac abripiãtur, ita, qui ex recordatione patientię Christi, ad eius imitationem se componunt, excitatam, viuidam atq; florentem eius sapientiã habere videntur: sicuti de ventis breuem impetum habentibus dicebat Seneca, *Omnis illorũ vis conspectu Solis extinguitur*. nimirum Solis iustitiæ exemplo frænantur, & sapientiæ illius calore confouentur, vt odij & vindictæ frigus expellant. Quò etiã optimè facit, è re sapiẽtis omnino esse, sui vindictam, vt iusto pondere librandam, & certissimè fumendam vni Deo relinquere: asseueranti, *Mihi vindictam & ego retribuã*, ad Rom. 12.19. etenim si ipse manu propria sumpserit, in duplicẽ impinget insipientiæ scopulum. Nam cum primis modũ in vltione non habebit, quod propriam causam iniquè quis tractet, & obcæcato animo ius sibi dicat. Quà de re sic sapienter Tertull. lib. de patientia c. 10. vbi cùm dixisset, quod nos quotidie experimento didicimus, *Quotiens pœnituit defensionem? quotiens iniuria eius deterior facta est causis suis*; subdit: *Quoniam nihil impatientia susceptum sine impetu transigi nouit: nihil impetu actum aut non offendit, aut corruit, aut præceps abyt. Iam si leuius defendaris, insanies: si vberius, oneraueris. Quid mihi cum vltione, cuius modum regere non possum per impatientiã doloris*? Deinde Deum esse, & mortalia curare, oblitus omnino videbitur: sic prudens illa Thecuites Dauidem erga filium Absalonem implacatum animum habẽtem Dei sui oblitum esse, sic vrbanè arguebat, 2. Reg. 14.11. *Recordetur rex Domini Dei sui, vt non multiplicẽtur proximi sanguinis ad vlciscendum*. ac si diceret, excidit quidem memoria vltoribus Deus. nam si ipsorum ille animis obuersaretur, iniurias & querelas ei suam certiùs & opportuniùs vindicaturo permitterent: ita quidem Greg. Nyss. in epist. ad Flauian. dum se ab Helladio quodam durius, & inciuilius fuisse tractatum, lõga oratione commemorasset, atque illum non leui vltionis retributione à se ipso plectendum vt rationi consonum sic statuisset, *non arbitror rectè nos facturos, si tantum fastus morbum incuratum negligamus. Neq; verò alia potest esse curatio, quam si deprimatur superbia, & inanis ille fastus coërceatur inflatione tam elata nonnihil expirante* modum rationẽmque vindictæ sumendæ sic exponit. *Vt autem id fiat, Deo permittimus, cui hanc rem curæ futuram non dubitamus*. Prudentissimè, quòd perfectior hæc, acutior vindicta: *duplici* namque *genere proficiscitur* (inquit Ambros. in citata verba ad Rom. 12.19.) *si Deo remittatur vindicta, quia & cum iracundiam vincit, perfectus fit, & Dei iudicio vindicabitur*. Sed hæc iam ad sequentem adnotationem pertinent.

Rom. 12.19.
Tertull.
2. Reg. 14.11.
Greg. Nyssen.
Ambros.

ADNOTATIO VIII.

Iniurias beneficijs rependentes, fortunatissimos Dei filios esse, qui & illustriorem assequantur victoriam, & nobiliorem ac feliciorem, sin minus atrociorem de inimicis vindictam sumant.

PRÆFATIS simplicium filiorum Dei in condonandis iniuriis summa hæc gloria accedit, quòd de inimicis suis gloriosam referant victoriam. Nam *bellorum egregios fines* (ingerebat principi Claudio Eunon super Mitridate victo liberè dimittendo apud Tacitum lib. 12. annal.) *quoties ignoscendo transigatur*: vnde non gloriæ solùm, sed florentissimæ Cæsaris fortunæ, quòd nullus ex ipsius hostibus, eius iussu fuerit interemptus, sic tribuit Vellei Paterculus lib. 2. *fuitque & fortuna, & clementia Cæsaris dignum, quod nemo ex ijs, qui contra eum arma tulerunt ab eo, iussuve eius fuerit interemptus*. Sanè quasi hæc gloria humanas superet vires; ac proinde non minorem eius partem valeat, velitque sibi fortuna vindicare: sed vt ad nostra castra transeamus, legito, quæso, titulum Psalmi 3. est hic. *Psalmus Dauid, cum fugeret a facie Absolom filij sui*: vbi maximè obseruanda vox *Psalmus*, quæ in Hebræo est מִזְמוֹר *mizmor*: propriéque significat *Cantilenam*, festiuam scilicet, & modulatam cantionem: quæ quidem à reliquis verbis, siue à Psalmi instituto, sic videtur dissidere, vt inibi dixerit Augustinus. Eugubinus forsitan eam nomenclationem addititiam esse, quòd is Psalmus potiùs inscribendus esset lamentatio, aut carmen lugubre, quod dubium sic priùs eleganter proposuit Chrysostomus in eius Psalmi comment. *Ducibus exercitus victo*

I.
Corn. Tacit.
Vellei Paterc.
Psal. 3. *tit.*
Lect. Hebr.
Eugub.
Chrysost.

victoriam assecutis Reges ponunt statuas in honorem victoriæ: Aurigis verò, & Athletis columnas, & imagines eorum victoriæ testes excitant Principes: & inscriptione tanquam ore efficiunt, vt materia, victoriam prædicet. Alij rursus in libris, & scriptis victorum laudem describunt, suas in laudando vires iis, qui laudantur, maiores volentes ostendere: & pictores, & statuarij, & sculptores, & populi, & Principes, & ciuitates, & pagi, victores admirantur. Nemo autem fugientis, eiúsque qui non bellum gessit, descripsit imaginem, vt nunc Dauid; est enim: Psalmus Dauid dum fugeret à facie Absalon filij sui: *& quando laude dignus habitus est, qui fugit? Quando dignus est habitus exul, cuius nomen inscriberetur? fugitiuos scriptis litteris persequuntur, non honorant inscriptionibus.* Sed enim duplicem adhibet Chrysostom. responsionem, alteram præcedenti adnotationi post num. 7. adnectendam, vt reuerenti, ac exultanti animo iustissimam diuinæ manus pœnam agnosceret, quæ illum per charissimum filium parentem fugantem, & in exilium elicientem puniebat, quòd ipse priùs legem Dei fugisset, & alienum matrimonium temerasset. *Disce ô frater* (inquit) *causam inscriptionis, & animam tuam confirma, & in tuto colloca, &c. Fugiebat filium suum Dauid, quoniam castitate fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violauerat, fugiebat filium, quoniam legem Dei, qua dicit, Non occides, non adulterabis, fugerat.* Alteram nostro instituto per opportunã, quòd Dauid non vt timidus, sed ne filium si occurreret, occideret, pius fugeret; sic enim ad finem commentarij: *Psalmus Dauid, quando fugiebat à persona Absalon filij sui: fugiebat autem, non vt qui timeret, sed vt qui filium caueret occidere.* En ergo iustam cantilenæ, triumphalísque carminis materiam: velle iustum fugere, ac vinci, ne malè vincat, vt appositè de illo dixeris quod de M. Sergio Plinius libro 7. cap. 18. *Vnde fugisse virtutis summum opus fuit. Cæteri profectò victores hominum fuere, Sergius vicit etiam fortunam.* Sed vidisse id videntur Seneca & Hebræus Philo, quorum prior lib. 2. de ira, cap. 32. inquiens. *At enim ira habet aliquam voluptatem, & dulce est, dolorem reddere. Minimè: non enim vt in beneficiis honestum est, merita meritis repensare; ita iniurias iniuriis: illic vinci, turpe est, hîc vincere.* Philo verò libro de agricultura. *Quidam è priscis prouocatus ad conuitiandi certamen in hoc quidem, inquit, nunquam descendero, in quo victor victo fit deterior.* Pergit. *Quòd si quando maiore vi coactus fueris in certamen descendere, ne te vinci pudeat: sic enim demum si vincaris, victor euades, quando in hoc genere victor vincitur.* Sic ille.

Seneca. Philo.

2\. Quòd si præfatum Dauidis Psal. ex plurium sententia propriè, & in sensu historico, ex aliorum verò expositione allegoricè de Christo accipiendus sit, gloriosam hanc inscriptionem ad Crucis titulum, in quo *Rex Iudæorum*, qui ipsum in Crucem sustulerant, appellatus est, magno referes. Nam qui è vestigio pœnas de ipsis sumere potuit, vel in sui defensionem duodecim legiones Angelorũ à summo Parẽte obtinere, nec tamen resistere, aut cõuitiantibus respondere, sed tanquam ouis ad occisionem duci, & pro inimicis orare voluit, gloriosum de ipsis triũphum egisse visus est: certè Ambros. lib. 1. officior. cap. 5. iustum ex Christi exemplo tacendo, & cedendo vincere sic affirmat. *Tu in petra fixum vestigium tene, & si seruus conuitium dicat, iustus tacet, & si pauper criminetur, iustus non respondet: hæc sunt arma iusti, vt cedendo vincat, sicut periti iaculandi cedentes solent vincere, & fugientes grauioribus sequentem vulnerare ictibus.* Ita Ambrosius ad cuius gustum Paulinus epistola 2. de perfect. Christiana. *Præstat*

Ambros.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

(inquit) *vinci bono quàm vincere malo, itaque vinci videtur in hoc sæculo, cui tunicam suam alter abstulerit: at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium.* Nec minus opportunè Themistius orat. 5. de Lycurgo bona pro malis aduersario suo reddente. *Præclarè enim istud, Rex ille nouerat, non referenda iniuria bonum Principem, sed benemerendo iis, à quibus lacessitus foret, superiorem videri oportere: virtutis quippe hæc victoria est vindicta verò potestatis.* Vnde præfato loco Philo, *Nec expectes dum aduersarium, aut præco vicisse pronunciet, aut certaminis præses coronet, sed ipse accedito palmam porrigens, atque etiamsi libet, coronas lemniscatas imponito, ipse victorem magna, intrepidáque voce pronunciato in hanc formulam, in hoc concupiscentiæ furoris intemperantia, insipientia, iniustitiaque proposito certamine, spectatores, vósque certaminis præsides equidem victus sum, vicit autem iste, & in tantum vicit, vt ne nos quidem inuideamus eius aduersarij.* Hęc optimè Philo. Sed nullus, opinor, tã disertè, ac dilucidè huic victoriæ hæsit, ac S. Valerian. Episc. Cemelienſ. hom. de bono conseruandæ pacis, vbi cum ad Domini verba, *Diligite inimicos vestros*, dixisset. *Fortè illi, quem recens pulsat iniuria, videantur ista non conuenire rationi. Sed respiciat quicumque est ad vita sua quietem, & intelliget, quia inimicum dilexisse, vicisse est*, post nonnulla subiicit. *In quo loco Beatos illos iudico, qui verba labiorum suorum tacito ore custodiunt, & memores cœlestium mandatorum aliena vocis contumeliam non requirunt. Cessant enim odia, vbi non reputatur iniuria: nec habet vllam virtutem iracundia, si desit vnius in contentione persona: ita duplex patientiam manet victoria hominem vicisse proprios animorum motus, & temperasse mores alienos.* Et statim: *Plena victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere prouocanti.* Hæc ille & alia.

S. Paulinus. Themist. Philo.

Habet verò in hanc rem opportunam emphasim quòd dextera hominis maxilla ab aduersario percussa, altera dextera nouo feriendo colapho ei præscribatur obuerti, sic enim Christus, *Si quis te percusserit in dexteram maxilla, præbe ei & alteram*, Matt. 5. 39. vbi illud *alterã* de altera dextera esse accipiendum sic monet inibi Hieron. *Percussa dextera nostra non debemus sinistram præbere, sed alteram, hoc est, alteram dexteram.* Sed non leue negotium August. & alij interpretibus facessit, duas maxillas dexteras vni homini à Christo tribui, quî enim id dici possit: respõdent tamen Hieron. & glossa, causam esse, quòd iustus sinistrum nihil habeat. Benè quidem: sed enim, cum re ipsa in priori contumeliæ conflictu sinistra maxilla fuerit percussa, hæc enim dexteræ percutientis manui ad ictum respondet opportunius dici videtur, dexteræ nomine à Christo appellari, quòd ex iniurię tollerantia è sinistra in dexteram, vincentem fortunatam atque felicem fuerit commutata, vnde cùm dexteram contumeliæ denuo offerendam Dominus admonuit, notanter, non dexteram simpliciter, sed *alteram dexteram* appellauit, veram nimirum dexteritatem, & victoriam ab iniuria ad percussæ iam maxillæ modum, sumpturã: vbi etiam obserua, cædentis manum, quæcumque illa fuerit, sinistram necessaria ratione futuram, cùm dexteræ maxillæ percussæ correspondeat, quod is qui iniuriam infert, eo qui accipit inferior, atque infelix; & miser omnimodis habendus sit. Quò refero pulchrã Chrysost. obseruationem de Abele minore Caïnis fratre, atque ea ratione iure naturæ illis subdito, vt apparet ex Dei verbis ad Caïnum, *Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, seu, vt LXX. habent, *tu principatum habebis*, Genes. 3. quæ de Caïni in Abelem principatu capienda esse, quotquot Hebraïcè sciũt, affirmant, ex iniuriæ, ac cædis tolerantia

3 Matth. 5 39. Hieron. August. Hieron. Glossa. Genes. 3. LXX.

O Caïnum

Caïnum sibi subiiciente, & de illo victoria reportante, dum grandiori in illum voce clamare dicitur, Genes. 3, sic enim Chrysost. citato sermone de laude Dei, tom. 5. *Occidit Caïn, Abel enecatus est: vter horum extinctus est? ille ne, qui post mortem ad Deum clamitans, questus est.* Vox, *inquit*, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, *an is, qui vitam omnem transegit trepidus? is sane, is erat quouis mortuo calamitosior. Vides itaque quàm longè praestet illatae iniuriae tolerantia, vel si fuerit ad vsque interitum perueniendum. Edisce praeterea quàm sic conditione inferior, qui illam intulerat. Percussit germanum Caïn, è vitáque sustulit: horum tamen coronatus est alter, alter pœnas pro scelere luit: iniustiùs Abel occisus est, mortuus tamen cadis fratrem insimulans vexabat, & comprehensum manibus tenebat.* Et post pauca Caïnum illis Dei verbis, *vbi est Abel frater tuus?* conueniens hæc subiicit: *non enim tua hac cade Caïn, sunt Abel honores imminuti, sed aucti magis, & ampliati, quia & si antehac illum tibi subiecerat Deus, nunc tamen de te vel extinctus supplicium sumet: plurimum enim is Deum colebat. Vter igitur horum de cade sententiam laturus est, qui sumpserit, an qui dederit pœnas? qui tanto fuerit apud Deum dignus honore habitus, an qui noua quadam sit, & exquisita pœna affectus. Viuentem Abel nihil es Caïn veritus, mortuum ergo pertimesce. Hunc, cùm in humanis ageret, tibi vel morigerum haud tolerasti, mortui ergo acerbior huius erit in te dominatus.* Hæc Chrysost.

4. Quòd si ab iis, quæ hucusque diximus, non moueris, aut frangeris, sed in vindicta semper mens est: monstrabo tibi ad illam viam, eámque vt cœlestem ac feliciorem ita aduersario acriorem, atque
Ad Rom. 12. 20. duriorem. Audi ergo Paulum ad Rom. 12. 20. à Salomone Prou 25. 21. dicentem: *Sed si esurierit inimi-*
Prou. 25. 21. *cus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum:* vbi dum de certissima victoria ex inimico referenda sermonem esse nemo ambigit: qui tandem vincendi modus hic sit, siue quorsum carbonum mentio fiat, non facile statuitur: & in carbonibus quidem peculiare quoddam armorum genus ad feriendum, & perdendum hostem efficacissimum significari, mihi nō est dubium, qui Deum ad pugnam hostésque suos debellandos ita compositum & armatum vt carbones ignis ve-
Psal. 17. 14. lut fulmina in illos iaciat, lego Ps. 17. 14. *Intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando,*
Psal. 119. 4. *& carbones ignis.* & Ps. 119. 4. *Sagitta Potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*, siue, vt alij apud Agel-
Agell. lium legunt, *cum prunis congestis*, quæ eadem locutio est cum hac Salomonis & Pauli. Adnotat verò
Chrysost. ibi Chrys. desolatorios hos carbones, dictos *quasi desolantes, perdentes, consumentes:* quique nouerim (quod & Iustus Lipsius lib. de magnitudine Romana copiosiùs tradit) in veteri militia fuisse ignea quædam missilia, quæ in hostes iaciebantur, hoc ferè nomine appellata: Et verò dum ignita hæc tela signatè in caput inimici dirigi, siue superfundi (sic enim legit
Cypr. Cypr. lib. 3. testimon. *carbones viuos superfundes super caput eius*) dicuntur, potentiorem, opportuniorémque concertandi modum ad victoriā obtinendā fore, manifestè adstruitur, in brachium videlicet, aut in crus, siue in aliam corporis partem incasso forsan ictu, siue non lethali iecteris telum: at in caput immissa siue congesta ignita hæc arma, hostem non prostrare, & subiicere non possunt, sed quæ iam hæc, à cibo, & potu, hoc est, ab egregiis officiis, ac beneficiis de inimico parta victoria? Dupliciter à
August. Patribus id exponitur, aliis in bonam; in malam aliis partem accipientibus; vterque autem sensus è nostra re est: ergo in bonum de optimo vincendi modo, cùm inimicus beneficiis constrictus, atque obrutus, amoris iam, ac charitatis igne veluti ignitis carbonibus in ipsius caput congestis inflammatus ad pœnitentiam flectitur; & ex alio hoste in beneuolum & blandum amicum commutatur, pulchrè hæc capiunt Augustinus, Hieronymus, Anselmus, Ambrosius, & Valerianus; & Augustinus quidem sic loquitur libro de doctrina Christiana, cap. 16. *Hoc cùm possit dupliciter intelligi,* August.
vno modo ad nocendum, altero ad praestandum: ad beneficentiam te potiùs charitas reuocet, vt intelligas, carbones ignis esse vrentes pœnitentia gemitus, quibus superbia sanatur eius, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo eius miseria subuenitur. Ad quem modum Hieronymus, & Anselmus; sic enim ille lib. 1. aduers. Pelagianos, cap. 9. *Carbones ignis congre-* Hieron. Anselm.
gabis super caput eius, vt superatus beneficiis excoctus feruore charitatis inimicus esse desistat. Anselmus verò in commentar. *Accumulabis super mentem eius carbones ignis, id est, feruentes, & vrentes pœnitentia dolores, beneficiis enim tuis victus dolebit, se iniuriam tibi fecisse, à quo bona recepit, & conuertetur ad pœnitentiam.* Vides fortissima tela, quibus resisti nequeat? certiorémque patientiæ, ac beneficentiæ ictum, non in crure, aut manu, sed insanabile in capite vulnus facientem?

Subiicio tibi exempla: & primum est ferox atque induratus Saulis animus occurrit, qui cùm ex ora clamydis suæ à Dauide abscissæ patientiam, & benignitatem illius didicisset, tam longè fuit, vt eum subinde ad cædem quæreret, vt feruore charitatis excoctus impensè illum laudauerit, & quod plus est, *vrentes pœnitentia gemitus*, imò de pectore ediderit, quòd tam obstinata malitia ad necem tamdiu exquisiisset: sic lib. 1. Reg. cap. 24. 17. *Dixit Saul: Nūquid vox hæc tua est fili mi Dauid, & leuauit Saul vocem suam, & fleuit, Dixitque ad Dauid: Iustior tu es quàm ego; tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.* In quæ verba Chrysostomus homilia de Dauide, & Saule tomo 1. aurea hæc diffundit. *Quid esse possit hoc Propheta beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit, & animum nactus sanguinis, ac cadis sitientem repentè ad lamenta, & eiulatus compulit; Non perinde miror Mosem, quòd è saxo prarupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem, quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lachrymarum, siquidem ille quidem vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virga percussit lapidem, hic sermone pepulit cor, non vt contristaret, sed vt purum mansuetúmque redderet.* Et statim: *est quidem & illud laude, summáque admiratione dignum, quòd ensem non tinxerit sanguine, nec caput illud hostile resecuerit, sed longè maiore corona dignum erat, quod ipsum inimici propositum immutauit, eúmque reddidit meliorem;* & aliquanto ante: *qui nunquā sustinuerat illum vel simplici vocare nomine, ipsam etiam appellationem habens exosam, nunc adoptat eum in cognationem, appellans eum filium. Quid igitur Dauide felicius? qui ex homicida fecit patrem, è lupo ouem, qui fornacē iracundia multo impleuit rore.* Hæc ibi, & alia. Nec pigebit adiicere per similem de Cinna importunissimo, & insensissimo inimico ab Augusto Cæsare relatam victoriam non ineleganter à Seneca exscriptam libro 1. de Clement. cap. Seneca.
9. Nam cùm ille insidias Augusto strueret, necémque moliretur inferre, ipséque sese vindicare constituisset, egregium hoc illi lectissima vxor Liuia monitum dedit. *Fac quod medici solent, qui vbi vsitata remedia non procedunt, tentant contraria seueritate nihil adhuc profecisti, &c. nunc tenta, quomodo tibi cedat clementia: ignosce L. Cinna, deprehensus est,*

iam

iam nocere tibi non potest: prodesse famæ tuæ potest. Cui bonus Princeps libens obsecutus, Cinnam accersiuit, cúmque criminis conuictum sic pro supplicio affatus est: *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat, contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas*. subiicit Seneca. *Post hæc detulit vltrò consulatum, questus, quod non auderet petere*. Quid inde? *amicissimum, fidelissimúmque habuit, hæres solus fuit illi: nullis amplius insidiis ab vllo petitus est*. Hæc ex Seneca.

6. Nec minus opportunè huic illud referas quod 4. lib. Reg. c.6. 21. habetur: nimirum intercedente inter Reges Israël, & Syriæ bello, cum Helisæi precibus præcipui ex hostibus capti fuissent, non modò non oppressos, sed splendido potiùs conuiuio officiosè refectos liberaliter in patriam fuisse dimissos; sic enim percontanti regi, *Numquid percutiam eos pater mi?* respondit Helisæus, *Non percuties, neque enim cepisti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias: sed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominũ suum*; subiicit sacer textus: *Appositáque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt & biberunt, & dimisit eos, abierúntque ad dominum suum*. Sed cur, inquis, iniustissimos hostes tanta humanitate tractari expediens visum est? Alij alias reddunt rationes: ego Scripturæ verbis adhærens dixerim, diuino Spiritu imbutum hoc regi consilium dedisse Vatem, vt egregiam de toto exercitu, eiúsque rege reportaret victoriam carbones ignis congerens super eorum capita; subdit enim statim Scriptura, *& vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Israël* (vbi latronum nomine milites denotari omnes interpretes obseruant, pro quibus ego fideiubeo adnotans Hebræam vocem *Gedudim*, æque significare *milites* atque *latrones*.) Attigisse videtur id Ambros. lib. 1. offic. c. 29. præfata verba sic efferens: *Pone eis panem, & aquam, vt manducent, & bibant, & remittantur, & eant ad dominum suum, vt humanitate prouocati gratiam repræsentarent. Denique in terram Israël venire piratæ Syriæ destiterunt*: vt videris *bellorum egregios fines quoties ignoscendo transfigitur*, vt supra ex C. Tacito meminimus. At quam gloriosa hæc victoria, siue potiùs vindicta: sic S. Valerian hom. 13. ad hæc Pauli verba, *Si esurierit inimicus tuus ciba illum*, &c. dicebat, *vltra felicitatem constat esse victoriæ inimicum saluum fecisse, & iniuriam vindicasse*. & Ambros. lib. 5. in Lucam agens de patientia. & benignitate in inimicum, *ita erit vt iniuriam repellas, gratiam quæras, ac sæpe maximæ causæ amoris existunt, cùm patientia insolentiæ, gratia refertur iniuriæ*. Quibus pulchrè subscribit Seneca lib. 3. de ira c. 34. aiens. *Quid est gloriosius, quàm iram amicitia commutare? quos populus Romanus fideliores habet socios, quàm quos habuit pertinacissimos hostes? quod hodie esset imperium? nisi salubris prouidentia victos miscuisset victoribus*. Hæc ille.

4 Reg. 6. 21. Ambros. Valerian. Ambros. Seneca.

7. Iam igitur si Deo placet inter nos conuenit; tibique cuius in vltione, cæde, & atrocioribus contumeliis animus, atque mihi ad iniuriarum condemnationem, & bona pro malis reddenda opportuno atque importuno monitori, eadem mens: *iam sumus ergo pares*, qui de vltione sumenda ambo cogitamus, etenim *vicem iniuriæ reddere humana vltio est* (inquit Paulinus epist. secunda) *at inimicum diligere vindictam cælestis est*; nisi forte inde nos denuo diffidere & alterum ab altero diuelli non nemo dixerit, quod tu præ animi exiguitate de leui vindicta, ac minori pœna; ego de atrocissima vltione, & crudeli supplicio de inimico sumendo cogitamus: optimè enim S. Valerianus homil. 13. sub eodem titulo, *de bono pacis conseruandæ*, premens hæc, in quibus sumens Pauli, verba: *si esurierit inimicus tuus ciba illum*, &c. hanc misericordiam, ac crudelitatem sic retulit. *Hic quantum video misericordia crudelitati famulatur. Nescit sine dubio irasci, qui dubitat misereri: vltra felicitatem autem constat esse victoriæ, inimicum saluum fecisse, & iniuriam vindicasse*. Pulchrè illud, *Nescit irasci, qui dubitat misereri*. Quæ enim grauior excogitari possit vindicta? quæ atrocior pœna? quod immanius supplicium? quam inimicum de pristinis in te odiis pœnitentem, dolentem, seséque excruciantem videre? Non equidem vllæ iniuriæ, probra, contumeliæ, vulnera, pœnæ, & exquisitissima crudelitate, & feritate illata mors huic vltionis modo valeat comparari. Quid enim plagæ corporis ad animi dolorem, & sensum fuerit? Vis id nosse? scito ergo Deum, quidquid agit summè sapienter, atque potenter agit, cùm sese pro sua dignitate de peccatoribus vindicari decreuit, hanc vnam vindictam, & acriorem grauiorémque excogitasse. Audi illum apud Ezechielem cap. 20. 40. vbi cùm dixisset, *In monte sancto meo excelso Israel, ait Dominus Deus, ibi seruiet omnis domus Israel. Omnes, inquam, in terra, in qua placebunt mihi, & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris*; subiicit, *& recordamini ibi viarum vestrarum pessimarum & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis, & displicebitis vobis in conspectu vestro*, (vbi notantissimè LXX. *& percutietis facies vestras*:) *in omnibus malitiis vestris, quas fecistis*: sed, quæ, oro tam acris pœnitentiæ, vehementissimíque doloris caussa fuerit, & origo? Aperit statim ipsemet Dominus: *& scietis, quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum, & non secundùm vias vestras malas, neque secundùm scelera vestra pessima domus Israël, ait Dominus Deus*. Vides misericordiam, vt dicebat Valerianus, crudelitati inseruientem? Audis quàm opportunè, quàm grauiter sciat Deus irasci, cùm non dubitat misereri? *Nonne & per patientiam* (ait Ambros. lib. 5. in Lucam) *vt sua amplius pœnitentia reuerberes verberantem?* ita quidem: nam qui priùs Deo infensi fuerant inimici sua amplius pœnitentia inueneris reuerberatos, dum præ intimo animi sensu atque dolore, quòd eum offenderint, qui pro iniuriis beneficia illis contulit, sui ipsorum carnifices facti, facies suas cædere, atque percutere dicuntur. Cui quidem cogitationi opportunissime loquitur Themistius orat. 9. dũ Valentis Imperatoris in rebelles sibi subditos clementiam atque benignitatẽ, licèt parũ sincerè (vt creditur) sic extollit. *Quare solus ex Imperatoribus id assecutus es, vt quos benigniùs, & clementius habueras, eos grauiùs vindicares, cùm iis pudorẽ, ac pœnitentiam iniiceres, & criminis conscios suosmetipsos dolore punires. Qui quidem ex eo, quòd nihil à te mali perpessi essent, quantum scelus admiserat intellexerunt. Est autem homini libero acerbior multo is dolor, qui ex verecundia, quàm qui ex cruciatu corporis percepitur, cuius rei argumento est, quod hunc sustineant, patientérque ferant, præ pudore verò sæpe numero vitã ipsam profundãt*. Addit eruditus adulator appositã citatis Ezechielis verbis de fidelium lachrymis, ac dolore ob optimũ templum, & creaturis posthabitum: *Quanto putas cum genitu, temeritatẽ illi suã deplorãt? quantis putas suspiriis fraudẽ illã, ac præstigiis prosequũtur? cùm inter se comparãt quem cuius loco sibi delegerint, cúmque eũ in se meliorem experiuntur, quem offenderint, quam cuius partibus inducti, deceptique sese adiunxerint*. Hactenus ille.

Valerian. Ezech. 20. 40. LXX. Ambros. Themist.

8. Sed dicis, non semper euenire vt egregij bellorum fines sint, quoties ignoscendo transigatur: est enim adeò agreste, atque efferatum quorundam hominum ingenium, vt quantum vis super eorum capita viuos beneficiorum carbones superfuderis ad pœnitentiam non mollescant, sed immobili & obfirmato animo in inimicitia perdurent, vt ille de quo poëta

Virgilius. *Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?*
Num lachrymas victus dedit, aut miseratus amantem est?

At enim ægrè tibi ego annuam, potiúsque crediderim Augustin. lib. de catechizandis rud. cap. 2.

August. dicenti, *Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere*; sed vt vt id fuerit, à causa adhuc non cecidisti, nec inultus manes: succedit enim altera verborum Pauli, *Carbones congeres super caput eius.* quæ in malum hæc accipit, & bifariam quidem, primùm quasi sensus fuerit, inimicum nisi ex beneficiis sibi factis resipiscat, grauiori pœnæ in iudicio Dei maiori obnoxium, vti exponunt Græci Patres Chrysost. Theophyl. Theodor. & Photius apud Oëcumenium, nec non Beda in ea verba apud Prouerb. Salomonis, non quòd velit Paulus eo fine inimico benefaciendum, vt crescat ei pœna apud Deum, esset enim à charitate valde alienum, sed quasi dicat, tu vindictam Deo relinque, nec nisi de bonis in eum conferendis cogita; illud verò asseuerare tibi ego possum, eum aut animum mutaturum, grauémque ipsius animam, pœnitentiam atque dolorem peruasurum, infensum tibi aliquando fuisse, aut grauiores in iudicio Dei pœnas daturum, quòd nec beneficiis affectus ab odio & inimicitiis discesserit. Altero autem modo, quem ego amplecti malo, vt carbones in caput eius congerere sit, eam de inimicis vltionem sumere, quòd magno illos beneficentia sua rubore suffundat. Sic Hispanè de homine verecundia suffuso dicimus, *puso sele el rostro como vnas brasas.* Cui quidem explicationi plura sunt quæ ex Patribus, ac Philosophis deseruiunt, quippe Basil. orat. *de ira*, sapienter vtramque sen-

Basilius. tentiam elucidauit his verbis: *Da tempus cogitationibus, iram è duobus alterum proculdubio consequeris: aut vt inimicum tua mansuetudinis exemplo mitiorem reddas, vel fortè si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest quàm genere animum omnibus contumeliis altiorem? Noli tuam pessundare mentem, sine illum frustra te adlatrare, & in se ipso disrumpi.* Sic Basilius; cui omnino ad-

Ambros. stipulatur Ambros. lib. 1. officior. cap. 5. *Quando ergo aliquis nobis conuitiatur, lacessit, ad violentiam prouocat, ad iurgium vocat tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator est enim qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos similes sui fieri desiderat. Denique sit aces, si dissimules solet dicere, quid taces? loquere, si audes; sed non audes, mutus es, elinguem te feci: si ergo taceas, plus rumpitur, victum sese putat, irrisum, post habitum atque illusum. Si respondeas superiorem se factum arbitratur, quia parem inuenit; si enim taceas, dicitur, ille conuitiatus est huic, contempsit iste.* Ad quem etiam modum Athanasius, & Isidor. Pelusiota loquuntur; prior enim sermone

Athan. de Passione, & cruce Domini sic ait: *Vindicantes enim, & iniuriam vicissim iniuria retaliantes, & contumeliis pensantes augemus contra nos ipsos malitiam, nec tam inimicos, quàm nos ipsos lædimus, cùm pro condemnatione, & iudicio olim ob eam iniuriam habendo ipsi nostra hac pœna vtamur. Cæterùm vbi iniuriam sicuti Dominus fecit, toleramus, & conuitiatoribus patientiam opponimus, & minantibus impauidum pectus, & morti, spem immortalitatis prorsus istius modi rebus discruciamus inimicum sub istius modi panoplia succumbentem.* Isidorus verò ad signatissimam vindictam id sic refert lib. 2. epist. 196. *Patientem,* Isidor. Pelus. *ac philosophicum animum præsta, sic enim ipsum vlcisci poteris. Nihil quippe contumeliosos homines tam excruciat, quàm eorum, à quibus contumelia fertur, patientia.* & lib. 1. epist. 11. cùm Socratis exemplum attulisset, qui grauiter pulsatus, ac verberatus ab vltione temperauit, Ophelio cuidam hæc ingerit. *Quid discruciaris cùm contumeliam dumtaxat, vt scripsisti, acceperis. Etenim si philosophicum animum præstiteris, tu quidem Socratis gloriam referes, etiamsi minus contumeliosè cum Socrate tecum actum sit: contra autem ille animi tui magnitudine tanquam telo sauciabitur.* Vnde quidem Gregor. Nazian. orat. 32. dum ab imperitis argueretur, quòd metitas de calumniatoribus, atque inimicis pœnas, & vltionem non sumeret, sapienter dicebat. *Mihi enim aduersùs eos,* Nazian. *qui iniuriam intulerunt, satis grauis pœna est, referendæ iniuria potestas.*

Sed cur hæc patientia inimicum discruciauerit? 9.
respondet Tertullian. lib. de patientia cap. 8. *Nam* Tertull. *omnis iniuria seu lingua, seu manu in causa cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissima duritia libratum, & obtusum, concidet enim ibidem irrita opera, & infructuosa, & nonnumquam repercussum in eum, qui emisit reciproco impetu saeuiet, nempe idcirco quis te lædit, vt doleas, quia fructus omnis lædentis in dolore læsi est; ergo cùm fructum eius euerteris non lædendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui.* Sic ille. Ad cuius gustum Basilius præfata orat. *de ira*, ad similem apponit imaginem. *sicut enim ille qui minimè dolentem, & sentientem verberat, se ipsum lædit, quòd nec inimicum plectere, nec animum, irámque exsatiare se videat: sic & is qui contumelia in eum, qui nequaquam doleat, vtitur, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit, quin potiùs ardebit magis, & animo æstuabit.* Ita Basilius: edocti, opinor, ambo à Seneca lib. de constantia Sapientis cap. 17. dicente: *Adiice, quòd genus vltionis est, eri-* Seneca. *pere ei qui fecit contumelia voluptatem: solent dicere,* Miserum me puto, non intellexit; *adeò fructus contumeliæ in sensu, & indignatione patientis est.* Benè. At enim, aliam viuidiorem, & efficaciorem rationem alibi ipsemet Seneca reddidit in hunc modum, *Contumeliosissimum vltionis genus est, non esse* Seneca. *visum dignum, ex quo peteretur vltio.* Quam sanè firmat per vulgata historiola de illo, qui cùm alteri conuitiatus nullum toto iniuriarum, & contumeliarum impetu doloris signum, aut verbum ab eo extorsisset, præ sui contemptus dolore se ipsum suspendio dedit. Rem plures, magísque vulgares, & ex triuiis auctores, quàm quos adducere par sit, referunt. Quòd si illis fidem habere dubitas, crede saltem diuinæ paginæ asseueranti infelicissimum discipulum Iudam, cùm Christi traditionem osculo illi impresso perfecisset, nec bonus. Dominus tam atrocia, & execrabilia labia detrectasset; durúmque aliquod verbum in illum iecisset; tantam in rabiem ob Christi patientiam actũ fuisse. vt *abiens laqueo se suspenderit*, Matth. 27. 5. id sic obseruante Ambrosio in Psalm. 39. *Nec im-* Matth. 27. 5. Ambros. *meritò grauiore telo tantæ dignationis percussus est Iudas, quàm si eum fulmine percussisset. Denique patientiam Domini ferre non potuit, qui maiestatem prodidit, adeò vt sibi ipsi tanti sceleris reatus non posset ablui.* Vides proditori intolerabiliorem patientiam, ac bonitatem, quàm maiestatem fuisse? cùm in hanc grauissima quæque moliri ausus sit, in illam verò animos

animos sumere nequiuerit, sed ab ipsa velut fulmine prostratus, & exanimatus subitò fuerit. Cur verò acrior fit hæc vindicta, quàm vulgaris illa, atque communis cum iniuriis, & vulneribus certatur, optimam adducit causam Chrysost. hom. 39. (Chrysost.) in Acta, quòd qui vi, & manibus vindicatur, omnino in corpus sæuiat; qui verò patientia, & mansuetudine decertat, & aduersarium repercutit, non corpori, sed animo ipsius vulnus infligat; sic enim ille, *Feriamus percutientes mansuetudine, silentio, longanimitate. Difficiliora sunt hæc vulnera; Maior plaga, & onerosior. Grauius enim est percutere animam, quàm corpus.* Ita ille.

ADNOTATIO IX.

Simplices, Deique filios esse, qui de proximis candidè & benignè sentiunt, nec ad sinistrè de eorum factis existimandum, temerarij feruntur.

1\. MINIME duxerim prætereundam eam expositionem, quæ vocem *simplices* sub eo sensu capiebat, quo Senecam dixisse vidimus lib. 2. de ira cap. 24. (Seneca.) *Simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione, vt nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestúmque erit, credamus*, quin peculiari adnotatione illustrem, quod à Pauli instituto non longiùs iuerit, & egregium formandis moribus contineat monitum, & verò sub hac significatione hæc vox accepta, sequentibus *Dei filij* appositè hæret, quasi dicat Apostolus: simplices tanquam Dei filij, & quidem germani quippe qui illius benignitatem, & candorem in iudicando optimè exprimunt. Certè de ipso vna ex parte videris dixisse Dauidem Psal. 32. (Psal. 32. 13.) 13. *De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum*; ex alia verò Mosem, occasione temerarij illius ausus, cùm insani homines turrim ad cælum vsque pertingentem attollere moliebantur Genes. (Genes. 11. 5.) 11. 5. *Descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* vbi meritò ambigas, tum quomodo ipsemet, & de cælo respicere, videréque omnes filios hominum, simúlque inde descendere ad videndum dicatur? siue cur iam inde, iam hîc? host est, quare non è cælo semper? aut semper descendens, vt res videat, inducatur? tum etiam cur is cuius oculis *omnia sunt nuda, atque aperta*, ad Hebr. 4. (ad Hebr. 4.) etenim *oculi eius multo plus lucidiores super solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*, Ecclesiast. 23. 28. (Ecclesiast. 23. 28.) siue qui, vt Gentils Cleanthes apud Clem. Alex. lib. (Clem. Alex.) 7. stromat. dixit, *Non diuisus, aut distractus, non transiens ex loco in locum, sed vbique semper existens, & nusquam circumscriptus, totus mens, totus lux, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens*; vel vt Ethnicus etiam Plinius lib. 2. natur. hist. (Plinius.) cap. 7. *Quisquis est Deus, & quacumque in parte totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Is, inquam, vt videret ciuitatem, & turrim descendere, de cælo dicatur; scilicet magis exactè terræ inhærens, quàm super æthera eleuatus res cognoscet. Apage. Respondet (Basilius.) verò Basilius ad ea verba Psalmi. *Eos qui in propria manent animæ dignitate, & naturæ congruentia faciunt, cælitus, hoc est, supernè aspicit Deus. Eos verò qui ad extremum flagitiorum prolapsi sunt, secus inuisit, nempe descendendo.* Clamor *inquit*, Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccata eorum magna nimis. Descendam itaque, & videbo, an secundùm clamorem, qui ad me venit, perfecerint. *& rursus:* Descendit videre ciuitatem, quam ædificauerunt filij hominum. *Hic autem ait*, De cælo prospexit Dominus, vidit omnes filios hominum. Hæc Basilius. Quæ sic capio, vt Deum Vates ad benefaciendum, & benignioribus oculis in homines respiciendum, (id enim propriè significat verbum *respicio*) in propria cœli sede, ac solio residentem faciat, ad peccatores verò puniendos, quasi è cælorum altitudine descendere, vt propriùs eorum crimina examinare, ac diiudicare, &, vt ita dixerim, introspicere videatur, affirmet Moses. Quia nimirum præter quàm quòd bene faciendi causam à se ipso, ad puniendum verò ab hominibus desumit, inde nos velit admonere ad benefaciendum opus non esse omnes rationes discutere, ad calculos reuocare, siue ad amussim expendere, an omnino merenti auxilium, & beneficium præstetur: (videas enim plerosque qui contra Bernardi & Nazianzeni (Bernard.) consilium vt mendico semiassem tribuant, longo priùs sermone, seueróque examine exactissimè disquirunt, vtrùm ille verè agat, an non; dixit quippe scite Bernard. ad illa verba lib. 1. Reg. 15. 35. *Lugebat Samuel Saulem*, in allegoriis Gotfrid. Tilmani. (1. Reg. 15. 35.) *Vera misericordia non iudicat, sed afficit: non nititur discussione, occasione contenta. Non enim exspectatur ratio, vbi affectio trahit. Iustitia meritum quærit, misericordia miseriam intuetur. Lugebat Samuel Saül, miserans, non deliberans*, &c. & paulo aliter, eodem tamen sensu, Nazianz. orat. 19. in funere Patris monens. (Nazian.) *Multo enim satius est, ob eos, qui digni sunt, indignis quoque largiri, quàm dum metuimus, ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare.*) ideo parum referre, benefaciendi causas eminus videre, præsertim cùm error, qui in benignitatis vsu homini potest euenire, felicissimus sit, vti iis, qui iuniorē Plinium carpebant, quòd amicos suos plus iusto laudaret, ipse vrbanissimè respondebat lib. 7. epist. (Plinius. Iun. lib. 7. Epist.) *Agnosco crimen, amplector etiam; quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti, qui amicos meos meliùs norint? sed vt norint, felicissimo errori, vt enim non sint tales, quales à me prædicantur, ego tamen beatus, quod mihi videntur.* At enim verò cùm ad decretorium stylum deuenitur, iudiciúmque aduersùs aliquem ferēdum est, oportere priùs oculis omnia singillatim perlustrare, atque intus, & in cute dignoscere, ne quid sit, quod absentem lateat, aut eminus positum fallat. Id quod ad illa Genes. verba sic sapienter docuit Philo libro *de confusione linguarum*, inquiens. (Philo.) *Ista humano more legislator de Deo dixit (quamquam is non humana forma, & natura præditus) sed ad legentium, & discentium vtilitatem*, &c. *ergo vocabula migratorij motus nequaquam Deo conueniunt, sed nihilominus tamen dicitur Deus descendens visere, qui omnia prius etiam, quàm fiant, clarissimè preuidet, vt doceamur, ne quis homo de absentibus rebus, & incertis putet se certum posse iudicium facere, sed potius introspecto negotio diligenter cuncta perlustret; visus enim certus adhibendus est, potius quàm fallax auditus.* Ita Philo. Ad cuius gustum Ambrosi. libro 1. de Abraham cap. 5. ad similia Domini verba Genes. 18. 21. *Descendam, & videbo*; sic ait: (Ambros. Genes. 18. 21.) *Etiam tu descende cum cura, descende indaginis studio, ne quid sit, quod fallat, aut lateat absentem, vt oculis facinus deprehendas eminus positi multa nescire possunt.* Ita ille quò refero optimū eiusdem Plinij iunioris sensū, & si aliò inspicientis, dum cum Regulo quodam nimiū sibi fidente, & res intus, & in cute se pernoscere

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Plinius iun. lactante, sic aliquando contendisse scribit lib. 1. epist. 20. *Dixit mihi aliquando Regulus, cùm simul adessemus, tu omnia, quæ sunt in causa, putas exsequenda. Ego iugulum statim video, hunc premo: (premit sanè quod eligit, sed in eligendo frequenter errat.) Respondi, posse fieri, vt genu esset, aut tibia aut talus, vbi ille iugulum putaret. At ego, inquam, qui iugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ*, id est, omnem lapidem moueo. Hæc Plinius.

2\. Vnde quidem in Deo descendente ad ea priùs peccata videnda, quæ erat condemnaturus, illud ad nostri institutionem præscribi videtur, quod initio adnotationis ex Seneca dicebamus, *simplicitate opus est, & benigna rerum æstimatione. vt nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestúmque erit, credamus*, quasi ad iudicium de proximi erratis ferendum vix sufficiat, oculis omnia lustrare, atque introspicere, nisi etiam necesse sit, vt ipsamet peccata nobis quodammodo inuitis, atque renuentibus nostris sese oculis ingerant, ipsósque ad benignè videndum, & in meliorem partem res interpretandas semper paratos, ad eorum malitiam animaduertendam detorqueant, & cogant, quod videtur innuisse Seneca inquiens, *nisi quod in oculos inciderit*, quasi illis patientibus, non agentibus ad aliorum defectus cognoscendos vti debeamus: tam clara, & manifesta, atque omnino inexcusabilia ea esse debent, quæ absque temeritate sumus condemnaturi, alias bonam in partem omnia debemus accipere: vel rursus summum Parentem audi in parabola vineæ de pessimis agricolis, qui ipsius seruos iterum, atque immaniter interfecerant, quíque dilectissimum filium atrociùs interfecturi noscebantur dicentem: *Verebuntur filium meum*, Matth. 21. 37. siue vt est apud Luc. c. 20. 13. *Quod faciam? mittam filium meum dilectum, forsitan cùm hunc viderint, verebuntur.* Quid? ignorabátne Dominus illorum perfidiam, atque immanitatem, quo eius vnigenitum non modò non reuerituri, sed in crucem acturi erant? Minimè. Cur ergo suæ quodammodo scientiæ præuaricatorem se facit? Sanè vt videris quàm vrbanè, quàm honorificè de illismet, qui toties in ipsum fuerant contumeliosi, quique contumeliosissimi futuri iam præuidebantur, Dominus sentiat ac iudicet; quámque decoras, & nobiles cogitationes de ignobilibus, & turpibus hominibus habere consueuerint. Noscebantur illi quidem tanti criminis rei, at, quòd ipsum executioni nondum mandauerant, & quasi sub iudice lis erat, meliorem voluit in partem id Dominus accipere; & suæ potius, vt ita dixerim, scientiæ, quàm illorum existimationi detrahere, vt hîc maximè locum habeat quod superiùs dicebat Plinius, *vt enim non sint tales, quales à me prædicantur, ego tamen beatus, quòd mihi videntur.* Ad quem sanè modum in seuera illa extremi iudicij in peccatores proferenda sententia, accuratam, atque huic rei peropportunam locutionem obserua; sic enim rectissimus, & exactissimus iudex, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. 25. 41. & quare, quæso, Angelis tantummodo paratus, & non etiam hominibus, qui in illum etiam (proh dolor;) simul conijciendi erant, & quos ad illum tandem per proprios pedes ruituros ipsemet Dominus satis nouerat? Respondet Iouius Monachus lib. 9. de verbo incarnato quæst. 43. apud Photium sua Bibliotheca. *Ideirco ignem diabolo eiúsque Angelis, non autem hominibus præparatum scribi, quoniam in nobis non inopinata sit è malo in melius mutatio, cùm illi confirmata sua voluntate nullam de se spem reliquam fecerint.* Vides ô reprobe, quàm bene de te Deus sentiat? Audis, quàm benignè de te iudices qui quòd à malo in bonum mutari possis, nunquam quidem reipsa mutandus, quòd virtutem tandem valeas amplecti, nunquam tamen amplecturus de supplicio tibi infligendo nihil cogitat, quasi semper credat, & speret, fore vt illud tandem euadas, & præmia sis obtenturus æterna.

(Margin notes: Matth. 21. 37. — Luca 20. 13. — Plin. iun. — Matth. 25. 41. — Iouin. Mon.)

Aliquale tibi forsan negotium facessat, illud quod vna ex parte Corinthios ad malum è medio ipsorum euellendum Paulus vrgeat 1. ad Cor. 5. 13. 3.
Auferte malum ex vobis ipsis. hoc est, vt interpretatur August. *vt homo malus auferatur ex hominibus bonis, quod fit per Ecclesiasticam disciplinam.* ex alia verò, cùm bono semini zizania idest, iustis iniusti, & rectis praui adnoscerentur admixti, & à patrefamilias prudentes serui perquisiissent: *vis, imus, & colligimus ea*, vt nimirum è medio tritici exturbarent, & malum auferrent, id illis ipse prohibuerit, responderítque *sinite vtraque crescere vsque ad messem*, Matthæi 13. 30. Sed soluit nodum disertè Paschasius lib. 2. in Matthæum, obseruans Paulum non nisi de publicis peccatoribus, quorum crimina manifesta sunt, & in omnium oculos incidunt, Christum verò Dominum sub zizaniorum imagine non de manifestis, sed de ambiguis, sermonem instituere, ideo sibi vni horum diiudicationem reseruasse, ne nos ea in proximi malum, nisi ea quæ in oculos inciderint, manifestáque fuerit, credamus. Audi illum. *Non dico vt contradicam illud Apostoli.* Aufette malum ex vobis: *quòd contrarium huic loco sanare videtur, sed aliud est de manifestis apertisque criminibus iudicare in Ecclesia, aliud de iis, quæ adhuc quasi in herba latent. Nam zizania, quod nos lolium esse dicimus, antequam in culmum veniant, dum in herba sunt tanta similitudo in eis est, vt discerni vix, aut numquam possint, & ideo Dominus*, finite, *inquit*, vsque ad Messem. & post nonnulla: *vnde colligitur, ne vbi quid ambiguum est, Magister Ecclesiæ sententiam citò proferat, sed Deo iudicij terminum reseruemus, vt cùm dies iudicij aduenerit, ille non secundùm suspicionem criminis, sed iuxta manifestum reatum de sanctorum cætu reum eiiciat.* Hæc Paschasius, quæ totidem verbis antea dixerat Hieronymus in eum locum, nisi quòd ille ad Magistrum Ecclesiæ sermonem direxit, Hieronymus verò generali oratione nos omnes admonuit. Ad quem modum Chrysost. hom. 2. in epist. ad Timoth. citata superiùs Domini verba, *Descendens videbo*, elucidat, dum ex illis ad ferendum de proximi actionibus iudicium nos instruere videtur, inquiens. *Noli illum culpare antequam discas, reatum caue, plurima quippe ex simplici suspicione generantur: imitare Deum tuum, audi ipsum dicentem:* Descendens videbo, eum cui iudicandi cacoëthes inest, mirificè fallit, hoc illi munus ex manibus extorquens, quòd priuatis hominibus hæc cura non incumbat sic enim addit, *Quod si, & didicisti, & examinasti, & vidisti, iudicem sustine. Noli præripere Christi iudicis ordinem illius est munus, ista discutere, non tuum.* Ita ille.

(Margin notes: 1. ad Cor. 5. 13. — August. — Matth. 13. 30. — Paschas. — Hieron. — Chrysost.)

Certè Romanos Principes, & Magistratus, qui leui rumusculo animum inducebant, vt Christianos sceleratissimos crederent, & in eos atrocissimè sæuirent efficaci argumentatione malignitatis & iniustitiæ arguebat Tertull. in Apologetico cap. 7. 4.
quòd ad illa flagitia certis rationibus, & argumentis eruenda nollent accedere, quasi malignè timerent, ne ab ipsorum manibus impostura elaberetur; sic ille: *Dicimur sceleratissimi de Sacramento* Tertull.
infanti

infanticidij, & pabulo inde, & post conuiuium incesto, quòd euersores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundia procurent. Dicimur tamen semper, nec vos quod tam diu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis. De vestra vobis dissimulatione præscribitur, non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Hæc sapienter ad sæculares iudices, ne damnarēt, quæ ipsis certa, ac manifesta non essent. Tertullianus; ad te ne in secreto cordis temerarium iudicem agas, aliam tutiorem mentem inijcit Bernardus, ne videlicet in primis, quæ ad te non pertinent, eruere insistas, deinde, vt quæ forsan non omnino ad amussim consentientia videris, quo meliori potueris modo excuses: *Caue* (inquit ille serm. 40. in Cant.) *alienæ conuersationis esse, aut curiosius explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, ne sic iudices proximum, magis autem excusa; excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum.* Sic ille. Quasi non modò dixerit, ex sensu Plinij, non te pudeat fili felicissimo errore: *quid enim honestius culpa benignitatis?* Sed etiam statuat, temerarium iudicem eum esse, qui externo proximi facto commodam excusationem non attulerit, & magno quidem iure, assertore nimirum dicente apud Ioannem 7. 24. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate*: vbi ex vi aduersatiuæ illius, *sed* videris inter se opponi hæc duo, *iudicare secundùm faciem, & rectum iudicium iudicare.* Nimirum, quia sæpe sæpiùs actionis prauitas, siue rectitudo à secreta operantis intentione iudicanda venit; *in disciplina* quippe *Christiana* (inquit Augus. lib. 9. de ciuitate Dei capite 5. *Non tam quæritur vtrùm quis irascatur, quàm quare irascatur, nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis.* Quare idem Augustin. de serm. domin. in monte lib. 2. cap. 28. absolutè pronunciat, temerarium ferri iudicium, cùm externæ actioni, quæ à ratione deflectere videtur, sic hæremus, vt bono operantis animo fidem facere nolimus; vnde subdit, *Si ergo quispiam conquestus de stomacho ieiunare noluerit, & tu id non credens edacitatis vitio tribueris, temere iudicabis.* Addit statim, *Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant.* A quo non abit Hieronymus lib. aduersùs Luciferianos; vbi innixus illi Salomonis sententiæ Prouerb. 14. 12. *Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius deducunt ad mortem,* (siue vt ipse legit *ad profundum inferni*) hanc humanorum iudiciorum incertitudinem, siue temeritatem sic optimè confutat: *In hoc errore iudicij, quæ potest esse certa sententia?*

Bernard. — Ioann. 7. 24. — Augustinus — Idem. — Hieronym. — Prouerb. 14. 12.

5. Vides quàm sapienter dixerit Seneca simplicitate opus esse, & benigna rerum æstimatione, vt nihil nisi quod in oculos inciderit, manifestúmque erit credamus? Accipe modo diuini iudicij formam huic sententiæ omnino applaudentis; etenim Leuitici canones leprosi iudicium à sacerdote hunc in modum exercendum, ferendúmque præscribūt cap. 13. 4. *Sin autem lucens candor fuerit in eum nec humilior carne reliqua, &c. recludet eum sacerdos septem diebus, & considerabis die septimo, & siquidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos; rursum recludet eum septem diebus aliis, & die septimo contemplabitur.* Obserua, quanta lentitudine ac cunctatione, quámque accurata discussione ad sententiam ferendam procedatur, non secus, ac ipsemet Dominus iudices monebat apud Isaïam 1. 17. ne citò, & temere sententiam proferrent, sed *fermentarent* iudicium, de quo nos ad cap. 1. vers. 13. adnot. 5. num. 9. Sed illud nostro instituto opportunius animaduertere; in rectissimo, & à Deo inspirato iudicandi modo coniecturis, atque indiciis, qualibet illa sint rem minimè transigi, sed illis clamantibus, ac reclamantibus, dum crimen in oculos non inciderit, reum absolui: subiicit náque oraculum, *Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum,* hoc est, insontem, ac innocentem iudicabit, id sic subtiliter inibi considerante, atque explicante Venerab. Radulpho: *Si obscurior fuerit lepra, id est, si nulla criminis obiecti facta fuerit euidentia, nec hominis conscientia loquendo, vel operando corruptionis suæ suspicionem auxerit, mundabit sacerdos.* En diuini iudicij formam litem coniecturis, aut indiciis non dirimentem, nec occulta crimina, nisi ad externam cutem *euidentia facta* eruantur à iudice damnari permittentem: quo facit sapientis consilium Prouerb. 27. 23. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*; siue, vt LXX. habent, *euidenter cognosces animas gregis tui*, quo Prælati vt ad externas subditorum actiones, quæ in vultu ipso apparent, & ad euidentia crimina sollicitos cognitores esse commonefiunt, ita de internis rebus suspiciones gignere, ac iudicium ferre prohibeutur, vt ad ea verba obiter adnotauit Galfrid. Tilmani hunc in modum: *Sicut de occultis alieni cordis temere est iudicare, sic de iis, quæ in facie sunt, non licèt dissimulare pastori. Habet, & vultus probabile quoddam voluntatis indicium, vnde etiam dicitur obtinuisse vocabulum. Cauendum ergo pastori, ne inueniatur in iudicanda intentione cordis suspiciosus: sed nihilominus attendendum, ne sit inconsideranda exteriori conuersatione remissus.* Ita ille.

Leuitic. 13. 4. — Isai. 1. 17. — Radulp. — Prou. 27. 23.

6. Dixeris quidem proprium id charitatis munus esse de qua Petrus epist. 1. cap. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & Salomon Prou. 10. 12. *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas.* Ac si dicat; non secus ac odium, quascumq; proximi actiones vitio vertit, & peiorem in partem interpretatur: vt inde rixarum ansam arripiat, sic dicebat Cornelius Tacitus; *Inuisum principem æquè bona, ac mala premunt:* Ita charitas è contrario proximi sui delicta nō tantùm extenuat, sed etiam excusat, atque defendit, vti monebat Bernard. *Etiam si perperam actum quid deprehendas, ne sic indices proximum, magis autem excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta surreptionem, puta casum.* Habet verò non nihil emphasis, ac venustatis phrasis operiendi, ac si super proximi delictum pallium iniicias, vt operias, ac tegas, & non alienis solùm, sed propriis etiam oculis imponas, latentémque malitiam ab illis subtrahas, & abscondas, nec de fratris errato, quod sese tibi ingerit, certior fieri velis, sed sub dubio, & sub iudice, vt aiunt, rem relinquere, ad eum quidem modum, quo boni Noë filij Sem, & Iapheth, *pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui, faciésque eorum auersæ erant, & patris virilia non viderunt*, Genes. 9. 13. pulchrè auersis vultibus incedentes, vt proprios oculos subducerent, & à videndo retraherent, ac si se ipsos fallere vellent, ne pro certa, & manifesta certam, & manifestam rem haberent. At enim verò vt tu id ad charitatem referas, ego contentus non ero, nisi iuxta Leuiticum canonem ad iudicium, & iustitiam potiùs reuocauero. Sanè de optimo, ac perfectissimo modo, quo Dei Filius homo factus ius erat redditurus, verba faciens Isaïas cap. 11. 3. sic aiebat, *& replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum iudicabit, nec secundum auditum aurium arguet; sed iudicabit in iustitia pauperes.* vbi duo pendas velim; alterum quò eat rantus, támque

1. Petr. 4. 8. — Prou. 10. 12. — Corn. Tacit. — Bernard. — Genes. 9. 13. — Isai. 11. 3.

támque perfectus Dei timor, nempe vt non facilè, nec nisi iustissimè alios arguat, atque diiudicet; alterum iudicium in vera iustitia siue ad leges iustitię factum opponi iudicio quod ex visu, audituve oritur; cùm videlicet vel oculis tota res perfectè non hauritur: vel aures non nisi leues rumores persuadunt, tunc enim ex ratione, atque iustitia iudicium suspendi, & pro innocentia causa dici debet. Ita quidem de sanctissimo Mariæ sponso Iosepho ipsā vterum gerere vidente, nec tamen sinistra suspicione de eius castitate dubitante, dixit Matthæus ca-
Matth.1.19. pite 1. 19. *Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam:* vbi notanter dicitur, *cùm esset iustus*, qui non *secundùm visionem oculorum* iudicaret; sed egregiis potiùs Mariæ virtutibus aduersùs ipsammet oculorum aciem fidem haberet, vt Chrysost. siue apud illum Auctor operis imperfecti, sic obseruat hom. 1. in
Chrysost. Matth. *O inestimabilis laus Mariæ! magis credebat castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius esse credebat, mulierem sine viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare.* optimè illud, *manifestè videbat, & suspicari non poterat*; & quare non poterat? Planè, quòd egregiam Mariæ sanctitatem in trutina suspendere, & iis quæ videbat opponere, & re æqua lance perpensa pro Mariæ castitate iam diu sibi nota aduersùs visionem oculorum iudicium ferre deberet. Vnde subiicit idem Auctor. *Hic autem, & maritalem zelum, & vteri clamantis accusationem sola præteritæ conuersationis documenta vincebant.* Hæc verissimè de Maria: illud vt per hyperbolem, & insanam exaggerationem à Seneca de Catone
Seneca. dictum, ita nostro instituto peropportunum. *Catoni ebrietas obiecta est: at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quàm turpem Catonem.* Sic ille lib. de tranquil. animi cap. 15.

7. Sed tam his, quàm Pauli locutioni, nec non Senecæ sententiæ, quæ candidè res proximi accipientes, & benignam interpretationem *simplices*, & *simplicitatem* appellant, mirificè concinit beatum Iobum ab Scriptura simplicem, ac rectum signatè appellari: sic namque cap. 1. vers. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus.*
Iob cap.4. vers. 1. Quam verò ob causam speciosis his appellationibus fuerit decoratus, quæ primo in limine ipsius egregiè factorum dicuntur, satis ostendunt: nam cùm filios, filiásque suas numerasset sacra pagina, eósque mutua inter se conuiuia celebrasse, ac frequentasse, retulisset, quid tunc bonus pater ageret,
Iob. 1. 5. sentirétque, sic describit vers. 5. *Cùmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne fortè peccauerint filij mei*; sed ad hæc verba omnino adeundus est
Gregorius Magnus. Gregorij Magni lib. 1. Moralium commentarius, is etenim dum cap. 5. monuisset, plura esse peccata, quæ à conuiuiis vix, aut ne vix quidem diuelli queant, cap. subinde 8. premens hæc, quæ adduximus verba scitè obseruat, non dictum fuisse à sancto Iob, quæ egregia illius simplicitas erat, preces se, & holocausta pro peccatis filiorum assiduè conuiuantium fecisse, sed potiùs, *ne fortè* in iis conuiuiis, in quibus vt blanda, & frequens, ita penè ineuitabilis ad peccatum illecebra est, fragilitate humana *peccauerint*: quod *simplex*, æquè ac *rectus vir*, id quod indicia solùm, & coniecturæ quantumuis graues, ac vehementes eæ fuerint, adstruunt; pro comperto statuere, ac iudicare nollet. Sed dum id
1. ad Cor 4. 5. ex Paulo 1. ad Corinth. 4. 5. dicente, *Nolite autem tempus iudicare quoad vsque veniet Dominus: & illuminabit abscondita tenebrarum*, &c. firmat Gregorius pulchrè ex his verbis monens. *Quisquis enim cogitatione à rectitudine exorbitat, in tenebris peccat: nos ergo tanto minus debemus aliena corda audacter reprehendere, quanto scimus, quia visu nostro non possumus aliena cogitationis tenebras illustrare.* Sic ille.

Sed ecce, pessimi illi testes aduersus Dei Filium 8.
falsum ferentes testimonium, quosque ad vers. 11. huius cap. adnot. 7. num. 3. latiùs incusauimus, iterum sunt nobis in crimen vocandi, atque eorum falsitas accuratiùs examinanda, eruenda, ac confutanda. Dixerat quidem vitæ Assertor apud Ioan. 2.
19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo* Ioan. 2. 19.
illud; quibus illi verbis aliquo modo hærentes dixerunt: *Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*, Matth. 26. 61. Nec Matth. 26. 61.
omnino abs re ambigitur, quæ huius ab illa sententia discrepantia fuerit, cùm sensus eodem ire videatur: Sed respondeo falsitatem inde deprehendi, quòd Christo dicente *templum hoc*, illi non syncerè dixerint, *templum Dei*, at, quod fuerit, inquis, huius ab illo tam ingens discrimen? Aperiam quidem; certè cùm Dominus de templo corporis sui sermonem instituens dixit, *templum hoc*; non est dubium, quin manus actionem verbis adnectens, sacratissimum corpus digito ostenderit, vti, & ad verba Matthæi sic inquit Paschasius: *templum corporis* Paschas.
quasi digito tangebat, & apud homines vsu venit, nunquam enim de re sibi præsente agentes eo pronomine demonstratiuo vtuntur, quin illi manum commodent, vt eam ostendant, & tam voce, quàm actione loquantur. En ergo falsorum testium iniquitatem, qui verba manu indice denudarunt, & quod de sui corporis templo in mundi salutem soluendo, & excitando Dominus affirmauerat, ad materiale illi templum inutiliter ac superbè demoliendo, & inani gloriatione reædificando falsò retulerunt. Instas tamen fieri potuisse vt illi homines longiori forsan loci spatio à Christo Domino disiuncti eam manus indicationem oculis non deprehenderint, sicut, & illam ipsosmet Domini discipulos præter volasse, penè constat ex iis quæ Ioannes statim subiungit. *Ille autem dicebat de templo cor-* Ioan. 2. 21.
poris sui; cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt Scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Durum autem videtur, plus curæ à Christi hostibus in minutis ipsius actionibus notandis, atque obseruandis, quàm ab eius discipulis exigere. At enim verò futilis est hæc pro istis carnificibus apologia, nec hilum ipsorum culpam minuit. Vt enim Christi discipuli ad ipsius actionem, qua corpus ostendit, non attenderint; nec horum verborum sensum plenè perceperint, at ea in malam partem minimè accipere, aut vllum de ea minus fauens iudicium ferre ausi sunt: sed vel suspensa mente ea in futurum intelligenda sibi reseruare, aut ex aliis ipsius egregiè dictis, & factis, quæ sibi erant manifesta; hæc occulta, vt æquè optima probare, & venerari apud se statuerunt: pessimi verò hi testes meritò falsissimi habentur, quùm eminus positi, nec cum cura, & indaginis studio, ne quid esset, quod eos falleret, aut lateret, quominus rem oculis deprehenderent, & cuncta perlustrarent (vt superiùs adducti Ambrosius, & Philo monebant) verba, quæ ipsorum auribus vix circumsonuerunt, in priorem partem interpretari ausi fuerint. Bene ergo Matthæus ait, *Nouissimè autem venerunt duo falsi testes*: qui re non satis percepta cæco nocendi impetu falsum, ac teme

temerarium de ipsa tulerunt testimonium.

9. Firmat hæc perillustris locus apud Iobum capite 16. 10. vbi sub Christi persona de hoste suo ita Iob.16.10. conqueritur, *Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me*, sed scito non eam esse querimoniam, quòd truci vultu, aut oculis ardentibus illum intueretur: quis enim nisi puellulus eam faciei ferociam horreret? constat id ex originibus: nam Hebræa Heb. Lect. habent, *exacuit oculos suos contra me*: siue, vt reposuit Lect. Tig. Lect.Tigur. *oculus suis micat contra me*: quæ acerrimũ, & oculatissimũ nõ sine malignitate intuitum, à capite ad pedes lustrantẽ & circũlustrantẽ ad aliquod illius vel leuissimũ errarũ inuestigandum, atq; venandum denotant; ad eum quidem modum quo sumpta imagine ab aquila, quæ omnium auium acutissimè cernit, siue ab Epidauris draconibus, qui oculatissimi esse perhibentur, dicebat ille satyra. 3.

Horatius. *Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?*

Quàm aut aquila aut serpens Epidaurius.

At quidem præterquam quod vt dixit Cicero libro primo de oratore, *ferè nemo est, quin acutiùs, atque acriùs vitia in dicente, quàm recta videat*: hominem iustum, atque innocentem ab hoste externo intuitu accutissimè circumspici atque lustrari, grande malum non fuerit, cùm, inde, & ipsius probitas, atque innocentia magis elucear, & inimici oculi virtutis pulchritudine repercutiantur. & grauiùs doleant. Plus ergo hostiles isti oculi virtutis minantur. Aperiunt id Chaldæus. & LXX. ille enim Chaldæus. LXX. quamuis apud Bibliam Regiam habeat, *oculos tamquam nouaculam acuit contra me*, sensu iam dato, ar à Cypriano Cisterciensi. & aliis sic capitur, *oculus subtilia inspexit me*; quod planè non modò innuit acerrimum, & acutissimum intuitum, vt videat, atque perlustret, quid reprehendere quid calumniare possit, sed eleganti subulæ similitudine, quæ rem perforat vt occultiùs, siue profundiùs penetret, se tamque introducat, denotat interiorem cogitationis visum, quo secretum animum, & occultam iusti intentionem quis penetrat, vt quamuis externa omnia ad rationis leges composita videat, operis tamen scopum, occultissimámque intentionem, diuinis solùm oculis peruestigabilem, quam, etsi alia minus recta videret, excusare, atque defendere, iuxta Bernardi monitum: *Excusa intentio-* Bernard. *nem si opus non potes*; æquus iudex deberet, ipse, inquam accuset, atque damnet: vel si indifferens opus sit, quod à fine operantis bonitatem siue malitiam capiat, in peiorem partem interpretetur, ne vllus reo euadendi locus, aut facultas sit: *cùm sit iustius occulta de manifestis praiudicare, quàm manifesta de occultis pradamnare.* Quam cogitationem non minus eleganter expresserunt LXX. qui ex Biblia Caraffa. Bibliot. Reg. correctissima Bibliæ Caraffæ lectione habent: *acie oculorum* (siue, vt est apud Bibl. Reg. *telis oculorum*) *irruit in me; mucrone percussit me in genibus*: cui lectioni præter elegantes telorum, & mucronis locutiones, siue translationes, quæ insanabilia vulnera significant (sic enim Hispanè ad vulnus molestissimum, & valde periculosum denotandum metaphoricè dicimus, *Herir de agudo*) emphatica subest imago feriendi in genibus, quæ in hanc sententiam maiorem vim habet, quàm si alteri quamuis delicatissimæ corporis parti plaga illata consideraretur, nimirum vulnus genibus inflictum hominem eneruat, nec illum effugere, aut loco discedere, mouerive permittit, vt significare hac locutione sanctus Iob videatur, ea hostem malignitate suis actionibus insidiatum; tam externa quàm interna incusando, & in peiorem partem detorquendo, vt omnem illi defensionis, aut excusationis effugium intercluderet. Et verò *quis innocens esse possit? (Ammian. Marcell. libro 8.) si accusasse sufficiat.* Ammi. Marcel.

Vis videre Iobi hostem subulæ oculis eum ferientem? audi illum egregiis hiscè à Deo Iob tributis laudibus. *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* Iob. capite 1. vers. 8. sic obuiam euntem. *Nunquid Iob frustrà* Iob.1.8. *timet Deum? Nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum?* &c. ac si dicat. Non est is verus Dei timor, non est verus amor, nec enim te propter te, sed propter tua colit, vt terrena in eum bona conferas, & collocata conserues, occultissimam nimirum animi intentionem subulæ oculis penetrante, vt quæ exteriùs pulchra videbantur, ex internis maculis, quas suspicatur, corrumperet. Ita hæc expendente Olympidioro in catena Græca, *Animaduertere improbi-* Olymp. *tatem, cùm ea quæ dicta erant incessere non posset, animi sententiam insectatur, & ad ea, quæ latent, se idcirco refert, quia quæ aperta, & explorata sunt illi elabuntur.* Nosce diaboli artes, nosce ingenium, vt hinc noueris, esse quidem humanæ infirmitatis, ex primis, ac leuibus indiciis aduersùs proximum temerè ac furiosè decernere, & dubia in peiorem partem interpretari; at enim, quæ bona apparent subulæ oculis velle introspicere, vt ex occulta animi intentione damnentur; dæmonis solùm, & dæmonis filiorum animum, & ingenium esse. Sed quàm iniquum, quàm atrox ad iudicium fuerit! Nónne iustius, & multo opportuniùs, vt occulta, quæ non vides, ex externis rectè factis, quæ tibi nota sunt, bona fore coniicies, atque interpretaberis, quàm ex tna hæc bona, ex occultis, quæ ignoras, condemnare præsumpseris? Hac quidem efficaci, & velut necessaria argumentatione Romanos Magistratum malignitatis, & iniustitiæ arguebat, & conuincebat Tertullian. in Apologet. ca- Tertul. pite 3. quòd fideles, quo aliàs vitæ puritate conspicuos nossent, ex solo Christiano nomine, quod ipsi omnino ignorabant, absolutè damnarent; cùm multo æquius foret, ex iis quæ manifestè bona erant occulta probare, quàm ex occultis manifesta damnare. Cùm enim dixisset. *Quid quòd ita plerumque clausis oculis in bonum eius impingunt, vt bonum alicui testimonium ferentes admisceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius Seius, sed malus tantùm quòd Christianus* subdit. *Laudant quæ sciunt, vituperant quæ ignorant, & id quod sciunt, eo quòd ignorant corrumpunt, cùm sit iustius, occulta de manifestis praiudicare, quàm manifesta de occultis pradamnare* Sic Tertullianus.

11. Huic verò Iobi querimoniæ eam, licèt frigidam, ac leuidensem, possit non nemo consolationem adhibere, non ipsum solummodo fuisse, qui hostiles hos oculos pateretur, ferunt enim togatos istos hostes omnia sæcula, *Maxima enim pars generis humani* (inquit August. serm. 102. de tempore) *indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur, cùm tamen non ita se velit ab aliis iudicari.* Sanè inter vitia, quæ priscis Philosophis tribuit Paulus, huius malignitatis signatè meminit ad Romanos 1. 29. inquiens, *repletos omni iniquitate*, &c. *dolo, & malignitate*, vbi pro *ma-* ad Rom.1.29. *lignitate* habetur κακοήθεια, quæ vox (vt ibi adnotat Iustian.) Aristoteli est vitium, quo omnia in peiorem partem accipiuntur: vnde Syriaca Lectio Lect.Græca, & Syriaca. pro illa reposuit, *pessimis cogitationibus.* De ipsomet autem Pauli sæculo hac lue infecto dicebat Seneca libro de tranquil. animi c. 3. *In hac tam insanam hominum*

hominum ambitione tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus parum tuta simplicitas est. Nec crediderim, leniorem esse hodiernam hominum ambitionem, vt mitiores de proximis cogitationes habeant; immò verò, quo ipsi in peccata proniores in dies sunt, eo ad aliorum actiones sinistrè ac temerario iudicio interpretandas procliuiores feruntur, siue quia (vt ad eos, qui bonis oblatrare consuescunt, aiebat idem Seneca lib. de vita beata c. 19.)
Idem. *Expedit enim vobis, neminem videri bonum: quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit.* Siue quia in suis vlceribus experti ex suo animo omnes æstimant, & proprio pede metiuntur, vti adstruit
Chrysost. Chrysostomus homilia cui titulus, *Magnum esse bonum non tantùm exercere virtutem, sed etiam laudari*; hunc in modum, *Plerumque vulgus hominum ex suo animo de aliis iudicat, velut qui assiduè inebriatur, haud facile credere potest, esse quempiam hominem sobriè frugaliterque viuentem, qui scortis indulget, etiam pudicè viuentes habet pro incontinentibus: rursus qui res rapit alienas non facile persuadebitur, esse homines qui sua quoque profundant.* Ita ille; & eius vestigiis
S. Isidor. Pelus. hærens Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 307. *ad quemdam militem*, sic ait. *Quemadmodum ardentes pudicitiæ amatores ex sua castitate, de aliis etiam, quamuis minimè tales sint, puras sententias ferunt, nec impudicum quemquam esse arbitrantur: eodem modo qui libidinis æstro tamquam rabie quadam agitantur (quorũ te quoque vnum esse aiunt) ex petulenti sua libidine alios, etiam qui non sunt tales esse iudicant.* Qua ratione
Tertul. Tertullianus lib. 1. ad Nationes cap. 7. Ethnicos reuincebat quòd falsis tantùm rumoribus aduersùs Christianos discernerent, tanto proniores ad fidem iis calumniis dandam, quanto ipsi ad malitiam procliuiores essent; cùm enim dixisset: *Adhuc Christianis sola fama decernit*, subiicit. *Habet quidem grande fundamentum de vitio ingenij humani: felicius* (sic habent nuper reperta exemplaria, ego tamen omnino legendum crediderim *facilius*, vt sententia & mens Tertulliani constet) *in acerbis, atrocibúsque mentitur, quanto enim proni ad malitiam, tanto ad mali fidem opportuni estis. Faciliùs denique falso malo, quàm vero bono creditur.* Hinc etiam Bernardus serm. 3. de Annuntiat. dum improbos illos senes lectissimam, atque impenetrabilis pudicitiæ Susannam ad turpitudinem pellicientes in Scribis, & Pharisæis mulierem in adulterio deprehensam Christo iudici sistentibus, & pertina-
Ioan. 8. 6. ciùs accusantibus apud Ioan. c. 8. 6. considerat, at-
Dan. 13. 22. que illa Susannæ verba Daniel. 13. 22. *Si autem non egero, non effugiam manus vestras*, acutè versat, sic ait. *Vestras ô Pharisæi manus nec adultera effugit, nec pudica, vestras accusationes, nec sanctus, nec peccator euadit: dissimulatis peccata vestra, vbi inueneritis aliena. Alioquin si quis fortè suum non habet, vestrùm ei impingitis crimen.* Sic ille.

12. Ita quidem Ezechielem ad concionandum, & inter sæculares homines agendum, missurus Dominus, de hac ipsorum ad aliorum, præsertim spiritualium virorum mores temerario impetu diiudicandos procliuitate, noxióque ingenio sub scorpij virulentissimi animalculi imagine sic admonebat,
Ezech. 2. 6. *Increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpioni-*
Plin. *bus habitas*, Ezechielis 2. 6. Nam de scorpione Plinius libro 11. cap. 25. *Semper cauda in ictu est, nullóque momento meditari cessat, ne quando desit, occasioni.* quasi ij adumbrentur, quorum cogitatio in ictu semper est, vt quæ per se innoxia & probra sunt, flagitiosa interpretatione inficiant, atque cor-
Conrad. Gesn. rumpant. Et verò dum naturalis historiæ periti, inter quos Conradus Gesnerus lib. 4. de scorpione linea 60. (qui vt irreligiosus & damnatæ memoriæ auctor, ita harum næniarum perdiligens exstitit scriptor,) de scorpio affirmant, scorpium blandum, ac quasi virgineum habere vultum; illos mihi scorpios virulentiores, & execrabiliores delineasse videtur, qui bonæ rei prætextu, & velamento iustitiæ siue Heliæ pallio, qui diuinæ gloriæ zelatores extitit, ad proximorũ actiones diiudicandas, pungendásque assultant, qui quidem, præter quam quòd ei se negotio maximè immiscent, quod ad ipsos minimè pertinet, nullum opinor ad ferenda hæc iudicia ius habent, atque iudicandi muneri nullatenus idonei sunt. Dixit siquidem grauiter Ambros. serm. 20. in Psal. 118. premens Christi Ambros.
verba, *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, Lucæ 6. Luca 6. 37.
37. *Iudicet de alterius errore qui non habet, quod in se ipso condemnet. Iudicet ille qui non agat eadem quæ in alio putauerit punienda, ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam. Iudicet ille, qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.* Dixit & leuiter satyricus,

Loripedem rectus irrideat, Æthiopem albus. Iuuenal.

At hi, *hoc vnum pij sunt* (sic Gregorius Nazian. in Gregorius Nazian.
Apolog.) *quòd alios impietatis accusant*: qui ergo tribunal instituunt, & iudicandi munus sibi præripiunt? Scilicet magni Zelatores sunt gloriæ Dei. Credidissem omnino, si quod bonus Helisæus Heliæ pallij hæres, atque successor curauit, duplicatum Heliæ spiritum habere studerent; malè enim pallium Heliæ ei, qui spiritum Heliæ non habet, hærere solet. O vtinam sancte Helia vel duplicem 4. Reg. 2.
tuum spiritum istis zelatoribus reliquisses, vel tuũ tecum abstulisses pallium. At (malum) cum tuo pallio, sine tuo spiritu pro diuina gloria æmulanda sanctum lædunt Spirituum, & quotidianas fraternæ charitati, & societati insidias moliuntur. Huic tamen scorpiaco veneno id antidotum in bonæ conscientiæ gratiam affert Nazianz. non minus diros scorpios & ipse aliquando passus orat. de se ipso. *Quid mea interest, qui rei veritatem magis curo,* Nazian.
immò solùm curo: hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum, vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid verò? an iis, qui vertigine correpti sunt terra fixa, & stabilis esse videtur. Quo circa fac prius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita senserunt, ac tum nos admone, vt meliorem mentem induamus. Sic ille. Bernard. verò aliter, dum non nisi in cælum quietem ab hoc diro, & importuno bello sibi promittebat, ille enim serm. de S. Andrea ad fin. de cœlesti beatitudine
verba faciens: cùm dixisset, *O sapientia, qua tunc* Bernard.
omnia, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Subiicit, *Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia ciuitas illa (iuxta Ioannem) purissimo vitro similis erit, vt sicut vitrum lucidissimè cernimus, sic aliorum conscientia, clarissimè videamus.* Ita Bernardus emphaticè beatitudinis partem quodammodo censens ab sinistris hominum suspicionibus liberum, & immunem esse. Sed hæc modò; plura forsan quam debui, pauciora certè quã volui.

ADNOTATIO X.

Simplices, ac Dei filios hoc nomine esse qui sentiunt quod loquũtur, nec linguã ab animo dissidentẽ, siue opera à lingua discrepãtia habent.

QVAMVIS posteriori loco de hac animi simplicitate, qua quis quod sentit loquitur, sermonem instituamus, non minus equidẽ 1.
quam

quam aliæ Pauli verbis atque instituto hæc significatio ac sensus quadrat. Vt enim de Græca voce in expositione literæ monuimus rectè verti posse *non fucati*; ita cũ voce Latinâ *simplices*, composuimus il-
Iob.c.1.ver.1. lam Iobi laudem cap.1.vers.1. *erat vir simplex*, quasi doli expers, non ore solùm, sed corde loqueretur.
L X X. Psal.14.3. Pro qua explicatione obserua. L X X. ibi habere, *erat vir verax*, quasi idem fuerit *simplex* ac *verax*; atque is omnino hic sit, *qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua*, Psalm. 14. 3. id
Hilarius. Hieronym. est, vt inquit inibi Hilarius, *vt veritatem quam sentit, non fallat verbis*. Sed & Pseudo Hieronymus citata in exposit. litt. epistola ad Demetriadem dum hæc verba, *vt sitis irreprehensibiles, ac simplices*, ad perfectiorem vitam formandam tulit, sic inquit. *Quàm enim circumspecta vita est, quàm sancta, quæ nihil reprehensionis incurrit. Quis autem sanctior potest esse, quam qui veræ simplicitatis virtutem tenens nunquam aliud corde promittit, aliud ore vultúque mentitur*. Iam verò quàm deceat filios Dei simplex istud, & candidum ingenium, ex iis, quæ de hac Dei simplicitate subiicimus, facile constabit.

2. Equidem summi Dei character, immò & nomen
Exod.3.14. id est, vt sit, qui sit. *Ego* (inquit Exod.3.14.) *sum, qui sum*. Quibus verbis hic inter alios subesse potest sensus, ac si dicatur, ego illummet rebus me exhibeo, quem verbis & signis esse profiteor, atque promitto: nec more hominum qui Euripi more hinc, inde fluctuant, alius videor, alius sum: sanè ad veræ Deitatis rationem, & naturam adeò necessarium id
Tertul. existimauit Tertullian. vt cùm illi tam fuerit semper inuisum duos Deos concedere, vt Deum è medio tollere, atque negare, priusquàm duplicem facere, animosè maluerit lib.1.cont.Marcion. in prin. inquiens. *Veritas Christiana districtè pronunciauit, Deus, si non vnus est, non est, quia non dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, vt esse debebit*; præ comparatione tamen Dei simulatoris, ac versipellis, qualem ei hæretici volebant obtrudere, libentiùs eam duorum numinum indignitatem, deuorandam, & grauissimum duorum dominorum pondus tolerabilius sustinendum iudicabat. Agebat siquidem aduersùs Praxeam Patris & Filij personas munia, atque ipsa nomina confundentem peculiari libro aduersùs Praxeam cap.13. & vt insanum hæretici errorem labefacteret, singulas locutiones, in quibus siue Pater de Filio suo loquitur, siue Filius Patrem velut indice ostendit, luculenter explicabat, vnam inde personã ab altera scitè discriminans. Huic verò luci eas tenebras amens ille Praxeas immiscere tentabat, vt eadem omnino persona pro rei opportunitate iam Patrem, iam Filium se nuncuparet: sed cum quo se hæreticus tutabatur, murum ille
Tertul. grauissimè huius sententiæ pondere elisit. *Tollerabilius erat duos diuisos, quàm vnum Deum versipellem prædicare*. Sic ille.

3. Et verò vel ob hoc, ipse Dei filius resurgens ex mortuis, pacem discipulis suis ore reddens, manus simul, & latus signatè ostendebat, vt eũdem se verbis ac corde, & rebus ostenderet; ita enim apud
Ioan. 20.19. Ioannem cap. 20. 19. *Venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis, & cum hæc dixisset, ostendit eis manus, & latus*; ac si diceret, en labia, ma-
Ioan. 14.27. nus & latus eodem enuntia; en verborum, & operum egregium consensum. *Videte manus meas, & pedes* (ita de eadem re apud Luc. c.24.39.) *quia ego ipse sum*: non alius verbis, alius rebus, nec *pacem quomodo mundus dat ego do vobis*, Ioan. 14.27. ille si quidem ad instar Iudæ, quem amicè osculatur, insidiosè di-
Chrysol. uendit: ego quam pacem corde, eam ore, eam manibus reddo. Certè Chrysol. Christi diuinitatem, ac maiestatem, Pharisæorum verò malignitatem hinc eleganter pensitabat ser.31. inquiens. *Hinc est quòd Christus virtutem lux agebat liberè, loquebatur purè, præstabat vt Deus, patiebatur vt parens, vt dominus arguebat: Iudæi verò, viperinum germen, &c. submittebant capita, adulabantur lingua; vulnera dabant dolis, blasphemiis, &c.* Hæc Chrysol.

Iam diuinum hunc candorem, & simplicissimum 4.
ingenium filiis suis Deum inspirare voluisse, inde videris, quòd diuinus Spiritus super Christũ à Ioanne in Iordane baptizatum in columbæ forma comparuerit: *& vidit* (inquit Matth.c.3.16. *Spiritum Dei* Matth.3.16.
descendentem sicut columbam, & venientem super se: nimirum, vt dum inibi Ecclesiæ regeneratio, & fidelium per Baptismum ortus, ac natiuitas adumbrabatur, illud omnimodæ simplicitatis, niueique candoris nobis proponeretur imitandum exemplar, quod cũ omni vafritie, simulatione, fictione, dolóque aut in sinceritate pugnat: colũba enim quid simplicius? candidius? purius? adnotãte hoc Pasch. lib.2. in Mat. hisce verbis. *Quia columba fel non habet, patenter in-* Paschas.
sinuat, quòd in felle amaritudinis esse non debet, quisquis ad hanc gratiam venire deuotus exoptat, sed simplicitatem, atque innocentiam, quam de se videntibus exhibet, animo retinere, atque moribus conspicientibus se in faciẽ simplicitatem vitæ repræsentare. Pulchrè illud, *moribus conspicientibus se in faciem*: vt nimirum nulla interiùs duplicitatis ruga sit, nihílque quod exterius non eluceat, & ex cute (vt aiunt) appareat: nihil quod in faciem non prodeat, ad eum modũ, quo dicebat Ambr. lib.2. offic.c.29. *Quales haberi volumus, tales* Ambros.
simus, & qualem effectũ habemus, talẽ aperiamus. Hinc de mysticis rotis diuino afflatis Spiritu notãter apud Ezech.c.1.vers.16. dicitur, *& aspectus earum, & ope-* Ezech. 1.16
ra quasi sit rota in medio rotæ: id est, vt nihil minus externa ab internis haberent, nec animus à facie, & verbis vllatenus discreparet, sed vt rota rotæ adsimilis omnino esset; sic id admonente venerab. Galfr. in alleg. Gotfr. Tilm. *Sit ergo aspectus velut si sit rota in* Galfrid.
medio rotæ ad fugiendam dissimulationẽ: sint & opera ad Gothfrid.
euitandã simulationẽ. Quidã enim dissimulant quod sentiunt, & non habent aspectum; quidã verò simulãt, quod non sunt, sed opera non inueniuntur in eis. Hæc ille.

Vnde quidem inter prima salutis monita ab Asser- 5.
tore discipulis data, hoc illis ingerebat. *Sit sermo ve-* Matth.5.37.
ster: est, est: non, non, Matth.5.37. vbi si ambigas, (nec immeritò) cur ea affirmationis siue negationis conduplicatione *est, est: non, non*, vsus fuerit Dominus, cum altera nec ex re, nec ex vsu sit; quis enim de re quapiam interrogatus, sciret, verbi gratia, an non sciret: vidisset, an non: vnquam respondit, *non, non*, vel *est, est*; sed simpliciter *est*, aut *non*? acutè ad id loci respondet Rabanus: *Ideo dicitur bis: est, est; siue non, non ita est, vt quod ore affirmes, operibus probes, & quod verbis negas, factis non confirmes*. Ac Rabanus.
si apertiùs dixerit, ideo tibi præscribitur, vt bis dixeris *est, est*, siue *non, non*; vt externæ affirmationi, vel negationi tuæ, alia affirmatio, siue negatio interiùs respondeat, & quod ore sentis, intus loquaris: nec aliud animo, aliud fronte dixeris. Placuisset id quidem, si audisset, Marco Tullio qui libro 2. de finibus monebat: *Quòd si vultum tibi, si incessum fingeres, quò grauior viderere, non esses tui similis: verba tu fingas, & ea dicas, quæ non sentias, aut etiam vt vestitum, sic sententiam habeas: aliam domesticam, aliam forensem, vt in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur, vide quæso rectum ne sit*. Hæc Tullius: sed illud opportunius quod in hanc rem excogitauit venerab. Galfrid. in allegoriis Gothfrid. Tilmani ad cap. Galfrid.
11. Lucæ, inueniri plerósque qui dispertitarũ lingua- Gothfrid.
rum miraculum à sancto Spiritu diuinitus patratum,
improbè

improbè æmulari videatur, dum alia, & alia lingua à seipsis discrepanter, loquuntur. Audi illum. *Pessimè nonnulli diuinum miraculum æmulantur, vt dispertitas linguas, vt ignem accepisse videatur. Diuinus siquidem ignis non scandalo vrit, sed amore magis accendit; inflammatio autem gehennæ vrit linguas malè dispertitas, vt quisque nostrum sua cuique lingua, & quasi nunc Græcè, nunc Hebraïcè, nunc Latinè loquatur, vt si eum audias hic, non eum putes, quem paulo antè audieras; malè igitur omnium linguis loquitur vir linguosus.* Hæc Galfridus.

5. *Matt. 27.72.* An Christi assecla esset, denuo interrogatus Petrus, sic eum infeliciter negauit: *non noui hominem,* Matth. 27.72. & verò Ambros. libro 10. in Lucam pro felicis ingenij sui lenitate, & generosa indole insignique in Petrum pietate, sic Petri locutionem conatur excusare, vt dum Petrus non nosse se Christum hominem, fatetur, eius diuinitatem videatur adstruxisse: sed huic tam benignæ interpretationi seuerior Paschasius infensus, vel inde Petri negationem grauiùs vrget, quòd hac ancipiti locutione Deitatem Christi sic asseruerit, vt humanitatem negauerit, ita enim ille lib. 11. in Matth. *Pashasius.* *Grauiùs quidem, ac grauiùs negat, quia quanto profundiùs in negationem vadit, tanto etiam cum iuramento ampliùs peccat. Et ideo non sunt audiendi, qui dicunt, quòd non negauerit Deum, sed hominem, quia & hominem negare* IESVM *mendacium est.* Ac si dixerit, cùm Christus ex vtraque natura, diuina, & humana, constet, non minus lædit nostræ salutis mysterium, qui eum *Leo Magn.* hominem, quàm qui Deum inficiatur. *Paris enim periculi malum est* (Leo Pontifex serm. 7. de Natiuitate Domini) *si illi aut naturæ nostræ veritas, aut paternæ gloria negetur æqualitas.* Nec veritati sit satis cùm ipsa ea sermones ambiguitate & lubricitate dicitur, vt non integrè, sed dimidiatè enunciatur, sic in Petri innocentia dissident Ambrosius, atque Paschasius. Mihi verò si ad ferendam hac de re sententiam iurisprudentiá, in qua sum aliquando exercitus, aduocare liceat, ita dixerim litem esse dirimendam, vt à seueriori Paschasij censura temperare, nec benignitati Ambrosij omnia dare æquum fuerit: interrogatus siquidem de simili re Iure Consultus Iulius Paulus vt habetur in lege *in ambiguo.* 3. *ff.* de rebus dubiis. *Iul. Paulus.* *Respondit: qui ambiguo sermone vtitur, & aliud quàm vult dicit, neque id dicere, quod vox significat, quia non vult, neque id vult, quia id non loquitur.* Non ergo tãta Petri impietas, vt vult Paschasius, nec tam leuis culpa, vt coniectat Ambrosius, quippe qui ad minus in defendenda veritate insincerus, & ambiguus fuit: subscribit huic sententiæ Hilarius Canone 32. in Matthæum his verbis: *Hilarius.* *Diligenter autẽ contuendum est, qua conditione Petrus negauerit. Nam primò ait; non se intelligere, quid diceret: sequenti, non se ei adhæsisse: tertio verò se hominem non nosse. Et verè propè iam sine piaculo hominem negabat, quem Dei filium primus agnouerat, tamen quia ex infirmitate carnis, vel ambiguus extitisset, amarissimè fleuit: recolens trepidationis istius culpam, se nec admonitum potuisse vitare.* Ad quem pænè modum cùm de Petro Abailardo *Bernardus.* dixisset Bernardus epistola 193. *Magister Petrus Abailardus sine regula monachus, sine sollicitudine Prælatus, nec ordinem tenet, nec tenetur ab ordine.* Quàm lubricè, ac fraudulenter in tradendis perniciosis suis dogmatibus se gereret, sic statim aperit. *Homo sibi dissimilis est, intus Herodes, foris Ioannes, totus ambiguus.* Certè ea veritatis natura, ea lex est vt candidissimè & nudè proferenda sit, aliàs eius pulchritudo in fuco deperditur, illius pudor, & castitas, dum velata oris parte ostenditur, deperit: ita pulchrè Tertullianus libro de præscriptionibus, cap. 6.

Tertullian. *Tantum obstrepit veritati adulter sensus, quantum corruptor stylus.* Scitè *adulter sensus,* indicans, veritatem natura sua Virginem, & ad Virginis mores degere; ideo nisi ex dignitate tractetur, decorem pudorémque suum amittere: sic apud Nicetam Choniatem lib. vitæ Manuelis Imperat. cap. 4. vt barbarus arguitur, qui laudauit tragicum illud, *Iuraui lingua, mentem iniuratam gero.* *Nicet.*

Arguat certè non nemo leuitaris, atque facilitatis Iosuë diuinorum bellorum ducem, dum Gabaonitis egregiè mentientibus, aliósque sese simulantibus fidem dedit, & pacta cum ipsis iniens gladij aciem ad eos subinde debellandos hebetauit, victoriæque sibi gloriam ademit Iosuë 9.14. Nam, vt ex Hieron. epistola 13. alibi diximus: *Non multum distat in vitio, vel decipere, vel decipi posse Christianum.* 7. *Iosue 9. 14.* *Hieron.* At enim mirificus alienorum defectuum excusator Ambros. eum pro virili defendit, quòd ipsi de sua ipse bonitate, ingeniique candore, ac simplicitate alios æstimanti, in mentem non venerit posse alterius verbis fraudem, dolósque subesse; *Sancta* (inquit lib. 3. offic. cap. 10.) *erat illis temporibus fides, vt fallere aliquem posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? & quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit, ignorant libenter credunt, quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere, quod non sunt; hinc Salomon Prou.* 14.15. innocens credit omni verbo: *Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas.* Sic Ambr. *Prou. 14.15.* *Ambros.* cui ideo faciliùs consenserim, quòd Iosuë hominem militari ingenio, & bellicis rebus semper incumbentem nouerim; eúmque qui ab aulicis moribus semper absfuerit, nec vt Moses in Regia Pharaonis fuerit educatus; quare hunc vt non ita facile fore decipiendum, ita nec tam candidè excusatum iri crediderim; quippe qui ab Aulæ artibus edoctus lubricam hominum fidem, ambiguáque illis verba, adultero subiecta sensui non ignorabat. Adeò verò ipsi simulatio, omnísque in sinceræ vitæ actus displicebat, vt vel ab hoc vnum Aulam Pharaonis & superbas regni spes relinquere, & ab ipsa iam messe proximus discedere voluerit, ne erga fictam matrem vt erga naturalem & veram se gereret, vti asseruit Gregor. Nyssen. in eius vita his verbis: *Nyssenus.* *Cùm in regia educatione doctrina sæculari ex ephebis iam esset egressus, in glorium degere apud suos maluit, quàm fictam illam, cui adoptus in filium erat, matrem profiteri.* Quod dixeris odoratum Senecam, dum ad sedatum tranquillúmque animum formans in libro de tranquill. animi, c. 15. *Seneca.* *Satius est simplicitate contemni, quàm perpetua simulatione torqueri;* sed enim, non vna hac re simplicitatem in Aula læderet Moses, cum Aula, tota fucus, tota fictio, & simulatio fuerit. Nimirum Aulam totam in ambitione esse constat; ambitio verò, tota fictio, simulatio, atque dissimulatio, diráque simplicitatis interfectrix est: sic quidem Græca hæc Pauli verba οὐκ ἀσχημονεῖ, 1. ad Corinth. 13.5. quæ Basil. in reg. breu. reg. 246. legit, *Ab habitu, vel forma sua non recedit;* & Clement. Alex. lib. 3. pæd. c. 1. sic explicuit, *indecora enim est aliena, & quæ non est secundùm naturam figura; quæ autẽ ficta est, est aliena;* Vulgatus noster emphatica periphrasi reddidit, *Non est ambitiosa,* quòd proprium, & naturale ambitionis ingeniũ sit ab habitu suo recedere, aliénamque ac fictam personam sumere: sic ad viuum depingente ambitiosos Tertull. lib. de pœnit. cap. 11. *1. ad Corint. 13.5.* *Basil.* *Clem. Alex.* *Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiuscumque personæ decrescentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate.* Ita ille. Opportunè *Tertull.*

portunè ergo Moyses simplicitatis amator, Aulam, siue ambitionem fugit.

8. Dubitabis: Cur Dominus, qui homines ad se allicere, immò & renuentes suauiter trahere consueuit, scribam sese illi vltrò in discipulum offerentem magnificis illis verbis, *Magister sequar te*
Matth. 8.19. *quocumque ieris*, Matth. 8. 19. seueriùs repulerit, inquiens: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Respondent interpretes, cognouisse Christum eum non perfectionis causa, sed lucri auidum ad ipsum accessisse. Sed cur vulpis illi imaginem iniecit? Respondent Augustin. in catena S. Thomæ, & Ambros. lib. 6. in Hexaëm. cap. 8. vt inde fraudulentum, & versipellem illius animum à Christi schola alienissimum, & in quo ipse nullo modo posset requiescere, notanter argueret: sic
August. enim August. *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet scilicet in fide tua. Vulpes enim habent foueas in corde tuo, quia dolosus es, volatilia cœli habent nidos in corde tuo, quia elatus es. Dolosus, & elatus non me sequeris, quomodo enim dolosus sequetur simplicitatem?* Luculentiùs Ambros. qui cùm dixis-
Ambros. set: *Vulpes ergo se abscondit in fouea, auis se tuetur in nido, homo non absconditur in fouea, sed decipitur. Fouea verò os hominis est, fouea alta pectus est hominis vbi sunt noxia, & fraudulenta consilia, malæ cogitationes.* postmodum subiicit: *Sed quid miraris si homo decipitur ab homine, quando filius hominis vbi requiesceret, non habebat? & ille quidem talem hominem fecit, in quo caput suum reclinaret. Sed postea quàm in pectore nostro non requies proximi cœpit esse, sed fouea, postea quàm alter alteri nectere cœpit insidias, quem iuuare deberet, caput suum Christus auertit a nobis. Noli igitur esse fraudulentus, crudelis, immitis, vt in te Christus caput reclinet.* Hæc Ambros.

9. Sanè tam Salomone auctore, quàm experientia teste siue magistra multo magis inuisa atque odiosa versipellis astutia, quàm furiosa vis, & aperta ferocia est: sic namque Salomon Prou. 14.
Prou.14.17. 17. *Impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est*: vbi Hebraicè pro *vir versutus*, signatè est *vir machinationum*, siue *cogitationum*, aptissima ad designandum dolosum hominem locutione: is enim vt artes suas contegat, ad dolos implicet, totus semper in machinationibus, & artificiosis cogitationibus est: sed in præfatis verbis obseruat, tacitam ex mente glossæ inter impatientem, & versutum inesse antithesim qua hic præ illo
Gloss. odiosior sit: ait enim, *Reprehensibilis quidem est impatiens; sed multo prior & odiosior versutus: ille enim palam ostendit stultitiam suam; iste cùm sit corde peruersus, simplicitatem simulat.* Cui sententiæ sic
S. Pacian. subscribit S. Pacianus Barcinonensis Episcop. epist. 2. ad Simphronianum. *Fraus quasi vulpeculæ; vis autem leonis est: vtrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore*: vnde de ipso ita statim subiungit. *Quidlibet agas, frater, totum ex me simpliciter recognosces: malo impetitus quàm malitiosus intelligi, malo fatuus, quàm calidus iudicari.*
Nazianz. Nec aliter censet Nazianzenus orat. de Episcopis, dum ait: *enim verò rerum omnium quæ turpes sunt, turpissima est simulatio.* Vnde tum Cicero lib.
Cicero. de Amicitia dicebat: *Apertè odisse vel amare, est magis ingenui, quam fronte occultare sententiam*: tum etiam inter egregias animi dotes, quas in optimo
Corn.Tacit. viro Iulio Agricola eius gener Cornel. Tacitus in illius vita recenset, hanc signatè commendat, quòd improbas aliorum actiones palam reprehendere, quàm latenter odisse & taxare mallet. *Apud quosdam* (inquit) *acerbior in conuitijs narrabatur, vt bonis comis ita aduersùs malos iniucundus. Ceterùm ex iracundia nihil supererat secretum: & silentium eius non timeres: honestius putabat offendere, quam odisse.* Rectè. Nec ad hoc it pulcher Pop. Rom. sensus apud eumdem scriptorem lib. 2. Annal. cum Angastredo ab illo venenum ad extinguendum Ariminium infensissimum Romanis rebus hostem compescente, respondit: *Non fraude, neque occultis, sed palam & armatus Populum Romanum hostes vlcisci.* Ita ibi.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Adnotatio XI.

Turpiorem in Principe, siue Prælato: periculosiorem in subditis insinceritatem esse.

SED cur (inquis) vulpeculæ fraus, maiore digna odio quàm vis leonis? Poterit ne illa, quantumcumque retia sua explicet, atque implicet, ac voti cōpos euadat, certiùs in sibi opposita irrumpere, aut illa fortius elidere quàm armata ferocia? Bifariam tamen respondebo. Et primum, ideo odiosiorem fraudulentam calliditatem aperta vi, quòd hæc in externa solùm ornamenta, & ad summum in corpus pugnare innitatur, illa verò digniorem hominis partem, intellectum videlicet, in quo diuina potissimum imago censetur, directè oppugnet, dum illum decipere, atque illudere studet: quod quidem homini maximè semper inuisum, & odiosum fuit: deinde, quòd ineuitabilius occultæ fraudis, quàm apertæ vis vulnus sit, multóque tutius hosti publico, quàm secreto simulatori valeas occurrere: vnde Regius Psaltes Psalm. 54. 13. *si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu verò homo vnanimis, Dux meus, & notus meus, &c.* ac si diceret: Hostis quidē manifesti ictum vel repellēdo, vel fugiendo declinare potuissem, occulti verò insidiatoris laqueos nullatenus cauere valui. *etenim homo pacis meæ, in quo separaui, magnificauit super me supplantationem.* Psal. 40. 10. non enim tam dixerim, illum me incautū, & securum ex insidijs adorsum defensionē meam ante vertisse, ictúmq; occupasse, quàm me ipsum in laqueos & præda sponte dedisset. Philo. Hebræus libro de Creat. Principis. *Qui per dolum inferunt iniuriam, peiores sunt apertis hostibus: siquidem hi propulsantur facilè detecto infenso animo, at illos sua malitia deprehendi non sinit tanquam in theatro personatos sub alieno habitu tegentes veram faciem.* Quò aduoco allata præced. adnot. Ezechielis verba de scorpijs studiosè cauendis tamquam huic potissimum instituto accomodata: habet enim peculiarem emphasim, non nisi de scorpijs vitandis admonitū à Domino vatem, quòd ij simulatorum insidias occultè struentium viuam imaginem præ se ferant. Dixit siquidem de scorpio Tertull. in scorpiaco cap. 1 *tot venena quot ingenia, tot pernicies, quot & species, tot dolores, quot & colores: & tamen vnus omnium violentiæ gestus de cauda nocere*; vbi non obscurè innuit, quod rerum naturalium periti tradidere, & ab illis Ioan. Busthamātius de reptilibus sacræ Script. lib. 6. cap. 16. scorpium non antea dirum, & omnium insanabilius venenum infundere, quàm lingere ore tentet, carnem suauiter leniens: vt incautum obliquo & inflexo ictu (vt Plinius ait) subdole feriat. Quasi exprimat Græcum Auctoris incerti epigramma apud Adagiographum in Prouerb. *duplices viros.*

Marginal notes (right column): 1. (beside "SED cur (inquis)"); Psal. 54 13.; Psal. 40 10.; Philo.; Tertul.; Plinius.

Equidem virum odi duplicem sermonibus,
Probis amicum: cæterum hostem moribus.

2. Huc refero quod de Nembrod Dei filios insectante, & persequente notanter dicitur Gen. 10. vers. 10. *Nembrod robustus venator coram Domino:* vbi cùm illa phrasis *coram Domino*, vt inibi subsistat, & non mediocrem difficultatem, & varios explicatus habeat; duplex illi commodior adhibetur à Patribus, & interpretibus explicatio: altera probata Martino del Rio tom. 1. Adag. vt idem sit, ac iudicio Domini, sicut de Ioanne Baptista dicitur Lucæ 1. 15. *magnus coram Domino*, & Gen. 13. 13. *peccatores coram Domino nimis*: altera quam reddit Caietanus, vt perinde valeat, ac diuini obsequij pietatisque prætextu; quasi pessimus ille pietatis colore fictis fraudibus homines iustos & pios venaretur, siue ad mortem insectaretur: vt ex vtraque explicatione siue ex hac posteriori, si mauis, ille Dei iudicio robustus venator, & maximè metuendus censeatur, qui religionem simulans fraude, & dolis agit: nec robustior vlla vis sit ea, quam simulatio adornat; ideo notanter subiicit sacer scriptor: *Ob hoc exiuit prouerbium, quasi Nembrod robustus venator coram Domino.* Sanè ab hac cogitatione non it quod de simulatoribus cauendis sic Dominum dixisse refert Matth. 7. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Notetur ille dicendi modus *lupi rapaces*; hoc est, non qualescumque lupi, sed ij, qui vt auidiores ad rapiendum, maximè timendi, & cauendi sunt: sed qui hi fuerint? bene Tertull. *Qui lupi rapaces nisi spiritus, & sensus subdoli?* Hinc accurata locutione dicebat Iob. cap. 27. 4. *Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Vbi peius sancto viro visum fuit, mendacium meditari, quàm loqui: id sic inibi obseruante Gregor. Magn. lib. 18. moral. cap. 4. *Sed inter hoc quod ait, loqui, & postmodum subdit, meditari, magna distantia est. Nonnunquam enim peius est, mendacium meditari quàm loqui.* Sed quare sit peius? Nónne meditari ad cogitationem, loqui verò ad opus externum, refertur? Iam verò quonam modo dici queat, plus veneni cogitationi, quàm operi inesse? cùm opus externum, præter consummatam malitiam, quam habet, totum etiam in se cogitationis virus inbibat. Respondebo tamen, optimè præfatam sententiam subsistere; quòd loqui ad manifestum, siue apertum mendacium, quod præcipitanter fieri solet, meditari verò ad falsitatem studiosè compositam, & veritatis fuco, & lenociniis adornatam, qua faciliùs decipias, referri debeat; hæc autem quo plus studij, noxiique artificij habet, eo inuisior atque peior censetur. Audi Gregorium: *Nam loqui plerumque præcipitationis est; meditari verò studiosa prauitatis. Et quis ignoret in quanta distantia culpa distinguitur, vtrum præcipitatione aliquis, an studiis mentiatur?* Sic ille. Certè apud Dauidem homines in statera mentientes notanter arguuntur Psalm. 61. 8. *Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Quid? infimos è plebe, & viles carnium venditores tantus rex insectabatur? minimè, inquit Hilarius; sed eos qui iustitiæ prætextu quam statera designat, velut *Nembrod robustus venator coram domino*, egregiè mentirentur, dolósque struerent: *in eo mendaces* (ait Hilarius) *vt decipiant in stateris, sub iustitiæ nomine iniusta peragentes.* Aut si mauis cape mendaces *in statera* pro iis, qui meditatas, & artificiosè libratas sub veritatis specie fraudes & mendacia componunt, & adornant, quo ipsorum damnum ineuitabile, & immedicabile virus sit.

[Margin: Gen. 10. 10. M. del Rio. Lucæ 1. 15. Gen. 13. 13. Matth. 7. 15. Tertull. Iob. 27. 4. Greg. Magn. Psalm. 61. 8. Hilarius.]

Hinc Dei filius ad necem vilissimo pretio à discipulo immanissimis hostibus diuenditus, nihil de tanta ingratitudine, nihil de sceleris immanitate, nihil de pretij vilitate, nihil de ipsa atrocissima morte conquestus; ad simulationem, qua sub pacis, atque osculi signo traditionem Iudas perfecit, quasi admirans, & inhorrens ingemuit: *Iuda osculo filium hominis tradis?* Lucæ 22. 48. Quasi dixerit (inquit Paschas. lib. 11. in Matth.) *Non qualitercumque, sed osculo me tradis, quod est signum amoris, & indicium veræ dilectionis. Pignus offers veræ pacis, sed vulnus infigis, & venenum serpentis.* Preme illud, *non qualitercumque*, id est, acerbior præ omnibus hîc tradendi modus, & odio maiori dignus. Similiter Ambros. lib. 10. in c. 22. Luc. *Quasi amantis affectu corripiat proditorem*: Iuda osculo filium hominis tradis? *hoc est, amoris pignore vulnus infigis? & charitatis officio sanguinem fundis? & pacis instrumento mortem irrogas?* & eodem modo in Psalm. 39. *Venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur? osculo? quod sacræ pacis insigne est, osculo, quo amicitia fida firmatur? osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes?* Vides Dominum plus simulatione, quàm vi incensum? obserua modò quàm egregium huic sensui ipsius Sponsa dederit assensum, quippe illi morem gerens eam traditionis simulationem tanto odio perpetuò prosecuta est, vt ab ipsis eius incunabulis dum Christi passionem cottanis recolit, à pacis osculo eo signatè die perpetuo ritu abstinet, id sic adnotante vetustissimo auctore Tertull. lib. de orat. cap. 14. *sic & die Pascha* (id est, feria sexta in Parasceue, vt ibi ex manifestissimis eiusdem scriptoris locis adnotant Pamelius, & doctissimus Cerda, dixit enim ille lib. aduers. Iudæos, *Pascha enim Passio Domini est*, & lib. 4. aduers. Marcion. *quo pateretur, Pascha diem elegit Dominus*;) *quo communis, & quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus osculum.* Quod si mirum alicui videatur; tunc osculum ab Ecclesia deponi, cùm maximè colendum fuisset; quippe ipsa tunc temporis in precibus, & obsecrationibus tota est: & eodem quidem Tertulliano indidem monitore, *Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra? quem Domino officium facientem impedit pax? quale sacrificium est, à quo sine pace receditur?* sciat is (quòd ex illis, qui de diuinis officiis conscripsere ad id Tertull. locum tradunt iidem Parmelius, & Cerda) magno iure ab osculo Ecclesiam abstinere; vt Iudæ simulationem, dum amoris ac pacis armis abusus osculi signo Magistrum neci tradidit, horreat, ac detestetur sic dixit Berno libro de rebus ad Missam spectantibus cap. 7. à Cerda ibi allatus, *In parasceue ab osculo abstinemus propter Iudæ traditoris exemplum, qui per simulatæ pacis osculum tradidit Dominum IESVM Christum.* Ergo diuino Spiritu ducta Ecclesia, dum omnes Christo inflictas pœnas, contumelias, verbera, mortem singillatim recenset, & funesta pompa celebrare gestit, ad huius tamen simulationis, insidiosæque pacis memoriam contremiscit: siue quia

——*animus meminisse horret, luctúque refugit*,

siue quia in turpissimi facinoris odium ab ipsis probis actionibus, quæ externam cum illo affinitatem habeant, arcano sensu velit abstinere, non secus ac ille, cui in suauissimo aliquo cibo venenum fuit propinatum, maleficio detecto ab omnibus eius speciei cibis, quamuis sinceris, atque

[Margin: 3. Lucæ 22. 48. Paschas. Ambros. Idem. Tertull. Berno.]

atque incorruptis cauet, & sese diligenter obseruat, quasi ad illius memoriam omnes ad similes horreat, *omnia tua timens.*

4 Sed enim si attendis, fortissimum Dauidem, qui *cum leonibus lusit quasi cum agnis*, Ecclef.47.3. fraudulentas, ac versipelles hasce vulpeculas adeò pertimuisse videris, vt ad illarum laqueos effugiendos omnem à Deo opem enixus efflagitaret, sic enim Psalm. 11. v. 1. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum: vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*, vbi præter vehementiorem orandi modum ei omnino persimilem, quo cùm ad extremas vitæ angustias redigebatur, vsus est Psal. 68. 1. inquiens, *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animã meã, infixus sum in limo profundi, & non est substantia, veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: tum duplicem illam causalem, *quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum*: tum quid hac locutione diminutarum veritatum velit significare Vates; obserua: & hanc certò sic explicauit inibi Euthymius, quasi terras (vt Astræa aliquando) veritas reliquerit, pænéque iam in vsu in rebus præsertim maioris momenti non sit, *Sancti quidem penitus defecerunt, veritates verò admodum pauca relictæ sunt, quandoquidem in rebus maioris momenti mentiri solent, qui in paruis fuerant veraces.* Verissimè; at enim opportuniùs eas, opinor, dixeris diminutas veritates, quibus, vt bonæ monetæ aliquid iusti ponderis, atque mensuræ, siue debitæ materiæ deest, quia nimirum *tantum o... repit veritati adulter sensus, quantum corruptor ... stylus.* Quare pende in hanc rem, quid de vitiorum inundatione dixerit Oseas cap. 4. 1. *Audite verbum Domini filij Israël, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est veritas & non est misericordia, non est scientia Dei in terra; maledictũ, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt*, &c. vbi cùm potissimum de fallaciis, ac dolis sermo fit: (sic etenim inibi S. Cyrill. Alexand. *quod dicitur non esse veritatem, id insinuat, & conuenienter admodum: apud omnes per id tempus multum fuisse calumniarum periury, fallaciæ ac doli extrema malorum omnium*) notetur dicendi modus, *inundauerunt*, qui vt quæsitus, ita elegantissimus est. Nec enim tantummodo peccandi licentiam, & proiectam ad malum audaciam, sed etiam eas in proximum iniurias calumniasque studiosè excogitari, à quibus ille vix defendi, atque extricari queat, significare videtur, & vt in mendacij inundatione, de qua nobis sermo est, consistamus, (aptet hæc pro opportunitate qui volet, aliis à Vate vitiis enumeratis; facile enim poterit) eò quidem inundationis imago ire videtur, vt denotet mendacium proprios fines egressum, vnde pro *inundauerunt*, Pagninus *Fregerunt maceriam*, ac proinde periculosiùs excutere non secus ac flumen quod frequentibus imbribus copiosè affluens proprios terminos transilit, & proximam sibi viã inundans iis qui noctu iter agentes, itineris gnari, alluuionis verò non æquè conscij sunt, in vitæ discrimen deducit: dum tuta illi via se pergere credentes in latentem vndarum altitudinem incidunt. Porrò manifestum, & suis limitibus hærens, *mendacium tenue est* (vt alibi dixi ex Seneca) *perlucétque si diligenter inspexeris*; at enim cùm inundat, & ad veritatis castra se conferens affinitatem cum ipsa contrahit, nec merum mendacium, nec pura veritas est, vix à solertissimo quouis valeat dignosci. En ergo vtrumque Vatem sese mutuo explicantem: nam quod Dauid diminutam veritatem, cui aliquid deesset, dixit; Oseas inundans mendacium, cui aliquid superesset, appellauit: est igitur diminuta veritas inundans mendacium, hoc est, ambiguus sermo, quem dum nec verum, nec falsum iure appellare possis, fallacissimum necessaria ratione dixeris. Vnde bene Dauid, *Defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates*; ac si dicat, quantumuis virtuti & bonis operibus operam nauare videamini, sancti tamen non estis: quippe veritatem non integrè, sed diminutè loquimini, simulatis, fallitis blandis ad speciem verbis vtimini; sed animo dolos versatis: sanctus etenim ab iis omnibus alienissimum ingenium habet. Emphaticè verò ab iis fictis hominibus, verísque simulatoribus non minus enixè liberari postulat Dauid, quàm à vasta aquarum altitudine, atque ideo eadem locutione dixit: *Saluum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.* ac alibi, *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*, quasi idem fuerit vtrobique periculum, sic dixit Ambrosius epist. 44. *Nemo in dolo loquatur ad proximum suum, laqueus est in verbis nostris*, &c. *fouea ali... est os maleuoli, grande innocentiæ præcipitium, sed maius maleuolentiæ: innocens dum credit, cito labitur*, &c. Firmant hæc, quæ sequuntur in Vate, *Labia dolosa in corde, & corde locuti sunt*, pro quibus Lectio Tigurina habet, *labio blando, & corde ... diuerso loquuntur*: ea verò Vatabl. sic exponit, *in corde & corde loqui est duplici animo loqui, aliud dicere, aliud sentire*: similiter aliqui apud Chrysost. *in corde alio, & alio, id est, duplici corde, vno foris apparente, & verbis ostentato; altero, eóque diuerso interius latente*; subiicit verò ex propria sententia Chrysost. *& hoc est omnibus hostibus acerbius, hi enim sunt aperti, vnde etiam facile caueri possunt; ij verò cùm aliam personam præ se ferant, quàm sint, ab ijs, quibus tendunt insidias, non facilè deprehenduntur*; & verò huic mendacij inundationi, de qua Oseas, siue his iis aquis vsque ad animam intrantibus, de quibus Dauid: pace sua quam à Discipulis ferri, prædicaríque præscripsit, quæque longè alia à falsa mundi pace est, opportunissimè Dominus prouidit, & iis, qui inter hos diminutæ veritatis scopulis periclitabantur, quietem, pacatissimam reddidit, vt egregiè hunc in modum obseruauit Ambros. *Ante velut fraudum scopulis erant simplicibus crebra naufragia, quia dolus erat in corde, in ore blanditiæ. At verò Christus veniens in hunc mundum humanarum profunda mentium serenauit, & tranquillitatem refudit affectibus singulorum, & quasi quadam portuum cœpere appropinquantibus esse suffragia, vt vnusquisque nauigium sua quietis in proximi constituat affectu.* Sic Ambros. Pulchrè illud, *profunda mentium serenauit*; quòd vera pax, vera amicitia profunda, intimáque animorum penetret, & pacata, ac serena reddat, vndarum, & fluctuum fallaciam, siue volubilitatem tranquillans.

Sed illa hîc minimè prætereunda dissertatio, vter ex simulatione turpior, aut reprehensioni magis obnoxius existat, Princeps, & Prælatus, an subditus, atque inferior? & verò huic non aliter dubio plenè satisfactum iri crediderim, nisi sub hac distinctione, censeo Principi turpiorem, & indecentiorem, subdito autem periculosiorem 5.

P. Anton. Pelasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Ecclef. 47. 3.
Psalm. 11. 1.
Psalm 68. 1.
Euthym.
Osee 4. 1.
Cyril. Alex.
Seneca.
Ambros.
Lect. Tigur.
Vatabl.
Chrysost.
Ambr.

vafritiem, ac simulationem esse, & de Principe quidem sic loquitur Philo lib. de creatione Principis. *Est & aliud interdictum iustissimum quo cauetur, ne Reipub. princeps dolosè versetur inter suos subditos, nam fallaces mores ad seruile, non liberale ingenium pertinent, dum rebus simulatio praetexitur: at Princeps ad hunc modum tractare suos non debet, qui parentis locum inter eos obtinet.* Quò propriùs ad voces, quod suprà dicebat Tertull. *tolerabilius erat duos Deos diuinos, quàm vnum versipellem praedicare;* vt enim intolerabile pondus sit, duobus dominis seruire, (vt alibi latius expendimus) multo quidem intolerabilius fuerit, ei domino subiacere, cuius mentem nunquam assequaris, cuius verba non calleas, cuius sensa non teneas, cuius nutus, atque renutus insidiosi sint: ita quidem de Pisone, cui Tiberius necem Germanici primùm mandans, deinde cùm illam à Romana Republ. molestissimè ferri conspexit, crimini se subtrahens opem non tulit, immò suimet flagitij ministrum oppressit, pulcherrimè dixit Cornel. Tacit. lib. 3. Annal. *Redintegratam accusationem, infensas Patrum voces, aduersa, & saua cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quàm quòd Tiberium sine miseratione, sine ira obstinatum, clausùmque vidit, ne quo adfectu perrumperetur.* Hinc Gregor. Nazianz. in Imperatorem Iulianum vt Apostatam, ira subdolis artibus instructissimum sic inuehitur. *Atque hoc sanè tale est, vt etiam ad perpetuam infamiam notandam Imperatoris istius voluntatem, animique inductionem abundè sufficiat. Neque enim res easdem Principibus, ac priuatis, conuenire existimo, quandoquidem neque eiusdem vtrique sunt dignitatis; priuato enim homini astutè quoque aliquid facere fortasse concedemus: nam qui vim apertè adhibere nequit, hic si vafrè, & callidè aliquid faciat, veniam aliquam meretur; Imperatori autem cum vi, & potentia superari, admodum turpe sit: tum verò turpius, vt opinor, & indignius est conatus suos, & intensiones arte occultare.* Hactenus Nazianz. Rursus verò Philo lib. *quòd omnis probus sit liber;* sic ait. *Re vera seruilis est adulatio, simulatióque, quoties à mente verba dissident. Caeterum ingenuè sine fuco è sincera conscientia liberam sententiam depromere, decet generosos animos.* Sic ille.

Philo. — Corn. Tacit. — Gregor. Nazianz. — Philo.

6. Fuit quidem ille egregius innocentiae splendor, vt primi parentes omnibus animantibus absolutissimo imperio praeessent, ac dominarentur; sic enim Dominus Genes. 1. 28. *Replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus caeli, & vniuersis animantibus, quae mouentur super terram,* vt nimirum siue immanes, & ferocissimas in terra belluas, siue vehementissimè in aëre volantes aues, siue excurrentes per vndas pisces ad nutum subiecta, & obtemperantia haberent: vnde de hac hominis dignitate, atque imperio Ambros. lib. 6. in Hexaëmer. cap. 6. *Videbatur nihil elephantis, creatura habere robustius, nihil tam terribile vel procerum, nihil tam ferum quàm leones, vel tigrides sunt, & hae seruiunt homini, & naturam suam humanam institutione deponunt: obliuiscuntur, quòd nata sunt, induunt, quod iubentur. Quid multa. Docentur vt paruuli, seruiunt vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi, in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.* At enim post peccatum, quàm imminutum, atque infractum, hoc merum imperium, ac dominium fuit! quippe grandiora quoque animantia confregere iugum, dixerunt. Non seruiemus; immò verò saepe saepiùs veteres dominos sibi subijcere, atque opprimere solent, vel ito ad dandas tigribus, leonibus, vrsis, aut exiguis etiam animalculis, leporibus, cuniculis, siue piscibus leges: scilicet parebunt ad nutum. Sed quidni inquis? Nónne feras laqueis, pisces retibus quotidie capramus? verùm enim verò huic cogitationi pulchrè occurrit S. Anastas. Synaita lib. 6. contemplat. Anagogicarum in Hexaëmeron adstruens artificiosam hanc excogitationem, qua per studia, ac instrumenta venatoria siue feras, siue pisces homo comprehendit, non ad dominium, atque imperium, sed ad calliditatem, & dolos omnino pertinere, quod qui perfectum in aliquem exercet imperium, non astu, & callidè, laqueos, ac retia subditis instruens, sed cum auctoritate, & maiestate apertè dominari debeat. Audi illum. *Dominatum dico, non eum, qui consistit per artificiosam aliquam excogitationem, instrumentaque & studia venatoria, vt quibusdam visum est dicere: illa enim est non dominatus, sed calliditas, & dolus. Non enim qui dominatur alicui, (& maximè iussu Dei) dominatur cum subtili mentis excogitatione, sed apertè dominatur cum potestate, & auctoritate.* & post nonnulla. *Nam qui dominatur animalibus, & piscibus, & volucribus iussu Dei, dicit leoni: Veni, & venit, & aquila, ingredere, & ingreditur, & pisci: appropinqua, & obedit: & draconi, pereas, & statim expirat.* Haec Anastasius, scirè innuens à Principis, ac Praelati gubernatione calliditatem & simulatorias, siue venatorias artes quàm longissimè esse debere, quòd eum, qui vices Dei in imperio gerat simplex, & apertus dominandi modus maximè deceat, & ex illius maiestate fit. Quòd si instes: tam exacta arte hanc artem obtegi, ac dissimulari posse, vt non appareat; repugnat Ambros. lib. 2. offic. cap. 22. inquiens: *Plerique enim remissiores malunt esse, vt videantur boni. Sed nihil simulatum, & fictum vera virtutis esse, certum est, quin etiam diuturnum esse non solet. In principio vernat, in processu tanquam flosculus dissipatur & soluitur, quod autem verum, ac sincerum, alta radice fundatur.* Sic Ambros.

Genes. 1. 28. — Ambros. — S. Anastas. Synai. — Ambros.

Iam verò vt indecens, & odiosa in Praelato erga subditos censetur simulatio, ita in subdito erga Praelatum valde anceps, & periculosa esse solet; ipso nimirum dum fallere studet, laqueos sibi, & retia parante: sed id ex Ezechiele, siue potiùs ex Dei ore disce, sic enim Vates cap. 14. 1. *& venerunt ad me viri seniorum Israël, & sederunt coram me. Et factus est sermo Domini ad me, dicens: Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suae statuerunt contra faciem suam; nunquid interrogatus respondebo eis?* ac si dicat (inquit ibi Origenes) *an ne aequum est, eis respondere, cùm sint simulatores?* diceret satyrographus, 7.

Respondes his Iane Pater? magna otia caeli.

Ita quidem eum, qui cum fratre super hereditate diuidenda disceptans Christum sic iudicem interpellabat: *Magister, dic vt frater meus diuidat mecum haereditatem;* ipse seueriùs à se repulit cum illo dicterio, *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Lucae 12. 13. quòd in sincero, & duplici animo iudicium sic Christo deferebat, vt ipse priùs ius sibi diceret, & in suam sententiam iudicem pertrahere niteretur; nec enim dicebat: Dicito nobis de haereditate ius; sed dic vt ille mecum diuidat: id optimè adnotante Chrysologo serm. 162. vbi cùm ad hunc modum interrogasset, *& vbi est quod te dixisti:* Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio; *si tibi iudicium debetur hominum, & per te est totius*

Ezech. 14. 1. — Origenes. — Iuuenal. Satyr. 6. — Lucae 12. 13. — Chrysol. — Ioan. 5. 22.

saecu

sæculi celebranda diuisio, quomodo dicis, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos? Ita respondet: *Fratres ad litigatoris arbitrium Christus arbiter esse non poterat, cui totius iudicij summa est, & potestas*. Ita Chrysol. At enim præfato apud Ezechielem loco seuerius hoc responsum siue comminationem in posterum reddidit Dominus. *Propter hoc loquere eis, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Homo, & homo de Israël qui posuerit immunditias suas in corde suo, & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum, vt capiatur Israël in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis.* O acre responsum! sed obserua priùs illud *homo, & homo de Israël* duplicem faciem, interiorem, & exteriorem, à se inuicem discrepantes singulis hominibus assignans Dominus, qui in sincero corde ab ipso responsa postulabant. Iam minarum seueritatem expende, *respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum*, hoc est, vt explicat
Hieronym. Hieronymus, iuxta cor, & immunditias suas. Quid verò id fuerit, aperiunt LXX. reponentes,
LXX. *respondebo ei in his, quibus tenetur mens eius*, quæ sic
Theod. explanat Theodor. ad vers. 7. *Permittam, vt Propheta vocatus ea respondeat, quæ interrogantis cogitationibus consentanea sint*; id est, quæ ipse, dum sibi persuadet, se mihi illudere posse, audire exoptat, & cupit. Sed id præmium non supplicium illi repensum dixeris, ita ne? Aliter certè sacer scriptor
2.Mac. 6.13. qui lib. 2. Machab. cap. 6. 13. aiebat, *etenim non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium*, vnde statim in illum, cui dulcia ad gustum responsa data sunt, non loqui, sed fulminare videtur Dominus subdens vers. 8. *Et ponam faciem meam in hominem illum, & faciam eum in exemplum, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei.* Exclamo
Origenes. ergo cum Origene ibi, *Ne auferas nos Deus omnipotens de medio populi tui, verùm conserua nos in populo tuo.*

VERSUS XVI.

Verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.

I. NON dubium, quin verbo vitæ Euangelicam doctrinam, quam ab ipso acceperant, appellet Paulus, (vt Patres & interpretes exponunt) ea speciosa vsus periphra-
Theodor. si, quòd *vitam æternam* (inquit Theodor.) *conciliet*;
Theophyl. addit scitè Theophyl. perinde id esse, ac si dixerit Apost. *vitæ semen adepti estis*; vnde infert Chry-
Chrysost. sost. *ergo ceteri omnes mortui; id enim verbis istis indicauit, alioquin & alij verbum vitæ continuissent.* Nec immeritò dixeris allusum fuisse à Paulo ad illud
Ioan. 17.3. Christi apud Ioan. 17. 3. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti*
Maldonat. *Iesum Christum*: vbi sapienter admonet Maldonatus, vitæ æternæ nomine non esse intelligendam cœlestem gloriam, quæ propriè beatitudo dicitur, sed quamdam illius inchoationem, quam in hac vita cognoscentes Christum, & credentes in eum, quasi pignus alterius habent; non quidem quòd sola cognitio, aut fides æternam vitam pariat, cùm hæc propria charitatis sit proles, sed quòd prima illius causa, & velut prior ad vitam aditus censeatur, vnde ad ea verba Chrysost. hom. 30. in Ioan.
Nunquid satis est ad vitam æternam in Filium credere? Minimè. Nõ enim omnis (inquit) qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorũ, *& peccatum in Spiritum vel solum est satis vt in infernum detrudat, & quid de Patre doctrinæ loquor. Nam si in Patrem, & Filiũ, & Spiritum sanctum rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cum ergo dicit*: Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, *nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari, opus namq; nobis est, & vitæ, & morum puritate pollere.* Sic Chrysost. Nisi mauis tam in iis Christi verbis cognitioné, quàm in his Pauli verbum vitæ de cognitione practica, & obediẽtia diuinæ legis capere; vti cognitionem ex arboris imagine, quæ ex fructibus, non ex floribus, & foliis ac ramis diffiniebat Clem. Alex. lib.
3. stromat. his verbis. *Cognitio ergo est ex fructu, & ex vitæ institutione, non ex verbo, & flore. Non enim solum verbum dicimus, esse cognitionem, sed aliquam diuinam scientiam, & lucem illam, quæ innata fuerit in anima ex præceptorum obedientia.* Hæc Clemens.

Vnde quidem eodem sensu potuit dicere Apostolus, *verbum mortis continentes*; quid enim *verbum vitæ* nisi mors fuerit? audi Habacuc cap. 3. 5. de Christi aduentu: *Ante faciem eius ibit mors*; quæ verò mors hæc sit, comperies apud LXX. & Theodozionem, quos maximè probat in comment. Hieron. reponentes, *ante faciem eius ibit verbum*, siue *sermo*, quod de Ioannis prædicatione Christum antecedente sic capit indidem Hieron. *Si autem iuxta LXX. legerimus*, ante faciem eius ibit verbum, & egredietur in campum post pedes eius: *hoc significat, quòd sermo Dei ante visitationem eius, quæ nũc allegoricè facies dicitur, præcedat, & præparet corda credentium, vt praua in rectum, & inæqualia sternat in planum, & auditoris anima quasi consertus ager sementem possit recipere spiritualem.* vbi simul vides, cur verbum, siue diuinus sermo, & prædicatio mors dicatur: quia videlicet, prauas animi affectiones extinguit, veteremq; hominem in nobis interimens soli Deo viuentes nos facit: id sic optimè docente Clem. Alex. lib. 7. stromatum. *Iam vt mors est separatio animæ a corpore, ita cognitio est mors rationalis abducens & separans animam a motibus, & perturbationibus, & deducens ad vitam beneficentiæ, & bonarum operationum, vt tunc Deo dicat liberè: Viuo sicut vis.* Quò etiam retulit per allegoriam venerab. Galfrid. in alleg. Gotfrid. Tilman. quod de Dauid, siue de viro inter eius fortissimos principe dicitur 2. Reg. 23. 8. *Sedens in cathedra sapiẽtissimus princeps inter tres ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno*, hunc in modum: *Sicut autem ligneum robur sine ferro, & ense tenerrimus penetrat vermis, & atterit, sic doctrina sacra secreta quadam virtute illabitur sensibus auditorum, & rigida corda conterit, & confringit. Quin etiam sine violentia, & acerbitate tanquam vnctio docens de omnibus in mãsuetudine, in suauitate, in Spiritu sãncto noxia omnia demolitur.* Ita Galfrid. Sed dicis: quid, si id auditorum vitio verbum vitæ non præstet? num mors dici adhuc poterit? Ita quidem, sed mors pessima, quę negligẽtes auditores diuino iudicio addicit Ambros. ser. 83. sic comminante, & veluti fulminante: *Cùm semper fratres non cessauerim vos paterna pietate corripere,* miror

Right margin notes: Chrysost. — Clem. Alex. — 2. — Habac. 3. 5. — LXX. — Theod. — Hieronym. — Clem. Alex. — Galfrid. — 2. Reg. 23. 8. — Ambros.

miror, nihil vos, tot meis commonitionibus profeciſſe, & doleo quòd frequens prædicatio mea non vos profectu aliquo ſalutis corrigat, ſed quandam conteſtationis pœna conſtringat. Prædicatio enim ſacerdotis in plebe ſaluandis eſt correctio, conteſtatio iudicandis. Conteſtamur enim illis ante iudicium, quod illos maneat in ipſo iudicio, vt tunc omni excuſatione ſubmota, & rei ſint de peccatis, & obnoxij de contemptu. Vnde, & ego interdum parcens vobis, tacere vellem, ſed malo vos contumaciæ cauſas reddere, quam me negligentiæ ſuſtinere iudicium. Hæc Ambroſius.

Continentes.

3. GRæcè eſt ἐπέχοντες, quod non vno modo ab omnibus accipitur, & explicatur, & de eo
Theod. verbo Theodoret. ac ſi Latinè ſcripſiſſet, ſic monuit; *illud autem,* verbum vitæ continentes *Græcè eſt* ἐπέχοντες, *pro eo quod eſt.* Attendentes verbo vitæ; *ita enim dixit etiam ſcribens ad Timotheum,* Attende tibi ipſi, & doctrinæ, *vbi idem etiam Græcum eſt verbum* ἔπεχε. Sic ille, vt intentam mentis aciem, ſiue vehementem animi conatum vtrobique exigat Paulus; ſingillatim verò Philippenſes hoc loco vrgeat, vt ſollicitè ſtudeant, ne eximio fidei, doctrinæque Euangelicæ ſplendori errorum, ſiue vitiorum tenebras offundant. Aliter
Eraſm. Vatabl. Nazianz. Cornel. verò Eraſmus, Vatablus, & interpres Nazianzenus orat. 40. in S. Baptiſma, qui maluerunt legere *ſuſtinentes*; à qua lectione Cornelius, & alij ex recentioribus non eunt. Et quidem dum hi auctores ſub vna eadémque lucis, ſiue ardentis facis imagine, (vt in expoſitione literæ præced. verſ. dixi) id accipiunt, diuerſimodè tamen explicare videntur. Nam alij perinde eſſe dicunt, *ſuſtinentes*, ac in vertice *tenentes*, ſiue etiam, vt alij *prætendentes*, vt luce ac ſplendore fidei in cæca ac tenebroſa infidelitatis nocte, præfulgente, Ethnici ad tutiſſimum Eccleſiæ portum velut manu deducerentur: non ſecus ac face, quæ in noctis tenebris ex alta turri ſuſpenditur, vt nauigantibus hac illac fluctuantibus præluceat, ipſi ad portum contendunt & appellunt, quo modo viſus eſt
Gregor. Mag. accepiſſe Gregorius Nazianz. præfato loco inquiens, lumen efficiamur, vt diſcipuli à magno *lumine vocati ſunt his verbis*, Vos eſtis lux mundi,
Matth. 5. 14. Matth. 5. 14. *efficiamur luminaria in mundo,* verbum vitæ ſuſtinentes: *hoc eſt vitalis alus hominibus vis, & facultas.* Alij vitæ lumen, ſiue facem ſuſtinere, ſimpliciùs capi exiſtimant de ſollicitudine in doctrina Euangelica, Chriſtianáque fide, ſiue à vitiis irruentibus, ſiue ab erroribus graſſantibus tuenda, ac defendenda, eo modo quo faces externo tegumento munitæ, quamuis ventis perflentur; lumen tamen continent, neque illud patiuntur extingui.

4. At enim verò, ſi nouitatis amorem excludas, nihil eſt quod nos à Vulgati lectione valeat dimouere; præſertim cùm, & quæ ex iis opportuna ſunt, per verbum *continentes*, adhuc optimè expli-
Primaſ. centur. Vnde Primaſius: *Verbum vitæ continentes, vt exemplo veſtro illuminentur, & verbo.* Similiter
Theophyl. Theophylactus, *verbum vitæ continentes. Vt enim faces in tenebris ſplendēt, ſic ipſi eſtis inter obliquos, & tortuoſos, quippe qui & erecti conſiſtitis, & luci ſtudetis, ſermonem autem vitæ habentes, hoc eſt, vitæ ſemen adepti iam eſtis: vel quia quemadmodum faces collucent, & quaſi ſui fulgoris fomento vitam corporibus reddunt, ſic vobis omni ſtudio eſt enitendum, vt virtutis loco hominibus ſitis, quæ vitam de ſe poſſit præſtare.* Sed de hoc in adnotationibus. Et verò, vt Græcum verbum aliquando ſignificet ſuſtinere, non tamen ſub ea quam ij auctores reddunt ſignificatione, ſed in ea, qua dicimus, *moram facere*, aut *morari*, quod à Pauli inſtituto valde alienum videtur, vt bene adnotauit Eſtius: ergo *verbum vitæ conti-* Eſtius.
nentes dixit Paulus; ac ſi diceret; vitæ probitate, & ſtudio virtutis in vobis retinentes, conſeruantes, & accurata ſollicitudine ne è manibus dilabatur defendentes: ita aptiſſimè Anſelmus. inquiens: *Ac ſi dicat: Vbi eſtis lux huius mundi, & eſtis etiam vaſa Euangelij, quia cōtinetis in cordibus veſtris verbum euangelicæ prædicationis, quo viuit anima veſtra, non enim ſinitis illud a vobis effluere.* En, qui ſint continentes *verbum vitæ*: ſicut è contrario verbum Domini proiicere dicuntur apud Ieremiam cap. 8. 9. qui diuinis præceptis non obtemperant, vt hunc in modum ſolita ſeueritate diſſerit Saluian. Maſſi- Saluian.
lien. lib. 4. de proaid. in princ. *Propter quod etiam alibi Deus noſter de Iudæorum plebe loquitur ad Prophetam, dicens:* Voca nomen eius non dilecta, Oſee Oſee 1. 6.
1. 6. *& iterum ad Iudæos ipſos.* Vos non eſtis populus meus, & ego non ſum Deus veſter. *Cur autem* Oſee 1. 9.
hoc de eis ipſe diceret, ipſe alibi euidenter oſtendit, ſic quippe ait: Dereliquerunt venam aquarum viuen- Ierem. 17. 13.
tium Dominum; *& iterum* Verbum, *inquit,* Domi- Ierem. 8. 9.
ni proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in illis. *Quod quidem timeo, ne non magis tunc de eis dici potuerit, quam de nobis nunc dici poſſit; quia nec verbis Dominicis obtemperamus, & qui verbis Domini non obſequimur, ſapientiam profectò in nobis penitus non habemus: niſi fortaſſe credimus ſapienter nos Deum ſpernere, & hoc ipſum quod Chriſti mandata contemnimus, ſummam prudentiam iudicamus.* Ita ille.

Vnde adſimilem his verbis ſubeſſe imaginem 5.
crediderim, ac illis ad Hebræos 2. 1. *Abundantius* ad Hebr. 2. 1.
oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus: vbi pro obſeruare Græcè eſt perſimile verbum προσέχειν, hoc eſt, *attendere*, & *mentem ap-* Græca. Lect.
plicare, ſiue *adhibere*. quaſi eadem phraſi, ac iſta in qua ſumus, dicat Apoſtolus, oportere diligenter, & ſtudioſè continere verbum vitæ, ne illud effluere ſinamus, ac proinde nos ipſi perfluamus, ſumpta ſimilitudine à vaſis, quæ dum rimulas habent, infuſum liquorem non continent, ſed perfluere ſinunt, quam quidem ſententiam monet ibi Chryſoſt. deſumpſiſſe Paulum à Salomo- Chryſoſt.
ne Prou. 3. 21. de Sapientiæ monitis, dicente: *Fili* Prou. 3. 21.
mi ne effluant hæc ab oculis tuis: ſiue, vt habent LXX. LXX.
Fili ne diffluas. adde tu illam omnino conſentaneam Eccleſiaſtici 21. 16. & 17. *Scientia ſapientis* Eccli. 21. 16.
tanquam inundatio abundabit, & conſilium illius ſicut fons vitæ permanet. Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. Nimirum pleroſque videris perſimiles Terentiano Parmeno, dicenti: *Plenus rimarum ſum, hac illácque perfluo*; qui Terentius.
non ſecus cum ſapientiæ præceptis diuiniſque conſiliis, quæ quotidie audiunt, vel legunt, ac homines vanis, & inutilibus negotiis occupati cum tempore, ſe gerunt; dixit quippe argutè de
iis Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 10. *Abijt vi-* Seneca.
ta eorum in profundum, & vt nihil prodeſt, quantumlibet ingeras, ſi non ſubeſt, quod ſuſcipiat, ac ſeruet; ſic nihil refert quantum temporis detur, ſi non ſit vbi ſubſideat: per quaſſos, foratóſque animos transmittitur.
Ita ille. Ad rem verò Caſſiodor. lib. 11. Ioanni Caſſiod.
Cancellario, *quia nihil proderit ſi auribus tuis tranſitura placeant, & in cordis ſinibus ſe omnia non defigant.* Luculentiùs verò Ariſt. lib. 1. OEconom. inquiens, *Siquidem oportet eiuſmodi eſſe qui norit & parare, & parata tueri: alioquin nihil profuerit paraſſe; propterea quòd hoc ſit, cribro haurire aquam, quódque*

proeter

prouerbio dicitur, pertusum dolium. Hæc Aristot. Nec ab iis longiùs iuerint, quæ Philo lib. *de congressu quærendæ eruditionis gratia*, ad ea verba Genes. 21. 12. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*, sic ait: *Necesse est enim, vt discipulus monitis virtutis obediat, non omnes enim præfectis suis obediunt, sed quotquot vehementer amant scientiam. nam penè quotidie plena sunt theatra, & auditoria, & Philosophi sine respiratione de virtute copiosè verba faciunt; sed quænam est horum verborum vtilitas? Cùm enim deferent attendere, auocantes animum quidam de nauigatione, ac negotiatione, quidam de agricultura, & redditibus, quidam de honoribus, & Republica, quidam de lucris, & opificiis, quidam de plectendis inimicis, quidam de amoribus, omnes de alijs rebus cogitant, vt quantum ad rem præsentem attinet, surdi sint, corpore tantùm occupantes suum locum, peregrinantes animo, & nihil differentes à statuis, & imaginibus. Quòd si qui attendant etiam tantisper dum sedent, audiunt, post discessum non meminerunt, quidquam amplius, quippe qui venerant, vt auribus voluptatem caperent, potius quam vtilitatem aliquam, itaque anima eorum nihil potuit vtero concipere, sed quam primùm voluptatis ille auditus cessauit, euanuit, & attentio.* Hactenus Philo.

6. Non quòd vir modestissimus vel hilum humanæ gloriæ ambiret, velletque vt in ipsius gloriam verbum vitæ Philippenses continerent, qui omnia ad Dei gloriam referenda paulo antè monuerat (cap. 1. vers. 11.) sed quod rectè ipsis agentibus, gloriandi materies Paulo super esset. Quare Græcè non est, εἰς δόξαν, vt præfato vers. 11. habetur, sed καύχημα ἐμοὶ, *ad gloriationem mihi*: quæ Theodoret. sic opportunè expressit. *Glorior autem, & hoc nomine mihi placeo, quod non frustra pro vobis laborem, & studium susceperim.* subdit Primasius: *Gloria Patris filius sapiens, ait Salomon, perfectio discipulorum, magistri gloria comprobatur.* At opportuniùs hanc gloriationem cum Chrysost. & aliis ad diem Christi referas, quasi in hac vita nec vllam gloriam, aut gloriationem Paulus exoptet, sed in futurum quidquid splendidum, aut suaue fuerit, transmittat. Ait verò Chrysost. *Quid hoc est? & ego verò, inquit, particeps sum vestrorum bonorum. Tanta est vestra virtus, vt non solum salutem de vobis, sed me etiam clarum faciat. Quænam gloria ò beate Paule? flagellis cæderis, expelleris, contumelijs afficeris nostra causa: propterea inquit* in diem Christi. Ita ille. Similiter Theophylact. *Tanti sit vestra hæc virtus, vt non solùm vos traducere possit ad vitam, sed, & me clariorem efficere in Christi aduentu.* Nec ideo tanquam omnino abs re dictum explodam, quod aliis placuit, vt illud in die Christi. quasi per transpositionem adiectum non cum his verbis *ad gloriam meam*, sed cum præcedentibus sub hoc sensu coniungendum sit; *verbum vitæ continentes in die Christi, vsque in diem Christi*; eo modo, quo cap. 1. vers. 11. dixerat, *Repleti fructu iustitiæ in diem Christi.* & vers. 6. *perficiet vsque in diem Christi.* Quòd si huic constructioni adhærere malis, aptè hunc sensum, & phrasim continendi per verbum *sustinentes* expresseris, quasi in labore virtutis vsque ad extremum diem perseuerantes, iuxta ea quæ cap. 1. vers. 6. adnot. 3. tota, præsertim verò num. 9. & adnot. 4. num. 10. latiùs sumus persecuti: Videsis illa. Vt vt id fuerit, congruit huic Paulinæ sententiæ illa Gregor. Nazianz. orat. 27. ad finem: *Iam ad vos; hoc est, gregem meum se conuertit oratio: facite vt, quemadmodum ait Paulus, gloria mihi sitis, & gaudium, & gloriæ corona; defensióque ad eos, qui me examinant, vt quemadmodum ijs, qui fabricandi, aut pingendi artem profitentur, cùm artis rationem exposcuntur, fabrile, aut pictorium opus ostendere sufficit, vt negotio omni, ac molestia liberentur; opus enim (inquit ille) sermone fortius est; sic ipse quoque vobis in medium productis obtrectatorum meorum maledicta superem.* Ita Nazianz.

(Margin: Philo. — Gen. 21. 12. — Theod. — Chrysost. — Theoph. — Nazian.)

Quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboraui.

Allusione facta ad Olympica certamina adhuc eo tempore Græciæ frequentissima, in quibus cursu, & laboris tolerantia gloriā sibi pugiles comparabant: prædicationem suam, & egregium quem ex ipsa sperabat fructum memorat. 7.
Benè verò obseruat Iustinianus, mirificè delectari Paulum similitudine ab Olympiacis certaminibus ducta: vnde ipse quidquid in hanc rem speciosum dici potest, occupauit. Ergo vide illum. Illud ego discutere non omittam, cur Apostolus tam prædicationem suam, & euangelicæ doctrinæ disseminationem, quam propriè perfectionis studium, atque conatum iisdem imaginibus declarauit? sic enim de ingenti sui ipsius in virtute capessenda conatu dixit 1. ad Cor. 9. 26. *Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans.* & cap. 3. huius epistolæ vers. 13. *quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu*; & 2. ad Timoth. 4. 7. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*; &c. & quidem quamuis non abs re cursum, laborémque, de quibus hîc Paulus, de iis, qui faciliùs, difficiliúsve ad fidem reduxit, sic explicauit Anselmus. *Cucurri in his, quos facilè potui cōuertere, laboraui in illis, quos difficilliùs conuerti.* aptiùs verò S. Thomas cursum ad agilitatem, & velocitatem in magnis itineribus conficiendis, laborem ad ærumnas, & tribulationes, quas eam ob causam perpessus est, ita retulit: *Cursum dicit prædicationem propter agilitatem, quia à Hierusalem vsque in Hispaniam. Item labores propter tribulationes, & pœnas quas pertulit*; non minus opportunè etiam quisquam responderit, ideo de iisdem nominibus tam spiritus sui vitam, quàm prædicationem Euangelicam appellasse, quòd prædicatione viueret, aliàs moriturus, & vitæ perfectione, cui indesinenter incumbebat, efficaciter prædicaret, siue prædicationi suæ vires, & effectum subministraret. De primo enim sic ipse dicebat 1. ad Cor. 9. 16. *Nam si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit: væ enim mihi est, si non euangelizauero.* & in Act. cap. 18. 6. *contradicentibus* (Iudæis) *& blasphemantibus excutiens vestimenta sua dixit ad eos. Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego: ex hoc ad gentes vadam.* quæ verba in Apostolum, & in nos sic premit Chrysost. hom. 10. *Igitur & nos rei sumus sanguinis eorum, qui nobis concrediti sunt, negligentes illos*: prædicationem autem non tam verbis, quàm vitæ probitate constare, sequens demonstrabit adnotatio; phrasibus verò vacuitatem sonantibus, atque exprimentibus, bene illud aptes quod S. Ephrem de se ipso, quæ egregia sanctissimi viri modestia, submissióque animi erat, sic dicebat in serm. Ascetico de vita religiosa, atque monastica. *Hei mihi dilectissimi mei, quia factus sum sicut machina, seu follis fabri ferrarij quæ repletur, & euacuatur, nihilque ex vento, quo distenditur, retinet, sic & ego virtutes gregis Christi enarrans*

(Margin: Iustiani. — 1. ad Cor. 9. 26. — ad Phil. 3. 13. — 2. ad Tim. 4. 7. — Anselm. — S. Thom. — 1. ad Cor. 9. 16. — Act. 18. 6. — Chrysost. — S. Ephr.)

rans ab his omnibus, quam longissimè recessi. Hæc Ephrem.

Ad eadem verba, *Non in vacuum cucurri.*

ADNOTATIO I.

Doctorem siue Concionatorem, cuius opera verbis non consentiunt, in vacuum laborare.

1. ERGO, propriæ perfectionis studium, simulque prædicationẽ suam eadem cursus, atq; laboris locutione significauit Paulus, quòd vnum ab altero diuelli nequeat; siue quòd prædicatio eiusdem rationis, immò vna, eadémque res cum vitæ probitate esse debeat, vt quæ à prædicatore ore dicuntur, in ipso rebus, operibusque delineata, expressáque resplendeant: vnde Cát. 5. 13. de diuini verbi concionatoribus, signatè verò de Paulo, vt obseruat Greg. Nyssen. homil. 14. in Cant. dicitur. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consita a pigmentarijs*, sed obserua à LXX. hæc verba reddi; *maxillæ eius phialæ aromatum germinantes vnguenta*; dum verò de euangelicis ministris à Nysseno, & Græcis Patribus explicantur, meritò ille perquirit, cur hæ phialæ non ex auro, quod perfectæ charitatis typus est, aut ex argento, quod animi puritatem optimè adumbrat, sed ex aromatibus confectæ dicantur? Respondet verò satis opportunè causam esse, quòd is, qui concionatur, & ea quæ concionatur eiusdem rationis, siue, vt ita dixerim, materiæ esse debeant, vt qui aromata, siue vnguenta, ex quibus aromata parantur, profert. ex aromatibus factus priùs conspiciatur, atque ideo non ex charitate, aut ex alia singillatim virtute, sed ex iis, quæ ipse commendaturus esset, omnimodo constantem describendum fuisse, vt illius verba cum operibus omnino consentirent. Sed audi Greg. *Maxillæ ipsius, inquit, tanquam aromatis phialæ non ex argento factæ, vel vitro, vel alia quapiam huiusmodi materia, sed ipsæ ex aromate, quod illa proferat, de quibus vnguenta parantur.* Quę Paulo pòst non nulla sic aptat. *Talis phiala Paulus erat, qui non per vafriciem fraudulenter docebat: sed aperta veritate se ipsum omnibus probabat. Cuius materies abyciebat naturam terrestrem, ex quo per baptismum carnis oculorum squammas deposuit, ac factus Spiritus sancti filius ex fragranti aromate de integro instauratus fuit*; & paulo pòst subdens, *dum per Christi fragrantiam varias virtutes in auditoribus quasi quædam vnguenta conficeret, ita vt pro diuersitate, proprietatéque recipientium Dei verbum aroma ipsum conueniens vsui eius, qui illud posceret, reperiretur: nimirum Iudæis, Græcis, mulieribus, viris, heris, seruis, parentibus, liberis, legi non adstrictis, subiectis legi.* Concludit pulchro Epiphonemate. *Tam multiformem ille doctrinæ gratiam habebat omni virtute temperatam.* Planè, quasi is, qui cunctas virtutes auditoribus prædicabat, cunctis virtutibus præditus, atque ornatus esse deberet, ne *in vacuum* curreret, aut *in vacuum* laboraret.

Cant. 5. 13. — Nyssen.

2. Ita quidem de fortissimis Ecclesiæ ducibus ipsam circumquaque cingentibus in eodem libro cap. 3. 7. dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Ad quæ verba opportunè hæc adiungit Greg. Magn. lib. 19. Moral. cap. 29. *Non dicitur omnes habentes, sed tenentes gladios, quia videlicet verbum Dei non est mirabile solùm scire, sed facere habet quippe, sed non tenet gladium, qui diuinum quidem eloquium nouit, sed secundum illud viuere negligit, & doctus esse ad bella iam non valet, qui spiritualem, quem habet gladium, minimè exercet.* Mirè autem ex eo hic Gregorij commentarius subsistit, quod alibi monuisse me memini, in Hebræo participium *tenentes* esse in passiua significatione *tenti, possessi, occupati.* Nam cùm gladius, non Gregor. solùm, sed Paulo etiam interprete, ad Ephes. 6. 17. & ad Hebr. 4. 12. significet verbum Dei; Doctorem, siue prædicatorem à gladio spiritus, siue à verbo Dei totum occupatum, siue tentum, atque possessum esse manifestè significat, omnes illius actiones siue opera verbis suis respondere, & ad doctrinæ suæ leges omnino componi; quasi ab illa vinctus teneatur, nec pedem valeat efferre quin verbo Dei consentiat, & ab illo rogatur. Quare subdit Salomon, *vniuscuiusque ensis super femur suum*: at qualis hic pugnandi siue tractandi gladij modus, cùm in proprium fæmur distringitur: respondet Venerab. Gillebert. ad id loci, *vt se ipsum primò corripiat, et custodiat semetipsum*; ita quidem huc aspiciens Paulus Timotheum sic monebat epist. 2. cap. 2. 15. *Sollicitè curate ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis.* vbi siue ex phrasi tractandi, quæ ad arma pulchrè aptatur, siue ex Græco verbo, quod secare significat, dexteritatem in stringendo Dei gladio, & ad pugnandum de ipso videtur commendasse Apostolus. Quæ autem hæc dexteritas sit, siue quis rectè tractet verbum Dei, sic explicat Primasius: *Qui dictum exemplo confirmat; quia sicut ornamenta vitæ doctrina est, ita ornamentum doctrinæ conuersatio bona, quia non bene docentur verbis, si destruantur exemplis.* His mirè consentiunt, quæ ad præfata verba Salomonis elucidanda dixit S. Nilus in Ascetico, scitè illis adnectens hæc Isaiæ 2. 4. *conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*; sub eo sensu, vt doctor, qui gladium spiritus in proprium fæmur distrinxit, propriísque affectionibus, & concupiscentiis acre bellum mouit, cum sibi gladium in falcem, qua vberes prædicationis suæ fructus demetat, & in Christi horrea inferat, fore commutandum, iure speret. Audi, *ad eos qui egregiè pro virtute depugnarunt, séque pro singulari humilitate vicisse necdum putant, illa pertinet adhortatio*: conflate gladios vestros in vomeres, & lanceas in falces; *ne superatis à se hostibus frustrà deinceps attendant, sed ad multorum vtilitatem animi vires à bellica exercitatione ad alios excolendos conuertant*: vt docere videatur, ad maturam messem à prædicatore falcem mitti, cum gladio spiritus proprias priùs concupiscentias expugnauit. quare rursus citato loco Gillebert. cum doctore, qui tanquam sal euanescens ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, sic agit. *Quid lectulum ambis, qui gladium non habes? aut si habes gladium verbi, habes eum in vagina, non habes in lingua. Non tenes manibus linguæ verbi Dei versatilem gladium. Volubilis est sermo spiritus, flammeus est, sed nescio, quomodo extra naturam suam in manu tuo hebetatur, restringitur, & pigrescit?* Respondeas verò ex superiùs dictis, pigrescere, restringi, hebetari gladium, quod à doctore non rectè tractetur, dum in alios priusquam in proprium fæmur distingitur. Ideo subiit.

Cant. 3. 7. — Gregor. — Hebr. lect. — ad Eph. 6. 17. ad H. b. 4. 12. — Gilleb. — 2. ad Tim. 2. 15. — Primas. — S. Nilus. Isai. 2. 4. — Gilleb.

S. Nilus. subiicit Nilus: *sic ad illos qui antequam tales euaserint, vel propter inertiam onus viribus suis impar subire sunt ausi, contraria hæc spectat cohortatio: conflate vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas;* id est, de vestris cupiditatibus vincendis, extirpandísque primùm agite, quàm ad Euangelicam doctrinam disseminandam, & ad dominicam messem accedatis.

3. Hinc notanter tam de Aggæo, quàm de aliis Vatibus dicitur Dei verba in manibus habuisse; Agg. 1. 3. sic enim Aggæi 1. 3. *Factum est verbum Domini in* Osee 12. 10. *manu Aggæi.* Similiter Osee 12. 10. *& locutus sum per Prophetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu Prophetarū assimilatus sum;* siue, vt ex Hebræo Pagnin. extrema hæc legit Pagninus, *& per manum Prophetarum proposui similitudines:* vbi non immeritò dubites, cur Dei verbum in manu Aggæi fieri, Deúsque per Prophetarum manum locutus dicatur? Quid verbo, & manui? nónne illud ad linguam spectat? loquuntur ne manus, an ora? Facilis tamen ex dictis responsio est, quippe cùm Dei verbum gladius sit, quis ambigat ad manum pertinere, nec nisi de manu tractari posse? sic quidem huc intentus in iambicis dicebat Gregor. Nazianz.

Nazianz. *Doctrina rebus instruit.*
& in Tetrastris,
Vel ne doceto, vel doceto moribus
Sermone non tam, quàm manu pictor docet.

Sanè, quod Dei verba à prædicatore enuncianda, vt præoptatum sortiantur effectum in ipso priùs operibus expressa, atque de picta ab auditoribus videri debeant. Nam Cassiano monitore Cassian. collat. 11. cap. 4. *nunquam erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.* Sic videris Loth salutaria Dei monita se audire dissimulantem, donec Angeli *apprehen-* Gen. 19. 16. *derunt manum eius, eduxerúntque eum*, Genes. 19. Stephan. 16. Quia nimirum, inquit Venerabil. Stephan. Cantuar. ad hæc verba in allegoriis Gostidi Til- Cant. mani. *qui apprehendit manum alicuius, manus eius manui suæ annectit, quod est dare exemplum bene agendi.* A manu ergo, hoc est ab exemplo gladius diuini Verbi tractatur, vt feriat, pertingátque, *vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, compagum* ad Heb. 4. 12. *quoque, ac medullarum*, ad Hebr. 4. 12. nam nisi doceas moribus, dissimulabit sanè auditor, & vim vocis eludet. Ita quidem illustri illi viro vestito lineis, quem Christum Dominum adumbrare, meliores expositores interpretantur à cælesti Parente dicitur: *Imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubin, & effunde super ciuitatem,* Ezech. 10. 2. Ezech. 10. 2. siue, vt ex Græco verbo διασκόρπισον propriè legas, *dissemina super ciuitatem:* quæ de cælesti Christi doctrina hominibus disseminanda accipienda videntur, eadémque esse cum illis Isa. 61. 1. Isaiæ 61. 1. *Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem.* quæ sibi ipsi Dominus aptauit Lucæ 4. 18. dum ea apud Syna- Luc. 4. 18. gogam in Isaia leges dixit, *Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris:* vnde ipsemet Dominus apud eumdem Lucam huius missionis suę Luc. 12. 49. scopum declarans inquit: *Ignem veni mittere in terram,* Lucæ 12. 49. Sed prensa illam prunis impletam manum: idem enim ea locutio innuere videtur, ac illa qua verbum Domini in manu Aggæi factum perhibetur; habet verò plusculum venustatis, & efficaciæ, quasi à Christi manu, hoc est, ab egregiis sanctissimísque ipsius exemplis *carbones*, id est, verba & voces, *succensi* fuerint; Psalm. 17. 9. ad incendendos auditorum animos. Ps. 17. 9. Sed de hoc statim. Modò, vt dicta firmiùs subsistant, quid ipse Dominus Ezechielem cùm ad prædicationem instituit, admonuerit, audi: *Fi-* Ezech. 3. 18. *li hominis speculatorem dedit te domus Israel, & audies de ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur è via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ad quæ verba Gregor. *Nos ergo sacer-* Gregor. *dotes sic commoneamur, qui tot occidimus, quos ad mortem ire quotidie tepide, & tacentes videmus.* Sed cùm de prædicatione, & salutaribus monitis impio dandis hoc in loco sermo fiat, cur non de ore, labiísque Prophetæ, sed de ipsius manu, sanguinis interfecti requirendus dicitur? Equidem, quòd diuini verbi gladius de manu potius, quàm de ore tractetur, siue, quod præceptum prædicationis momentum, in Doctoris exemplis, siue probitate vertatur, vnde, & *si doctus quidem fuerit* (ita Bernard. serm. 76. in Cant.) *non sit autem bo-* Bernard. *nus, verendum, ne non tam nutriat doctrina verbi, quàm sterili vita noceat.* de manu igitur concionatotis, siue Prælati, audientis, & subditi sanguis exquiritur, ea enim ipsi, sicut Loth apprehensi, è Sodomæ, siue è vitiorum finibus facile egressi fuissent.

Obseruatu sanè dignum est, quod de Samgar 4. Israëlitici populi iudice refertur, sexcentos Philistæos vomere siue stimulo boum percusisse; sic enim Iudicum 4. 31. *Post hunc fuit Samgar filius* Iud. 4. 31. *Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere;* siue, vt legit Pagninus, *stimulo bouis;* & ve- Pagnin. rò, cùm indidem de Aod eius prædecessore dicatur, ancipitem sibi fecisse gladium, atque in eo distringendo, & de illo pugnando ambidextrum fuisse: ita enim vers. 15. *Suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod,* &c. *qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* at tot hostes tanta hac dexteritate debellasse non dicitur, vt arcano sensu nobis argumento sit, in vincendis, siue reducendis ad Deum peccatoribus, nō tam externas eloquentiæ dotes, siue egregia naturæ ornamenta, quàm internum spiritum necessarium esse; vt enim nonnulli Doctores acutum, limitarúmque gladium habeant, eóque vtraque manu non sine auditorum admiratione vtantur; at dum alij vitæ probitate eis excellunt, id ipsis pro vtraque manu, & splendenti gladio satis supérque est. Sic ad eum locum id considerante Venerab. Stephano Cantuariensi in allegoriis Gotfrid. Tilm. *Ecce Samgar plures occidit* Stephan. *vomere, quàm Aod gladio suo limato, & acuto, quia* Cant. *sæpe plus proficit simplex, & rudis prædicatio, quam exquisita, atque polita.* Hæc ille. Quibus mirè assonant signatissima Gentilis Epicteti verba Epict. apud Arrianum lib. 3. dissert. 16. rationem opportunè reddentis, cur nonnulli Philosophi, quibus minor eloquentiæ, ac doctrinæ supellex inesset, fortiores & efficaciores in monendo, & suadendo, quàm alij doctiores, & eloquentiores esse comprobarentur: *& quare,* inquit, *indocti in sermonibus, & persuasione efficaciores sæpe sunt, quam verò Philosophi? Quoniam illi sordentia sua ex decreto, & animi sensu proferunt, vos autem ista elegantia à labris, ideóque infirma sunt, & mortua.* Ita ille. benè quidem, & opportunè. Nec ab hoc it Venerab. Galfridus ad illa verba Iosue cap. 6. 3. de militi- Iosue 6. 3. bus obsidentibus, & circumdantibus vrbem Ieri- Galfrid. co, *circuitu vrbem cuncti bellatores*, quæ ipse de doctoribus,

doctoribus, & prædicatoribus sub spirituali sensu capit, scitè illud adnotans, quòd quamuis ad illorum militum clamores, sonitúmque tubarum muri Hiericunthini corruerint, non tamen clamatores, sed bellatores, ab opere potius, quàm à nomine fuisse appellatos; sic enim ait: *Nota, quòd prædicatores vocat bellatores, non clamatores, quia prælati ab operatione debent denominari. Hinc est quod Philippus erat de ciuitate Andreæ, & Petri: Philippus os lampadis, & significat prædicatorem, cuius ciuitas, hoc est, prædicatio non est denominanda ab ore, sed ab operibus virilibus & firmis.* Ad similis Gregoriis mens in commentario cap. 3. Ezechielis, in illa verba vers. 17. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël:* ex specula, eminentiori scilicet loco, in quo speculator constituitur, obseruantis prædicatorem ab actione potius, quàm ab ore muneris sui nomen accipere: *speculator* (inquit) *in altitudine mentis sedeat, & nomen ex actione trahat; in alto debet esse per vitam, vt prosit per prouidentiam. Hoc est illud Cant.* 7. 4. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum: *per nasum, qui odores discernit, discretio speculatoris designatur, quæ & alta est, & munita vt vitia virtutibus superet, atque incursus malignorum spirituum auertat.* Ita Gregorius.

Ezech. 3. 17. — Cant. 4. 7. — Gregor. Mag.

5. Hinc Isaiæ 40. 1. accurata locutione ad Prophetas, & concionatores Dei nomine dicitur: *Loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam.* quod enuclariùs LXX. exprimunt, reponentes, *Sacerdotes loquimini ad cor Ierusalem:* vbi simul obserua pro *aduocate* eam, Hebraicè haberi; *clamate ad eam:* id verò ab interpretibus sic efferri, *adducite eam à captiuitate:* quod sanè nihil aliud fuerit, quàm cor illius permouere, & ea efficacitate clamare, qua à peccatorum captiuitate abducatur. At, quî id Sacerdotibus liceat, qui cor audientium in manu sua non habent? loquentur sanè ad illorum aures, clamabunt, vociferabuntur, implebunt eas sermone, vocibus, doctrina, sed ad cor illorum hæc intromittere haud poterunt: nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quomodo ergo ait vates? *loquimini ad cor*; vis nosse? fuit quidem dicere: loquimini verbo, & exemplo, siue sermone probis actionibus animato, hic enim non tantùm circa aures sonabit, atque obstrepet, sed interiùs ingressus animum attinget, atque pulsabit: ita id explicante S. Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 202. *Quandoquidem sermo actione destitutus, non vltra aurem grassatur, qui autem ab actione animatus est, vt qui & acris, & efficax sit, altè penetrat, animúmque attingit: eã ob causam* (*id quod ex me scire cupis*) *Deus Sacerdotibus edixit, vt ad cor Ierusalem loquerentur. Nam qui ad aures verba faciunt, permulti quidem sunt, ac sacerdotio indigni; qui autem ad cor, pauci omnino, & qui sacerdotali dignitate redimiri mereantur.* Hæc ille, optimè quidem.

Isai. 40. 1. — LXX. — Sanchez. — S. Isidor. Pelus.

6. Accinit quod de Christi prædicatione Matthæus, & Lucas conscripsere: sic enim ille cap. 7. 29. *loquebatur tanquam potestatem habens, & non sicut scribæ eorum,* Lucas verò cap. 4. 32. *stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius:* pro quibus Syrus interpres reposuit, *quippe cuius sermo auctoritate polleret:* vbi si inquiras, vnde tantum auctoritatis imperij, atque efficaciæ pondus Christi verbis adhæreret; respondebo ex superiùs dictis inde id ortum ducere, quòd prunas manu disseminaret, nec aliud doceret, quàm quod ipse priùs faceret. Ita Gregor. lib. 23. Moral. cap. 7. *Cum imperio docetur, quod prius agitur, quam dicatur. Nam doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam; vnde etiam de Domino scriptum est:* erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ, & Pharisæi. *singulariter namque & principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate nulla mala commisit:* Nec aliter Beda in Lucam, inquiens: *Sermo doctoris in potestate fit, cum ea, quæ docet, operatur, qui enim facto destruit quod prædicat, contemnitur.* At enim peculiarem in hanc rem emphasim habet, quod bene malus auctor (Erasmus) obseruauit pro potestate Græcè esse ἐξουσίαν, quæ inter alia propriè atque eleganter significat *auctoritatem*, siue *ius aliquid faciendi:* vt sensus sit, loquebatur animosè cum imperio, ac maiestate, vtpote qui ex puritate vitæ ius & auctoritatem haberet docendi, mouendi, arguendi, atque increpandi illos: sanè quasi ille solus docendi mouendíque ius habeat, qui tam exemplo, quàm ore loquitur: vnde sapienter, & huic cogitationi per opportunè Pompeium Magnum, qui vultus suos ambitioso artificio ex margaritis fieri passus fuit, vel ex hoc capite arguebat Plinius, quòd ad aliorum luxum & superfluam supellectilem corripiendum ius omne perdiderit, sic enim ille lib. 37. cap. 2. *Ex margaritis Magne, tam prodiga re, & fœminis reperta, quam gerere te fas non sit: hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? ius videmur perdidisse corripiendi gemmata potoria, & varia supellectilis genera.* Contrà quidem Cassiodorus lib. 11. variar. Principem edicta ac leges confidenter, & imperiosa seueritate promulgantem, dum auctoritatem, & ius imperandi ex bona magistratuum suorum conscientia desumit; *in edicto Principis sic facit. Ostendimus in vobis, Deo iuuante, continentiam, vt eam militibus sine pudore imperare possimus. Non enim post auctoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo, dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Sic ille, sermoni exemplis firmato scitè auctoritatem adiungens, & pudorem remouens; cur enim me velle, & facere id pudeat, ad quod ius & auctoritatem habeo? Sed & hinc Nepotianum similiter admonebat Hieronym. *Non confundant opera tua sermonem tuum: ne cùm in Ecclesia loquaris, tacitus quilibet respondeat. Cur ergo quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potest. Sacerdotis Christo, mens, manúsque concordent.* Pulchrè illud, *non confundant opera tua sermonem tuum*; quòd ab illo diffidentia non possint non ei, siue potiùs dicenti ruborem facere.

Matth. 7. 29. — Luc. 4. 32. — Lect. Syriac. — Greg. Magn. — Beda. — Græca. Lect. Erasm. — Plinius. — Cassiod. — Hieronym.

Et verò magistrum vitæ ad vltimum vsque vitæ spiritum, immò spitum ipsum exhalans, hanc doctrinæ suæ auctoritatem, & potestatem adlegasse, ex egregio Pauli testimonio videris, dum ad Coloss. 2. 15. ait: *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso:* vbi obserua primò Hilarium lib. 9. de Trinitat. & Tertullian. siue Nouatianum libro etiam de Trinit. cap. 16. hæc sic legere: *Exuens carnem potestates dehonestauit.* deinde pende accurata locutione Apostolum dæmones appellasse principatus, & potestates, non solùm quasi *mundi rectores*, vt ipsemet ad Ephes. 6. 12. ait, sed quasi homines ad ambitionem, superbiam, opes, & inanem magnitudinem impellentes: iam quomodo hæc Christus dehonestarit, 7.

Ad Col. 2. 15. — Hilarius. — Tertul. — ad Eph. 6. 12.

ſtarit, omnem ſcilicet decorem, ac venuſtatem ademerit, ſic aperit Paulus, *exuens carnem*, hoc eſt dum ipſam carnem exuit, mortémque obiuit; ac ſi dicat, Chriſtum, licèt toto vitæ ſuæ curſu mundi poteſtates, & ſæcularia bona indeſinenter fuerit inſectatus; tunc tamen hæc ſignatiſſimè dehoneſtaſſe, & vt fallacia, & noxia in dehoneſtamentum traduxiſſe, cum ſumma ipſe ignominia, & acerbiſſimis cruciatibus mortalitatem expleuit; præclaris videlicet ſuæ mortis exemplis potius quàm verbis inania hæc & falſa apertiſſimè oſtendens, & efficaciſſimè ſuadens. Quod iterum confirmat Apoſtolus ſubiiciens, *triumphans illos in ſemetipſo*: id eſt, non externis copiis, non ſignis, ac prodigiis; immò nec vocibus, longáve oratione, ſed rebus, exemplis, ſiue potiùs duriſſimorum cruciatuum patientia, vulnerum, ore & mortis lingua vſus, eáque monente, ac perſuadente: ſed enim in his verbis aduerbium illud *confidenter* emphaticè à Paulo poſitum, è re noſtra maximè eſt; ab Ambroſio enim vertitur, *in auctoritate*; ab aliis verò *audacter*: innuens nimirum Apoſtolus præcipuam glorioſi huius triumphi, quem de ſuis hoſtibus Redemptor egit; auctoritatem, omnis repulſæ neſciam ab egregiis ipſius exemplis, potiſſimum verò à morte, quam obibat, aduenisse: quaſi ea de cauſa quod factis potius, quàm verbis aduersùs ſæculi pompam & ambitionem cæteráſque mundi illecebras ac peſtes ageret, ipſius de illis relatus triumphus auctoritatis, & maieſtatis pleniſſimus foret. Sed & ſummi Parentis ore hæc omnia firmare placet: nam ipſe ſi attendis cùm egregium Chriſto tanquam clariſſimo ſibi filio bis dederit teſtimonium, videlicet cùm à Ioanne baptizatus Matth. 3. 17. & cùm in monte transfiguratus eſt, Matth. 17. 5. Doctrinæ tamen cathedram ipſius in transfiguratione ſignatiſſimè detulit: nam in Iordane ſolummodo dicente, *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui*; in Thabor non modò eadem hæc ipſi diſcipulis adſtantibus ſuggeſſit: ſed illis adiunxit, *ipſum audite*. Quòd ſi inquiras, cur hîc magis, quàm illic magiſterij excellentia; & dignitas Chriſto fuerit delata, cùm potiùs baptiſmi humilitas illam magno iure ſibi expoſtulare videatur? reſpondet Hilarius, meritò atque opportunè ad transfigurationis Chriſti tempus cathedræ honorem ſpectaſſe, quod ipſe tunc cum Moyſe, & Elia de morte obeunda ageret; ſic enim Lucas 9. 31. *& dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Hieruſalem*. Sed audi Hilarium Canon. 17. in Matth. *Hunc eſſe Filium, hunc dilectum, hunc complacitum, hunc audiendum, vox de nube ſignificat, vt idoneus ipſe præceptorum talium auctor eſſet, qui poſt ſæculum damnatum, poſt crucis voluntatem; poſt obitum corporeum regni cæleſtis gloriam ex mortuorum reſurrectione facti confirmaſſet exemplo*. Hæc optimè Hilarius, idoneum præceptorum auctorem appellans: quod ipſa non tam verbis, quàm rebus atque exemplis, ſignatè verò morte ſua firmaret. Ergo ille ſolùm idoneus Doctor tantummodo improbos aliorum mores, & vitia confidenter traducet, qui *carnem exuens*, enſéque ſuper fæmur accinctus doctrinam atque præcepta ſua facti confirmarit exemplo, aliàs;

Ambroſ. — Matth. 3. 17. Matth. 17. 5. — Luc. 9. 31. Hilarius.

Iuuen.

——hæc vltima vitia, fictos
Contemnunt Scauros, & caſtigata remordent.

Caſſiod.

Hinc pulchrè Theodoricus Rex apud Caſſiodor. lib. 1. variar. epiſt. 4. *Facilis recti perſuaſor eſt, innocens iudex, ſub cuius prædicabili conuerſatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur ſcelus, cuius in ſuggeſtu gremij complicem videt? in caſum perſonam ficta ſeueritatis inducit, cùm auarus pecuniæ ambitum diſſuadet, cùm legibus parendum cenſet iniuſtus.*

Sic equidē Romanos monebat Paulus c. 15. 2. 8.
Vnuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Sed vix hæc audis, cùm hæres, & Paulo Dauidem, immò Paulum Paulo opponis: ita enim de iis, qui hominibus placere ſtudent, Vates Pſalm. 52. 6. *Quoniam Deus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos*. nec minus ſeuerè Apoſtolus ad Galatas cap. 1. verſ. 10. *Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*. Quî ergo hæc ſimul ſubſiſtere, & Paulus ſibi conſentire dixeris? ego certè vt illum vnanimem & vnius ſentētiæ faciam, cùm dicentem audio, *ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*, animoſè dixerim; immò verò niſi hominibus Paule placeas, dignus Chriſti ſeruus ſapiénſque Eccleſiæ ipſius architectus (vt & ab Iſaia cap. 3. 3. Ambroſ. in Gloſſa ibi interprete) prædiceris, & tumet te ipſum compellat, 1. ad Corinth. 3. 10. non eris: at enim vt tanquam *ſapiens Architectus fundamentum* Euangelicæ prædicationis *ad ædificationem* ponas, placere priùs honeſtiſſimis egregiæ conuerſationis exemplis hominibus debes, aliàs nihil ædificaturus: ita præfatum Pauli locum ad Roman. elucidauit Primaſius, inquiens: *Non enim ædificare poteſt eum, cui non placuerit per exemplum, quia nequeunt ædificari verbis, qui deſtruuntur exemplis*. Apto hîc, quæ poſt illa verba de Chriſto Domino, *loquebatur tanquam poteſtatem habens*, ſubiiciunt Matthæus, & Marcus, *& non ſicut ſcribæ eorum*, Matth. 7. 29. Marci. 1. 22. quæ eo potiſſimum refero, quòd ipſorum doctrina, & prædicatio inanis, & abſque vllo fructu eſſet; nam, vt eſt in prouerbio, *inanium inania conſilia*: nimirum ad virtutem aliis efficaciter perſuadendum ius nullum habebant, qui quæ verbis ædificare moliebantur, factis deſtruebant: vnde de illis notantiſſimè Matth. 23. 4. dixit Dominus, *alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere*: vbi cùm de doctrina, & præceptis, quibus auditores ſuos ſcribæ inſtituebant, ſermo ſit, vt liquet ex iis, quæ immediatè anteceſſerant, *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite*; non ſalutares ex diuina lege admonitiones, onera, eáque importabilia ab aſſertore appellentur; ſed occurrit opportunè Theophylactus reſpondens, iure eo nomine nuncupari præcepta exemplis deſtituta; quòd diſcipulo ad bonum quod audiunt exequendum multo minus adiuuentur verbis, quàm ad malum imitandum quod vident, prauis Magiſtrorum factis incitantur. Audi: *ipſi digito ſuo non mouent nihil operantes. Quando enim qui docet, non ſolùm docet, ſed & operatur: videtur cum iis, qui docentur, laborare, & operari. Quum verò ille me onerat, ipſe verò otioſus viuit, magis me grauat*. Hæc ille. A quo non abit Senecæ ſenſus epiſt. 108. dicentis, *Nullos autem peius mereri de omnibus mortalibus iudico, quàm qui philoſophiam velut aliquod artificium venale didicerunt: qui aliter viuunt quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim ſeipſos inutilis doctrinæ circumferunt, nulli non vitio, quod inſequantur, obnoxij. Non magis mihi poteſt quiſquam talis prodeſſe præceptor, quàm gubernator in tempeſtate nauſeabundus. Tenendum eſt rapiente fluctu gubernaculum, luctandum cum ipſo mari, eripienda ſunt,*

ad Rom. 15. 2. — Pſalm. 52. 6. — ad Gal. 1. 10. — Iſai. 3. 3. — 1. ad Cor. 3. 10. — Primaſ. — Matth. 7. 29. Marci 1. 22. — Matth. 23. 4. — Theophyl. — Seneca.

sunt vento vela. Quid me potest adiuuare rector nauigij attonitus, & vomitans. Quanto maiore putas vitam tempestate iactari, quam vllam ratem, non est loquendum, sed gubernandum. Sic Seneca.

9. Quò pulchrè per allegoriam retulit Venerab. Steph. Cantuariens. in allegor. Gotfrid. Tilm. ad cap. 27. Deuteronom. diram illam Moysis rebelli populo factam imprecationem:
Deut.27.23. *Sit cœlum, quod supra te est, æneum; & terra, quam calcas, ferrea*; siue, vt extulit Chaldæus,
Chald. *& erunt cœli, qui sunt super caput tuum fortes quasi ænei, vt non deducant pluuiam, & terra quæ est subter te, erit fortis sicut ferrum, ne faciat fructus*, Deuteronomij 27.23. quasi mirè sibi concinnent cœlum æneum, & terra ferrea, quod sub ænei cœli imagine, prædicator verbis, non operibus operam nauans:
Steph. Cant. qui nihilo melior sit, quàm *æs sonans, aut cymbalum tinniens*; per ferream verò terram, hoc est, sterilem, & infœcundam talium doctorum discipuli nihil in virtute proficientes optimè desinentur; sic enim ille: *Mysticè cœlum est sacra Scriptura, vnde*, extendens cœlum sicut pellem. *Ad huius doctrinam viuere debemus, sicut nauta, qui semper habet respectum ad stellam. Cœlum ergo æneum est, quando vita nostra tantum est in sono verborum, quando prædicatores verba quærunt, non opera sequuntur*, & terram ferream. *Terra sunt corda auditorum, in quibus inspergitur semen, id est, verbum Dei. Quæ ferrea est, cùm dura est, & obstinata, nec affert fructum in patientia. Et hoc fit, quando cœlum est æneum; quoniam cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur.* Ita ille. Ad cuius gustum interpretatus est S. Ælredus sermone 10. illa Isaiæ verba capite 5. 10.
Isa 5 10. *Stellæ cœli non dabunt lumen suum*; iis doctoribus, & prædicatoribus aptans, qui cùm vna ex parte externis ornamentis, & scientiæ claritate adeò sunt conspicui, vt stellæ firmamenti esse videantur, ex alia nullam ex se lucem ad aliorum profectum emittant, quod non tam in firmamento, hoc est, in perfectioris vitæ culmine, quàm in turpis conuersationis sterquilinio conspiciantur; etenim
S. Ælred. cùm dixisset, *Quid dicam fratres? vbi sumus? Nunquid ibi, vbi quondam Amonius? Macharius? Hilarion? Numquid non potius de cœlo in terram cecidimus, qui nihil ferè præter terram sapimus, terram amantes, terram cogitantes, de terra loquentes, contentiosi, querulosi, inuicem mordentes, & comedentes, & detrahentes alterutrum*; subiicit: *Quod quæso lumen expandent homines tenebrosi, de stellis mutati in carbones, de cœlo in sterquilinio prouenientes?* Hæc Ælredus; vtrique verò allegoriæ
Lactan. aptè coniunxeris quod de priscis Philosophis dixit Lactantius lib. 4. institut. cap. 23. *Philosophi habuerant discipulos multos, imitatores paucos, qui tantùm dicebant, & non faciebant.*

10. Sed huic cogitationi appositam emphasim habet illa Dei nomine ad prædicatorem peccatis obnoxium apostrophe facta Psalm. 49. 16.
Psal.49.16. *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* quæ in Hebræo ita
Hebr.lect. leguntur: *Quid tibi ad enarrandum iustitias meas?* Hoc est, quo iure? quo titulo, quo colore, aut prætextu? Hispanè sic apposité exprimeres: *Que tienes tu que ver con esso?* Ne verò ipse audaciùs responderet, prædicationi se se non immeritò ingerere, quòd scientiarum cognitione, & sanctis litteris fuerit instructus, eam rationem sic occupat, atque euertit: *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum*; ac si dicat, quid interest, magna litteraturæ supellectile, & sermonum meorum cognitione te videri instructum? cum eo ipso quòd iuxta eorum præscriptum non viuas, sed disciplinam proieceris, ius omne ad eos aliis enunciandos perdideris: nam dum post te proiecti sunt non vsui, sed oneri tibi & aliis fore, necesse est. Quis enim sine probitate doctrina vsus? quæ Magistro fides adhiberetur? *etenim quos remotos etiam vitiorum illecebris a malo auertere, atque à deteriori parte ad meliorem traducere, difficile est:* (ita Gregorius Nazianzenus aduersùs Gentiles doctores, qui ex vna parte deos prauis affectionibus obnoxios imperitæ plebi colendos proponebant; ex alia verò eam ad virtutem planis buccis inducere curabant: *quis tandem, vt placiat, & moderatus sit, persuaserit? cùm deos vitiosorum affectionum duces, & patronos habeant.* Certè sapientissimus Hippocrates Medicum instituens, bono illum in primis colore, egregiáque corporis habitudine præditum esse volebat, ne si debilis, ac macie confectus sanitatis præcepta aliis daret, nulla illius dictis fides haberetur, sed vicissim audiret, *Medice cura te ipsum*. Sed audi Hippocratem *in Medico*, librum sic exordientem: *Hic liber Medici gubernatio est, & preceptum quomodo institui oporteat: Medici equidem gubernationem esse putamus, vt curet, quo bono colore, & bona ac carnosa corporis habitudine præditus est iuxta existentem in ipso naturam: vulgus enim existimat, eos qui non sic bene dispositum corpus habent, neque aliis bene prospicere posse.* Sic ille; & quidem rectissimè: nam oculis potius, quàm auribus fidem facere, ius naturæ est. Pergit verò Nilus in Ascetico, atque iis, qui doctrinæ, & prædicationis gladium non super fæmur, vt priùs suis affectionibus salutare bellum gerant, sed super brachium ad ostentationem & popularem gloriam captandam ferre consueuerunt; ipsammet doctrinam euanescere, scientiæque claritatem tenebrescere, ex Zacharia astruit; sic enim vates c. 11. 17. *O pastor, & idolum derelinquens gregem; gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius, brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.* Ad quæ verba hæc adiungit Nilus. *Quamobrem & super brachium dexter ipsorum oculus excæcatur.* Neglecta enim per ignauiam actio dexteræ secum simul extinguit, & contemplationis splendorem etenim nec facere, nec videre quidquam possunt, qui gladium non super fæmur sed super brachium alligant. Ita ille.

Greg. Naz. — Hippocrat. — Zach.11.17. — S. Nilus.

Tandem ille huic rei opportunissimus locus est Matthæi 5. 19. Christo Domino admonente, *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in regno cœlorum* vbi dum ex Hieronymo & aliis interpretibus constat, idem esse, soluere vnum de mandatis minimis, ac minutulo errato obnoxium fieri; duo ambigas, alterum quid significet illud, *& docuerit sic*; alterum ad quem statum, præsentem ne, an futurum, hæc locutio, *minimum esse in regno cœlorum*, pertineat? & de hoc quidem bene tam Gregorius Magn. lib. 19. Moral. c. 5. Aug. lib. 1. de serm. Domin. in monte, quàm frequẽtiores eius loci interpretes monent, non cælestem beatitudinem, sed Ecclesiam designare; illud verò, *docuerit sic*. ad doctrinam & prædicationem, quæ Christi doctrinæ adsimilis sit, & illius vestigiis adhæreat, Hieronymus & noui interpretes apud Maldon. spectare affirment: vt perinde sit, ac si dixerit Dominus, 11.

Matth.5.19. — Greg. Magn. — Maldon.

&

& docuerit, quemadmodum ego docere soleo: ex iis verò peculiarem iam sensum obserua quasi moneat Assertor, eum Doctorem, qui vna ex parte ad Christi morem, & regulam doceat, concionetur, & clamet; & in docendo, & concionando alter, si dici potest, Christus, siue eius imago sit; ex alia verò peccato licèt exiguo sit obnoxius. verbi gratia, si gulæ, ludo, inanibus facetiis, humanæ gloriolæ expiscandæ, aut aliis eiusmodi erratis deditus fuerit, idoneum Ecclesiæ ministrum non esse, minimúmque hoc est, abiectæ sortis, & conditionis inter doctores haberi debere. Id ad hunc locum Hieronymo & Paschasio adnotantibus: quorum prior

Hieron. Paschas. sic ait, *Possumus autem, & aliter intelligere, quod Magistri eruditio etiamsi paruo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu maximo, nec prosit docere iustitiam, quam minima culpa destruit, beatitudóque perfecta sit, quæ sermone docueris, opere complere.* Sic ille. Paschasius verò: Paschas. *Hinc velim prudens, lector attendat, quam periculosum sit, magistris Ecclesiarum, vel minimis peccatis obnoxios esse. Quid enim prodest docere iustitiam quem minimè destruit culpa, & à gradu maximo deiicit leuis præsumptio?* Hæc verò quàm

3.Reg. 13.1. sint certa apposita ex libro 3. Reg. cap. 13. 1. allata historia confirmat: videris enim ibi impium Regem Ieroboamum à quodam Propheta Dei tanta dicendi vi ob idololatriam increpatum, tam certisque signis atque prodigiis, ea omnia quæ dixerat firmata fuisse, vt & altare, in quo pessimus Princeps sacrificalem operam impendebat, confringeretur, & ferox illius dextra aduersùs prophetam extenta primum arefacta, deinde ad Vatis orationem sanitati restituta fuerit. Ne verò doctrina solùm & egregia dicendi facultate conspicuum illum tantummodo existimes, videris etiam egregia eius abstinentiæ, & honestissima spretæ regiæ gratiæ exempla: nam Rege illum ad splendidam mensam & regia munera inuitante, ipsi constanti animo respondit. *Si dederis mihi medium partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto.* Adhæc iis monitis, atque exemplis mitiorem Regis animum, &, vt non ignobiles auctores tradunt, ad bonam frugem sese recipere parantem indidem comperies: sed enim (proh dolor!) simul statim videris totum tam egregiæ prædicationis & illustrium exemplorum fructum, maximúmque duplicis illius prodigij momentum à leui quodam prophetæ illius errato euersa, ac disturbata fuisse. Cùm enim ille impransus atque ieiunus ab eo loco iuxta Domini præscriptum discessisset, ab aulico quodam infidóque propheta deceptus interdictum sibi à Deo cibum sumpsit: (cùm tamen non nisi leuius peccatum omnes pænè interpretes id fuisse adstruant) tum iusto Dei supplicio, à leone faciem illius, vt inquit Chrysostomus inobedientiæ fulligine infuscatam non reuerente, immò nec agnoscente, vt ineptus prædicator occisus est, tum Rex qui illius prædicatione instructus signisque perterritus ad sanam mentem redire cogitabat plus leui illi peccato, quàm tot exemplis atque prodigiis tribuens obstinatior in sua impietate permansit: hæc omnia historica narratione sic affirmante Glossa ibi:

Glossa. *Iste pseudo Propheta Princeps erat Sacerdotum, & valde à Rege colebatur, tanquam diuinus, timens autem, ne per sermonem viri Dei Rex ab idolorum cultu recederet, & se tanquam maleficum interficeret excogitauit, vt virum Dei deciperet; satis acutè agens, vt dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret, sicut postea fecit, cùm magis homini, quàm Deo credidit, ac per hoc monstraretur esse falsa, quæ prædixit, sicque Regi persuadere posset, sicut fecit.* Ita Glossa Pende obsecro, quàm perfecta, & omnibus numeris absoluta Doctoris sanctitas esse, siue quàm aptè respondere, & omnimoda concinnitate aptari, eius prædicationi atque doctrinæ debeat, vt qui impunè possit, cùm concionatur & loquitur, in syllaba peccare: in agendo, atque operando leuissimum erratum impunè nequeat committere, quin deducat eum de gradu maximo: sed hac de re plura ad caput 4. vers. 9. in ea verba: *Quæ & didicistis, & accepistis & audistis, & vidistis in me, hæc agite,* Deo bene iuuante dabimus. Videsis ibi.

Ad priora verba, *Verbum vitæ continentes.*

Adnotatio II.

Iustos præclaris exemplis validissimos virtutis magistros esse.

NON negligam eorum Patrum, atque interpretum expositionem, qui dum in his verbis imaginem facis ex pharo, vel alta turri ad oram maris suspensæ, vt nauigantibus ad portum contendentibus præluceat, acutè considerabant, Philippenses inter Ethnicos, & peccatores infidelitatis & vitiorum nocte occupatos iustè sanctéque viuentes; egregia vitæ conuersatione, præclarisque virtutum exemplis portum salutis, illis commonstrantes faciunt: 1.

sic dicebat Primasius, *vt exemplo vestro illuminentur, & verbo*; similiter & Theophylactus *quia quemadmodum faces collucent, & quasi sui fulgoris fomento vitam corporibus reddunt, sic vobis omni studio est enitendum, vt virtutis loco hominibus sitis, quæ vitam de se possit præstare*; sunt enim hæc Pauli instituto & consuetudini satis accommodata; & quæ mirificè ostendunt, quanta bonorum exemplorum efficacitas, & ad virtutem suadendam, hominésque in sequelam trahendos, quàm indomabilis eorum vis & potentia sit. Nimirum Euangelicam doctrinam Philippis iam Paulus prædicauerat, nec illi Philippenses omnes sese subiecerant; tantùm verò exempla valitura nouit, vt ab illis, Ethnicorum lumini suæ prædicationis rebellium, salutem speret: qua omnino mente Apostolorum Princeps etiam dicebat epistola 1. cap. 3. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis, vt & si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant*: vt videris, quàm longum per præcepta, quàm breue & efficax per exempla iter sit: & quidem meritò; nam *sermo viuus & efficax* (inquit Bernardus sermone de sancto Benedicto) *exemplum operis est, plurimum faciens suadibile quod suadet*: vnde subiicit, *in hunc ergo modum sanctitas confortat, pietas informat, iustitia confirmat.* Sic ille. Primas. Theoph. 1.Pet.3.1. Bernard.

Sed enim hanc Philippensium turrim splendidas exemplorum faces ad cœleste iter ostendendum sustinentem à Salomone iam olim fuisse descriptam non erit difficile commonstrare: sic enim ipse opportunissimè, Cant. 4. vers. 4. *Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*: vbi, siue Ecclesiæ collum, quod cum Dauidica turri à Salomone componitur, Paulum adumbret; vt Greg. Nyssenus in commentario explicat, mihíque 2. Cant. 4. 4. Greg. Nyss.

mihíque vehementer placet,& ad ea verba c.3.17. *Imitatores mei estote*, latiùs persequor; siue rectam viuendi rationem.tum actione, tum contemplatione ornatam atque conspicuam denotet, vt idem Nyssenus, Maximus, & Nilus apud Theodoretum affirmant; siue sacram Scripturam designet, vt Eucherij,necnon Gregorij Magni homil.15. in Ezech. expositio fert; siue vt tandem Magistrorum Ecclesiæ,vt Philo,& Beda,vel Prædicatorum,vt Anselm. Aponius, & Richardus volunt, typum gerat: illud apud hosce Patres pro comperto est, eos mille clypeos, qui ab hac turri dependent,egregia iustorum exempla,vel in contemplatione optimè expensa vel à sacra pagina nobis ad imitandum proposita, vel à diuini Verbi præconibus mentis nostræ oculis obiecta:vel quod magis è re nostra est quæ à perfectis viris,inter quos degimus,oculis nostris haurimus,& in animos nostros potenter influunt:eósque ad virtutem capessendam acriter pungunt,atque incitant: & aduersùs irruentia vitia fortiter armant, omnino significate. Audi vnum Greg.præfato in Ezech. loco omnium ore loquentem: etenim cùm in singularum virtutum exemplum veteres Patres egregia sanctitate in Scriptura celebres ab Abel vsque ad Ioannem Baptistam, & Paulum singillatim recensuisset,sic tandem concludit: *Si enim pugnare contra spiritalia nequitiæ volumus,in collo Ecclesiæ, quæ nobis, sicut Dauid turris erecta est; id est, in diuina eloquia protectionis arma requiramus, vt ex discretioni præcepti contra vitia sumatur virtutis adiutorium;ecce enim contra aëreas potestates festinamus fortes existere? in hac turri armaturam nostra mentis inuenimus,vt inde præcepta conditores, inde sumamus exempla præcedentium, per quæ contra aduersarios nostros inexpugnabiliter armemur. Dum enim quamlibet virtutem subire appetis, & hanc illic à Patribus iam impletam vides, ibi armaturam tuam inuenis, per quam contra spiritalia bella muniaris*.Sic ille.

Ad Philip.3.17. Nyssenus. Maxim. Nilus. Theod. Eucherius. Greg. Magn. Philo. Beda. Anselm. Aponius. Richard. Greg. Magn.

3 Firmant verò hanc expositionem tum Hebræa, tum Ambrosiana huius loci lectio. Nam pro illis verbis,*cũ propugnaculis*, in Hebræo est vox תלפיות *thalpioth* à Gregorio Nysseno, & Græcis Patribus, vt est in origine retenta, quam alij vertunt *doctrinam*, alij *monimenta*, alij *altitudines*, siue *eleuationes orium*, siue quòd turris lapides ad oris similitudinem fuissent excisi, siue quod est vero similius, vt Dauidis scopus in ea turri struenda significaretur: nam dum illa in edito erat loco, atque in ipsa vigiles ad continuas excubias agendas constituti, non modò aduentantem hostem præuidebant,sed sicut è pharo nauigantibus portus designatur, ita viatoribus errantibus verbum qua irent, ostendebant. Mirè verò his vocibus atque linguis,quas collo huic aptauit Salomon,eius natura,atque conditio conciliat: nam de collo hæc ad id loci inquit Gregorius Nyssenus homilia 7. *Habet autem collum quidpiam eximium præter cætera membra. In superiori enim positura aspera arteria, est in eo officina vocis, in qua sunt præparata omnia vocis instrumenta, per quæ generatur sonus spiritu,qui redditur in orbem circumacta arteria*. Iam iis apto Ambros. serm.4. in Psal.118. pro *mille clypei pendent ex ea*, legentem *mille ostia*: vt videris, Sanctorum exemplis tacitas quasdam,sed grandiores, & efficaciores, quàm oris voces inesse, quæ iis, qui à virtute aberrant,& ab itinere ad vitam deducente longè euntes,viam, ostiúmque cõmonstrent, immò & ostia sint,quibus in eundem,facilè & animosè ingrediantur, *validior* quippe (ait Bernardus sermone 59.in Cant.) *vox operis,quàm oris vox est*. Quod Chrysostomus homilia 3. in epist. 1. ad Corinthios ex primitiuorũ fidelium exemplo, qui vitæ probitate,potius quàm verbis sapientissimos Philosophos perterruerunt,& Euangelij humiliati subdiderunt,ita confirmat. *Pauci, iidemque illiterati, ita perterruerunt mentem Philosophorum, vt per rectam vitæ institutionem & Philosophiam emiserint vocem tuba clariorem,ea est enim lingua fortior*. Optimè. *Quis enim* (inquit Ambrosius sermone 79.) *bonum factum videns non gaudeat? miretur? imitetur? ac magistro vtens eius exemplo doceatur?* Sed iam non modò voces audi, sed ostia etiam exemplorum, quibus inaccessus olim, & perdifficilis ad virtutem aditus peruius, & facilis fiat, vide apud Augustinum lib.8.confess.cap. 8.de se ipso dicentem. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiqua amicæ meæ,& submurmurabant Dimittis ne nos,& à momento isto non erimus tecum vltrà in æternum? & à momento isto non licebit tibi hoc & illud vltrà in æternum? Putas ne sine isto poteris? Sed iam tepidissimè hoc dicebant. Aperiebatur enim*(vides ostium,quo subdubitans & hærens tandem ingrediebatur Augustinus:) *ab ea parte,quò intenderam faciem, & quò transire trepidabam,casta dignitas continentiæ serena, & hilaris honestè blandiens, vt venirem, nec dubitarem, & extendens ad me suscipiendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum: ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas: & graues viduæ, & virgines, & anus, & in omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, & aiebat, Tu non poteris, quod isti, & istæ?* Hæc Augustinus.

Hebræa lect. Nyssenus. Ambrosi. Bernard. Chrysost. Ambros. August.

Sed quàm vocalis,quàm efficax hæc vox,quámque multiplices operatur effectus! quippe iam remissas manus erigit,atque confortat,siue negligentibus calcar addit,iam deficientibus ruborem facit, tandem rebelles,ac contumaces obstinatæ perfidiæ arguit,atque traducit.Nec pigebit singula Scripturæ,ac Patrum monumentis firma reddere:& prima quidem exempli munia sic asseruit Gregorius Magnus libro 25.Moral cap.7. *Antiquorum nos exempla confortant, & ex eorum comparatione facere non posse præsumimus, quod ex nostra infirmitate formidamus*. A quo non abit Seneca epistola 68. qui cùm plura fortium virorum exempla,ad imitandum proposuisset,subiicit:*Nos quoque aliquid facimus animosè,simus inter exẽpla,quare deficimus? quare desperamus?quidquid fieri potuit,potest*.Equidem hac de causa Regius vates anxio ad Deum animo clamabat, *Saluum me fac Domine,quoniam defecit Sanctus*,Psalm.11.1.pulchrè inde sibi peculiarem Dei opem tanquam extremè indigenti necessariam reputans, quòd iustos sanctósque viros viæ comites non haberet, vt ipsorum exemplis animos ad virtutem sumeret,id ibi sic obseruante Chrysost.*Nihil hic aliud,quàm hoc significat:superna mihi manu opus est,cœlesti ope,& illo diuino auxilio: cùm enim ingrediar viam omnibus contrariam,magna mihi opus est prouidẽtia*.Sed in procemio Psalm.hanc sententiam in vtramque partem sic luculentiùs versat.Ardua *quidem res est virtus,& per se difficilis maximè autem quando qui operatur, est in magna bonorum virorum paucitate; quemadmodum enim via ingressus affert laborem, multo autem magis, quando fuerit solus viator, nullum habens viæ comitem; ita hic etiam. Non parua enim res est fratrum societas, & adhortatio, & ideo sunt vel maximè beati iudicandi veteres, non quòd rectè, & ex virtute se gesserint, sed quòd tum cùm magna esset virtutis sterilitas, & nusquam appareret, qui se rectè gereret. Propterea miramur Abraham, propterea Loth, propterea Moysen, quòd veluti in profunda nocte Stellæ apparebant, & tanquam rosa inter spinas, & oues inter lupos innumerabiles*. Hæc Chrysostomus. Quare rursus idem Vates Psalmo 118.

4. Greg. Magn. Seneca. Psalm. 11.1. Chrysost.

35.

Psal.118.35. 35. Deum sic exorabat, *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*; sed cur singillatim in semitam? Respondet Origenes apud Agellium ibi: *Semita trita via est, quam multi viri iusti ante nos ambulauerunt, ad quam deducente Deo opus est.* Sanè ac si animata viris humi strata vlmum cui adhæreret, vt in altum scanderet, desideraret, ac peteret. Audi Basilium hom. 5. in Hexaëmer. *Exemplis præterea veterum hominum, beatorúmque sensus nostros in sublime erexit, neque permisit inhumum nos esse deiectos, ac dignos esse, qui conculcemur, vt iugi affectu sursū versus feramur, & quasi scansiles arbustina vires nos ipsos adæquemur sublimium fastigiis arborū* Sic Basil.

Origenes. Agellius. Basilius.

5. Vnde quidem rationem perdiscimus, cur Domino Petrum & Andream ad se vocante, illustre illud præmium proposuerit, quòd hominum exinde piscatores, siue magistri atque gubernatores essent futuri; postmodum verò Iacobum, & Ioannem ad eamdem disciplinam, suique sequelam eligente, nullam illis talis præmij mentionem inieceerit: sic namque vtramque vocationem referunt Matthæus, & Marcus. *Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius,* &c. *& ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum, & procedens inde vidit alios duos fratres Iacobum filium Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui,* &c. *Et vocauit eos: illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum*, Matthæi 4. à vers. 17. & Marci 1. 16. nimirum is cuius *iustitia plena est dextera* eius. Psal. 47. 11. hoc est, qui ipsamet beneficientiæ opera iusta quidem ratione liberat, singulisque distribuit (vt alibi explico) Petro & Andreæ, qui intentatam ab aliis viam primi aggrediebantur, egregium magna iure præmium obiecit, quò ad eius imitationem facile pertraherentur: Ioanni verò atque Iacobo, vt sponte etiam post se currerent, satis fuit præmij loco præeuntium exemplum proponere, & aliorum vestigiis ad suam scholam allicere: id ad verba Matthæi de Ioannis, & Iacobi vocatione sic adnotante Chrysost. in catena S. Thomæ. *Vocando autem nihil eis promisit sicut prioribus: obedientia enim eorum, qui præuenerant, viam eis ad credendum præparauerat.* Ita ille. Quò opportunè referas sponsæ verba Cant. 1. 3. Christum exorantis, *Trahe me, post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; & statim: *introduxit me Rex in cellaria sua exsultabimus, & lætabimur in te.* vbi meritò cum Bernardo serm. 21. in Cant. ambigas quare sponsa pro se sola, vt à Christo trahatur, in singulari postulante, *trahe me*; subiiciat in plurali adolescentularum nomine *curremus*: num ipsarum voluntatem, & animos in manu habebat, vt quò vellet inflecteret? sed respondet ibi, non frustra id sponsæ fuisse persuasum, quippe quæ bene nouerat homines ad exemplum viuere, atque ea in odorem vnguentorum sponsi currente, adolescentulas exempli calcari punctas ad ipsius imitationem pari gressu cursuras. Ita enim ipse, *Non curram ego solùm, & si solam me trahi petierim, current adolescentulæ mecum, curremus pariter, curremus simul, ego odore vnguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo: habet sponsa imitatores sicut & ipsa Christi* (1. ad Cor. 11. 1.) *& ideò non singulariter dicit curram, sed curremus.* Hæc Bernardus. vide similia apud ipsum serm. 3. de Aduentu.

Matth.4.17. Marc.1.16. Chrysost. S. Thom. Cant.1.3. Bernard. 1. ad Cor.11.1.

6. Sanè nisi adolescentulæ post sponsam currerent, nisi Iacobus, & Ioannes, Petri, & Andreæ vestigia premerent non possent non, grauiori rubore suffundi, pudet siquidem non subsequi præeuntem: sic videris Mosem cum Domino iam aliquando colloquentem, nec faciem abscondisse; at cùm Deus adiecit, *ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob*; continuò faciem suam retraxisse, atque abscondisse, sic enim statim ibi: *Abscondit Moyses faciem suam*; siue, vt Chaldæus ait *& inclinauit Moyses vultum suum*; sed quare? Referunt nonnulli interpretes ad ingentem pauorem, quo erat correptus. Alij ad diuinæ Maiestatis reuerentiam, qua non potuit non afflari. At enim, vt rectè id dicatur, obiiciat non nemo, cur non antea ad primam Dei vocem, primúmque præsentis Numinis conspectum, faciem suam abscondit, siue inclinauit? Ergo opportunè respondet P. Pereyra ibi, disput. 8. num. 35. non tam ad adstantis Numinis præsentiam, quàm ad nomina Abraham Isaac, & Iacob faciem suam Mosem abscondisse; quippe hic pudoris potius, ruborísque in facie suffusi, quàm pauoris, aut reuerentiæ affectus fuit. *Nihil est enim* (inquit ille) *quod magis nos pudore afficere possit, quàm si insignium sanctitate virorum, qui in vita spirituali quasi maiores, & Patres nostri haberi debent, eximias virtutes, & præclara facta intueamur, & cum animo nostro reputemus, atque vitam & mores, & opera nostra cum illis comparemus.* Scitè: incutiunt enim præcedentium exempla verecundiam, & torporem nostrum, siue accedunt, siue coarguunt. Vnde clarorum virorum imagines inde commendabat Plinius lib. ., c. 2. quod imbelles spectatores exprobrarent. *Ingens est* (inquit) *ad virtutem stimulatio clarorum virorum imaginibus vti, exprobrantibus quotidie spectatores imbelles.* Certe hac de caussa sanctorum exempla Augustino interprete carbones desolatorios appellauit Psaltes Psal. 119. 4. Quòd verecundia, immò confusione facies nostras denigrent, *vtpote incipit tibi Dominus dicere* (inquit August.) *Tu non potes? ille potuit: Numquid tu delicatior es illo senatore? Nunquid tu infirmior es fœminis? fœminæ potuerunt, viri non possunt? delicati diuites potuerunt, pauperes non possunt?* Hæc ille, & alia inferiùs adducenda.

Exod. 3. Chaldæus. Plinius. Ps.119.4. August.

7. Audis voces è turri Dauid, siue è Philippensium pharo errantes admonentes, simúlque animantes, & ruborem etiam ipsis incutientes? iam quomodo rebelles, & contumaces damnent, eorúmque duritiem manifestam reddant, disce ex Assertoris verbis Matthæi 11. 21. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaïda, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Est enim non leui obseruatione dignū, cur has signatè vrbes in incredulitatis exēplum Dominus proposuerit, earúmque duritiam exprobrauerit? Nimirum vt Theophylact. inibi obseruat, caussa fuit, quòd cùm ex Bethsaïda plures ex Apostolis ortum duxerint, ipsorum exempla reliquos eius vrbis ciues secutos non fuisse, illorum prauitatem & contumaciam maximè ostendit, atque coarguit; sic enim ille: *Vt intelligas eos qui non crediderunt, non à natura, sed à voluntate malos esse, meminit Bethsaïda, ex qua Andreas, Petrus, & Philippus, & filij Zebedæi fuerunt, atque ita non naturæ, sed voluntatis malitia fuit. Nam si natura, fuissent & illi mali.* Ita ille, quasi explicatiùs dixerit: & si ingens malitia fuerit, ad primam Christi vocem ipsius sese monitis non subiicere, præsertim cùm egregia ibi signa atque prodigia operatus fuerit; at postquam tot eius verbis incolæ illi constanter adhæserunt, vel ipsorum exemplis ad credendum non moueri, Apostolorúmque vestigia non subsequi, intolerabilis prorsus improbitas, & duritia fuit.

Matth.11.21 Theoph.

8. Cur Dei Filius *nusquam Angelos, sed semen Abrahæ* apprehenderit, ad Hebræos 2. 16. hoc est, cur hominem à se per peccatum aufugientem ipse omni modo insecutus sit, & velut iniecta manu apprehenderit; Angelos verò à se deficientes, & aberrantes reuocare noluerit? vti hæc Pauli verba explicat Chrysost. siue, cur ad hominum redemptionem humanam carnem susciperе, potius quàm ad perditorum spirituum salutem Angelum fieri voluerit? vt Bernard. tractatu de gradibus humilitatis, & alij exponunt (in idem ad rem nostram vtraque expositione recidente) frequens PP. dubitatio est: nec id immeritò ambigas, cùm non dissimilis eiusdem creaturæ lapsus, & si ad dignitatem aspicias, similis Dei vtrique creaturæ, ob quam ad benefaciendum ipse alliceretur, insculpta imago; immò verò dignior omnino atque splendidior Angelorum natura, atque conditio sit. Et verò dum pænè infinitas diuini consilij rationes reddere, tam Patres, quam interpretes conantur, illa peculiaris & acuta videri potest, quam affert vetustus Auctor Iouius Monachus lib. 9. de Verbo incarnato, cap. 40. dum liberam Angelis post peccatum ad salutis viam denuo ineundam electionem relictam supponens, (de quo grandis inter Theologos dissertatio est, apud P. Vasquez tom. 2. in 1. par. q. 64. disp. 259. totam, si placet videnda) ideo Dei filium, non Angelum pro Angelorum salute, sed pro hominis bono hominem factum adstruit, quòd cùm non omnes Angeli peccato fuerint infecti, sed plures ex illis egregia in Deum pietate conspicui, & virtute illustres substiterit, ex eorum exemplo, ij qui infeliciter lapsi fuere, ad bonam frugem se recipere, valuerint, quod quidem homini è contrario euenit, cum natura vndequaque corrupta, atque viriata, quin vllus *mundus à sorde, nec infans diei vnius super terram*, remanserit vnde diuinæ benignitati maximè consentaneum fuit, nouum illi virtutis exemplar, quod omni labe careret, imitandum proponere. Sed id accipe à Iouio hunc in modum disserente. *Ad hæc verò cùm nos lapsi sumus, nullum reliquum fuit exemplar, quod eamdem naturam integram retineret. At lapsis dæmonibus innumerabiles nihilominus in corporeorum acies inuariatè consistunt quæ & diuinæ ordinationis exemplum, & numquam flexæ rectitudinis specimen exhiberent. Quapropter qui omnia sapienter, & supra quàm dici potest prouidet, ac facit Deus noster, Deique Verbum, cùm iam humana natura prolapsa esset, non hanc solùm ex infinita sua in homines amoris vi adsumit, sed per eam quoque omnibus, qui eiusdem naturæ essent correctionem, incorruptionem, & alia ista innumerabilia dona largitur, cùm dæmonis tamen genus adsumere neque iustum, neque vtile esse iudicet.* Hæc Iouius. Vt hinc videris, quanti sit, adsimilis hominis, siue Angeli exemplum, cùm ipsius efficacitas cum Dei filij redemptione eadem quodammodo lance pensari videatur, nec alius (vt ita dixerim) pro illo nisi Dei filius fideiubere, siue eius munia, aut vices implere valeat. Nec immeritò hinc, eum qui fratri suo in peccatum lapso se se pœnitentiam amplexantem, & virtute clarum proponit, eius Redemptorem certa quadam ratione appellare dubitaueris.

ad Heb. 2. 16. — Chrysost. — Bernard. — Vasquez. — Iouius Monachus.

9. Est verò operæ pretium cognoscere, cur Sanctorum exempla militari vocabulo clypeos Salomon appellauerit. *Mille*, inquit, *clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Sanè quod bene nouerit in difficili, & periculoso inter virtutem, atque vitium conflictu totum vtrimque belli momentum ad exempla deduci ignita, nimirum prauorum exemplorum aduersus virtutem iaciente peccato, ipsaque bonorum clypeo sese tutante, atque communiente. Nec graphicè id lectori describere iniucundum putamus: Porrò apud eumdem Salomonem procax quædam meretrix tenellum iuunem ad impuram libidinem pelliciens, hanc illi illecebram suggerebat: *intexui funibus lectum meum, straui tapetibus pictis ex Ægypto*, Prou. 7. 16. Quo in loco quod sæpiùs fieri, iterum atque iterum lectorem admonere non pigebit: importunam humíque repentem esse frequentiorem interpretum expositionem, qui sano quàm sensu ducti de meretrice lasciuiente, & lasciuire faciente hæc capiunt. Nam cùm priora illius libri capita tota ænigmatica, atque symbolica, eodem Salomone monitore, sint, sic enim ipse Prouerb. 1. 5. de suo scribendi genere ac libro: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem verba sapientium, & ænigmata eorum*; quid illorum sensui magis repugnauerit, quàm verba vt sonant sine vlla interioris mysterij interpretatione accipere, vt, verbi gratia, si ego tibi ad dulcedinem Christi in Eucharistia significandam fauum mellis in demortui leonis ore proposuissem, simul admonens ænigma ibi esse, quid ineptius, & à mea mente magis alienum faceres, quàm mel pro melle, leonem pro leone sumere? Parabolam certè sic diffiniuit inibi Hieronymus. *Parabola est comparatio ex dissimilibus rebus, aliud enim superficie sanat, & aliud in intellectu tinnit*; siue, vt in cap. 12. Ecclesiastes idem Hieronymus ait, *aliud in medulla, aliud in superficie pollicetur.* ad quem modum Basil. hom. 1. in Prouerb. de parabola inquit; *Apud nos est sermo vtilis, habens in se aliquid mediocriter absconditum, qui, & si habeat vtilitatem in superficie, multo maior est, quæ interiùs delitescit.* vnde rursus in præfato loco Ecclesiastes Hieronymus: *Prouerbia quippe non hoc sonare, quod scriptum est. etiam in Euangeliis edocemur, quòd Dominus populo in parabolis, & prouerbiis sit locutus: secretò autem Apostolis dissolueri ea*, subiicit opportune pro meo sensu: *ex quo manifestum est, & Prouerbiorum librum non vt simplices arbitrantur, potentia habere præcepta: sed quasi in terra aurum, in nuce nucleum, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis diuinum sensum altiùs perscrutandum.* Hæc Hieronymus. Quæ omnia ad illustris loci Prouerbiorum expositionem mirè conducentia adduxisse, non me pœnitet; præsertim cùm meos in illum librum depromere commentarios quantumuis blanda sit sperandi pro se cuique dulcedo, pænè desperem. Nam *vita breuis, spes non sinit inchoare longas.* Sed ad rem. Ergo non turpis fœminæ, sed lasciuentis voluptatis (vt Ambros. explicat lib. 1. de Caïn cap. 4.) siue prophanæ, & impuræ vitæ; hoc est, peccati, tyrones suos ad metum curámque de vitij turpitudine ex illustrium peccatorum exemplis abiiciendam blande adhortantis, voces illæ sunt. Namque in primis mollis lectus, qualis ibi describitur, quietis, & securitatis typus est, vt ad hunc locum tradit Beda, & non obscurè colligitur ex illis verbis Apocalyps. 2. 22. *Ecce ego mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea*, quæ alibi sub hoc sensu fusiùs prosequor, vnde lectum illi molliter, & delicate sternere, nihil aliud fuerit, quàm ad statum curarum perturbationisque expertem, nullis conscientiæ stimulis, aut famæ morsibus obnoxium inuitare: sed vnde procelloso, & turbulento mari, hoc est peccatrici vitæ in extremum periculũ, & maximum discrimem

Prou. 7. 16. — Prouerb. 1. 5. — Hieron. — Basilius. — Ambros. — Beda. — Apoc. 2. 22.

discrimen adductæ tanta possit quies, & tranquillitas obuenire? Equidem ab Ægyptiis tapetibus, siue lecti stragulis, & aulæis, nimirum ex Hebræa lectione Bibliæ Regiæ atque Complutensis (Ex. Reg. & Comp.) propriè versas, *descripsi picturam Ægypti*, & Hebræa sanè vox quæ picturæ respondet à verbo *rabad*, deriuatur, quod *decorare* significat, ad quem modum Hugo, & alij byssina tapetia acu picta, (Hugo.) quæ ab Ægypto asportabantur, intelligunt: vt videris in cortice sermonem esse de tapetibus, pulchris Ægyptiorum figuris interpunctis, siue intexris, conspicuis, (nos *tapices* siue *colchas*, aut *colgaduras designadas* propriè diceremus) nucleum autem huius ænigmatis eò tendere, vt peccatum siue ad hos alliciendos, siue ad animi tranquillitatem aliis ingerendam nihil habeat efficacius, quàm homines improbitate, & vitiis insignes (quos Ægyptiæ figuræ ritè adumbrant: nam, & Ægyptus *tenebras* sonat, & in Scriptura malè semper audit, vt prophana, delitiis dedita, & vitiis implicita) suauem, ac delitiosam vitam agentes principémque forsam locum apud suos obtinentes, illis proponere: tam vt ad illorum exempla se componat, quàm vt ex illis nihil supplicij, aut dedecoris siue turpitudinis sibi metuere addiscant, vnde (Prouerb. 7.16) subiicit opportunè mystica meretrix: *Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinamomo*; turpissimis voluptatibus, atque flagitiis bonum odorem, id est, bonum nomen, & famam (nam vt alicubi (August.) August. *bonus odor, fama bona*) inde inspergens, ac si dicat: nec timeas existimationem te, & famam amissurum, quippe aliorum, præcipuè verò principum virorum exempla grauem peccati odorem prorsus adimunt, immò suaue olens illud reddunt: ita quidem apud poëtas passim inducuntur blandæ meretrices, siue fallaces nuncij, qui eas castis, bonæque indolis adolescentibus historias suggerant, & obtrudant, quæ peccare docent, & (Horat.) ad impuras libidines pelliciunt: vide Horatium lib. 3. od. 7. ad Asteriem.

Narrat penè datum Pelea tartaro,
Magnessam Hippolitem dum fugit abstinens:
Et peccare docentes
Fallax historias monet.

(August.) Similiter apud Augustinum lib. 2. de ciuit. Dei cap. 7. infelix iuuenis cupidine ardens ex his Ægyptia pictura depictis tapetibus, ex impura, inquam, Iouis imagine libidini suæ succumbentis, ad turpitudinem temerario impetu currens describitur: *Flagitiosus adolescens* (inquit ille) *spectabat fabulam pictam in pariete, vbi inerat pictura hæc, Iouem quo pacto Danaë emisisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, atque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cùm in ea se iactat imitari Deum*; vlulis videlicet in ædibus Babylonis mutuò sibi respondentibus, iuxta illud Isaïæ (Isai 13.22.) 13. 22. de Babylone: *& respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius*. (Stephan.) quæ Stephanus Cantuariens. ad cap. 20. Exodi sic explicat. *Pernitiosissima res est ad exemplum alterius viuere: vnde in Isaïa in ædibus Babylonis respondent sibi vlulæ. Hi sunt luxuriosi huius mundi, qui respondent adinuicem delitiosè viuendo vnus ad exemplum alterius*: vnde Gregorius (Greg. Naziã.) Nazianzen. orat. 3. quæ est 1. in Iulian. dum Ethnicos poëtas impuras de diis suis historias carminibus celebrantes, & populo in theatris spectandas proponentes grauiter reprehendit, illam, quam ipsi pro se afferebant excusationem, sub illis figmentis arcana quædam, & diuina sensa delitescere, sic occupat, atque retorquet; *Quæ porrò prudentia per centum vrbem ducere, aut per saxa, & scopulos*

P. Anton Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

ad litem contendere; quid enim ex eo accidet? & quis verborum finis futurus est? Tu quidem iurgantis, tuásque calamitates, aut animi figmēta sensu allegorico explicabis, qui autem tibi fidem faciat, non erit. Nam quod oculis cernitur, maiorem ad persuadendum vim habet: ita nec auditori vtilitatem attuleris, & spectatorem perdideris, nimirum ei, quod oculis ablutum cernit, assensum præbentem. Hæc Nazianzenus. Nec omittenda quæ eodem antea sensu dixerat Seneca libro 7. de benef. cap. 2. *sed perturbatione carere, & ea, quæ intolerabilis ex alto venit, vbi de diis fama creditum est, vitiíque illos nostris æstimanimus*. Ita ille. (Seneca.)

10. Porrò non modò ex alto, sed ex consimilium etiam exemplis intolerabilem videntibus perturbationem aduenire, sub Dei persona pulchrè docet: Oseas cap. 4. 18. tribum Iuda Israëlem malo (Osea. 4 18.) exemplo corrumpentem sic obiurgans: *Ligauit eum spiritus in alis suis*; quæ LXX. & Græci PP. (LXX.) legunt, *Turbo spiritus sibillauit in alis suis*. Biblia (Bibl. Regia. Complut.) verò Regia & Complutens. *Turbo spiritus tu es in alis eius*. Quæ Cyrillus Alexand. hunc in modum (S. Cyrill. Alexand.) explicat. *Si huc lapsus est Israël: verùm tu Iuda fuisti ei velut quidam turbo venti in alis volucris, aues enim cùm ventus non solùm impellit, sed velut violentia cogit, celeriùs volant, sic videbat Israël Iudam lege eruditum templo assidentem, & sacrificiis Mosaïcis operam dantem, nihilominus tamen eodem idolatriæ crimine teneri, ita factum est, vt celeriùs discederet à Deo Israël*. Sic Cyril. Apud quem turbinis imaginem in auis alas impingentis preme: sanè dum ipse volucris alas, quibus ad volandum instructa est, cum praua ad malum cupidine, in quam homines suopte ingenio sunt proni, sed quam etiam aliquando moderantur, & in officio continent, componit, prauum verò aliorum exemplum citato turbini, cui tanta ad impellendam auem vis, & efficacitas, sit vt ipsam vehementiùs, ac pernicissimè volare cogat; de industria comparat, non obscurè innuit, euenire non semel, prauos etiam homines suas cupiditates temperare, donec improbo aliorum exemplo ad malum ardentiùs concitantur, istud enim alis alas & impetum addit, quo velut turbine agitati præcipites ad peccandum ferantur; sic dicebat Seneca epist. 7. *Vnum exemplum aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit, conuictor delicatus paulatim eneruat, & emollit, vicinus diues cupiditatem irritat, malignus comes quamuis candido, & simplici rubiginem suam affricuit, quid tu accidere iis credes, in quos publicè factus est impetus?* in quorum videlicet aliis mali exempli turbo frequentiùs, & publicè sibillat, & impingit. (Seneca.) Certe hac ratione Isaïas dolenter exclamabat, siue eiulabat: *Væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito*, Isaïæ 6.4 quasi (Isai. 6. 4.) dum inter Ægyptiacas figuras versaretur, impiorúmque exempla ob oculos haberet, vix pedem à malo se relaturum speraret. Quare ad ea verba Hieronym. in epist. 1. ad Damasum in exposit. cap. 6. Isaïæ sic ait. (Hieron.) *Prouidendum est sub hoc exemplo, non solùm, vt simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur: quia hoc in peccati, ac miseriæ parte ducit Propheta habitans in medio populi polluta labia habentis*. Pende illud *in peccati parte*, quasi inter malorum exempla vix incolumis, integráve iustitia, sed peccati initiata quodammodo sit: vnde ipsemet vates in suis vlceribus expertus ciues suos inter Babylonios commorantes ad festinatò exeundum de medio eorum, tanquam ipsorum exemplis de iustitiæ gradu è vestigio deiiciendi essent, sic vrgebat cap. 52. 11. *Recedite, recedite exinde, pollutum nolite* (Isai. 52. 11.)

tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini; quasi nulla durandi in bono securitas ei qui inter improba exempla versatur, sperari possit. Quare obserua Paulum 2. ad Cor. 6. 17. dum hæc verba sub hoc sensu capit, pro *mundamini* legere *separamini*, vt idem fuerit ab improborum consuetudine abduci, ac à peccati inquinamentis mundari, quasi in peccati parte sit, vt dicebat Hieronym. ab illorum cœtu non separari: vnde ad hæc Isaïæ verba sic loquitur Basil. in reg. 6. illud, exite de medio eorum, & separamini, *nimirum eodem pertinet, quocirca ad illud euitandum, ne oculis, auribúsve instigationes ad peccandum admittamus, eique imprudenter assuescamus, néve earum rerum, quas viderimus, vel audierimus impressæ, pestilentes, capitalésque in animis nostris formæ, ac veluti notæ quædam insideant: contráque vt animum in officio suo tenere possimus attentum, quoad habitationem attinet, separata ea à cæteris nobis quærenda est.* Hactenus Basilius subscribit, redditque rationem citata epist. 7. Seneca inquiens. *fa ile transitur ad plures*; & paulo post: *Necesse est, aut imiteris, aut oderis, vtrumque autem deuitandum est, ne vel similis malis quia multi sunt, néve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in te ipsum quantum potes, cum his versare qui te meliorem facturi sunt.* Nec omiserim quæ paulo antè, dum incrudelitates, & feritatem spectaculorum inueheretur, de Nerone, quo tunc temporis, sub initia videlicet imperij, nihil moderatiùs, aut mitiùs sic blandè dixit Seneca. *Agite diis immortalibus gratias, qui eum docetis esse crudelem, qui non potest discere*: vt ostenderet, eum tunc Neronem esse, in quem crudelitatis exempla impetum facere, aut vim habere vllam non possent. At enim multo veriùs dixit illud, *facile transitur ad plures*, quàm hoc in Neronis clementiæ laudem prædixit, satis enim malo fato suo expertus est, nimis verum esse, facile transiri ad plures, ille enim quem ipse putabat non posse discere esse crudelem, feritatem non multo pòst sic ebibit, vt in omne humanum genus, & in propriam matrem, & in ipsum tandem Senecam feralem gladium vibrarit. Sed illud ore hac maximè est, quod magis præ manibus habemus, nimirum Paulum procedente versu Philippenses inter prauos, & infideles commorantes luminaria cæli fecisse, & in ipso firmamento collocasse: *In medio* (inquit) *nationis prauæ, atque peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo*; quasi is, qui prauorum exemplis non moueantur, cælo potius fixi, quàm in terris degere videantur. Quare ibi Chrysost. *Noui, inquit Paulus, multos, qui circum vos sunt vos penè cogere, vt murmuretis. Hoc enim significat illis verbis*, in medio nationis prauæ, & peruersæ. *At hoc demum admirabile est, neque etiam compungaris, atque impelleris eò adduci*, sanè quasi prauorum exempla calcaria sint quæ ad malum pungunt, impellunt, ac pænè cogunt.

10. En peccati artes lex Ægyptiis picturis, hoc est, ex improbis exemplis arma, virésque aduersùs virtutem sumentis, suúmque tyronibus venenum instillantis: vt nòueris, quàm opportunè noxiis his iaculis optimorum exemplorum clypeos, quibus se protegat, atque defendat, ipsa opponat. Sed vt Scripturæ elegantiam iustúmque discrimen, iustis imaginibus depingentis obserues, pulchriores iustorum in Ecclesiæ tapetibus intertextas, delineatásque imagines, atque picturas apud eundem Salomonem vide; sic enim ipse Prouerb. 31. 22. cùm sub fortis mulieris velo, siue similitudine de alma Ecclesia diuino ducta, & agitata Spiritu, siue de diuina sapientia, atque virtute, dixisset: *Non timebit domui suæ à frigoribus niuis*; hoc est, prauorum hominum, quorum refriguit charitas perniciosa exempla non timebit, duplicem eius rei rationem reddit: alteram, *Omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus*: Dei videlicet, & proximi charitate aduersùs illa ornati, & communiti. Alteram, *stragulatam vestem fecit sibi*. Quo in loco ex Biblia Regia legeris. *Tapetia fecit sibi*: eadem omnino voce qua de vitio, siue voluptate dixit, *straui tapetibus pictis ex Ægypto*: quæ videlicet à verbo Hebræo, quod decorare significat, ducta, pulchras illis intertextas imagines subesse denotat: At enim cùm nullam hîc Ægypti, hoc est, *mundi*, siue *tenebrarum harum* mentio fiat, imagines has vera pulchritudine, perfectóque decore, qui virtutis est, conspicuas esse, apparet: facilísque simul vel ex oppositis tapetibus hîc elicitur, sensus: Christiana in Ecclesiam, siue virtutem præter communes diuinæ charitatis, quæ in Deum, & in proximum fertur, vestes, quibus filios suos induit, atque ornat, pretiosissima aulæa elagantibus illustrium virorum intertexta picturis, pulcherrimísque heroum imaginibus virtutes spirantibus non ex Ægypto adductis, sed quasi ex cælo delapsis, ob oculos illis proponere, vt dum *luminaria* cæli, vt inquit Paulus, ipsáque firmamenti sydera Ægyptiis picturis opponit, omnem illis speciem, atque decorem adimat, tanto splendore obscuratis atque deuictis: nam *cogitationi hominum* (Gregorius Magn. præfatione in libros Moral. cap. 9.) *diuina dispensatio quot iustos exhibuit quasi tot astra super peccantium tenebras cælum misit*; certè sub hoc sensu, præclara virtutum exempla, animata simulachra, atque imagines ad virtutem nos stimulantes, & aduersùs peccati frigus defendentes sic appellauit Basil. epist. 1. ad Gregorium Nazianzenum: *Quandoquidem in his* (de sacris Scripturis sermonem facit) *cùm rerum agendarum præcepta reperiuntur, tum beatorum hominum vita memoriæ prodita, ac præscripta tanquam simulachra quædam animata proposita sunt vitæ ad normam diuinam iustitiæ, iis quidem, qui bonorum operum exemplaria imitari cupiunt*; subiicit: *Proinde in qua re nostrum quisque senserit, se eo quod oportet, defici, in illo assiduè incumbens tanquam ab officina quadam medicina oppositum suæ infirmitati medicamentum inueniré poterit*. Ita ille. Quòd si pugnam vtrinque commissam, virtutis verò imagines de Ægypti picturis palmam referentes spectare velis, audi Dauidem Psalmo 119. 4. cum Augustini commentario; sic enim ille: *Domine libera animam à labiis iniquis, & à lingua dolosa*; sed siccine linguam, labiáve iniqua fortissimus præliator timeret? Ita quidem; quippe non alterius, quàm procacis illius meretricis in Ægyptiis picturis blandè sese insinuantis, hæc lingua esse perhibetur; sic enim ad ea verba August. *Quæ est lingua dolosa? ipsi sunt, qui dicunt, & tu hoc facturus es, quod nemo facit? & tu solus eris Christianus? non poteris hoc fortè implere, multum est quod aggrederis.* Aduersùs quæ tela fortissimum clypeum, potentioráque arma statim producit Dauid, inquiens, *sagitta Potentis acuta cum carbonibus desolatoriis*: *frigoribus niuis* ignitos bonorum exemplorum carbones ex Augustini interpretatione sic opponens. *Sagittæ autem sunt cùm agimus verbis; carbones autem vastatoris, vt exempla sanctorum, vtpote incipit tibi Dominus dicere: Tu non potes? ille potuit. Numquid tu delicatior es illo Senatore? Numquid tu infirmior es? fœmina potuerunt, viri non possunt? Delicati diuites potuerunt, pauperes non possunt? cùm ergo fuerit ista numerata,*

Marginalia: 2. ad Cor. 6. 17. — Basilius. — Seneca. — Nerone. — ad Phil. 2. 15. — Chrysost. — Prouerb. 31. 22. — Bib. Reg. — Greg. Magn. — Basilius. — Psal. 119. 4. — August.

numerata, & nominatim dicti fuerint homines qui potuerint, ille accepta sagittæ in corde accedentibus etiam carbonibus desolatoriis desolatur in illo cogitatio terrena. Erant enim in illo multa quæ malè frondueant, multæ carnales cogitationes, sæculares multi amores: ipsi vtuntur carbonibus vastatoriis, vt fiat purus locus desolatus, in cuius loci puritate faciat Deus ædificium suum. Hactenus ex Augustino, ibi. Sed, & de ipso *a frigoribus niuis*, egregiis hisce tapetibus fuisse calefactum sic Deo fatebatur libro 9. confess. cap. 2. *exempla seruorum tuorum congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant, & absumebant grauem torporem.*

11. Sed huic rei illum tibi opportunissimum locum reddo Leuit. 6. 12. vbi Dominus Iudaïca tangens, & Christiana respiciens, vt loqui solet August. Moysi sic locutus dicitur: *Ignis in altari semper ardebit; quem nutriet sacerdos, subiiciens ligno manè per singulos dies*; & verò ibi per altare cor nostrum, quod ardenti charitatis flamma in Deum indesinenter feratur, capiendum esse, sic primum docet Gregorius Magnus lib. 15. Moral. capite 7. *Altare quippe Dei est cor nostrum, in quo iubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter accendere.* At quæ illa fuerint ligna, quibus ignis iste quotidie nutriendus, & confouendus est: subiicit Gregor. *quasi quædam fomenta igni dare, est in excitatione charitatis exempla Patrum ministrare.* Vides stragulatam vestem, quà filios suos aduersùs niuis frigora tegat, & protegat Ecclesia? vide etiam egregium in his verbis latens mysterium, ad Christianæ Ecclesiæ maiestatem Romaníque Pontificis, cuius typum summus olim Sacerdos præferebat, dignitatem spectans; quippe dum ibi proprium sacerdotis munus esse asseritur. ignem hunc quotidianis bonorum exemplorum fomentis nutrire. non obscurè innuitur. ad Romanum Pontificem spectare egregias iustorum vitas probare, & toti Ecclesiæ spectandas, atque imitandas proponere, vt illam pretiosissimis hisce aulæis, textilibúsque picturis siue pulcherrimis imaginibus, vndequaque ornet, ac foueat. Certè Octauianus Augustus, vt de illo scripsit Suetonius. excellentium Ducum Romanorum statuas triumphali veste conspicuas ferri sui porticu dedicauit, edictóque professus est, fecisse id se, vt ad illorum exemplar & ipse dum viueret, & futurarum ætatum Imperatores exigerentur. At nugæ id, fabulæ, atque chimera, si cum illustri peristromate excellentium heroum Isidori Madritensis, coloni cælestis, cuius iugis *in cælis conuersatio* fuit, Magnorum Ignatij, atque Xauerij Societatis Iesu parentum, clarissimorúmque totius Ecclesiæ luminum, lectissimæ Therasiæ, charissimæ Christi sponsæ, Carmelitanæque sanctitatis altricis, sanctissimi Philippi Neræi omni virtutum decore ornatissimi, pulcherrimis imaginibus conspicuo, quod SS. Gregor. XV. Christianæ Ecclesiæ columen, & culmen in magna hac Dei domo, vt illustria charitatis diuinæ igni fomenta daret, nuper suspendit,

Mille trahens varios aduerso sole colores.

Sanè dum egregia ipsorum *opera inspicimus, alia nos contemplata* (ita citato loco dicebat Gregorius Magnus) *alia audita succedunt, & cor nostrum torpore non constringitur. Dum imitatione prouocatur.* Sic ille vnde quidem tam speciosissimis hisce picturis, quàm frequentioribus, ac domesticis iustorum exemplis.

12. Quæ quotidie præ oculis, præ manibus habemus, opportunus dicebat Regius vates Psalmo 118. 74. *qui timent te, videbunt me, & lætabuntur.* quasi ex solo iusti aspectu, vt malus ac durus, qui nunquam in virtutem pronus est, ex onere conscientiæ contristatur, & dolet, ita qui virtuti studet; maximè lætetur, siue quòd viæ socium, ac ducem quo incitetur, inuenerit, siue quod virtutis lineamenta in eius ore videns, in illius amorem accendatur. Audi Patres, & primò Hilarium in commentario. *Consuetudo* (inquit) *impiorum est, vt conspectis religiosis viris tristes sint. Oderit enim necesse est ebriosus sobrium, continentem impudicus, iustum iniquus, & tanquam conscientiæ onus præsentiam sancti cuiusque non sustinet. Contrà verò ad conspectum viri fidelis, religiosi omnes, quibus timor Dei est, lætantur, vt vel solo corporea contemplationis visu gratulentur, modò auium, herbarúmque quarumdam, quæ visa tantùm, & conspecta morbis aliquibus, & infirmitatibus medentur. Vtilis ergo est præsentia sancti timentibus Deum, quia necesse est profectum aliquem ex contemplatione illius consequantur.* Hæc ille. Similia habet Ambrosius serm. 10. in id Psalmi, sed non ideo omittenda; ait ergo. *Plerisque enim iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia est. Quàm pulchrum ergo, si videaris, & prosis, &c. Nam si tanta est vis in naturalibus, vt animal visum prosit ictericis, ita vt mortui quoque cornu eius animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum iis, qui in huiusmodi inciderint passionem, dubitare possumus, quòd iusti sanet aspectus?* fuisse verò hæc verissimè ab his Patribus scripta duo fideiubent, alterum quod de seipso Bernardus, alterùm quod de Luciano illustri Christi martyre memoriæ prodidit Laurentius Surius. De se enim ingenuè fatetur Bernardus, cùm aliquando in virtutis studio frigesceret, atque torperet (is mihi verum tepor, id frigus, quo accenderet atque vreret, contingeret) solo viri alicuius spiritualis aspectu ad perfectionem vehementius incensum, ac inflammatum fuisse: sic namque ille serm. 14. in Cant. *Frequenter ergo ipse. (quod fateri non vereor minor) maximéque initio conuersionis meæ corde durus, & frigidus, & quærens quem vellet diligere anima mea, &c. cùm ergo eum quærerem, in quo recalesceret, atque requiesceret spiritus meus vtique torpens, & languens, nec vlla de parte occurreret, qui succurreret, per quem videlicet pruina rigens, quæ sensus stringebat internos, dissolueretur, & vernalis illa suauitas, ac spiritualis amœnitas reuerteretur, tunc magis, ac magis languebat, & tædebat, & dormitabat anima mea præ tædio tristis penè, & desperans, & mussitans secum illud,* A facie frigoris eius quis sustinebit? *cùm subito fortè ad affatum, vel etiam aspectum cuiuspiam spiritualis, perfectique viri, interdum, & ad solam defuncti, seu absentis memoriam flabat spiritus, & fluebant aquæ, & erant mihi lachrimæ illæ panes die, ac nocte. Quidnam istud nisi odor exhalantis vnctionis, qua erat ille perfusus?* Hæc Bernardus. Sed quod de Luciano refert Surius die 7. Ianuarij, maiorem te in admirationem rapiet: sola nimirum oris modestia, vultúsque serenitate, ac compositione, eum, quem ipse Deum coleret, verum, excelsúmque præ omnibus dijs esse, non semel adstantibus persuasisse, atque hoc adeò fuisse omnibus manifestum, vt ipsemet ferocissimus Imperator Maximianus, qui Christi fidem cane peius, & angue oderat, timens ne sibi quod aliis eueniret, vt ex Luciani videlicet aspectu Christianus fieret, illum

Q 4

Leuitic. 6. 12. — Gregorius Magnus. — Suetonius in Augusto. — Gregor. M. — Psal. 118. 74. — Hilarius. — Ambrosius. — Bernard. — Laur. Surius.

illum non nisi eminus positum (ô miserum lucifugam!) alloqui vellet. Nec pigebit egregiis hisce Patrum monumentis Senecæ verba subijcere, libro de tranquillitate animi capite 3. quod valde opportuna sint: nam cum militis exemplum, qui præscissis in prælio manibus, clamore partibus auxilium ferebat, subdit: *Tale quiddam facies, si à primore Reipublica parte fortuna submouerit: stes tamen, clamore iuues: si quis fauces oppresserit, stes tamen, & silentio iuues: Nunquam inutilis est opera ciuis boni: auditu enim, visu, nutu, vultu, obstinatione tacita, incessúque ipso prodest.* Apponit persimilem iis, quas Ambrosius, & Hilarius adduxerunt, imaginem: *vt salutaria quæ citra gustum, tactúmque odore proficiunt, ita virtus vtilitatem etiam ex longinquo, & latens fundit, siue exspatiatur, & vtitur iure suo, siue precarios habeat accessus, cogitúrque vela contrahere, siue otiosa, mutáque est, & angusto circumscripta, siue adaperta in quocunque habitu est prodest. Quid tu? parum vtile putas exemplum bene quiescentis.* Hæc ibi Seneca, quæ epist. 6. confirmat, variísque illustrium virorum exemplis ornat: vide illum, quæ ibi Iustus Lipsius ex Xenophonte, & Muretus ex Platone afferunt; sunt enim apta, & pulchra.

13. Hinc sapienter docuit Nazianz. orat. de Episcopis, neminem sibi soli, sed iis, quibus cum versatur, viuere, quod suis exemplis in vtramque partem siue virtutis, siue vitij necessaria ratione traducet. *Nemo est* (inquit) *quid sibi soli viuat, neque bonus, neque malus, sed quemadmodum hic aër, eius quod fortè attraxit vel fragantiam, vel fœtorem acquirit: sic nos etiam quàm celerrimè tales euadimus, quales sunt proximi nostri.* Ita ille. Ad cuius gustum Seneca libro de vita beata, siue de otio sapientis capite 30. cùm dixisset. *Hoc ab homine exigitur, vt prosit hominibus, si fieri potest, multis, sin minus paucis, sin minus proximis, sin minus sibi*, subdit statim. *Nam cùm se vtilem cæteris efficit, commune agit negotium. Quomodo qui se deteriorem facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus iis, quibus melior factus prodesse potuisset, sic si quis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quòd illis profuturus parat.* Pergit Bernardus, atque eos qui rectè viuunt, non sibi solùm, atque iis qui illis proximi, atque præsentes sunt, sed posteris etiam, futurísque proficere sic monet, dum *ad fratres de monte Dei* verba facit: *Non quales sint alij, sed quales ex vobis fiant (quantum in vobis est cogitate) non solummodo qui modò sunt, sed, & qui post futuri sunt, quos in proposito sancto estis habituri imitatores: ex vobis enim, ex vestro exemplo, & vestra auctoritate in religione hac pendere debet tota posteritas huius vestri ordinis sancti vos in eo patres, vos in eo imitatores.* Tanta exempli vis est. Quo sensu de sancto Cypriano orat. in eius laudem rursus dicebat Nazianz. *Huius viri vel sola recordatio sanctitate animum imbuit.* Quò quidem mirificè facit quod annotarunt nonnulli, Reginæ Sabba exemplo, quæ velut ferrum à magnete fama sapientiæ Salomonis attracta Hierosolymam venit, tot postea sæculis permotam Candazem orientalium Æthiopum reginam, illustrem illum Eunuchum à Philippo baptizatum Actuum 8. 27. in Hierusalem adorationis, ac religionis causa misisse. Sed cùm hac occasione Christi Euangelium ipse susceperit, & in regionem suam primus inuexerit, perpende obsecro non modo quanta, ac quàm diuina exempli vis sit, sed quàm inæstimabiles ac diuinos fructus illud pariat.

Senec.
Nazian.
Seneca.
Bernard.
Cyprian.

Sed enim, vel hinc etiam à peccato, & prauis moribus maximè cuique cauendum, ne dum se deteriorem facit non sibi tantummodo, sed aliis prauo exemplo noceat, & pro meritis, illustribúsque coronis, quas alios recta vitæ conuersatione ædificans comparaturus esset, magnam sibi pœnarum segetem ex proximorum submersione sibi demerat. Id quod auditoribus suis frequentiùs ingerere, atque inculcare solebat Augustinus, vt ipsemet sermone 163. tomo 10. ita testatur. *Nemo se circumueniat, fratres charissimi, nullus homo sibi solummodo viuit, & sicut frequenter suggessi, quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificauerit, cum tantis, & pro tantis mercedem beatæ vitæ retributionis accipiet, & quantiscumque exempla malæ conuersationis, etiam si non eum illi sequantur, præbuerit, pro tantis se malis rationem nouerit redditurum.* Sic ille. A quo pænè eadem habet S. Cæsar. Arelatens. hom. 35. tom. 2. Biblioth. Vet. Patr. vbi cùm dixisset, *Si diligenter attendis, euidenter agnoscitis, quòd nullus hominum sibi soli viuit, & nullus sibi moritur, quod etiam Paulus Apostolus similibus verbis confirmat, dicens:* Quia nemo sibi viuit, & nemo sibi moritur; subiicit, *omnis enim homo quantiscumque exemplum sanctæ conuersationis præbuerit, cum tantis, & pro tantis ad præmia æterna perueniet; & contrà qui exemplum malæ vitæ, & peruersæ actionis ostenderit, quantoscumque suis malis moribus ad iniqua opera prouocauerit, cum tantis, & pro tantis perpetua supplicia sustinebit.* & post nonnulla in tepidos sacerdotes, siue religiosos sic inuehitur, quasi hi suo exemplo sæcularium laqueus, & ruina sint, id quod apposita imagine in hunc modum illustrat. *Quomodo aucupes facere solent, qui columbas, quas prius ceperint, excæcant, & surdas faciunt: vt dum ad illas reliquæ columbæ conuenerint, præparatis retibus capiantur ita etiam hostis antiquus de tepidis clericis & negligentibus monachis, vel desidiosis virginibus exercere consueuit, vt cùm in eis oculos patientiæ clauserit, ignémque compunctionis, vel flammam veræ charitatis extinxerit, & de solo habitu religionis persuaserit gloriari: sicut iam dixi, ad aliorum perditionem velut indices eos in exemplum proponit, ac præparat.* Hactenus Cæsarius. Nec minus grauiter, seuereque Chrysost. hom. 71. in Ioannem inquiens: *Nihil adeò Gentiles arguit vt virtus, nihil adeò perturbat vt malitia. En nos sumus causa, nos, inquam, vt illi in errore permaneant. Iam pridem doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vita nostra retraherentur, verbis philosophari perfacile, sed inquirunt operum probationem: itaque horum nos pœnas dabimus, non solùm eorum, quæ ipsi commisimus, sed quorum auctores fuimus, vt Dei nomen blasphemaretur.* Hæc Chrysostomus.

14.
August.
Cæsar. Arel.
Chrysost.

VER

VERSVS XVII. & XVIII.

Sed & si immolor supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus verbis.

Id ipsum autem & vos gaudete, & congratulamini.

1. *Erasmus.* ERASMVS dum Pauli *immolationem*, & Philippensium *sacrificium* animaduertit, verbis importunius hærens duas in his verbis victimas adstrui existimauit: sed aberrauit ab scopo, quippe manifesta allusio à Paulo fit ad veteris legis sacrificia, quæ tum victima, pecude videlicet, quæ à sacrificante mactabatur, tum libamine, id est, vino, aut oleo, quibus condiri quodammodo videbantur, constabant. Quem etiam morem Ethnici diuinarum rerum præposteri æmulatores: (nam vt lib. 1. Machab. capite 3. 48. habetur, è nostris libris deorum suorum simulachra, quidni etiam ritus, & sacrificia? scrutabantur, *1. Mach. 3. 48.* sic enim ibi: *expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur gentes similitudines simulachrorum suorum*;) seruasse dicuntur, vt ex eorum scriptoribus, qui ea de re non paginas modò, sed iusta etiam volumina opplent, manifestè liquet: ego amarum in Domitianum dicterium Romanas vineas demoliri molientem non præteribo, quòd hanc consuetudinem mirè firmet: *Sueton.* *Etsi me comederis ad radicem, tamen adhuc fructum producam, quantum infundi Cæsari immolato sufficiat*; quippe depictus erat caper rodens vitem, vide Suetonium in Domitian. capite 14. enim verò desumptum fuit scomma ex Ouidio lib. 1. fastorum vers. 357. eum sacrificandi ritum ita luculenter describente:

Ouidius. *Rode caper vitem: tamen hinc cum stabis ad aram*
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Eleganti ergo, & amatorio dicendi modo vnam sibi cum Philippensibus victimam esse vult Paulus: dum eorum fidem, & in Deum obsequium, gratissimum videlicet Deo sacrificium, ipsius sanguine velut libamine condiendum, ac perficiendum affirmat: vnde hac de causa tam sibi, quàm illis gaudium atque gratulationem indicit.

Sed & si.

2. GRæcè voculæ ἀλλ' εἰ plusculũ emphasis habere videntur: nam propriè verteris, *quin potiùs*, siue, *quod maius est*. Quod bene aptaueris connexioni, quam inter hæc, & præcedentia verba sic appingit Anselmus, *Anselmus.* *Vestra religio sit ad gloriam meam in die iudicij, quia pro vobis laboraui. Nec tantùm hoc libenter egi*; sed, & si immolor: *id est, occidor pro vobis, tunc gaudeo*, &c. Vulgatum verò ita expressit Primasius, *Primasius.* *sed etiam si occidor, quia sacrificium & obsequium fidei vestræ obtuli Deo, vincit gaudium profectus vestri iustitiam pœnæ, vel mortis.*

Immolor.

MEritò ambigas, cur Paulus qui superiùs de sua incolumitate, & vinculorum solutione bene sperare non semel innuit, modò immolationis siue martyrij quasi sibi iam instantis tanta orationis pompa, atque emphasi meminerit? Sed respondeo, Paulum id facere ex vehementi ardore moriendi pro Christo; non vt sciret, mortem tunc sibi non imminere, at mortis cupidissimus vix ab ea mentem & animum auocabat; illiúsque commemoratione mirum in modum delectabatur; ideo illam opportunè ingerebat: nisi mauis id referre ad egregiam animi præparationem, qua aduersùs mortem, & casus in vtrumque paratus se armaret; vt toto animi robore illos exciperet, illísque gratabundus occurreret: non secus ac optimus ille Dei miles laborúmque triumphator Iob, qui inde tanta animi constantia in tot ærumnarum discriminúmque fluctibus immotus consistebat, quòd adhuc bene agens nihil non sibi in posterum metueret: vt hunc in modum adnotauit Chrysostomus in Catena Græca in Iob, quam noster Paulus Comitolus latinitare donauit in præfatione: *In tanta nihilominus procella, & fluctibus, qui oratione explicari nequeunt, nihil immutatus strenuè constitit: cuius rei causa existit, quòd rerum naturam præclarè æstimabat, earúmque conuersionem cum non ignoraret, prospiciebat in posterum: nam præclare cùm ageret, calamitatem minimè desperabat.* Hæc Chrysostom. *Chrysost.* 3.

Sunt & huic cogitationi consentanea, quæ lib. de tranquillit. animi, capite 11. sic scripsit Seneca. *Seneca.* *Quidquid enim fieri potest quasi futurum prospiciendo malorum omnium impetus molliet, qui ad præparatos, expectatósque nihil afferunt noui, securis, & beata tantùm sperantibus graues eueniunt*; & statim cùm id ex Publio citasset, *Publius.*

Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Subdit. *Hoc si quis in medullas demiserit, & omnia aliena mala, quorum ingens quotidie copia est, sic adspexerit tanquam illis liberum, & ad se iter sit, multo ante se armabit, quàm petatur. Serò animus ad periculorum patientiam post pericula instruitur.* Sic ibi: vbi Iust. Lipsius appositam hanc Socratis sententiam adiungit: *Iust. Lip. Socrates.* *Sicut ij qui in tranquillo, & sereno nauigant, parata etiam instrumenta habent, quæ in tempestate sint vsui: sic qui in bona fortuna sapiunt, contra aduersam auxilia expediunt.* Vnde rursus eodem libro Seneca capite 13. cùm dixisset: *Seneca.* *Nam qui multa agit, sæpe fortunæ potestatem sui facit, quam tutissimum est, raro experiri*, adiicit: *Cæterùm de illa semper cogitare, & sibi nihil de fide eius promittere. Nauigabo, nisi quid inciderit: & prætor fiam, nisi quid obstiterit: & negotiatio mihi respondebit, nisi quid interuenerit. Hoc est quare sapienti nihil contra opinionem dicamus, accidere; non illum casibus hominum excipimus, sed erroribus; nec illi omnia, vt voluit, cedũt, sed vt cogitauit: in primis autem cogitauit, aliquid posse propositis suis resistere. Necesse est autem leuiùs ad animum peruenire destitutæ cupiditatis dolorem, cui successum non vtique promiseris.* Hæc Seneca. Si dicas: sed multa; dicam, sed bona, salutaria, opportuna.

Illud hoc loco occasione immolationis siue sacrificij, quod Paulus inculcat, curiosiùs disquirit Iustinian. *Iustinian.* an Martyrum neces propriè sacrificia dici possint? Et verò, vt id sapienter neget, quòd neque omnes Martyres fuerint Sacerdotes, ad quos signatè pertinet sacrificare, neque ipsi sponte sua possent obire, vt verè dicere possent, se suopte nutu

nutu animam Deo offerre, neque ea oblatio sacro ac mystico ritu perficeretur; at hoc non nisi stricto sensu, propriissimàque locutione capiendum est: cùm apud Scripturam, ac Patres Martyres, hostias, victimas, & holocausta appellari non sit infrequens; non ea solùm de causa, quòd probæ actiones sacrificia quodammodo esse dicantur: vt Augustin. lib. 5. de Ciuitate Dei capite 1. quem Iustinian. citat, sic ait. *Sacrificium est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo relatum, scilicet ad eum finem bonum, quo beati esse possimus*, de quo nos in adnotationibus: sed fortiori ratione, quæ ad hanc illis appellationem reddendam plus nos stringat, quòd se totos in odorem suauitatis Deo offerrent. Ita Chrysostomus hìc sub Pauli persona inquiens. *Victima quædam, & hostia euado*. Similiter ad sequentia verba Theodoret. dum ait. *Hæc autem dicit eos consolans, & docens magnitudinem Martyrij, quod immolationis, & sacrificij cuiusdam locum obtinet*. Ita ille. Certe Sapientiæ 3. vers. 6. de Deo in manus suas Martyres suscipiente disertissimè dicitur. *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos*. eadem formula, ac dicendi modo, quo Leuit. capite 7. 8. de sacrificiis sermo fit: siue vt Græcè habetur, ὁλοκαρπώματα θυσίας, *quasi holocaustum hostiæ*, seu *victima*, vel *sacrificij*, *sacrificationis*; id est, actionis sacrificandi: est verò è re hac, Martyres appellari *holocaustum*, siue Græcè ὁλοκάρπωμα, quòd illa victima dicebatur holocaustum, quæ tota igne sumpto ex altari absumebatur die, ac nocte. Quare à Græcis vocatur ὁλόκαυστον, quasi ὅλον καυστόν, id est, *totum combustum*; ibi verò ὁλοκάρπωμα, hoc est, *totum frugiferum*: seu *quod totum vsui*, aut *vtile est*: *humana cupiditate* (ita Philo lib. de victimis) *nihil inde sibi vsurpate. Atque ita holocautoma solius Dei est, cui semper debetur honor, etiamsi nihil speraremus ab eo gratiæ*. Quare dum Cyprianus epist. 81. ea Sapientiæ verba de Martyribus explicans ait: *Iterum vbi loquitur Scriptura diuina de tormentis, quæ Martyres Dei consecrant, & in ipsa passionis probatione sanctificant*, ad sacrificiorum ritum adspexit; quasi tormenta Martyres holocausta Deo redderent, atque sacrificarent: nam consecrationis & sanctificationis phrases ad sacrificandi actionem pertinent, Assertore nostro Ioanne 17. 19. dicente: *Pro eis sanctifico me ipsum*; hoc est, me ipsum sacrifico, siue tibi in sacrificium offero: vt ex Cyril. Alex. & Chrysostom. Iustinian. hoc loco in quo sumus, & interpretes in ea verba obseruant. Sed & Chrysost. hom. 11. in epist. ad Hebræos, dum virtutis actiones laxiori vocabulo victimas appellasset, inquiens: *Quid sunt victimæ? modestia, temperantia, eleemosyna, tolerantia, lenitas, & patientia*. Martyres verè holocausta sic appellat: *Sunt autem alia quoque hostiæ verè holocausta, nempè martyrum corpora: illic, & anima, & corpus. Illa magnum habent odorem sua violentia*. Ita Chrysostomus.

Augustinus

Chrysost. Theodor.

Sapien. 3. 6.

Leu. 7. 8.

Philo.

Cyprian.

Ioan. 17 19.

Chrysost. Cyril. Alex. Iustinian. Chrysost.

5. Huc maximè facit in egregia Ecclesiæ descriptione à Salomone facta Prouerb. 9. 1. Christum Patris sapientia Martyres tanquam victimas sibi gratissimas mystico ritu immolantem induci, ita enim ibi: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas suas*. pro quibus verbis Tertullianus in Scorpiaco capite 7. vt sæpiùs in superioribus vidimus, legit. *Sophia iugulauit filios suos*, de Martyrum necibus omnino capiens: ad cuius gustum ea sic explicat Augustinus libro decimoseptimo de Ciuitate Dei, capite 20. *Hic certè agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patri Æternum in vtero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, & huic tamquam capiti membra, Ecclesiam subiunxisse, Martyrum victimas immolasse, mensam in vino, & panibus præparasse*. Quibus ipsemet Sacerdos Summus subscripsisse videtur, cùm Matth. 10. 34. inquit, *Non veni pacem mittere, sed gladium*, quo nimirum Martyrum victimas immolaret. Quare Andreas Cæsariens. capite decimoquarto in Apocalyps. cùm sigillum secundum de quo cap. 6. 3. Martyribus ea potissimum ratione, quòd id ad secundum animal, hoc est, vitulum spectaret, sic aptasset. *Secundum animal vitulum dici existimo; hoc autem sacrosanctas Martyrum hostias designat*. post modum præfata Christi verba cum illis, quæ apud Ioannem immediatè sequuntur, *& exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & datus est ei gladius magnus*. Ita componit: *Huc namque pertinet illud Christi*, Non veni pacem mittere sed gladium. *per quem Martyrum hostiæ mactatæ, & in cælesti ara oblatæ sunt*. Ita ille. Hæc modò; alibi maiori apparatu pro Martyrum sacrificio, acturus.

Prou. 9. 1.

Tertul.

August.

Matth. 10. 34.

Apocal. 6. 3. And. Cæsar.

Apoc. 6. 4.

Supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ.

6. Theophylactus: *Et si moriar, inquit, mortem enim immolationem appellat; immolor namque supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ; hoc est, cùm antea vos in sacrificium Deo, & obsequium obtulissem, & fideles effecerim, nequaquam vt mortuus non mærore conficior, sed lætor equidem, & vobiscum vna afficior gaudio*. Similiter Anselmus: *Iam enim vestram fidem sacrificium Deo dignum obtuli, & obsequium bonæ operationis vestræ, qua Deo obsequimini, sacrificaui*. Ex quibus apparet hos Patres propositionem *supra* sumere, pro ac si fuerit, *cum iam*, aut postquam. Vt verò non ineptè ita sumatur, opportunius, opinor, accipiunt Theodoretus ac sanctus Thomas, vt sit idem, ac *pro vestra fide*, vel *occasione vestræ salutis*. Sic namque prior, *Pro vestra enim fide tamquam hostia Deo oblata, lætor, & delector*: vbi etiam notat Theodoretus illud vestræ positum à Paulo pro omnium, qui per ipsum crediderant: luculentiùs sanctus Thomas. *Sed si contingat, quòd & ego supra hoc immoler; id est, occasione sacrificij conuersionis vestræ occidar: gaudeo, &c*. Vnde hæc verba, totámque Pauli sententiam sic explico, atque exprimo. Quin etiam si contingat, vt fidei vestræ sacrificio mei sanguinis profusio veluti libamentum imponatur, eo mihi nomine tamquam de re omnium gratissima plurimum gaudendum, vobísque gratulandum est. Nisi mauis hæc ad hunc modum efferre: Si vos videam viua fide Deo in sacrificium oblatos, plenéque obsequentes, libens, gaudénsque supra eiusmodi sacrificium immolari patiar, ac si dixerit: Si puluinar, super quod mihi cadendum est, adeò sit blandum, in illud mortuum decidere, non renuam; & super hostiam mihi gratam immolari, sed sanè eiusmodi societas etiam cum mortis discrimine grata mihi, & iucunda semper accidet.

Theoph.

Anselm.

Theodoret.

S. Thomas.

Nec

7. Nec illud hîc aduersùs vanam hæreticorũ credulitatem, in mortua fide viuentium, de eáque sibi mirum in modum applaudentium fuerit prætereundum; Philippensium fidem ab Apostolo *sacrificium & obsequium, siue immolationem* (sic enim plerique vertunt Græcam vocem λειτουργία, pro qua noster dixit *obsequium*) appellari, vt appareat Paulum minimè adstruere eam fidem ad salutem, quæ se sola absque operibus contenta est; siue potiùs sub cuius velamento virtuti, atque honestati homines nuntium remittentes, vni incumbunt voluptati; atque hac distorta regula cuncta metiuntur, sed illam, quæ egregias virtutes, honestásque actiones colit, ac retinet, singillatim verò animi perturbationes insanósque motus, quibus iactari, & circumferri, hęreticis periucundum est, seueriùs comprimit & veluti fræno coërcet. Id namque est vt ipsimet elementarij pueri animaduertent, se Deo in sacrificium offerre: sed de hoc multa in Adnotat.

Lectio Græca.

Gaudeo, & congratulor omnibus vobis.

8. CHrysost. *Gaudeo igitur, inquit, me victimam fieri, congratulor autem me ita victimam fieri, vt simul quoque sacrificium offeram.* Theophylact. *Gaudeo quidem, quia offeror immolandus, gratulor verè, quia fidem vestram, non secus ac sacrificium aliquod Deo ipse obtulerim.* Similiter Primas. *Siue quia vestræ fidei ministraui, vt Deo in vobis id operante, & me prædicante crederetis.* Addit Ambros. *Magna enim mæstitia est, si patiatur quis pro eis, in quibus nihil proficit.* Paulo aliter S. Thom. *Gaudeo propter me, Iacob. 1.* Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis. *Et congratulor vobis, quòd habetis fidem etiam cum periculo personæ meæ.* Deflexit verò ab hoc Anselmo in explicatione verbi, *gratulor*, hunc in modum. *Sed etsi etiam ipse pro vobis offeror, gaudeo quia ad coronam pertingo, & congratulor, id est, simul gratias ago omnibus vobis, quia estis mihi causa mortis, qua vitam ingredior.* Sed enim Græcè pro his verbis habetur χαίρω, καὶ συγχαίρω: id est, *gaudeo, & congaudeo* quasi non sit contentus Paulus, si ipse solùm de sui sanguinis profusione gaudeat; nisi etiam gaudij huius participes fuerint Philippenses, vt cum illis de Magistri morte, siue victoria, ac triumpho gaudentibus, rursus ipse congaudeat. Videtur autem respexisse noster interpres ad hanc gaudij participationem, quam erant Philippenses habituri; ideo nouum gaudium quod de illa se percepturum pollicetur Apostolus, maluit gratulationem appellare, quod tunc maximè aliorum bonis congratulari quis ostendat; cùm simul cum eo gaudet iuxta Pauli gnomen, *gaudere cum gaudentibus*, ad Romanos 12. 15.

Chrysost. Theoph. Primas. Ambros. S. Thom. Anselm. Græca lectio. Ad Rom. 12. 15.

Id ipsum autem, & vos gaudete, &c.

9. AMbros. *Quamobrem gaudere se illis, & eos congratulari sibi debere testatur, vt inuicem participes sint gaudij communis, & plebs, & magister idoneus.* Theophylact. *Gaudete, quia estis per me hunc in modum oblati*, & congratulamini mihi, *quia cùm sim immolandus, incredibili iucunditate afficior.* Pulchriùs verò; & ad Pauli charitatem, & vrbanitatem declarandam opportuniùs Primasius gratulationem hâc sic expressit. *Præmium est, pro vobis occidi.* Aliter Anselm. *Nec solus ego id agere debeo, sed etiam* vos gaudete id ipsum, *hoc est, immolari pro me, si contigerit vobis*, & congratulamini, *id est, grates reddite mihi, quia vobis causa sum, vt Martyres efficiamini.* Hæc ille, quæ Græcus textus omnino respuit, habet enim eundem modum præcedentis sententiæ; *gaudete & congaudete mihi*: quod bene explicat Estius, ac si dicatur, volo vos inuicem gaudere de bono vestro quod iam habetis, & congaudere mihi, de bono meo, quod expecto. Iam Chrysost. ad hæc verba in verbo, *congratulor*, hærentem, vt bona mortis prædicet audi. *Congratulamini, inquit, mihi mea ipsius morte gaudenti. Non igitur lachrymis dignus est iustorum obitus, sed lætitia. Si ipsi gaudent, gaudendum cumillis est. Absurdum enim fuerit, gaudentibus illis nos lugere. Sed consuetudinem requirimus. Commenta isthæc sunt prætextus. Vide, quid Paulus admoneat Philippenses*, gaudete, & congratulamini mihi. *Consuetudinem requiris? si tibi quidem ipsi hîc manendum sit, rectè dicis: sin autem paulo pòst ad illum, qui abiit, peruenturus es, quum requiris consuetudinem? ille enim meritò requirat, qui ita ab aliquo diuellitur, vt perpetuò sit abfuturus, sed si idem tibi iter conficiendum est, quam consuetudinem requiris?* Hæc ibi, & plura Chrys. sed & orat. de S. Bernice, & Prosdoco, non longè ab Anselmi sensu, quasi Apostolus discipulis mortem suam velut suauissimam potionem propinet, hunc locum sic elucidat. *Quid ais? moreris ô Paule, & ad societatem voluptatis homines aduocas? Non equidem morior inquit, sed ad meliorem vitam ascendo: vt igitur homines magistratum ineuntes plurimos lætitia sibi socios, ac participes sibi futuros accersunt; sic & Paulus ad mortem pergens, gaudij sui consortes futuros vocabat.* Sic ille.

Ambros. Theoph. Anselm. Estius. Chrysost. Idem.

Ad ea verba: *Supra sacrificium fidei vestræ.*

Adnotatio Vnica.

Christianæ vitæ, disciplinam longum atque illustre martyrium esse.

BENE August. serm. 32. de Sanctis: *Tota vita Christiani hominis, si secundum Euangelium viuat crux est, atque martyrium.* Nam si attendis, modò etiam cruces gladij, ignes, sæui Imperatores, feri carnifices, & quidquid priscis temporibus in Martyrum passione conspiciebatur, nobis in pace degentibus adsunt atque circumstant; ac proinde vel egregiam Christi confessionem inuicta constantia factam; vel turpem, & ignauam negationem, quæ à Christiana disciplina pedem referat, passim videre est. Nec alio sensu dictum videtur Cant. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi cohors castrorum?* nam cum Sulamitis sonet pacificam, pulchra castrorum antithesi innuitur, huic Ecclesiæ paci quotidiana bella, pugnásque subesse, quòd virtus vt sibi constare, atque subsistere possit, arduis egeat, & arduo, atre, atque pugnaci ingenio prælia cum hoste indesinenter bellatrix meditetur. Vnde opportunè August. sermone 250. de tempore. *Nemo dicat quòd temporibus nostris Martyrum certamina esse non possunt: habet enim & pax nostra Martyres suos. Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, iustitiam custodire, auaritiam contemnere, superbiam humiliare, magna pax martyrij est.* Ita Augustinus: & eodem gustu Hieronym. epistola 27. ad Eustochium siue in epitaphio Paulæ, prope finem; de illa sic filiam Eustochium alloquens: *Pars tua Dominus, & quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non enim solum effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed deuota*

1. August. Cantic. 7. 1. August. Hieron.

deuotæ quoque mētis ſeruitus immaculata quotidianum
martyrium eſt:illa corona de roſis,& liliis texitur, iſta
de liliis:vnde & in Cantico Canticorum ſcribitur: Pa-
truelis meus candidus,& rubicundus; *& in pace &*
in bello eadem præmia victoribus tribuens. Hæc Hie-
ronymus.

2. Nemo verò hac de re tam dilucidè támque lu-
culenter,ac ipſemet Paulus loquitur:dum & perſe-
cutorum,& paſſionum ſiue mortium,quæ viuis cor-
poribus inferuntur, ſignatè meminit. Sic namque
2.ad Thimot. primum 2.ad Thimot.3.12.*Omnes qui pie volunt vi-*
3.12. *uere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur.* Vbi pre-
me vocem *omnes*,cum Ambroſ.ſermone 20.in Pſal.
Ambroſ. 118. dicente, *Omnes,dixit,nullum excipit.Quis enim*
exceptus eſſe poteſt, cum ipſe Dominus perſecutionum
tormenta tolerauerit? At, vbi paſſim tyranni? vbi tot
perſecutores, qui omnibus bellum inferre poſſint?
Nónne plures priuatam vitam laudabiliter agunt,
quin cuiuſquam offenſionem,aut odium incurrant?
Auguſt. Reſpondet Auguſtinus in Pſal.117.*Non enim quia*
diabolus modò per Reges non ſæuit, ideo non Chriſtiani
perſecutionem patiuntur. Si mortuus eſt diabolus, mor-
tuæ ſunt perſecutiones. Si autem ille aduerſarius noſter
viuit,vnde non tentationes ſuggerit?vnde non ſæuit?vn-
*de non minas,& ſcandala procurat?*Qui ergo hi perſe-
cutores?hi carnifices?hæc fidelium pacifica perſecu-
tio fuerit? Dixerim,improborum hominum mores
videre,atque pati. Nónne *magnus labor eſt*(vt inquit
Proſper in ſententiis ex Auguſtinus) *mores tolerare*
Mar.Pontif. *contrarios?* Ita certè Marcus Pontifex *in reſcripto de*
miſſione capitulorum Niceni Concilij, quod habetur
1.tom. Concil. & ad finem operum Athanaſij, in-
quiens,*iuxta Apoſtolum*: Omnes qui piè volunt vi-
uere in Chriſto, perſecutionem patientur. *Quæ non*
in eo tantùm computanda eſt, quod contra Chriſtianam
pietatem aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuſcum-
que ſuppliciis, cùm perſecutionum ſæuitiam ſuppleant
(ſic opinor eſſe legendum dempta particula *ſed* quę
ſenſum impedit,ac turbat) *diſſimilitudines morum, &*
contumaciæ inobedientium, & malignarum tela lin-gua-
rum quibus cõflictationibus,vt communia ſemper mem-
bra pulſantur, vt nulla piorum portio ſit libera, ita vt
nec periculis, nec otio careant, nec labore. Sed inquis:
Quid? nónne poteſt aliquis in vaſtiſſima ſolitudine
latere, quin aliquis eũ viuere ſciat,quin ipſe quem-
piam improbè viuentem videat, norítve? Hic ergo
perſecutiones effugiſſe perſecutoréſque vitaſſe di-
cendus erit?Occurrit tamen Ambroſ.citato loco ſic
Ambroſ. reſpondens: *Sicut enim vnus perſecutor Rex multis*
perſecutionis præcepta mittebat, & per ſingulas vel ciui-
tates, vel prouincias erant diuerſi perſecutores;ita etiam
diabolus multos miniſtros ſuos dirigit,qui non foris tan-
tùm,ſed etiam intus faciant perſecutiones in animis ſin-
gulorum, &c. Perſequitur auaritia, perſequitur ambi-
tio,perſequitur luxuria, perſequitur fornicatio, vnde &
Apoſtolus ait: Fugite fornicationem,1.ad Corint.6.
AdCor.6.18. *Nam qua cauſa fugeres,ſi nulla te perſequeretur?* Per-
git ſtatim Ambr. horum perſequutorum ferociam,
pugnæque diſcrimen ſic demonſtrans:*Iſti ſunt per-*
ſecutores graues,qui ſine gladij terrore mentem hominis
frequenter elidunt,qui illecebris magis quàm terroribus
animos expugnant fidelium. Hi tibi hoſtes cauendi, hi
grauiores tyranni,per quos Adam captus eſt, Multi in
perſecutione publica coronati occulta hac perſecutione
*ceciderunt.*Et poſtmodum,*Ipſe Apoſtolus fluctuat,hæ-*
ret, adſtringitur, captiuari ſe aſſerit in lege peccati, &
mortis corpore debellari, nec potuiſſe euadere, niſi eſſet
*Domini Ieſu liberatus gratia.*Hæc Ambroſ. Nec mi-
nus opportunè S. Diadochus Epiſcopus Photicenſ.
de perfect. ſpirit. cap.94. tom.5. Bibl.veter.PP. ſic
S.Diad. monens. *Oportet igitur cum gratiarum actione volun-*
tatem Domini ſuſtinere, tunc enim iſta ægritudinum
(de conflictu inter carnem, & ſpiritum loquitur)
aſſiduitas,& cum dæmoniacis cogitationibus pugna vice
ſecundi Martyrij habebitur. Qui enim illis temporibus
per impios illos magiſtratus, & poteſtates ſanctis Mar-
tyribus dicebat; Negate Chriſtum, concupiſcite vitæ
huius glorias, & honores; nunc etiam præſtò eſt ad di-
cendum ſemper eadem per ſeipſum ſeruis Dei. Qui tunc
cruciabat corpora iuſtorum, & magiſtros honoris ſum-
mis contumeliis per miniſtros voluntatis, & conſilij dia-
bolici afficiebat,idem nunc Confeſſoribus pietatis varias
paſſiones cum multis contumeliis,& deſpicationibus in-
fert. Sic Diadochus.

Sed Martyrij modum euentu perſimilem, paſ- 3.
ſioniſque inſtrumenta animaduerte. De Martyribus
quidem pro Chriſti fide ferro, vngulis, equuleis,
ſcorpionibus laniatis, atque diſciſſis, laminis, igni-
bus, fornace vſtulatis, crematis, atque conſumptis
generali oratione dixit Salomon Sapientiæ 3.ver.6.
*Tanquā aurum in fornace probauit eos.*Quod vt aurũ *Sap.3.6.*
igne torquetur, atque excoquitur,nihil tamen eius
deperit, ita Martyrum virtus atque conſtantia quaſi
in fornacem ſuppliciorum iniecta tormentorum vi,
& acerbitate, examinata, & probata fuerit de paci-
ficis verò hoſtiis aduersùs auaritiam, ambitionem
aliáſque cupiditates decertantibus nõ minus acrio-
res fornacis flammas pertuliſſe ex ipſomet aurifice,
& exploratore Iſaiæ 48.10. necnon ex Eccleſiaſtico
cap.26.monuimus;ſic enim Vates:*Ecce excoxite, ſed* *Iſai.48.10.*
non quaſi argentum, elegi te in camino paupertatis. Sic
etiam Sapiens:*In humilitate patientiam habe,quoniam* *Eccl.2.5.*
in igne probatur aurum, & argentum,homines verò re-
ceptibiles in camino humiliationis. Vnde de volunta-
ria paupertate Bernard.ſermone 1.in feſto omnium
Sanctorum. *Quid mirabilius? aut quod Martyrium* *Bernard.*
grauius eſt? quàm inter epulas eſurire,inter veſtes mul-
tas,& precioſas algere, paupertate premi inter diuitias,
quas offert mundus,quas oſtentat malignus,quas deſide-
rat noſter iſte appetitus? Tam verò de paupertate,
quàm de reliquis virtutibus, cum quibus tam mun-
dus, quàm noſtræ concupiſcentiæ bella gerunt, ita
Chryſoſt.homilia.11.in epiſt. ad Hebræos non ſine
allusione ad præfatam paupertatis fornacem: *Sunt* *Chryſoſt.*
autem aliæ quoque hoſtiæ vere holocauſta; nempe Mar-
tyrum corpora, &c. Potes tu quoque ſi velis, tale offerre
ſacrificium. Quid enim ſi igne corpus non combuſſeris?
ſed potes alio igne,vtputa igne paupertatis voluntariæ,
igne afflictionis, licere enim delicatè, lautéque & ſplen-
didè vitam agere,laborioſam autem, & acerbam vitam
eligere, & corpus morte afficere, an non eſt oblatio holo-
cauſti? Corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipſe
quoque accipies coronam huius martyrij.Nam quod il-
lic operatur enſis, hoc hic faciat prompta animi alacri-
tas.Non vrat,neque detineat amor pecuniæ, ſed vratur,
& extinguatur ipſa turpis, & nefaria cupiditas igne
ſpiritus, concidatur gladio ſpiritus. Hæc ibi & alia
Chryſoſtomus iam quiſquis cum luxuria congredi-
tus,carniſque ſtimulos perſentiens,Dei timore con-
fixus eos in ſemetipſo frangit,atque obtundit,nón-
ne aurum in fornace examinatum,& excoctum,ſiue
cruci confixus tibi videtur? Audi Auguſt. ſermone
60.ad fratres in eremo:*Non putemus tantùm in effu-* *Auguſt.*
ſione ſanguinis eſſe martyrium: ſemper martyrium eſt
Chriſtianis, & religioſis. Adoleſcentulum libido perſe-
quitur, & vult libido effundere ſanguinem. Similiter
Hieron. epiſtola 8. ad Demetriadem de virg. ſeru.
Aſſume ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ, galeam, ſalutis; *Hieron.*
procede ad prælium.Habet & pudicitia ſeruata marty-
rium ſuum. Vnde Anſelmus in epiſt. ad Romanos.
Qui enim membra ſua mortificant ab incentiuo libidi- *Anſelm.*
nis, & actus corporis ſui Deo placitos habent, hoſtiam
viuentem

viuentem offerunt, & legem sacrificiorum, quæ in Leuitico lata est, spiritualiter complent. Id quod sic denuò confirmat Augustinus citato sermone 32. de
Augvst. Sanctis. *Numquid omnes virgines qui sequuntur*
Apoc. 14. 4. *Agnum Dei, crucifixi sunt, vt sequantur? Numquid*
ad Gal. 6. 14. *Paulus crucifixus fuerat, cum diceat,* Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Hoc autem dicit, vt intelligas, Crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ, vtriusque propositum.* Ita Augustinus.

4. Hinc rursus Paulus ad Roman. 12. 1. ad hoc martyrium iugiter perferendum fideles sic hor-
ad Rom. 12. 1. tatur: *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam vi-*
Chrysost. *uentem, sanctam, Deo placentem.* *Sed quomodo* (ita Chrysostomus ibi) *corpus, inquies, hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus, & factus est hostia. Nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio. Nihil iniqui committat manus, & facta est holocautoma. Immò non sufficiunt ista, sed vt bona etiam faciamus opus est, nimirum vt eleemosynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os, auditus diuinis continuò sermonibus vacet.* Quare
Anselm. pulchrè, *Hostiam* viuentem,* dixit: *Hostia quippe* (Anselmus ibi,) *& immolatur, & viua est, quando & ab hac vita homo non deficit, & tamen se à carnalibus desiderijs occidit. Hostia enim occiditur, vt offeratur, sed hostia viuens est corpus pro Domino afflictum, quod & hostia dicitur, & viuens, quia viuit in virtutibus, & est a vitijs occisum. Hostia videlicet, quia iam huic mundo est a prauis actibus mortuum; viuens autem, quia cuncta, quæ præualet, bona operatur.* Quæ omnia sic breui præstrin-
Theophyl. xit Theophylact. *quin etiam eadem illa* (membra) *in hostiam viuentem sunt offerenda, vt hisce castigatis tandem & ferè confectis secundum spiritum vitam ducamus.* Sed quæsitum verbum *exhibere,* quo de industria vsus est Apostolus, in nostram rem obseruа: illud enim vt forense ad duo propriè vsurpatur. Nam primò apud Iurisconsultos familiaris locutio est: *exhibere reum,* pro iudici ad iudicium siue supplicium sistere; vt apparet ex titulo
L. si quis, ff. de exhib. reor. ff. *de exhibitione eorum*: vide ibi legem *si quis,* vbi Consultus: *Si quis reum criminis, de quo satis dedit, non exhibuerit, pœna pecuniaria plectitur; puto tamen si dolo malo non exhibeat, etiam extra ordinem esse damnandum.* Sanè quasi ex Apostoli præscripto debeamus nosmetipsos tanquam multorum criminum reos Deo quotidie sistere, & eius nomine non leues corpori, omnibúsque eius mem-
Bernard. bris pœnas, atque supplicia irrogare, *vt hisce castigatis tandem & ferè confectis secundum spiritum vitam ducamus.* Quod quidem egregium martyrium esse quis neget? Certè Bernard. sermone 30. in
Ioan. 12. 25. Cantica ea Christi verba Ioan. 12. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam,* eodem ductu de Martyribus, atque pœnitentibus capit ad hunc modum: *perdet eam, dixit, siue ponendo vt Martyr, siue affligendo vt pœnitens. Quamquam genus martyrij est, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius.* Sed id sic luculenter persequitur S. Petrus Damianus sermone 30 qui est 1.
S. Petr. Dam. de S. Apollinare: *Vis adhuc apertius discere, qualiter in pace sanctæ Ecclesiæ valeas martyrium inuenire? Ascende igitur tribunal mentis, & temetipsum pertrahe ad iudicium quæstionis. Cogitatio accuset, animus iudicet, pœnitens conscientia velut carnifex feriat, lachrymarum riuus velut vulnus erumpat. Sic sic per martyrij similitudinem, ad veram peruenies Martyrium dignitatem.* Sic ille. Deinde, vt bene ibi aduertit Iustinianus, id pro- Iustinian.
priè exhiberi dicitur, quod ante promissum re ipsa præstatur: vt videris, iam pridem in Baptismo Martyrio, siue ferro, siue gladio spiritus peragendo nos ipsos ex pacto conuento addixisse. Vnde (quod indidem etiam habet P. Iustinianus) horrenda præferocis Proconsulis Scapulæ in Christianos sæuientis tela, quæ ille indesinenter vibrabat; atque intorquebat, hac ratione frangebat, atque eludebat Tertullianus libro ad Scapulam, cap. 1. *Nos qui-* Tertull.
dem, neque expauescimus, neque pertimescimus ea, quæ ab ignorantibus patimur, cùm ad hanc sectam vtique suscepta conditione eius pacti venerimus, vt etiam animas nostras auctoritati in has pugnas accedamus, ea quæ Deus repromittit consequi optantes, & ea, quæ diuersæ vitæ comminatur, pati timentes. vbi scitè dixit, *auctoritati;* quod, vt ibi ex veteribus egregius illius elaborator Cerda adnotauit, *auctorati essent,* qui Cerda.
mercede ad gladium se locauerant: planè quasi Christianus, si tamen Christianus, mercede vitæ æternæ sibi proposita, ad gladium quo animam suam perdat, se locauerit; siue ponendo vt martyr, siue affligendo vt pœnitens: vnde quidem pulcherrimum illum morem dimanasse crediderim, cuius meminit Victor Vti- Victor Episc. Vtic.
censis, vt, cùm Martyres ad supplicia educebantur, fideles quique infantulos suos eorum vestigiis proiicerent; vt illa iam tunc passibus non æquis, siue etiam reptantes premere inciperent; sic enim ille libro 2. Historiæ agens de persecutione Vandalica. *Per vertices montium, & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suósque infantulos vestigijs Martyrum proijcientes.* Optimo quidem sensu Christianæ disciplinæ legem agnoscentes, quæ fidelium corpora hostiam viuentem Deo exhibere, martyriumque subire præscribit, siue id quo membra ferro cæduntur, siue hoc quo facta carnis spiritu mortificantur.

Qua sanè de causa diuina præcepta notan- 5.
tissimè à Regio Vate testimonia, hoc est, martyria passim appellantur. Psalmo enim 118. Psalm. 118.
passim diuina testimonia commemorat, pro qua voce Græcè habetur, *martyria,* id sæpius ibi adnotante Augustino, sic enim ad ea verba: *Aufer a me opprobrium, & contemptum,* August.
quoniam testimonia tua exquisiui. Concione 9. *Testimonia Græcè martyria nuncupantur, quo verbo iam vtimur pro Latino. Vnde illos, qui propter testimonium Christi diuersis passionibus humiliati sunt, & vsque ad mortem pro veritate certarunt, non testes, quod Latinè vtique possemus, sed Græce vtique martyres appellamus.* Quoniam hoc ergo familiariùs auditis, & dulciùs, sic accipiamus hæc verba, tamquam dictum sit, Aufer à me opprobrium, & contemptum, quoniam martyria tua exquisiui. Hæc ibi Augustinus, similia habens concione 14.
& concione 20. in illa verbe, *secundùm mi-* Idem.
sericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia oris tui; sic ait: *Græcus habet martyria, quod tacendum non fuit, propter dulcissimum nomen.* Sanè quasi diuinis præceptis noster erga Deum animus examinetur, atque probetur, nostræque illi charitatis nos fidem faciamus, ita idem Augustinus sermone 231. de tempore, qui est de ebrietate vitanda:

* P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Nemo dicat fratres charissimi, quòd istis temporibus Martyres non sint, quotidie Martyres fiunt, Martyr enim testis interpretatur. Quicumque verò pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum iustitia iudicauerit, quidquid pro testimonio veritatis, vel iustitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit. Ita ibi Augustinus, & sermone 32. de Sanctis, *Martyr Græce, Latine testis dicitur, igitur quoties affectibus mandatum Christi facimus, toties Christo testimonium perhibemus.* Similiter Clement. Alexandrin. lib. 4. stromatum, inquiens: *Quicumque autem seruatoris mandata exequuntur, in vnaquaque actione sunt Martyres, id est, testes, facientes quidem quod vult, consequenter autem nominantes Dominum, & re ipsa testantes ei, cui credunt esse carnem, cùm eam cruci affixerint eum vitijs, & concupiscentijs.* Hæc Clemens. Clem. Alex.

Quæ sic diffundit citato loco Ambrosius, *Verùm vt multæ persecutiones, ita multa martyria; quotidie testis es Christi. Tentatus es spiritu fornicationis, sed veritus Christi futurum iudicium, temerandam mentis, & corporis castimoniam non putasti: martyr es Christi. Tentatus es spiritu auaritiæ, vt possessionem minoris inuaderes, indefensæ viduæ iura temerares, & tamen contemplatione cœlestium præceptorum opem magis ferendam, quàm inferendam iniuriam iudicasti, testis es Christi. Tentatus es spiritu superbiæ, sed videns inopem, atque egenum, pia mente compassus es: humilitatem magis, quam arrogantiam dilexisti, testis es Christi; & quod est amplius, non sermonis tantummodo, sed operis etiam testimonium perhibuisti. Quis enim locupletior testis est, quam qui confitetur Dominum Iesum in carne venisse cum Euangelij præcepta custodit? Nam qui audit, & non facit, negat Christum, & si verbo fatetur, operibus negat, &c. Ille ergo testis est, qui adstipulantibus factis Domini Iesu præcepta testatur. Quanti ergo quotidie in occultis martyres Christi sunt, & Iesum Dominum confitentur?* Hæc Ambrosius. Ambros.

6. Quod sanè ita erat Gregorio Magno persuasum, vt cùm lib. 3. dialog. cap. 26. post egregias iustorum historias, qui in alma Ecclesiæ pace vitam finierant, ab eo relatas, dixisset non nemo: *Multos horum suspicor, Martyrium subire potuisse, si eos persecutionis tempus inuenisset*, ipse eo dicto quasi de illustrium virorum iniuria non nihil offensus, non modò Martyrium subire potuisse, sed & reapse subiisse, dum diaboli insidias sustinentes cunctis carnalibus desideriis strenuè restiterunt; sic adstruit. *De his autem talibus, tantisque viris, quorum superius memoriam feci, dicamus, quia si persecutionis tempus extitisset, martyres esse potuissent? quia occultè antiqui hostis insidias tolerantes, suósque in hoc mundo aduersarios diligentes, cunctis carnalibus desiderijs resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactauerunt, etiam pacis tempore Martyres fuerunt.* Greg. Magn. Firmat id pulchra ratione Augustinus sermone 250. de tempore, cap. 3. tom. 10. hoc amplius censens, non vnam illos, sed plures Martyrij coronas assecutos; sic enim ille. *Sicut enim castitas, & veritas, & iustitia Christus est, sic & ille qui eis insidiatur, persecutor est, ille qui & in alijs defendere, & in se custodire voluerit, martyr erit. Et ideo qui hæc tota animi virtute & ipse diligit, & vt alij diligant, & verbis simul, & exemplis ostendit, & vbicumque veritas, vel iustitia, siue castitas laborant, quantum præualet, se etiam vltro ingerit, & secundum quod vires habuerit defendere contendit, non vnam, sed plures coronas Deo remunerante, percipiet.* August. His mirè subscribit Chrysostomus in Psalm. 127. in priorum verborum commentario, *qui ambulant in vijs eius*, ad finem patientiæ laudationem sic adornans. *Fer ergo forti, & generoso animo quæ accidunt. Hoc enim est tibi martyrium. Non enim eum, qui sacrificare iubetur, non sacrificare, sed potius cruciari, & excarnificari, quam hoc facere, solum facit martyrium, sed etiam dolor impellit ad blasphemandum, tolerante potiùs ferre laborem statuere, & nihil turpe, & inhonestum dicere facit martyrem. Iob enim non ideo fuit coronatus, quod sacrificare iussus non sacrificauerit, sed quòd dolores, & calamitates forti animo perpessus sit.* Chrysost. Hæc ibi Chrysost. eadem verò, & multo plura aureo orationis decursu fluentia habet homil. 1. in epist. 2. ad Corinth. quæ oro videas.

Iam, vt à fornace probationis quæ eadem Martyribus, & iis qui sæcularia bona contemnunt, esse dicitur, secundum hoc martyrium adstruximus; ita à præmij parilitate idem confirmat Bernardus citato sermone 1. in festo omnium Sanctorum; bene obseruans in concione de beatitudinibus apud Matthæum cap. 5. 3. idem omnino præmium pauperibus spiritu, pariter ac martyribus, à Christo Domino proponi; sic enim de pauperibus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*; sic de Martyribus eadem locutionis serie: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3. In quæ verba Bernardus: *Quid sibi vult, quòd eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus, nisi quia veri martyrij genus paupertas voluntaria est.* Bernard. Et postmodum: *Denique propterea pauperibus pariter, ac martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.* Hæc Bernardus, cui in hac cogitatione videtur præiuisse Chrysostomus homil. 1. de diuite, & Lazaro, tom. 3. vbi pauperem Lazarum, & latronem è cruce in paradisum euolantem eadem via incedentes ostendens, inquit: *Deprecemur Dominum, vt latronem, & istum Lazarum pauperem imitari possimus. Si persecutio venerit, imitemur latronem: si pax fuerit, imitemur Lazarum: si martyrium fecerimus, statim intrabimus paradisum: si paupertatis pœnam sustinuerimus, statim in sinum Abrahæ.* Chrysost. Et statim: *Habet & sanguis, habet & pax loca sua: habet & paupertas martyrium suum, & egestas bene tolerata facit martyrium.* Sic Chrysostomus. Ad quem etiam modum Cyprianus ad Fortunatum: *Nec solos animaduersos, & interfectos diuinæ pollicitationis manent præmia, sed etiamsi ipsa passio fidelibus desit, fides tamen integra, atque inuicta perstiterit; ac relictis suis omnibus Christum se sequi Christianus ostenderit, ipse quoque à Christo inter Martyres honoratur.* Cyprian. Hæc ibi Cyprianus, & pænè similia epist. 6. ad Martyres, & Confessores.

Hæc vt generaliter ad omnes Christi discipulos spectent, signatissimè verò ad eos qui in altissimo religionis statu ipsi famulantur, pertinere dixeris: de eo siquidem absolutè affirmauit S. Ioann. Climac. gradu 4. esse *bellum spiritualis martyrij*; & rectè omnino, quid enim martyrium, nisi separatio animæ à corpore; siue corporis occisio, aut capitis detruncatio fuerit? 8. S. Ioan. Clim. At vel de sola obedientia dixit S. Bonauentura, *Palma triumphalis est, & nobile genus martyrij, quæ decollat propriæ voluntatis caput.* S. Bonau. Sed enim cùm crucem diffiniens Clemens Alexandrin. lib. 2. stromatum, nihil aliud esse affirmauerit, quàm *soluere, abducere, & segregare animam*

animam à corpore; tam Martyrium, quàm Religionem descripsisse videtur: hanc etenim cum cruce latè componit Cassian. lib. 4. de instit. renunciant.
Cassian. cap. 36. Religiosos sic admonens: *Eo ergo habitu, ac figura, quo pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est, in hac vita degere, vt scilicet secundum Dauid affigentes de timore Domini carnes nostras, vniuersas voluntates, ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa.* Ita ibi, & cap. 37. *Crux nostra timor Domini est. Sicut enim crucifixus quis iam non pro animi sui motu membra sua quoquam mouendi, vel conuertendi habet potestatem, ita & nos voluntates nostras, ac desideria non secundùm id, quod nobis suaue est, ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quò illa nos constrinxerit applicare debemus.* Hæc & plura Cassianus. Ergo iure dixerint religiosi cum Gregor. Magno homil. 3. in Euang.
Greg. Magn. *Quamuis occasio Martyrij desit, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia & si carnis colla ferro non subijcimus, spiritali tamen gladio carnalia desideria in mente trucidamus*; huc enim sæculi contemptus, terrenis rebus, necnon carni & sanguini nuncius missus, religiosa disciplina, emissa vota, regulæ, subiectio, humiliatio, & quidquid in religione est, eunt.

9. At quidem nec illud omittendum; non martyria solùm strenuorum militum, sed negationes etiam ignauorum in pace inueniri: eorum scilicet, *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (ad Tit. c. 1. 16.) de quibus citato loco Ambros. cùm
ad Tit. 1. 16. Ambr. dixisset: *Quis enim locupletior testis est, quam qui confitetur Dominum Iesum in carne venisse, cum Euangelij præcepta custodit*; subiiciebat: *Nam qui audit, & non facit, negat Christum, & si verbo fatetur, operibus negat. Quanti ergo in occultis quotidie Martyres Christi sunt, & Iesum confitentur. Quanti foris confessi sunt, & intus negauerunt.* Sed ad religiosos à recto religiosæ disciplinæ tramite desciscentes pedémque referentes, id sic notanter retulit S. Augustinus sermone 60. ad fra-
August. tres in eremo, qui etiam habetur inter homilias Cæsarij Arelatensis homil. 45. tom. 2. Biblioth. veterum Patrum: *Si ergo sunt martyria in pacis tempore, sunt & negationes. Nemo ergo dicat non esse martyrium: & martyrium est, & negatio est. Ego hodie, qui videor esse monachus, si rupero propositum meum, Christum negaui. Et si in pace Christum nego, in persecutione quid facerem? Si dum non torqueor, nec exuror, denego; si torquerer, & exurerer, quid facerem?* & statim facta argumentatione ab eo, qui vi tormentorum fidem negauit, negantem in pace sic vrget. *Quid enim dicis? volui pugnare, caro mea in colluctatione defecit, non cessit animus, sed cessit corpus. Aliud mens cogitabat, aliud corpus compellebat. Et tamen non habet excusationem. Nulla enim est plaga, quæ debeat ab amore Christi separare. Quid enim tibi dicit? Hoc est, in incendio eras, in equuleo pendebas, pro me torquebaris, & dicis: Non potui sustinere tormenta, & quomodo sustinuit Petrus, quomodo Paulus, quomodo cæteri Martyres sustinuerunt, & habuerunt corpus quale & tu habes? O monache, qui ieiunium fugis, putas ignem effugere?* Hæc & multo plura in hanc rem Augustinus. Quo maximè faciunt, quòd mœchiæ peccatum suggillans, malo tamen ductus spiritu dicebat Tertullianus:
Tertull. *Quæ iustior venia in omnibus causis, quam voluntarius, an quam inuitus peccator implorat? Nemo volens negare compellitur, nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est nisi ipsa, nescit, quodlibet cogi. Negationem porrò quanta compellunt ingenia carnificis, & genera pœnarum? Quis magis negauit qui Christum vexatus, an qui delectatus amisit? qui cum auerteret, doluit, an qui cùm amitteret, lusit? Et tamen illæ cicatrices Christiano prœlio insculptæ, & vtique inuidiosæ apud Christum, quia vicisse cupierunt, & sic quoque gloriosæ, quia non vincendo cesserunt. In quas adhuc & diabolus ipse suspirat cum sua infelicitate, sed casta cum pœnitentia merente, sed non erubescente ad Dominum de venia. Denuo dimittitur eis, quia piacularitet negauerunt solis illis caro infirma est. At qui nulla tam fortis caro, quam quæ spiritum elidit.* Hæc Tertull. Sed enim vt mitiora, ita multo aptiora sunt, quæ Bernard. sermone de S. Clemente PP. & Martyre ab hoc non longè abiens, sic dicebat:
Vt quid ergo non possumus, & nos cum B. Clemente Bernard.
Christi bibere calicem? sed fortè respondent aliqui, Possemus, si opportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessauit. At ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punctioni acus vnius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? in minimis probate conflictibus, quam viriliter in maiori certamine stare possitis. Ecce enim vobis non dicitur, Sacrificate idolis, & viuite, aut si hoc non vultis, oportet vos diuersis supplicijs interire. Nouit Dominus figmentum nostrum, *nec dat nobis tam fortè certamen. Beato Clementi* certamen forte dedit, vt vinceret, & disceret, quoniam omnium potentior est sapientia. *Vestrum autem certamen quale est fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris, frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius; infirmitatem simula, responde ei qui fortè durius locutus est, vt satisfacias desiderio tuo. Nec dicitur cuiquam: Nisi hæc feceris, morieris, sed vt multum, cum difficultate & labore resistes tuo* &c. Et statim: *Si ergo in huiusmodi certamine periclitamur si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam graui certamine faceremus? Si iuncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret?* Hæc pulchrè Bernard. A quibus non longiùs iuerint, quæ sic dixit Hieronym. epist. 22. ad fin.
Si cibus insulsior fuerit, contristamur, & putamus nos Hieronym.
Deo aliquod præstare beneficium, cùm aquatius vinum bibimus. Calix frangitur, mensa subuertitur, verbera resonant. & aqua tepidior sanguine vindicatur. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Nisi vim feceris, cœlorum regna non capies.* Sic Hieronymus.

VERSUS XIX. & XX.

Spero autem in Domino Iesu, Timotheum me cito mittere ad vos, vt & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt.

Neminem enim habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.

VIDETVR (quod obseruat Theophylact.) mutuum sibi à Philippensibus officium rependi, vt qui eos de suis rebus in superioribus certiores fecerat; modò de eorum profectu perquirat, & ab eis rationem petat, vt qui 1.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

discipulos bona spe aluerat, atque firmauerat, lætis de eorum virtute, felicique Euangelicæ prædicationis successu nunciis animetur, ac reficiatur; sic enim Theophylactus: *Confido enim, inquit, in Domino, quemadmodum ex meis his literis perdidicistis, quæ mecum gerantur, atque prouectum sit Euangelium Christi, & aduersariorum facta omnia contra eorum opinionem processerint, sic ipse bono animo sim futurus, consolarique vos in posterum queam, cùm certior fuerim per Timotheum ad me redeuntem effectus, quemadmodum & vobiscum agatur.*

Theophyl.

Spero autem in Domino Iesu, &c.

2. Anselm. ANselmus: *Hanc quidem epistolam mitto vobis per Epaphroditum, sed spero non in me,* sed in Domino Iesu, *id est, in misericordia Saluatoris.*

Chrysost. vbi bene obseruat Chrysostomus, Apostolum non grauiora solùm, sed minora etiam, velut Timothei missionem ad Deum referre, ostendens se totum à diuina prouidentia pendere, omnésque spes suas in vno Deo collocasse. *Vide autem* (inquit ille) *quàm omnia ad Christum referat, & ipsam quoque Timothei missionem ita dicens:* Spero autem in Domino Iesu, *id est, confido, vt hoc mihi Deus gratificetur, idque mihi ex sententia succedat.* Ita Chrysostom. cuius vestigia sic premit S.Thomas,

S.Thom. *Notandum est, quod Apostolus sic habuit fiduciam in Deo, quod etiam minima attribuebat Deo,* 2.Corinth.3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Sic ille. Nec minus ad

Primas. rem Primasius dum ait, *Dat exemplum non timere; sed omnia sub spe Domini promittenda.* sed de hoc in adnotat. Cur verò Iesum Paulus signatè Dominum appellet, & de huius locutionis vi, & efficacitate, vide dicta cap.1. vers.2. à num.26. & cap.2. vers.10. à num.52.

Vt & ego bono animo sim.

3. QVi Paulum spe summa, & consecrata sperare audiat; & vt ea mentem sustentet, bonóque animo,

Græc. lect. Græcè εὐψυχῶ, *læto, munito, præsenti, ac forti,* sit, Timotheum velle mittere, de sua salute, & vinculorum, quibus erat constrictus, liberatione sermonem instituere crediderit: at subiicit ipse, *cognitis, quæ circa vos sunt:* nimirum plus suos, quàm se amabat, atque ideo de ipsorum statu atque profectu, magis quàm de sua incolumitate erat sollicitus: & verò, vt de Philippensium rebus nuper, ex Epaphrodito certior factus esset, vix sibi satisfacere poterat, quin denuo eas

Iustin. singillatim recognosceret, vbi scitè obseruat Iustinianus amantium ingenium, qui morosi quodammodo sint; nec vnquam sibi satisfaciant. Componit verò Chrysostomus hæc verba cum

1 ad Thess. 2. 17. illis 1. ad Thessalon. cap. 2. 17. *Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu, non corde abundantius festinauimus faciem vestram videre cum multo desiderio. Quoniam voluimus venire ad vos; ego quidem Paulus & semel, & iterum, sed impediuit nos Satanas, &c. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra;* vt indicet Pauli consuetudinem, & de discipulorum profectu, & salute curam.

Chrysost. *Quando enim ipse* (inquit ille) *adesse non poterat, discipulos mittebat: ita res illorum sibi ignotas esse, ne ad breue quidem tempus ferre poterat;* & post nonnulla: *Non enim hoc solo ostenditur charitas, quod sua nunciat, sed etiam quod de illorum statu cupit cognoscere. Hoc enim animæ est valde curantis, & satagentis, & in perpetua quadam sollicitudine versantis.* Hæc Chrysostomus. & eodem pænè modo ad sequentia verba

Theoph. Theophylactus, *Animerte quàm diligenter hæc prospiceret Philippensibus, quandoquidem si ei non ad eos concedere licuisset, alios transmittebat, ne vllo tempore vacaret, quin ad fidem erudirentur.* Ita ille. Quò eunt pulchra hæc Ambrosij verba serm. 28.

Ambros. *Hic enim affectus paternæ pietatis est, vt de absentibus liberis non tam certa spe gaudeat, quàm sollicita cogitatione desperet: & simul ac eos videre desierit, amare plus nouerit, ac per hoc intelligimus, quòd amor inter præsentes gratus sit, inter absentes molestus.* Hæc Ambrosius.

Quòd si inquiras, cur Apostolus, qui frequens scholæ paradisi auditor, & cuius conuersatio in cœlis erat omnia, quæ ad discipulos spectabant, inde non edisceret? primò re- 4.

OEcumen. spondet OEcumenius in præfatum locum ad Thessalonicenses; diuino consilio id fuisse dispositum, ne (quod alibi idemmet Paulus dixit) magnitudine reuelationum extolleretur. Quò possis ducere, quæ dixit Hieronymus in quæst.

Hieronym. ad Damas. quæst. 3. *Nullus homo, excepto eo, qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam, & certissimam veritatem. Denique Paulus ex parte cognoscit, & ex parte prophetat, & nunc per speculum videt, & in ænigmate. Quia cum venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est destruetur.* Deinde aliam affert idem-

OEcumen. met OEcumenius rationem, ne homines Paulum; aliósve Apostolos maiores quàm reapse essent, aut humanam excedentes naturam existi-

Act. 14. 10. marent, vt Actuum 14. 10. tam Paulus, quàm Barnabas dij crediti, & habiti sunt. Vt bene tamen hæc dicantur, opportuniùs, crediderim, respondisse hoc loco Chrysostomum, ea potissimum de causa Paulum omnia quæ agerent eius discipuli diuinitus non cognouisse, ne illi omnia peccata sua Magistro manifesta esse cognoscentes frontem perfricarent, & impudentes redderentur. Audi illum, *Non enim spiritu omnia cognoscebat, idque iure fiebat. Etenim si hoc sibi discipuli persuasissent, impudentes facti essent; tunc autem cùm sperarent latere, faciliùs corrigebantur.* Vt hinc videris nonnulla ex subditorum erratis dissimulanda à Prælatis esse; & in castigationibus, quibus dedecus, & ignominia inest minutatim, nec vno ictu puniendum, siue vt faciliùs corrigant, siue, vt plus puniant; quippe subditus, qui nouit nihil boni de ipso Prælatum suum sperare, impunis quodammodo deinceps fuerit, & supplicio minimè obnoxius; non secus, ac qui adamantinum corpus ad excipiendas plagas haberet: sunt hæc hausta ex Seneca, lib. 1. de Clementia, cap. 22. sic

Senec. monente: *Ipsos faciliùs emendabis minore pœna; diligentiùs enim viuit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditæ parcit, impunitatis genus est, iam non habere pœnæ locum.* Sic Senec. sed de hoc alibi.

Cognitis, quæ circa vos.

5. Chrysost. CHrysostomus, *His verbis ostendit, gaudere illos debuisse de vinculis, eáque subsequi. Multum enim sibi voluptatis attulisse. Nam illud,* Vt & ego bono animo sim, *hoc significat quemadmodum vos.* Sed generalior, opinor, Pauli sermo est ad omnium

omnium Philippensium rerum cognitionem spectans.

Tam vnanimem.

6. Græca lect. EGregia Timothei laus, vnanimem cum diuino Paulo esse: Græcè quidem dixit ipse *ἰσόψυχον, pari animo præditum*: supple erga vos, qui videlicet tam vna mecum vestrum profectum optet, & procuret. Sic è Patribus plures: Chrysostomus, Chrysost. *Qui æquè, atque ego vos amat: Timotheus est. Erant autem & alij, quos mitterem, sed nemo talis est. Ergo hoc est, vnanimem esse, discipulos esse item, atque ipse amare.* Theophylact. Theophyl. *Poteram, inquit, vel alium quempiam ad vos ipse transmittere, sed nullus erat vt iste mihi vnanimis, hoc est, animo meo conformis, qui parem curam vestris in rebus non secus, ac ipse ego præstaret.* Anselm. Anselm. *Neminem, inquit, modo mecum habeo tam vnanimem, id est, ita concordantem meæ voluntati in hoc negotio.* Hæc verior, atque simplicior huius locutionis explicatio est. Non tamen ideo contemni omnino illa debet, quæ de mutua iudiciorum, & voluntatum consensione, qua Paulus, & Timotheus iuxta veræ charitatis leges præditi essent, à nonnullis affertur, & Cornelio probatur. Cornel. nam & prædictam includit, & veram insuper charitatem quæ inter vtrumque intercedebat, apprimè explicat. Et verò Primasius de eadem sollicitudine in animarum salute procuranda generaliter sic accepit. Primas. *Qui ita mecum pro omnium salute sollicitus sit.*

Sincera affectione.

7. Græc. lect. Augusl. GRæcè *γνησίως* Germanè, legitimè non adulterinè, vti legit August. epist. 137. ad fin. sic hæc efferens. *Neminem hab.... qui germanè de vobis sollicitus sit*: aliter omnino ac illi de quibus cap. 1. vers. 17. Sanè *γνήσιος* (quod duplici puto quasi *γὸν[...]*) est, originem habens legitimam, siue minimè spurius; sic aquila dicitur germana; id est, vera, & incorruptæ originis sumitur etiam pro *non fucatus, non fictus*: atque ita hîc capit Anselm. Anselm. explicans, *sincera, id est pura, & non ficta cordis affectione, id est, germana charitate*, vnde quod etiam adnotauit Guilielm. Estius, congruit hic locus Estius. illi 1. ad Timoth. 1. 2. 1. ad Tim. 1. 2. *Timotheo dilecto filio*: vbi Græcè etiam est *γνησίῳ*, id est, vt Ambrosius, & alij Ambr. legunt *Germano*: siue, vt Syrus interpres, *vero* hoc Lect. Syriac. est, non adulterino, aut degeneri, qui patrem videlicet spiritualem Paulum fide, & moribus, vt ibi inquit Cornelius refert. Quo maximè pertinet Cornel. Chrysostomi & Theophilacti explicatio, qui sinceram affectionem pro paterna sumunt. Alius ergo Timotheus non modò ab illis, de quibus cap. 1. vers. 17. dixerat, ad Philip. 1. 17. *Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincerè*, sed ab iis Chrysost. Theoph. etiam, qui inibi Christum ex charitate prædicabant, vt enim in Euangelio Romæ disseminando non indiligentes, nec insinceri essent; at suis rebus, & commoditati plus iusto videbantur addicti, vt ad vers. sequent. ex Patribus videbimus, & ad hunc locum monent Anselm. & Primasius. Quorum prior, Anselm. Primas. *Multi enim videntur esse sollicitii pro alijs sed re vera non pro ipsis solliciti sunt, sed pro rebus ipsorum, quas habere cupiunt.* Primasius verò: *Non enim in Ecclesia Christi tunc præter Paulum Apostolum, & Timotheum erat, qui germanè de grege sollicitus esset, sed contigerat, vt tempore, quo Timotheum misit, circa se alium de filijs non haberet, sed mercenarij cum illo essent, id est, sua quærentes.*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. Tom. 2.

Hæc ille ab Augustino (vt assolet) tractat. 48. in Ioannem, sed pergit hic, & egregiam Pauli charitatem mirè expendit; qui vt ad discipulos filium germanè de grege sollicitum mitteret, ipse inter mercenarios remanere non dubitauit. Adeo non sua, adeò quæ aliorum erant, quærebat; adeò suam quietem, & iucunditatem, vt num. 3. vidimus in discipulorum salute, & incolumitate collocabat. Sed suscipe totum Augustini locum: August. *Inter mercenarios pastor ingemuit, quæsiuit aliquem qui sinceriter diligeret gregem Christi, & circa se in eis, qui cum illo eo tempore fuerant, non inuenit. Non enim in Ecclesia Christi tunc præter Paulum Apostolum, & Timotheum erat, qui germanè de grege sollicitus esset, sed contigerat, vt illo tempore quo Timotheum misit, circa se alium de filijs non haberet, sed soli mercenarij cum illo essent, sua quærentes, non quæ Iesu Christi, & tamen ipse germanè de grege sollicitus maluit, filium mittere, & inter mercenarios remanere.* Hactenus Augustinus.

Pro vobis sollicitus sit.

CVm Græcè scripserit Paulus, *τὰ περὶ ὑμῶν μεριμνήσει*, id est, *quæ circa vos sunt* (siue *res vestras*) *curabit*, suspicantur nonnulli, quos ego inter bonos, ac venerabiles auctores numerare non soleo, annectenda hæc esse præcedentis versus verbis, *spero autem*, &c. hoc modo. *Spero me Timotheum citò missurum ad vos, qui cum venerit, sincerè ea quæ ad vos pertinet curabit.* & quæ intercedunt verba parenthesi claudenda; quòd aliter futurum illud *curabit* duriùs præcedentibus hæreat: nec Paulo hyperbatis vti sit infrequens. Verum enim verò id vel de apicibus digladiari, vel in scirpo nodum, siue patente via semitam quærere, vel Paulini sensus gustum plenè non cepisse, vel ipsum hyperbatis turbare, vel, quod grauius est, à Vulgati dispunctione, & sensu, grammatico ingenio discedere, aut, vt leuissimè dicam, extra chorum saltare, velle (eorum pace dixerim) fuerit. 8.

Ad ea verba, *Spero in Domino Iesu.*

ADNOTATIO I.

Vni Deo fidendum, atque in ipso spes omnes fundandas esse.

DIGNA Paulo hæc vox fuerit: *Spero autem in Domino Iesu.* Cui enim nisi Deo Paulus fideret? quid enim humanæ res, mortaliáque præsidia fuerint, vt illis Paulus suas funderet spes? Magnus paruis, verus inanibus, & fallacibus; cœlestis, ac pænè diuinus terrenis, atque caducis rebus niteretur? Sanè hæc veri hominis natura, hæc proborum hominum in libro Dei conscriptorum series, hæc virtutis conditio & lex est, in vno Deo sperare ab eo omnino pendere: vnde notanter de Enos, qui, vt ab aliquibus, *afflictus, ærumnosus*, ita à Philone lib. *quòd deterius potiori insidietur*, interpretatur, *Spes*, Genesis 4. 26. dixit Moyses, *Hic cœpit inuocare nomen Domini*; vbi LXX. habent, *Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei*; statim verò subiicit: *Hic est liber generationis* 1. Gen. 4. 26. LXX.

LXX. *Adam*, siue, vt reponunt LXX. *Hic est liber generationis hominum.* quasi à benè sperante filiorum Dei series ordóque texatur, hæc omnia hunc in modum expendente citato loco Philone: *Hic primus sperauit inuocare nomen Domini Dei. Rectè. Vero enim homini, quid magis potest esse proprium, quam spes, & expectatio possessionis bonorum accipiendorum a solo munificentissimo Deo. quod genus solum si vera fateri volumus, propriè hominum est, tanquam hi qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur. Ideo cùm dixisset de Enos:* Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei; *disertè infert:* Hic est liber generationis hominum proborum; *Scriptum est enim in Dei libro; solum bene sperantem esse hominem.* Hæc Philo. (Philon.)

2. His, dum ea non omnino penetrauerint, neque introspexerint, facile nostri homines assentientur; immò in illis Philonis verbis, *Tanquam hi, qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur*; mussabunt, atque inquirent; ecquis adeò amens & barbarus fuerit qui in Deo sperare nolit? sed si hosce de hac spe ego priùs monuerim, & quid tandem sit sperare in Deum commonstrauerim, non paucos fore qui in Deum non sperent, haud facilè ostendero. Sanè in Deum sperare siue Deo credere, nihil aliud fuerit, quàm in vno Deo spes omnes, omnia vota, omnésque curas collocasse, ei omnino se probare, & ipsius præceptis hærendo, illius curæ, ac prouidentiæ se committere, & ab eo vno omnem felicitatem expectare, id sic monente Bernardo serm. 9. in Psalm. *Qui habitat*; dum ea Vatis verba, *Quoniam tu es Domine spes mea*, in omnem partem versat, & sibi aptat. *Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum*, tu es Domine spes mea. *Hæc vna mihi omnium promissionum causa; hæc tota ratio meæ expectationis.* Audis ne? ergo eos omnes in Deum non sperare dixeris, qui in res humanas ardentiùs sperant, & de mortalibus ac caducis bonis, tanquam de immortalibus, & æternum duraturis, iudicantes quietem in illis suam, iucunditatem, & beatitudinem statuunt, atque fundant; (vt omittam quæ passim occurrunt monstra, nulla virtute redempta; à vitiis ægra, solàque libidine fortia:) quorum videlicet, *numerus*, Salomone auctore, *infinitus* est, Ecclesiastes 1. vers. 15. Sed hæc omnia ab eodem Philone alio in loco decerpta sunt: nam dum ipse libro de Abraham magnum hunc Patriarcham inde maximè commendat, quod Deo crediderit inquiens: *Extat in sacris literis præclarum Abrahami elogium testatum Mosis oraculo; dicitur enim,* credidisse Deo. *Id vt est dictu breuissimum; ita factu maximum est. Cui enim præter Deum credere, aut iustum, aut tutum est? an principatui? an gloriæ? an diuitijs, & nobilitati? an corporis bonis?* Deo credere siue fidem habere, idem esse, ac mundi rebus non credere, nec spem in illis collocare, atque è contra, illis rebus credere perinde censeri, ac Deo non credere, sic post modum adstruit. *At verò qui per virtutum contemplationem, & exercitationem ad Deum properant, rectum, & tutum iter tenent, vt nihil verius dici possit, quam quisquis illis rebus credit, eum Deo non credere; contra qui Deo credit, minimè illis credere.* Hæc ille, quæ Basil. orat. 20. quæ est de principatu, sic probat, atque confirmat: *Sicut nulli alij nos præter quàm soli Deo cultum tribuere, par est; sic etiam neque vlla in alia re spem nostram constituere debemus, quam in Deo omnium rerum Domino. Qui enim in homine spem suam collocat, aut qui ob aliud quidaam ex rebus humanis se iactat, veluti ob potestatem, aut pecunias; aut aliquid eorum, quæ vulgo splendida existimantur, is non potest dicere, Domine Deus meus in te defixi spem meam.* Sic Basilius. Qua mente imbutus Dauid Psalm. 9. 37. dicebat: *Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Nec credideris de iis solùm pauperibus, aut orphanis esse sermonem, quos ad eas angustias aduersa, siue insidiosa fortuna reduxit, sed de illis etiam, qui vt à Dei prouidentia vndequaque dependerent, sæcularibus rebus, atque præsidiis renunciarunt. Vnde inibi August. *Ideo enim pauper est, id est, omnia huius mundi temporalia bona contempsit, vt tu sis tantùm spes eius.* Pupillò tu eris adiutor: *Id est ei cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus est, & iam potest dicere,* Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. *Talibus enim pupillis pater sit Deus. Docet quippe Deus pupillos fieri discipulos suos, quibus dicit,* Ne vobis dicatis patrem in terris. Ita ibi, & serm. 110. de tempore. *Et quæ nobis alia spes est? si non sumus illi derelicti, qui nos non derelinquit. Discite ergo esse pauperes, & Deo relinqui, ô compauperes mei.* Hæc & alia Augustinus.

(Bernard. Psal. 90.9. — Eccles. 1. 15. — Philo. — Basil. — Psal. 9. 36. — August.)

Sed enim vtriusque iam spei fundamenta, simúlque fructum, atque exitum videamus, nec ab alio commodius id quàm à Paulo Timoth. epist. 1. cap. 6. 17. præscribente. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Pulcherrimè vtrumque: diuitiis nimirum ac rebus sæculi, incertitudinem, cui nemo prudens innitatur; Deo verò vitam omnis vitæ fontem, cui nemo non possit non fidere, notanter assignans. Sed expende singula verba: *Nec sperare*, inquit, *in incertum diuitiarum*; scitè, vt ab se retrahat incertitudinem obiiciens; quis enim rei ancipiti, aut fluxæ; siue malo nomini fidat. Vnde Chrysost. ad ea verba: *Quid in eo speras, quod repentè transfertur? id quippe diuitiæ sunt: quid in illis spem ponis, quibus confidere omnino non potes?* Similiter Anselm. *Nam si incerta diuitiarum prudenter attenderet, nunquam superbires, semper timeres, & tanto esses sollicitior etiam secundùm hanc vitam. Multi enim pauperes in istis sæculi perturbationibus securiores fuere. Multi autem propter suas diuitias quæsiti, & comprehensi, atque cruciati, vel interfecti sunt. Multi erant heri diuites, & venientibus latronibus, atque cuncta auferentibus euigilant pauperes.* Nec dissidet à Pauli sensu Seneca epist. 15. dum ait: *Discedant aliquando ista insidiosa bona, & sperantibus meliora quam assecutis*; meliora sperantibus, ergo pessima in spem: quando non modò in ipsis locum habet illud, *spem mentita seges*; sed spem ipsam dolor & labor insidiosè excipiunt: vnde idemmet epist. 4. *Noli huic tranquillitati confidere; momento mare vertitur, eodem die vbi lusêrunt nauigia sorbentur.* Nec minorem energiam habet, quod subiicit Paulus: *Sed in Deo viuo*, quæsita voce *viuus* vsus; vt ad sperandum Deo incitaret, & inanibus, fragilibus, fallacibus, immò verò mortuis sæcularium bonorum idolis Deum viuum, vigentem, stantem, fortem, æternum manentem iusta antithesi opponeret: non secus ac Ieremias, vt Dominum à falsis, ac fabulosis discriminaret, capite 14. 22. dicebat. *Nunquid sunt in sculptilibus gen*

(3. — 1. ad Timoth. 6.17. — Chrysost. — Seneca. — Ierem. 14. 22.)

gentium qui pluant? aut cœli possunt dare imbres? nonne tu es Dominus Deus noster, quem expectauimus? ac si diceret: A quo nisi ab vno Domino salutem, aut incolumitatem sperabimus? an à gentium idolis, aut à signis, quæ in cœlo sunt; at hæc grandinem, & turbinem, quibus omnia perdant, dare possunt, & reapse dant, salutarem verò imbrem emittere, aut humanis vsibus prouidere non possunt. Quæ omnia ob oculos habens Bern. serm. 9.

Bernard. in Psalm. *Qui habitat*; aurea hæc verba fundebat: *Vt quid enim si hæc sapimus, vt quid cunctamur abiicere omnino spes miseras, vanas, inutiles seductorias: & huic vnitam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei tota deuotione animi, toto feruore spiritus inhærere? Si quid illi impossibile: si quid illi difficile est, quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen huiusmodi dictum intelligas volo. Si decreuerit saluare nos, continuò liberabimur; si viuificare placuerit, vita in voluntate eius est. Si præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere.* Sic ille.

4 Ad Rom. 4. 18. & 22. Hinc Paulus ad Roman. 4. 18. cùm egregiam Abrahami fidem commendans dixisset: *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium. Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, &c. plenissimè sciens, quia quæcumque promisit potens est, & facere.* notanter subdit. *Ideo & reputatum est ei ad iustitiam*: vbi si ambigas cur fidem non ad virtutem, aut sanctitatem, seu quid illi propiùs quadrat, ad religionem, pietatémque reiecerit; sed iustitiæ opus, quæ cuique suum tribuit, esse dixerit? rectè respondet Philo lib. Quis rerum diuinarum sit hæres; premens similia Genesis verba, nihil adeò iustitiæ consentaneum esse, quàm Deo fidem habere, quòd in eo solùm firmum, certúmque sit præsidium, quippe qui viuus, ac verus Deus est, vt sperantibus in se omnem opem, & auxilium afferat.

Philo. Audi illum: *Illud quoque benè additur, imputatam ei fidem ad iustitiam. Nihil enim tam iustum, quam fide sincera Deo credere. Id quamuis iustum, & naturæ consentaneum, mirum videtur propter vulgus incredulum, quos arguens sacra Scriptura dicit, in solo Deo firmum esse, certúmque præsidium, quantumlibet hoc mirentur homines verorum bonorum expertes, alioqui re vera non mirabile. Est autem opus iustitiæ proprium.* Hæc & alia postmodum afferenda, ibi Philo. Cui denuo rationi innixus Bernard. serm. 15. in Psalm. *Qui habitat*; animosè monet.

Bernard. *Quemcumque locum occupauerit pes vester, vester erit: pes vester vtique spes vestra est, & quantumcumque illa processerit obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, vt firma sit, & non titubet.* Sic ille.

5. Lect. Græc. Adhuc tamen premas, velim, epitheton *viuus*; quod Deo notanter in hanc rem appinxit Paulus. Nam Græcam vocem propriè verteris *viuens*; quasi actu vitam hauriens. Quod quidem plus nescio quid emphasis habere videtur, quàm vox *viuus*. Etenim, si meministi, tunc Deus actu viuere, & vitalem spiritum (humano loquimur more) trahere signatè dicitur, cùm creaturis suis vitam spirat, & beneficia sua in homines indesinenter distribuit: vide dicta cap. 1. vers. 2. adnotat 2. à numer. 1. Quare in Deo viuente sperare id fuerit omnino, ac in eo spem reponere; qui non modò totus ad benefaciendum pronus, & ad suorum spes implendas propensus est; sed etiam qui cùm benefacit, & *replet in bonis desiderium nostrum*; suammet vitam haurire quodammodo videtur. Confides ergo ei magno iure? sperabis in eo optimo merito? Audi iam citato loco Bernardum post præfata verba hæc subiicientem: *An verò de facultate tam non dubitas, sed ipsa est tibi suspecta voluntas? Planè & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis.* Bernard. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Ioan. 15. 13. *Denique quando in se sperantes deseri illa maiestas, quæ tam studiosè monet, in se sperari? Planè non derelinquit sperantes in se.* Adiuuabit, *ait*, & eruet eos à peccatoribus, & saluauit eos. Psal. 36. 39. *Quare? Quibus meritis? Audi quod sequitur*: quia sperauerunt in eo. *Dulcis causa, attamen efficax; attamen irrefragabilis.* Hæc ille. Quibus innixus rationibus sic ipse, & inanes falsásque temporalium bonorum spes nauseabundus respuebat, & huic vni verè beatæ spei totus incumbebat. *Sperent in alijs alij, fortè hic in scientia litterarum, hic astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat.* Bernard. Propter te omnia detrimenta feci, & arbitror vt stercora, *quoniam tu es Domine spes mea. Speret qui vult* in incerto diuitiarum; *ego verò ne ipsa quidem, nisi abs te victui necessaria spero; nimirum verbo tuo confidens in quo abieci omnia.* Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & omnia adiicientur vobis, Matth. 6. 33. *nempe* tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Psalm 9. 37. *Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant aduersùs me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Fratres hoc sapere, ex fide viuere est.* Hæc Bernard. Apud quem obserua extrema hæc verba: *Hoc sapere, ex fide viuere est.* quibus vt sapientissimè & absolutissimè adstruit, egregium fidei opus esse, Deo credere, siue in eum tantummodo, & ab eo omne bonum sperare; ita æquè innuit, eos qui sæcularibus bonis inhærent, emortuam quodammodo habere fidem, & pro cœlesti cognatione, quam ex viua, veráque in Deum fide, & charitate contrahimus, cum brutis, & inanimatis rebus affinitatem habere. Sed vt hæc cogitatio vndique subsistat, audi rursus Philonem citato lib. *Quis rerum diuin. sit hæres*, id sic opportunè pertractantem dum Philo. præfata verba, *credidit Abraham Deo*, elucidare studet. *Ad laudem eius qui credidit, dicat fortasse aliquis; hoccine laude dignum iudicas? Quis Deo loquenti, pollicentique, fidem non adhiberet, etiam si esset impius, & omnium mortalium iniustissimus? Huic respondebimus, caue, caue ô præclare vir, ne temere aut illum sapientem fraudes suis laudibus, aut indignis perfectissimam virtutem, fidem tribuas, aut nostram super hac re incuses sententiam. Nam si penitus scrutari, non solum in superficie volueris, comperies, quàm difficile sit, credere soli Deo absque vllo testimonio propter cognitionem, quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent, vt credamus, fidamúsque gloriæ, principatui, amicis, sanitati, roborique corporis, & cæteris plurimis. Has persuasiones eludere, & diffidere creaturæ per se infidissimæ ac soli Deo fidere, qui solus verò fidus est res est animi magni, cœlestisque, non inescati vllis rebus nostratibus.* Hactenus Philo.

Ille verò pulcher, & in hanc rem eo magis 6.
opportunus, quò plus plus expenditur. Dauidis locus est Psalm. 54. 25. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Psal. 54. 25. Sed pende singula, & primùm verbum *iacta*, quod peculiarem vim, atque conatum ad aliquid à nobis proiiciendum significat, sic enim iactum lapidis dicimus, cùm illum in distantem locum toto impetu iacimus: deinde obserua, *curam* ibi à Vate, non pro hac, aut

aut illa, sed pro omni cura; cunctisque rebus siue ad corpus, siue ad animum spectantibus, poni: vnde Rabb. David Hebræam vocem pro *dono*, siue *donis* capiens, sic legens simulatque explicat: *Proyce super Dominum quod dedit tibi ipse, et ipse in h mediem.* Breuius verò, ac explicatius Rabb. Salomon reponit, *Iacta super Dominum te ipsum*; ac si dicatur, sine vt Deus pro libito te ferat, atque gubernet. Iam egregiæ huic in Deo defixæ spei vide quid ex mente Psaltis respondeat *ipse* (inquit in primis) *enutriet.* quam quidem phrasim dum optimè ad matrem infantem suum lactantem, & enutrientem accommodas, ex illa summam hominis de rebus suis incuriam, quòd Deo se totum credens, atque committens ab illius prouidentia omnino dependeat; summámque Dei curam in illo seruando, tutando, & bonis omnibus cohonestando elicies; quid enim lactente infantulo, minus sollicitum: quid matre lactante de illo maiori studio, & prouidentia inuigilans, fuerit? ita quidem dicebat Augustin. lib. 1. soliloquior. cap. 15. *Constanter Deo crede, eique te totum committe quantum potes. Noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate, sed eius clementissimi Domini te seruum esse profitere: ita enim te ad se sublimare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.* Quare notanter subdit Vates, *Non dabit in æternum fluctuationem iusto.* optimum spei iusti exitum, firmissimumque illius præsidium, quod nullo modo conuelli, disrumpíque possit: sumpta metaphora à *sacra* (vt est in prouerbio) & validissima *anchora* quæ nulla vi potest abrumpi; ac proinde ipsi innixa nauis tutissimè consistit, nec hac, nec illac fluctuat, scitè indicans. Quam sanè imaginem sic probauit Apostolus ad Hebræos 6.19. *Volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* quæ extrema verba sic capio, vt spes nostra tamquam validissima anchora non terræ, aut cœlo, sed ipsimet Deo viuo, & vero, æternúmque immutabili innitatur; vt eadem ac illa sententia sit: *Non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* Cui videtur intentus Paulinus in Natal. 2. de S. Felice, inquiens:

In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

Ad quem etiam modum alibi dicebat David, *Dixi Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus sperabo in eum.* vbi lectio Tigurina pro, *sperabo in eum*, habet, *Domino meo*. Quid iam certius? tutius? quare rursus præfato loco Philo: *Sola igitur fides, quia creditur Deo, solum est, certúmque bonum, vitæ solatium, bonæ spei supplementum, depulsio malorum calamitatum, felicitatum conciliatrix, ablegatio superstitionis, pietatis assertio, posteritatis hæreditas, prosperitas demum in rebus omnibus Deo fidere vniuersorum autore, qui potest omnia, vult tantum optima.* Ita ille.

7. Hunc Sapiens Eccles. 33. 3. ait: *Homo sensatus credit legi Dei, & lex Dei fidelis illi*; vbi accurata locutione non dixit, homo iustus, siue pius, sed potiùs *sensatus*, quòd Deo credere, siue confidere, ad prudentiam, & sensum maximè pertineat; quis namque mediocriter prudens, siue cordatus tam firmo, & inexpugnabili præsidio securus non fidat; & huic sacræ, & validissimæ, potius quàm vulgari cuipiam anchoræ innitatur? Sed cur Sapiens maluit dicere *credit legi Dei*, quàm Deo? Sanè vt innueret sæpe sæpius homini suas spes ad Dei placitum nutúmque ducenti, ab eoque quidquid honoris, & incolumitatis est, speranti, diuina præcepta, vindictæ, cupiditati, aliisque affectionibus modum ponentia, ad speciem repugnare; quasi ille, qui in iis, quæ molitur, ad illa se componit, inglorius nonnumquam egens, & tristis euasurus sit. At enim sensati hominis prudentiam tunc maximè relucere, dum ipsimet Dei legi, quæ suis cupidinibus responsat, in spem contra spem credit, nihil periculi, siue incommodi ex illius obseruatione sibi metuens, ad eum modum quo dicebat Seneca epistola 66. *Ad omne pulchrum vir bonus sine vlla cunctatione procurret. Stet illic licet carnifex, stet tortor, atque ignis, perseuerabit, nec quid passurus, sed quid faciendus sit aspiciet: & se honestæ rei, tanquam bono viro credet. Vtilem illam sibi iudicabit, tutam, prosperam.* Cui quidem prudenti spei fideli, felicique exitu Dei legem respondere, affirmat Sapiens: nam nonnunquam qui honori, famæque suæ diuina lege contempta prospicit, famam ipsam honorémque amisit, qui diuitiis plus iusto studet, & illicitam exercet negotiationem: adeò non euadit locuples, vt nihil aliud fecisse, quàm fructus exhaurire, & patrimonium vexare videatur. *Quemadmodum enim* (inquit inibi Philo) *qui per lubricum incedunt, passim labuntur fallente vestigio, ita qui per corporis, & externa bona ducunt animum, sæpius cadere necesse est; quippe cùm sint decliuia, & lubrica.* Is verò, qui in diuina lege tanquam in speculo, se intuetur, illíque in iis omnibus, quæ molitur, se attemperat, nihil dispendij, sed plurimum potiùs emolumenti ex illa percipere solcat: *Non dabit enim in æternum fluctuationem iusto.* Quam ad rem benè à S. Nilo in Ascetico obseruatum est, Scripturam Madianitis tabernacula, mobilia scilicet, infirmáque tentoria, Hierusalem verò muros, firmáque mœnia adscribere. Nili verba hæc sunt: *Aptè dixit Scriptura Madianitas habere tabernacula; muros verò Hierusalem. Omnia enim quæ virtute circumdata sunt, firma sunt, & munita; quæ autem vitijs sunt circumscripta, tabernaculi speciem habent.* Sic ille.

Equidem vt Paulus sperans in Domino Iesu sacræ anchoræ innititur, nec fluctuationem patitur; ita quotquot sæculi rebus fidunt & vulgaribus nituntur anchoris, hac illac indesinenter fluctuare, variisque turbinibus agitari, atque abripi, necesse est: ita quidem sæcularium, auarorum scilicet, inuidorum, & voluptuariorum hominum typum ferens Cain egressus à facie Domini, æternum fluctuans inducitur Genes. 4. 16. his verbis: *Egressus Cain à facie Domini habitauit profugus ad Orientalem plagam Edem*: vbi lect. Tigurina habet; *ad Orientalem plagam delitiarum.* Quid verò ea in plaga, hoc est, in sæculi delitiis, atque diuitiis repererit, aperiunt LXX. pro his verbis reponentes: *Habitauit profugus in terra Nod*; sed obserua vocem *Nod*, siue *Naid*, à Hieronymo in traditionibus Hebraicis interpretari *fluctuationem*: ac proinde hunc locum commodè legi, *Habitauit in terra vagus, profugus, instabilis, & sedis incertæ.* Pulchrè verò, qui à Dei facie egreditur, & sæculi bonis confidit, in perpetua fluctuatione esse dicitur. Quò referas oppor

(Margin notes: Rab. Dauid. — Rab. Salom. — August. — ad Hebr. 6. 19. — Psalm. 90. 2. — Lect. Tig. — Philo. — Eccl. 33. 3. — Senec. — Philo. — S. Nilus. — 8. — Gen. 4. 16. — Lect. Tig. — LXX. — Hieronym. — Hebr. lect.)

opportuna hæc Gregorij verba lib. 22. Moral. cap. 2. *Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labentibus spei fiduciam velle collocare; stante enim Deo transeunt omnia; quid ergo est, ab stante fugere, nisi transeuntibus rebus inhærere?* En vulgi anchoras, quibus quo magis sis fultus, magis fluctuaberis. Sed audi hac de re Ethnicum Pythagoram apud Stobæum sermon. 1. de virtute. *Diuitiæ anchoræ sunt infirmæ, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores, omnia hæc imbecilla, & viribus destituta. Quæ ergo sunt anchoræ firmæ? Prudentia, magnanimitas, fortitudo, eas nulla tempestas agitat. Hæc Dei est lex, virtutem solam esse, quæ potens, solidáque sit, cætera omnia nugas & ineptias.* Hæc ille. *Pythagor.*

9. Sed preme egregiam illam Gregorij thesim: *Stante enim Deo transeunt omnia*, quasi hæc omnia, quæ præ manibus habemus bona, eo vsque sint certa, & solidi aliquid habeant, quò Deo inhærent; quod si ab illo deflectant, statim dilabantur, & ad nihilum tendant. Id quod firmare videtur Paulus dum ad Hebræos 1.3. de filio inquit: *Portans omnia verbo virtutis suæ*; emphatica locutione admirandam perpetuámque Dei gubernationem expendens: *Si quidem cadentia & ad nihilum tendentia* (Chrysost. homil. 2. in ep. ad Hebr.) *continet; non enim minus est, continere mundum, quàm fecisse.* Addit statim. *Sed si oporteat aliquid admirandum dicere, adhuc amplius est: nam in faciendo rerum quidem essentiæ productæ sunt, in continendo verò ea quæ facta sunt, ne ad nihilum redeant continentur.* Quòd si inquiras, cur amplius fuerit, continere hæc quàm fecisse, cùm æqualis omnino virtutis siue potentiæ, vtrumque esse videatur? respondebo, in prima rerum creatione ad Dei vocem omnia hilariter & lubenter pullulasse; & ad suam naturam, lucémque hauriendam nulla interposita mora gratanter aduenisse, ideóque simplici voce omnia producta, perfectáque dici; at enim cùm mortalium mortales fluxæque res sint, & suapte natura ad nihilum tendant, amplius aliquid (si humano loquamur more) esse quodammodo videtur, ea continere, & ab impetu, quo ad nihil ruunt, reuocare; quippe quæ sponte orta sunt; non sponte, sed quasi virtutis diuinæ vi illis illata subsistere videntur, vnde Anselmus ibi hanc phrasim *portans omnia*, sic explicat: *id est, sursum tenet, ne decidant, & in nihilum reuertatur.* Cui cogitationi non abs re aptaueris tum Græcum verbum, φέρων, quod ad ea frequentius vsurpatur, quæ impetu quodam aguntur & coërcentur, tum illud *virtutis suæ*, hoc est, potentiæ, fortitudinis roboris; id enim propriè significat Græca vox δύναμις. Nam cùm de prima rerum creatione à Dauide solummodo dicatur: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, Psalm. 36. 6. quòd vna tantùm vox, immò vnicus flatus eorum creationi satis fuerit, de conseruatione, atque gubernatione notanter inquit Paulus, *portans verbo virtutis suæ*, quasi egregium potentiæ, ac fortitudinis suæ specimen edat. Etenim dum hæc omnia fluxa, & labilia, & adinuicem pugnantia continentur, & sustentantur, maxima & admirabilis diuinæ virtutis vis declaratur. Vt iam videris, quid sit humanis rebus, & non Deo credere. *Stante enim Deo transeunt omnia; quid ergo est ab stante fugere, nisi transeuntibus rebus inhærere?* hoc est, *in aquis defluentibus fundamentum ponere*, & cum transeuntibus aduersùs Bernardi monitum transire: ipse enim ad Eugen. lib. 4. de considerat. aiebat, *Transitoria ista, quæ stare nullo pacto queunt, fac vt a te transeant, non per te.*

ad Hebr. 1.3. *Chrysost.* *Anselm.* *Lect. Græc.* *Psal. 36. 6.* *Bernard.*

10. Hæc aucto censu probauit, atque illustrauit Salomon Ecclesiastes 1. 8. cùm signatissimæ illi thesi firmandæ: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*; adiunxit: *Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone.* Nam si Hebræa, & Græca attentius consulueris, non tam ad difficultatem comparandi scientias, & res naturales peruestigandi; quàm ad lassitudinem, & defatigationem creaturarum post tot annos in hominum obsequio, in sumptos hæc referenda sunt. Certè pro *difficiles* Hebraicè est יגעים *iegeim, laboriosæ, lassata, defatigata*, à verbo *iagagh*; *laborare, fatigari, lassari*: atque ita L X X. interpretati sunt ἔγκοποι cum o, (vt legisse videntur omnes Patres Græci) eadem omnino significatione; quare aptè hæc retuleris ad præcedentia verba, in quibus creaturarum labores descripserat Sapiens; v.g. terræ, quæ nunquam non laborat in rerum alia, & alia generatione: Solis, & Lunæ in perpetua, & irrequieta circulatione; ventorum, in continuo motu: fluminum, in indesinenti decursu; cæterarúmque rerum hominis vsibus, & seruitio destinatis, eodem omnino sensu, quo ad Rom. 8. 20. dixit Paulus: *Vanitati creatura subiecta est non volens*: id est, difficilis, morosa, ingemiscens, & ver. 22. *Omnis creatura ingemiscit, & parturit*: vt velit Sapiens omnia hæc continua agitatione, & motu, multóque seruiendi hominibus labore; præcipuè verò tam inaniter consumpto, adeò iam lassata, defatigata, & quasi euanescentia, & ad occasum tendentia esse, vt sermone vix valeat explicari. Cui sententiæ explicandæ, ac confirmandæ opportunissima sunt, quæ Demetriano Africæ Proconsuli maledicis vocibus oblatranti, Christianis imputandas esse calamitates, & mala, quæ tum temporis orbem diuexabant; sapienter respondet Cyprian. peculiari ad illum libro conscripto: nam præterquam quod abstruit, ipsorum potiùs Gentilium impietatem illarum cladium causam esse, ex mundi etiam senio omnia deteriora fieri, & in peius vergere, sic pulchrè asserit. *Minuatur necesse est quidquid fine iam proximo in occidua, & extrema deuergit. Sic Sol in occasu suo radios minus claro, & igneo splendore iaculatur; sic declinante iam cursu exolesis cornibus Luna tenuatur, & arbor, quæ fuerat antea viridis, & fertilis arescentibus ramis fit post modum sterili senectute deformis. Et fons, qui exundantibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiens vix modico sudore destillat. Hæc sententia mundo data est, hæc Dei lex est, vt omnia orta concidant, & aucta senescant; & infirmentur fortia, & magna minuantur, & cùm infirmata, & diminuta fuerint finiantur.* Et statim eodem sensu feruens *Christianis imputas, quòd minuantur singula mundo senescente: quid si & senes imputent Christianis, quod minus, valeant in senectute: quòd non perinde vt prius vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore succo viscerum, mole membrorum? & cùm olim vltra octingentos, & nongentos annos vita hominum longæua procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum peruenire? Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute, sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat, sic quodcumque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat, singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione est, & in fine.* Hactenus Cyprianus. Pulchrè ergo hinc monet Salomon, nullo modo

Eccl. 1. 8. *Hebr. lect.* *LXX.* *ad Rom. 8. 20. 22.* *Cypr. lib. ad Demetr.*

modo aptas, siue idoneas iam esse creaturas ad inhærendum illis, cùm præ senio, & lassitudine iam iam deficiant, ruinámque minentur, vt iis qui illis toto animi, corporisque pondere innituntur, dicere videatur. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrauit in manum eius,*
Isa.36.6. Isai.36.6.Quam ad rem preme illud Habacuc 3.
Habac.3.14. 14. *Maledixisti sceptris eius*; prout à nobis expenditur ad vers.27.adnot.1.

11. Ergo si sapis sperabis in Domino Iesu; hoc est, vni Domino seruies, vni Domino fides. Certè vt humanis rebus credens Deo non credis, & cum humanis rebus credens, & cum dilabentibus dilatranseuntibus transis, & humanis rebus simul credens, Deo minus credis, nec firmiter subsistis. Audi Isaiam de Ecclesiæ firmitate, & sempiterna quiete sic disserentem cap.33.20. *Respice Sion*
Isa.33.20. *ciuitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur. Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Preme causalem *quia*, quæ tãtæ securitatis, tam robustæ stabilisque fortitudinis, tanque optimè fundatæ, ac constitutæ sedis rationem reddit: nimirum *solummodo*, ibi magnificum, & pio obsequio cultum esse Dominum: vt sensus sit; ideo Ecclesiæ felicitatem immutabilem, & immortalem & veluti trabali clauo affixam, quin aliqua ex parte, vel hilum disrumpi, aut vellicari queat esse futuram, quod vni Deo viuo, ac vero innitatur; nec à sæculi idolis, siue fallacibus bonis aliquomodo dependeat: ac si tacitè innuatur, tanto magis certum, & optimè constitutum aliquid fore, quanto sæcularibus rebus minus inhæserit; tantúmque incertitudinis, & lubricitatis habiturum, quantum in falsis idolis siue sæcularibus bonis habuerit spei, atque confidentiæ. nam cùm hæc fragilia & caduca sint, qui possit non nutare, qui illis incumbit? rumpetur hodie lætitiæ funiculus, cras honoris: reuelletur postmodum clauus rei familiaris, &c. Quòd si vni Deo quis adhæserit, *non auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Ita quidem Dominus discipulos ad Euangelium per totum orbem disseminandum missurus, vt aduersùs omnes fortunæ casus armaret, & tot tantisque periculis eriperet; cuncta mundi bona
Matth.10.9. relinquere, ac repudiare sic eis præscribebat. *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam:* vt videlicet, dum *solummodo* in eis *magnificus* fuisset *Dominus*, nec creaturæ alicui inhærerent, in vera & immutabili stabilitate essent, *& omnes funiculi* eorum non rumperentur: vnde ad ea verba Chrysost.
Chrysost. homil.34. in Matth. sic ait: *Cum Dominus omnem sollicitudinem à discipulorum cordibus eiecerit, atque omnibus negotijs sæcularibus alienatos, & ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos, quodammodo, atque adamantinos fecerit*; Deo nimirum tanquam firmissimo baculo non virgæ arundineæ subinde innitentes: quare rursus ea verba apud Lucam cap.9.3. sic pendit Ambros. lib.6. in
Luc.9.3. Lucam in principio. *Qualis debeat esse, qui euan-*
Ambros. *gelizat Verbum Dei, præceptis Euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calceamento sine pane, sine pecunia, hoc est, subsidij sæcularis adminicula non requirens, fidéque tutus, putet sibi, quominus ea requirat, magis posse suppetere.* Pulchrè. nam quanto minus creaturis innixus, tanto fide tutior, & stabilior.

Sanè de Dei populo victore, atque florente 12.
adsimili locutione dicebat Moses Deuteron.32.
12. *Dominus solus dux eius fuit, & non erat cum* Deut.32.12.
eo Deus alienus: constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum: vt sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo, &c. ac si diceret: Quidni omnia prospera, ac suauitate, & felicitate plena ei obuenirent, qui vno Domino ductori nitebatur? nec diis alienis, caducis, atque fallacibus, veluti ruinosis parietibus & fundamentis adhærebat. quod quidem & ipsemet pseudo propheta Balaam palam fateri compulsus est,
Numer.23.21. inquiens, *Non est idolum in Iacob,* Num.23.21.
nec videtur simulachrum in Israël, Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ regis cum illo; vt dicere videatur, vt Deo innititur, ita omnia vincit: vt idola & simulachra despicit, ita firmus, & inconcussus victoriæ signa secum semper defert; subiicit: *Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitu-* Procop.
do similis est rhinocerotis. Vbi dum Procop. Ruper- Rupert.
tus, & alij rhinocerotis imaginem Deo ob maximam, & insuperabilem fortitudinem accommodant. Theodoretus quæst.44. ad ipsummet populum referendam sic existimat. *Quidam ergo vo-* Theod.
luerunt, huic assimilare Dominum Deum. Ego verò arbitror, hoc de populo dictum esse, nempe quemadmodum monoceros vnicum habet cornu, sic populus verè pius vnicum Deum adorat. Idcirco beatus Dauid dixit, in te inimicos nostros ventilabimur cornu,
Psalm 43.6. Sic ille, quòd Patrum dissidium facilè componas, si dixeris, hominem Deo armatum, Psal.43.6.
Deo adsimilem, siue Deum robore, & fortitudine quodammodo esse: atque idcirco eandem fortissimi animalis imaginem Deo, & homini æquè conuenire. Quò verba Dauidis quæ affert Theodor. notanter ire videntur: *Spera ergo in Domino Iesu*, & duobus domis inseruire noli; & rhinoceroti adsimilis, in eo inicos omnes ventilabis cornu, & in nomine eius spernes insurgentes in te.

Ad ea verba, *tam vnanimem.*

Adnotatio II.

Proprium Doctorum, siue spiritualium Magistrorum characterem esse, vnanimi inter se consensione in Euangelio disseminando conspirare.

BENE quidem hæc Timothei cum Paulo vnanimitas de ea voluntatum, & animorum coniunctione, quæ Ecclesiæ ministros maximè decet, à nonnullis capitur: vt egregia hæc Timothei laus sit, omnimodam tam voluntatis, quàm sensus; atque iudicij cum Paulo consensionem habere, à quo non longè it quod 1.
vers. 22. ipse subiungit: *Experimentum autem* ad Philip.c.2.v.22.
eius cognoscite, quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio; quid enim pater & filius nisi vnum caput, vnum os; idem velle, idem nolle fuerint? vel si strictiore locutione delectaris; quid filius nisi patris imago, & vmbra fuerit? sanè vt plura sint, quæ in Doctoribus, & spiritualibus magistris desiderentur, de quibus suis in locis, &

& actum à nobis, & agendum est; notanter huius vnanimitatis mentionem fecit Apostolus, quod peculiaris hic, propriusque illorum character fuerit, nihilque in ipsis adeo splendeat vt mutua charitas, & sententiarum vnitas. Quo in primis refero; non modò à Domino ad Euangelicam doctrinam disseminandam non singulos, aut ternos, sed *binos* fuisse discipulos missos,
Luc.10.1. Lucæ 10. 1. vt charitatis, atque concordiæ typum, quod notauit Gregorius secum ferrent; sed hac eadem de causa sub duplicatorum membrorum imagine non semel in Canticis adumbratos fuisse; immò verò quoties eo in libro de duplicatis membris sermonem fieri videris, v.g. de oculis, de vberibus, de labiis, de manibus, ad Doctores & concinatores hac ratione optimè accommodaueris, & vt non nulla ex iis persequar: quid cap.4.9. de oculis signatè sponsus dixerit, audi,
Cant.4.9. *vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum*, vbi cùm ex Philonis Carpathij, & aliorum Patrum sententia de Ecclesiæ Doctoribus loquatur Spõsus; ea quæ de oculorum in videndo vnitate ex Galeno lib. 10. de vsu partium, cap.10. alibi vidimus, quod nimirum, vt duo sint; ob internam tamen vnionem non duplicatas, sed singulas (nisi verò non sani, sed caligantes fuerint, nam vt inibi ex Tert. diximus:
Tertul. *Lippientibus oculis singularis lucerna numerosa est*) res videant; maximè habere locum existimamus, vt sensus sit, gratissimam Christo spiritualium Ecclesiæ oculorum naturam esse, qui licèt duo, immò plures fuerint, non duas, pluresve seorsim res, sed vnam vident, qui iuxta frequens Apostoli monitum de vno sensu, & veluti palato, atque sapore in mysteriis enucleandis doctrinâque tradenda, ad Roman. 15. 5. & 2 ad Corinth. 13. 11. & hoc eodem cap. vers. 2. non modò vnanimi consensione degunt, sed idem sapiunt, docent atque loquuntur; ita ibi Philo:
Philo. Carp. *Ob id in vno oculorum, & in vno crine sponsæ se vulneratum esse dixit, non autem duobus oculis, neque multis crinibus, vt ne quid nisi spiritale totum esse intelligamus, sanctæque concordiæ, & charitatis plenum.* Vnde postmodum opportunè componit hæc sponsi verba cum iis, quibus Paulus Corinthios grauiter obiurgat quod alij Pauli, alij Cephæ se te esse iactarent; cùm vna vtriusque Apostoli mens, vnus animus esset, quo pariter ad spiritualia bella vno impetu, vno sensu currerent.

2. Dixerim equidem ad hæc Canticorum verba respexisse Dominum cum Matth. 18. 19. inquit:
Matt.18.19. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Quid enim duo sibi mutuo consentientes, nisi duo oculi quibus vnus obtutus; duo Doctores quibus vnus, idémque subsit animus, ac sensus fuerint? quid deinde sponsum vulneratum, & manus dantem dixeris, nisi ea omnia, quæ ab ipso vnanimiter postulantur elargientem? Pro me certè hæc cogitante plenissimè fideiubet
S.Cyrill. Hieros. S. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 6. vbi primæuos hos, atque germanos Ecclesiæ oculos, Petrum videlicet, & Paulum, non duo, sed vnum idémque videntes, atque hoc concordiæ telo sponsum vulnerantes, &. ab eo de magicis Simonis artibus non leue Christianæ Ecclesiæ damnum, iniuriámque inferentibus, illustrem victoriam referentes, sic facit. *Dilatato autem errore par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus, & Paulus, cùm essent præsides Ecclesiæ: cùm enim prædicaret Simon in cælos se ascensurum, & vehiculo dæmonum in aërem esset subleuatus, flexis genibus serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus*, Quòd si duo ex vobis concordauerint, de quacumque re, quam petierint, fiet ipsis, *concordiæ hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt eum in terram.* Ita Cyril. Sed ante ipsum Origenes, Origen.
hac potissimum de causa Ecclesiæ Doctores, atque ministros preces ad Deum fundentes sæpiùs non exaudiri, quod non tam concordiæ in Deum, quàm discordiæ in se ipsos telum mittant, ex præfatis Christi apud Matthæum verbis sic monet: *Et ista est causa, propter quam non exaudiamur orantes, quia non consentimus nobis super terram, nec dogmate, nec conuersationem: sicut enim in musicis, nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem; sic & Ecclesia nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit orationes eorum.* Hæc Origenes.

Sed vberum imago qua hæc Doctorum vnitas à cœlesti Sponso significatur, paulo vberior 3.
est, dum aliam simul gemellorum fratrum includit hunc in modum: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis*, Cant.4.5.
Canticorum 4.5. Quo in loco non est cur tibi enumerem omnes Patres, qui hæc de Doctoribus, ac ministris Ecclesiæ interpretantur; cùm & in eam explicationem tam Græci, quàm Latini conspirent; Chaldæo interprete non leuiter fa- Chald.
uente, qui pro vbera reponit, *Saluatores*: quod qui in proximorum salutem incumbunt, *adiutores Dei* simul, videlicet cum illo alios saluantes, appellentur à Paulo 1. ad Corinth. 3. 9. 1.adCor.3.9.
& ipsamet vberum metaphora, quibus lac fidelibus exhibetur, vt in virum perfectum excrescant, satis dilucidè ipsam explicet. Quod expendo, illud in primis est non modò miram vberum paritatem, æqualitatémque, sed omnimodam amborum lactis similitudinem esse, cùm id quod ab vno dimanat, eiusdem omnino coloris, saporis, atque qualitatis cum eo, quod ab altero prouenit: imò idemmet vtriusque mamillæ lac ab vno corde calorem recipiens, fuerit. Quod quidem siue ad voluntatum coniunctionem, qua Ecclesiæ ministri ab vno Christi corde calorem charitatis haurientes, prædiri sunt, siue ad doctrinæ similitudinem, quæ eiusdem coloris, atque saporis esse videatur, facilè commodes. Deinde egregiam hanc concordiæ imaginem, in gemellis hinnulis obserua, sunt enim hi tanquam vno editi partu quàm simillimi; compares, & concorditer degunt; mutuisque gaudiis se se oblectant. Vnde ad hæc verba Greg. Magn.
Gemelli dicti sunt, quia concorditer prædicant, concorditer sapiunt. Gregor.
Certè ab hac verum similitudine non longiùs ire videntur duodecim Principes tribuum in rationali Sacerdotis, quod medio ille pectore gestabat, quatuor versibus conscript. sic enim Exodi 28.17. *Ponésque in quatuor ordines lapidum. In primo versu erit lapis Sardius*, &c. *Habebúntque nomina filiorum Israël.* Exod.28.17.
Nam in eo signatè loco positi, eundem spiritum, vitam, doctrinámque ab vno Christo Domino, cuius personam Sacerdos gerebat, haurire, appositè innuebant: quò etiam facit, non aliter quàm in modum versus, cuius partes inter se concinere, & concordare, atque etiam consonare debent, conscribi: vt nimirum nihil in Sacerdotibus, & ministris Christi sit, quod non concordet, atque consentiat, sed ex

ex hac etiam scribendi ratione illud etiam elicias, quòd Doctorum charitati, vnionique servandæ mirificè deseruit, nihil sibi plus æquo vnumquemque adrogare, nihil præ alio sibi assumere, nec vna tantùm syllaba, siue littera alijs superiorem se facere, sed mutuum sibi officium exhibere, atque persoluere debere.

4. Nec solùm in iis qui eiusdem religionis, aut familiæ, siue qui ingenio, ac moribus fuerint persimiles, egregia hæc animorum, sententiarúmque consensio debet elucere; id enim non adeò, opinor, fuerit laudandum, atque mirandum, cùm morum similitudo, siue idem familiæ character charitatem, & vnionem conciliare soleat, sed in omnibus generaliter Ecclesiæ ministris, quantauis regionis, familiæve diuersitate, siue morum dissimilitudine inter se dissideant; ita quidem in celebri illo Ezechielis curru, mysticis animalibus, quæ Doctorum, & ministrorum Euangelij typum gerunt, ornato, aquilam, & bouem, hominem, & leonem, eodem passu incedere; eodem spiritu duci non secus ac si aquila bos esset, leóve in hominem foret commutatus, videris: nimirum qui perspicacis, & qui tardi ingenij est; qui rigidus in seueritatem propendet, & qui benigno animo in humanitatem inclinat, pari charitatis, & pacis nexu inter se vnanimiter copulantur, & dum alijs vt leo fortis in peccatores acriter inuehitur, alius vt iisdem benignitatis oleo medeatur, humanum, atque suauem se exhibet, hic contemplationi deditus vix ab ea auellitur; ille externis ministeriis & occupationibus incumbit; eodem ducti spiritu ad vnum diuinæ gloriæ scopum sua sensa, atque cogitationes dirigunt. Vnde non multo pòst eidem Vati rota vna iuxta terram quatuor animalium facies simul habens

Ezech.1.15. sic apparuisse dicitur: *Cúmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia habens quatuor facies*, Ezech.1.15. Quasi eadem orbita, tanta illa morum, atque ingeniorum diuersitas discurreret, iisdémque vestigiis incederet, eodémque vnius seueritas, alterius mansuetudo, huius alacritas, illius cunctatio, & tarditas iret, quod omnes idem saperent, idem dicerent, atque docerent. Sic ad verba expendente Venerabili

Galfrid. Galfrido in allegoriis Gotfrid. Tilmani: *Si enim singula dispensarentur in iis, qui in Ecclesia videntur gerere principatum, vna etiam quatuor habens facies super terram rota hæc animalia appareret, ne item facilè sancta Ecclesia scinderetur; licèt enim singulis Ecclesiis singuli videantur præesse pastores, & animalia sancta trahere quodammodo rotas plures, esse tamen debet aspectus earum, & opera, velut si sit rota in medio rotæ, vt omnes simul Ecclesias vnius Catholicæ inueniatur ambitus continere.* Ita ille.

5. Qua sanè de causa dum diuinus Spiritus, Sa-

Sap.7.22. Nazian. pient.7.22. à Salomone spiritus intelligentiæ appellatur (sic enim id interpretatur Gregorius Nazianzenus oratione 5. de Theolog.) & *vnicus*, & *multiplex* esse dicitur: quòd si hæc non benè sibi cohærere, ad speciem tibi videantur, quod vnitati multiplicitas, multiplicati vnitas aduersetur, respondebo ex Nazianzen. præfato loco pulchrè hæc subsistere, quia videlicet, dum diuinus Spiritus, vt vniuersalis Ecclesiæ parochus (quo nomine ipsum appellauit S.Cyril. Hierosolymit. cate-

S.Cyril. Hieros. ch. ii 17.) *& multiplici gratia* varios Ecclesiæ ordines instituit, iisdémque inseruientes ministros variis donis, & multiplici *intelligentiæ* gratia imbuit, iure multiplex dicitur; quòd non aliter se exhibeat, ac si reapse multiplex esset in multis Doctoribus, concionatoribus, spiritualibúsque magistris, variis doctrinæ ornamentis instructis diuisus; at cùm hos omnes Doctores, atque magistros vno amoris vinculo coniungit, vnicáque eos doctrinæ, ac sententiarum fibula constringat, vnicus est omnino, atque apparet; dum vno illi spiritu duci, vnicum spiritum respirare videntur. Aliquam cogitationem facit, cælestis Hierusalem portas ita fabrefactas dici, vt & singulæ singulis margaritis consistent, & per singulas duodecim margaritæ sint; sic enim Apo-

calyps.21.21. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Vbi si inquiras, quî singulæ portæ, ex singulis margaritis, & duodecim margaritis constare possint? Quoad ad literam respondebo, eo modo id accipiendum, quo de singulis eiusdem vrbis fundamentis, tum singulis lapidibus constare, tum omni lapide pretioso ornata esse, dicitur, quòd videlicet ipse portæ aditus ex vna margarita sit, quæ duodecim simul circum ornata resplendeat. Sed vt spiritualem sensum, siue occultum mysterium retegam, vide quid de his portis censeat Augustinus in Psalm.86. Certè ad Apostolos, & Doctores siue Magistros Ecclesiæ portarum nomen & munus sic accommodat. *Quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei.* Quid ergo fuerit? singulas portas singulis constare margaritis, & duodecim margaritas esse in singulis portis, nisi adeò sibi inuicem coniunctos, copulatósque Doctores, & ministros Ecclesiæ esse, vt duodecim portæ vna porta, duodecim margaritæ, vna margarita, siue (si in ipso nomine ludere velis) vna vnio sint: nimirum quòd quamuis in cælorum regnum per plures diuersorum ministrorum portas quis ingrediatur; plures enim audit Doctores, plures adit confessarios, plures habet spirituales magistros: at quia hi omnes inter se, & charitate & doctrinæ vnitate sunt maximè coniuncti, atque vniti, siue quia egregia in iis omnibus vnio resplendet, cùm per eos intramus per vnam solummodo portam, vna margarita siue vnione constantem intrare dicimur. Ap.c.21.21. August.

Quòd si hæc ad sententiarum vnitatem, siue doctrinæ & iudiciorum consensionem peculiariter velis referre, quid de Doctoribus & concionatoribus Euangelicam doctrinam disseminantibus dixerit Regius Psaltes audi; sic enim Psal.67. 6.

24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*; etenim canes diuini Verbi prædicatores adumbrare, vt plures ex Patribus non adnotassent; ille Isaiæ locus cap.56.10. satis conuincit. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi. canes muti non valentes latrare*: vbi valde est obseruatu dignum, non dixisse Vatem linguæ canum tuorum, singulis canibus singulas linguas attribuens; sed potiùs *lingua canum*; pluribus, immò omnibus canibus vnicam linguam adscribens, quòd vnus videlicet Doctoribus sensus, vnica lingua in mysteriis fidei explicandis, & dogmatibus tradendis, siue etiam in vitiis obiurgandis, esse debeat. Cum qua obseruatione sensum habet communẽ quod de cælestis aulæ militibus dicitur; sanè illis in verbis Ps.67.24. Isa 56.10.

Genes.3.24. *Et collocauit ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, vox Cherubim (vt ex Hebræo manifestè liquet) non est in singulari, sed in plurali, exercitum Cherubim inibi statutum quasi excubias agentem, & adirrumpendum paratum significans; gladius verò in singulari Gen.3.24. Hebr.lect.

toti

toti exercitui adscribitur, vt omnes illi cœlestes spiritus de vno gladio simul sint pugnaturi. Ad quẽ etiam modum Cantic. 3.7. vbi de Ecclesiæ Docto-
Cant.3.7. ribus, atque ministris nos habemus: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi:* tam apud
LXX. LXX. quàm apud Hebræos Codices *gladius* est in
Hebr. lectio. singulari; atque ita Pagninus legit: *Omnes ipsi tenent gladium.* Pulchrum sanè Ecclesiasticis Cherubinis, & spiritualis belli ducibus documentum, vnico illis diuini verbi gladio; eadem doctrina, & sententiarum conformitate vtendum.

7. Nec mihi obieceris, in diuini Spiritus aduentu singulas linguas supra singulos Apostolos apparuisse;
Act. 2.3. sic enim Actuum 2.3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditque supra singulos eorum:* respondebo enim, eas omnes linguas, vnicam tantùm censendam, nec pluralem in eis numerum formaliter, sed materialiter, vt aiunt, sumendum fore, quòd vt plures numero fuerint, eamdem tamen doctrinam vnomet spiritu ducti, non secus, ac si vnica omnibus lingua esset, docerent, atque loquerentur. Etenim, cùm Dominus, vt eosdemmet Apostolos ad propagandum in omnem terrarum orbem Euangelium mitteret, & remittendi peccata potestatem ipsis tribueret, Spiritum sanctum in ipsos non in singulos separatim, sed in vniuersos vno halitu insufflasse, inquit Ioannes, à Patre Maldonato, cuius iudicium plurium testimoniorum loco mihi est, optimè ex-
Ioan. 20.22. pensus: sic enim ille cap. 20. 22. *Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:* vt argumento esset, vnum atque eumdem spiritum, à quo linguæ omnes mouerentur, ituris per vniuersum mundum dari, vt vna illis lingua, eadem animorum, & sententiarum consensio illis foret. Adstipulatur huic cogitationi Vates Psalmo 46. 9. de Christi Apostolis, atque discipulis per totum terrarum orbem Euangelium
Psal. 46.9. disseminantibus, inquiens: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt:* vbi Hebræos om-
Lectio Hebr. nes Codices sic habere videris. *Quoniam dij fortes terræ* (siue *scuta terræ*, quod alio pertinet) *vehementer eleuatus est.* Quòd si rideant Grammatici commissum ibi solœcismum, irridebuntur ipsi ab Hebraïcæ linguæ peritis, inibi obseruantibus familiare illi esse, numerum singularem pro plura-
Bellarm. li poni, quod multis exemplis firmat Card. Bellarm. At enim, dum eam ego doctrinam obuiis manibus accipio: simul moneo non frustrà, ingratiisve hoc in loco id factum, sed vt nobis Vates innueret, quò iret horum Principum congregatio: nempè vt vna omnium eleuatio, vna laus, atque honor esset; siue quòd ab eadem causa, hoc est, ab vna eademque doctrina, quam populis tradebant, promanaret; siue etiam, quòd in animis nullis inuidiæ, aut discordiæ stimulis percitis, sed egregia consensione colligatis singulorum eleuatio, & gloria, omnium gloria & eleuatio esset: & quem vnicuique delatum honorem viderent, sibi ipsis deferri omnes existimarent, & gratularentur.

8. Iam verò totum belli robur, siue Euangelicæ doctrinæ fructum ab hac Doctorum, & concionatorum vnione dependere, inde colliges, quòd Basilio interprete à Dauide cum humani corporis ossibus corpus, carnémque fulcientibus, com-
Psal. 33.20. ponantur; sanè Vates Psalm. 33. 20. cùm dixisset: *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus*, vt rationem redderet, cur iusti, atque fideles ex omnibus tribulationibus atque peri-

culis salui, & incolumes euaderent subiicit: *Custodit Dominus omnia ossa eorum*, ad vnitatem scilicet Doctorum, qui non secus ac ossa inter se coniuncti, & firmiter ligati essent; id reuocans. Quare cùm ad ea verba dixisset Basilius: *Quemad-* Basil.
modum enim ossa ingenita sibi vi præteneram carnis mollitiem suffulciunt, & pressius contrahunt, itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti firmitudine debilium suffulcire, & ferre imbecillitatem: subdit: *Et sicut ossa inter se connectuntur secundùm commissuras articulorum, & hæ consertiones neruis firmantur, & ligaminibus, quæ ossibus adhærescunt: idem prorsus contigerit, si charitatis pacisque colligatio in Ecclesia Dei veluti cognationem quamdam conficiet spiritualium ossium, & in vnum conspirantem.* Cui rei siue ministrorum Dei societati, opportunè aptaueris quod epistola 95. dixit Seneca: *Societas nostra lapidum forni-* Senec.
cationi simillima est, quæ cassura nisi inuicem obstarent, hoc ipso sustinetur: tolle enim Doctorum concordiam, & vnitatem, & totum spirituale ædificium dicto citiùs collapsum, atque ipsos Doctores, vt tanti mali reos ab ipsa gehenna non longè euntes, videris: vnde inibi Basilius: *De eiusmodi* Basil.
ossibus à concordi partium harmonia emotis, salutiséve, & quasi à commissuris suis, & artubus laxatis Propheta inquit, dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

Hinc quidem Moyses in Cantico, vt concordiæ 9.
vires, atque excellentiam ostenderet, accurata locutione dixit: *Quomodo si persequatur vnus mille,* Deut. 32.30.
aut duo fugarent decem millia, Deuteronom. 32. 30. non contentus binario numero, hoc est, Doctorum concordiæ duo millia dedisse, quod Arithmetica ratio exigebat, vt vnius numero duplo maior esset, nisi Geometrica proportione, & pœnè infinito excellentiæ discrimine decem millia illi tribueret: quia nimirum cùm Ecclesiæ ministri inter se coniuncti, atque vniti sunt, singuli eorum, non singuli, nec duplices, aut terni, sed decem esse censentur: id ita pensitante Chrysost. hom. 1. Chrysost.
de dilectione. *Nihil cum concordia comparandum dilectissimi: sic enim singuli multorum instar erunt: si enim vnanimes fuerint, duo, aut decem, iam vnus, sed singuli eorum quasi decem sunt: ac si inimicum habeant, qui illorum vnum inuadat, ille non secus, ac si decem adorsus esset, capitur.* Certè dum Doctores, & concionatores charitate, & sententiarum vnitate coniuncti sunt, vnusquisque eorum meritò exclamet cum Isaïa capit. 50. 8. *Stemus si-* Isai. 50.9.
mul, & quis est aduersarius meus? quasi omnia vitia, atque aduersæ potestates haud difficile ab ipsorum concordia debellandæ, ac profligandæ fuerint. Contrà verò cùm alij ab aliis diffident, *sedebit solitarius, & tacebit*, Thren. 3. 28. Vt quid Thren. 3.28.
enim solus, & qui aliorum societate, & præsidio fultus non est, morum præcepta aliis tradat? Quid discors Magister concordiam discipulis suadeat?

Equidem hac ratione Christus Dominus Apo- 10.
stolorum, & Doctorum vnitatem à Patre enixiùs postulabat, vt per illam eorum discipuli maximè proficerent, nec in eorum discordia scandalum paterentur, & Christianæ institutioni diffiderent: ita enim Io. 17. 8. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis,* Ioan. 16. 8.
qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Et in hæc verba Theoph. *Nihil* Theoph.
enim ita offendit discipulos, vt diuelli, & non idem sentire Doctores: quomodo enim persuadebunt qui non idem capiunt? propterea dicit: vt & ipsi vnum sint

S in

in fide erga nos: sicut tu Pater in me, & ego *in te*. Ita ille eius historiæ non ignarus, opinor, quam refert Plutarch. cùm ab Atheniensibus Philippus, & Gorgias Leontinus, qui de eorum simultatibus componendis curabant, irrisi sunt, quòd vterque quotidianas domi lites cum suis haberent. sed & ipse huic rei intentus, atque defixus, non semel, nec ingratiis quidem, mecum indignabundus perpendi illud Cornelij Taciti lib. 14. annal. de Romanis Magistratibus à se dissidentibus: *Julius Classicianus Suetonio discors bonum publicum priuatis simultatibus impediebat.* Corn. Tac.

11. Porrò id adeò est certum, vt vel ipse superbus, qui, quò aliis maior sit, omnium consortium & societatem spernit, ac fugit, non aliter vanissimas cogitationes implere, & oua superbiæ excutere speret, nisi se alij vnanimiter adiungat, atque consociet. Vnde de superbissimis hominibus, ciuitatem & turrim cœlo ipsi minacem incredibili audacia moliri parantibus, dixit Sapientiæ liber cap. 10. 5 *In consensu nequitiæ cum se nationes contulissent*: vbi Codex Regius, & alij non pauci *pro consensu nequitiæ* habent, *in consensu superbiæ*: vt videas, superbiā ipsam, vt voti compos euadat, à se ipsa exire, superbósque quantumuis inter se dissideant (nam *inter superbos semper iurgia*, Prouerbiorum 13. 10.) ad facinus tamen aliquod peragendum etiam ingenio reluctante mutuo sibi consentire seseque coniungere, ac consociare, atque oraculum esse, quod dixit Liuius. *Imperij vires in consensu obedientium sunt.* Sed enim illud non leui obseruatione dignum videtur, Deum admodum strenui ducis, qui nihil in bello non timet, & de quouis discrimine cōsulit, vt maturè prouideat, circa temerarios amentium horum ausus se gessisse: sic enim illum quasi discriminis momenta expendentem, & consultationem adhibentem facit Moses Gen. 11. 5. *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam: & dixit. Vnus est populus, & vnum labium omnibus, cœperúntque hac facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus.* Vbi iure ambigas, quid opus fuerit, Deum siue ea de re consultantem, siue insanis illis præliatoribus, occurrentem inducere? Nónne *vis consilij expers mole ruit sua*. Ita ne illi cœlum pertingere, & illi bellum inferre valerent, vt Deus ad illos debellandos sese acuere & armare videatur? Apage: inest verò orationi illi, quam Deo Moses adscribit, venusta in concordiæ gratiam hyperbole, *Vnus est* (inquit) *populus, & vnum labium omnibus, &c.* ac si dicat (sic expendit M. Del Rio) *cum quadam ironia, concordi studio feruntur, mutuò se extimulant, animis & lingua conspirant; quis queat illis obsistere?* ac si ipsummet cœlum à tam concordi ausu securum quodammodo non sit, quin expugnetur, vt hinc obiter videris, quàm magnum ius, quàm insuperabile robur ad oppugnandum, & expugnandum cœlorum regnū bona, & legitima concordia habeat; quando ipsemet superbiæ consensus bellū cœlo inferens, illuc quodammodo emergere videatur. Iam verò quibus armis, seu machinis illatum sibi bellum Deus excepit? quæ tela contorquenda? quæ rapidissima iacienda fulmina corripuit? Equidem insanissimum illorum impetum, nullo alio duriori fræno Deum coërcuisse, atque refregisse comperies, quàm vnam ipsorum linguam, atque consensum in plures diuidendo, vt à Mose Genes. 11. 7. sub Dei persona dicente, *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*; sic eleganter cecinit Marius Victorinus lib. 3. in Genesim.

Sap. 10. 5. — Bibl. Reg. — Prou. 13. 10. — Tit. Liu. — Gen. 11. 7. — M. del Rio. — Gen. 11. 7. — Mar. Victor.

Iam descendamus, tamen factaque colla superbo
Consensu, variis turbemus vocibus oras,
Vt quod peccarunt concordis crimine mentis
Confusa damnet melior discordia lingua.

Sanè optimè id nouerat Dauid, qui cùm filium Absalon exercitus copia furentem; Regíque & regno extremam cladem iamiam inferentem videret, non fulmina, non mortem, non aliud illi exitium imprecabatur, nisi vt concordem suorum animum atque sententiam vehemens discordis consilij turbo dispergeret: quare Psal. 54. 10. has ad Dominum preces fundebat: *Præcipita Domine, diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate.* Quod rei euentu firmatum iam nosti, ex 2. lib. Reg. c. 17. 14. Cui rei mirificè deseruit, quod de Israëliticis Principibus dixit idem Vates Psal. 106. 40. *Effusa est contemptio super Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via*: vbi contemptione, siue despectione, vt legit Hier. Gregor. lib. 19. moral. c. 11. aliàs 14. Arnob. Cassiodor. Hugo. & alij non pauci secuti Romanum Psalterium legunt *contentio*; vt sensus sit, Principum animos à se inuicem dissedisse. Quas lectiones inde acutè Richard. Cænomanus conciliare nititur, quòd ex contentione oriatur contemptus, siue despectio; immò & irrisio, vt in Philippo, & Gorgia vidisti. Adde verò Græcam vocem ἐξουδένωσις propriè significare *nullificamen*, siue *annihilationem*: vnde Gregor. Nissen tract. 1. in Psal. legit: *Effusa est annullatio super Principes.* Quam similiter ideo eandem dixeris cum contentione, ac proinde diuersas has lectiones sibi consentire, quod ex contentione oriatur annullatio, siue annihilatio: immò verò vbi contentio, ibi annullatio; siue contendere, annullare sit. Reddidit verò horum rationem, ac si de illis interrogaretur Seneca lib. 4. de benefic. cap. 18. inquiens: *Fac nos singulos, quid sumus? præda animalium, & victimæ, ac vilissimus, & facillissimus sanguis.* Quæ Ecclesiæ ministris potiori iure accommodes. Nec longiùs ab hoc iuisse dixerim prudentissimum Parentem nostrum Ignatium, qui vt mutuæ suorum charitati, simúlque proximorum saluti consuleret, peculiari instituto cauit, vt omnes Societatis filij in quauis mundi plaga degentes, propriam illius gentis apud quam commorarentur, linguam addiscerent; ne videlicet singuli essemus, linguásve ad inuicem haberemus diuisas.

Psal. 54. 10. — 2. Reg. 17. 14. — Psal. 106. 40. — Hieron. — Greg. Magn. — Arnob. — Cassiod. — Hugo. — Roman. Psal. — Lectio Græca. — Nyssenus. — Seneca. — S. Ignat.

Accinit illud Osee 10. 2. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Nam cordis imagine Doctores, & Sacerdotes quorum munus ad instar cordis est cætera corporis membra confouere, vitámque ac vires inspirare, significari videntur; nec alio sensu dixisse crediderim Isaïam cap. 1. 5. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens*: vt capitis similitudine, sæculares Principes, & magistratus; cordis verò metaphora Sacerdotes populi adumbraret. Ergo eleganter Oseas à cordis diuisione, quæ non potest non lethalis esse, certum populi exitium prænuntians. Cui sententiæ mirificè deseruit dentium imago, quam Ecclesiæ magistris, ad quos maximè pertinet paruulis doctrinæ panem frangere, ex interpretatione Gregorij Magni, & Nisseni, Theodoreti, Pselli, Cassiodori, & Bedæ sic aptauit Salomon Cantic. 6. 5. *Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Etenim vt arctissima dentium coniunctio ad venustatem, & decorem facit, ita ipsorum raritas, atque disiunctio ad breuioris vitæ indicia reuocauit Aristot. problemat. 47. sectione 10. vt dixeris cum Osea, *Diuisum est cor eorum nunc interibunt.* Iam verò quod Vates prædixit, dilucidè scripsit Lucas cap. 3. 1. Israëliticum Sacerdotium, & regnum sub

12. Osee 10. 2. — Isai. 1. 5. — Cant. 6. 5. — Aristot. — Luc. 3. 1.

ſub Chriſti aduentu in plura capita diſciſſum, Romanum verò imperium vni ſubditum Principi referens: *Quia gens ista*, inquit Gregor. Magn. hom. 20. in Euang.) *colligenda erat, iudæa pro culpa perfidiæ diſpergenda*. Sed de his hactenus.

Gregor.

VERSVS XXI.

Omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.

1. REDDIT Apoſtolus rationem, cur Timotheum præ alijs ad Philippenſes inuiſendos ſignatè foret miſſurus; quia videlicet ille ſalutis ipſorum vnicè eſſet percupidus, alij verò qui Romæ tunc aderant, ſua potiùs, quàm aliorum quærerent.

Omnes.

ITane omnes fideles quotquot Romæ aderant, ſua quærebant, non quæ Ieſu Chriſti? Non opinor, cùm plures tunc ſanctiſſimi Conf. ſſores, qui ſubinde glorioſo Martyrio coronati ſunt, inibi commorarentur, ſed de Eccleſiæ miniſtris, & Sacerdotibus, qui pauciores erant ſermo eſt, vt ex Chryſoſtom. Theophylact. Anſelm. S. Thoma exponunt Iuſtinian. Cornel. & alij interpretes. Niſi malit quis, inde anſam arripere admonendum paucorum Sacerdotum auaritiam ad omnes quodammodo fideles pertinere, ſiue pænè omnibus exitialem eſſe, quòd ipſorum exemplum cætera efficax, hac in parte ad corrumpendos aliorum animos, & in cupiditatem, ac habendi ſtudium inflammandos validiſſimum ſit. Id in illis Aaronis verbis Exod 32. 24. *Quibus ego dixi, quis veſtrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egreſſúſque eſt hic vitulus*; ſic ſubtiliter conſiderante Venerab. Galfrid. in allegoriis Gotfridi Tilmani Exod. *Mirares ſi tamen vera, quòd huius auctor idololatriæ Sacerdos extiterit. Audi ergo Sacerdos auare. Aurum tibi datum eſt. Non enim ex tuo illud habes, vel patrimonio, vel labore, ſed ex oblatione fidelium. Sed acceptum in ignem aurum mittere eſt, in ipſius concupiſcentiam corda hominum inflammare. Ignis enim auaritia ſignat ardorem. Et in hunc ignem ab eis aurum mittitur, quorum maximè exemplis agitur, vt ardenter ametur, quæ enim eſt ſubuerſio maxima populorum? Nónne auaritia Sacerdotum? Inde ſtudium hoc, & cura vehementiùs terrena colendi, & immoderatiùs incumbendi eiuſmodi lucris augendis, non in ſolis iam conſcientiis oritur, ſed foris etiam manifeſta operis executione profertur.* Hæc Galfridus: nimis fortè acriter atque ſeuerè. Sed non multò mitiùs Bernard in ſermon. ad paſtores in Synodo tom. 2. vbi cùm dixiſſet, *Dicite ergo Archidiaconi, dicite Presbyteri, dicant etiam Pontifices, in frenis, in ſellis quid facit aurum? in veſtimentis tantus ornatus? in cibis tam ſuperfluus apparatus*. Poſtmodû ait, *Cùm tantum faſtum videant laïci in ſupellectili clericorum, nónne per eos potius inuitantur ad mundum diligendum, quàm negligendum?* Medice cura te ipsû. *Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu priùs, & ad ipſum efficaciùs, alios inuitabis.* Et paulo pòſt. *Quomodo facultates non expenderent ſubſtantiam ſuam*

Chryſoſt. Theophylact. Anſelm S. Thom.

Exo. 32. 24. Galfrid.

Bernard.

viuendo luxuriosè etiam in præſentia Sacerdotum? quomodo non intenderent vanitatibus, & lenocinijs huius ſæculi? quomodo non eſſent inſolentes, & elati, cum tantam inſolentiam videant clericorum? Nónne in præſentia eorum irreuerenter abutimini eleemoſynis pauperum? de patrimonio crucis Chriſti non facitis calices, in Eccleſiis, ſed paſcitis pellices in thalamis veſtris. Hæc & multo plura Bernard de ſuis temporis Burgundionibus.

Nec tamen exiſtimandum eſt, omnes Sacerdotes atque miniſtros Romæ tunc temporis exiſtentes fœtenti hac auaritiæ lue infectos, cùm quod ſuperius monui, idemmet Paulus ad epiſtol. cap. 1. v. 16. affirmarit, ad ſe eſſe ſibi nonnullos, qui *ex charitate* Chriſtum prædicarent: ſanè horum verborum occaſione, ex Auguſt lib. de vanitate Eccleſiæ cap. 12. ſic ſapienter obſeruat Illuſtriſ. pariter, ac Religioſiſſimus Cardin. Bellarmin. tom. 1. controuerſiarum Chriſt fidei, controuerſ. 3. lib. 2. cap. 6. frequentiſſimum eſſe, in ſacris literis, *vt propter aliquos malos reprehendantur omnes, propter aliquot bonos, laudentur omnes, quò videlicet vehementior ſit tum vituperatio tum commendatio.* Id quod ad hunc locum præter alios interpretes etiam adnotauit Gulielmus Eſtius non Auguſt no ſolùm, citato à Bellarmino loco, ſed Hieronymo etiam in comment. epiſtol. ad Epheſios inde utroribus datis: vt non poſſim non mirari, immò execrari, & odiſſe non æqui hominis iudicium, ruſticúmque ingenium in pietatem intemeratæ Virginis nihil proſ ēdentis. Etenim qui hic, non vt hunc ſolum aut illum, ſed vt cóplures è Romanis Sacerdotibus ab hac Pauli cenſura immunes faceret, hæc ſcripſit. *Non ſentit Apoſtolus omnes, qui tunc erant fideles, aut Euangely miniſtros, vno Timotheo excepto, tales eſſe, &c. Sed omnes dixit, pro ex quòd Latinè dicimus, plerique omnes, id eſt, plurimi, valdè multi, quàm ſigni vniuerſalis acceptionem Scripturis viſitatā eſſe docent Hieron. in comment. epiſt. ad Epheſ. ad finem, & Auguſtin, &c.* Hic, inquam, Auctor Pauli verbis ad Roman. c. 5. 12. *In quo* (Adam) *omnes peccauerunt*; exceptionem aliquam facere quominus verum ſit, omnes omnino homines. qui communi lege generationis orti ſunt, in Adam peccaſſe, ac proinde originalem maculam traxiſſe, piaculum exiſtimat, quâ nis ne benignitati deſit, ſe eos qui aliter hac de re ſapiant, nolle iudicare, ſtatim affirmet Magna ſcilicet clementia, & ad latronum morem factum beneficium qui vitā dediſſe iis, quibus non ademerint, iactant. Ab hoc tamen tam ſeuero, immò tam inæquali ſibíque non conſtante Ariſtarcho ad Lectoris pietatem, & benignitatem appellatum volumus vt ex hac Hieronymi, & Auguſtini regula, quam ad hæc etiam verba egregiè confirmat S. Thom. Sanctiſſimam Virg nem abſque vlla peccati labe, ſole ipſo puriorem fuiſſe conceptam, ſibi omnino perſuadeat, quin Paulo dicenti, *Omnes in Adam peccauerunt*, contrarius vllo modo fuerit.

2.

Card. Bell.

Eſtius.

Hieron.

Ad Rom. 5. 12

Quæ ſua ſunt, quærunt.

FAmiliaris Paulo locutio, quæ ſua ſunt quærere, quæ ſua ſunt conſiderare, de qua hoc eodem c. verſ. 4. fuſius diximus: At enim quid hìc per ipſam ſignificetur. non perinde liquet: nam Chryſoſtom. Theophylact. Oëcum. Primaſ. nô tam ad noxias cômoditates, & auaritiæ lucra, quæ Romani Sacerdotes ſectarentur, quàm ad quietem, & ſecuritatē cuius amore longioris itineris moleſtias refugerent, malûre referre. Sic enim Chryſoſt. *Quæ ſua ſunt quærunt, id eſt, iucunditatem ſuam, ac ſecuritatem, quod etiam ad Timotheum ſcribebat. Sed cur iſthac conqueritur?* 3.

Chryſoſt.

ritur? nos condoce faciens dum hæc audimus, ne eodem prolabamur, condoce faciens auditores, ne oblectationem, ac requietem quærant. Theophylactus, Theoph. *Propriam quietem conquirunt, & otium singuli, & in tuto vt sint. Nemo enim alius tantum itineris suscepisset.* Primas. Primas. *Sua quærunt commoda, vel quietem nolentes pro aliorum tribulari salute.* Oecumen. OEcumen. *Quæ sua sunt quærunt, id est, propriam quietem. Nullus enim, inquit, ad id quod Christo gratum est, vbiq; expedit facilè velit longa mitti prædicatione vsque ad vos.*

4. Probabilis expositio, & quod ad pietatem inclinat, probabilior: ex Pauli tamen consuetudine potiùs credideris, hæc tela in auaritiam, & lucri Ambros. studium intorqueri; ita Ambros. *Negligentes erant ac disciplinæ, & conuersatione fratrum, non enim deuoto animo prædicabant, sed propter propria lucra.* Anselm. Acriùs Anselm. *Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes; non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Et quando hæc à proposito amantur, atque propter hæc seruitur Deo, quisquis talis est, mercenarius est; inter filios non se computet. De talibus enim dicitur.* Receperunt S. Thom. mercedem suam. Similiter S. Thom. Non quæ ad salutem proximorum sunt, & ad honorem Dei quærunt, sed quæ ad lucrum, & gloriam, & quæ sua sunt: esse verò proprium hunc mercenarij pastoris characterem, vt dicebat Anselm. sic monuit Ioan.10.13. Greg. Magn. Dominus Ioan. 10. 13. *Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* Gregor. Magn. interprete hom 14. in Euangel. *Ac si apertè diceretur* (inquit ille) *stare in periculo ouium non potest, qui in eo, quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quæris. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit, amittat.* Ita ille.

Non quæ sunt Iesu Christi.

5. Anselm. Bene Anselmus. *Id est multiplicationem boni gregis, religiosam conuersationem subditorum, salutem animarum*, vbi dum inter hæc & præcedentia verba intercedit antithesis: & *quæ sua sunt*, de Sacerdotum commoditatibus, delitiis, atque lucris accipiuntur, non abs re dixeris, *quæ sunt Iesu Christi*, hoc est, salutem animarum; proprium ipsius lucrum, atque commoditatem esse: vt hinc clariùs appareat, illegitimos Christi ministros esse, qui eius personam gerentes, Christi lucra & quietem non quærunt. nam & *sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit eum, animam ipsius requiescere facit*; siue, vt Pagnin. reddit, *animum Domini sui requiescere facit.* Prouerbiorum 25. 13. & Paulus de se, aliísque Christi ministris ait, Prou.25.13. *Pro Christo legatione fungimur*, 2. ad Corinth. 5. 20. 2. ad Cor 5. 20. Iam Chrysostom. quamuis de quiete, & otio superiora verba acceperit, hæc etiam cum Sacerdotio, Chrysost. & prædicatione pugnare sic modo affirmat: *Nam qui requiem quærit, non quæ Christi sunt, sed sua quærit: oportet enim paratos nos esse ad quemuis laborem, ad quamuis miseriam subeundam.* Eadem in- Theophyl. quiens Theophylact. subiicit, *Proh dolor, quam longo è Christo interuallo distamus, qui eius gratia nihil nisi quod gratum sit, & oblectet, ducimus tolerandum.* Exod.28.34. Arnold. Apto hîc nonnulla ex iis, quæ de Sacerdotis munere longius differit Venerab. Arnold. Abbas tractat. de vltimis verbis Domini in Cruce; dum singula Sacerdotis ornamenta eleganter explicat. Etenim cùm hyacinthinam vestem ad puritatem, & candorem animi retulisset, aurea tintinnabula ex ipsa dependentia eò ire affirmat; *quod viri contemplatiui, quorum conuersatio in cœlis est, & qui quæ sursum sunt, sapiunt, non quæ super terram, fidei Christianæ doctrinam, & maximè nouissimum* ad Phil. 3.20 *debent populis denunciare terribile iudicium: totusque* ad Colos. 3.2. *eorum incessus, & sermo resonare debet diuina my-* Matth. 25. 27. *steria, nec gratiam diuinam, quæ data est illis, pre-* Luc. 19.20. *mere, vel suffocare debent silentio. Quia non satis est acceptum in sudario reposuisse talentum, nisi à negotiatione seruus reuertatur cum lucro; nec prodest hyacinthina tunica, nec castitatis, continentiæque insignia Doctori sufficiunt, nec pacificus est ad Altaria sancta ingressus, si negligit annunciare impio viam suam, peccatique stipendium, cùm & ille non habens correctorem, in peccato suo pereat, nec prosit Doctori sua iustitia, cùm sanguinem errantis iudex de manu speculatoris requirat: nec magnum est sibi viuere, nisi satagat; & alios secum viuere.* Sic ibi; & eodem tractatu non longius à fine, occasione Rationalis pectori Sacerdotis hærentis, in quo nomina Principum tribuum inscripta erant, hæc subiicit. *In no-* Exod.28.21. *minibus Patriarcharum, quæ hærent pectori Summi Pontificis, hoc intimatur, quòd qui in regimine sunt, semper affici debeant pro his, qui ad eorum sollicitudinem pertinent, & quantum possibile est, recordari eorum debent ex nomine, & orationis exhibere suffragia, neque aliud illud pectus occupare debet, quàm animarum zelus, quia officij illius est, reuocare deuios, reconciliare erroneos, confirmare eos, qui proficiunt in iustitia, & qui deficiunt cohortari eos, ne desperent de venia.* Hæc & alia ibi Arnoldus.

Ad ea verba, *quæ sua sunt*, &c.

ADNOTATIO I.

Veros Euangelij ministros vnum Dei honorem, & proximorum salutem ob oculos habere.

MAGNO iure de Euangelij ministris Romæ tunc temporis commorantibus conquerebatur Chrysostomus, adeò in suam quietem, & securitatem pronos extitisse, vt hanc diuinæ gloriæ, & proximorum saluti præferre non dubitarent; cùm tamen ex munere quemuis laborem, siue calamitatem pro Christo perferendam vndique instructi, atque parati esse deberent. Potiori verò ratione non id solùm ipsis Anselmus, & alij Patres obiiciebant, sed quòd temporalibus commodis, & lucris plus iusto studerent, sæcularésque honores, & hominum gloriam sectarentur; cùm ab his omnibus, qui veri Ecclesiæ ministri censentur, alienissimos sese præbeant, quippe qui vnum Deum proportione habentes sui ipsorum quo ad sæcularium rerum incrementa, & commoditates maximè obliuiscuntur. In cuius quidem rei typo Moysi prædicandi, ac liberandi populum munus suscepturo pedum calceamentum soluere, hoc est, omnes negociationes, & sollicitudines sæculari, atque mortali vitæ adhærentes abiicere, ita præscripsit Dominus Exod. 3. 5. *Solue calceamentum de pedibus* Exod. 3. *tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est*; in quæ verba Theodoret. quæst. 7. in Exod. *Dicunt nonnulli,* Theodo. *eare significasse Deum, vt solicitudines sæculares abiiceret huius mortali vitæ adhærētes. Nam pelles vnde conficiuntur calceamenta mortuorum animalium sunt.* Cui pedum Moysis nuditati, vestis sacerdotalis. Rationale,

tionale scilicet pectori inhærens pulchrè concinit: ipsi enim doctrina, & veritas insculpta erant, Exodi 28. 30. *Quòd qui hac veste induitur, in qua litteris, doctrina, & veritas impressa est* (sic Arnoldus Abbas tractat. de sexto, & septimo verbis Domini,) *consecratum doctrinæ, & veritati pectus suum intelligat, neque debere sæcularibus negotiis, & actionibus, & lucris occupari.* Pulchrè *consecratum*, vt sacrilegij instar fuerit, sæcularibus næniis illud occupare, siue polluere. Vmbris verò siue figuris postea recedentibus, discipulisque suis, prædicatorum, & ministrorum Ecclesiæ formam Domino impertiente omnibus sæculi diuitiis, atque delitiis, immò quibusuis non omnino necessariis indumentis, aut alimentis ita etuebat, atque denudabat apud Matth. 10. 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Quæ verba non modò ad hæc exteriora, quæ videntur, sed ad interiorem animi institutionem cunctis carnis affectibus exuti, ita retulit Ambros. lib. 6. in cap. 9. Lucæ. *Quæ possunt, qui volunt ad eum deriuare tractatum, vt spiritualem tantummodo locus iste formare videatur affectũ, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solùm potestate reiecta, contemptisque diuitiis, sed carnis ipsius illecebris abdicatis.* Reddit rationem Bernard. epist. 42. ad Archiepiscop. Senonens. *Hoc tanto puritatis intima boncgloriari non potest veraciter, nisi qui extrinsecas gloriolas perfectè respuerit. Nec enim purè valet Dei, vel proximi quærere lucra, qui propria non contempserit.* Quàm appositè, quàm opportunè hæc sensa non tã vocibus, quàm affectu, & re ipsa expressit S. Eusebius Vercell. Episcop. & M. dum in epist. *Dum esset in exilio ad presbyteros & ad plebes quasdam Italiæ transmissa* fideles sibi subditos sic loquitur. *Vt enim agricola arbori bonæ inseruit illi, quæ fructuum causa non securim patitur, non ignibus mancipatur, ita & nos vestræ sanctitati non solùm seruitium secundùm carnem volumus, & cupimus exhibere, sed animas nostras pro vestra salute impendere.* Ita ille.

Hinc ille ministrorum Dei character, & nota Psalm. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Quæ verba siue sic afferantur ex sententia August. ad id loci & lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. Hilarij lib. 5. de Trinit. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. qui constituit spiritus in Angelos, & nuncios suos, id est, (vt inquit August. posteriori loco:) *Eos qui natura spiritus sunt facit esse Angelos suos, iniungendo eis officium nunciandi*, siue cùm aliis PP. eum sensum efficiant, Angelicas substantias Deum spirituales condidisse, quòd ipsis ad nunciorum siue ministrorum munus vti voluit; ad Ecclesiasticæ hierarchiæ angelos, hoc est, ad Sacerdotes, & ministros Ecclesiæ sic esse referenda, vt inde moneantur, nihil illis carnalium affectionum terrenæque concretionis inesse debere, sed in carne extra carnẽ habitaturos, soli spiritui qui bellũ cum carne indesinenter gerit, inhærentes, ita affirmauit ad id loci August. *Spiritus spirituales dicit. Bene facit Angelos suos spirituales, id est, nuncios verbi sui.* Luculentiùs verò Greg. lib. 11. Moral. cap. 3. *Angeli quippe, id est, nuncij in sacro eloquio nonnumquam prædicatores vocantur, sicut per Prophetam dicitur.* Labia Sacerdotis custodiunt sciẽtiam, & legem requiram ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. *Omnipotens ergo Deus Angelos, spiritus facit, quia prædicatores suos spirituales efficit.* Quò etiam it ignis imago, cum subinde componuntur: vt enim significet, eorum munus esse homines ad Dei amorem accedere, primum quidem denotat eorum naturã, atque animum, cui nihil terrenum possit admisceri, quin ad instar ignis absumat, & ad Dei obsequium traducat. Vnde citata epistol. Bernard. *Fidelis Pontifex, qui bona qualibet per manus suas transeuntia, siue diuina beneficia ad homines, siue hominum vota ad Deum, columbino intuens oculo nihil sibi retentat. ex omnibus; nec populi requirit datum, sed lucrum, nec Dei gloriam vsurpat sibi. Acceptum talentum non ligat in sudario, sed partitur nummulariis, à quibus & vsuras recipit, non sibi, sed Domino.* Et iure quidem: id enim nuncij, siue ministri officium, ratióque exigit, vt alterius personam gerat, alterius negotia procuret, ac proinde spiritus, siue ignis naturam habeat, cui nihil carneum siue terrenum possit adhærere.

Margin: Exo. 28. 30. — Arnold. — Matth. 10. 9. — Ambros. — Bernard. — Eusebius. — 2. — Psal. 103. 4. — August. — Hilarius. — Ambros. — August. — Gregor. — Bernar.

3. Et verò quamuis præfato Dauidis loco Angeli nomen ad officium, potius quàm ad naturam reuocetur, non ideo negandum, siue prætermittendum, hac etiam ratione cum cœlestibus spiritibus Sacerdotes, atque ministros Dei componi: quod sanè ex præfatis Christi monitis, quibus à terrenorum fæce, & cupiditate discipulos suos mundauit elicit Chrysostomus homilia 33. in Matthæum. *Exactissimè sublimioris vitæ fundamenta voluit iacere. Nam cùm ad vniuersi terrarum orbis magisterium ipsos missurus esset, non iniuria ad Angelicam, vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit.* Sed hac de re firmiorem habemus Christi sermonem: ipso enim ad septem Asiæ Episcopos Ioanne amanuense litteras dante, Angelorum nomine; generaliter primùm inquiens, *septem Stellæ, Angeli sunt septem Ecclesiarum*, Apocalyp. 1. 20. deinde singillatim in singularum epistolarum inscriptione, eos compellauit. Vt inde admoneantur eam ipsorum naturam esse, quæ à sæcularibus cupiditatibus, atque emolumentis adeò sit aliena, vt veluti carne exuta humanis affectibus non tangatur. Certè hac ratione Leuitico cauebatur præcepto, ne Sacerdos super patre, & matre pollueretur, Leuitic. 21. 11. Quod sic interpretatur Hieronym. in cap. 5. Matth. *Nullum affectum sciet, nisi eius cuius cultui dedicatus est.* Non obscurè innuens, in Sacerdote carnis, & sanguinis affectiones habere, idem esse ac turpiter contaminari humanis affectibus. Vnde citato loco Arnoldus Abbas hyacinthinam Sacerdotis vestem huc ita refert. *Vestis sanè illa hyacinthina animam in sanctimonia enutritam ad illum profectum indicat peruenire, vt Spiritu viuat, Spiritu ambulet à nemine iudicetur, & omnia iudicet. Hoc enim est summum Sacerdotium, ad hunc apicem sanctitatis attingere, vt totum se vir iustus cælestem exhibeat, moresque supernos, & diuinam exprimat formam.* Quæ Bernard. longiùs diffundens Eugenio Pontifici hunc in modum ingerebat lib. 4. de considerat. cap. 6. *Vacuum prorsus à sollicitudine rerum minorum, & vilium oportet esse animum tam magnis, & tam multis intentum rebus. Oportet liberum esse, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio. Oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio. Oportet rectum, quem nulla seorsum auertat sinistra intentio. Oportet cautum, quem nulla subeat furtiua suspicio. Oportet vigilem, quem nulla à sese abducat peregrina, & curiosa cogitatio. Oportet firmum, quem nulla concutiat repentina turbatio. Oportet inuictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio. Oportet amplum, quem nulla coarctet res temporalis amissio.* Ex quibus sic opportunè infert. *His te non dubites, & bonis priuandũ, & feriendum malis, si animum diuidens, & Dei rebus, & tuis pariter reculis volueris impartiri.* Sed quorsum

Margin: Chrysost. — Apoc. 1. 20. — Leuit. 21. 11. — Hieron. — Arnold. — Bernard.

hæc, *ab omni cura rerum sæcularium* (pergit citato loco Chrysost.) *liberos reddens, vt vni rei, prædicationi videlicet Euangelij solummodo vacarent.* Ita ille. [Chrysost.]

4. Hinc facilè spiritualem sensum deprehendes veteris illius præcepti de quo Deuteronom. 22. 10. *Non arabis in boue, & asino*; quod iure eò referas, vt omnis à Dei ministris lucri cupiditas, aut propriæ cupiditatis, ac temporalium emolumentorum studium abscindatur. Etenim, vt arandi officium bouisque imago Ecclesiæ ministeria, atque ministros denotant (Paulo sic interpretante 1. ad Corinthios 9. 9. *Scriptum est enim in lege Moysi, Non alligabis os boui trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit?*) ita asinus, quamuis portandis oneribus destinatum animal eos omnino adumbrat, qui sua quærunt, atque ad propriarum commoditatum præsepe indesinenter aspiciunt, sic vtrúmque animal describente Isaiæ cap. 1. 2. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*; atque hæc verba elucidante Basilio in commentario: *Obserua quia testimonio istius scripturæ probatur bos præ asino pleniorem obtinere intelligentiã. Bos enim suum nouit possessorem: asinus autem præsepe: idque solum docente Scriptura, quòd animal sit suffarcinando ventri deditiuum, eóque locum agnoscit, & solum suæ voluptati destinatum.* Quid enim hæc aptius sonare dixerit, quàm Dei ministros in Ecclesiæ campis vt boues araturos qui Christum *possessorem suum* agnoscant: hoc est, qui non quæ sua sunt quærant, sed quæ Iesu Christi, qui ad instar boum, & dúm viui sunt, sese totos fidelium vsibus, & profectibus mancipent; & pro Ecclesiæ vtilitate perpetuò laborent, & cùm mortalitatem expleuerint, proficua, ac salutaris populis eorum mors sit: dum vt carne sua bos moriens homines cibat, & alit, ita ipse facultates suas quotquot habuerint orphanis, & pauperibus alendis relinquant. Arcendos verò ab Ecclesiæ oratione & ministeriis, asinos, qui non tam ad possessorẽ, quàm ad præsepe, ad lucra scilicet, & vtilitates proprias irretorto oculo aspiciunt; & propria commoditate cuncta metiuntur. Ita quidẽ extra Christianam sortem ac disciplinam hæc quæ sua sunt quærentia & spectãtia animalia eiiciebat Synesius Cyrenes Episcopus epist. 5. quæ est ad Sacerdotes: vbi cùm ipsis dixisset, *Amputetur omnis lucri causa contentio, omnia Dei causa suscipiantur*; subiicit, *Quisquis autem per Ecclesiæ tuendæ speciem marsupium auget, atque hoc ipso quòd iis in temporibus vtilis esse videatur, quæ vim animi efflagitant, sibi potestatem conciliat, is est, quem nos extra Christianum consortium emandatum volumus.* Hæc ille. Nec sunt dissimilia, quæ cuidam præsbytero sic scripsit Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 354. *Sacerdoti pro opibus est virtutis ornamentum, pro voluptate castitas, pro luxu frugalitas, pro lætitia, eorum, quibus præest ad virtutem; quòd si quis contraria his instituta sequens Sacerdotij nomine gloriatur, hic prophanus est & imperio indignus.* Eadẽ Bernardo mens serm. 41. in Cant. vbi cùm monuisset: *Intermittenda plerũque dulcia* (contemplationis) *oscula propter lactantia vbera, nec quemquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus esse viuendũ,* sic statim dolẽter inclamat. *Væ qui benè de Deo & sentire, & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment* pietatem, *si conuertant ad inanem gloriã, quod ad lucra Dei acceperant erogandum, si alta* sapientes humilibus *non consentiant. Paueant quod in propheta legitur, dicẽte Domino,* Dedi eis autũ meum, & argentum meum, ipsi autem de argento & auro meo operati sunt, *Baal.* Ita Bernard. Quòd si iis Patribus obiicias, plures ea ratione extra Chrystianum consortium amandandos operarios, paucissimósque boues, hoc est, legitimos ministros, qui sincera affectione arationi Ecclesiæ incumbant, remansuros; ab hac difficultate sic se statim explicat Synesius, *Non maneam virtutem secu Deus, non illa societate nequitia indiget. Non Deo milites deerunt; & Ecclesia idonei, commilitones inueniet: hic quidem mercedis expertes, sed in cœlis plena mercede donandos.* Sic ille.

[Deutero. 22. 10.] [Ad Cor. 9. 9.] [Synes.] [Isid. Pel.] [Bernard.] [Osea 2. 8. Ioël 3. 5.] [Synes.]

Sed enim, si supradicti præcepti mentem introspexeris, non eos tantùm, qui oculos in præsepe habent defixos, & per Ecclesiæ tuendæ speciem marsupium augent, sed illos etiã, qui vno ad Deum oculo, altero ad suas commoditates, & lucra simul intuentur, ab oraculo coargui videris. Quid enim fuerit, in boue simul & asino arare? nisi & strenuum operarium in Dominica messe se exhibere, & de augendis pecuniis, & lucris sectandis æquè cogitare; cũ Ecclesiæ ministros, spiritus, ignẽ Angelos deceat, quibus nihil carnis, terreni veluti possit admisceri. Est quidem hic Bernardi sensus in Declamat. super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia:* sic nos admonentis, siue comminantis: *Clericus qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo: itémque clericus si quidpiam habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem: cum istis Dominus pars eius fieri non dignatur.* Nec mitiùs hac de re fuerit Chrysol. iudiciũ, serm. 170. dum Dominicæ messis ministeria cũ diuitiarum studio nõ cohætere, sic ait. *Cessa homo operibus tuis: sufficit tibi diuina paupertas: depone sarcinas diuitiarũ tuarum: onustus non potes per angustam viã ad opus Dominicæ messis peruenire, veni expeditus, veni liber ad opera, antequam nudus, & expoliatus infidelis omnibus operarius rapiaris ad pœnã.* At inquis, & vbi illud Pauli, *Quis militat suis stipendiis vnquam? Quis plantat vineã, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* 1. ad Cor. 9. 7. & post modum: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* quibus manifestè adstruit suo iure Sacerdotes vti, dũ quæ ad vitã tuendã, quæque sustentãdo corpori necessaria sunt, ex fidelium opibus sibi demetũt. Enim verò hæc nõ vetant Patres; nec Apostoli verbis vllo modo contrarij erunt, imò quidem ex illis ipsis quidquid superflui victus superuacaneique cultus in Sacerdotibus fuerit, quidquid diuitias aut cõmoditates sapiat, sic damnare, & resecare nititur inibi Chrys. *Est autem illud quoque obseruandum, quòd vbique seruauit symmetriã, ac moderationem, quærens solũ id quod est necessarium, vel vtile, non quod superuacaneũ: nõ enim dixit: Quis militat, & nõ est diues? sed,* quis militat suis stipendiis vnquam? *Neque dixit: Quis plãtat vineam, & aurũ non colligit, aut fructũ integrum nõ vindemiat? sed* ex fructu eius non comedit. Neque dixit, Quis pascit gregem, & de agnis *non exercet mercaturam? sed quomodo &* ex eius lacte non comedit? *Non ex agnis, sed ex lacte: ostendens quòd oportet Doctorem paruo solatio esse contentum, solóque necessario.* Hęc ibi Chrysost. & ab eo similia Theophyl. Viuitur ne ad hanc normam? Audi Bernard. citato tract. *Sed modico est natura contenta, nec multi sola in his necessaria quærunt, quippe minori facile satis obtinenda periculo Honorati incedere volunt, placere student hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia conformari.* Sic Bernar. Iam verò Hilarius eos qui Ecclesiastico prouentus ad explendas cupiditates suas conuertunt, cum Scribis & Sacerdotibus Christi sanguinem coëmentibus, siue etiam pro mendacio quo ipsius resurrectionem obscurare conati sunt, pecunias annumerantibus appositè componit. Etenim cùm de his Can. 33. in Matth. dixisset: *Principes verò Sacerdotum, qui debuerant conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem, perse*

5.

[Bernard.] [Chrysol.] [Ad Cor. 9. 7.] [Chrysost.] [Theophy.] [Hilarius.]

perseuerant in malitia , & pecuniam , quæ ad vsus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacij, sicut ante triginta argenteos dederant proditori , subijcit. *Omnes igitur , qui stipendiis templi , & his quæ conferuntur ad vsus Ecclesiæ abutuntur in alijs rebus , quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum , & Sacerdotum redimentium mendacium ,& sanguinem Saluatoris.* Verissimè nam Christi sanguine contra Christi sanguinem abutuntur, ipsúmque in terrenarum rerum mendaciis, sordibúsque profundunt. Nec rursus mihi obieceris è re Ecclesiasticæ dignitatis, esse habere diuitias, & cultura non ignobili splendere ; occurram enim tibi aurea illa , & Principe Ecclesiæ verè digna , Petri voce : Act.3.6. *Argentum , & aurum non est mihi,* Actuum 3 6. quam pro sua dignitate, & celsitudine,quæ ad manibus tractandum aurum nolebat descendere , emisisse affirmat Venerab. Balduin. ad id loci in al- Balduin. legor. Gotfrid. Tilm. hunc in modum : *Digna vox principatu Principis Apostolorum , Principis Ecclesiæ. Quid Petro & auro ? Nónne Petrus dixit :* Ecce nos reliquimus omnia , quid ergo erit nobis ? *De mercede quærenti non aurum repromittitur , vel argentum. Hæc enim contemnebat , quia in gloria gentium superbiebat. Vnde & agrorum pretia ad pedes ipsius , ac cæterorum à discipulis ponebantur. Meritóq; ante pedes quasi pedibus conculcanda , quæ indignum erat , vel manibus attrectari.* Hactenus Balduinus.

6. Ad hæc tam ex Pauli verbis , quæ generaliter sua quærere Sacerdotibus interdicunt , quam ex Angelorum natura , siue nunciorum ministerio , non lucra solùm & commoditates , sed humanas etiam laudes , & popularem gloriam omnino despicere , Ecclesiæ ministri debent; vnam Dei gloriam & honorem præ oculis habentes. Certè dum in Apocalypsi præfatæ Epistolæ Asiæ Episcopis à Domino mittebantur ; ideo singula eorum nomina silentio premi , & pro illis de Angelorum nomine signatè appellari, non abs re dixeris , quod non aliter se sibi ipsis mortuos exhibere teneantur,ac si in hoc mundo non degerent, nec ipsorum nomen hominibus notum,nec agnoscendum fuisset : de Dei solùm nomine , & proximorum vtilitate solliciti.Cui cogitationi non leuiter fauet mystica basium templi structura; in iis enim facta allusione ad quatuor animalia Dei currum vehentia leonis, bouis, aquilæ, & Cherubim imagines erant insculptæ. Sic enim 3. Regum 7. 28. & 29. *Et* 3.Reg.7.28. *fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, &c. & ipsum opus basium inter rasile erat,& sculptura inter iuncturas. Et inter coronulas, & plectas, leones , & boues, & Cherubim.* Quòd si , vt imago hæc prototypo currus, siue animalium vndequaque respondeat , aquilæ effigiem desideres; scito , inibi etiam insculptam esse, vt optimis coniecturis adstruit , & ad viuum delineat P. Villalpando 2. tomo in Ezech. p. 2. de postrema visione disp. 3. c. 39. & sic dilucidè affirmat Ioseph. Villalpan. lib. 8. Antiquit. c. 2. *Et inter iuncturas cœlaturis di-* Iosephus. *stinctæ alibi leonis effigie , tauri alibi , aut aquilæ.* Et rursus. *Qua parte effigies leonum , & aquilarum sic erant aptatæ , vt connatas putares interuenientibus inter eas palmarum arbusculis.* His verò basibus Prælatos , siue ministros Ecclesiæ adumbrari , sic monuit Bernard. in lib. de modo bene viuendi ad sororem,c.18. *Quicumque sollicitudinem regiminis su-* Bernard. *scipiunt,tamquam bases portant onus suppositum. Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur: in basibus Cherubim monstratur ; quia Prælati Ecclesiæ pleni esse debent cœlestis scientiæ, per leonem terror seueritatis figuratur; per bouem verò patientia mansuetudinis ostenditur : itaque in basibus neque leones sine bobus,neque boues sine leonibus exprimuntur , quia Prælati Ecclesiæ aliquando rigide , aliquando cum dulcedine , aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debent subditos suos corrigere.* Iam ,vt nostro instituto hæc aptauerim, interrogare placeat , cur cùm allusio ad mystica illa Ezechielis animalia hic fiat : eáque ratione Ecclesiæ basibus, siue Prælatis,atque ministris, leonis,bouis, & aquilæ facies, siue imagines subsint ; hominis mentio, qui inter Ezechielis animalia conspicitur, omnino supprimatur eiúsque facies à Prælati , siue Sacerdotis conspectu retrahatur :Et verò opportuna ad manum responsio est, eadem ratione hominis faciem hîc supprimi , ac in præfata epistolarum inscriptione Antistitum nomina reticentur ; ne videlicet sese Prælatus intueatur,ne sua quærat, atque procuret,ne cum leonem fortem , aut bouem mansuetum, siue etiam cum aquilam acutissimè intuentem,& vehementiùs volantem se exhibet, atq; his egregiis animi dotibus, atque virtutibus de subditorum sibi moribus atque erratis palmam refert (hunc enim faciunt verba Iosephi, *interuenientibus inter eas palmarum arbuscu-* Iosephus. *lis*) imaginem suam contempletur,suúmve his interserat nomen , sed ad Dei laudem & gloriã cuncta referat ; cuiusque nomini adscribat victoriam. Quod sanè non obscurè inibi innuitur, dum in hominis locum, Cherubini facies subrogata cernitur, vt nimirum nulli iam humani affectus Prælatum tangant,sed vt Dei nuncius , quæ Dei sunt quærat , quæ proximorum sunt, curet : atque vt bonus Angelus ad Dei gloriam sese vndequaque componat. Vnde & Angelis custodibus in summi Patris faciem perpetuò intendere , & de potentioribus cœlestis militiæ spiritibus non nisi ad audiendam illius vocem , & quærendam ipsius gloriam pronos , atque inclinatos esse , notanter dicitur : sic namque Dominus Matth. 18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei , qui in cælis est* : vt dicere videa- Matth. 18. 10. tur, ipsos in hominibus custodiendis, atque tuerandis vnum Dei honorem ob oculos habere , nec ad sua vllo modo respicere Ad quem modum Dauid Psal. 102.18. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute facientes verbum illius ad audiendam* Ps.102.18. *vocem sermonum eius* : vbi præpositionem ad sic optimè expendit Agellius. *Alia in hoc beatorum Angelorum proprietas indicatur , qui faciunt verbum Dei ,* Agellius. *non vt propriam gloriam quærant , quod malorum est Angelorum, sed tantummodo vt iubentis imperio pareant : nam obedire Creatoris imperio,id suarum actionum factorúmque finem statuunt , & summum sibi decus in eo positum putant,si Dei voluntati obsequantur.*

Hinc de Apostolis, & Apostolicis viris Euangelicis institutis mundum imbuentibus, egregiúmque 7. de illo triumphum referentibus dicebat Vates Psal. 46. 9. *Principes populorum congregati sunt cum Deo* Ps.46 9. *Abraham, quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*;sed obserua in fonte Hebræo non legi *eleuati sunt* , sed *eleuatus est*. Quod si inquiras, quî hæc constructio possit subsistere ? aut cur Vates locu- Heb.Lect. tionis seriem & numerum mutauerit ? inquiens: *quoniam dij fortes terræ vehementer eleuatus est.* Respondebo ex Agellio ibi , hoc verbo *eleuatus est*, de Dei exaltatione & eleuatione sermonem esse (non quòd creuerit,& in altiorem gradum ex submissiore progressus sit , sed quòd sublimis agnitus , & super omnes Deos , ac Reges, & gentes excelsior declaratus :) à Dauid de industria factum, & pro plurali numero , quo Apostolorum eleuatio & gloria exprimeretur, emphaticè substitutum , quòd & si non mediocrem gloriam, & exaltationem Euange-

lica illis prædicatio pepererit eodemmet Vate dicente: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum:* Psal. 138.17. at enim quòd quidquid splendoris, & gloriæ inde oriretur, vni Deo foret adscribendum, atque ipsimet Apostoli reapse Deo vnicè adscripserint; quamuis sensus, & verba vatis externam rerum faciem intuentia eò propenderent, vt Apostolorum gloriam declararent, altiùs ipse rem penetrans stylum conuertit, & numero commutato vnius Dei exaltationi totum annumerauit compendio se vti existimãs, ac si diceret, egregios Christi ministros nihil sibi honoris, & laudis adrogasse, sed totum ad Dei gloriam retulisse: consentiunt ergo Hebræa, & Vulgati lectio, nec ab hac illa it, quod in Apostolorum eleuatione vnicè fuerit Christus exaltatus; omni honore, atque exaltatione ipsis sese exuentibus, & in illum deriuantibus, ac transferentibus.

Psal. 138.17.

8. Quò rursus refero impositum Moysi præceptum de calceamentis pedum soluendis, cum liberandi, gubernandique populi cura fuit ipsi commissa Exod. 3.5. Cyprian enim lib. 2. aduers. Iudæos, n. 19. & Ambros. lib. de benediction Patriar. sic id acceperunt ac si inde moneretur, ne ad Ecclesiam tamquam sponsus, sed quasi paranymphus, aut nuncius accederet; sponsi honorem vni cedens, ac tribuens: nimirum is apud Hebræos mos erat, vt cui, ad illius vxorem, qui sine liberis decessisset, ducendam, ius esset; si iuri suo renunciare: & in alium transferre vellet, calceamentum sibi in eiusmodi cessionis signum detraheret Deuter. 25.7. & Ruth 4. 7. Opportunum sanè Prælatis, Doctoribus, & Ecclesiæ ministris documentum, ne se sponsos, sed sponsi nuncios faciant, ne, inquam, sua quærant, sed quæ Iesu Christi. Quam ad rem acutè traxit Venerab. Radulphus in allegor. Gotfrid. Tilman. Leuiticum illum canonem: *Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibum tam de auibus, quam de pecoribus*, Leuit. 7.26. hunc in modum. *Doctores sancti cum eruditione sua quemquam ad scientiæ studium prouehunt, quasi spiritualem ouem offerunt: huius autem sanguinem non comedunt, quia amorem discipulorum non conuertunt in se, sed ad Christum transmittunt. Planè enim iram sponsi prouocat puer, qui ad sponsæ ministerium deputatus loco sponsi amari se affectat. Unde beatus Apostolus fidelis minister Ecclesiæ.* Non nosmetipsos (inquit) prædicamus, sed Iesum Christum Deum nostrum. Hæc ille. Nec quæ subdit omittenda: *Sed nec pecorum, si qua Deo immolant sanguinem, edunt, quia cum simpliciores erudiunt, pestem cupiditatis, quam de eorum cordibus excludunt, & ipsi quoque à se abijciunt.* Castigo ait, corpus meũ, & in seruitutem redigo. Hactenus Radulphus.

Exod. 3. 5. Cyprian. Ambrosius. Deuter. 25. 7. Ruth. 4. 7. Radulph. Leuitic. 7. 26.

9. His mirè concinit Ezechieli prædicationis muneri destinato, facies à Domino attributa, ipsomet dicente: *Vt adamantem, & silicem dedi faciem tuã*, Ezechiel. 3. 9. si tamen Hebræam vocem שָׁמִיר *samir*, quæ adamanti respondet, pensiculatiùs consideraueris. Sanè, vt Marinus Brixianus in arca Noë in huius vocis expositione obseruauit, non adamantem solùm, sed æquè etiam magnetem, notissimum lapidem, qui allicit ad se ferrum, significat. Fuerit verò maximè mirandum vtroque magnetis, & adamantis lapide Vatis faciem construi; cùm inter se ipsi omnino diffideant. Nec enim à Plinio tantùm, sed ab Augustino etiam de adamante traditur, magneti adeo repugnare, vt iuxta illum positus vim retinendi ferrum, ipsi adimat, & adepta præda statim spoliet, atque eam veluti ex manibus extorqueat. Do sacri, & prophani scriptoris testimonia: sic namque August. lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. *Quid enim de magnete legerim, dicam. Quando iuxta eum ponitur adamas, non rapit ferrum, & si iam rapuerat, vt ei appropinquauerit, mox remittit.* Similiter Plinius lib. 37. cap. 4. *Adamas dissidet cum magnete lapide in tantum, vt iuxtà positus ferrum non patiatur abstrahi, aut si admotus magnes apprehenderit, auferat.* Sed enim in his tam compugnantibus vtriusque lapilli naturis, Prælati siue ministri Ecclesiæ animus, & ingenium formatur, vt nimirum vna ex parte tamquam magnes ferrum, homines ad se alliciat, trahat, elucretur, deuinciat, ex alia verò adamantem se exhibens, capta præda sese abdicet, atque spoliet, & in Christum transferat; ne Dei nuncius, atque minister. *quæ sua sunt*, quærat, *sed quæ Iesu Christi.* Ita quidem Domine Matth. 21. 2. Petro & Ioanni præcipiente, vt asinam, & pullum eius soluerent; quod ex Chrysost. & aliorum Patrum expositione homines dæmonis tyrannide oppressos, Apostolorum, & ministrorum Christi prædicatione, atque doctrina soluendos, liberandósque designat; subjecit, *& adducite mihi.* quasi diceret, vt magnetes attrahite, allicite, elucramini, & à peccatis soluite, atque è terrenis cælestes efficite, sed vt adamantes id totum è vestris manibus extortum in mei gloriam reuocate, nec hilum inde honoris, aut claritatis vobis assumite. Quàm verò exactè Christi iussa Petrus, Ioannésque perfecerint. illud satis ostendit, quod à Luca Actuum 3. 12. de ipsis in Christi nomine claudo sanitatem reddentibus, exhibitúmque sibi à populo honorem pertinaciùs repudiantibus sic refertur: *Cùm teneret autem Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes: videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israëlitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute, & potestate fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, &c. & in fide nominis eius, hunc quem vos vidistis, & nostis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.* Et statim. *Pœnitemini igitur, & conuertemini, vt deleantur peccata vestra.* Vides Apostolos, vt magnetes omnium animos ad se primum allicientes; mox verò vt adamantes prædam respuentes, & à se excutientes, dum vni Deo gloriam, atque omnium hominum corda Christo tradere, conati sunt? *Signum quippe faciens*, (inquit hac de re Gregorius Magnus hom. 5. in Ezech.) *intuentium oculos miraculi lumine perstrinxit, sed humilitatem custodiens laudem auctori reddidit.* Ita ille.

Ezech. 3. 9. Lect. Heb. Marin. Brix. Augustinus. Plinius. Matth. 21. 2. Chrysost. Act. 3. 12. Gregorius Magnus.

10. Hinc certè quotquot Ecclesiæ Prælati, atque ministri sunt, *lux mundi* à Christo Domino Matth. 5. 14 & à Daniele c. 12. 3. micantes stellæ optimo iure compellantur: *Qui ad iustitiam*, inquit, *erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Nimirum lux siue sydera non sibi, sed auctori cum primis suo, dum ad eius laudes omnium animos incitant; deinde hominum vtilitati lucent: ita lucis fructum, & munia inibi explicauit Dominus subinferens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est:* nec aliter Propheta Baruch capite 3. 35. *Luxerunt cum iucunditate ei, qui fecit illas:* non sibi honorem, laudémve adscribentes, sed in omnibus Dei gloriam, & proximorum vtilitatem procurantes, ac proinde pura luce, & splendore collucentes. *Porro puritas cordis* (inquit Bernardus citata epist. 42. ad Henricum Senonensem Episcopum) *in duobus consistit: in quærenda*

Matth. 5. 14. Dan. 12. 3. Matth. 5. Baruch 3. 35. Bernard.

renda

tendaglorias Dei, & vtilitate proximi, vt in omnibus videlicet actis suis, vel dictis nihil suum quærat Episcopus, sed tantum aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut vtrumque. Hoc enim agens implebit non solum Pontificis, sed & etymologiam nominis, pontem vtique seipsum faciens, inter Deum, & proximum. Pertingit pons iste vsque ad Deum ea productus, qua non suam, sed illius gloriam quærit. Pertingit vsque ad proximum ea pietate, qua & ipsi non sibi placere desiderat. Sub quo quidem sensu non semel in Canticis (Cant. 4. 9. & 5. 12. & 7. 4. Nyss. cant. Orig. in.) Prælati, ac Doctores faciei Ecclesiæ lumina siue oculi appellantur c. 4. 9. & cap. 5. 12. & c. 7. 4. non ea solummodo de causa, quod Prælati instar oculorum inquit Nyssen. *in Ecclesia super intendunt*, siue quia *scientia lumen* (vt vult Origen. homil. 17. in Genes.) *vniuerso corpori præstant*, sed signatè, quod vt oculi dum alia vident, & omnium membrorum corporis duces sunt, & se ipsos non vidēt, ita illi scientiæ, perfectæque gubernationis lumen aliis ministrantes se ipsos non intueantur, nec sua, sed quæ Iesu Christi sunt quærant. Quam imaginem dum elegāti penicillo illustrat Nyssen. in cōmentar. illius loci cap. 5. 12. (Nyss.) *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum*, id primum in spiritualium horum luminum laudem ex lactis lotione, qui vni inter humida hæc proprietas inest, vt nullius rei vmbra, aut simulachrum in eo conspiciatur; ait. *Quò fit, vt hæc oculorum Ecclesiæ sit laus perfectissima, quod nihil, quod non subsistit in rerum natura, nihil erroneum, nihil vanum præter ipsam rerum veritatem, veluti vmbraculi quodam simulachro repræsentent, sed ipsissimam veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris, & imaginationibus nequaquam admissis.* Deinde in eos qui sibi potiùs quàm Deo lucere student, quique se ipsos semper intuentur, sua quærētes, sua procurantes ita inuehitur. *At nunc plerique oculi spirituales neglectis aquis hisce, ac parui facientes assiduitatem in verbo Dei, vel auaritiæ sibi lacum fodiunt, vel in vanæ gloriæ lapidicinis versantur, vel in superbiæ puteo laborant, vel alios deniq; lacus erroris studiosè fodiunt, quorum natura sic comparata non est, vt aquam illam tantopere expetitam continere perpetuò possint, semper huius vitæ honore, potentia, gloria, quas res mirificè multi expetunt, vna cum ortu suo defluentibus, nullúmque vestigium inanis operæ in deceptis relinquentibus.* Hactenus Nissenus.

10. Qua sanè ratione malos pastores, atque Doctores à bonis discriminabat, & veluti lydio lapide dignoscendos proponebat Dominus Matth. 7. 15. (Matth. 7. 15.) inquiens: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Nam dum hæ ouis, lupíque similitudines non vno modo à Patribus interpretantur, non abs re eas retuleris ad eos Prælatos, & Sacerdotes, qui sinceram muneris sui faciem, ex quo instar ouium proprio lacte fætus suos alentium, subditos suos confouere & sustentare, & *sincera affectione* ad Dei gloriam laborare debent, gestare videntur, eo modo, quo sponsa sub hoc sensu celebrantur, quòd eximiæ in Deum & proximum charitatis vestibus sit ornata: ait enim Salomon Cantic. 4. 11. (Cant. 4. 11. LXX.) *Odor vnguentorum tuorum* (siue, vt LXX. habent, *vestimentorum tuorum*,) *super omnia aromata.* Et paulo post, *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, in quæ verba Philo Carpathius (Philo Carp.): *Euangelica est enim* (inquit) *hæc charitas, quæ regali vestit amictu, cælesti pascit alimonia, ineffabili replet gaudio.* Benè quidem in odore charitatem agnoscens; quippe odor non tam ei qui secum illum defert, quàm aliis deseruit; vti ex Plin. (Plin.) lib. 13. cap. 3. de nimio odorum vsu dicente: *Tanti emitur voluptas aliena.* vidimus hoc eodem cap. vers. 7. adnot. 2. num. 2. at verò, adeo non sint oues, vt lupos potiùs rapaces, prædæ inhiantes, sua quærentes, diuitias auarè coaceruantes, sese exhibeant, ita post citata verba Philo: *Hæc igitur amplexentur, & teneant, qui sine causa laborasse nolunt; multi enim multa vestimenta habere videntur, sed quia sincera charitate carent, luporum sunt, non ouium.* Quare populo pòst Dominus apud Matth. notanter subijcit; futurum esse, vt illis in die iudicij dicentibus: *Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus*; (Matth 7. 22. & 23.) ipse confiteatur, siue (vt legit Author oper. imperf.) iureiurando affirmet. *Quia nunquam noui vos.* Quia videlicet non Deo, sed sibi luxerunt, ita inibi Philo: *Vnde in die illa tremenda cùm dicent*: Domine (Philo.) nonne in nomine tuo prophetauimus, & signa multa fecimus? *Audient miserrimi*: Nunquam noui vos; *Sibi enim non Deo laborarunt, & placuerunt.* Sed enim obseruatu digna est illa locutio, *Nunquam noui vos*: nam præter germanum sensum, cōsuetúmque Scripturæ morem, quo Deus quod probat noscere dicitur, facta videtur allusio ad externa ouium vestimenta, fictámque muneris personam, quam dum in viuis erant, præ se ferre visi sūt: & ad lupi ingenium, & mores, qui in die iudicij tanquam verus animi habitus dempta adscititia forma tam iudici, quam omnibus innotescent, quasi humano more loquens neget se hos, atque illos vultus à se inuicem discordantes Christus agnoscere, dum ij, quos veros lupos esse constat, oues se simulantes, pastorum, Doctorúmque munera, & merita remuneranda obijciūnt. Nec omittenda exhortatio siue increpatio quam his verbis attexit Bernard. in serm. ad pastores in Synodo, vbi cùm illa de hæreticis interpretatus esset, subijcit. *Neminem* (Bernard.) *vestrum credo esse hæreticum, omnes creditis in Deum trinum, & vnum, quia passus sit & sepultus, quia descendit, & ascendit. Facit tamen hæc fides catholicum? Hac fide vtique dæmones essent Catholici; quia vt dicit Iacobus*, credunt, & contremiscunt. (Iacob. 2.) *Verum vtiq; Catholicum, non facit fides communis dæmonibus, & hominibus, sed ea tantùm, quæ communis est hominibus, & Angelicis spiritibus, quæ est illa? quæ per dilectionem operatur: de qua Apostolus dicit*, Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur. (ad Gal. 5. 6.) *Hac fide ipse prædictus erat, cùm diceret*: Dum tempus habemus, operemur bonum, maximè autem ad domesticos fidei, (ad Gal. 6.) *non sæculi. Habetis hanc fidem? Vtinam. Sed hæc est fides, quæ vincit mundum, quia* hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, 1. Ioan. 5. 1. *Dixerim vos vincere mundum, an vinci à mundo? Video Ecclesias vestras malè tractatas: video quasdam semirutas, quasdam omnino obrutas: video in villis solitudinem, in agris silentium, & vbique exterminium, video in militibus insolentiam, in hominibus inobedientiam, in omnibus insipientiam.* Libēter tamen suffertis huiusmodi insipientes, cùm sitis ipsi *forsitan* sapientes. (2. ad Cor. 11.) *Sustinetis enim quòd vos in seruitutem redigant, quòd deuorent, quòd accipiant, quòd super vos extollantur, &c. An hæc patimini, vt in patientia vestra possideatis animas vestras. Patientia enim nobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes fructum cum gaudio reportemus. Toleratis hæc, vt voluntatem Dei faciatis? Non vtique, sed vt vestram voluntatem propriam impleatis, vt carnis vestræ indulgentiùs curam geratis, vt pueris vestris, & parentibus commodiùs prouideatis, & villis tyrannorum in pace eorum inhabitetis viuentes nemoribus, & agros colentes. Propter hoc palpatis Principes*

&

& Potestati tenebrarum harum. Hæc & alia quæ in longum eunt Bernardus ibi.

VERSVS XXII.

Experimentum autem eius cognoscite, quia sicut patri filius mecum seruiuit in Euangelio.

Cognoscite.

1\. GRæcè est γινώσκετε; ancipiti dicendi forma: nam æquè significat *cognoscite*, & *cognoscitis*. quare Syrus interpres, Ambros. & alij indicandi modo maluerunt sic legere: *Porrò experimentum huius nostis*; & eò etiam manifestè Græcorum explicatio it: sic enim Chrysost. *Ne id à me temerè dici putetis, vos quoque, inquit, hoc scitis.* Similiter Theophyl. *Vtar, inquit, & vobis in hac re testibus, &c.* Nimirum Paulo in prædicando Philippensibus Euangelio socius fuerat Timothæus, vt ex cap. 16. Actuum non difficilè colligitur. Præstat tamen à Vulgato non diuelli, cui Primas. Anselm. S. Thom. & recentiores interpretes adhærent. *Timotheum quidem* (inquit Anselm.) *vobis mittam; vos autem cognoscite experimentum eius, id est, quomodo sum expertus fidelem in omnibus, in vita & doctrina.*

Lect. Syriac. Ambros. — Chrysost. — Theoph. — Primasius. S. Thomas. Anselm.

Sicut patri filius.

2\. *Primas.* LOngissimè petitus videtur prior è duobus sensibus quos his verbis aptat Primasius, dum ad Dei filium in humani generis redemptione Patri vsque ad mortem obedientem sic refert hanc similitudinem: *Secundum hominem propter hominem factus est vsque ad mortem obediens.* Subdit alterum sensum, *Vel aliter: sic seruiuit, tamquam ego eum carnaliter genuissem.* Meliùs id quidem, sed nec satis explicatum. Ergo inquit Paulus, vel hinc deprehendite, quanta Timothei sanctitas, siue quàm opportunus atque egregius Euangelij minister ipse sit, qui non aliter, ac parenti filius suam mihi operam in Euangelicæ doctrinæ promulgatione sedulò, & constanter præstitit. Ita Chrysost. *Vos quoque, inquit, hoc scitis, illum mihi item vt patri filium in Euangelium seruisse.* Theophylact. *Vtar & vobis hac in re testibus, vt ille mihi tamquam parenti operam suam præstiterit. Nec solùm in hoc, quæ corporis sunt, ministerium præbuit, sed etiam in Euangelio prædicando. Is itaque, siue quia vt filius mihi seruiuit, siue quia sit Dei minister, meritò est honore dignandus.* Ambros. *Et quia Timotheus vir erat egregius, atque quia probatum hunc habebant, quia erat cum eo, vt filius charissimus deseruiens Euangelio Christi.* S. Thomas: *Et si vultis scire, quomodo se habeat ad me? Respondeo:* Experimentum eius cognoscite, &c. *Id est, quasi esset specialis filius*, 1. ad Corinth. 4. ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino. Sic S. Thom. Hæc vt Patribus probata, & frequentiora apud interpretes; probabiliora, & firmiora esse quis ambigat? Alium verò non minus congruentem his verbis sensum iam reddo.

Chrysost. — Theoph. — Ambrosius. — S. Thom.

Mecum seruiuit.

3\. MOdestè nimis, & venusto artificio dixit Paulus: *Sicut Patri filius mecum seruiuit* cum filij similitudo, à Patribus eo modo quo vidimus explicita, videretur exigere, vt Paulus non *mecum*, sed *mihi seruiuit*, diceret. At enim à vi similitudinis, atque ab ipso locutionis decursu maluit ipse deflectere, & Euangelio potius, quàm sibi Timotheum inseruijsse, memorare, vt bene obseruatum est à Cornelio. Est sanè disertus semper Paulus, semper comis & vrbanitate limatus, qui modestiã, & demissionem, orationis elegantiæ gestiat præponere: sed quæ oro maior elegantia? siue orationis venustas.

4\. *Anselmus.* Ab hac tamen explicandi ratione abit Anselmus, qui Timothei ingenuitatem, egregiúmque animi candorem quo tanquam patri obseruisse dicitur, non ad Paulum, sed ad Deum sic refert: *Quia sicut filius patri deuotè obedit, ita mecum Deo seruiuit in Euangelio prædicando, in quo potuit experiri*, cui expositioni magnopere adstipulatur lectio Syriaca, & Ambrosiana, quæ reponit: *Tanquam filius cum patre suo sic seruit, & operatur mecum in Euangelio.* Iuxta quem sensum filij imago optimè cohæret cum præcedentibus, in quibus de *sincera* Timothei *affectione*, qua mercenarijs, & sua quærentibus valde dissimilis Euangelio disseminando incumbebat, Paulus egerat, etenim id filij erga parentem proprium est, vt ipsi nec supplicij metu, nec mercedis illecebra obsequatur, & pareat: vti sapienter monuit Gregor. Nazianz. orat. 40. in S. Baptisma hunc in modum. *Tres enim eorum qui salutem consequuntur classes esse scio: seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum: si seruus es, plagas metue, si mercenarius, mercedem dumtaxat expecta: sin autem super hos assurgis, ac filius es, patrem verere, ac bonis operibus stude, quia bonum est, patri obtemperare, etiam si ex ea re nihil quæstus ad te redditurum sit: hoc ipsum merces est, patri obsequi.* Possis etiam & filij phrasim siue imaginem ad imitationem referre, sicut & ipsemet Paulus ad Ephes. 5. 1. ait: *Estote ergo imitatores Dei sicut filij charissimi:* etenim filij non natura solùm siue procreatione dicuntur, sed quòd & parentum imitatores, siue æmulatores operum ipsorum sint: de quo alibi.

Lect. Syr. Ambros. — Nazian. — Ephes. 5.

In Euangelio.

5\. GRæcæ Εἰς εὐαγγέλιον: vide aliis in locis de [illegible] & iis à nobis obseruata.

VERSVS XXIII.

Hunc igitur spero me mittere ad vos, mox vt videro, quæ circa me sunt.

1\. INSISTIT spei suæ Paulus non modo, vt fortis & strenuus quod dicebat Tacitus alibi à nobis adductus, sed vt maximè in Deum pius, ac religiosus. *Iustus quippe, semper sperat* (sic Ambros. serm. 19. in Psal. 118.) *& in aduersis positus, & frequentibus afflictus ærumnis desperare non nouit, sed quò grauiora tolerauit magis sperat, & sperandi sumit profectum.* *Ambros.*

Hunc

Hunc igitur.

2. S.Thom. Chryſoſt. 1.ad Cor. 6. Theoph.

EMphaſim habet pronomen illud; quaſi dicat: Hunc tam eximiæ ſanctitatis virum præclarúmque qui egregiam operam Euangelio, & mihi præſtat. Ita S. Thom. *Hunc ergo ſic ſollicitum pro vobis, ſic mihi charum, &c.* Vt videlicet gratanti animo à Philippenſibus exciperetur, magnóque in honore haberetur: ſic dixerat ad immediata Chryſoſtom. *Meritò hîc Timotheum commendat, vt apud illos magno in honore habeatur. Hoc etiam ad Corinthios ſcribens facit iſtis verbis.* Ne quis illum ſpernat; opus enim Domini ſicut & ego, 1. ad Corinth. 6. *Non tam illis proſpiciens, quàm iis qui ipſum recipiunt, vt magnam reportent mercedem.* Et eius vmbra Theophylact. *Hunc in modum apud Philippenſes commendatiorem hunc facit. Neque adeò ob Timothei profectum gaudet Paulus, quàm illis congratulatur, quia ex huius ſermone plurimum ſint profecturi, ſi modò paruerint, & maiora ſint præmia habituri.*

Mox vt videro.

3. Chryſoſt. Primaſ. S.Thom. Iuſtinian. Græca lectio.

CHryſoſtom. *id eſt, Vbi videro, quis ſit ſtatus rerum mearum, quémque ſint exitum habituræ.* Primaſius, mox vt videro: *Quia modò adhuc incertus ſum* Occurrit ſanctus Thomas *Sed quare non ſtatim?* Reſpondet verò: *Sciendum, quòd aliter eſt de Chriſto, & de aliis Sanctis. In Chriſto enim eſt plenitudo gratiarum, vnde habuit ſemper notitiam omnium, non ſic alij Sancti. Vnde Apoſtolus prævidebat aliqua de futuris circa ſe, aliqua ignorabat, & ſic non relatum erat ſibi an deberet liberari de vinculis, & ideò dixit Mox:* Probabilior tamen videtur Iuſtiniani coniectura ideo hæc ſubieciſſe Apoſtolum, quòd Timothei opera ad ea expedienda, quæ ad priuatam ſuã cauſam, ſuáque vincula pertinerent, opportune vteretur: id quod ex Græco fonte facile firmare potuiſſet; additur enim ibi ἐξ αὐτῆ, *ex ipſo*: vt dicere videatur; cùm primum *ex ipſo* didicerim, quis rerũ mearum ſtatus ſit, & quo in illis modò me gerere oporteat. Nouerat fortè Timotheus technas, atque inſidias, quas iuſtitiæ prætextu; quæ omnium periculoſiores, & peiores ſunt, aduersùs Paulum eius æmuli ſtruebant, & moliebantur; & modum, quo illæ ſubterfugiendæ eſſent.

Quæ circa me ſunt.

SImilis locutio cap. 1. verſ. 12. Quare vide ibi dicta, num. 3. & præter ea integram ea de re adnotationem accipe.

Adnotatio Vnica.

Iuſtos à tribulationibus nullo modo lædi: impios illis opprimi.

1. DIxi ad verſ. 12. cap. 1. num. 3. pro his verbis, *quæ circa me ſunt*; quæ vt ſignificaret vincula, & tribulationes, quas Dei cauſa patiebatur, imbi etiam ſcripſit Paulus, Ambroſium, & alios legere, *quæ mihi acciderunt*: quæ pulchrè oſtendunt labores, & tribulationes quantumuis grauiſſimos, & aſperrimos confinxeris, adeò iuſtos non frangere, vt nec primo illorum labra intrent, nec ad illos pertinere videantur; quippe in eorum exiſtimatione duriſſima quæque tribulatio non cenſetur ſubſtantia, ſed accidens; nimirum ea accidentis natura eſt, vt æquè adeſſe & abeſſe ſubiecto poſſit præter ſubiecti corruptionem: illius videlicet eſſentia inuariata & immutata manente: quod nec Senecam, nec Epicurum ipſum videtur latuiſſe cum epiſtola 66. dixerit Romanus. *Poteram reſpondere quod Epicurus ait: Sapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, dulce eſt, & ad me nihil pertinet.* Et rurſus de Epicuro Tullius Tuſcul. 5. *Epicuro dicere licebit. Nullum ſapienti eſſe tempus, & ſi vratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare. Quam pro nihilo puto!* Quod alibi ſic confirmat idem Seneca. *Quomodo quorumdam lapidum inexpugnabilis ferro duritia eſt, nec ſecari adamas, aut cædi, vel deteri poteſt, ſed incurrentia vltro retundunt; quemadmodum quædam non poſſunt, igne conſumi, ſed flamma circumfuſa rigorem ſuum, habitúmque conſeruant; quemadmodum proiecti in altum ſcopuli mare frangunt, nec ipſi vlla ſæuitiæ veſtigia, tot verberati ſæculis, oſtentant; ita ſapientis animus ſolidus eſt, & id roboris collegit, vt tam tutus ſit ab iniuria, quàm illa, quæ retuli.* Ita ille lib. de Conſtantia Sapientis c. 5. ſapientis animum ſolidum ſapienter faciens quem calamitas, aut vexatio intrare nequeat, ſed *circa ipſum* Paulina phraſi, hoc eſt, extra illum ſit.

Seneca. Marc.Tull. Seneca.

2. Prou. 12. 21. Hebr. lectio. 2. ad Cor. 4. Chryſoſt. Anſelm. Theoph. Græca lectio.

Concinit Paulo Salomon Prouerbiorum 12. 21, inquiens: *Non contriſtabit iuſtum quidquid acciderit ei: impij autem replebuntur malo.* quæcumque dura, quæcumque triſtia in iuſtum poſſint incurrere ad accidentium nomen, & conditionem reuocans; ac proinde ab illis ipſum, nec de ſtatu deiiciendum, nec triſtitia ſuffundendum: ſed obſerua Hebræum verbum, *abach*, pro quo noſter poſuit *contriſtabit*, quod propriè ſignificat *tangere*: vnde doctiſſimi ex tranſlatoribus legunt: *Non tanget iuſtum quidquid acciderit ei.* At nouum id, atque incredibile dixeris cum iuſtos ſæpiùs videamus calamitatibus, & anguſtiis tactos, & attritos. Quid nimum extra mortalium ſortem? aut extra mundum ipſum, aut gallinæ albæ filij (vt eſt in prouerbio) fuerint? quos labores, & tribulationes non tangant? Obſtat tamen voce & reapſe Anaxarchus ille, qui ad tyrannum diris ictibus illum in piſtrino contundentem placido animo, nec nubilo vultu dicebat: *Tunde, tunde pellem Anaxarchi: Anaxarchum enim* non tundis. ſed pleniùs tibi ſatisfecerit Paulus alicubi affirmans: *In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur*, 2. ad Corinthiorum 4. 8. vbi primùm pendas velim illud *in omnibus*, quòd ſic explicat Chryſoſtomus. *In hoſtibus, in amicis, in rebus neceſſariis, in aliis, quarum penuria laborauimus ab hoſtibus, à noſtris.* Subdit Anſelmus: *In omnibus tribulationum modis affligimur; quoniam vincula, carceres, & verbera, & cætera tribulationum genera in corporibus noſtris ſuſtinemus.* Addit Theophylact. *In omni loco, ac tempore,* vt innuatur tribulationes non ſolùm in omnibus rebus, & omnibus modis, ſed etiam perpetuas, & ſibi continuo decurſu, nexúque ſuccedentes eſſe: iam vide quomodo tot, tantæque tribulationes Paulum non tangant, nec turbent *tribulationem*, inquit, *patimur, ſed non anguſtiamur*; ſed preme phraſim illam, *tribulationem patimur*: qua vt ibi obſeruat Chryſ. *pugnantes res* dicere videtur. Sanè Græcũ verbũ propriè ſignificat premi, ſiue preſſuram pati, hoc eſt, in anguſtias deduci: vnde Syrus interpres, legit, *per omnia premimur.* Ambroſ. verò: *In omnibus preſſuram patimur.* Iuxta quam ſignificationem contrarium ſibi ipſi Pauli dixeris dum ſubdit; *Sed non anguſtiamur*; eſt enim dicere premimur, ſed non premimur; preſſuram patimur,

mur, sed non patimur, coangustamur, sed non coangustamur: siue potiùs tribulamur, sed non tribulamur: quibus nihil pugnantiùs, aut magis contrarium excogitare valeas. At enim minimè sibi contrarius videri debet Paulus; sed qui eleganter explicet, quid vna ex parte proprium fuerit tribulationum, si ipsarum vim, & naturam consideraueris, nempe premere, coangustare, & tribulatum suffocare, siue opprimere; ex alia verò, quomodo hæc aduersus illum, omnem vim, atque efficacitatem suam perdiderint; dum ipse in mediis tribulationum pressuris tranquillo, & sereno animo; alacer, & gaudens extiterit: non tangens, neque contristans iustum quidquid acciderit ei. Hæc inibi homil. 9. sic breuiter præstringente Chrysost.
Chrysost. *Quamuis enim tentationes contingant, non ea tamen contingunt, quæ ex tentationibus oriri solent.* ac si dicar; ille quidem suapte natura eò ibant vt Paulum premerent & in angustias deducerent; sed cùm ille impenetrabilis esset constantiæ, ac fortitudinis, & cui *æs triplex circa pectus erat*; inanes & inermes necessaria ratione redditæ sunt.

3. Porrò nec leuiter hæc omnia aduerso incursu irruentia Paulum vellicare potuisse illud manifestè conuincit, quod immediatè ante hæc ipse verba
2. ad Cor. 4. 7. dixerat: *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*; etenim si testaceum vas tantillum angeretur, siue tangeretur, non posset non illico frangi: ita inibi Theoph.
Theoph. *Etsi fictilia vasa præferimus, tantisque vndique vrgemur angustiis, non tamen, vel frangimur, vel qui in nobis reconditus est thesaurus aboletur.* Similiter Oecumen.
Oecum. *Quamuis testacei simus, in tantisque circumagamur tentationibus, & afflictionibus non frangimur, nec perdimus eum, qui in nobis est thesaurum.* Addit
Chrysost. Chrysostom. *Et quidem si vel adamantinum vas esset: tanto tamen thesauro gestando, tantisque insidiis sustinendis impar esset.* Quare enucleatiùs eadem epi-
2. ad Cor. 7. 4. stola cap. 7. 4. sic identidem Paulus. *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra:* vt dicere videatur: adeò non crepuit testaceum hoc vas, tot ictibus impetitum, atque pulsatum, vt nec minima ab illo interni gaudij gutta diffluxerit, durat enim semper impletum, atque repletum Parum est autem tribulationẽ Paulum non contristasse, siue illius consolationem, & alacrita-
2. ad Cor. 4. 8 tem non dissipasse: quando alacrior, & lætior ex illa euaserit ideo adiunxit, *superabundo gaudio*, innuens ante tribulationem, repletum fuisse gaudio; post illam verò superabundasse; quasi minori vasculo locum ipsa fecerit. Ita ad priora verba, *Tribulationem*
Anselm. *patimur, sed non angustiamur.* Anselm. subdens: *Immò dilatamur ampliori latitudine cordis, vt intus regnet charitas, & spatietur animi libertas.* Et ad similia Pau-
Ad Rom. 5. 3 li verba ad Roman. 5. 3. *gloriamur in tribulationibus.*
August. Psal 4. 1. August. in Psalm. 36. *Videbantur foris angustia, sed intus latitudo erat.* Vberiùs verò Ambrosius in Psalm.
Ambros. 43. ad finem premens sub hoc sensu Vatis verba, in tribulatione dilatasti mihi, Psalm. 4. 1. hunc in modum: *Bonæ sunt tribulationes, quæ sunt propria iustorum, qui non pro meritis suis, sed pro pietate eas sustinent, in quibus iustus non atteritur, sed dilatatur. Sicut Sanctus Propheta declarat, Psalm.* 4. in tribulatione dilatasti mihi. *Denique vt scias, quia dilatauit Paulo Dominus Iesus, audi ipsum dicentem:* Os nostrum patet ad vos ô Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Sic Ambros. Nec minus luculenter Chrysost. hom. 2. & homil. 25. in epistola 2. ad Corinth. inquiens:
Chrysost. *Paulus luctator orbi, & pugil omni lucta generose certat, & vincit: & quasi flamma inextinguibilis in mari lapsa, fluctibus vndique mergitur, & iterum fulgida ascendit; sic & Paulus vndique pressus, nec oppressus cedere nescius, clarior semper reddit patiendo victor.* Hæc ille.

Hinc certè 2. ad Timoth. 4. 14. agens ipsemet 4.
Paulus de laboribus, & afflictionibus, quibus Alexander ærarius eum vexare, & opprimere conatus fuerat, quæsita locutione dixit: *Alexander ærarius* 2. ad Timoth.
multa mala mihi ostendit. Quid est *ostendit*? tabula 4. 14.
ne hæc illi mala depicta obiicere? atqui ærarius ille æneæ, duræque supellectilis, non blandæ picturæ artifex erat. Cur ergo non dixit Apostolus: multa mala mihi fecit, intulit, inflixit? sed *ostendit*: sanè vt indicaret, hæc dura, atque ænea mala animum suum minimè intrasse, neque tetigisse, sed & veluti ad videndum data, atque proposita fuisse, sic inibi id innuente sanctus Thomas his verbis: *Ostendit, inquit,* S. Thom.
nõ fecit, quia impij aduersus iustos animum magis ostendunt, quàm explent. Cui cogitationi sic opportunissimè loquitur Seneca citato loco lib. de Constantia Sapientis. Nam cùm dixisset: *Ego verò sapientem non* Seneca.
imaginario honore verborum exornare constitui, sed eo loco ponere, quo nulla permittatur iniuria; subiicit, *Quid ergo? nemo erit, qui lacessat, qui tentet? Nihil in rerum natura tam sacrum est, quòd sacrilegum non inueniat, sed non ideo sublimia minus in sublimi sunt, si existunt, qui magnitudinem, multum vltra se positam non icturi petant. Inuulnerabile est, non quod non feritur, sed quod non læditur. Ex hoc tibi nota Sapientem exhibeo.* Quasi exhibeat Paulum mala sibi illata tam patienter tolerantem, vt illa non persentiat, sic dixit Apuleius apud Iust. Lipsium ad hæc Senecæ verba: *Non enim* Apulei.
Sapiens eam contumeliam putat quam improbus facias, sed eam non putat, quam patientia firmiter toleret. Sed pergit Seneca. *Nunquid dubium est, quin certius robur sit, quod non vincitur, quàm quod non lacessitur? cùm dubiæ sint vires inexpertæ; at meritò certissima firmitas habeatur, quæ omnes incursus respuit. Sic in Sapientem melioris scito esse naturæ, si nullius illi iniuria nocet, quàm si nulla sit.* Et post pauca. *Itaque non refert, quàm multa in illum coniiciuntur tela, cùm sit nulli penetrabilis.* Hæc Seneca.

Quæ sanè sensa cùm ab hoc Philosopho scripta 5.
video: videor mihi vidisse illum Salomonem Prouerbiorum 18. 10. dicentem: *Turris fortissima no-* Prou. 18. 10.
men Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. Quid enim commodius esse dixeris, *& exaltabitur*, ac in sublimi esse, vt magnitudinem multum vltra se positam non icturi petant: Quod si diffidis: accipe Lectionem Tigurinam pro *exaltabitur* reponentem: Lectio Tigur.
& extra telorum ictus est: sed quomodo, *extra telorum ictus*: Numquid non feritur? non pulsatur? non patitur fortunæ tela? ita quidem, sed nõ refert quàm multa in illum coniiciantur tela cùm sit nulli penetrabilis: Sic dicebat Isidor. Pelus. lib. 3. epistola 352.
Verùm & timoribus, & periculis, ac denique omni mu- Isid. Pel.
tatione superior est, non quòd nihil patiatur: hoc enim fortassè fieri nequit, sed quòd multo maius, atque admirabilius trophæum efficit, quia ea impetum facientia, & velitantia tela mitti contemnat. Et paulo inferiùs Seneca. *Quid igitur? non erit aliquis, qui Sapienti* Seneca.
facere iniuriam? tentabit, sed non peruenturam ad eum: maiore enim interuallo à contactu inferiorum aduectus est, quàm vt vlla vis noxia vsque ad illum vires suas perferat: etiam cùm potentes, & imperio editi, & consensu seruientium validi nocere ei tentent, tam circa sapientem omnes eorum impetus deficient quàm quæ neruo, tormentisve in altum exprimuntur, cùm extra visum exilierunt, citra telum tamen flectuntur. Ita Seneca, apud quem preme illud, *à contactu inferiorum aduectus est*, quod sensum habet communem cum præfatis Sapientis verbis. *Non tanget iustum*, similiter & illa, *citra telum tamen flectuntur*, quæ eadem cum

iis-

ius dixerit, *Extra telorum iactum est.* Quod si in ipso penè eandem Salomonis sententiam, penè eandem imaginem videre velis, audi eum
Sen. epistola 82. *Philosophia circumdanda est inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit. In insuperabili loco stat animus, qui externa deseruit, & arce se sua vindicat. Infra illum omne telum cadit.* Et epistola 113. *Quid est fortitudo? munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitæ obsidione perdurat: vtitur enim viribus suis, suis telis.* Hæc omnia ex Seneca: fateor multa, sed Paulo, & Salomoni illustrando ita adnata, vt vix illis aliquid demere possis.

6. Huc adeò opportunè referas hunc Vatis versiculum de tribulationibus & laboribus in iu-
Psal.123.4. stum irruentibus. *Torrentem pertransiuit anima nostra*, Psalm. 123. 4. vt non mediocrem ipse lucem inde accipiat. Certè nonnulli à Hiero-
Græca lect. nymo contendunt, sic hæc ex Hebræo fuisse transponenda: *Torrens pertransijt animam nostram*; siue *super animam nostram*. vt significet Dauid tribulationum, & laborum profluuium, atque impetum in illum, siue in signatissimos iustos irruentem: ego verò contrà sentio, ex Prophetæ mente, & Psalmi contextu opportunius subsistere Vulgati lectionem, vt sensus sit, sic firmatum, atque stabilitum iusti animum, vt tribulationum torrentem infregerit, siue represserit, & recurrere coëgerit, quin ipse de loco, & gradu suo deciderit, aut motus fuerit: eo modo quo Iuliano ingerebat Basilius epi-
Basil. stola 166. *Neque enim facultatum dispendia, neque morbi corporis, neque reliquæ vitæ molestiæ cantum, ac studiosum pietatis lædent, donec animo ita comparatus est, vt cum Deo ambulet, & de futuris cogitet, eosque fluctus, qui infernè excitantur, alacriter & expeditè superet.* Ergo gloriatur Dauid, ex Dei adiutorio, à persecutionum, & laborum torrente adeò non fuisse submersum, vt ipse potiùs torrentem illum represserit, & oppresserit, & cùm torrens animum illius pertransiturus videretur, torrentem potiùs ipsa anima sicco vestigio pertransiuit: sed vt hæc vndique subsistant, totius Psalmi seriem à capite relege; ait enim Dauid, *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis: cum exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos; cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.* Et statim, *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Quæ eò manifestè eunt, vt felicem rei exitum, qui à diuina illi ope profectus est, ab eo, qui, si Dei auxilium ad manum ei non fuisset, rerum naturalium causis, ac naturis spectatis sperari, siue timeri posset, maximè discriminet, atque distinguat Vates: ac si dixerit, tentabat quidem tribulationum torrens nos absorbere, & per mediam animam viam sibi facere parabat, hoc est, in eas nos doloris, atque cruciatuum angustias redigere, vt suffocati animum desponderemus:
Græc. lect. (ita Græca translatio apud Chrysostomum, tunc vtique aquæ inundassent nos transeuntes super animam nostram:) at enim *quia Dominus erat in nobis*; eiusmodi nobis auxiliatem manum porrigens, quam ex pacto conuento daturum se iustis pollicetur, inquiens. *Si transieris per aquas,*
Isai.43 2. *tecum ero, & flumina non obruent te*, Isai. 43. 2. in contrarium res abiuit, quippe anima nostra *torrentem* ipsum *pertransijt*, calcauit, spreuit,

saluaque atque illæsa, immò victrix, atque gloriosa euasit. Percurre Psalmum vsque ad finem, & cætera his consonantia videris: iam cùm hæc omnia de gloriosis Christi Martyribus acerbissimum suppliciorum, atque cruciatuum torrentem reprimentibus, & siccis plantis, illæsa scilicet constantia, & salua animi alacritate transeuntibus, dubio procul prænunciata sint, quàm fideliter vaticinio historia concinat, disce ex Cypriano lib. 2. epist. 6. Christi confessores sic alloquens, atque demulcens: *Vidit admirans præsentium multitudo cœleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, prælium Christi, stetisse seruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes, ac laniantes vngulas pulsata, ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæuiens diu plaga repetita: quamuis rupta compage viscerum torquerentur in seruis Dei iam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret.* Vides infractos Dei seruos; & torrentem tribulationum infringentes? & incendium persecutionis extinguentes? nec tam membra, quàm illis inflicta vulnera, verberata, & punita, vel quia iniusta, vel quia otiosa, & suis viribus defraudata. — Cyprian.

Nec ouum ouo tam adsimile, vt alius Dauidis locus præfati speciem ac similitudinem gerit. Psalm. enim 104. 18. de Iosepho in carcerem coniecto, & ferreis vinculis constricto ait: 7.
Humiliauerunt in compedibus pedes eius; ferrum pertransijt animam eius: vbi si ambigas, quî potuerit Iosephi animam ferrum pertransire, non modò, quòd ipsa teneri, constringíque non possit, sed quòd constanti animo egregiáque fortitudine Iosephus ferro, & vinculis superior fuerit? Respondebo; Græcè, & Hebraicè eiusmodi esse constructionem, & casuum transpositionem, vt ferrum in accusandi casu tanquam patiens persona: anima in nominatiuo tanquam agens ponantur, hoc modo, σίδηρον διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ: *ferrum pertransijt anima eius.* quam quidem lectionem probauit Ambrosij epistola 7. vt verò ipse ad spiritualem sensum reuocauit, quasi egregius adolescens in lubrico ætatis immunis à delicto fuerit, his verbis: *Nam cum aliorum animas peccatum transeat; (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile) Ioseph sancti anima ita non patuit peccato, vt magis ipsa peccatum penetraret. Denique neque herilis illecebra flexus est delinimento, nec immeritò flammas non sentiit libidinis, quia maiorem diuinæ flagrabat ardorem gratiæ.* Ita litteræ hærens de illius constantia, & tranquillitate animi, qua ferrum & carcerem domauit, & emolliuit; torrentem pertransiens anima eius, opportunè acceperis; ad eum modum, quo Martyribus in carcere detentis, & duris vinculis compeditis dicebat Tertullianus in libro ad Martyres, capite 2. *Habet tenebras carcer, sed vos lumen estis illi: habet vincula, sed vos soluti Deo estis: triste illic spirat, sed vos odor estis suauitatis; iudex spectatur, sed vos estis de iudicibus iudicaturi: contristetur illic, qui fructum sæculi suspirat, Christianus etiam extra carcerem sæculo renunciauit, in carcere etiam carceri: nihil interest, vbi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis.* Et post nonnulla: *Nihil crus sentit in neruo, cùm animus in cœlo est.* Quòd si & Paulo hæc velis aptare, audi ad illa ipsius verba epistol. ad Philemon.

Margin notes (right column): Psal.104 18. — Græc. lect. — Græc. lect. — Ambros. — Tertull. — ad Philem.

Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis. Hieron. Hieronymus dicentem: *Tenetur in carcere. vinculis stringitur, squalore corporis, charorum separatione, pœnalibus tenebris coartatur, & non sentit iniuriam, non dolore cruciatur, non nouit aliud nisi de Christi Euangelio cogitare.* Sic Hieronymus.

8. Ad quem etiam modum veterem Vulgari lectionem excuses in epistola ad Hebræos cap. 11. 34. vbi inter alia hæc de egregiis, & strenuis viris inquit Apostolus: *Extinxerunt impetum ignis; effugerunt aciem gladij*, pro extremis verò verbis lectio antiqua, quæ modò etiam apud Theophylact. Primas. Anselmum, S. Thomam & alios durat, habebat: *Effugauerunt aciem gladij.* Nec omnino abs re: nam quidquid de lectione sit, sensum Pauli non tam aptè & cohærenter cò duxeris, vt affirmet, fortissimos viros persecutorum suorum gladios effugisse, nec enim tam egregia virtus siue laus hæc esse videtur, vt inde celebres, & illustres fierent; quàm vt velit tanta constantia & alacritate animi tyrannorum suppliciis sese opposuisse, & districtis gladiis ceruices subiecisse, vt ipsammet gladiorum aciem quasi in adamantem insilientem, à quo respuitur, atque obtunditur, retundere, & effugare viderentur; Hispanè, *Embotaron los filos al cuchillo:* non quidem quòd non ferirentur, & obtruncati non caderent, sed quòd tanta fortitudine, & excelsitate animi durissima quæque contemnerent, vt omni mortis mœrore, & amaritudine à se fugata persecutoribus, ac tortoribus suis superiores euaderent: quasi non illos ferrum pertransierit, sed ipsorum potiùs animæ ferrum pertransierint, domauerint atque infregerint. Sic de tenera, fortissima verò Virgine & Martyre Agnete dixit Gregorius homil. 11. in Euangel. *Erectus namque in Virtutis culmine animus tormenta despexit, præmia calcauit; ante armatos Reges, & præsides inuicta stetit; ferienti robustior, iudicante sublimior.* De Martyribus dicebat Cyprianus, *Steterunt torti torquentibus fortiores: & pulsantes, ac laniantes virgulas pulsata, ac laniata membra vicerunt.* Quid verò id fuerit? nisi effugare aciem gladij, atque obtundere.

9. Subsistit verò hæc istius locutionis Pauli explicatio ex verbis immediatè antecedentibus, *extinxerunt impetum ignis.* in quibus, vt paulo antè iustos aquarum torrentem siccis vestigiis pertransisse, quin per eorum animos torrens pertransierit vidisti; ita Dei seruos in ignis fornacem, siue fluuium coniectos per flammas pedibus illæsis ambulantes, & suauissima aura, blandóque zephyro perfruentes videris: sanè, vt omnes interpretes ad id Pauli admonent, ad tres pueros in caminum ignis à præferoci Rege immissos allusio à Paulo fit; illis enim in ardentissimæ flammæ medium coniectis, *Angelus Domini descendit, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristauit, nec quidquam molestiæ intulit.* Daniel. 3. 50. preme illud, *quasi ventum roris flantem:* quod Græcè habetur, *sicut aërem roscidum leniter sibilantem;* vt non modò ignis impetum extinxerint, sed pro ignis ardore eos tangente blandissimam roris auram qua interiùs mirè refocilarentur, haurirent, eo modo quo de se ipso sexcentis calamitatibus afflicto dicebat Paulus, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Quare? quia tribulationes, & labores circa me, hoc est, extra me sunt, sicut flammæ me non tangentes, sed exteriùs diffusæ; gaudium verò, & consolatio sicut aura blandè sibilans ad intima animi indesinenter perlabitur, & intrat, eáque viuo, atque respiro: sed hæc sic opportunè perstrinxit S. Zeno Veronens. Episcop. & M. sermon. 5. de tribus pueris in caminum ignis immissis tom. 2. Biblioth. veter. PP. *Qui vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit, lambunt roscidos flammæ blandientes. Mira res, opacitas intus, incendium foris; intus hymnus canitur, foris viulatus auditur. O magna potentia Dei, incensores incendio concremati sunt, & qui incensi sunt, incendio suo superstites, triumphantes de camino procedunt.* Benè *lambunt roscidos*, hoc est, rore, quem hauserant, & interiùs imbiberant, exteriùs etiam perfusos: nec repletos solùm consolatione, sed exteriùs superabundantes gaudio. Benè *opacitas intus, incendium foris.* Nam dum *insipientium oculis mori*, affligi, vstulari; perurique videntur; illi interiùs *sunt in pace*, mira videlicet consolatione, quæ externas calamitates respuit, & fugat, reficiuntur.

Daniel. 3. 50. Lect. græ. 2. Cor. 7. 4. S. Zeno M.

Non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ, à tribulationibus iactantur, exagitantur, & in omnem partem discruciantur, atque torquentur. Ita citato Prouerb. loco Salomon: cùm dixisset, *Non contristabit iustum quidquid acciderit ei.* hoc est, non tanget; nec externam cutem penetrabit, pulchra antithesi subiecit, *impij autem replebuntur malo.* quasi dicat; vt nullum in iustos tribulatio ius habet, ita peccatores omnino vexat, atque deuastat; quippe non exteriùs solum pulsat, sed ad interiora perlabitur, & vt in iustis, *opacitas intus, incendium foris;* ita in illis foris, & intus incendium est: sanè id omne significat, *replebuntur malo:* calamitate scilicet, & tribulatione totos occupante, ac possidente, & Babylonicæ fornacis igne eos concremante; sic enim apud Daniel, *Et incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis.* In quæ verba venerabilis Sellus in allegoriis Gotfrid. Tilm. scitè ait: *Idem ignis fornacis combussit Babylonios. Nam sicut sub eodem igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, & frumenta purgantur. Ita eadem vis tribulationis bonos purgat, & viuificat. malos damnat, & deuastat.* En malos malis repletos, & tribulatione velut stipulæ comminuti, & deuastati. Vnde idemmet quidem se dicebat, *Tribulationem patimur, sed non angustiam;* de peccatoribus alibi ait: *Tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, ad Romanos 2. 9. ac si dicat in hos tribulatio omnes vires suas exercet, & interiora peruadit, & totam animam premit, atque opprimit. Ita quidem Augustinus in Psalm. 36. hæc omnia sapienter sic confirmans. *Quid autem faciet malus homo, cùm cœperit tribulari? Foris nihil est; ablata sunt omnia, in conscientia nullum solatium est. Non est quò exeat, quia dura sunt; non est quò intret, quia mala sunt. Meritò ei fit quod sequitur: Quia peccatores peribunt.* Et post pauca: *Ergo illis peccatoribus non est locus in his, quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, vbi conscientia illos non consolatur. Non benè illis secum est, quia benè esse cum malo non potest, quisquis malus est, male secum est; torqueatur, necesse est,*

Psal 1. 5. 10. Prou. 12. 21. Sellus. ad Rom. 2. 9. August.

ſe eſt, ſibi ipſi tormentum eſt : ipſe enim eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua : fugiet ab inimico, quò potuerit ; à ſe quò fugiet? Sic Auguſtinus, Nec minus opportunè Gentilis Plutarch. in lib. cui titulus, *An vitium ſufficiat ad infelicitatem?* vbi inter aliam mirificè adſtruit, inualidam eſſe fortunam omni telorum apparatu inſtructam ad expugnandam hominis felicitatem; vllúmque ei dolorem, & cruciatum inferendum, niſi peccati priùs conſortio armetur, quòd animus culpæ immunis valentior omni fortuna ſit; peccato verò infectus, calamitati vndequaque pateat. Etenim cùm priùs dixiſſet: *Iam alij tyrannidum efferato animo ſtudent, quos cruciarint, infelices reddere, carnifices in id alunt negotij, & tortores, cauteria, atque alia id genus tormenta fabricant. Atqui improbitas nullis machinis, nulloque apparatu. ſed ſola præſentia animum, atque adeò totum hominem labefactat ac deijcit, denique mœrore, luctu, angore, & pœnitudine prorſus implet.* Subiicit poſt nonnulla: *Vnde perſuaſum habeamus oportet, fortunam non niſi improbitatis præſidio infelicitatis eſſe effectricem*; nimirum dum improbitas adeſt; nullum homini ſcutum, nullum pectori munimentum eſt; quominus tribulationi penetrabilis, intus & in cute repleatur malo. Addit egregiam imaginem Plutarchus, quæ nos rurſum ad Paulum redire cogit.

Plutarch.

11. Vix ille Italiam nauigans horribile euaſerat naufragium, portúmque tenuerat, atque à Melitenſis inſulæ Barbaris fuerat exceptus, cùm *vipera inuaſit manum eius*, Actuum 28. 3. vbi lect. Syriac. addit, *& momordit*; ſed fruſtrà, & caſſo conatu. nam venenatus beſtiæ dens ſine vulnere, ſine noxa manui Pauli infixus fuit; ipſe quippe *excutiens beſtiam in ignem nihil mali paſſus eſt*: ibi verſ. 5. vt egregium quidem ſymbolum foret, fortunam nonniſi improbitatis præſidio infelicitatis eſſe effectricem; nec iuſto dentes infigere, aut ſuum illi expuere, inſtillaréque venenum poſſe, quod virtutis ipſe ſcuto armatus, atque munitus omnino ſit impenetrabilis; ſed hac de re, quid Theodoretus, & OEcumen. quid ſubinde Gentilis Plutarchus dixerint, audi. Etenim Theodoret. quæſt. 18. in Geneſim dum beſtias tam ad iuſtorum obſequium, quàm ad malorum terriculamenta creatas à Deo adſtruit, de peſſima hac vipera, quæ Pauli manum inuadere auſa eſt, ſic ait: *Itidem vipera quæ dentes inieceràt in manum Apoſtoli, quam nihil peccato tenerum, aut molle in eo reperiſſet, mox reſiliit, & in ignem ſe coniecit, ſupplicium quodammodo de ſe ipſa ſumens, quòd corpus ſibi nullatenus conueniens adorta eſſet.* Quæ totidem verbis ſcripſit, ſiue tranſcripſit OEcumen. ad id loci Actuum; ſubiicit verò appoſitè. *Nos vero beſtias timemus, propterea quòd armatura virtutis muniti minimè ſumus.* Iam Plutarchus opportuniſſimè. *Perinde enim atque trama, cinere, & aceto madentia oſſa ſecantur, & ebur zytho liqueſcens, & ad omnem ductum ſequax, flectitur, ac formas diuerſas ſuſcipit, alioqui contumax: ita fortuna in molliculum, & indulgentiorem ex improbitate effectum, fortè incidens excruciat planè hominem, ac vulnerat.* Apponit aliam non minus bellam imaginem. *Et quemadmodum externus alieno catui ſe immiſcens, etiam ſi innoxius ſit, & nemini iniurius, tamen vulneratus quamprimum perit: nimirum quia ſuo in illam calamitatem tractus fuit affectu: ita cuius animo perniciem fortuna videtur allatura, ſubterraneum in ſeſe vlcus, ac peculiare malum circumferat, neceſſe eſt, vt aduentitia extrorſum, miſeriam & dolorem efficiant.* Hactenus ex Plutarcho. Sed enim hæc omnia Auguſtinus non alicuius rei emortuæ ſimilitudine, ſed viuo hæretici cuiuſdam Donatiſtæ vexati, & afflicti exemplo ita confirmat præfato loco. *Ita quidem ex parte Donati venerat ad nos accuſatus, & excommunicatus à ſuis: hic quærens, quod ibi perdiderat. Sed quia ſuſcipi non potuit, niſi eo loco, quo debuit. Non enim deſeruit eam partem quaſi integer apud ipſos, vt appareret eum non dilectione, ſed neceſſitate feciſſe. Quia ergo ibi habere non potuit quod quærebat, quærebat autem vanam elationem, & falſum honorem, & quia hîc non inuenit, quod ibi perdidit, & ipſe perijt. Gemebat ſaucius, & non conſolabatur. Erant enim in conſcientia eius aquulei horribiles taciti.* Et poſt pauca. *Intus apud ſe nihil habebat, foris quod quærebat, non inueniebat; ardebat indignationem, & dolorum facibus, agitabatur mens eius violenter, & tamdiu occultè, donec etiam erumperet in quoſdam gemitus, ita vt inter fratres ſonaret, & ſe audire neſciret. Videbamus, & dolebamus vehementer; Deus ſcit, tantam pœnam animæ, tantas cruces, tantas gehennas, tanta tormenta.* Hæc Auguſtinus.

Actuum 28. 3.
Lect. Syriac.
Theodor.
OEcum.
Plutarch.
Auguſt.

Do tibi & ego perſimile ex Scriptura exemplum: nam cùm Dei ſpiritus à Saule ob illius peccata receſſit, à nequam ſpiritu graui ægritudine, vehementique triſtitia duriſſimè exagitabatur: ſic enim lib. 1. Reg. 16. 14. *Spiritus autem Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino*: vbi LXX. *Et ſuffocabat eum.* Similiter poſtea hoſtium acies contemplatus magna animi conſternatione clamauit, *Coarctor nimis*. (1. Reg. 28. 15.) ſiue, vt LXX. *tribulor valde*; ſed quare? ſubiicit: *Siquidem Philiſthim pugnant aduerſum me, & Deus receſſit à me.* Sanè cùm à recto iuſtitiæ tramite Princeps ille non receſſerat, quamuis eoſdem infenſiſſimos hoſtes non procul videret; minimè coarctabatur, aut à nequam ſpiritu ſiue à corporis ægritudinibus exagitatus ſuffocari videbatur: ſicut nec Paulus mille ærumnis atque periculis cinctus tribulationem aliquam pati credebat; nec Dauid ab ipſo Saule oppugnatus, & ad necem quæſitus coarctatum ſe prædicabat: immò verò dicebat, *In tribulatione dilataſti mihi*, Pſalm. 4. 1. at enim Dei ope, atque virtute ab ipſo deſciſcente, à duris aduerſæ fortunæ rebus premi, ac eam tribulationem pati, quæ eum ſuffocaret, atque exanimaret, neceſſe fuit. Vnde ad voces quas illi excitatus intonuit, ſiue fulminauit Samuel exanimatum corruiſſe; ſic paulo pòſt inquit Sacer Scriptor. *Statim Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo*, 1. Regum 28. 20. vbi notanti locutione Biblioth. Tigurina ait: *Illico corruit Saul in terram quantus, quantus erat.* Nimirum pulchrè à Dauide de impiis dicitur Pſalm. 139. 11. *In miſerijs non ſubſiſtent*: hoc eſt, firmo gradu eſſe non poſſunt, quin vacillent, & deiiciantur. Hiſpanè imagine ab iis qui nandi ignari profundius flumen pedibus tranantes veſtigia iam firmare nequeunt, ſumpta, ſignificanter exponeres. *No hallan pie*; ideo quanti quanti ſunt qui corruunt, & opprimuntur, ſiue ſubmerguntur: aliter quidem ac Paulus, qui in medio naufragio immotus ſtetit, & infractus. Vnde de illo Gregor. Magn. lib. 7. epiſtola 126. ad noſtrum Hiſpanum Regem Recaredum: *Quis enim neſciat, quam proſperum fuit, quòd beatus Paulus Apoſtolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & in*

12.
1. Reg. 16. 14.
LXX.
1. Reg. 28. 15.
Pſal. 4. 1.
1. Reg. 28. 20
Lect. Tigur.
Pſal. 139. 11.
Gregor. Magnus.

& tamen veniens naufragium pertulit, sed nauis cordis in marinis fluctibus integra stetit. Iam verò pro re tota accipe optima hæc August. verba in Psal. 45. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum; námque si ibi vulnus non sit, sanúmque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, vbicumque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum: si autem ibi requies non est propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est, quid facturus est homo? Quo confugiet, cùm cœperit pati tribulationes? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & sequitur tribulatio. A cubiculo iam quò fugiat, non habet, nisi interiùs ad cubile suum. Porrò si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere: pellitur enim inde, & cùm inde pellitur, à se ipso pellitur. Et ecce hostem suum inuenit, quò confugerat; se ipsum quò fugiturus est? Quocúmque fugerit se, talem trahit post se, & quocumque talem traxerit se, cruciat se.* Ad hunc modum August. qui pergit multis. — *August.*

VERSVS XXIV.

Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.

1. VTRVM sic reapse contigerit, anceps historiæ portio est: de qua cap. 1. vers. 25. num. 6. aliquid diximus: sed enim vt Pauli expectationem de Philippensibus inuisendis aduersæ res adeò non debilitabant, vt ex illis potiùs in spes suas cresceret, & maiorem quotidie fiduciam haberet; ita nos non obscura huius spei prementes vestigia, & si aliquando de hoc in Macedoniam reditu in aliorum auctorum gustum dubitasse, & hærere visi simus, iam animum omnino induximus, vt credamus, Paulum Philippenses rursus inuisisse; nec multo pòst, quod modò sperare se dicit, & pollicetur, fuisse assecutum; quippe hærentem me, non leuia rationum momenta impulerunt. Et primùm quidem historiæ series huc inclinat: nam cùm hanc epistolam ex primis conscripserit vinculis, vt maior meliórque auctorum pars censet, & res ipsa pro se loquitur, de qua nos ad capite 1. vers. 19. & 20. atque ab iis quinto Neronis anno solutus (scio alios ad quartum reiicere, sed leuis momenti discrimen in annorum supputatione id est; nam dum alij de inchoato anno, alij de consummato loquuntur, in idem ferè recidit) liber ad Euangelium disseminandum fuerit dimissus (sic enim Eusebio lib. 1. histor. cap. 21. *Paulus cum pro se in iudicio respondisset, traditum est, eum ad Euangelium passim prædicandum se denuo recepisse:*) nec vsque ad decimumtertium imperij illius monstri martyrio fuerit perfunctus, quid quæso egisse per octo annos qui intercedunt, opportunius dixeris, quàm eò ire, quò eius animus discipulorum amore incensus ferebatur, & quò suas ipse spes dirigebat; quódque tanta asseueratione fuerat pollicitus, vt non modò in hanc illos spem induceret, sed Philæmonem etiam nobilem Colossensem de parando sibi hospitio sic admoneret in peculiari ad ipsum scripta Epistola vers. 22. *Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.* non quod adeò diues, aut delicatus esset Apostolus (vt obiter id dixerim) aut tam multis sarcinis impeditus, quod ibi sapienter adnotauit Hieronymus, vt præparato, instructóque hospitio opus haberet; nam *habentes alimenta, & quibus tegamur*, dicebat ipsemet 1. ad Timotheum 6. 8. *his contenti sumus:* sed, vt inquit ad hæc verba Chrysostomus, *hoc vehementer confidentis erat indicium: immo & pro Onesimo in primis faciebat, ne illi negligerent, sed scientes illum omnino venturum, atque auditurum, vt sese habuerint aduersus eum, omnem iniuriæ memoriam deponerent, & promptiores ad gratiam essent. Grandis enim erat præsentis Pauli honor, & gratia:* siue quòd, vt indidem docet Hieronymus, Apostolo, non Paulo: Euangelio, non sibi, hospitium his verbis ppræpararet, commodas scilicet ædes, & amplas quæ magnam audientium multitudinem caperent, & ad quas facile è quauis vrbis parte conueniretur, desiderans: *Apostolo* (inquit Hieron.) *magis quam Paulo hospitium præparandum est. Venturus ad nouam ciuitatem, prædicaturus Crucifixum, & inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros, & necesse erat primum, vt domus in celebri esset vrbis loco, ad quam facile conueniretur. Deinde vt ab omni importunitate vacua, vt ampla, quæ plurimos caperet audientium, &c.*

Euseb. — *ad Phil. vers. 22.* — *Hieron. 1. ad Timoth. 6. 8.* — *Chrysost.* — *Hieron.*

2. Deinde hunc reditum in Orientem non obscurè suadent illa eiusdem Apostoli verba 2. ad Timoth. 4. 13. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum veniens affer tecum*; & vers. 20. *Erastus remansit Corinthi: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*; hæc enim commonstrant, Paulum Roma iterum in Asiam fuisse profectum, & inde iterum Romam redeuntem penulam apud Carpum Troade, Trophimum verò ægrum Mileti reliquisse. Etenim è secundis vinculis anno tertiodecimo Neronis hanc ad Timotheum epistolam fuisse scriptam, non solùm admonet Hieronymus libro de Script. Ecclesiast. sub init. & ab eo egregij alij scriptores, sed ipsemet Apostolus satis disertè affirmat; dum in ea sese prope diem immolandum ait: *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat*, cap. 4. 6. & 9. Timotheum ad se accersens festinare iubet, inquiens: *Festina ad me venire citò:* vt iamiam moriturus, plura circa Euangelij propagationem, & Ecclesiarum institutionem Timotheo coram traderet; vt, ibi sic obseruat Chrysostomus. *Cupiens antequam excederet è vita, plurima fortasse illi commendare; idcirco ait, festina:* vnde quidem fit Paulum, postquam è primis vinculis, quibus cum detineretur, nostram Epistolam scripsit, liber fuit dimissus, ad has vrbes concessisse; ne dicere teneamur, quod meritò cordatus quisque rideat; Trophimum totos vndecim annos ægrum decubuisse; vel, quod non est magis verisimile, penulam ante totidem annos Troade relictam, à Paulo repeti. Quid quod ex Actis manifestè apparet Trophimum in priori Pauli in Asiam profectione Meleti ægrum remanere non potuisse, cùm de eo subinde affirmet Lucas, vnà cum Paulo Hierosolymis templum fuisse ingressum, & magnas inde in vrbe concitatas turbas, sic enim cap. 21. 29. *Viderant enim*

2. ad Timoth. 4. 13. & 10. — *Hieron.* — *2. ad Timoth. 4. 6. & 9.* — *Chrysost.* — *Actuum 21. 29.*

Tro

Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt, quoniam in templum introduxisset Paulus. Commotaque est ciuitas tota, &c. Sed iis, quibus hic Pauli in Orientem reditus non placet, vt ab ægritudinis Trophimi nodo se expediant, in præfatis verbis Pauli ad Timotheum Melitam, qua Paulus Romam primò nauigans transiuit, pro Mileto substituunt, vt inibi tunc Trophimus fuerit ab Apostolo relictus. At enim verò, quidquid de secunda hac Pauli in Asiam peregrinatione sit, nemini sanè dubium esse possit, hos auctores in eo Pauli loco Melitam pro Mileto flagitiosè facere: nam si omnes ipsi Codices tam Græcos, quàm Latinos, qui nec vno dempto habent *Mileti*, corrigendos ex suo cerebro putant, vt ipsorum inuentis concinant, ridiculi sunt, si Paulum memoria lapsum locorum nomina commutasse credunt, vt grauiùs peccare videantur, pucrili, tamen castigatione sunt digni. Sed quid otio abutimur? nônne huic commento ipsemet Lucas quem minutissimos quosque, siue maris, siue terræ, siue ventorum euentus, & leuissima quæque huius nauigationis accidentia narrare non piguit, silentio suo repugnat, nullam huius ægritudinis Trophimi mentionem faciens? facturus diligentius, opinor, quàm isti auctores, si reapse accidisset. At enim alij quos Trophimus æger malè torquet, vt ab eo illos læsuro, siue infecturo diffugiant, ad alium huiusmet appellationis se recipiunt; duos videlicet Trophimos fuisse affirmantes, quorum alter Ephesius, vt ex citato Actuum loco constat; alter Asianus fuerit.

Sed quis testis adest? quis detulit?

Tacent: nec nisi diuinando id assecutos, affirmare possunt. Et verò cùm omnis diuinatio iure sit prohibita is diuinandi modus, qui ad effugiendas historiæ difficultates, nouos homines ex nihilo creat, siue confingit, sibillis excipi debet: non aliter ac ille nobilium mos Senecæ irrisus, qui progenitores suos recensentes; vbi illis homo deficit, Deum fingunt.

3. Iam verò aduersùs hæc omnia, ille Actorum locus cap. 20. 25. vbi Paulus Ephesiis Sacerdotibus numine diuino afflatus prædixit, suam ampliùs faciem non esse visuros, stare videtur: sic enim non dubiè, & subobscurè, sed scienter, &

Actuum 20. 25. asseueranter locutus dicitur: *Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam, vos omnes per quos transiui prædicans regnum Dei.* Quod sanè telum audientium animis tam altè infixum fuisse, vt à multis lachrymis, & eiulatu se non potuerit temperare; ita subdit Lucas: *Magnus autem fletus factus est omnium. & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum. Dolentes maximè in verbo quod dixerat. quoniā amplius faciem eius non essent visuri.* Fortissimum sanè argumentum, quod ad c. 1. vers. 25. hærere, & dubitare me impulit; sed enim iam in solido statem, & pedem firmiter figentem non me turbat; nā illi in primis sic occurro, vt contendam, hoc onus æquè contrariæ sententiæ auctores ac nos premere; atque ideirco ab omnibus excutiendum, rimámque quærendam, qua vtriq; euadamus. Sanè si ex his verbis Paulum in Asiam nō rediisse, conuinceretur; ipsum scientem, & prudētem pugnantia scripsisse, posset ei non nemo obiicere; etenim cùm modò ad Philippenses ait: *Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos*

ad Hebr. 13. 23. *citò*: nec non cùm ad Hebræos inquit: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celeriùs venerit, videbo vos*, ad Hebr. 13. 23. Similiter cum Philæmonem de præparando sibi hospitio admonebat, non immeritò omnes respondissent. Quid te huc venturum speras, & de hospitio singillatim cogitas, qui certò te scire enunciasti, in has Asiæ oras non rediturum? Ergo qui postquam Ephesiis, dixit, faciem suam illos non ampliùs visuros, toties, tam seriò, atque constanter sperauit, ac pollicitus est, Philippos, & Orientem iterum lustraturum, satis apertè cognouit, hāc spem, siue promissionem illi vaticinio non esse contrariam. Qui ergo inquis, vtraq; assertio possit subsistere? Sanè si de reditu in Philippensium vrbē, (de quo nos potissimum agimus, quod è re nostra omnino sit) loquaris, nullam dubio procul difficultatem habet prædicta argumentatio. Quid enim quæso opus erat? vt Paulus Macedoniā veniens ad Ephesum accederet. Num ipse Italia veniens per eam vrbem necessariò erat trāsiturus, quod in via, aut iuxta viam esset? Ridebit certè non modò mediocris quispiam Geographus, sed quisquis oculos habuerit, vt in tabula peregrinationis Pauli, quam Abrahamus Ortelius delineauit, aut in quauis descriptione, siue Mappa orbis viderit, Philippos in Europa, Ephesum in Asia Egeo mari interiecto constitutas esse. Deuenit igitur Macedoniam Paulus; ergo debuit Ephesum peruenire? vnde huic loco locus?

Sed quid dicemus ad Asianam peregrinationem, aduentúmque Pauli in Troadem, vbi penulam reliquit, & in Miletum, in qua Trophimus æger mansit, & in Rhodum vbi à Philæmone hospitio erat excipiendus? has omnes Asiæ partes lustrasse, quin ad Ephesum nobilissimam Asiæ vrbem, atque Metropolim concederet, credi poterit? Respondeo. Quantum in re omnino dubia, ac perinde diuinationi impunè posita hariolari licet, fieri quidem potuisse, vt quamuis Paulo fuisset in votis, Ephesum inuisere: Diuinus tamen Spiritus, à quo agebatur, aliò pró rei exigentia & diuino beneplacito transire impelleret; non secus ac ipsum è Mysia in Bithyniam transire volentem Diuinus Spiritus prohibuit, & Macedoniam lustrare iussit, Actuum 16. 7. id Actuum 16. 7.
sic referente Luca: *Cùm venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. Et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Deus euangelizare eis.* Potuit igitur Paulus Troade, potuit Mileti, potuit Colossis esse, nec ad Ephesum accedere, siue diuino Spiritu huc illuc pro maiori alterius vrbis bono, atque salute illum impellente, siue legitimo ei obsistente impedimento, vt sæpiùs, iis præsertim qui magnis itineribus aliquò ire contendunt, solet accidere, vt id ipsum quod optabant, atque animo conceperant, omnino præstare non possint. Quid quòd posset Paulus saluo vaticinio suo, quod Ephesini, qui olim aderant Sacerdotes faciem eius non essent visuri, Ephesum denuo inuisere. Nam quod quæso fuerit miraculum? si in non mediocri annorum spatio illi ad quos Paulus verba fecit, inde omnino decessissent, siue quòd vitam omnes cum morte commutassent, siue quòd alij mortalitatem explessent, alij ab ea vrbe in alias demigrassent. Nónne & nobis passim id accidit? vt qui heri ab hac vrbe discessimus, hodie, ad illam remigrantes, omnes penè amicos, & notos desideremus?

scilicet immortales, aut immutabiles sumus, vel, quidquid ortum habuit, siue hominum cætus, siue vrbs florentissima sit, æternum duret. Audi Senecã epist. 91. occasione incendij Lugdunensis coloniæ : *Sine hoste patimur hostilia, & cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit. Inuadit temperatissimos morbus, validissimos phthisis, innocentissimos pœna, secretissimos tumultus. Eligit aliquid noui casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat. Quidquid longa series multis laboribus, multa Deum indulgentia struxit, id vnus dies spargit, ac dissipat.* & statim pulcherrimè : *Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit. hora, momentúmque temporis euertendis imperijs suffecere. Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, rerúmque nostrarum; si tam tardè perirent cuncta, quàm fiunt; nunc incrementa lentè exeunt, festinatur in damnum. Nihil priuatim, nihil publicè stabile est, tam hominum, quàm vrbium fata voluuntur. Inter placidissima terror existit, nihilque extra tumultuantibus causis mala vnde minimè spectabantur erumpunt.* Et post pauca de ipsis Asiæ vrbibus, de quibus nunc agimus : *Quoties Asia, quoties Athaia vrbes vno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria? quot in Macedonia deuorata sunt? Cyprum quoties vastauit hæc clades? quoties in se Paphus corruit? Frequenter nobis nunciati sunt totarum vrbium interitus, & nos, inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars omnium sumus?* Similiter epist. 71. *Omnes, quæ vsquam rerum potiuntur vrbes, quæque alienorum imperiorum magna sunt decora, vbi fuerint, aliquando quæretur, & vario exitij genere tollentur, alias destruent bella, alias desidia, páxque ad inertiam versa consument, & magnis opibus exitiosa res, luxus. Omnes hos fertiles campos repentina maris inundatio abscondet, aut in subitam cauernam considentis soli lapsus abducet.* Hæc ex Seneca. I ergo, & mirare, si quatuor, aut quinque annorum spatio pauculi Sacerdotes Epheso abfuissent. Certè hanc coniecturam nonnihil iuuare, ac promouere videtur Paulus, non inquiens, scio me non visurum facies vestras; sed potiùs *scio, quia ampliùs non videbitis faciem meam omnes vos*, quasi non ipsi Paulum desideraturi, sed illos Paulus non inuenturus ac visurus esset. Video rationem non omnino solidam, aut firmam : sed enim dum res coniecturis solùm agitur, non omnino contemnendam esse, etiam video.

Seneca.

5. Ad hæc : in nos ex nostra pharetra deprompptum telum illud Hispaniensis peregrinationis Pauli conijcies, tam enim plurimorum Patrum auctoritate fulti, qui non obscuris nostræ gentis vestigiis insistentes ad cap. 1. vers. 25. n. 5. affirmauimus, Paulum è primis Neronianis vinculis solutum Hispanias aduenisse, & Euangelicis institutis, atque ministris ornasse, atque imbuisse: Quî ergo, inquies, ad Macedoniam, & in Asiam redire potuit? Sed id telum amictu repellemus, cum Hieronymo, & bonis auctoribus affirmantes. vtrumque Paulum præstitisse, & tam Hispaniam, quàm Orientem perlustrasse, qua de re sic opportunissimè loquitur Illustriss. Cæsar Baronius tom. 1. ad ann. 61. Christi, nu. 2. *At nec ob hanc causam, quod nunc (si velimus) rediisset in Orientem, videri potest elapsum tempus, quominus potuerit proficisci postmodum in Hispanias; nam octo illi qui intercedunt anni vsque ad ipsius consummatum martyrium, non tantùm fuere illi satis ad Hispanias peragrandas, sed vniuersum planè orbem Romanum, ac barbarorum externas regiones adeundas.* Nec aliò quidem it, quod de ipso scripsit Anselm. in cap. 15. 28. epist. ad Roman. non ad Hispanias modò, sed à mari rubro vsq; ad Oceanum prædicando cucurrisse, vt terra ei antea quàm prædicandi studium deficeret; sic enim ille. *Peruenit igitur vsque ad Hispanias, & a mari rubro vsque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans Solis cursum ab Oriente vsque ad occasum, vt antea terra deficeret, quam studium prædicandi.* Hæc Anselm. quæ mutuasse videtur à Hieronymo in cap. 5. Amos, id sic diffundente : *Paulus Apostolus vocatus à Domino effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium à Ierusalem vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & a mari Austro, immo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans vtique Dominum Deum suum, & Solem iustitiæ de quo legimus*, A summo cœlo egressio eius, & occursus eius, vsque ad summum eius, *vt ante Paulum terra deficeret, quam studium prædicandi Euangelium.* Sic Hieron. Et eodem etiam pertinet Isidor. Pelusiotam epist. ad Isidor. Diaconum Paulum appellasse pennatum agricolam, qui totum pænè orbem peragrauit.

Baronius. Anselm. Anselm. Hieron. Isid. Pelus. Psal. 18. 7.

6. Quòd si inquiras, quónam prius abierit, postquam Roma discessit? Orientem ne antea inuiserit? an in Hispaniam profectus fuerit? meritò dixerim, incertum id, nec facilè esse diuinare. Certè Chrysost. & Theodoret. Hispaniensem peregrinationem priùs suscepisse manifestè docent; sic enim prior hom. 76. in Matth. *Videas eum ab Hierosolymis ad Hispanias vsque currentem: nam cùm Romæ biennium exegisset, vinculis tandem dimissus est; deinde in Hispaniam profectus inuisit illic Iudæos quoque.* Et hom. 7. de laudibus Pauli. *Postquam Romam ingressus est, ibi quoque quanta cum modestia annuntiat veritatem, quanta etiam cum libertate obstruit ora impiorum? Verùm nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit.* Similiter Theodor. in cap. vltim. Epist. 2. ad Timotheum, & in cap. 1. huius Epist. cuius elaborantes sumus; sic enim priori loco. *Quando Paulus appellatione vsus Romam a Festo missus, defensione audita fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens doctrinæ lucem attulit.* Posteriori verò: *Actuum nos docet historia quòd biennio Apostolus mansit in suo conductu, cùm autem liberatus illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidisset, &c.* Quò facit, ipsum multo ante Hispaniensem aduentum cogitasse, & per Romanam vrbem ex qua faciliùs huc peruenire posset, apud se direxisse, vt constat ex illis verbis ad Roman. 15. 24. *Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero, quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum, ex parte fruitus fuero.* Et statim: *per vos proficiscar in Hispaniam.* In quæ verba Anselmus obseruat, ea mente hæc à Paulo dici, quòd festinaret pseudo Apostolorum aduentum in has partes anteuertere; ipsorúmque consilia præripere. At enim verò hæc in quibus sumus verba, & quæ ad Hebræos, & Philæmonem scribit, oppositum suadere videntur : Nam qui Philippensibus dicebat : *Veniam ad vos cito.* Et ad Hebræos : *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum cum quo, si celeriùs venerit, videbo vos.* & Philemonem de hospitio sibi parando admonebat, se proximè in Orientem rediturum, significaret videtur. Nec huic sententiæ officiet, quòd Hispaniam multo antè Paulus cogitauerit, & per Romam suum iter illuc instituerit; potuit enim pro temporum, ac rerum apportunitate absque vlla leuitatis, aut incon

Chrysost. Theodor. Ad Rom. 15. 24. Anselm.

inconſtantiæ nota mutare ſententiam: ipſomet ſimili mutati conſilij occaſione dicente ad Corinthios, quibus ſuum ſpoponderat aduentum.
2. ad Corint. 1. 15. *Hac confidentia volui prius venire ad vos, vt ſecundam gratiam haberetis, & per vos tranſire in Macedoniam, & iterum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito, ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me, eſt, & non?* 2. ad Corint. 1. 15. Ergo in re omnino dubia vtrumque videtur probabile. Lector eligat quod maluerit, nec me ad ſuam cogitationem habebit difficilem.

VERSVS XXV. & XXVI.

Neceſſarium autem exiſtimaui, Epaphroditum, fratrem, & cooperatorem, & commilitonem meum, veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos.

Quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mœſtus erat; propterea quòd audieratis illum infirmatum.

1. EGREGIA Pauli indoles, diuinúmque ingenium; quantum enim in arguendo, & obiurgando moderatum, ac mitem, tantum in diſcipulis celebrandis, atque nobilitandis, copioſum, ac multum videris; quas enim laudes in Epaphroditum non congerit? quídve prætermittit, quod ad ipſius gloriam, & prædicationem faciat? Vnde Chryſoſt.
Chryſoſt. *Et hunc rurſus iiſdem ac Timotheum encomijs ornatum mittit. Illum enim duobus his nominibus commendauit, quòd & eos amat (dixit enim,* qui ſincera affectione pro vobis futurus ſit) *& quod in Euangelio valde ſe probauit; hunc igitur & iiſdem nominibus laudat: quomodo? quoniam appellare fratrem, & cooperatorem, neque hoc contentum addere etiam commilitonem, oſtendentis eſt, illi quoque ſecum communia fuiſſe pericula, atque eadem de illo, ac de ſe ipſo teſtificantis.* Ita Chryſoſtomus.

Neceſſarium.

2. QVare neceſſarium? *Quoniam quidem omnes vos deſiderabat, & mæſtus erat.* Obſerua Pauli charitatem, & vrbanitatem. Miſerant quidem Epaphroditum Philippenſes ad Paulum vinculis conſtrictum, vt ipſorum nomine alimenta deferret, & victui neceſſaria ſubminiſtraret, necnon vt ipſi vndequaque afflicto ſolatio, ac obſequio eſſet: at enim cùm ipſe pro muneris ſui ratione (erat enim Philippenſium Antiſtes) & eximia in ſuos charitate illorum abſentiam ægrè ferret, ſimúlque grauiſſimè augeretur, quòd aliorum vel ſermone, vel literis cognouiſſet, nuncium de graui, & pænè lethali eius ægritudine ad illos perueniſſe, fuiſſéque ipſis peracerbum: Paulus proprium laborum leuamen poſtponere, vt Epaphroditus hoc ſolatium; & Philippenſes præſentiæ ſui Epiſcopi oblectamenta haberent, neceſſarium duxit.

Epaphroditum.

NOn leuiter peccaſſe interpretes, nihil hîc de Epaphrodito memorantes, haud dicere dubitarem: ſi frequentior, atque certior apud veteres Scriptores illius mentio fieret: ac tam pauca in illis, eáque tam ambigua, & incerta de eo inueneris, vt poſtquam multum laboraueris, itidem vt antea ſis: Dorotheus Epiſcop. & Martyr in Synopſi, cap. de ſeptuaginta diſcipulis, eum inter illos ſic enumerat. *De hoc quoque meminit Paulus, Adrianæ Epiſcopus fuit.* Sed hac Dorothei doctrina adeò non proficimus, vt potiùs dedoceamur, & implicemur. Etenim Epaphroditum Philippenſium Epiſcopum fuiſſe ex hoc loco, in quo ſumus, pænè certum eſt; cùm à Paulo Philippenſium Apoſtolus appelletur, de quo ſtatim: quî ergo Adrianæ Epiſcopus dici poſſit? aut quo fideiuſſore dato perſuadet id nobis Dorotheus. Quòd ſi omnino intricari volueris, ad Metaphraſtem in Martyrologio Romano; vbi Epaphroditum Tarracinenſis Eccleſiæ Epiſcopum à Petro creatum facit. En triplici Eccleſiæ Epaphroditum præfectum. Quid? ab alia in alias tranſlatus, ſiue tranſmutatus fuit? Non opinor. Aliud ſiquidem erat aureum illud ſæculum à noſtro ferreo (quamuis ſuo etiam modo aureo, atque argenteo) nulla enim tunc in Chriſti diſcipulis ambitio, nulla auri, argentíque cupiditas, quæ Epiſcopos ad diuerſa loca tranſmutanda ſtimularet: ergo pro bono pacis, tres faciemus Epaphroditos cum Metaphraſte, & illuſtriſs. Cardin. Baronio tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 60. n. 2.? Sed nec facilis euaſio, nec ſecura conciliatio hæc fuerit. Nam dum Baronius, vt ſua cuique auctori fides ſtet, hos tres Epaphroditos ſic adſtruit: *Nimirum Philippenſium hunc vocatum Apoſtolum; alium quem diximus Epiſcopum Adrianæ, ac denique tertium à Petro Apoſtolo Eccleſiæ Tarracinenſi præfectum Epiſcopum, cuius in Martyrologio Romano habetur mentio*; conciliandi calore non aduertit, hunc tripartitum Epaphroditum cum Dorothei verbis non ſtare; cùm ipſe vnum, eundémque faciat, quem in duos Baronius partitur: ait enim, *De hoc quoque meminit Paulus, Adrianæ Epiſcopus fuit:* non ergo alius eſt hic vocatus Apoſtolus ab eo, quem ex Dorotheo Epiſcopum Adrianæ faciunt Metaphraſtes, & Baronius. Nihil igitur certi de Epaphrodito poſſis ſtatuere præter hæc, quæ ex Paulo nouimus: ipſius videlicet fratrem cooperatorem, & commilitonem fuiſſe; quibus nihil dignius, nihil ſplendidius ei valeas excogitare. 3.

Fratrem.

DIſplicet Eſtius, qui fratrem dici exiſtimat, vel quòd ob illius merita eximiè ab Apoſtolo diligeretur, vel quòd ſocius operis Euangelici foret: vtrumque enim, ſine ſale, ſine opportunitate dicitur. Nam vt ſignatam fratris appellationem, quam Chriſtianorum propriam fuiſſe conſtat, ad fraternum amorem referre, vulgare iudicium ſapit: ita in ſocietatem operis Euangelici reiicere mendicantis ſenſus eſt, qui 4. Eſtius.

hoc epitheton cum sequenti, & fratrem cum
commilitone ingratiis confundat. Non quidem
inficior fraternum nomen charitatis, & beneuo-
lentiæ apud scriptores non infrequenter esse, à
sanguinis coniunctione ad animorum vnitatem
ductam similitudine: sic dixit Euseb. Emissen. ho-
Euseb. Emiss. mil. 4. *Fratres, sorores, non natura, sed officio, quos*
enim diligimus, his nominibus vocare solemus. Et
Quintil. Quintil. declamat. 321. *Certè quoties blandiri vo-*
lumus his, qui & amici esse videntur, nulla adulatio
procedere potest quam vt fratres vocemus. Sic 2. Reg.
2. Reg. 20. 9. 20. 9. vafer Ioab, vt pacis, amicitiæque simula-
tione incautum Amassa interficeret, inter am-
plexus & oscula dulcem fratris appellationem
admiscebat, dicens: *Salue mi frater.* Ita etiam
Lamprid. Lamprid. in Alexand. Seuero: *Iam verò ipsi mi-*
lites iuuenem imperatorem amabant, vt fratrem, &c.
Nec alio sensu Optat. Mileuit. lib. 4. Parmenia-
Optatus. num sic alloquebatur. *Huius rei apertissimam ve-*
ritatem, Parmeniane frater, agnosce: si tamen hoc
nomen fraternitatis frequenter à me dictum libenter
audire dignaris, fac vt tibi sit fastidiosum, tamen no-
bis est necessarium me fortè iuxta tot probationes hu-
ius nominis, tacendo rei esse videamur. Si enim tu
non vis esse frater: ego esse incipio impius, si de nomi-
ne isto tacuero. Quibus consonant hæc Nazianz.
orat. 41. quæ est in Pascha: *Ob festum diem ex-*
plendescamus, ac nos mutuò complectamur. Dicamus:
Fratres, iis etiam qui nos oderunt, nedum his qui pro-
pter charitatem, & beneuolentiam aliquid fecerunt,
vel passi sunt. Resurrectioni omnia condonemus. Ad
quæ verba Nizetas: *Sensus autem est huiusmodi:*
His autem qui nos odio insectantur dicamus: O fra-
tres, id est, eos fratrum nomine appellemus. Hoc enim
argumentum est animi erga eos bene affecti. At enim
cùm hic loquendi modus adeò sit generalis, vt
Ethnicis ipsis communis frequénsque fuerit; fri-
gidè & inculta eruditione Pauli sensum & verba
eò referas, quò prophanorum locutio ire posset,
quin à Christiana distinguatur.

5. Ergo meliùs Anselmus, & ab eo Iustinianus ad
Christianam disciplinam, & fidei coniunctionem
Anselm. reuocarunt: *Fratrem, id est, Christianum*, inquit
Anselm. Quod hæc Christianorum communis &
vsitatissima appellatio: vt ex ipsomet Paulo, &
aliis noui Testamenti Scriptoribus luce clariùs
Iustin. apparet: ita hac epist. cap. 1. 14. dixit, *vt plures è*
Ad Phil. 1. 14. & c. 4. 21. *fratribus in Domino.* Et cap. 4. 21. *Salutant vos,*
qui mecum sunt fratres. Et similiter ad Romanos
ad Rom. 16. 14. & 23. 16. 14. & 23. & signatè 1. ad Corinth. 5. 11. *Is*
1. ad Cor. 5. 11. & c. 6. 6. *qui frater nominatur inter vos.* Et cap. 6. vers. 6.
Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infi-
deles? Et ad Ephes. 5. 23. *Pax fratribus, & chari-*
ad Ephes. 5. 23. *tas.* Et ad Colos. 1. 2. *Sanctis & fidelibus fratribus.*
ad Colos. 1. 2 Et 1. ad Thessal. 5. 26. *Salutate fratres omnes in*
1. ad Thess. 5. 26. *osculo sancto.* Et alibi passim in Paulo, nec non in
Petro, & in Ioanne. Vide 3. Ioan. 3. *Gauisus sum*
3. Ioan. 3. 5. & 10. *venientibus fratribus.* Et 5. *Quidquid operaris in*
fratres. Et 10. *Neque ipse suscipit fratres.* Certè
ipsimet Paulo recenter à Deo prostrato; & è lu-
po in agnum commutato vt Christianitatis tesse-
ram daret; sic locutus est Ananias Actuum 9.
Actuum 9. *Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit*
tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spi-
ritu sancto. Nec ab alio quàm ab ipsomet Domi-
no hanc ad Christianos appellationem fluxisse il-
Matt. 23. 8. la ipsius verba apud Matth. 23. 8. *Omnes autem*
Luc. 22. 34. *vos fratres estis.* Et Luc. 22. 34. ad Petrum: *Et tu*
Iust. Mart. *aliquando conuersus confirma fratres tuos*; satis sua-
dent. Quàm verò familiaris Christianis in poste-
rum fuerit, ex veteribus Scriptoribus, præsertim
ex Iustino M. Athenagora in Apolog. pro Chri- *Athena.*
stianis: Minut. in Octauio, Clem. Alexand. lib. *Minut.*
2. & 5. Stromat. Lactant. lib. 5. institut. cap. 6. *Clem. Alex.*
& 8. Chrysost. hom. 80. in Matth. August. lib. *Lactant.* *Chrysost.*
de vera religione, cap. 46. signatissimè verò ex *August.*
Tertulliano pluribus in locis videre est; sic enim *Tertull.*
lib. de Corona militis, cap. 1. *ceteris constantior*
fratribus; & lib. 4. aduers. Marc. *tunc fratris, de-*
hinc apostatæ; & lib. ad Martyr. cap. 2. *quæ iusta*
sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen
fratrum: vnde totus Christianorum cœtus fra-
ternitas ab eodem sic nominatur lib. de præscript.
cap. 20. *Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum*
vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis,
& appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitali-
tatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem Sa-
cramenti vna traditio.

Erit vero vt opinor operæpretium, huius ap- 6.
pellationis causam, rationémque discutere, de
qua omnino inter Patres non conuenit. Sanè
cùm apud Christianos hæc fratrum nomenclatu-
ra percrebuit, atque eam ipsi iactare sunt soliti;
grauem illi calumniam, quasi è Platonica Repu-
blica sumptæ, Ethnici importauerunt: nam cùm
Plato vna ex parte omnes vnius ciuitatis homi- *Plato.*
nes fratres appellandos esse existimarit, vt testa-
tur Clemens lib. 3. stromat. ex alia verò vxores *Clemens Alex.*
inter eos communes fore censuerit, ex fraternita-
tis appellatione & nota impurum Christianorum
consortium Gentiles suspicabantur; vt sanctissi-
mæ omnium genti ea mens esset, ac leuissimis illis
qui dicebant.

Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus. *Ouid lib. 9.*

Vnde insignis ille calumniarum sartor Cæci-
lius sic mussabat apud Minutium Felicem in
Octauio. *Occultis se notis, & insignibus noscunt, &* *Minut.*
amant mutuò penè antequam nouerint: passim etiam
inter eos velut quædam libidinum religio miscetur, ac
se promiscuè appellant fratres, & sorores, vt etiam
non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat
incestum. Ita eorum vana, & demens superstitio scele-
ribus gloriatur. Sic Christi discipulos, niueúmque
Virginum, ac omni sanctitate fulgentium viro-
rum chorum, pessimi mortalium de suo sensu, &
moribus pensitabant. At enim tanta illis sapien-
tia, atque ingenij acie, tam felici exitu sapientis-
simi è nostris obstiterunt; vt maculam non mo-
dò omnino eluerint, sed ex omnium mentibus
ipsammet falsò impositæ culpæ memoriam ex-
turbauerint. Et quidem, vt Iustinus Martyr, Mi- *Iust. Martyr.*
nutius Felix, & Athenagoras in suscipiendo Chri- *Minut.*
stianæ gentis patrocinio præiuerint in suis Apo- *Athena.*
logiis; optimus & acerrimus huic causæ extitit
patronus Tertullianus, qui cùm (ita de illo scri-
psit Vincentius Lyrinensis lib. aduers. hæreses, *Vinc. Lyr.*
cap. 24.) pænè omne quod sibi ad expugnandum
proponeret, acumine irrumperet, aut pondere
elideret, sibi ipsi in hoc argumento excellere vi-
sus est, pessimam hanc noxam à Christianis tam
dilucide repellens, quàm in ipsosmet accusatores
adeò manifestè reiiciens, vt ipsi subinde retusi,
reuictíque siluerunt. Audi illum in Apolog. cap.
39. *Sed & quòd fratres nos vocamus, non alias, opi-* *Tertull.*
nor, infamant, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis
nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem
etiam vestri sumus iure naturæ, matris vnius, & si
vos parum homines, quia mali fratres. At quanto di-
gnius fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum Pa-
trem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt
sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad
vnam lucem expauerint veritatis? sed eo fortasse mi-
nus

nus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem. Itaque quia animo, animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiscreta sunt apud nos præter vxores: in isto loco consortium soluimus, in quo solo cæteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissimè subministrant, ex illa credo maiorum, & sapientissimorum disciplina Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa, & alibi creandorum, nescio quidem, an inuitas; quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facilè donauerant? O sapientia Attica! O Romana grauitatis exemplum! Leno est Philosophus, & Censor, quid ergo mirum si tanta charitas conuiolatur? Hactenus Tertull. Apud quem non solùm illatam nobis calumniam, repulsam, & in eorum capita ipsorum machinas vides reiectas, sed plures etiam, eas pulchras rationes habes ob quas Christiani fratres dicamur.

Primò quidem ait; iure naturæ matris vnius fratres nos dici. Quæ ratio & si omnibus hominibus communis sit; nemo enim, qui homo sit, ab hac fraternitate potest secerni, scitè enim dixit ille,

Lucret. lib. 2. *Cœlesti sumus omnes semine oriundi,*
Omnibus ille idem pater est.

Basil. Et Basilius hom. 21. in aliquot Scripturæ locos: *Natura námque vna est. Homo hic, & ille, vna in vtrisque necessitas.* Et statim: *Omnes fratres, & ex vno patre nati sumus. Si spiritualem quæris, cœlestis est Pater Deus: si terrena quæris, mater terra est, ex eodem luto omnes sumus constructi. Ex quo soror est natura secundùm carnem, soror item generatio est secundùm spiritum. Eundem tecum sanguinem habet; ex primo homine eandem tecum à Domino gratiam accepit*; at enim verò non nisi in Christianis locum hæc habere videntur; quippe qui fratrum more omnes diligere, & tanquam fratribus misericordiam exhibere norunt; namque apud Ethnicos,

Ouid. lib. Metam. *Fratrum quoque gratia rara est.*
ideo pulchrè dixit Tertull. *Vos parum homines, quia mali fratres*; id est, ab humanitate desciscentes, quòd mutuum amorem non exhibeatis. Christiani verò mutuo amore sese omnes complecti, & vera beneuolentia prosequi, signatè norunt: Clem. Alex. inde Clem. Alex. lib. 2. *Fratres appellamur, qui sunt regenerati; idque propter mutuam charitatem, & beneuolentiam.* Et Chrysost. lib. 1. de compunct. Chrysost. cordis. *Omnem hominem fratrem tuum iudica. In Christo enim neq; Iudæus, neque Græcus, neque seruus, neque liber, neque masculus, neque fœmina, sed omnes vnum sumus in Christo, &c.*

8. Cui rationi illa est valde affinis, ob quam Christiani, fratres vocentur, quòd eundem Magistrum, ac præceptorem Christum habeant, & eodem doctrinæ spiritu imbuantur, siue, vt pergit Tertull. *Eundem spiritum sanctitatis biberunt*; Tertull. Matth. 23.8. ipsomet apud Matthæum cap. 23.8. dicente: *Vnus est enim Magister vester: omnes autem vos fratres estis.* fraternitatem videlicet ad eundem doctrinæ lac, eandémque morum institutionem, atque educationem reuocans. Vnde Actuum 1.15. vbi Actuum 1. 15. nos habemus, *Exurgens Petrus in medio fratrum*: Lect. græ. & Syria. in Græco fonte, à quo Syriacus de more diffluit, *est in medio discipulorum*: & vtriusque vestigiis in-Cyprian. sistens Cyprian. lib. 1. epist. 68. reposuit, *in medio discentium*: pro vna eadémque re Vulgatus noster constituens Christi discipulum esse, & fratrem se cæteris Christianis exhibere, & fraternitatis iura cum illis seruare. Sed enim hanc cogitationem disertissimè firmat Dominus Ioan. 13. 35. inquiens: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis: si dilectionem habueritis ad inuicem* discipulorum characterem, & notam, nec non doctrinæ suæ summam in vera dilectione reponens. Ioan. 13. 35. Quare ad ea verba August. tractat. 65. in Ioan. sic ait: *Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensus, rationem, & eam salutem, quæ hominibus, peccatoribúsque communis est: verùm etiam linguas, sacramenta, prophetias, scientiam, fidem, distributiones rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis sui, vt ardeant, sed quoniam charitatem non habent, vt cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quamuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei: sed in hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* August. Sed enim hæc Christianorum nota non ex mutua solummodo dilectione, qua amicos prosequimur, sed ex ea potissimum charitate, qua inimicos nostros diligimus, & fratres vocamus, iuxta Nazianzeni monitum: *Dicamus fratres his etiam, qui nos oderunt*; signatè sumitur: *Si enim* Nazianz. *diligitis eos* (inquit Dominus Matth. 5. 46.) *qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nónne & publicani id faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nónne & ethnici hoc faciunt?* Matt. 5. 46. ac si dixerit, non carnalem tantùm fratrem, sed extraneum etiam hominem; immò & eum qui alienissimo animo à te est, vt fratrem diligere, tractare debes. Hinc illud de Christi lege atque doctrina vaticinium Isai. 8.16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.* Isa. 8. 16. Quod, vt benè à Cyprian. lib. 1. aduers. Iudæos, cap. 9. explicetur, quasi dicat, *Claude legem Moysis, & aperi legem Christi Apostolis & discipulis traditam*; Cyprian. commodiùs, opinor, nec longiùs à Cypriani sensu, interpretabere, ex Isidor. Hispalens. vt sensus sit, diuinam legem, atque doctrinam ab antiquis diffutam, ac solutam, à Christo & discipulis eius, consutam & religatam fuisse; quippe veteres, vnicum hoc dilectionis præceptum: *Diliges proximum tuum*, Matth. 19. 19. quo omnes homines, Matt. 19. 19. siue amicos, siue inimicos proximos nobis esse pensandos, & vt fratres diligendos, monetur, dissoluerunt, & duo fecere præscribentes: *diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; proximum scilicet ab inimico diuidentes: Christus verò qui non venit *legem soluere, sed adimplere*; eam rursus ligauit, & signaculo suo muniuit, sub proximi nomine, & dilectione amicum, & inimicum, sic religans: *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos*, Matth. 5. Matth. 5. 43. 43. Sed iuuat audire Isidorum lib. 3. sentent. Isidor. Hisp. cap. 12. hæc omnia pulchrè præstringentem & elucidantem his verbis: *In solis fidelibus religata est lex testante Domino per Prophetam.* Liga testimonium, signa legem in discipulis meis: *Ne eam aut Iudæus intelligat, aut hæreticus, quia non est Christi discipulus. Vnitatem quippe pacis, quam Christus docuit, non sequuntur: de qua idem Dominus dicit.* In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli si dilectionem inter vos habueritis. Hæc Isidorus.

Subdit nouam rationem fraternæ appellationis 9.

Tertull. nis Tertullianus inquiens non sine morsu. *Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos diriguit fraternitatem. Itaque qui animo animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus: Omnia indiscreta sunt apud nos.* Scitè, quòd hæc sit germana fraternitas communem cum fratre hæreditatem,& substantiam habere; hæc veræ amicitiæ lex externa bona cum amico partiri: sic fratri Christum interpellanti, *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, Lucæ 12. 13. pulchrè obstitit Chrysolog. serm. 162. quod fratrem appellaret eum, à quo bona habere vellet diuisa; sic enim primum ait ad illud: *Dic fratri meo. Cùm dicit*, Dic fratri meo, *præmisit quod charitatem moneat. quòd interpellet naturam, quod pulset affectum.* Deinde ad id, *vt diuidat*, subiicit. *Non potest dicere fratri: diuide, qui per Prophetam docuit*: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Quò pertinet illud Actuum 4. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* sub quo sensu præceptum dilectionis proximi sic capiebat Chrysostomus homil. 33. in 1. ad Corinth. à nobis ad cap. 1. vers. 27. adnot. 1. num. 6. adductus inquiens: *De Deo ex toto corde inquit de proximo sicut te ipsum: quod illo quidem nihilo est minus: equidem si syncerè charitas obseruaretur, non seruus, non liber, non magistratus, non subditus, non diues, non pauper cognitus esset*; charitate scilicet indigentium inopiam subleuante: vnde eodem cap. 39. immediatè ante de Christiana charitate dixerat Tertullianus, *Etiam si quod arcæ genus est, non de honoraria summa quasi redempta religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit. nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris, ac puellis re ac parentibus destitutis, iámque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodijs, dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Hæc ille. Quibus similia sunt, quæ ex Iustino Martyr, in sua Apologia ad Antonin. Imperat. adducit Cerda; sunt ista. *Cæterùm qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuere, & quod ita colligitur, apud præpositum deponitur. Atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his qui propter morbum, aut aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè aduenientibus hospitibus, & (vt simpliciter dicam) indigentium is omnium curator est* En Christianam, & verè fraternam charitatem; sed bone Deus! quàm obscura illius hodierna tempestate apparent vestigia; dum verbis non re fratrem fratri se quisquam exhibet. Nam cùm egenus tibi petit eleemosynam, respondere consueuisti: Deus te adiuuet frater: fratrem agnoscens, & compellans; sed & extraneum,& alienum illi animum ostendens; sed quid mirum? propria siquidem vtilitas, vt dicebat Epicteras Philosophus apud Arrian. lib. 2. dissert. cap. 21. *Et pater, & frater, & cognatus, & patria, & Deus est.*

Luc. 12. 13. Chrysol. Act. 4. 32. Chrysost. Tertull. Iust. Martyr. Cerda. Epictet.

10. Et verò dum hanc rationem disertè reddidit Tertullianus inquiens; *qui animo, animáque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus*; aliam simul non obscurè indicat, ob quam Christi discipuli optimo merito fratres appellarentur; quòd se inuicem non corpore, sed anima dimentientes, & cœlestem potiùs creationis Redemptionísque suæ ortum, & natiuitatem considerantes non modò paria illis siue communia essent bona; sed pares æquè ipsi inter se essent, nec alij aliis præcellere studerent: id quod dilucidè tradidit Hieronymus lib. aduers. Heluidium cap. 8. *Omnes Christiani fratres vocamur, quia in commune omnes homines ex vno patre nati pari inter nos germanitate coniungimur.* Lactant. lib. 6. de iustitia, c. 16. vbi cùm præmisisset. *Dicet aliquis: Nónne sunt apud nos alij pauperes, alij diuites, alij serui, alij domini; nónne aliquid inter singulos interest?* Respondet. *Nihil: nec alia causa est, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamur, nisi quia pares esse nos credimus: nam cum omnia humana non corpore, sed spiritu metiamur, tametsi corporum sit diuersa conditio, nobis tamen serui non sunt, sed eos & habemus, & dicimus spiritu fratres, religione conseruos. Diuitiæ quoque non faciunt insignes. nisi quos possunt bonis operibus facere clariores.* Ita Lactant. Quæ omnia è Pauli patera hausta videntur dum ad Galatas 3. 27. ait: *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est Iudæus, nec Græcus; non est seruus, nec liber; non est masculus, nec fœmina: omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Vbi Græcè pro *vnum* est *vnus*: eodem quidem, sed apertiori sensu; ac si dicat; omnes tanquam vnus estis; omnino scilicet indiscreti perinde ac si omnes eiusdem generis, & conditionis, immò & eiusdem sexus essetis. Quò facit, quod de fraterna amicitia, sic dixit Philosophus lib. 8. Ethicorum cap. 11. *Fratrum amicitia sodalitia est similis: æquales siquidem sunt, & coætanei, atque huiusmodi similium morum. similiúmque disciplinarum plerumque sunt.* Sed illud multo magis ad rem est, quòd Christiani omnes ad eandem cœlestem hæreditatem æternámque beatitudinem velut vnius Parentis Filij pariter vocentur: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*, ad Rom. 8. 17. ita citato loco Minutius Felix. *Fratres vocamur, vt vnius Dei parentis homines vt consortes fidei, vt spei cohæredes.* Cui rationi innixus Augustinus in Psalm. 54. sapienter monebat, neminem quantumuis perditum, ac improbum odio in hac vita habendum, *quia in eo* (inquit) *quod malus est quis eorum, vtrum vsque in finem perseueraturus sit, ignoramus. Et plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.*

Hieron. Lactant. ad Gal. 3. 27. Aristot. ad Rom. 8. 17. August.

Nec minus exacta, & opportuna ratio fraternæ appellationis, quæ Christianorum est propria, ea mihi videtur, quam attigit, citata homil. 8. Chrysostomus, quòd eiusdem corporis Christi in augustissima Eucharistia æquè participes simus; sic enim ille: *Fratres enim nostri baptismate constituti sunt, & ineffabilis mysterij participatione*; quippe vt *ea est naturæ lex, quæ nos ad omnem stringit humanitatem, vt alter alteri tanquam vnius partes corporis inuicem deferamus* (vt inquit Ambrosius lib. 3. de offic. cap. 3.) *Sic enim nascimur, vt consentiant membra membris, & alterum alteri adhæreat, & obsequantur sibi mutuo ministerio.* Etenim: *Omne hoc quod vides* (sic Seneca epistola 96.) *quo diuina, & humana conclusa sunt, vnum est, membra sumus corporis magni natura nos cognatos edidit cùm ex ijsdem, & eadem gigneret.* Ita reapse nonnisi ex Eucharistiæ participatione id assequimur, inde enim vnum corpus, siue eisdem corporis inuicem membra; II.

Chrysost. Ambros. Seneca.

ac

ac proinde propinqui, fratres, & sanguinis admixtione coniunctissimi efficimur, dicente Paulo 1. ad Corinthios 10. 17. (1. ad Cor. 10. 17.) *Calix benedictus, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane participamus.* Ad quæ verba Chrysostomus, (Chrysost.) *Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt qui sumunt? Corpus Christi, non multa corpora, sed vnum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est vnitus, vt nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter coniunctionem, ita etiam inter nos dum Christo coniungimur. Non enim ex alio corpore tu, ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes.* Hæc ille: à nobis expensa, & elucidata ad vers. 11. adnot. 5. n. 19.

11. Ad hæc: potest etiam valde probabiliter dici, Epaphroditum ratione Episcopalis dignitatis, qua fulgebat *fratrem* ab Apostolo, quasi in honore æqualem fuisse appellatum, sicut & statim ipso Apostoli nomine, quo nihil sublimius erat, aut illustrius illum honorat, quod Episcopi tanquam Apostolorum in dignitate successores de illo appellarentur; sic enim ipsemet Paulus 2. ad Corinth. 8. 23. (2. ad Cor. 8. 23.) siue pro *Tito, qui est socius meus, & in vobis adiutor, siue fratres nostri Apostoli Ecclesiarum.* Vbi Apostoli nomine Episcopos intelligi, constans interpretum expositio est. Certè in illa sua Apologia cuius iam meminimus Athenagoras, de Christianorum vrbanitate, siue de variis Christianæ cognationis & charitatis appellationibus, Sic inquit. (Athenag.) *Quamobrem fit, vt pro ætatum gradu alios quidem filios, & filias agnoscamus: alios autem fratrum & sororum loco habeamus, tum autem ætate prouectioribus patrum, matrúmque tribuamus honorem.* Dignum ergo vrbano Pauli ingenio, & modestia videtur, si non tam ob generalem appellationem, qua Christiani fratres se inuicem appellabant, sed honoris causa, & dignitatis Epaphroditi ratione, fratrem eum nominet. Pro quo etiam facit, & ipsummet Paulum à Petro tanquam collegam, atque Coapostolum vocatum fuisse fratrem 2. Petr. 3. 15. vbi (2. Petr. 3. 15.) ait: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Et hac eadem appellatione Timothei, Titi, & Tychici, qui omnes Episcopali munere vigebant, Paulum sæpiùs meminisse; sic enim 2. ad Corinth. 1. 1. & (2. ad Cor. 1. 1.) ad Colossens. 1. 1. (ad Coloss. 1. 1.) *Paulus Apostolus Iesu Christi, & Timotheus frater.* Et 1. ad Thessalon. 3. 2. (1. ad Thessal. 3. 2.) *Misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Euangelio Christi.* Et ad Hebræos 13. 23. (ad Hebr. 13. 23.) *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum, &c.* Et ad Corinth. 2. 13. (2. ad Cor. 2. 13.) *Non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meum.* Et de Tychico ad Ephes. 6. 21. (ad Ephes. 6. 21.) & ad Colossens. 4. 7. (ad Coloss. 4. 7.) *Omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in Domino.* Ad quem etiam modum Cornelium Pontificem B. Cyprianus Episcopus & M. charissimum fratrem appellat epist. ad Antonianum lib. 4. Neque his aduersatur Paulum in inscriptionibus Epistolarum quas ad Timotheum, & Titum dedit, eos, filios appellari solitum, quòd id peculiaris amoris signum fuerit, quippe vterque ab ipso Christiano lacte educatus, & enutritus fuerat; ea verò dilectionis verba, cum aliis munerum formulis non pugnant: alio enim dicendi modo Parens vtitur, cùm, filio in eximia aliqua dignitate constituto; familiaria illi monita suggerens loquitur; ac cùm de illo ad alios verba facit: nam vt domesticus ac simplicissimus sermo amatoriis appellationibus gaudet; ita dignitatis ratio honorificas formulas exposcit. Quod pluribus exemplis possem facile firmare, qui otio abuti vellet.

Cooperatorem, & commilitonem meum.

Primasius. *Cooperatorem propter opus Euangelij, & commilitonem propter gradum Apostolatus, qui in vobis accepit.* Meliùs Anselm. *Cooperatorem in prædicatione, & commilitonem in bello contra dæmones, & vitia, & contra omnes, qui regno Christi resistunt.* Quid commilito super cooperatorem addat, scitè explicauit Theophylact. inquiens. *Cooperatori præstat commilito. Cooperator enim, & operam aliquam præstat, in rebus tamen nullius discriminis. Commilito verò in admodum periculosis, & in quibus de vita agitur, & salute.* Egregia igitur Epaphroditi laus est, Pauli cooperatorem, & commilitonem esse, qui in Christiana expeditione & in non minus difficili atque arduo quàm glorioso, & pulcherrimo bello ad regnum Christo toto terrarum orbe propagandum; eorundem laborum, ac periculorum, simúlque victoriarum, triumphorum, atque præmiorum illius quasi ex æquo socius esset. Vbi benè obseruat Iustinianus non mediocriter, nec infrequenter Paulo militaria hæc verba placere, vt in eius Epistolis passim videre promptum est. 13. (Primas. Anselm. Theophyl. Iustin.)

Vestrum autem Apostolum.

Cum Apostoli vocabulum, tam officij, hoc est, nuntij, siue legati, quàm dignitatis, eiúsque, quæ omnium maxima censetur, nomen sit; anceps est, sub qua significatione Paulus Epaphroditum, Apostolum vocet: OEcumenius, & ab eo plures legatum dici putant, quòd à Philippensibus ad Paulum missus fuisset, vt ei subsidia deferret. Vnde hæc verba eadem cum sequentibus *ministrum necessitatis meæ*, esse volunt; huius verò expositionis auctorem faciunt Theophylactum, Estius, & alij non minus accurati interpretes; sed ille ab ea alienissimus est, qui Chrysostomum secutus ait: *Vestrum Apostolum, instructorem dicit, ac Magistrum.* Porrò quod ipse simul suscipiens elucidare hæc, & sequentia verba: *Ministrum necessitatis meæ mittere ad vos,* dixerit, *Hoc est, eum quem ad me transmisistis, vobis dono, & remitto. Per hunc enim Epaphroditum transmiserant Philippenses Paulo necessaria:* turbauit siue decepit hos auctores vt crederent Theophylactum vocem *Apostolus* ad legati, siue nuncij officium retulisse; cùm ille his verbis solum premat, verbum *mittere* & statim, vt vidimus, vocem *Apostolus* sensu dato explicet. Quod de industria adnotauerim, quòd iamdudum animaduertisse me memini, non esse infrequens apud nonnullos auctores; aliorum sententias, atque expositiones non satis expensas pro libito ad quamuis partem ducere. Et verò, quòd Chrysostomus, & Theophylact. Epaphroditum Doctorem, seu instructorem Philippensium ex Apostoli nomine dicunt, non perinde accipiendum est, quasi ipse Christianæ fidei fundamenta, quod proprium est Apostolorum munus, apud Philippenses iecerit; id enim 14. (OEcum. Theophyl. Estius. Chrysost. Theoph.)

enim Paulus, & Silas, vt ex Actis in prologo diximus, strenuè præstiterunt, sed quod huic Apostolicæ institutioni verbo, & doctrina ex parte collaborauerit. At enim vt vt id sit: verior mihi, & opportunior videtur Theodoreti expositio, qui Apostolum vocari censet, quod Philippensium Episcopus esset, sic enim ille:
Theodor. *Eum autem vocauit Apostolum, vtpote qui esset eorum cura credita, vt clarum sit, sub eo fuisse eos, qui in principio dicti sunt Episcopi, vtpote, qui presbyterorum locum tenerent.* Certè hoc sensu non sub legati significatione, vt perperam hic affirmauit Estius, 2. ad Corinth. 8. 23. dixit Paulus,
2. ad Cor. 8. 23. *Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi*; quòd ipsorum in dignitate, & officio gubernandi instituendi, imbuendique Ecclesias successores sint: vnde Hieronymus epistola 13. cum singulis Ecclesiæ gradibus antesignanos, & primarios viros veluti prototypos imitandos proponeret
Hieron. Episcopis hæc suggerit: *Episcopi, & presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum.* Et epistola 54. ad Marcellam: *Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent.* Et epistola 1. ad Heliodorum. *Absit, vt de his quidquam sinistrum loquar qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt.* Hæc Hieronymus, Nec fuerit necesse adnotare, hoc Apostoli nomen honoris gratia ad Episcopos in Scripturis & Patribus extendi; cùm propriè & singillatim ad duodecim à Christo electos, & ad Paulum æquè à Deo Apostolum factum hoc vocabulum, siue hæc dignitas spectet; eam verò opportunè definit atque extollit Tertullia-
Tertull. nus cùm libro de præscription. cap. 20. ait: *Ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat destinatos Nationibus magistros.* In quæ verba benè ex ipsomet Apostoli nomine, quod legatum cum potestate missum omnino significat, adno-
Pamell. tauit Pamellius, appellasse Tertullianum Apostolos Legatos Christi à latere, qui non minus honorandi essent, quàm is cuius legatione fun-
Luc. 10 16. gebantur; iuxta illud eiusdem Domini: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*, Lucæ 10. 16. Sed de Apostoli nomine, & munere, & iis omnibus, quæ ad illud spectant, copiosè &
Iustin. luculenter agit Iustinianus in præfat. ad Pauli epistolas, cap. 1. Adi illum.

Et ministrum necessitatis meæ.

1. Teodor. OPtimè Theodoretus, *Subministratorem verò dixit eorum, quibus illi erat opus, in quæ pecunias ab iis missas attulerit:* λειτουργὸν, *verò Græcè appellauit; hoc est, publici muneris executorem, innuens eos illam ei debere subuentionem, non secus ac qui munera publica obeunt, debent collationes.* Sic ille.

Ad illud: *Necessarium existimaui.*

ADNOTATIO I.

Prælatis iisque, qui sublimiorem locum siue excellentiorem gradum occupant, subditorum, siue minorum consolationem, atque vtilitatem propriis commodis, atque solatiis potiorem esse debere.

NON charitatem tam solummodo in Paulo, sed egregium loquendi modum, proprietatémque ac opportunitatem verborum mirere; nam qui dicere potuit, volui retinere, vel, mittere curaui, siue etiam, decorum, aut honestum existimaui, Epaphroditum mittere ad vos, iis locutionibus minimè contentus, accuratam hanc, & emphasi plenam excogitauit; *necessarium existimaui* vt quamuis fortioribus ipse, ac grauioribus curis premeretur, leuem tamen Philippensium consolationem, & gaudium proprio solatio, & leuamento anteferendum fore, necessaria omnino ratione duceret: & quidem rectissimè; & iuxta optimi prælati leges, veræque magnitudinis rationem. Cui enim bono fuerit, sublimiorem gradum habere, atque alio maiorem esse, nisi, vt quò maior quis fuerit, minori opem ferat? nec magnitudinem suam, siue excellentiorem dignitatem in propria commoda, sed in minorum vtilitatem, atque leuamen deriuet? Persecutus id sum ad similia illa Pauli verba cap. 1. vers. 24. *Coarctor autem è duobus, desiderium habens, dissolui, & esse cum* ad Phil. 1 23. & 24.
Christo, multo magis melius. Permanere autem in carne, necessarium propter vos; sed vber campus copiosas indesinenter parturit segetes, nobis abundat, atque luxuriat fructibus, & verò vt leuiter ibi tetigisse me memini locum ad Romanos 15. 1. *Debemus nos firmiores imbecillitates in-* ad Rom 15. 1.
firmorum sustinere, & non nobis placere; ita modò accuratiùs expendere est animus. Placet quidem rursus Caietanus inibi obseruans id Pauli Caietan.
monitum, non tam ad consilium, perfectionémve operandi modum, quàm ad ipsissimam muneris rationem, siue ad Prælati debitum, & obligationem pertinere; quasi ex officio teneatur, propriis rationibus, quieti, saluti, & vtilitati, subditorum commoditates anteferre; eo sanè modo, quo egregius Pontifex Chrysostomus pro suis subditis mori paratus, cùm eos alloquens diceret homil. 11. tom. 5. *Ego millies pro* Chrysost.
vobis immolari paratus sum, &c. Non enim propter diuitias vestras mundi insidias patior, quod si esset, vtique contristari deberem, nec propter aliquod peccatum, sed propter charitatem, quam erga vos habeo, quia omnia ago, vt vos proficiatis. Hæc est causa periculorum meorum, & hæc sufficiunt mihi ad coronam. Quid enim non patiar pro vobis? vos mihi ciues, vos mihi fratres, vos mihi filii, vos mihi membra, vos mihi corpus, vos mihi lux, immò & ista luce dulciores. Simul adnotabat, *& nec gratia mihi in hoc est, sed debitum reddo: bonus enim pastor debet animam suam pro ouibus ponere, huiusmodi enim mors immortalitatem parit*; à quo non longiùs recedens bonus Imperator Traianus dum præclari ducis munera obiret, non sibi somnum, requiémve capere, licere existimabat, quin ægros, fessósve commilitones inuiseret, eisque opem ferret; sic enim Plinius in Panegyrico ad ipsum.
Quid? cum solatium fessis, ægris opem ferres? Plinius.
Non tibi moris, tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses, nec requiem corpori, nisi post omnes dare.

At enim in præfatis Pauli verbis nonnihil pe- 2.
culiari obseruatione eò dignius videtur, quò pulchrum quidem monitum ad omnes generaliter extendit. Paulum nimirum non dixisse; debemus nos

nos qui firmi, aut qui firmissimi, hoc est, qui potentes siue qui potentissimi, Græca enim vox, vt inibi monui, potentiam sonat) sumus; sed *debemus nos firmiores*, eo comparatiuo notantes vsus, vt innueret adeo esse veræ magnitudinis proprium, aliis opem ferre, ac subuenire, vt non ad eos modò qui principatum gerunt, aut altissimas sedes occupant, sed ad quosuis, qui aliis vtcumque maiores sint, singillatim pro dignitatis, aut gradus sui excellentia pertineat, minoribus succurrere ac benefacere, quasi ea sit illius præ alio excellentiæ natura, siue lex, vt in eius bonum, & vtilitatem sese impendat. Ita quidem Christo Domino in horto Gethsemani vehementiùs afflicto, & in agonia posito Angelum statim accurrisse, vt leuamen & consolationem afferret, videris apud Lucam cap.

Luc. 22. 43. 22. 43. *Apparuit autem* (inquit) *illi Angelus de cœlo confortans eum.* Nimirum Christus, qua homo paulo minor Angelis erat, dicente Paulo ad

Ad Hebr. 2. 9. Hebræos 2. 9. *Eum verò, qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum, &c.* ea verò præcisè ratione, quòd sese humanitate Christi paulo maiorem Angelus inuenit: minimæ illius, & veluti digitalis; excellentiæ ratione ad ferendum Christo solatium, etiamsi æternas foret sedes relicturus, quasi ex legis præscripto, siue ex officio ad strictum putauit. Nec tunc quidem solùm, cùm dixerit in vniuersum Petrus epistol. 1. cap. 1. 14. *Spiritu sancto misso de cœlo in quem desiderant Angeli prospicere.* Vt enim plures his verbis ab interpretibus adhibeantur expositiones; ego cùm de Spiritus sancti donis hominibus impertiendis Petrum agere videam, omnino crediderim eo sensu dixisse, Angelos (*qui administratorij spiritus sunt*

1. Petr. 1. 14. *in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, ad Hebræos 1. 14.) auidè, & indesinenter in diuinum Spiritum prospicere, vt ab illo noua, sibique succedentia dona, atque beneficia nobis indesinenter hauriant, quippè hominibus paulo maiores, vt suæ magnitudini satisfaciant, ad opem illis ferendam, se teneri agnoscunt. Vnde quidem, qui custodes hominum Angelos ab humilitate laudant, quòd maiores cùm sint, hominibus inseruire non dedignentur, scopum veræ laudis, quam ipsis debent adscribere, an omnino colliment, ignoro: ego sanè humilitati Angelorum nihil derogare intendens, quos pro sapientiæ, & charitatis mensura, valde humiles, & modestos noui, dum eos hominibus subuenientes, & in manibus ferentes, ne offendat ad lapidem pes eorum, video; non tam humiles, quàm sublimes, & diuinos; siue potiùs iustos, & dignitati suæ re-

Plinius. spondentes sese exhibere dixerim. Nam si Plinio, vt alibi appinxi de Vespasiano Imperatore dicere licuit, lib. 2. cap. 7. *Hac nunc* (benefaciendi scilicet via) *cælesti passu cum liberis suis vadit omnis æui rector Vespasianus Augustus fessis rebus subueniens*; cur non etiam Angelos fessis hominum rebus subuenientes, cælesti passu cœlo descendere; magnósque & potentes sese ostendere affirmaueris.

3. Certè de vidua deliciis dedita signatissimè dixit

1. ad Tim. 5. 6. Paulus 1. ad Timoth. 5. 6. *Viuens mortua est*; vbi merito ambigas, cur mortua dicatur, quæ viuit, & omnimodo viuit? Mortuam sanè tu potiùs dixisses illam quę Christo confixa sensum suorum vsum amiserit: at quæ quod tactui blandum, quod naribus suaue, quod gustui dulce, & auribus quod musico concentu gratum, & periucundum est, adhibet; viuam, viuentémque potiùs appellaueris. Sed occurrit his Theoph. adnectens hæc verba cum iis

Theoph. quæ subiungit Paulus. *Si quis autem suorum, & ma-*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

ximè domesticorum curam non habet, hunc in modum: *Delitiis & voluptatibus dedita, propterea viuens mortua est, adeóque periit, quoniam omnem prouidentiam in seipsam impendit. Atqui suorum, id est, fidelium habenda cura.* Pulchrè, ac si dixerit, etsi tunc viuere, & omnimodo viuere videatur, cùm omnem prouidentiã in seipsam impendit: re vera tunc maximè mortua censetur, quòd cùm alio maior sit sui solùm, & non alterius curam habet, quippe homo non sibi soli, sed aliis natus est, ac proinde cùm aliis nõ prospicit, extinctus, & è viuorum numero, rerúmque natura sublatus censeri debet. Ita quidem Romanum illum diuitem Vatiam, qui periculosis Tiberij temporibus à Republica, & vrbe, cui aliqualem opẽ ferre poterat, sese subduxit, vt procul à fulmine securus viueret, quamuis à pluribus laudaretur, quasi solus ille sciret viuere, merito carpit Seneca ep. 55. Seneca.
quòd qui aliis nõ viuit, nec sibi viuat, ac proinde non tam scite viuere, quàm latere, dici debeat. Sic enim Philosophus: *In hac* (villa) *ille prætorius diues, nulla alia re, quàm otio notus consenuit, & ob hoc vnum felix habebatur. Nam quoties aliquos amicitia Asinij Galli, quoties Seiani odium, deinde amor merserat (æquè enim offendisse illum, quàm amasse periculosum fuit) exclamabant homines,* O Vatia solus scis viuere. *At ille latere sciebat, non viuere: multum autem interest, vtrùm vita tua otiosa sit, an ignaua. Nunquam aliter hanc villam Vatia viuo præteribam, quàm vt dicerem: Vatia hic situs est.* Subiicit rationem: *Nam qui res, & homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegauit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum, atque iners animal metu oblituit, ille sibi non viuit, sed (quod est turpissimum) ventri, somno, libidini. Non continuo sibi viuit, qui nemini.* Hactenus Seneca. Nec alia quidem ratione, si animum intendis, villicum iniquitatis, siue œconomum, vt bonorum quæ sibi credita fuerant, dissipatorem, accusatum, condemnatúmque videris, Luc. 16. 1. Nec tamen existimes illorum hanc imaginem fuisse, qui in externis rebus, ædificiis, pompis sanos sumptus faciũt, sed eorum qui in propriam tantummodo vtilitatem nulla infirmiorum habita ratione quidquid à Deo honoris, diuitiarum, siue potestatis acceperunt, conuertunt, vt ad id loci hunc in modum adnotauit Theophylactus. *Nihil enim habemus proprium, sed* Theoph.
dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à Domino nobis concredita sunt, vt illas bene dispensemus, sicut ipse imperat. At si concreditas diuitias non expenderimus iuxta mentem Domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur. Etenim voluntas Domini est dantis vti in vsus conseruorum, & non in proprias delitias. Sic ille.

Exigit id quidem veræ magnitudinis natura, 4.
summíque boni, ac regij splendoris, siue fastigij lex, vt in seipso non consistat, sed in aliorum salutem & bonum deriuetur. Quòd si ab ipso Boni fonte rem velis haurire, quid de æterno Patri, filium suum sibi vndequaque persimilem generante tam egregiis, quàm obscuris verbis dixerit sanctus Zeno Veronensis Martyr sermone 1. de Genesi obserua; sic enim ille: *Hic est Deus noster, qui se digessit in Deum.* S. Zeno Mar.
Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocauit in filium, ne quid sibimet derogaret. Quid obscurius? quid illustrius? Preme ergo illud, *qui se digessit in Deum*; quod eò ire videtur, vt sensus sit. Tam propriũ, támque innatum bono esse, sese diffundere; támque Deo vndequaque conuenire fæcundum esse, & communicabilem, & immensitatem naturæ diuinæ intra se non continere, quin ex ipso eructaret Verbum bonũ, vt qui aliter Deum excogitasset, crudum Deũ, & indigestum, aliúmque omnino

omnino à Deo vero faceret, cùm ipse ex fœcunditate, & communicatione diuinis Personis data, sese in Deum digesserit. Vnde rursus Zeno: *totum se reciprocauit in filium, ne quid sibimet derogaret.* Sed cur, *ne quid sibi*, & non potiùs Filio *derogaret?* Sanè quod nisi se totum, hoc est, diuinam naturam, communicasset, totus ipse non mansisset; nam sibi ipsi primarium boni splendorem derogasset, atque esse summè bonum desineret, dum sibi soli aliquid reseruare vellet, quod non communicaret, atque diffunderet. Vnde vt diuina Verbi generatio (sicut & diuini Spiritus productio) non libera, sed necessaria omnino est, diuina id natura, necessaria ratione exigente: ita Verbum à Patre generatum intra ipsum Patrem manet, vt dum se ipse reciprocat, atque diffundit in Filium suum sibi statum integrum seruet, & diuinitatis fastigio, nostro concipiendi modo coronam imponere, nec sibi aliquid derogare videatur.

5 Et verò hæc etiam in summæ huius bonitatis in creaturas diffusione, si pro necessaria communicatione, liberam, & spontaneam, & pro immensa eam, quæ debitis limitibus circumscribitur, intellexeris; suo modo locum habent Ioanne epistola 1. cap. 1. versic. 5. dicente: *Hæc est annunciatio quam audiuimus à Deo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ*, ac si dixerit, vt alibi expendi, id vobis gratissimum, ac iucundissimũ annunciamus, cum nos habere Deum, cuius natura adeò sit ad benefaciendum procliuis, vt quemadmodum lux non potest non radios suos diffundere, ne quid sibi deroget. Nam nisi illuminet, lux non erit: ita ipse qui ita præstat Sol (sic Dionysius Areopagita lib. de diuin. nomin. cap. 4.) *vt prima species tenui, obscuraque imagini per se ipsáque essentia sua his quæ sunt omnibus, pro eorum captu totius bonitatis radios emittat.* Quare notáter subiicit Ioannes: *Et tenebræ in eo non sunt vllæ*, hoc est, nihil est in illo, quod non sit lucidum, & illuminans, siue quod bonitatis suæ radios non emittat: nam tenebræ, lucis priuatio sunt, sanè vt videatur innuere quod suprà dicebat S. Zeno: *ne quid sibi derogaret*, vt quemadmodum Sol, si radios suos cohiberet, nec nobis communicaret sibi ipsi derogaret, & splendori suo tenebras offunderet; ita Deus, si ad benefaciendum, & sese creaturis communicandum pronus non esset, suo quidem splendori derogare, & tenebras offundere, quod nefas dictu est, quodammodo videretur. Vnde cùm Epicurei Deum otiosum, nostraque non curantem fingebant, scitè dixit Tertullianus, necessaria illos ratione neminem hoc est, nullius frugi facere: sic namque ille lib. 2. ad Nationes, cap. 2. *Epicurei otiosum & inexercitum faciũt, &, vt ita dixerim, neminem.* Quî enim Deus sit? qui bonus & benefaciens non est, vel quomodo nemo non sit, qui maior omnibus quæ excogitare humana mens valet, ad opem creaturis suis ferendam, & fessis rebus subueniendum non ardet? sed potentiam, & magnitudinem suam otiosam à benefaciendo tenet. Quare rursus citato loco Dionysius Areopagita ad finem capitis de Deo vero digna sentiens, & aptum diuinæ magnitudinis explicandæ palatum afferens animosè ait: *Audendum est etiam hoc pro veritate dicere, ipsum quoque rerum omnium auctorem, honesto bonoque omnium amore ductum pro singulari bonitate amatoria extra se fieri rerum omniũ procuratione, & quasi bonitate, charitateque, & amore deliniri, atque ex statu quo superat omnia, & ab omnibus secretus est, ad eum quo in omnibus est demittitur ea vi, qua essentiam superat, & omnia extra se rapit, nec interim ab eo discedit.* Hęc omnia Dionysius. Quibus benè congruit expositio, quam adhibuit Bernardus sermone de sancto Benedicto, illis Domini verbis apud Lucam 8. de mystico agricola, *exiit qui seminat seminare semen suum*, de ipsomet Dei filio capiens hunc in modum, *seminauit Filius; ipse est enim qui exiit seminare semen suum, Pater enim non exiit, sed Filius à Patre processit & venit in mundum, vt qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in vtero matris:* vbi dum Dei filium exeuntem, & sese quasi extra se ponentem audis; quæso ne hæseris, quasi dignitatis suæ metas transilire videatur, imò verò ipsum maiestatem suam ostendentem, & si fas est dicere, pro nostro captu promouentem considera. Nam tunc ille omnino intra se, & vt de Patre dicebat Zeno: *Suo integro manente statu*, cùm extra se ad benefaciendũ ponitur, esse videtur. Enim verò si se intra se cohibuisset, quin bonitatem suam cõmunicasset, sibi ipsi aliquid derogare quodammodo diceretur: vnde opportunè qui Patris imago est, ad seminandum bonitatis semen exit, qui intra se suóque sibi integro manente statu, atque fastigio esse vult, vt veræ magnitudinis, quę diuinam æmulatur naturam, & conditionem noueris, & quam optimo merito, de eo qui omnem prouidentiam in se ipsum impendit, dixerit Paulus, viuentem mortuum esse, quippè qui vitæ numeros non expleat, nec magnitudinis suæ fastigio respondeat.

1. Ioan. 1. 5. — Dionys. — Tertul. — Dionys. — Bernard. Luc. 8. — S. Zeno.

6 Hinc certè aliter ac ille villicus iniquitatis, atque ea à Paulo traducta vidua, quæ viuens mortua erat, sacra Christi sponsa se gessit: ad augustissimas siquidem Agni nuptias euocata, atque vtraque manu in amplexus suscepta, regio splendore, ac *delitiis affluẽs innixa super dilectum suum ascendens*, suauissimisque illis sermonibus delinita, *Pone me vt signaculum super cor tuum vt signaculum super brachium tuum*; nihil aliud respondisse, siue pro se cogitasse constat, sed minori sororculæ suę tota intenta cœlesti sponso dixisse fertur: *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die qua alloquenda est?* Cant. 8. 8. Ad quæ verba rectè expendunt Cassiodorus, & Honorius naturam, & perfectionem charitatis sponsæ, quæ sui oblita in aliorum commoda, & vtilitates fertur: cui cogitationi illud opportunè addideris, persensisse sponsam magnitudinis aculeos; & cum primùm honore ac dignitate maiorem se sorore sua cognouit, de illius incremento, & commodis, quasi propriæ excellentiæ lege adactam cogitasse. *Non enim principatus eius est* (inquit Chrysostom. homilia 5. in epist. 2. ad Corinthios) *qui plures pecunias dederit, sed qui maximas virtutes declarauerit, neque quasi ad humanam gloriam, & ad suam quietem, sed quasi ad labores & sudores, & ad multorum vtilitatem, ad principatum hunc ascẽdit ordinatus.* Obiicio id tibi ob oculos ex Paulo ad Hebræos 11. 24. de Mose dicente, *Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei*, id est, dum se grandem, & excellentiorem aliis se agnouit, regij splendoris, ac dignitatis specimen daret, superbas Ægyptij principatus opes sibi destinatas contemnere decreuit: vt suis subditis opportuniùs consuleret; atque hinc magnitudinis, & principatus insignia auspicatus dissidentes Hebræos componere, & regia authoritate reprehendere non dubitabit, Exod. 2. 13. Hæc omnia sic perstringente Chrysostomo præfata homilia 15. in epist. 2. ad Corinthios. *Etenim Moyses propter subditos tantas diuitias, & ineffabiles thesauros dereliquit, eligens magis affligi cum populo Dei; propterea insipientissimè dicebat ad illum Hebræus quidam*, Quis te constituit Principem, & Iudicem super nos?

Cant. 8. 8. — Cassiod. Honor. — Chrysost. — Ad Hebr. 11. 24. — Chrysost. — Exod. 2. 14.

nos? *Quid dicis? opera vides, & de nomine controuertis?* Pulchrè, ac si dicat, vides hominem sua non quærentem, sua non curantem, immò despicientẽ, atque relinquentem, vt se totum ad aliorum commoda & vtilitates quærendas transferat; atque illum regium animum habere dubitas? Pergit verò egregius Princeps, nec Ægyptio solummodò splendori, sed cœlesti etiam regno subditorum vtilitatẽ, & bonum regia, & diuina quadam magnanimitate anteferens: dum enim populo suo infensum Deum, atque à se illum repellentem vidit; sic illum animosa oratione affatus dicitur Exod.32.32. *Si dimittis, dimitte: sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti.* ac si dicat, si hos deles, & abdicas, dele me etiã, atque abdicatum cense, quem enim gustum ex ea possim capere felicitate, à qua mei subditi exortes sunt? Ita Bernard. serm.12. in Cant exclamans. *O verè hominum vnctum vnctione misericordiæ! loquitur parentis affectu, quem nulla possit delectare felicitas exortibus quos parturiuit.* subdit pulchram imaginem. *Verbi gratia, si diues quispiam mulieri pauperculæ dicat: Ingredere tu ad prandium; sed quem gestas infantulum relinque foris, quoniam plorat, & molestus est nobis. Numquid faciet? Nónne magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo sola prandere cum diuite. Ita nec Moysi cedit solùm se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato vice pariter, & affectione matris inhærenti.* Sic Bernardus.

Exod.32.32. — Bernard.

7. Arguunt hæc Petrum in Thabotis gloria desipientem, dum *nesciens quid diceret*, aiebat: *Bonum est nos hic esse*, Marc.9 6. Ita ne bonum existimas in prandium, siue in gaudium Domini tui ingredi fratribus, & subditis foris relictis tam ieiuna tibi fames, vt charis pignoribus expositis solus cum diuite prandere velis. Quæ, oro, te possit delectare felicitas exortibus quos parturisti: scitè id attigit ad ea verba Paschas. lib. 8. in Matth. inquiens: *Et hoc ipsum, vt dixi, mendacium est; quia si sic bonum esset, vtique in eo permansissent loco, nec tamen aliis subuenisset, non dico generi humano, sed nec ipsis Coapostolis, qui cum eo ad eumdem locum non ascenderant. Nec enim de his aliquid cogitare videtur Petrus, in quibus charitas, quàm maximè commendabatur.* Sanè non ingratiis hanc referens historiam obseruauit Lucas, Petrum tunc temporis somno fuisse grauatũ: *Petrus verò*, inquit, *& qui cum eo erant, grauati erant somno*, quòd adstante Moyse, eius præsentia, atque exemplo non commoueretur, vt charis pignoribus expositis in diuitis prandium ingredi, atque inibi permanere vellet. Congruit verò mirè dormienti Prælato illa vox, *Bonum est nos hic esse*: vt nimirum pro illo somno, ac delitiis dedito, subditi, ac inferiores inuigilent, atque laborẽt; cùm alia omnino boni pastoris lex sit: *ipsi enim* (inquit Paulus ad Hebræos 13.17. *peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*: hoc est, inquit Bernard. serm. 76. in Cantica, *qui nobis dormientibus ipsi peruigilant*; & (vt alibi à me adductus dicebat Seneca ad Polybium:) *Omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* Quo sanè in cardine totam Principatus rationem, eiúsque à tyrannide discrimen vndequaque verti, sapienter obseruauit Synesius lib. de regno: vbi cùm dixisset, *Rectéque omnino vetus sententia subditorum multitudinem, Regem non potius facere, quàm tyrannum, sicut nec ouium multitudo pastorem potius, quàm coquum, qui illas abigit, vt mactatis non modò ipse famem expleat, sed & aliis epulandas venum proponat; iisdem prorsus limitibus Regem censeo à tyranno dissidere.* Subiicit.

Marc. 9. 6. — Paschas. — Luc. 9. — ad Hebr. 13. 17. — Bernard. — Seneca. — Synesius.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Nam quod fortunam pertinet, ambobus haud dissimilis est. In multos vterque homines imperium habet. Verùm qui id in vita ratione sequitur, quod subditis commodum videtur, qui laborem, & molestiam perferre vult, ne quid illis molestum sit, qui pro illis periclitatur, vt in pace, & securitate degant, quique vigilare, & in maximo concursu sollicitudinum versari sustinet, vt noctu, & interdiu subditi malis omnibus vacent; hic in genere quidem ouium, pastor; in hominum verò genere, Rex est. At qui per luxum potestate abutitur, & imperium voluptate, ac delitiis conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse, ducens, &c. Et in vno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed à grege saginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum tyrannum esse censeo, si quod subditum est, populus sit ratione præditus. Hæc vnica est Regis norma. Hæc Synesius: in cuius sententiam quotquot pleno pectore sapiunt, pedibus, ac manibus, vt dicitur, eunt.

En magnitudinis legem, ac naturam vt nimirum ad benefaciendum omnino procliuis sit, & quò se aliis præstantiorem, potentiorémque quis agnoscit, pro excellentiæ gradu, atque mensura opem illi ferat, foueat, atque tueatur. Vereor tamen ne contraria ratione humanæ res eant, à regia illa via abductæ, cùm *nondum valentior*. (Sic Seneca Epist. 91. *imposuerat infirmiori manum*.) iámque hominum vita, piscium vita (quod est in prouerbio) sit, quippe vt vetus verbum habet. *Pisces minutos magnus comest*. quasi legitimo iure minor maioris præda censeatur. Id quod hominibus sic eleganter exprobrauit Basilius hom.7. in Hexaëm. *Maior pars piscium ligurium alter alterum, atque deuorant; & minor apud illos esca maioris est; & si vnquam euenerit, vt is qui minorẽ superauerat, alterius præda fiat, ambo tunc simul deglutiuntur, & vna vltimi piscis immersi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cùm vim inferimus inferioribus.* Quò etiam Stephanus Cantuariens. in allegoriis in lib. Tobiæ per allegoriam retulit, quod de pisce immani Tobiam deuorare adnitente dicitur cap.6.2. *Et ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.* his verbis: *Piscis iste qui vult opprimere Tobiam significat potentes pauperum oppressores.* Equidem vt certum interitum, dirámque & sine remedio calamitatem Israëlitis Dominus denunciaret, Amos 2.15. dicebat: *Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensore qui non saluabit animam suam.* Et statim. *Et robustus corde inter fortes nudus effugiet*, quæ Ribera, & alij sic capiunt, ac si dicatur. Audacissimus quisque putabit, præclarè secum agi, si vel omnibus quę possidebat relictis, ac perditis, vitam suam nudus effugiens seruare possit: at enim S. Cyril. Alex. LXX. lectioni insistens sic affert hæc verba: *Inueniet cor suũ manifestè in potentatibus*: hoc est, salutem, vitam, & facultates suas (id enim cor portendit) in Potentatum ac Dynastarum manibus posita videbit: *Hallara su vida y salud puesta en manos de señores*: ac si dicatur; nulla illi euadendi spes erit, omnísque salutis, & luminis intercipietur occasio: peribit indubito. Sed quare? cùm potius ad magnates & potentes, qui ex magnitudine sua opem ferre, & subuenire tenentur, tamquam ad asylum cõfugiendum videatur? Respondet Ecclesiasticus c.13.23. *Venatio leonis onager in eremo, sic pascua sunt diuitũ, pauperes.* ex leonis imagine præ potentia, & fortitudine sua onagrum viribus inferiorem depopulantis pulchrè monens, talẽ, tãtámque mutationem nobilium, ac potentiũ mores suscepisse, vt qui ad minores tutandos, & alendos prõpti accurrere deberẽt, ad

8. — Seneca. — Basilius. — Tob. 6. 2. — Step. Cant. — Amos 2.15. — Ribera. — S.Cyrill. Alex. LXX. — Eccl.13.23.

ad eos potiùs deuastandos, atque spoliandos auidissimè inuolent, illorum exiguitatem, & ad præualendum imbecillitatem, occasionem suam putantes. Sic Saluianus Massiliens. lib. 4. de Prouiden. & gubernat, inquiens. *Quotusquisque enim iuxta diuitem pauper aut intactus, aut tutus est: quidem persuasionibus prapotentum, aut sua homines imbecilli, aut etiam se ipsos cum suis pariter amittunt, vt non immeritè de vtrisque personis sacer sermo testetur.* Eccles. 13. 23. *sic dicens:* Venatio leonis onager in eremo: sic pascua sunt, diuitum pauperes. Hæc Saluianus. Et verò præfato Pauli loco, in quo illo comparatio *firmiores* vsus generaliorem omnibus communem sententiam fecit, vt paululum quisque alio maior, aut ditior ei benefacere studeret, opportuniùs monet, siue dolet, atque increpat Chrysostom. hom. 10. in Epistolam 1. ad Thessalon. ad fin. hunc in modum. *Cessemus ergo aliorum bona rapere & pauperes & diuites. Non solùm enim hac loquor diuitibus, sed etiam pauperibus. Nam ipsi quoque eorum bona rapiunt, qui sunt se pauperiores & ditiores, & potentiores opifices, eos vendunt, qui sunt egentiores, & pauperiores: caupones, caupones, & omnes qui sunt in foro.* Si disertissimè Chrysost.

Saluian.

Chrysost.

VERSVS XXVII.

Nam & infirmatus est vsque ad mortem, sed Deus misertus est eius; non solùm autem eius, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

ERGIT Apostolus Philippenses de Epaphroditi ægritudine admonere, subiiciens minimè leuem, immò verò adeò graue fuisse, vt nihil propius fuerit, quàm vt mortalitatē expleret.

Infirmatus est.

1. AMbrosius. *Quid est, vt præsente Apostolo, qui mortuos suscitabat, hic Epaphroditus Paulo pernecessarius tam graui morbo conflictaretur? Numquid non orauit pro illo Apostolus, & non impetrauit, vt citiùs sanaretur? Sed signa infidelium causa fiunt. Nam huic non ad detrimentum contingit ægritudo, sed ad augmentum. Probationes enim diuersa sunt credentium. Alius enim per ægritudinem, alius amissione charorum, alius per damnum pecuniæ, alius per tribulationes probatur, si in necessitate stabilis inueniatur, auxilium à diuersa parte non quærens, vt augmentum faciat meritorum. Non ergo contempta est postulatio Apostoli, sed meliùs prouisum est ei, pro quo petebat.* Hactenus Ambrosius.

Vsque ad mortem.

2. GRæcè παραπλήσιον θανάτῳ, *vicinus morti*: siue, vt legit Ambros. *prope mortem*: vt videris longè à Pauli mente ire quod nonnulli interpretes affirmant, sermonem esse de mortis periculo, in quo Epaphroditus victum Paulo vincto afferens inciderit ob plagas, atque supplicia Nerone Christianos ferociter persequente ipsi inflicta; cùm ex ipso textu appareat loqui Paulum de morbo, quo ipse laborauerit, siue ob itineris molestias, siue ob sanctissimi viri austeritatem, & propriæ salutis incuriam; quod clariùs tinnit postea Paulus, dum vers. 30. inquit. *Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit, tradens animam suam*: vbi Græcè habetur, παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, id est, vti vertit Erasm. *non habita ratione vitæ*: siue propriùs, *perperam consulens vitæ suæ*: Hispanè verbum verbo, *Desamorado para consigo*, phrasi ille è regione opposita, *Bien me quiero*: quæ velut originaria labes mortales cunctos comprehendit, vt sensus fuerit, Epaphroditum tam longum ac molestum iter confecisse, nulla propriæ salutis, atque commoditatis habita ratione, quòd videlicet magnis itineribus, & multa defatigatione, nullisque subsidiis, atque solatiis assumptis Paulo opem laturus aduenerit. Benè quidem verum est, Anselmum in hoc vers. 30. verba illum ab infidelibus diuexatum, siue verberatum fuisse, sic suspicari: *forsitan quia verberatus est, ab infidelibus in ministratione*; sed aliud est, coniecturis agere, aliud Pauli verbis explicandis inhærere: ex his certè id non facilè eruitur: iam, quòd iidem interpretes Chrysost. huius suspicionis auctores faciunt, quod explicans illa verba, *tradens animam suam*, dixerit: *Verisimile est illum cùm Romam peruenisset, Paulum in magno hoc, graui que periculo reperisse, vt qui adire illum vellent, ipsi quoque minimè tuto id possent facere, sed suo periculo accederent, quod euenire maximè consueuit magna commota tempestate, atque vbi Regum ira maiorem in modum efferuescit*: ruinoso innititur fundamento, immò verò nullius momenti argumentum est, cùm ipse minimè loquatur de periculo, in quod Epaphroditus reapse inciderit, sed cui se ipse animosè obiecerit, muneris sui potius quàm propriæ salutis ratione habita: nec ibi de illius ægritudine Chrysostomo sermo est.

Gra. lect. Ambros.

Erasm. Gra. lect.

Anselm.

Chrysost.

Sed Deus misertus est eius.

SCitè inquit Chrysost. *Quid? si dissolui, & esse cum Christo, multo præstabilius cur inquit, ipsum misericordiam esse consecutum?* Respondet verò. *Ego verò dicam; quid est, quod ipse inquit, magis necessarium esse manere propter vos? Nam quemadmodum Paulo hoc necessarium erat, ita & Epaphrodito; quippe qui amplioribus cum diuitiis, maioreque confidentia, & securitate ad Deum abiturus esset. Etenim illud quidem etiãsi paululum differretur, tamen omnino erat; lucrari verò animas, postquam illuc abiisset, non poterat.* Optimè. 3.

Chrysost.

Non solùm autem eius, verùm etiam mei, ne tristitiam, &c.

MInimè abscondit Apostolus se de Epaphroditi ægritudine ad naturæ, & charitatis legē tristari, quo modo Dei filium in Lazari morte ad sororum lachrymas, quæ inibi mœstissimæ aderant, contristarum, lachrymas etiam profudisse legimus: quod quidem adeò non pugnant cum virtute, vt virtutem potiùs sapiat, & hominē humanum, non lapideum, aut ferum. Audi ea de rē August. lib. 14. de Ciuitat. Dei. c. 9. *Hi motus, hi affectus de amore boni, & de sancta charitate venientes, si vitia vocanda sunt, sinamus, vt ea, quæ vera vitia sunt, virtutes vocentur. Sed cùm rectam rationem sequatur ista affectiones, quando vbi oportet, adhibentur, quis eas tunc morbidas, aut vitiosas passiones audeat dicere? Quamobrem etiam ipse Dominus in forma serui agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens peccatum adhibuit* 4.

Ioan. 11. 35.

August.

eas,

ea, vbi adhibendas esse iudicauit. Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Vnde sic statim subiicit.

Marc 3.5. Ioan.11.35. Ioan.11.15. Luc.22.15. Matth. 26. 38. *Cùm ergo eius in Euangelio ista referuntur, quòd* super duritia cordis *Iudæorum*, cum ira contristatus *sit*; *quòd dixerit*: gaudeo propter vos, vt credatis; *quòd Lazarum suscitaturus etiam lachrymas fuderit; quòd concupiuerit cum discipulis suis manducare Pascha; quòd propinquante Passione tristis fuerit anima eius* vsque ad mortem, *non falsò vtique referuntur. Verùm ille hos motus certa dispensationis gratia, ita cùm voluit suscepit animo humano, vt cùm voluit factus est homo.* Sic Augustinus.

5. Certè eos, qui his pietatis, & commiserationis affectibus non tanguntur, nec norunt *flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus*, ad Rom. 12. 15. vt duros & immanes vellicauit idem Apostolus ad Rom. 1. 31. vbi inter genuinos idololatriæ fœtus ponit homines *incompositos sine affectione*: vbi ex Græca voce *incompositos* dixerit, inciuiles, barbaris moribus, ab omni societate & conuersatione honestâ alienos. Pro *sine affectione* verò, Græcè etiam est ἀστόργους, quam vocem alij vertunt *inhumani*, alij, qui nullo tanguntur, aut pietatis, aut charitatis affectu; vt meritò affirmaueris eos, qui hisce humanis affectionibus non punguntur, non modò barbaros, sed etiam inhumanos, siue non homines esse. Vnde rursus citato loco Aug. *Vituperabat enim, & detestabatur Apostolus quosdam quos etiam esse dixit* sine affectione, *illos etiam culpauit sacer Psalmus, de quibus ait:* Sustinuit qui simul constristaretur, & non fuit. *Nam omnino non dolere, dum sumus in hoc loco miseriæ, profectò sicut quidam etiam apud sæculi huius litteratos sensit, & dixit: Non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Sic Augùst alludens ad Crantoris Academici sententiam apud M. Tull. lib. quæst. Tuscul. quæst *de indolentia*. Quod si attendis, tangit id illustres viros atque Dynastas, quos sæpiùs *sine affectione* non modò erga suos familiares, sed etiam erga proprios consanguineos, & affines videris, siue expertus fueris. vix enim ad eorum mortes, & casus veræ affectionis sensu, sed ad speciem tantùm commouentur. Ita quidem in funere puellæ principis cuiusdam filiæ sic notanter in planctum inducuntur conducti tibicines Matth. 9. 23. *Et cùm venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, &c.* In quæ verba Chrysol. serm. 19. hæc pulchrè ait: *Vbi verus planctus non est, ibi est empta, & mercenaria cantilena. Mortuum non artifex fistula sed simplex plangit affectio.* Sic ille.

(Margin: ad Ro. 12.15. — ad Rom. 1.31 — Græ. lect. — August. — Psal. 68. 21. — M. Tull. — Matth. 9. 23. — Chrysol.)

6. Tristis ergo optimo meritò Paulus, quòd homo esset, & verus homo esset: at enim non inde miser, aut pusillo animo eiulans, & querimonias mouens, sed placido semper pectore iugi bonæ mentis conuiuio indesinenter fruens. Pulchrè lib. 2. officior. c. 5. hanc in rem Ambros. *Neque enim profundum mare negauerim, quia vadosa sunt littora, neque cœlum lucidum, quia interdum obtegitur nubibus, neque terram fœcundam, quia aliquibus locis ieiuna glarea est, aut lætas segetes, quia inter mixtam solent habere sterilē auenam: similiter puta beatæ messem conscientiæ interpellari aliquo acerbo dolore, nonne totius manipulis vitæ beatæ siquid fortè accidit aduersi, atque amaritudinis tanquam sterilis auena obsconditur, aut tanquam lolij amaritudo frumenti suauitate obducitur?* Immò verò constantiæ splendore, & patientiæ gaudio magis clarus, atque conspicuus non secus ac in tenebris splendidiùs emicat lumen: sic de sapiēte verò, quem sibi somniabat, dicebat Senec. epist. 120. *Numquam enim vir ille perfectus, adeptusque virtutem, fortunæ maledixit, numquam accidentia tristis excepit; cùm esse se vniuersi, & militem credens, labores velut imperatos subiit. Quidquid inciderat, non tamquam malum aspernatus est, & in se casu delatum, sed quasi delegatum sibi. Hoc qualecumque est, inquit, meum est, asperum est, durum est, in ipso nauemus operam. Necessariò itaque magnus apparuit, qui numquam malis ingemuit, numquam de fato suo questus est, fecit multis intellectum sui, & non aliter quàm in tenebris lumen effulsit: aduertitque in se omnium animos, cùm esset placidus, & lenis, & humanis, diuinisque rebus pariter æquus.* Hactenus Seneca.

(Margin: Ambros. — Seneca.)

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

De huius verò tristitiæ causa sic disserit Ambros. 7.
Quid autem illud est, vt cùm de excessu fratrum in alia epistola non contristari debere admoneat; in hac autem contristandum se, si exisset Epaphroditus de corpore, significat? Tristitiam se, si exisset habiturum dixerat super tristitiam quam habebat de infirmitate eius. Erat enim necessarius Ecclesiis. Nam ad Thessalonicenses, Videte, *ait*, ne contristemini de dormientibus sicut & cæteri, qui non habent spem. *Se autem sic tristem futurum dixerat de excessu Epaphroditi, quia solatium eius, & auxilium requirebat, non tamen vt quasi perditum lugeret.* Sic Ambros. En tristitiæ occasionem atque materiam quam Paulo benignus Dominus subtraxit, quippe ipsi grauiter dolenti de Epaphroditi morbo, quòd propterea res Christiana non adeò feliciter currerent, ingens denuo tristitia ob eius mortem, qui Ecclesiis pernecessarius erat, *necessariò accessisset.*

(Margin: Ambros.)

Super tristitiam.

DE more, nimirum Deus in suppliciis, & doloribus infligendis moderatissimus est, nec vulnus super vulnus inferre consueuit, de quo in adnotationibus, & alibi. 8.

Ad illa verba, *Deus misertus est eius, &c.*

ADNOTATIO I.

Sæpiùs temporalia bona, honores, valetudinem, diuitias, pro bono, siue malo illorum vsu, addi, auferrique à Deo.

NEMO, opinor, vocabit in dubium, externa hæc bona valetudinem, honores, atque diuitias, licèt ἀδιάφορα, hoc est, indifferentia à Stoïcis appelletur, inter Dei dona esse computanda; ab ipso enim, vt ipsimet Stoïcus Seneca dixit, *vsque in delitias amamur*: ita grauiter dicebat Saluianus Massiliens. lib. 1. ad Ecclesiam. *Omnem substantiam mundalem diuino possessoribus cunctis munere dari, nullus homo, vt reor, ambigit, qui modò in hominum numerum referri potest, nisi fortè quis tantæ sit insipientiæ, vt eum humano generi mundus ipse à Deo datus sit, ea quæ in mundo sunt, non à Deo hominibus data arbitretur.* Sed & id inde collige, quòd ad eadem refrigerij, & felicissimæ quietis sedem, & Abrahami diuitiæ rectè ab ipso expensæ, & Lazari paupertas, atque mēdicitas pertinuerint Domino dicente: *Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinū Abrahæ,* Luc. 16. 22. in quæ verba August. serm. 110. de tempor, sic sciitè ait. *Pauper non habet, vnde infletur; diues habet cum quo luctetur. Audi ergo me. Esto verus pauper, esto*

(Margin: 1. — Seneca. — Saluian. — Luc. 16. 22. — August.)

esto pius esto humilis. Nam si de ipsa pannosa, & vlcerosa paupertate gloriaris, quia talis fuit ille, qui ante domum diuitis inops iacebat, attendis quia pauper fuit, & aliud non attendis. Quid, inquis, attendo? Lege Scripturas, & inuenies quod dico. Lazarus pauper fuit: Abraham in cuius sinum leuatus est, diues fuit. Et post pauca. *Ego, inquit pauper, leuor in sinum Abrahæ. Non vides, quia pauperem diues excepit? Non vides, quia diues susceptor est pauperis? Sic enim superbis contra eos, qui habent pecuniam, negas eos ad regnum cœlorum pertinere.* Sic August. Firmat hæc hoc loco Paulus dum bonam Epaphroditi valetudinem diuinæ benignitati, atque misericordiæ, de qua vterque optimè meritus fuerat, attribuit, inquiens. *Infirmatus est vsque ad mortē, sed Deus misertus est eius, non solùm autem eius, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.* Et verò, quamuis otiosum quodammodo videatur, diuinæ miserationis causas inuestigare, cùm hæc ab ipsa Dei natura, atque ingenio origenem habeat, & gratis atque sponte diffluat, non ingratiis quidem hoc loco dixeris, & Epaphrodito vitam non ademptam, & Paulum optimo amico non fuisse spoliatum. quod vt ille vitam, & valetudinem in virtutis studio, & Euangelicæ prædicationis officiis insumeret, ita Paulus illius amicitia ad Euangelij incrementum, & animarum salutem vteretur, & ad Dei gloriam omnino referret. Nimirum probo, & legitimo temporalium rerum atque bonorum vsui eorum conseruatio, & incrementum; à Deo tribui ac rependi solet: & quod dixit Lactant. lib. 5. c. 16. *Diuites sunt* (Lactant.) *enim, non qui diuitias habent, sed qui vtuntur illis ad opera iustitiæ;* non eo solùm sensu verum est, quod vt à sole lucem, & colorem omnia; ita diuitiæ à iustitia nomen, & essentiam accipiat, sed etiam quòd non nisi ex recto ipsæ vsu (atque idem de externis omnibus bonis iudicium esto) subsistant, & durent, alias, vt mille periculis, & ipsius mei dæmonis omnibus hominis bonis inuidentis incursionibus, & telis obnoxia, ruit ira, & peritura omnino: sic quidem egregio illi viro simplici, & recto, & timenti Deum Iob florentissimæ opes, & pretiosa supellex, pulcherrimúsque filiorum grex aduersus peruigilis hostis insidias, & incursus firmiter stabant, atque manebat: eodemmēt impugnatore dicente. *Nōnne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersámque substantiam per circuitum.* Iob 1. 10. vbi Pagninus legit. (Iob 1. 10. Lect. Heb.) *Nōnne septem posuisti circa eum, & circa domum eius, & circa omne, quod est ei vndique?* Similiter ex Græco Olympiodor *Nōnne tu sepsisti quæ externa sunt eius?* quæ sic explicat, *eum quasi quodam vallo, ac muro firmissimo communiuit, periculisque liberauit.* Quæ sanè manifestè eunt, vt dirus ipse hostis adstruat, sæpiùs se florentem Iobi fortunam oppugnare, & expugnare voluisse, verùm à peculiari Dei prouidentia Iobum protegente, & circa omnia illius bona excubias agente propulsatum, atque repulsum hæc inibi acutè ad hæc verba obseruante Olympiodoro hunc in modum: (Olymp.) *Vide quemadmodum diabolus ad Iobum perdendum adortus sit.* Nōnne tu sepsisti quæ externa sunt eius? *quibus verbis agrorum, & armentorum diuitias significare volebat. Sed tamen, ô scelesto, vnde nosti Iobum septum esse, ac munitum? nisi quia sæpiùs te id faciendi libido incessit, quod postea potestatem nactus facere non dubitasti: nimirum tunc res illius omnes vallatas esse intelligebas, cùm prohibebaris; idcóque dicit:* & omnia quæ sunt illi in circuitu sepsisti. *Hactenus enim Deus nostra obuallat, & diabolo haudquaquam potestatem facit.* Hæc Olympiodorus in Catena Græca à Paulo Comitolo latinitate donata.

Sed enim vt hanc thesim, siue parænesim firmem; illud placet substernere cæmentum, quod Augustinus ad totam vitæ institutionem, rectúmque ordinem sæpiùs iacit; humanas videlicet res externáque bona non ad fruendum, sed ad vtendum nobis à Deo data esse: vt illis videlicet tamquam mediis siue instrumentis ad Dei obsequium, æternámque vitam promerendam vtamur, non verò fruamur; illis videlicet propter ipsorum pulchritudinem, aut voluptatem inhærentes: atque in ea tamquam in scopum, & vltimum finem animi impetum dirigentes: vnde post multa, quæ in hanc rem premens vtendi, fruendique phrases (de quibus alio loco) dixerat lib. 1. de doctr. Christian. cap. 4. 5. & 22. charitatem à cupiditate sic discriminat cap. 33. eiusdem libr. *Charitatem voco motum* (August.) *animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, atque proximo propter Deum; cupiditatem autem motum animi ad fruendum se, & proximo, & quolibet corpore non propter Deum.* A quibus sanè non multum abiuit Seneca lib. de consolat. ad Marc. 10. dum hæc omnia, quibus homines affluunt bona, non nisi in vsumfructum illis data esse, sic sapienter monuit. *Quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex aduentitio* (Seneca.) *fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, & exclusorum clientium turba referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniux, cætráque ex incerta, & mobili sorte pendentia, alieni, cōmodatique apparatus sunt; nihil horum dono datur: collatitiis & ad dominos redituris instrumentis scenam adornatur, &c. Ita non est, quod nos suspiciamus, tamquā inter nostra positi, mutuo accepimus. Vsusfructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat, nos oportet in promptu habere, quæ in incertū diem data sunt, & appellatos sine querela reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere conuitium.* Sic Seneca. Sed multo opportuniùs Saluianus Massiliens. præfato lib. 1. ad Ecclesiam Cathol. vbi post multa sic ait. *Et nos itaque vsum tantùm earum rerum accepimus, quas tenemus; commodatis enim à Deo facultatibus* (Saluian.) *vtimur, & quasi precarij possessores sumus. Denique egredientes è mundo isto velimus, nolimus hîc cuncta relinquimus.* Vnde indidem sic sapienter inferabat, hæc quorum vsum accepimus necessaria ratione ad Dei, veri eorum obsequium, & cultum fore referenda. *Igitur si omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium est, quòd ea, quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in eius opere consumere, quæ de eiusdē sūpsimus largitate: hoc enim est agnoscere munus Dei, & diuinis beneficiis bene vti, vt datis suis illum honores, à quo data ipsa acceperis.* Hæc Saluianus. Quam ad rem post nonnulla optimè pendit Pauli verba Timotheum Epist. 1. c. 6. 17. admonentis. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere,* (1. ad Timo. 6. 17.) *neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum. Benè agere, diuites fieri in operibus bonis;* dum hæc extrema ipse sic legit, *qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum in voluntate operum bonorū,* perinde capiens, ac si dicat Apostolus, temporalia, bona non nisi vt instrumēta, siue media ad bene operandum, egregiáque pietatis opera perficienda à Deo nobis tradi. Sic enim ille. *Vno dicto vtrumque docuit, hoc est, & qui daret diuitias,* (Saluian.) *& cur daret; dicens enim sperandum à Deo,* qui præstitit omnia, *ostendit à Deo diuites fieri. Addens autem,* in voluntate operum bonorum, *docet ipsum quod dixit à Deo tribui, propter bona tantùm opera præstari.* Præstat enim (inquit) omnia in voluntate operum bonorum, *hoc est, ad hoc facit homines substantia essent locupletes, vt bona operatione sint diuites, id est, vt commutent diuitias, quas acceperunt, & facultates ipsas in bonis operibus collocantes,*

Dei

Dei opes, quas habent in hoc sæculo temporarias, bene vtendo faciant sempiternas, ac sic agnoscentes munera Dei duplici bono gaudeant, tùm qui sunt diuites in hoc sæculo, esse quoque diuites mereantur in cælo. Hæc Saluian. Qui & statum sic grauiter adhortatur. *Sic ergo habendæ sunt diuitiæ, sic petendæ, sic tenendæ, sic propagandæ, alioqui inæstimabile malum est, bonis à Deo datis non bene vti.*

3. Et verò tam probum, quàm improbum horum bonorum vsufructuarium perspicuè nobis describit Salomon Prouerbiorum 10.16. inquiens: *Opus iusti ad vitam* (siue, vt in Hebræo est, *ad vitas:*) *fructus autem impij ad peccatum.* nam singulis vocibus accuratiùs ex fontibus expensis sensus est: iustum omne opus, ac industriam, quam in externis rebus, cibo, potu atque vestitu, & iis similibus ponit, ad vtramque vitam referre; ad corpoream videlicet alendam, atque sustentandam, quæ proprius, & immediatus, quem dicunt, finis est, in quem hæc corpora bona creata sunt, nec non ad spiritualem animæ obtinendam; æternámque pro merendam beatitudinem, quæ præstantior atque excellentior operantis finis esse debet, sic à Paulo singillatim præscriptas 1. ad Corinth. 10. 31. *Siue ergo manducatis, siue bibetis, siue aliud quid faciatis, omnia in gloriam Dei facite.* Impium verò quotquot habet fructus, atque prouentus ad peccatum referre, luxui videlicet, gulæ, luxuriæ, & insanis sumptibus destinare; vti stultus ille diues, qui dicebat: *Anima mea habes multa bona (quæ nata sunt tibi) posita in annos plurimos.* Quid inde? templa in Dei honorem ædifica? pauperes ale? viduis opem fer? Minimè; sed: *comede, bibe, epulare:* (siue, vt Græcè, & Syriacè habetur. *oblectare*, Lucæ 12. 19. qui, *non in eo reprehenditur* (inquit ibi Beda) *quòd terram coluerit, natósve ex ea fructus in horrea collegerit, sed quod omnem vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum posuerit, fructúsque quos vberiores solito terra protulit, suos fructus, & sua bona computans, non pauperibus erogare iuxta imperium Domini dicẽtis,* Quod superest, date eleemosynam, Lucæ 11. 41. *Sed sanctis receptaculis sua in futurum luxuriæ reseruare studuerit.* Sic Beda. Duo autem in his Salomonis verbis notatu digna in rem nostram sunt: alterum, iusti operibus non opposuisse impij opera; quæ aptior videbatur antithesis, sed fructibus, siue prouentus: similiter, *vitæ* non obiecisse mortem, sed *peccatum*: & primum quidem ea proculdubio ratione, quod iustus, & qui rectè sapit non modo *fructibus*, siue prouentibus à Deo sibi quasi gratis nullóque illius labore, industria exhibitis sed *opere* etiam, labore, industria, siue (quod propriè significat Hebræa vox) energia, & effectu in his temporalibus bonis adquirendis rectè vtatur; vt vtrique scilicet vitæ corporali, & spirituali consulat; contrà vero impius non solùm opere, ac labore suo, sed prouentibus etiam, & fructibus gratis à Deo sibi exhibitis ad peccatum, Deúmque ipsum, à quo illos accepit, offendendum perfruatur. Vtque grauius & turpius flagitium est, quemque donis ipsis, quæ ab illo merè gratis nulla tua industria, nullis meritis susceperis, offendere, ita & maiori laude dignum minimè abuti non solùm his donis, omnino gratuitis, sed neque iis, quæ vel ex parte, vel magis propriè tua sunt, quæ minus videris ab illo accepisse. Sed enim tum quòd nihil habeas, quod non à Deo acceperis: tum etiam quòd insignis flagitij cùm iniustitia, atque impia ingratitudine coniuncti fuerit, Deum donis suis offendere, & acceptis ab eo beneficiis aduersùm ipsum pugnare; bene is rebus vtentem *iustum*, malè vtentem, *impium* quæsitis vocibus appellauit Salomon. Notanter verò *vitæ* maluit sapiens opponere *peccatum*, quàm mortem, vt moneret, *vitæ*, siue *vitarum* nomine, (& si vtramque comprehendere voluerit temporalem, & spiritualem:) spiritualem, in quam, & hæc tempotalis dirigitur, & cui ex diametro repugnat peccatum, intelligere voluisse. Alterum, quod in hoc loco ad ingentem mali vsufructuarij ingratitudinem arguendam opportunè obserues ex voce Hebræa, quæ respondet nostræ *fructus impij* sumitur; nam propriè significat fructus anni futuri, vt altera vox Hebræa significat fructus anni præteriti. Quæ verò maior impudentia, quàm ipsis etiam donis, quæ à Deo speramus, nec dum accepimus, in ipsius iniuriam abuti, neque saltem timere, ne nobis non proueniãt à Deo, quæ antequam donentur, in eius iam offensam destinauimus. Stultus quidem fuit diues ille, qui quod vberes eius ager fructus attulisset, dicebat: *Anima mea habes multa bona (quæ nata sunt tibi) posita in annos plurimos: comede, &c.* sed stultior omnino fuisset, si hoc ipsum secum decreuisset, de iis quæ nascenda sperasset. A quo quidem non longiùs ire dixeris plures primarios nobiles, qui vt suæ libidini, luxui, noxiisque desideriis inseruiant, insanis sumptibus patrimonium vexant, & ære alieno premunt, non præsentis, atque futuri solùm, sed plurium etiam annorum fructus ante messem vindemiantes, & turpi fœnori, atque vsuris addicentes, vt hodie clament: *Comedamus, & bibamus; cras enim moriemur,* Isaiæ 22. 13. Firmat hanc sapientis sententiam, in vtramque partem citato loco Saluianus, adductis tum aliis eiusdem Salomonis verbis Prouerbiorum 3. 9. dicentis, *Honora Dominum de tua substantia:* vbi & Hebræa iuxta Pagninum habent, *Honora Dominum diuitiis tuis.* Et LXX. reponunt, *Honora Dominum de iustis laboribus tuis,* tum his ex Ecclesiastico cap. 4. 8. ad eleemosynam vrgente, *Redde debitum tuum:* vt inde & Dei indulgentissimi Domini, & vrbanissimi creditoris in exigendo debito lenitatem, & vrgentem hominis ad reddendum necessitatem adstruat. Audi: *Quàm pius est, & indulgens Dominus Deus noster inuitaturus ad erogandum terrenæ substantiæ facultatem.* Honora, *inquit*, Dominum de tua substantia. *Cùm totum suum sit, quod ab eo accepimus, nostrum esse dicit, vt [illegible]emus; ideo scilicet nostram appellans proprietatem possessionis, vt maior sit merces operantis: quia plus fructuum necesse est, largitio. Sed tamen ne hoc ipso humana mens insolesceret, quòd subst[illegible] hanc Dominus nostram esse dixisset, adiecit:* Redde debitum tuum: *Hoc est, vt quem deuotio non illiceret ad largiendum, necessitas cogeret ad exsoluendum, & quem ad opus sanctum fides sua ipsa non retraheret, saltem necessitas coarctaret.* Hæc ille. Quæ subinde statim ver[illegible], & plus plus explicat hunc in modum: *Prius ergo ait:* Honora Dominum de tua substantia; *deinde,* Redde, *inquit,* debitum tuum. *Hoc est dicere: Si deuotus es, da quasi tuum: si indeuotus, redde quasi non tuum. Bene itaque posuit & dandi voluntatem, & soluendi necessitatem. Hoc est vtique dicere omni homini: Ad opus sanctum, & hortatione inuitaris, & exactione constringeris. Da si vis; redde, si non vis.* Hactenus Saluianus.

4. Iam verò, vt absolutissima, & firma lex pro temporalium bonorum vsulata est, vt ipsis non tam fruamur, quàm vtamur; pro dantis nimirum arbitrio, in diuinum obsequium tamquam in scopum illa dirigentes; ita Dei morem, ac placitum esse nouimus, vt pro recto, siue iniquo harum rerum vsu, datum ad vsumfructum tempus temperet, ac bene

Marginalia: Prou. 10. 16. Heb. Lect. — 1. ad Cor. 10. 31. — Lucæ 12. 19. Beda. — Lucæ 11. 41. — Lect. Heb. — Heb. Lect. — Isai. 22. 13. — Prou. 3. 9. Heb. Lect. LXX. — Eccl. 4. 8. — Saluian.

bene vtenti spatia promoueat; siue bonis bona cumulet, improbo verò, & ingrato colono data munera adimat, & vtendi spatia decurtet. Quam sanè thesim in vtramque partem peculiaribus Scripturę, ac Patrum monumentis demonstrandam suscipimus. Et quoad primam quidem illico nobis egregius vsufructuarius Abrahamus occurrit; quippe ipse vnicum vnicèque dilectum ex Dei benignitate susceperat filium,quem cùm honestissimis ipse moribus informasset, ac subinde, quòd tam ingenuè, & liberaliter institutum, Deique timore imbutum conspiceret, nouo dilectionis impetu impensiùs prosequeretur, ecce tibi Dominus muneris sui arbiter, filij vsumfructum ab Abrahamo festinus sic
Genes. 22. 2. repetiit: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eam.* Genes. 22. 2. Quid tum ille? Num vt pessimus debitor, bono creditori fecit conuitium? aut in commisso sibi vsufructu reddendo cunctatus est? Audi. *Igitur Abraham de nocte consurgens abiit in locum, quem preceperat ei Deus.* Preme illatiuam illam *igitur*: quæ animum in promptu habentem, quæ in incertum diem data illi erant, & qui appel-
S.Basil.Seleu. latus sine querela redderet, demonstrat. *O spectaculum formidandum!* (inquit S Basilius Seleuciensis orat. 7. de *Abraham.*) *Amor in prolem; Deique dilectio iudicio contendunt, & iudex ensifer instat Abrahamus, ac ense ius dicit, victoriámque Dei dilectioni tribuit: consignat sanguine, testémque victoriæ sacrificium facit.* Pulchrè illud, *ense ius dicit*: vt tam promptus ad soluendum debitor fuerit, vt iudicis in reddendo iure partes suscepisse videatur: sed num datus illi vsusfructus periit? Adempta sunt ei charissima pignora? Minimè. Quomodo enim ab eo Dominus eum auferret filium, quo ipse non frui, sed vti, vel ex ipsamet immolatione manifestum faciebat? Ergo *melius seruauit filium* (ait Ze-
S. Zeno M. no Veron. M. serm. de *Isaac* fine,) *dum non pepercit: sola enim fides deambulat inter gladios tuta, inter esurientes feras amica, in ignibus frigida.* Nec seruauit modò filij vsumfructum, sed etiam omnibus modis per infinita sæcula ampliauit, & propagauit: vnde citato loco Basilius Seleuc. *Quid ergo vox?* Benedicentur in semine tuo omnes gentes. *Vnius filium nullam rationem duxisti, orbis terrarum pater esto*; vides infinito interuallo auctum, & multiplicatum vsumfructum? Apta ergo id tu quibus vis externis bonis, & si eamet, quæ ex se instabilia, & fragilia sunt, quæque à fortunæ arbitrio pendent, firmare, & constabilire velis, ad pietatis, & iustitiæ opera illa transfer; fiet enim inde, vt stabiles diuitias, permanentes honores, lætitiam diu durantem habeas, non secus ac Abraham filium incolumen, & in felicissima illius successione æternum duratura immortalem, ex iustitia reddidit.

5. Et de diuitiis quidem, quæ omnium rerum instabiliores, plumáque leuiores sunt, ac proinde à Chrysostomo cum fugaci seruo sæpiùs componun-
Eccl.7.15. tur, sic inquit Salomon Ecclesiast. 7.13. *Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Quod si durus tibi sapientiam amanti, & eam cunctis rebus ingenti interuallo anteferenti, hic sermo videatur, quo sensu fuerit accipiendus, disce ex Chaldæa Costi
Chald. translatione, quæ sic habet. *Nam quemadmodum homo præsidio, & velut vmbraculis sapientiæ defenditur, sic & sub vmbra pecuniarum incolumis degit, eo potissimum tempore, quo illas ad iustitiam confert.* En fugaci seruo fortissima iniecta vincula, quæ fugam intercludant. Vidit equidem S. Iob oues suas igne cælitus demisso absumptas, & concrematas: at enim memor vellerum earum, quibus pauperes ipse cófouebat, adeò illas sibi non periisse existimauit, vt potiùs in bonum omen iacturam retorserit, quasi ignis signo desuper dato, vt gratissimum holocaustum ipsas Deus acceperit, duplo maiora, immò, & centuplum redditurus: id optimè pésitante Chry- Chrysost.
sostomo hom. 3. de patientia Iob, & sub illius persona ad hunc modum loquente. *Ignis de cælo cecidit. Si ego solus indutus essem, iustè dolerem: si autem pauperes induebantur, numquid poterit Deus pauperes despicere? Noui quoniam in sacrificium suscepit, reddit centuplum: non enim ex iniquitate parta sunt iumenta: neque enim per auaritiam oues acquisiui. Ex velleribus ouium mearum calefacti sunt humeri pauperum, os viduæ benedixit mihi: Noui quid facit Dominus; nunc velut sacrificium meam accepit substantiam, eamdem mihi augebit cum additamento virtutis.* Hæc ex Chrysostomo.

En, bene vtenti seruatum adauctúmque exter- 6.
norum bonorum vsumfructú, & quæ antea à fortuna vaga, & libidinosa domina in suorum præmiis, & pœnis errante pendere videbantur, pietatis subinde præsidiis communita aduersùs leuissimum illius ingenium, & continuam humanarum rerum vicissitudinem firma & inconcussa reddita. Iam quàm aliter malè his bonis vtenti eueniat, considera. Creauit primum hominem Deus, & tam dominium in omnes creaturas, quàm incredibiles paradisi delitias, delicatissimos omnis generis arborum fructus, amœnitatem, & voluptatem tradidit; at enim, vt sese táti regni vsufructuarium Deo subditum agnosceret, vnius tantùm ligni esum interdixit. *de omni ligno* (inquit Genes. 2. 16.) *quod* Genes.2.16.
est in paradiso comede. De ligno autem scientiæ, boni, & mali ne comedas: ac si diceret, inquit Basilius Seleuc. orat. 3. in Adamum: *Accipe potestatem in om-* S.Basil.Seleu.
nia, vno solo te abstine, in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur. Citra inuidiam fructum interdixi, neque mihi vsum reseruaui ipsi; nullius enim indiga mihi natura est, nullique obnoxia passioni: verùm vt prohibitore cognito, prebitorem quoque agnoscas, & vnius priuatia recordationem illius excites, qui dedit vniuersa. Et statim: *Quo in pretio sit legislator obseruatione legis pro palla. Perspectum tuum habeat animum, vt amoris tui vim in pretio habeam, gratus esto manum contrahendo, antefer totius paradisi largitionem vnico ligno: honoris mei arbitrum te statui, par benemerenti refer gustatu contemptiore.* Vt hinc videris, quorsum, quemque in finem temporalia hæc tibi bona dederit Deus: vt nimirum honoris sui ipse arbitrum te statuat, dum ex recto horum vsu, illum omnium largitorem agnoscis, te verò gratum erga ipsum animum habere ostendis: ac proinde accepta retineas dona, atque in ipsis dures. Sed, quæ (malum) stulta Adami ingratitudo fuit; non vsufructuarius, sed dominus horum esse voluit; nec Dei nomine, sed suo ea habere, vt quò vellet suas ipse res duceret. Huc enim, si acriter consideres, omnino it serpentis promissio, cui ille fidem dedit: *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum*, Genes. 3. 5. Genes.3.5.
Exitus ergo quis? *Offert* (dæmon) *prohibitum* (inquit Bernard. tract. de gradibus humilit.) *& au-* Bernard.
fert concessum, porrigit pomum, & surripit paradisum. auferrur ergo ab indigno possessore tam copiosa, ac illustris bonorum supellex; atque ipse nudus & indignus eiicitur paradiso. *Cúmque cognouissent se esse* Genes.3.7.
nudos (inquit sacer Scriptor Genes. 3. 7. *consuerunt folia ficus.* in quæ verba opportunè præfato loco Basil. Seleuc. *Iam seductionis fructum vindemiarunt.* Basil.
Consuerunt folia ficus: ipsi nudati nudant arbores. Sanè quasi hic peccati fructus sit, vt hominem nudatum gratia ipsis etiam exterioribus bonis nudet & expoliet;

liet: siue vt homini ingrato nec facultatibus, valetudine, honoribus probe vtenti; ea bona Deus adimat, & tanquam ab iniusto possessore vindicet Planè nudatus homo, nudat arbores, amittit fructus, vexat, immò dissipat patrimonium, honorem. famam, ac bonam existimationem amittit, nec se solùm, sed sua etiam perdit.

7. *Osea 7.15 & 16.* Hinc grauis illa Dei de suis querimonia Oseæ 7. 15. & 16. *Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam* ac si diceret, industriá, mentẽ, vires, robur, facultates dedi eis, vt vel ex beneficiis me agnoscerent, ac diligerent, at ipsi hæc omnia ad peccata, nefariósque vsus inuerecundè conuerterunt; subiicit: *Reuersi sunt vt essent absque iugo*; hoc est, sic se gerunt, ac si harum rerum non vsufructuarij, quique in meum obsequium hæc referre, & reuocare tenerentur, sed vt domini qui à legibus soluti pro libito eas dispensare, immò iis in mei contemptum abuti, possent. Adiungit pulchram statim imaginem: *Facti sunt quasi arcus dolosus*; sed quis fuerit hic arcus? *S. Cyril. Alex.* Cyril Alexand. legens, *arcus extentus*, sic capit, ac si dicatur: *Nihil remittentes duritiam ad pœnitentiam*: vt in illud Pauli monitum peccare videantur: *ad Rom. 2. 4.* *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ad Roman. 2. 4. quòd diuina beneficia eò eant, vt hominum animos demulceant, & ad dantis obsequium traducant. Aliter Theodoret. *Theodor.* qui longè aliam sequutus lectionem, nempe, *arcus non sit extensus*, sic explicat; *arcui remisso, laxato, & non contento similes facti sunt*. quasi debitas pro diuinis beneficiis gratias non reddant, ne quas à Deo acceperunt facultates, diuitias honores ad eius obsequium, & honorem transferant. sed otiosum & in terra absconditum, vt piger ille atque ignauus seruus Matth. 25. 25. *Matth. 25. 25.* talentum habeant. quod bene quadrat hominibus Deo deuotis, qui tamen instar arcus, cuius laxa & remissa corda, qui lentè. & remissè sagittam emittit, tepidi atque ignaui *gratiam vt non gratiam venerantur*, *Bernard.* vt alibi ex Bernar. monuimus. At enim si imaginem attentiùs scruteris; is propriè *arcus dolosus* dicitur, qui ipsimet sagittario tendenti, & vibranti noxius est, illiúsque manus repercutit, id quod Hispanè recalcitrandi phrase explicauimus: *Tirar coz*. *Hieronym.* Ita Hieron. *Arcus dolosus, atque peruersus est, qui percutit dirigentem, & vulnerat dominum*: vnde hæc verba eadem esse dixeris cum illis Deuter. 32. 15. *Deut. 32. 15.* *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus: Dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo: Immolauerunt dæmoniis & non Deo, &c.* Quibus dolenter exprimit Moses ingratissimæ plebis impudentiam, quæ eademmet dona, ac beneficia, quibus à Deo fuerat ornatus, & veluti pinguis, & crassior factus, aduersùs Deum, & ad dæmonis voluptatem conuertit. Iam Oseæ verba hoc sensu sic accepit Ruffinus: *Ruffin.* *Tantum peruersitatis habuerũt, vt viderentur arcus dolosus, qui videlicet fraude monstruosa in ipsum, cuius manibus tendebatur tela dirigeret*. Vt plures hinc arcus dolosos, ac prauos dignoscas, qui insignibus à Deo donis & beneficiis affecti, & incrassati recalcitrant, & per atrocem ingratitudinẽ aduersùs Deum hæc veluti tela intorquent; & valetudine, ac robore ad turpitudinẽ, libidinémq; suam explendam, opibus, & potentia ad minores deprimendos, pauperésque opprimendos, muneribus, ac honoribus publicis ad rapinas, & iniustitiæ opera perpetranda fraude monstruosa abutuntur: sed nunquid perpetuò illis recalcitrãdi, iisque Dei donis abutendi locus erit? Audi eumdem Dominum apud eumdemmet c. 2. 8. *Osea 2. 8.* *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal. Idcircò conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius* Pẽde singula, & primùm illud, & *hæc nesciuit*: vbi non innuitur, ignorare homines externa hæc bona à liberali Dei manu accipere, quis enim tam vecors, ac stultus foret? sed quod scientibus ac prudentibus passim euenit, sic practicè (vt aiunt) se habere, ac si omnino id ignorarent, quod cùm illa cognitio id esset effectura, vt ex diuinis beneficiis ad Dei amorem excitarentur, ipsáque munera in Dei obsequium conferrent, ipsique nihil tale præstiterint, immò potiùs in illius iniuriam conuerterint, ea à Deo suscepisse, omnino nescire videantur. Modò vide quomodo ipsi nudati nudent arbores: *Idcircò*, inquit, *conuertar*, id est, aliam inibo viam, atq; vt tandem malo accepto sapiat, quem in vsum donec illi mea olim contulerim ea omnia, tam copiosa vitæ subsidia, & quibus vita ipsa subsistit, vires, valetudinem, robur, quàm dignitatis ornamenta, opes, facultates splendorem resumã, atque recolligam, & quasi ab iniusto possessore liberabo, atque vindicabo. Atque id *in tempore suo*; cùm horum vsus illi maximè gratus, atq; necessarius erat. Apta hæc tu Principibus accepta à Deo potestate malè vtentibus, apta regum familiaribus illorum gratiam in aliorum iniuriam, & perniciem deriuantibus, apta sublimiores sedes retinentibus de propriis commodis, siue etiam de opibus per vim, & rapinam indesinenter obtinendis perpetuò cogitãtibus, vt ad Ecclesiasticos diuites annuos Ecclesiæ redditus, & opes, pauperum videlicet subsidia, & sanguinem, immò verò ipsiusmet Christi sanguinem, sanguine siquidem suo Ecclesiã, & quæ Ecclesiæ sunt ad pauperes alendos mercatus est in luxu, & luxuria consumentibus peculiariter ego referã.

Cum instituto opportuna videntur illa Domini verba Ezechiel. 16. 17. de plebe sua has querimonias dantis. 8. *Ezech 16.17* *Tulisti vasa decoris tui de auro meo, atque argento meo, & fecisti tibi imagines masculinas, & sumpsisti vestimenta tua multicoloria, & operuisti illas. Et oleum meum, & thymiama meum, & panẽ meũ, similem, & oleum, & mel, quibus enutriui te, posuisti in conspectu eorum in odorem suauitatis*: vbi cum allusione ad insignem impietatem Regis Achaz, qui ex sacris Templi vasis imagines, & simulachra deorum Syriæ (vt inibi obseruat Prado *Prado. 1. Par. 18. 24.*) conflauit: nec non ad impudentiam Ierusalem, quæ vasa ministerialia tẽpli (ita Hieronym.) vt thuribula, phialas, candelabrum, &c. *Hieronym.* in cultum Baal aliorúmq; falsorum numinum conuertit: grauiter conqueritur Dominus, quòd peculiaria ipsius dona, quæ de ipsius manu signate acceperant, vt ipsis ei litarent, & in eius laudem, & honorem sacrificia offerrent, illa monstruosa impietate ad idola colenda conuerterent. *Theodoret.* *Quæ à me bona accepisti* (inquit inibi Theodor.) *hæc adulteris illis insaniis offerebas, aliis eos instruens, & adornans, aliis libamina, & sacrificia peragens.* Quæ sanè querimonia quídni & illos tangat, qui Christi patrimoniũ, sacráque Ecclesiæ bona non nisi in sacris, piisq; rebus insumenda, ad idola sua colenda, & imagines fœmininas auro, argentóque onerandas, pretiosisq; ac elegãtibus vestibus induẽdas, & ornandas, stulta impietate trãsferunt. Proh pudor! proh nefas! Sanè impudicas mulierculas ex virorum fortium spoliis, turpiter ornatas, cum tædio, cum pudore, nec nisi auersis oculis videndas sic obiiciebat Tertullian. lib. de pallio, c. 4. *Tertul.* *Aspice lupas popularium libidinum nundinas, ipsas quoq; frictrices; & si præstat oculos abducere*

ducere ab eius modi prepudiis oc[c]*isse in publico castitatis) adspice tamen vel sublimis, iam matronas videbis, cum lauatrinarum antistes sericum ventilat & immundiorem loco ceruicem monilibus consolatur, & armillis, quas ex virorum fortium donis ipsa quoque matrona temerè vsurpassent, omnium pudendorum conscias manus inserit, impuro cruri purum, aut malleolū inducit calceum*; vbi illud scitè dictum, *quas ex virorum donis ipsa quoque matrona temerè vsurpassent*; ac si diceret, ipsæ quoque lectissimæ, atque honestissimæ fœminæ, ac proinde veræ, germanæque matronæ minimè illa virorum fortium dona, siue spolia, vel summis digitis quasi rem sacram attingere auderēt: ad quem modum ipse Gentilis Plinius (cuius vestigia præsitisse videtur Tertullian.) lib. 33. c. 12. eius luxus nec sine pudore sic meminit. *Fœminæ lauentur, & nisi argentea solia fastidiant, eadémque materia, & cibis, & probris seruiat. Videret hæc Fabricius, & stratas argento mulierum balneas, ita vt vestigio locus non sit, cum viris lauantium. Fabricius inquam, qui bellicosos Imperatores plus, quàm pateram, & salinum ex argento habere vetabat. Videret è donis fortium hæc fieri, aut in hæc frangi. Heu mores! Fabricij nos pudet.* Quid iā de nostris mystis dixisset Afer: quid Ethnicus si veritatis illi lumen affulsisset? quanto eiulatu doleret, ac lamentaretur vterque donis fortissimi salutis nostræ vindicis, ex eius de hoste partis spoliis, quæ ipsæ quoque matronę temerè vsurpassent, ex ipsiusmet, inquam, sanguine turpes, ac petulantes mulierculas suauiter, & delicatè pasci: delitiosè & luxuriosè ornari, vt quidquid in sericis splendet, quidquid micat, & radiat in metallis; quidquid nitet & fulget in gemmis, insano, & ambitioso cultu præferant: Numquid iis non dictum existimes? *Idcircò conuertar, & sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiā eius.* Num hæc vasa decoris de auro, & argento Domini, ipse ad alios sanius, atque decentiùs illis vsuros non transferet? Audi.

Plinius.

9. Scholastici Doctores quibus ad accuratum, & exquisitum examen omnia reuocare mos est; illud in quæstionem adducunt, quomodo à furto, & rapina immunes fuerint Israëlitæ, cùm Ægypto exeuntes sub commodati prætextu aureis, argenteisque vasis Ægyptios spoliarunt? Sic enim Exod. 12. 35. *Feceruntque filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi, & petierunt ab Ægyptis vasa argentea, & aurea, vestémque plurimam: Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* Qua quidem de re præter Theodoret. quæst. 23. in Exod. Tertul. lib. 2. con. Marc. cap. 20. Irenæum lib. 4. cap. 49. Clem. Alexand. lib. 1. Stromat. Augustin. lib. 22. contr. Faustum cap. 71. Nazianzen. oration. 42. fusiùs agunt S. Thom. 1. 2 quæst. 100. art. 8. ad 3. & art. 5. P. Suarez tractat. de legibus lib. 2. cap. 15. num. 20. Vazquez tom. 2 in 1. 1. disput. 189. c. 3. Valent. in 1. 2. disput. 7. quæst. 4. punct. 6. Ægidius de Coninc. tractat. de matrimon. disput. 26. dub. 2. Azor. 1. part. institut. Moral. lib. 6. cap. 1. Sanè dum hi omnes Theologi velut agmine facto constanter defendunt, Deum legi naturali neutiquam derogare posse, ei argumentationi, quæ ex hac Ægyptiorum spoliatione conficitur, expeditissimam solutionem se adhibere arbitrantur, dicentes ipsam minimè appellari, dicique posse furtum, siue rapinam, quòd furtum sit *contrectatio rei alienæ inuito domino*, homines verò, nec temporalium rerum, quas possident, nec propriorum corporum veri domini sint, sed solùm vsuratij, vero, & legitimo dominio apud Deum, qui *solus Dominus* est, optimo iure manente, qui hæc proinde bona cuicumque voluerit conferre, siue etiam auferre, iustissimè possit. Quibus adstipulatur Chrysostomus homil. de diuitiis, & paupert. tom. 5. morientium hominum testamenta quibus aliis vsum, aliis rerum dominium legare consueuerunt, ridens, quòd penes nullum hominem rerum dominium, sed tantùm vsus sit. *Eóque* (inquit ille) *sæpenumerò si testamenta legens, dicentia: dominium quidem agrorum, vel domus ille habeto, vsum verò alius. Omnes vsum habemus; dominium nemo.* Sic ille. Verùm enimuerò, vt pleniùs, ac vndique hæc tam verè, tamque appositè dicta subsistant, & nostro instituto aptentur, ex Augustino, & Nazianzen. citatis locis condienda, & illustranda sunt. Præfatæ siquidem doctrinæ hi Patres innixi hoc ampliùs in ea Ægyptiorum spoliatione censent, magno iure, atque optimo merito aurum, & argentum à Deo illis ademptum, & ad Hebræos translatum, quòd his bonis malè illi vterentur, & ad creatoris iniuriam idolis ex illis constructis deriuarent. Sic namque Augustin. *Quid ergo iam despoliatis Ægyptiis Faustus obiicit nesciens quid loquatur? quod sanè faciendo Moyses vsque adeò non peccauit, vt non faciendo peccaret. Deus enim iusserat qui vtique nouerat, non solùm secundùm facta, verùm etiam secundùm cor hominis, quid vnusquisque, vel per quem perpeti debeat. Carnalisque adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus, Ægyptij verò sacrilegi, & iniqui erant, qui & auro illo, hoc est, creatura Dei malè vtentes ad Creatoris iniuriam suis idolis seruiebant, & homines peregrinos labore gratuito iniustè, & vehementer afflixerant. Digni ergo erant & Hebræi, quibus talia iuberentur, & Ægyptij, qui talia paterentur.* Sic August. Nec minus opportunè Nazianz. quamuis hæc ad liberationem à peccati iugo atque ad fæculi spoliationem per allegoriam trahat. Sic enim ille. *Quid? gratis ne? & absque argento egredieris? Quid? an Ægyptiis, & aduersariis potestatibus ea relinques, quæ malè adepti sunt, & peius consument? Nullum ius in ea habent. Sacrilegio compilarunt, eripuerunt ei qui dixit*: Meum est argentum, & meum est aurum; dabóque ei cui voluero. *Hæc illa possidebant, Sic enim permittebatur. Hodie ea tibi Dominus offert, ac tradit honestè, & ad salutem vsuro.* Ita Nazianzen. Ergo tu quisquis externis his bonis oblectaris, qui diuitiis honoribus, valetudine corporisq; viribus flores; vt floreas, valeas, abundes, ad iustitiæ opera hæc omnia trāsfer, nec illis tā fruere, quā vtere; quippe si ad Creatoris iniuriā idola ex illis erigis, siue in idolorū cultū trāsfers, scito illis te tandē tamquā Ægyptiū hominem spoliandū: eísque conferenda qui honestè, & ad salutē illis vsurus sit.

Exod. 12. 35. Theodo. Tertull. Irenæus. Clemens Alexand. August. Nazian. S. Thom. Suarez. Vazquez. Valentian. Ægydius. Azor. Chrysost. August. Nazian. Aggæi. 2. 9.

Quò quidem, non importunè opinor, manu duxerim cœcum illum à natiuitate à Domino sputo sanatum apud Ioan. 9. 2. Etenim quamuis ea discipulorum dubitatio, *Quis peccauit hic, aut parentes eius? vt cœcus nasceretur?* optimè à Christo fuerit repulsa egregia illa responsione: *Neque hic, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo*: adhuc possis ambigere, cur signatè Dei gloria ex impertitis illi tunc luminibus: non verò antea manifestata fuerit, Nónne illum, si non in matris vtero; at paulò post puellulum siue infantem, cùm eadem tunc admirationis, diuinæque gloriæ occasio foret, sanare potuit? Ita quidem: sed enim multo illi opportuniùs lux reddita, cum diuini luminis capax in Christum credidit; vt in argumento esset; plura sæpius hominibus temporalia, atque externa bona ob vitæ probitatem, atque virtutem à Deo aduenire, quæ illis in peccato existentibus 10.

Ioan. 9. 2.

euidentibus minimè darentur: expressit hæc sententia sanctus Paulinus, de sancto Felice Natal. 7. inquiens:

Ipse illum quondam non plene matris in aluo
Finxerat, ut post hac homo factus, & ipse Creator
Hoc quoque diuinis opus ammirab le signis
Add ret, ut vatuos expleret visibus orbes,
Denique humi sputans limum facit, unde negatos
Nascenti obtutus, credenti eddit alumno.

Qua sanè mente Chrysostom. homilia 4. de pœnitent. ad finem dicebat. *Non ergo cum stultis murmuremus, neque accusemus Dominum, sed in omnibus gratias agamus, & vnum solum malum esse putemus in eum peccare. Atque vbi sic Deo preparati mentes ipsi nostras disposuerimus, non morbus, non paupertas non despectus, non sterilitas fructuum, non aliud quicquam eorum, quæ inter mala computantur, nos præueniet.* Opportunè *præueniet*, quod sæpiùs ob peccata hæ calamitates adueniant.

Firmo id tibi ex ipsa quam oculis cernis temporalium bonorum vanitate: quam vanissimam esse iterum atque iterum confirmat Salomon. Sed vnde eam illis aduenisse existimas? Credisne sapientissimum rerum omnium molitorem, & fabricatorem Deum inanes vacuas & fatiscentes res, quibus ipsamet vanitas, & nihilum adnata & ingenita essent, efformasse? Putasne illum pulcherrimis rosis pungentium spinarum aculeos vltro adiunxisse, à quibus carpentium manus cruëtarentur? secus quidem censent Basilius, & Ambrosius peccatum nimirum spinas procreasse; nec nisi ab acerbo illius semine ortum ipsas duxisse: *Surrexerat* (inquit Ambrosius lib. 3. Hexaëmer. cap. 11.) *floribus immixta terreris, sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: postea spina sepsit gratiam floris, &c. Vnde cùm vnusquisque aut suauitate rationis, aut prosperioris cursus successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam nobis in paradisi amœnitate florentibus spinæ mentis, animique senes iure condemnationis adscripti sunt.* Nimirum ob peccatum terra maledictioni obnoxia, *spinas & tribulos* floribus insertos fulminauit: sic id pensitante Basilio homilia 5. in Hexaëmer. *Verùm rosa tunc spinis carebat; postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento propinquo afficiamur dolore recordatione delicti; causa cuius factum est, vt spinas, & tribulos tellus huic addicta condemnationi nobis proferret.* Ergo ex peccato maledictio, ex maledictione spinæ, aculei, vacuitas, inanitas, & omnimoda vanitas creaturis adiuncta, & imbibita, cùm ipsæ priùs solidæ, firmæ, atque stabiles; velut pulcherrimi flores sine vlla fraude vernarent. Applaudit huic cogitationi in Cantico suo Habacuc vers. 14. de aureis sceptris, & florentibus sæculi dignitatibus, inquiens, *Maledixisti sceptris eius*: vbi obserua Hebræam lectionem diuinæ huius maledictionis effectum opportunè explicantem, dum habet, *Perforasti sceptra eius*; vacua scilicet, & inania reddens, & quibus nulla substantia, soliditas nulla, aut firmitas subsit. Vt vel hinc quisquis rosarum huius mundi, siue sceptrorum amans es, puras, & sine spinarum aculeis carpere rosas; firma, & valida sceptra habere discas. Etenim si florenti fortuna vteris, si illustre patrimonium, lautam supellectilem, magnos fidósque amicos possides; ne iis bonis peccatum immisceas, sepient enim spinæ horum florum gratiam, adiungentur aculei, adsequentur vanitas, & vacuitas, ex peccati radice pullulantia. Audi Regium Vatem Psalmo 89. 6. *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat vespere, decidat, induret, & arescat*: quæ Hieronym. sic legit, *Manè sicut herba pertransiens, manè floruit, & abiit*: vt describere videatur humanam felicitatem; sic enim videris magnates, atque dynastas, & eorum diuitias, atque potentiam *manè*, in ipso videlicet sui ortu simul florescentem, transeuntem, atque exsiccatam. Sed quare? subdit Dauid. *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, & sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.* Ira videlicet Dei hæc omnia temporalia bona ob iniquitates nostras exsiccante, atque absumente.

Sed eo nunc de industria redeo, quod in præfata Ægyptiorum spoliatione dicebat Augustinus: *Homines peregrinos labore gratuito iniuste, & vehementer afflixerant*, quódque in eamdem sententiam iampridem monuerat Tertullian. lib. 2. contra Marc. cap. 20. hunc in modum. *Querelæ ne maior Ægyptiorum, an gratia Hebræorum? vt solo iniuriam malitio Hebræi Ægyptios repercuterent: liberi homines ergastulum subiecti, vt solas scapulas suas scribæ eorum apud subsellia sua ostenderent flagellorum contumeliosa atrocitate laceratas*: vt hinc sigillatim obseruem, nihil homini perniciosius, nihil illius vitæ, quieti, infelicius, quàm proximis illatæ iniuriæ, nihil rei familiari, opibus, atque diuitiis exitialius, quàm alienis facultatibus incubare, atque eas siue vi, siue fraude possidere cui cogitationi opportunum hoc enigma proponebat Salomon Prouerb. 11. vers. 24. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*: siue, vt habent LXX. *sunt qui propria seminantes, ditiora faciunt, sunt autem, & qui congregantes minuuntur.* Ac si dixerit: Quid hoc esse dixeris dantem & elargientē abundare, & augeri, congregantem & coaceruantem minui, & nouis diuitiarum accessionibus patrimonium vexare, ac dissipare. Soluit verò nodum sine ænigmate Iob cap. 20. 15. de tyranno, & pauperum oppressore, inquiens: *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Vbi primò obserua lectionē LXX. diuitias hasce sic explicantem: *Diuitiæ iniquè congregatæ*; deinde cum Gregor. Nazianzen orat. 6. in Iulian. & illius Scholiast. Nizeta pendas velim vomendi phrasim, siue imaginem quasi diuitiæ inique congestæ ad instar noxij cibi alios corrumpentis & rabido vomitu illos ex stomacho secum extrahentis fuerint. Audi Nizetam, dum Gregorium opportuniùs reseruo. *De auaro* (ait ille) *inquit Scriptura cap. 20. Iob, Diuitias, quas congregauit euomet. In quo verbo inest emphasis quædam. Vt enim qui noxium aliquem cibum sumpsit, vna cum eo probos etiam euomit; sic qui iniquè congerendis opibus studet, non solum ipsas, sed eas etiam, quas priùs iure possidebat, plerumque amittit.* Videris id graphicè depictum in pisce illo immani volente deuorare Tobiam, hunc enim potentiorum, & prædiuitum pauperes opprimentium, & deuorantium typū esse ad versic. 25. adnot. 1. num. 8. ex Stephano Cantuariensi obseruauimus; addit verò indidem ipse ad ea verba: *Quem expauescens Tobias clamauit voce magna* Tobiæ 6. 3. *Sic pusilli à potentibus clamant ad Dominum.* Iam verò illis conquerentibus, & mussantibus id ex Angeli persona ius reddit Dominus: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* Subdit sacer textus: *Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem & cor eius, &c.* Vt nimirum diuitias quas deuorauit, euomat; & de ventre illius extrahat eas Deus, fortémque soluat cum puluisculo. Quo placet referre feneram negotiatoribus, & res viui necessarias diuidentibus ipsomet iure naturæ impositam legem, vt æqua pondera, iustásque mensuras habeant. Nec enim crediderim tam in cinentium, quam.

quàm in ipsorummet venditorú, qui eis vtuntur gratiam latas fuisse; ne videlicet diuitias iniquè congregantes, eas quas iure possidebant amittat. & rapientes non sua minuantur, & in egestate sint, id sic monente Philone lib. de creatione Principis. *Ideo præcipitur cauponibus, negotiatoribus, & cæteris huiusmodi vitæ institutum sequentibus, vt iusta pondera, mensurásque habeant, nullis technis insidiantes emptoribus, sed ingenuè absque omni fuco dicentes, facientésque singula: sic cogitantes, quòd iniqua lucra sint damnosissima. & è diuerso diuitiæ cum iustitia coniunctæ nunquam intercidant.* Sic Philo.

13. Hinc notantissimè Iacobus cap. 5. 1. diuites ita pungebat: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum, & argentum vestrum æruginauit;* sed cur diuitiæ illis depereant? nec depereant vtcumque, sed signatè putrescant? Quid diuitiis, & putrefactioni, quæ ab humiditate plerumque solet aduenire? Respondet statim Apostolus: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.* Sanè ac si diceret, operariorum lachrymas diuitiis admixtas iustam putrefactionis illarum causam existere, & veluti rubiginem, ac tineam quæ illas consumat. vti pulcherrimè Iulianum Imperialium tributorum exactorem hunc in modum commonebat Gregor. Nazianzen. præfata oratione 9. *Ne ex aliorum egestate opes nostras comparare studeamus (absit, vt tam longè à diuina æquitate recedamus) nec diuitias nostras cum aliorum lachrymis misceamus, à quibus tamquam à rubigine, ac tinea consumentur, aut, vt Scripturæ verbo vtar, euomentur.* Cui cogitationi non leuiter applaudit, quod de humano sanguine ferrum rubigine inficiente, & corrumpente, sic dixit Plinius libro 34. cap. 14. de ferro: *A ferro sanguis humanus se vlciscitur. Contactum namque eo celeriùs subinde rubiginem trahit.* Et paulo antè cùm de ferri abusu non sine stomacho dixisset: *Sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solùm, sed etiam missili, volucrique, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror: si quidem, vt ocyùs mors perueniret ad hominem; alitem illam fecimus, pennásque ferro dedimus.* Scitè subiicit: *Obstitit eadem natura benignitas exigentis à ferro ipso pœnas rubigine, eadémque prouidentia nihil in rebus mortalibus faciente, quàm quod infestissimum mortalitati.* Ita ille. O audiant hæc diuites egenorum facultatibus indesinenter incubantes, insidiásque molientes! audiant Principum familiares tam propriam potentiam, quàm illorum gratiam in aliorum iniuriam, atque perniciem deriuantes! audiant, & Principes humanum sanguinem ingratiis diffundentes: & qui diuitiis, potentia, principatu, regiísque sedibus delectantur, ab aliorum iniuriis, & oppressione abstineant: sanè vt à ferro, ita à potentia & vi, sanguis humanus se vlciscitur, contacta namque eo, celeriùs subinde rubiginem trahit. *Nec solùm istæ bona quæ diuitiarum nomine censentur* (inquit Pereira in præfatum Exodi locum disputatione 13. numero 79.) *verùm etiam regna, & imperia ab vno homine ad alium, & ab vna gente ad aliam iustissimè Deus transferre solet.* Sed quàm frequentiùs ob causam? Audi Dei Spiritum Ecclesiastici 10.8. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Ita quidem [illegible] dæmone[illegible] homines vexantes in sepulchris dege[illegible] mo[illegible]ssimo gemitu ad Christum que[illegible]antur. *quid nobis & tibi fili Dei? venisti ante tempus [illegible]* Matth. 8. 29. sic illorum querimoniæ occurrit S. Petrus Chrysolog. serm. 16. *Tempus ab eundi, [illegible] mortem, sæpè [illegible] crudelitas immatura:* ac si dicatur, ob crudelitatem, & iniurias, vitæ tempus decurtari, immaturamque Principibus viris mortem aduenire, quæ illos viuos, in dimidio felicium dierum suorum sepulchris inferat.

Ad ea verba, *Ne tristitiam super tristitiam*, &c.

ADNOTATIO II.

Principes ac iudices ex Dei exemplo clementiæ studere, & iustitiam temperare debere.

1. VETVS sanè Dei mos est, vt siue cùm probat, siue cum punit, nec *tristitiam super tristitiam*, nec dolorem super dolorem addat, ad periti citharœdi modum, vt inquit Chrysostom. cum suis se gerens, is enim neque neruos nimis intendit, vt non abrumpat, neque vltra modum remittit, ne harmoniæ concentum soluat: *Sicut citharœdus,* (inquit) *neque neruum intendit, vt non abrumpat, neque remittit vltra modum, ne harmoniæ concentum laedat, sic & Deus agit, nec in remissione continua, neque in longa tribulatione nostram constituit animam; secundùm suam prudentiam vtrumque faciens, non sinit nos continua potiri remissione, ne segniores fiamus, nec rursum in continua tribulatione sinit esse, ne concidamus, nec desperemus. Nec semper hyems, neque semper æstas, nec semper procella, neque semper tranquillitas, non semper nox, nec semper dies, sic nec semper erit tribulatio.* Ita ille. Appositè quidem tam ad rem præsentem, quam ad ratiocinationem illam vitæ tranquillitati peropportunam, quam conficiebat Nazianzen. orat. 4. & cordatus quisque ante oculos habere, & in animum demittere debet. *Nec enim mœrore afficeris, secundarum rerum spem abiice, nec cùm prosperis rebus frueris mœrerem. Annus vnus quatuor partes vehit, atque vnicum temporis momentum multas rerum mutationes. Fac vt & solicitudo voluptatem, & spes melior tristitiam reprimat.* Sic ille, sed ad rem.

2. Emphaticè dicebat Vates Psalmo 61. 12. *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui:* Vbi clariùs sanctus Hieronymus legit *vnum locutus est Deus, duo hæc audiui.* Siste. Quid ait? Deus vnum loquitur, & tu audis duo? Quid? concameratas ne adfornicis modum aures habes, in quibus multiplex echo resultet? & quæ acceperunt tamquam secretæ rupes multiplicatio tumultu referant? vel ad hominum nostri sæculi morem loqueris? qui ea quæ audierunt, nunquam fideliter, ac purè reddunt, quin pleraque de suo auditis attexant? Minimè quidem. Cur ergo. Deo vnum loquente, duo te audisse affirmas? Respondet Dauid: *Quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddis vnicuique iuxta opera sua.* Quæ Hieronym. in capit. 51. Isaiæ sic capit, vt vna Dei potestas tam in misericordia in bonos, quàm in iustitia in malos resplendeat, *ibi enim* (inquit ille) *semel loquitur Deus, quod omnipotens sit, & duo audit Propheta; quòd omnipotentia illius in vtraque parte præualeat, vt & pœnitentibus tribuat misericordiam, & permanentibus in peccato reddat supplicia quæ merentur.* Benè. Dixerit tamen non nemo, clarius id, & ma-

& manifestius esse, quàm vt tanta à Vate emphasi admoneri, opus fuerit. Quare non minus opportunè, opinor, dixeris, Deum semel loqui, cum iudicium in homines exercet; duo verò audire Propheram; quod vnum Dei iudicium siue punitio iustitiâ, & misericordiâ simul constet; nec irasci norit, quin misericordiæ recordetur, supplicia nimirum temperans, atque illis misericordiam, & consolationem benignè admiscens. Ita quidem ipsum, dum pœnas de Israëlitica plebe sumpturus mystico apud Ezechielem curru vehebatur, (bellicum enim eum currum, atque apparatum esse non semel ex P. Alcazar adstruximus) non totum igneum: sed partim etiam electri splendore collucentem, vt ipsamet supplicia moderatè, nec sine peculiari misericordiæ admixtione irrogantem, videris; id sic considerante Origen. homilia 1. in Ezechielem: *Auriga quatuor animalium non totus est igneus, sed pubetenus à pedibus, & ex inde electri splendore rutilat, non solùm enim tormenta habet Deus, sed sunt etiam in ipsis refrigeria.* Applaudit Hieronymus itidem obseruans in illis verbis cap. 8. 2. eiusdem Vatis, *& sursum quasi aspectus splendoris*, Theodozionem pro *splendore*, reponere *auram*, quod Hieronymus sic explicat *vt in supernis Dei refrigeria demonstraret.* Planè, vt appareat Deum, adhuc cùm iratus est, misericordiæ recordari, & ipsismet igneis suppliciis auram refrigerij, siue consolationis immiscere, eorúmque flammam, aura lenitatis indesinenter temperare.

3. Nec alio quidem sensu dixisse videtur Dauid Psalm. 134. 7. *Fulgura in pluuiam fecit*: hoc est, supplicia non vndique ignea, sed pluuiæ consolationis admixta, vt non tam ad conflagrandum, quàm ad irrorandum facta videantur. Ita Stephan. Cantuar. in alleg. Gotfrid. ad capitulum 9. Exod. *Fulgur vrit, pluuia nutrit, quia ipsa tribulatio nutrit.* Vnde sanctus Theophilus Patriarcha Antioch. lib. 1. ad Autolycum Dei punientis characterem sic ostendit. *Nubes à terra extremitate sursum rapit, fulgura cum imbribus multiplicat, mittit fulmen in terrorem mortalium, fulminisque fragorem corruscante fulgore praeuit, ne anima prostrata, & subito consternata è mortali corpore euolet. Fulguris ex cælo descendentis magnitudinem ita contemperat, ne terram comburat. Nam si suo arbitrio feratur, orbis concremaretur: si tonitru suo impetu feratur, omnia quæ in orbe sunt subuerterentur. Hic meus est Deus, & vniuersorum Dominus*: ac si diceret, en Dei mei, veri, inquam, Dei à fabulosis diis quàm dissimilis characterem & notam: hi quippe fulmina in Vulcani officina ex durissimo ferro, & chalybe cōflare & construere dicuntur, vt immedicabile vulnus & acerbum, ac insanabilem dolorem afferant: meus verò Deus illa non nisi ex blanda nubium materia, vt rore, simul ac pluuia contemperata, admixtam misericordiam, & benignitatem secum deferant, fabrefacere consueuit; auram refrigerij, & consolationis suppliciis commiscens.

4. Sic certè videas Exodi 9. 23. dum de plaga grandinis à Domino immissa agitur, accurata locutione dici, *Pluit Dominus grandinem*: cùm grando non plui, sed deiici, immitti ve soleat. Sanè vt non sine refrigerij, atque consolationis pluuia, supplicij grando immissa videatur, sic id indidem obseruante Stephano Cantuariens. in alleg. Gotfridi. *Pluuia suauis est, grando contundens, & Deus ipsa sua sanat percussione, & nutrit: manus enim eius percutit, & medetur.* Porrò in præfato Dei pœnas de peccatoribus sumentis curru, rota in medio rotæ signatè esse dicitur Ezechiel. 1. 16. de quo nonnulla à nobis ad cap. 1. versic. 20. annotat. vnic. num. 4. dum ex Iustino quæst. 44. *rotam in medio rotæ* captiuitatem, & à captiuitate reditum significantem faciebamus, data sunt. Quæ ad præsens institutum sic sunt aptanda, vt iis non solùm innuatur, Deum postquam iratus fuerit, misericordiæ recordari. Sed hoc ipsius ingenium esse, vt in medio calamitatis, & supplicij, quod infligit, cursu, misericordia etiam sua similiter iter faciat & ad afflictionis passum ipsamet benignitas obambulet, & circumrotetur. Vis videre iram diuinam in medio cursus spatio consistentem, & sese temperantem? audi ergo prolatam primùm à Deo in hominem ob immanissimum inobedientiæ facinus sententiam Genes. 3. 19. *Insudore vultus tui vesceris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Preme cum Bernardo illud *donec*, quod moderatum laborem, & temperatam iustitiam certis constrictam limitibus designat; sic enim ille in Declamat. componens hæc verba cum illis Matth. 25. 41. *In ignem æternum, qui paratus est diabolo*: hunc in modum. *Illius iniquitas inuenta est ad odium, suum habeat carcerem, vbi nulla redemptio, vnde nemini liceat respirare. Mihi sanè & labore tolerabilior carcer, & tempore breuior assignatur, vbi cùm iratus fuerit Dominus, misericordiæ recordetur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Denique tempus mihi constituit. Mihi dicit: donec, illi parat æternum.* Ita ille.

5. Porrò Ezechiel. 22. 19. & Ieremiæ 6. plebi suæ vehementer iratus, sic Deus minitatus dicitur: *Eo quòd versi estis omnes in scoriam, propterea ecce ego congregabo vos in medio Hierusalem congregatione argenti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in medio fornacis, vt succendam in ea ignem ad conflandum, sic congregabo in furore meo, & in ira mea, & congregabo vos, & succendam vos in igne furoris mei, &c.* Vides fornacem indignationis diuinæ: furorem iram? atque ignem furoris? Vide iam etiam auram simul & refrigeria. Quid enim aliud in ea metallorum conflatione stannum adiungi, significare existimas, nisi ipsas punitiones, atque supplicia refrigeriis, atque consolationibus à Deo temperari? ipsúmque robur ac vires, quibus illæ sustineri possint, simul tribuere? ea est enim stanni natura (vt inquit Hieronymus ad id Zachariæ 4. 10. *Videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel*) vt alia metalla ab igne defendat, irascitur ergo Deus, at cùm iratus fuerit, ira misericordiæ suæ recordatur, vt pro homine supplicio afficiendo suammet simul clementiam propugnatricem constituat, vt castigationes moderetur. Hinc bene adnotatum ab Hilario in Psal. 2. Ideò Isaïam cap. 11. cùm Christi regnum virgæ comparauit, illis verbis: *Egredietur virga de radice Iesse*: vt virgæ seueritas cum mansuetudinis suauitate in illo coniuncta, ac temperata esse censeretur, subdidisse, *& flos de radice eius ascendet, vt virgæ seueritatem* (inquit Hilarius) *floris suauitas temperaret.* Quò quidem facit id Psalm. 79. 6. *Potum dabis nobis in lachrymis in mensura*: vbi præter lectionem Hebræam quæ habet, *in maxima mensura*: obserua quæso mensuram, siue mensurandi modum. Certè ex Hebræo aptissimè legeris, *Dedisti nobis lachrymas in vola, seu palma manus.* O egregiam mensuram! ô suauissimam tribulationem! ô diuinum puniendi modum! Castigat Deus, excutit lachrymas, miscet eis potum, sed hunc in suamet palma manus, à qua miram simul suauitatem trahant, propinat.

4. Accinit peculiaris Dei locutio Genesis 6. 7. *Delebo hominem, quem creaui à facie terræ.* Vbi si aduertis, non vndequaque delendus, siue radicitus euellendus, sed *à facie terræ*, hoc est, superficialiter, & ma

Ezech. 1. | Orig. | Hieron. Ezech. 8. 2. | Psal. 134. 7. | Steph. Cantuar. | Theoph. | Exod. 9. 23. | Steph. Cant. | Ezech. 1. 16. Iustin. M. | Gen. 3. 19. | Bernard. | Matt. 25. 41. | Ezec. 22. 19. Ierem. 6. | Hieron. | Hilar. Isai. 11. 1. | Psalm. 76. 6. Hebr. lect. | Gen. 6. 7.

& maxima mensura puniendus homo dicitur. Vnde hæc verba sic expendit Ambros. lib. *de Noë, & arca, cap. 13. O cælestium pulchritudo verborum, si quis ea decoro intellectu pia mētis examinet: indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliuiscitur pietatis; minatur supplicium, sed non permittit excidium, moderatur vindictam, reuocat seueritatem, delebo non à terra, sed* à facie terræ; *florem decutit, radicem seruat, sinit vt in profundo substantia virtus maneat humana, quæ in superficie laboret, intus impassibilis perseueret immunisque noxa, &c. Pulchrè* delebo *tamquam litterarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine imminutione tabularum.* Hactenus ille. Ergo delet Dominus à facie terræ, non à terra, sicut apices sine fraude librorum, aut imminutione tabularū. Quòd si tabulæ imminuendæ, immò frangendæ sunt, non hominis, sed legis tabulæ franguntur, hoc est, rigorem legis potius frangere, siue diluere, quàm hominem penitus delere bonus atque benignus iudex vult; ita quidem dum ob populi peccatum grauius Moyses excanduisset, legis tabulas proiecisse, & ad radicem montis confregisse dicitur Exodi 32. 19. Quia nimirum iam supplex Dominum pro miseris peccatoribus orauerat, & Dei spiritu imbutus & supplicium de illis sumpturus, scriptæ legis rigorem, & seueritatem infringere, & moderatius castigare, quàm omnia ad viuum resecare, & homines funditus delere satiùs esse existimauit. Audi ad id loci sanctum Brunonem in alleg. Tilm. *Irascitur Moyses, & frangit tabulas. Populus peccat, & tabulæ franguntur. Populus peccat, lex destruitur. Vt quid hæc? Si enim Moyses tabulas non fregisset. Et quid proderat, quòd orando Deum placauerat, si ipse eos ex legis imperio occidisset; lex enim dicit,* Qui immolat, diis occidetur. *Noluit igitur cum tabulis, noluit cum rigore legis ad populum delinquentem venire; sed tabulas fregit legem euacuauit, & populo delinquenti pepercit.* Subdit statim. *Quoties Episcopus respectu pietatis alicui miseretur, & timens ne in peius ruat, non secundùm canones eum misericorditer iudicat, toties tabulas frangit, & legis auctoritatem relinquit. Hoc autem non magnum puto esse peccatum. Vnde Moyses pro fractis tabulis nusquam à Domino reprehenditur.* Hæc Bruno.

7. Sub quo quidem sensu opportunè capias quæ de Christo dicuntur ab sponsa Canticorum 1. 14. *Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Sed obserua Engadditanas vineas inde maximè commendari, quòd arboribus simul aromaticis, signatè verò oliuis consitæ essent: de aromaticis plantis sic Ambros. elucidans hæc verba in Psalmum 118. sermone 3. *Engaddi si locum quærimus, regionis cuiusdam, quæ in Iudæa est, locus sic dicitur, in quo opobalsamum gignitur*, de oliuis verò peculiare habes Ecclesiastici testimonium; capite enim 24. 19. vbi ait, *quasi oliua speciosa in campis*, Græcè habetur: *In engaddi.* Quò facit quod Gregorius Nyssenus homilia 3. in Cantic. Theodoretus, & Psellus tractum illarum vinearum in terra pingui fuisse affirmant. Porrò vineæ oliuis consitæ aliis vineis in eo maximè præstant, (vt tradunt qui de re rustica libros conscripsere) quòd vites in ea pingui terra radices agentes pinguem etiam oliuarum succum sugant, atque in seipsis imbibentes adeò dulciter & molliter pinguescant, vt suauis ille, pinguisque succus per vuas ipsas exteriùs transfundi videatur. Iam ad rem sanè si animum intendas, frequentius nihil in sacris inuenias, quàm vt vinum, iustitiæ symbolum, ita oleum misericordiæ typum esse; de primo sic dixit Regius Vates Psalmo 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto: & inclinauit ex hoc in hoc. Verumtamen fæx eius non est exinanita; bibent omnes peccatores terræ.* Et Psalm. 77. 71. *Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.* Similiter Apocalyps. 14. 10. *bibet de vino iræ Dei.* Et 16. 19. *Calicem vini indignationis:* Et 19. 15. *Torcular vini furoris iræ.* De secundo tot passim suppetunt exempla, vt pudeat in re perspicua otio abuti. De vtroque habes ex Christi ore, vt Patres omnes interpretantur, eum qui incidit in latrones, vino, oleóque simul, iustè nimirum, & misericorditer fuisse curatum, Lucæ 10. 34. Ergo dum Christus Dominus non simpliciter *botrus Cypri*, sed signatè *in vineis engaddi* esse dicitur, idem esse videtur, ac si dicatur, numquam ipsum iræ vinum effundere, quin illud misericordiæ oleo attemperet, quippe ipsius iustitia eius est naturæ, quæ succum misericordiæ in se priùs imbibat, quo tribulationes, atque supplicia ita moderetur, ac temperet, vt *tristitiam super tristitiam* non addat. Nec longiùs ab hac explicandi ratione it interpretatio, quam vocibus *Cypri*, & *engaddi* reddunt Patres; priorem enim, ait Aponius ibi, significare tristitiam, & mœrorem, *engaddi* verò tam à Latinis Patribus Gregorio Magno, Beda, Anselmo, Ruperto, Bernardo, Cassiodoro, & Aponio, quàm à Græco Philone Carpathiorum Antistite, interpretatur *in fonte hædi.* Ecce tristitiam in fonte hædi, hoc est tristitiam non super tristitiam, vt inquit Paulus, sed cum refrigerio & consolatione, quam mansuetudo solet impertire, coniunctam. Vnde Bernard. sermone 44. in Cantic. mirificè ex hoc loco spiritualem medicum instrui affirmat, qui ad modum Euangelici illius Samaritani ad vulnerum curationem vinum feruidi zeli, cum oleo mansuetudinis adhibere debeat. E multis en pauca illius verba ad hanc rem, *Habens itaque ex fraterno oleum æmulationis, securus accede ad sananda vulnera illius, qui incidit in latrones piissimi Samaritani optimus imitator, securè quoque dicito & tu cum sponsa* botrus Cypri dilectus meus mihi; in vineis engaddi. *Hoc est, zelus iustitiæ amor dilecti mei mihi est, in affectibus pietatis.* Sic Bernardus.

E qua quidem re est, quòd Christo auctore Ioan. 5. 22. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Sed quare? Respondet idemmet Dominus ibidem num. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Vrget verò Augustinus sermone vltimo de verbis Domini secundùm Ioannem tom. 10. causalem illam, *quia filius hominis est*, ad hunc modum. *Quia hominem ab hominibus oportet iudicari.* Quod sic capio, vt quamuis Dei filius, quà Patris sapientia est, non tam iustitiæ, aut potentiæ, quàm bonitatis Dei imago esse, signatè dicatur Sapient. 7. 26. Vnde ipsum ad miserendum omnino inclinari, necesse sit; nihilominus tamen, ne indignationis diuinæ vinum in homines merum effunderetur, sed calix mixto sit plenus consultissima ratione Deum voluisse ipsammet bonitatis suæ imaginem hominē fieri, & humanitatem assumere, vt tamquam *botrus in vineis engaddi* humanitatis succum sibi suggereret, atque imbiberet, vt illum in iræ vinum transfunderet. Vnde ad ea verba Bernard. sermone 73. in Cantic. *Denique ipse Pater Deus dedit filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum. vult per hominem homines iudicari, quò in tanta perturbatione & trepidatione malorum electis fiduciam præstet naturæ similitudo.* Hæc Bern. A quo etiam 8.

Marginalia: Ambros. — Exod. 32. 19. — S. Bruno. — Cant. 1. 14. — Ambros. — Eccl. 24. 19. — Psal. 74. 9. — Ps. 77. 71. — Apoc. 14. 10. & c. 16. — Luc. 10. 34. — Aponius. — Greg. Magn. — Beda — Anselm. — Ruper. — Bernard. — Cassiod. Philo — Ioan. 5. 22. — August. — Sapient. 7. 26 — Bernard.

etiam præfato loco Declamationum num. 4. adducto, peniriorem huius rei rationem possis adducere: hominum nimirum errata sic esse punienda, vt humanæ fragilitati terrenoque figmento non nihil fuerit donandum siue remittendum: ea siquidem de causa Angelum æternæ statim damnationis post peccatum fuisse addictum, hominem verò breue, & moderatum subiisse supplicium, quod vt ille nulla carnis illecebra delinitus cecidit, ita hic è terra procreatus fragilitati obnoxius extitit, sic admonet, *Mihi dicit* donec, *illi parat æternum.* In sudore, *inquit*, vultus tui comedes panem tuum, donec in terram, de qua sumptus es, reuertaris. *Pessimus ille Angelus, de terra sumptus non est, nec in terram aliquando rediturus, propterea non habet* donec, *sed ignis ei paratur æternus.* Humanè ergo homo à Deo homine meritò iudicatur.

9. Cui cogitationi non immeritò aptabis Sponsæ verba Cant. 8. 14. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum*; sed quid Christo, & capreæ? explicare visus est Chaldæus Paraphrastes, reponens: *Fuge tibi dilecte mi Dominator sæculi terra hac immunda, & habitet maiestas tua in cælis excelsis, & in tempore tribulationis, quo nos orauerimus coram te, erit similis capreæ, quæ in tempore quo dormit, vnus oculus eius est clausus, & alter oculus eius est apertus: aut sicut hinnulus ceruorum, qui in tempore, quo fugit respicit post se; sic tu contemplaberis nos, & respicies tribulationem nostram:* ac si ex imagine dormientis, quæ Deo irato aptari solet, vt Psalm. 43. 23. *Exsurge, quare obdormis Domine?* & alibi dixerit; Deum numquam totum pœnæ incumbere, sed vno ad illam oculo, alio ad misericordiam aspicere; nec clementiam à seueritate disiungere, sed admixtam misericordiâ iustitiam exercere: & cùm à nobis tamquam ceruus, ob iram nostris flagitiis debitam, fugere videtur, ad nos simul oculos indesinenter conuertere, vt non sit sine consolatione, & leuamine supplicium: sed id luculenter expressit Abacuc 3. 2. inquiens: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*: vbi significanter ex Hebræo Pagninus: *In ira misericordiæ recordaberis*; innuens, sic misericordiæ adnexam, atque coniunctam iustitiam suam Deum habere, vt hanc capere, quin illam æquè accipiat, quodammodo nequeat, non secus, ac qui duarum rerum apices coniunxerit, cui altera, sine altera adesse non potest. Quare vtraque hæc Canticorum, & Abacuc verba sic præfato loco coniunxit Bernardus, & ad extremum iudicij diem eo quem dedimus sensu reuocauit: *Vt ergo cùm iratus fuerit, misericordiæ recordetur, rogatur ab ista apparere in misericordia habitu illo, de quo Apostolus*: & habitu inuentus vt homo. *Necessariè quidem, si enim cum hoc quoque temperamento, tanta erit in indicio æquitas, in iudice feritas, in maiestate sublimitas, nouitas in facie ipsa rerum, vt secundùm Prophetam non possit cogitari* dies aduentus eius; *quid putas foret? si ignis ille consumens (Deum loquor omnipotentem) in illa sua diuinitatis magnitudine, fortitudine, puritate venisset, contra folium, quod vento rapitur, ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus. Nunc verò cùm exarserit in breui ira eius quam grata propter filios gratiæ apparebit blanda quædam visio hominis. Sanè firmamentum fidei, spei robur, fiducia augmentum, quod scilicet gratia & misericordia sit in Sanctos eius, & respectus in electos illius.* Hactenus ex Bernrad. Nec latere id videtur ipsosmet dæmones qui huic diuinæ clementiæ subnixi, atque hærentes Dei Filium, à quo seuera & iusta punitione torquebantur, vt moderatiùs cum illis ageret, Matth. 8. 29. sic appellabant, *Quid nobis, & tibi Fili Dei?* ac si dicerent; vt nos tantis simus digni suppliciis, at te summum Principem lenitas, & in inferendis suppliciis moderatio maximè decet, sic id considerante Petrus Chrysol. serm. 16. Hoc est dicere: Vitæ auctor quid tibi cum mortuis: Habitator cœli, *quid tibi cum sepulchris? odor paradisi quid tibi cum fœtore? Quos de cœlo deiecisti, quos de paradiso exclusisti, quibus nunc tollis vrbes, regiones habitabiles negas, permitte inhabitare nos, vel sepulchra, &, si nos persecutione tanta digni sumus, tu non es dignus iniuria.* Sic ille. Qua sanè ratione quasi permotus Dominus, dum è corporibus humanis omnino expulit, in gregem porcorum sic illis efflagitantibus intrare permisit.

Quidni etiam Principes, magistratus, iudices, vitæ, necísque ius in homines habentes homines se esse meminerint? non equidem vt iustitiæ iura infringant, sed vt seueritatem moderentur, & duritiam mitigent: quoniam & ipsi circumdati sunt infirmitate. Egregia scilicet hominis laus fuerit, omnia ad viuum resecare clementiam nescire, humanitatem, pietatémque omnino exuere. Talem pænè hominibus se exhibere solebat Sanctus Elias, quippe ardenti zelo feruens, & exæstuans non nisi ad pœnas sontibus irrogandas, victricibúsque flammis eos consumendos, gladiúmque in eorum ceruices vibrandum factus videbatur: sed enim; acrius eius ingenium leuiter sugillare volens Dominus impiam in ipsum Iezabel debacchari permisit. Iam verò illum ferocientis fœminæ furorem metuentem, gladiúmque fugientem, sic aliquando Deus locutus dicitur: *Quid hic agis Elias?* 3. Reg. 19. 9. ac si diceret inquit Chrysostomus hom. de Elia, & Petro: *Cur tu aufugisti? vbinam est tua in loquendo libertas?* Et quidem cùm Elias Deo sic sciscitanti responderit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam, &c.* Repugnat illi ex Dei verbis Chrys. quasi non ex eo solùm diffugerit, quòd solus fuerit relictus, sed quòd humano more Iezabel timuerit. *Quid ad hæc Deus* (inquit Chrysostom.) *statim illum redarguens. Non propterea inquit fugisti Elia: non enim tu solus es Baal non adorans, subiungit autem illum redarguens.* Reliqui mihi ipsi septem millia virorum qui non curuauerunt genu ante Baal. *Redarguitur illum, quòd non eam ob causam fugisset, sed propter mulieris timorem.* Sed quò hæc diuina redargutio iuerit? Sanè, vt propriæ infirmitatis memor, & ex humana erga se ipsum charitate, & propriæ vitæ amore viuentibus innato, aliorum misereri, & compati disceret. Ac si illi dixerit Dominus: ita ne Elia? & tu etiam tibi ipsi charus es? gladiúmque fugere, ac mortem declinare nosti? Disce ergo ex te ipso clementiam, & aliorum suppliciis misericordia commoueri. Hæc meliùs exprimente Theodoreto in Cantica ad illud: *In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea*: hunc in modum: *Elias quoque cùm Iezabel minas admodum formidaret, in solitudinem aufugit, quærens adiutorem. At sapiens piorum Magister, & remunerator apparet ei, & tamquam ignarus fugæ causam exquirit, non illudens, sed docens eum, cur ipsum fugere permisisset; monénsque, cùm homo esset, & humanis affectionibus tangeretur, vt humanitatem, & clementiam coleret.* Hæc Theodoret. Sed pergit Seneca libr. 1. de ira, cap. 14. *Neque enim æquus iudex aliam de sua, aliam de alienа causa sententiam fert.* Et ad rem statim: *Quanto humaniùs? mitem & pecatum animum*

Cant. 8. 14. Chaldæus. Psal. 43. 23. Abac. 3. 2. Pagnin. Bernard. Matth. 8. 29. Chrysol. 3. Reg. 19. 9. Chrysost. Theodo. Seneca.

præstare peccantibus, & illos non prosequi, sed reuocare. Errantem per agros ignorantia viæ, melius est ad rectum iter admonere, quàm expellere. Corrigendus est itaque qui peccat, & admonitione, & vi, & molliter, & asperè: meliórque tam sibi quàm aliis faciendus non sine castigatione, sed sine ira. Sic ille.

10. Dixerim, optimè hæc percalluisse egregium Eliæ discipulum Elisæum dum in illius digressu ab eo admonitus, vt quod sibi maluisset concedi, optaret, ac animosè peteret, duplicem ipse Eliæ spiritũ sibi dari sic postulauit: *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus tuus* 4 Regũ 2. 9. (4.Reg. 2. 9.) Etenim dum in hac Elisæi petitione, siue duplici hoc spiritu explicando multa meditantur interpretes, atque vnusquisque in suum abit sic id capiendum censuerunt Procopius, & Theodoretus: (Procop. Theodo.) *vt qui duplicis erat heres gratiæ, res efficeret duplo maiores: ex his autem erat ea pœna, quæ erat irroganda per summum.* ac si duplo maiorem seueritatem quam habuit Elias, animúmque qui vix posset ad pietatem inflecti postulasset. Ego verò in hanc sententiam sic afficior, vt numquam illam vllo modo probare potuerim, quòd nesciam, quid valeat excogitari, quod cum Elisæi persona & ingenio, & iis quæ de ipso Scriptura memorat, minus conueniat. Ergo contrariam huic expositioni viam ineo, vt existimem bipartitum Eliæ spiritum, inter seueritatem, & mansuetudinem, iustitiam, ac lenitatem Elisæum sibi postulasse; ac si diceret: opto tui spiritus hæredem fieri, at olim esse per omnia seuerus, & ad vindictæ iura semper propensus; sed admixtum clementia & lenitate habere spiritum fiat ergo in me spiritus tuus, non tamen simplex, sed in iustitiam, & lenitatem diuisus: vbi libet exclamare cum Ambrosio sermon. 87. de sancto Propheta Elisæo. (Ambros.) *O hæreditas preciosa, in qua plus hæredi relinquitur, quàm habetur; plus consequitur, qui accipit, quàm possideret, qui largitur! Igitur Elias cùm simplicem sanctitatis ipse haberet spiritum, Elisæo duplicem dereliquit.* Nimirũ vna zeli iustitiæ que laude præditus ipse erat; & duplicem iustitiæ, & clementiæ gloriam Elisæo promeruit. Pergit Ambrosius opportunè: *De Elisæi autem meritis quia dicamus, cuius hæc prima laus est, quòd patrem voluit gratia superare, dum dari sibi amplius postulat, quàm scit apud eum esse, qui possidet? Auarus quidem est in petendo, sed idoneus in promerendo. Dum enim à patre plus exigit quàm habebat, facit eum meritis suis plus præstare, quàm poterat:* Firmat verò hanc cogitationem de spiritu lenitatis seueritati admixto, primum ab Elisæo facinus post duplicem acceptum spiritum peractum; an Ambrosio præfatis verbis ex Scriptura sic adnexum: vt illorum ratio, siue consecutio esse videatur; ait enim. *Nam cùm idem Elisæus post ascensum magistri vestri venisset Iericho, & rogaretur à ciuibus, vt in eadem consisteret ciuitate, dixerunt:* Commoratio oppidi bona est, sed aquæ malæ, & steriles sunt: *Tunc præcepit sibi dari vas fictile, & recondito in eo sale veniens ad exitus aquarum proiecit in aquas, dicens:* (3.Reg. 19.) Hæc dicit Dominus, sanaui aquas istas: non erit ex eis moriens, neque sterilis. Sic ex sacro textu Ambrosius, quibus ista addideris ex Iosepho libr. 5. de bello Iud. cap. 4. (Ioseph.) *Lagenam fictilem salis plenam in profluentem aquam misit, iuxta, deinde ad cœlum dexteram extendens fontique immergens blanda libamina, ipsum fontem precabatur, vt fluenta leniret, ac dulciores aquarum venas aperiret: Deum verò vt fœcundioribus auris flumina temperaret orabat.* Quid enim aptiùs hæc adumbrent, quàm iustitiæ amaritudinem sale conditam, & temperatam, ne omnia ad mortem & sterilitatem exigantur; sed benignitate, & clementia temperentur. Quòd si has aquas sale conditas, & suauiores redditas videre velis; quomodo ipse postea Elisæus, cum exercitu Regis Syriæ, qui Deo, & Prophetæ maximè infensus erat, se gesserit; audi. Certè cùm Syrus exercitus sui robur misisset, vt locum in quo Elisæus commorabatur obsideret: ipse à Deo precibus primùm obtinuit, vt hostes cæcitate ita percuteret, vt ignari quò tenderent, in medium Samariæ forum, vrbis scilicet illis inimicæ progrederentur; sed enim cùm occasione rapta illos quasi in retia conclusos Samariæ Rex vellet trucidare; obstitit illi Propheta, & inflictum illis supplicium eo clementiæ sale condiuit, vt cibo potiùs refectos in patriam remiserit. Quod idem Ambrosius sermon. 86. *de barbaris non timendis*, sic expendit. (Ambros.) *Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit, & vnius Prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quæ caterua regum? quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vnde illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincetur, vt de vincentibus nemo lædatur.* Hæc ille.

Ad eadem verba: *Tristitiam super tristitiam.*

ADNOTATIO II.

Iustitia opus esse, iustitiam moderatione temperare.

LIBET in sensu maximè ingenuo & in re humano generi gratissima, & obuiis manibus accipienda paulisper immorari. I. Sanè, *Nihil graue carnifices agunt* (verba sunt Gregor. Nazianzen. epistol. 181.) *legibus enim inseruiunt:* (Greg. Naz.) *nec iniquum est gladius, quo de improbis supplicium sumimus. Nec tamen laudatur carnifex, nec cruentus gladius lubenti animo tractatur; humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem, & benignitatem potiùs inclinat.* Nec longitudinem obieceris: nam

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Maximè, cùm eum tibi scrupulum, quem hæc Philonis verba lib. de iudice iniicere videntur: (Philo.) *Iudicium rem Dei esse, iudicem verò ministrum, & procuratorem; procuratori autem non permittitur, largiri de eo quod Dei est, à quo vt optimo accepit hoc depositum rerum optimum;* eiicere tenear: sunt enim, qui hæc adeò mordicus retinent, & in animum demittunt, vt à legum duritie, & à tota seueritatis tristitia, & austeritatis acerbitate, nec latum vnguem deflectere, aut discedere, sibi licere existiment. Et verò, vt nos ea moderatione; pro moderatione causam dicimus, vt clementiæ colore nec *seruos ad pileum* vocare, ne aliquid iustitiæ, aut legibus contrarium excogitare, sit animus; ita æquitatem, & humanitatem à iustitia ipsa, & à legum spiritu adeò non dissidere credimus, vt ipsius partem, eámque potiorem, ac nobiliorem esse, certa nobis ratione persuadeamus. Vel audi. Equidem regni Christi virga: iudicium videlicet, & iudicandi ratio inde maximè commendatur, quòd sit vndequaque rectissima, quin à iustitiæ, & rectitudinis tramite aliquando deflectat; sic enim Vates Psalm. 44. 6. *Virga directionis virga regni tui:* (Psal. 44. 6.) accuratissima locutione, vt Christi sceptrum, hoc est, regnandi, & gubernandi genus, ex iustitia & rectitudine commendaret, virgam directionis, quæ videlicet non modò recta, atque directa, sed

sed directionis, & rectitudinis fons, à qua omnis
directio, & rectitudo petenda esset, appellans: ac si
diceret, vt aiunt interpretes, aliorum regnorum
sceptra sæpe sunt obliqua, & incurua, quippe quæ
à rectitudine deflectant, neque ad omnem iusti-
tiæ normam dirigantur; tu verò tuum regnum iu-
stissimè administrabis; & summa cum rectitudine
moderaberis. At, quæ fuerit hæc *virga directionis?*
quódve hoc iudicandi genus ad omnem iustitiæ
normam directum? Audi Paulum hunc Vatis lo-
cum sic afferentem, simúlque explicantem ad He-
ad Heb. 1. 8. bræos cap. 1. 8. *Virga æquitatis, virga regni tui:* æqui-
tatem idem cum directione faciens, nec immeritò,
quòd Hebræa vox æquè vtrumque significet; at
enim cùm æquitas, moderationem, siue temperatam
iustitiam significet; dixit siquidem M. Tull. lib. de
[illegible] senect. *Noui moderationem animi tui, & æquitatem.*
Et pro Cecinna. *Ex æquo, & bono, non ex callido, ver-*
sutoque iure rem iudicari, oportet: iure colligas, iu-
stitiam moderatione duritiam emolliente constare;
hancque illius partem siue appendicem esse. Pupu-
git hæc vis Agellium; ac proinde Vatis verba sic in-
[illegible] terpretatur. *Virgam æquitatis appellat censuram, atque*
seueritatem æquitate, & clementia temperatam. Sed hac
de re valdè opportunè loquitur Ambros. non semel.
Etenim initio lib. 1. de pœnitentia cùm dixisset:
Ambros. *Etenim qui studet humanæ infirmitatis emendare vitia,*
ipsam infirmitatem suis debet sustinere, & quodammodò
Luc. 15. 5. *pensare humeris. Nam pastor ille Euangelicus lapsam*
ouem vexisse legitur, non abiecisse. Subiicit: *Et Salo-*
Eccl. 7. 1. *mon Eccles. 7. ait:* Noli esse nimium iustus. *Debet enim*
iustitiam temperare moderatio; luculentiùs verò in
Ambros. orat. de obitu Theodosij. *Neque iustitia* (inquit) *sine*
miseratione est; nec sine iustitia miseratio, quia scriptum
est, noli esse nimium iustus. *Quod supra mensuram*
est, & si bonum est, tamen tu non sustines. Mensuram
serua, vt secundùm mensuram recipias. Non impedit
tamen iustitia misericordiam, quia misericordia ipsa,
iustitia est. Hæc Ambrosius.

2. Nonum alicui videatur in salutatione epistola-
1. ad Timoth. rum ad Timotheum Paulum præter morem mise-
1. 2. ricordiam illi fuisse imprecatum hunc in modum.
Timotheo dilecto filio in fide gratia, misericordia, &
2. ad Timoth. *pax à Deo Patre, & Christo Iesu Domino nostro.* Et
1. 2. identidem epistol. 2. *Timotheo charissimo filio gratia,*
misericordia, & pax. &c. nullum enim ea formula
salutasse siue cùm ad Romanos omnes, vel ad Co-
rinthios, vel ad Philippenses, siue cùm ad priuatas
personas veluti ad Titum, aut Philemonem episto-
las daret; ex ipsarum inscriptionibus, quod Chry-
Chrysost. Theophyl. sost. & Theophylact. inibi obseruarunt satis con-
stat. Quid ergo? grauiùs ne peccauerat, siue negli-
gentior omnium erat Timotheus, cui semper exo-
pranda esset diuina misericordia? Absit: sed feruen-
tiorem ipse virtutis custodem, & rigidiorem satel-
litem sese exhibens, meram iustitiam, quin æquita-
te & misericordia temperaret, in sibi subditos iuue-
nili ardore, siue acriori zelo seueriùs administra-
bat: atque idcircò Paulus Dei misericordiam ei
ante oculos indesinenter obiiciebat eámque illi à
Deo imprecabatur, vt seueritati admixta iustitiam
perfectè exequeretur: id sic adnotante Ruperto ad
Rupert. c. 1. Apocalyps. *Paulus in Timotheo Episcopos omnes*
informabat; cuius officij summum & necessarium decus
est misericordia; & ille, vt fertur, zeli erat feruentioris;
idcircò rectè & opportunè viscera misericordiæ illi
vt haberet praoptat. Hinc quoque subdit. Seniorem
ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Hinc rursum
commēdat ei misericordiæ opera, & hospitalitatem, quod
vt Episcopi obseruent, qui constituti sunt animarum
præsides, multo maximè tam illis, quàm subditis neces-
sarium est. Pende illa, *summum & necessarium decus:*
vt videris misericordiam non modò ornare iusti-
tiam, & venustam siue decoram facere, sed etiam
necessarias eius partes complere; & numeris om-
nibus absolutam reddere. Nec solùm in Episcopis
qui subditorum parentes sunt, locum habere cre-
dideris; æquè enim ad sæculares magistratus, Præ-
fectos, atque Proconsules pertinet. Vnde Scapu-
lam Africæ Præsidem atrociùs in Christianos gras-
santem, ad mitiora prouocans Tertullianus, huma-
nitatem iustitiæ contrariam non esse, sed affinem
atque cognatam, sic illi suggerebat libro ad Sca-
pul. cap. 4. *Potes & officio iurisdictionis tuæ fungi,* Tertul.
& humanitatis meminisse. ac si diceret. Minimè hæc
inter se pugnant: immò omnino conueniunt. Cer-
tè hac de causa Tyronem Proconsulem ita lauda-
bat, ac demulcebat Gentilis Plinius iunior lib. 9.
epistol. 5. *Egregiè facis, quòd iustitiam tuam prouin-*
cialibus multa humanitate commendas.

Notantissimè quidem cùm Dominus in Thabor 3.
transfiguratus regio throno conspicuus quasi ius di-
cens discipulis innotuit: Moysen, & Eliam, vt iusti-
tiæ, simul ac misericordiæ viua simulachra sibi assi-
dentes habuisse dicitur Matt. 17. 3. fuit namque Mo- Matth. 17. 3.
ses mortalium *omnium mitissimus* diuino oraculo Num. 12. 3.
pronunciatus Num. 12. 3. Elias verò durus peccato- 3. Reg. 19. 10
rum mastyx, qui insigni seueritate, & zelo Dei le-
gem, ac honorem zelaret 3. Regum 19. 10 & 14.
vt ex hoc clarissimo Christi tribunali monerentur
Principes, ac magistratus, posse, ac debere iurisdi-
ctionis suæ officio fungi, & humanitatis meminis-
se, siue iustitiam suam multa humanitate commen-
dare: & verò litteras, & leges hūc ire: sic obseruauit
Venerab. Arnoldus Abbas tractatu de vltimis se-
ptem verbis Domini in *doctrina, & veritate,* pectori Arnold.
Sacerdotis inscripta. *Oportet quippe, vt omnia quæ*
agit, moderatrix ratio sic disponat, & sic suis locis aptet
misericordiam, & iudicium, vt cùm iudicat, seueritas
non excludat clementiam, & cùm miseretur iustitiam
pietas non relinquat. Vnde cùm inibi Petrus tanto
splendore perstrictus sedem figere vellet, & tria ta-
bernacula, Christo vnum, Moysi vnum, & Eliæ
vnum struere pararet, ab Euangelista vt *nesciens quid* Marc. 9. 5.
diceret reprehenditur Marci 9. 5. sed quare? quòd
nimirum Moysem ab Elia, clementiam à iustitia
seorsim diuelleret; nec in vno tabernaculo quasi
amicas, & contubernales sibíque inuicem manus
dantem coniungeret: sic hoc obseruante Paschasio
libro 8. in Matthæum: *Error tamen in causa est,* Paschas.
quòd tria se repromittit facere tabernacula, vnum sci-
licet, ac si priuatim Iesu, alterum Moysi, & alterum
Eliæ, quasi non eos caperet vnum tabernaculum. Sanè
clementiam, atque iustitiam contubernales vir-
tutes esse, vel ipsimet Ethnici docuerunt; sic
enim ex Diogene Pythagorico Stobæus serm.
147. *Comites atque contubernales iustitiæ æquita-* Stobæus.
tem atque clementiam, siue ad ignoscendum propen-
sionem, quarum ista præscriptam pœnæ duritiam emol-
liat, hæc delinquentibus veniam aliquatenus indul-
geat. Nec pigebit Augusti Imperatoris summa
diligentia ius dicentis, iustitiámque clementia &
propensione ad ignoscendum temperantis exem-
plum ex Suetonio subiicere; is enim in Augusto
c. 33. ita scribit, *Dixit autem ius non diligentia mo-* Sueton.
dò summa, sed & lenitate; siquidem manifesti parri-
cidij reum ne culeo insueretur, quòd non nisi confessi af-
ficiuntur hac pœna; ita fertur interrogasse. Certè pa-
trem non occidisti? Ad quæ verba malus quidam au-
ctor benè & accutè facit vim in modo & ratione
interrogandi; quasi Augustus si ad seueritatem
pronus fuisset, voluissétque reum innodare; non

eo modo, sed hoc potiùs interrogasset: patricidium, quod tibi obiicitur, fecisti? cùm verò dixerit, *certè patrem non occidisti?* benigniori interrogandi modo salutare reo responsum elicere fuisse conatum, dum interrogatione ad illius negationem aptata ad persistendum in ea locum fecit. En ius summa diligentia, nec non cum lenitate dictum, & iurisdictionis officio habita ratione clementiæ satisfactum, vt vel hinc discant seueriores iudices, quorum carnifex animus, & ad pœnas irrogandas semper anhelans, non modò non humanitati, sed nec iustitiæ consonum esse, miseros reos ferocia primum vultus & iudicialis strepitus turbatos captiosis interrogationibus implicare, & malè innodatos pro confessis damnare.

4. Sed opportunius, & multo præclarius exemplum in Sanctissimo Virginis Deiparæ sponso accipe; etenim cùm de Virgine Dei Filio grauida dixisset Matthæus: *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto:* subiicit de eo statim: *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam:* vbi cùm nolle traducere, sit, publico exemplo ignominiosè puniendam non curare, atque illud *cùm esset iustus*, causaliter ex communi interpretum sensu aduersùs nonnullos ex hæreticis sit accipiendum: iure à Patribus vertitur in dubium, quo modo iustitia in causam benignitatis, & humanitatis deducatur? cùm potius esset dicendum, cùm esset humanus, siue misericors, & nollet eam ignominiosè punire, &c. Dum verò multi multa dicunt, & iustitiæ significationem euacuantes tam ad humilitatem, quàm ad alias virtutes id vocabulum referunt; Chrysologus proprietate vocis retenta id ipsum respondet, quod tota hac adnotatione persequimur; clementiam nimirum & benignitatem ad iustitiam omnino spectare, illiúsque partem, & opus esse. Audi illum in hæc verba. *Hoc pio magis videtur conuenire, quàm iusto, sed humano iudicio, non diuino. Penes Deum, neque pietas sine iustitia est, neque sine pietate iustitia: cœlesti sensu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur, virtutes si separata fuerint dilabuntur; æquitas sine bonitate, sæuitia est, & iustitia sine pietate crudelitas. Ioseph ergo meritò iustus, quia pius, & pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit, dum causam temperat, iudicium custodiuit, dum vindictam differt, crimen euasit; dum refugit accusatorem, fugit sententiam.* Hæc Chrysolog. quæ sic præstrinxit Glossa ad id loci: *Vera virtus est cùm nec pietas sine iustitia, nec sine pietate iustitia seruatur, quæ separatæ ad inuicem dilabuntur.* Nec ab hoc dissidet Theophylact. qui præfatam difficultatem sic diluit: *Soluitur autem hoc, quia propter hoc quod iustus fuit, nolebat enim crudelis esse, sed præ multa benignitate, misericordia eam prosequebatur, ostendens se superiorem lege, & iam super legalia mandata viuentem.* Sic ille.

Matth. 1. 18.

Chrysol.

Gloss.

5. Hinc certè venia, & impunitas peccatoribus data iustitiæ nomine à Salomone nuncupatur Sapientiæ 14. 7. de redemptione humani generis, & peccatorum remissione per Christum facta dicente: *Benedictum est lignum per quod fit iustitia*; & verò, vt alibi hunc locum elucidantes iustitiam ad pœnas, quas ad iustitiæ vindicatiuæ leges pro nostris culpis Christus exsoluit, retulerimus: modò cum Ambrosio pro indulgentia, & misericordia in Christi cruce nobis erogata placet accipere. ille enim in Psalm. 118. octonar. 8. cùm sæpius inculcasset: Misericordiam, iustitiæ portionem esse: subiicit: *Denique iustitiæ adscribit Scriptura veniam peccatorum secundùm illud, quod hodie lectum est, Benedictum lignum per quod fit iustitia. Iustitia autem quæ est crucis? nisi quòd ascendens illud patibulum Dominus Iesus Christus peccatorum nostrorum chirographum crucifixit, & totius orbis peccatum suo cruore mundauit. In quo ergo iustus Deus nisi in eo, quia sciuit, quòd de limo terræ hominem figurauit, quæ terra vtique corruptelæ obnoxia est, ac vitio lubrica passionis? &c. Sciens ergo secundùm corporis fragilitatem corruptelæ patere hominem quasi iustus fragili lubricaque natura delicta cōcessit.* Hæc modò Ambrosius pulchrè (quòd statim latiùs prosequitur) misericordiam iustam, siue iustitiam misericordiam adstruens, simúlque explicans, & à misericordia iniusta discriminans; nam vt hæc inconsulta ratione precibus, ac paruitate animi inflectitur, *vt si quis latrone filiis deprecantibus motus* (ita ille) *& lachrymis coniugis eius inflexus absoluendum putet, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus.* Ita illa æquo, ac bono congruis rationibus. Ita æquo, ac bono congruis rationibus fulcimento semper innititur, siue quidquid est dubium in melius inclinante, siue reum paribus sententiis absoluente, siue etiam illius exceptionibus, atque excusationibus benignius locum dante. Vnde rursus inibi Ambrosius, cur Adamus reatus sui pœnam à Deo sumpserit, humanum verò ab illo procreatum genus delictorum suorum veniam perceperit; hanc non congruam rationem reddit. *In illum iusta seueritatis processit sententia, quia scire voluit, quod scire non profuit. Nobis autem qui hæreditario vinculo tenemur adstricti qui in hac carne sumus, quæ priorum præiudicio detrita, iam atque assuefacta peccatis non poterat emergere quasi iustus indulsit. Iustè enim ignouit hæredi, qui præiudicio laborabat auctoris. Est ergo iusta misericordia, est etiam iniusta misericordia.* Hæc Ambros.

Sapient. 14. 7.

Ambros.

Accinit præclarum illud iudicium in causa adulteræ à Christo exercitum apud Ioan. cap. 8. 3. dum Scribis, & Pharisæis illam vehementiùs accusantibus, & ad necem impellentibus, ipse ad iudicis munia obeūda, vt accusationem videlicet, accusatores, causam, diem pro iudicis more (nisi me decipit coniectura, quam alibi dilucidè explicare conor) in scriptis exciperet, non semel inclinatum, & digito in terra scribens à Ioanne inducitur, sic enim vers. 6. *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Vt nimirum vel ipso corporis habitu, & inclinatione doceret, summum ius, siue summam seueritatem tantisper inflectendam, & clementia mitigandam, ac emolliendam: idque adeò non esse alienum à iustitia, vt digitum Dei potiùs inibi esse ostēderet: sicut de re, quæ probè ac feliciter fit, dicere solemus Hispani: *Por aqui anda el dedo de Dios.* Habet etiam egregiam emphasim in hanc rem, quòd digito scribere singilatim voluerit: hoc est, Spiritum sanctum, qui charitas, benignitas, bonitas, misericordia, & pax est, in iudicij collegā siue adsessorem sibi quodāmodo adlegare: nam hunc digitum de Spiritu diuino capit Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, vbi cùm pluribus confirmasset diuinum Spiritū Dei digitum esse, subdit: *Hoc digito mysticè etiam Dominus Iesus inclinato capite scribebat in terra, cùm à Iudæis adultera esset oblata:* vt videlicet Iustitiæ, atque Sapiētiæ, hoc est, Christo, cui hæc attributa propriè & signatè conueniūt, bonitas, atque benignitas admisceretur: & vt dicebat Ambros. neque iustitia sine miseratione, neque sine iustitia miseratio fieret: vnde præclarū hoc Christi iudiciū sic pendit August. tract. 31. in Ioan. *Quid ergo respondit Dominus Iesus? quid ergo respondit veritas? quia respōdit Sapiētia? quid respōdit ipsa, cui calūnia parabatur, iustitia? Non dixit,* Non 6.

Ioan. 8. 3.

Ioan. 8. 6.

ad Gala. 5. 22.

Ambros.

August.

Non lapidetur, nec contra legem dicere videretur. Absit autem vt diceret, lapidetur, venit enim non perdere quod inuenerat, sed quærere, quod perierat. Quid ergo respondit? videte, quàm plenum sit iustitia, plenum mansuetudine. Qui sine peccato est vestrum, primus in illa lapidem mittat. Ita ille, quasi dicat: misericordiam iniustam siue legibus contrariam exhibere, non iudicauit: *nam si fateatur aliquis se peccasse, & eius delicti veniam petit, nefarium est facinus ignoscere,* vt pro Murena inquit M. Tullius; at enim, nec iustitia sine clementia vti voluit, sed eam miro modo temperans, iurisdictionis officio sic functus est, vt & legibus satisfaceret, & humanitatis meminerit, ac misericordiæ exercendæ locum fecerit. *Cicero pro Murena.*

7. Videtur quidem egregius hic iustitiam simul, ac pietatem exercendi modus, quo Christus fuit mirè conspicuus, iam olim ab Ezechiele prænunciatus, dum ait, vidisse se virum splendentis æris nitorem habentis, cui lineus funiculus, & calamus mensuræ in manu esset, sic enim ille c. 40. 3. *Et ecce vir, cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius: & calamus mensuræ in manu eius: stabat autē in porta.* Etenim cū ex Hieron. ibi. & Greg hom. 12. in Ezech. expositione iis in verbis Christus significetur, cúmq; *stare in porta*, ad tribunalia, quæ in portis ciuitatū consistebāt, iuxta Scripturæ phrasim, de qua Amos 5. 10. Prou. 22. 21. & cap. 31. 23. commodissimè referatur, virga illius, quæ virga directionis, & æquitatis est, hoc in loco exprimi videtur. Nam præter speciem æris, quæ longam Dei patientiam, & longanimitatem, siue in sumendis pœnis cunctationem significat. Sic enim de ferreo Herculis simulachro Plinius lib. 33. cap. 14. *Et si in eadem vrbe & ferreus Hercules, quem fecit Alcon laborum Dei patientia inductus.* Quid funiculus, & calamus certa mensura definitus, quà debita peccantibus irrogata supplicia, opportuniùs significare dixeris? At enim huic rei denotandæ non alia virga solida, ac dura, sed calamus; leuis scilicet, & vacuus, qui minimè grauem plagam infligat, notanter assumitur, vt admoneatur, virgam directionis calamum esse, æquitate complendum, taxatásque legibus pœnas æquitatis ratione, nisi aliunde manifestum ius obsistat, molliendas, ac mitigandas. *Nam si virtutum finis ille est maximus, qui plurimorum spectat profectum, moderatio prope omnium pulcherrima est.* (Ambrosij verba initio lib. primi de pœnitentia) *quæ ne ipsos quidem quos dānat, offendit, & quos damnauerit, dignos solet facere absolutione.* ergo debitæ iustitiæ ordine seruato, nec iuris mensura prætermissa æquitas, & clementia admiscentur: immò & ipse mensuræ calamus æquitati locum facit, vt ab ea compleatur, ac perficiatur. Qua de re sic elegantissimè sub Theodorici Regis persona loquitur Cassiodor. lib. 2. variarum, epist. 9. *Benigni Principis est ad clementia commodum iustitia terminos transilire. Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.* honorabile obsequium, & seruitium scitè appellas, quòd seruientem proprio loco, ac dignitate cedere non cogit, immò digniorem, & ornatiorem reddit; vt dixerit, iustitiam ipsam dum clementiæ cedit, & inseruit, atque compleri.

Ezech. 40. 3. Hieronym. Gregorius. Cant. 31 23. Amos 5 10. Prou. 22. 21. & 31. 23. Ambros. Plinius. Ambrosius. Cassiod.

8. Germanus hic quidem Summi Parentis filius, qui non aliter iudicium exercere sic dicitur à Salomone Sapientiæ 12. 18. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Egregia omnino verba, & Salomonis sapientia digna, ideò & pensiculatiùs elucidanda. Obserua ergo iudex primùm illa verba; *Dominator virtutis*: nec ad iudicandum accesseris; quin animo infixeris, & ad eorum sensum te composueris. Quare scito græcè haberi δεσπόζων ἰσχύος, *dominans virium, siue roboris, ac potentiæ*: quæ non significant, vt ibi tracto, Deum summa potestate pollere, siue sub sua potestate, aliorum potentiam continere, quod voluerunt nonnulli, sed Deum, cùm iudicia exercet, vim atque potentiam suam cohibitam & sub manu habere, vt sedatissimo animo ducat, quò ratio, æquitas, & clementia exposcunt: aliter quidem ac plerique iudices, qui nimio iustitiæ zelo, atque calore, siue etiam iræ perturbatione obcæcati, nec sui compotes sententiam præcipitant, Deum verò potius quàm homines hac in re imitatum fuisse S. Malachiam Pontificem sic affirmat Bernard. sermon. in eius festiuitat. tom. 2. *Non ira illi, sed ipse animo dominabatur, Erat suimet potis. Sanè victor sui ira superari non poterat. Ira eius in manu eius. Vocata veniebat exiens, non erumpens, nutu, non impetu ferebatur. Non vtebatur illa, sed vtebatur.* Hinc subiicit Sapiens, *cum tranquillitate iudicas*, vbi græcè est: *In æquitate*, siue, *in mansuetudine*, vt plerique legunt: & sonè Græca vox ἐπιεικείᾳ, quam latinè dicimus *epicheia*, propriè est, *summi iuris moderatio*; & ad benigniorem iuris interpretationem procliuitas: vt dixerit Sapiens, non exactum iustitiæ rigorem facis, sed moderatione, & clementia vteris: vbi obiter videris, id sedati, pacatíque in iudicando animi proprium esse, vt summum ius moderetur, & ad benignam iuris interpretationem propendeat, sed pro re; audi opportunissima Senecæ ad Neronem, clementem tunc, & moderatum Principem, ac capitalia supplicia horrentem. *Hæc est in maxima potestate, verissima animi temperantia, & humani generis incomprehensibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi, non priorum Principum* (Tiberium Caligulam, & Claudium intelligit) *exemplis corruptum, quantum in ciues suos liceat experiendo tentare, sed hebetare aciem imperij*: pulchrè dictum, *hebetare aciem*: ne videlicet acuto ferro, hoc est, summo iure, omnia transfigantur, sic dixit Hilarius can. 10. in Matth. *Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit ius potestatis; & iudicij seueritas & animaduersio peccatorum*: vnde hebetare aciem, omnino fuerit ius potestatis, & iudicij seueritatem mitigare ne acutissima acie exerceatur. Pergit cōmendare supremum iudicem Salomon, æquéque inferiores, & ministros, ac procuratores illius (vt iudices initio adnotationis appellabat Philo) ex ipsius exemplo commouere, subdens: *Et cum magna reuerentia disponis nos.* quæ quamuis opportunè nostro instituto à Vatablo *cum multa moderatione*, à Iansenio: *cum multa misericordia* ex Græco transferantur, plus efficaciæ, simul ac venustatis tam inibi, quàm in Vulgato habere videtur: græcè si quidem pro *reuerentia est* φειδοῦς quæ nihil propriùs significat, quam *studium parcendi*, pro *disponis* verò habetur verbùm, διοικεῖς quod de patrefamilias benignè suam administrante, gubernantéque familiam dicitur: vnde Vulgatus dum vertit reuerentiam, non tam ad venerationem, quamuis nec hic sensus sit omnino reiiciendus; quàm ad patris charitatem, cui timor quidem sit adiunctus, nedum filios castigat, & verberibus afficit, seueriorem se quàm decet, exhibeat, eósque ad iracundiam prouocet. Quem sensum nonnulli interpretes cum Cantacuzeno ibi illustrant imagine cautè tractantis vitrum, ne excidat duriorive culpam rei illisum, infringatur. Aptat verò illi sapienter Lorinus diuinam locutionem 2. Regum 7. 14. qua suas castigationes, atque verbera notantissimè explicauit Dominus inquiens: *Ego ero*

Sapien. 12. 18. Græca Lect. Bernard. Græca Lect. Seneca. Hilarius. Lect. Græca. 2. Reg. 7. 14.

ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si ini- Lect. Heb. *què aliquid egerit, arguam eum in virga virorum.* Hebraïcè *in virga imbecillium*, quibus videlicèt manus tremere videntur, cùm filios castigant. Nec cõtentus fuero hæc Sapientiæ verba de clementia, & lenitate in pœnis irrogandis generaliter accipere, nisi inde etiam propositam à nobis in fronte adnotationis thesim; æquitatem, ac moderationem, iustitiæ opus, siue iustitiam esse, opportunè firmauero, quippe statim Salomon hunc iudicandi modum, attentionem, & diligentiam sic appellat. Sap 12. 20. & 21. *Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, &c. Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* quasi tunc maximè diligens, & iuri, iustitiæque attentus iudex sit, cùm in benignitatem pronus, æquitate, & clementia vtitur. A quo non longiùs abit Seneca lib. 1. de ira cap. 5. monens: Seneca. *Parcendum est etiam improbis ciuibus non aliter quàm membris languentibus, & si quando misso sanguine opus est, ne vltra quàm necesse sit, incidas.* Ita ille.

9. Placet verò hæc omnia ad iuris, iustitiæque calcùlos, quod lectori minimè ingratum putamus, exacta ratione reuocare: & vt præstem, ingens priùs discrimen, quod inter misericordiam, & iustitiam intercedit, cuius de causa *misericordia superexaltat iudicium*, Iacob. 2. 13. Iac. 2. 13. proponere, operæ pretium est. Sanè misericordiæ natura est, vt quò magis se se fundit, & per alienæ miseriæ campum expatiatur, eò maior, atque perfectior censeri debeat: sic scitè dixit Rex Theodoricus apud Cassiodor. lib. 2. variarum, epist. 30. Cassiod. Matth. 18. 22. *Clementia non habet legem, nec debet sub angustiis terminis benigna sequi, quam decet sine fine laudari*; sed opportuniùs, & accuratiori locutione Rex Regum Petro de veniæ peccanti dandæ modo, & numero sciscitanti, respõdit: *Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies*, numerum infinitum in denarium conuersum, & per eumdem multiplicatum magis infinitum reddens, ac si dixerit, vt inquit Maldon. Maldon. non solùm dico tibi vt innumerabilibus vicibus fratri remittas, sed etiam innumerabiliter innumerabilibus: vnde ad ea verba Hilar. can. 18. in Matth. Hilarius. *Quanto magis oportere ostenait sine modo, ac numero, veniam nobis esse reddendam, nec cogitandum quoties remittamus.* At enim iustitiæ alia omnino ratio est, ipsa siquidem è contrario ita ex modo & mensura suum decorem, ac dignitatem accipit, vt si vel latum vnguem præscriptos sibi terminos transgrediatur, adeò non fuerit maior, perfectiórque iustitia, vti de misericordia diximus, vt iustitiæ potiùs dignitate amissa insignis iniuria, atque iniustitia euadat; sic sapienter dixit Bernard lib. 1. de considerat. c. 8. Bernard. *Quid tam iustitiæ, quàm modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit, quod suum est.* Vnde quidem immediatè ante citata verba, quibus laxas clementiæ habenas dãdas dicebat, hæc præmisit Theodoricus, Cassiodor. Arist. *Ira leuis coërceatur grauissimis institutis, impatiens ambitio iure frænetur.* Aristoteles verò lib. 4. Ethicorum cap. 5. strictissimos iræ vltrici terminos posuit, & pænè innumeris modi, temporis, loci, & personarum circumstantiis adstrinxit, atque alligauit, hunc in modum. *Is igitur, qui pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur, éstque hic mansuetus.* ex quibus sic intulit Bern. Bernard. epist. 69. ad Guidonem: *Non irasci, vbi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est: plus verò irasci, quàm irascendum est, peccatum peccato addere est.* Similiter Isidor. Pelusiot. lib. 3. epist. S. Isidor. 327. monens. *Nam cùm quispiam maiores delictis cruciatus infert, rursum iniuriæ auspex est*; ex quo quidem discrimine, illud etiam promanat, quòd vt misericordia temerè præstanda, siue profundenda non sit; at neque quæsitissimo examine, neque diligentiori disquisitione opus habet, sed vt primùm miseriæ facies quauis luce perfusa innotuit, laudabiliter exhibetur: quid enim opus fuerit, vt pauperi obolum porrigas, eius inopiam & necessitatem in equuleo prius suspendere, & mille interrogationibus examinare, donec manifestam feceris? quod tamen secus in iustitia contingit: ad ipsam enim exercendam non nisi summa adhibita diligẽtia, longáque cunctatione, & attentione accedendum est: vnde de Domino misericordiam præstante, & beneficia hominibus conferente absolutè, & absque aliquo additamento dixit Vates: *Dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem*, Psal. 117. 16. Psal. 117. 16. & alibi ad facilitatem qua dona sua plena manu diffundit significandam: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*, Psal. 103. Ps. 103. 28. 28. in quæ verba Basilius in Scholiis, & ab eo Basilius. Theodor. & Chrysostom. *Quemadmodum enim in promptu est, digitos introrsum vergentes extendere, ita facile Deo est, vberem omnium bonorum dare prouentum.* De ipsomet autem, iustitiam exercente quæsita locutione dixit idem Psaltes. *Iustitia plena est dextera tua*; Ps. 47. 11. vbi plenam iustitia dexteram appellauit, quasi omnibus numeris absolutam, modum, rationémque seruantem, terminisque suis inhærentem. Iam ex his illud fit, vt cùm vna ex parte; medium inter extrema, scrupulari præsertim iudicio inuenire, arduum, & anceps sit, ex alia verò præcipitum non tam intra iustitiæ terminos, quàm extra illos oberret; (nam si reo cui ex iure centum plagas infligere, tenebaris, nonaginta & nouem inferre præscripseris, iniustus extitisti, & iustitiam debitè administrasti, sin autem vna illum supra centum mulctasti, iniurius ac iniustus fuisti:) optimo iure, atque ratione dicatur, exactæ iustitiæ opus esse ab ipsomet summo iure per clementiam paulisper deflectere, & extremam iustitiæ lineam non attingere: id quod breuissimè, magna verò sapientia sic præstrinxit Cassiodor. lib. 11. variarum epist. 40. Cassiod. *Nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate semper ignoscimus.* Pende vtrumque. *periculosè* (inquit) *iusti sumus*, quia cùm non sit facilè. causæ iugulum, hoc est, medium inter extrema inuenire, ipsúmque iustitiæ punctum attingere, si iustitię inhæreas, *periculosè* incedis: nam si lineam transilias, pro iustitia iniustitiam facis: contra verò, *sub securitate semper agnoscimus*, quod vel ex iuris regula *promptiores esse debeamus ad absoluendum, quàm ad condemnandum:* atque æquitas rigori præferenda sit: *& semper quidquid dubium est, humanitas inclinat in melius*, vt ait Seneca epist. 81. Cassiod. Seneca. Qua de causa, vt paulò antè vidimus, apud eumdem Cassiodorum dicebat Rex Theodoricus, *benigni Principis esse ad clementiæ commodum iustitiæ terminos transilire.* Pulchram reddens rationem: *Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant*; vni clementiæ tribuens, iustitiæ fines securè egredi, & transilire: & in sui obsequium iustitiam vocare, atque hanc ipsi honorabiliter ancillari, & cum laude, ac merito inseruire. Sed Seneca Seneca. etiam præfatam doctrinam Neroni ingerentem, lib. 1. de clement. cap. 2. audi. *Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, nec abscisam. Nam tam omnibus ignoscere, crudelitas est, quàm nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem praponderet,*

deret. Optimè, nec poteſt ſuprà.

10. Nec niſi à Dei inſtitutione, & exemplis hæc didiciſſe fatemur: ipſe enim cùm ad pœnas de Pharaone, diro præferocéque rege ſumendas primùm acceſſit, ſolo digito manus vſus eſt: ſic enim ad ranarum, & ſciniphum plagam exclamauerunt Magi,
Exod.8.19. Chaldæus. *Digitus Dei eſt hic.* Exod. 8. 19. Sed quæ periphraſis fuerit? explicat Chaldæus Paraphraſtes legens, *A facie Dei plaga hæc eſt*, quòd Dei percuſſiones, & plagæ per manum ſignificentur: vt
Iob.19.21. Iſa.9.12. Iob 19. 21. *Manus Domini tetigit me*, Iſaiæ 9. 12. At cur non manum, ſed digitum dixerunt: equidem quòd leuiores minoréſque plagæ illæ, & caſtigationes eſſent: nam digito facere, vel mouere,
Pereira. vt benè ibi obſeruat Pereira diſput. 4. num. 18. leuiter aliquid facere vel mouere ſignificat, vt
Matth.23.4. Matthæus 23. 4. de Phariſæis, *digito nolunt ea mouere*: vt id egregium Principibus, ac magiſtratibus hinc daret Dominus monitum pœnas atque ſupplicia digitatim menſuranda eſſe: ne vel latum vnguem excedant, ac proinde ſi vno digito puniri crimen poteſt, duobus non fore vtendum; eo modo, quo dicebat paulò antè citatus Seneca. *& ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt; ne vltra quàm neceſſe ſit incidas.* Id quod primùm ex ſententia in Regem Balthaſarem grauius, & ad mortem peccantem, non vno ſolùm, ſed pluribus digitis conſcripta: deinde ex ſeueriori Pharaonis animaduerſione tota iam inflicta manu non importunè firmaueris, ſic enim de Balthaſaris iudicio apud Danielem
Dan.5.5. c. 5. v. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti, quaſi manus hominis ſcribentis*; de Pharaonis verò grauiſſimo ſupplicio, atque duriſſima caſtigatione
Exod.9. Exod. 9. 15. *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peſte, peribíſque de terra*: digitos nimirum ſuppliciis pro ſcelerum grauitate addens: & contractam manum plus, minúſve extendens; *ne vltra quàm neceſſe ſit, incidat*, ſanguinémque fundat. Quò bene aptaueris trinam illam Petri confeſſionem, quam ab eo Dei Filius elicuit Ioan. 21. 17.
Ioan.21.17. Auguſtin. S.Cyril. Alexand. Nam, vt bene ſic id explicet Auguſt. *ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens*; non minus opportunè eò retulit S. Cyril. Alex. vt Petri peccato condigna reſponderet curatio, ſiue animaduerſio, vt qui verbis, oréque peccauerat; ore etiam & verbis pro peccati modo emendaretur. Audi illum lib. 12. in Ioannem, c. 64. *Iure nunc ab eo terna dilectionis confeſſio petitur, vt terna negatio æqualis confeſſionis numero compenſetur. Ita quod verbis commiſſum eſt, verbis curatur.* Sic Cyril. Quam
Ambroſ. Pſ.4.5. ad rem hæc optimè ſcripſit Ambroſ. in cap. 5. Ad Epheſ. illa Pſal. 4. 5. verba: *Iraſcimini, & nolite peccare*, explicat, ac elucidat. *Hæc ergo docet, vt ipſa ira cum moderatione ſit, neque nimium qui iuſtum ſe præbeat delinquenti: quia ſolent quidam ſic peccare vt tantis plagis affici videantur, quantas non poſſunt ferre: & qui poterat fortè corrigi, tollitur de vita non ſine peccato iraſcentis: vnde Salomon*, Noli, *inquit*, iu-
Eccl.7. ſtus eſſe multum (Eccleſiaſt. 7.) quia eſt qui perit in ſuo iuſto. *Sed imitatores Dei eſſe debemus, qui temperatam habet iuſtitiam.* Hæc Ambroſius. Quæ Vulgatum verbum, *Summum ius, ſumma iniuria.* ſatis probat. Ad alia.

VERSVS XXVIII.

Feſtinantiùs ergo miſi illum, vt vos eo iterum gaudeatis, & ego ſine triſtitia ſim.

Feſtinantiùs.

CHRYSOSTOMVS. *Quid eſt, σπουδαιοτέρως, id eſt, feſtinantiùs? ſine cunctatione, nulla interpoſita mora, iubens omnia quæcumque obſtent vincentem quàm citiſſimè ad vos venire.* Sic ille cum ſuis diſcipulis; vbi & comparatiui aduerbij, & Græcæ vocis vim, Græcus ipſe ſenſui potiſſimum intentus, videtur prætermiſiſſe; aduerbium ſic expreſſit Anſelm. *Feſtinantiùs quàm feciſſem, niſi hoc eueniſſet, miſi illum*; vocem verò σπουδαιοτέρως propriè ſignificare *ſtudioſius* minimè eſt dubium; ſed enim, quod ex ſtudio & ardore animi, feſtinatio, & alacritas oriatur, ſiue, quia id Pauli ſtudium in Timotheo ad illos feſtinanter mittendo maximè reluceret, opportunè noſter vertit *feſtinantiùs*. 1. Chryſoſt. Anſelmus. Lect. Græca.

Sine triſtitia ſim.

BEnè Anſelm. *Sine triſtitia, quam de vobis triſtibus habebam*, Græcè ſic habetur κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ, quod Chryſoſt. interpres legit, *& ego magis ſine triſtitia ſim*: Syrus verò interpres, *Leuior mihi ſit animi ægritudo*: Ambroſ. *Meliori animo ſim*: alij, *Vt magis dolore vacem*, eodem omnes ſenſu. Oſtendit verò Apoſtolus, inquit Chryſoſt. *Numquam animum ſuam dolore vacuam eſſe, qui enim ita dicit*, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? *quomodo ſine mærore, & triſtitia ſit?* Enucleatiùs OEcumenius. *Non dixit gaudeo, immò neque ſimpliciter dixit ſine mærore ero, ſed* magis vacem mærore: *oſtendens, quòd propter diſcipulos numquam doloris expers erat.* Pulchrè: nunquam enim magnus amor curarum, & doloris expers eſt. 2. Anſelmus. Græca Lect. Syriaca. Ambroſ. Chryſoſt. Oecum.

VERSVS XXIX. & XXX.

Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiuſmodi cum honore habetote.

Quoniam propter opus Chriſti vſque ad mortem acceſſit tradens animam ſuam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obſequium.

Cum honore.

GRÆCÈ ἐν τίμῳ, *in pretio*: qui in honore & pretio præ cæteris habetur, & ita ſignatè ſignatè colitur. Habet quidem epitaſim illud, *& eiuſmodi*, ac ſi dicatur: tales homines inter omnes alios 1. Lect. Græca.

ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si ini-
Lect. Heb. *què aliquid egerit, arguam eum in virga virorum.* Hebraicè *in virga imbecillium*, quibus videlicèt manus tremere videntur. cùm filios castigant. Nec cõtentus fuero hæc Sapientiæ verba de clementia, & lenitate in pœnis irrogandis generaliter accipere, nisi inde etiam propositam à nobis in fronte adnotationis thesim; æquitatem, ac moderationem, iustitiæ opus, siue iustitiam esse, opportunè firmauero, quippe statim Salomon hunc iudicandi modum, attentionem, & diligentiam sic appellat.
Sap 12.20. & 21. *Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, &c. Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* quasi tunc maximè diligens, & iuri, iustitiæque attentus iudex sit, cùm in benignitatem pronus, æquitate, & clementia vtitur. A quo non longiùs abit Seneca lib. 1. de ira cap. 5. monens:
Seneca. *Parcendum est etiam improbis ciuibus non aliter quàm membris languentibus, & si quando misso sanguine opus est, ne vltra quàm necesse sit, incidas.* Ita ille.

9. Placet verò hæc omnia ad iuris, iustitiæque calculos, quod lectori minimè ingratum putamus, exacta ratione reuocare: & vt præstem, ingens priùs discrimen, quod inter misericordiam, & iustitiam intercedit, cuius de causa *misericordia superexaltat iudicium*, Iacob. 2. 13. proponere, operæ
Iac. 2. 13. pretium est. Sanè misericordiæ natura est, vt quò magis se se fundit, & per alienæ miseriæ campum expatiatur, eò maior, atque perfectior censeri debeat: sic scitè dixit Rex Theodoricus apud Cassiodor. lib. 2. variarum, epist. 30. *Clementia non habet*
Cassiod. Matth. 18. 22. *legem, nec debet sub angustiis terminis benigna sequi, quam decet sine fine laudari*; sed opportuniùs, & accuratiori locutione Rex Regum Petro de veniæ peccanti dandæ modo, & numero sciscitanti, respõdit: *Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies*; numerum infinitum in denarium conuersum, & per eumdem multiplicatum magis infinitum reddens, ac si dixerit, vt inquit Maldon. non solùm dico tibi vt innumerabilibus vicibus fratri remittas,
Maldon. sed etiam innumerabiliter innumerabilibus: vnde ad ea verba Hilar. can. 18. in Matth. *Quanto magis*
Hilarius. *oportere ostendit sine modo, ac numero, veniam nobis esse reddendam, nec cogitandum quoties remittamus.* At enim iustitiæ alia omnino ratio est, ipsa siquidem è contrario ita ex modo & mensura suum decorem, ac dignitatem accipit, vt si vel latum vnguem præscriptos sibi terminos transgrediatur, adeò non fuerit maior, perfectiórque iustitia, vti de misericordia diximus, vt iustitiæ potiùs dignitate amissa insignis iniuria, atque iniustitia euadat; sic sapienter dixit Bernard. lib. 1. de considerat. c. 8.
Bernard. *Quid tam iustitia, quàm modus? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit, quod suum est.* Vnde quidem immediatè ante citata verba, quibus laxas clementiæ habenas dãdas dicebat, hæc præmisit Theodoricus, *Ira leuis coërceatur gra-*
Cassiodor. Arist. *uissimis institutis, impatiens ambitio iure frenetur.* Aristoteles verò lib. 4. Ethicorum cap. 5. strictissimos iræ vltrici terminos posuit, & pænè innumeris modi, temporis, loci, & personarum circumstantiis adstrinxit, atque alligauit, hunc in modum. *Is igitur, qui pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur, estque hic mansuetus.* ex quibus sic intulit Bern.
Bernard. epist. 69. ad Guidonem: *Non irasci, vbi irascendum est, & nolle emendare peccatum, peccatum est: plus verò irasci, quàm irascendum est, peccatum peccato addere est.* Similiter Isidor. Pelusiot. lib. 3. epist.
S. Isidor. 327. monens. *Nam cùm quispiam maiores delictis cruciatus infert, rursum iniuriæ auspex est*; ex quo quidem discrimine, illud etiam promanat, quòd vt misericordia temerè præstanda, siue profundenda non sit; at neque quæsitissimo examine, neque diligentiori disquisitione opus habet, sed vt primum miseriæ facies quauis luce perfusa innotuit, laudabiliter exhibetur: quid enim opus fuerit, vt pauperi obolum porrigas, eius inopiam & necessitatem in equuleo prius suspendere, & mille interrogationibus examinare, donec manifestam feceris? quod tamen secus in iustitia contingit: ad ipsam enim exercendam non nisi summa adhibita diligẽtia, longáque cunctatione, & attentione accedendum est: vnde de Domino misericordiam præstante, & beneficia hominibus conferente absolutè, & absque aliquo additamento dixit Vates: *Dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem,* Psal. 117. 16.
Psal. 117. 16. & alibi ad facilitatem qua dona sua plena manu diffundit significandam: *Aperiente te* Ps. 103. 28.
manum tuam omnia implebuntur bonitate, Psal. 103. 28. in quæ verba Basilius in Scholiis, & ab eo Basilius.
Theodor. & Chrysostom. *Quemadmodum enim in promptu est, digitos introrsum vergentes extendere, ita facile Deo est, vberem omnium bonorum dare prouentum.* De ipsomet autem, iustitiam exercente quæsita locutione dixit idem Psaltes. *Iustitia plena est* Ps. 47. 11.
dextera tua; vbi plenam iustitia dexteram appellauit, quasi omnibus numeris absolutam, modum, rationémque seruantem, terminisque suis inhærentem. Iam ex his illud fit, vt cùm vna ex parte; medium inter extrema, scrupulari præsertim iudicio inuenire, arduum, & anceps sit, ex alia verò præcipitem non tam intra iustitiæ terminos, quàm extra illos oberret; (nam si reo cui ex iure centum plagas infligere tenebatis, nonaginta & nouem inferre præscripseris; iniustus extitisti, & iustitiam debitè administrasti, sin autem vna illum supra centum mulctasti, iniurius ac iniustus fuisti:) optimo iure, atque ratione dicatur, exactæ iustitiæ opus esse ab ipsomet summo iure per clementiam paulisper deflectere, & extremam iustitiæ lineam non attingere: id quod breuissime, magna verò sapientia sic præstrinxit Cassiodor. lib. 11. variarum epist. 40. *Nam qui periculosè iusti sumus, sub securitate* Cassiod.
semper ignoscimus. Pende vtrumque. *periculosè (inquit) iusti sumus*, quia cùm non sit facilè, causæ iugulum, hoc est, medium inter extrema inuenire, ipsúmque iustitiæ punctum attingere, si iustitię inhæreas, *periculosè* incedis: nam si lineam transilias, pro iustitia iniustitiam facis: contra verò, *sub securitate semper agnoscimus*, quod vel ex iuris regula *promptiores esse debeamus ad absoluendum, quàm ad condemnandum:* atque æquitas rigori præferenda sit: *& semper quidquid dubium est, humanitas inclinat in* Cassiod.
melius, vt ait Seneca epist. 81. Qua de causa, vt Seneca.
paulò antè vidimus, apud eumdem Cassiodorum dicebat Rex Theodoricus, *benigni Principis esse ad clementiæ commodum iustitiæ terminos transilire.* Pulchram reddens rationem: *Quando sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant*; vni clementiæ tribuens, iustitiæ fines securè egredi, & transilire: & in sui obsequium iustitiam vocare, atque hanc ipsi honorabiliter ancillari, & cum laude, ac merito inseruire. Sed Seneca Seneca.
etiam præfatam doctrinam Neroni ingerentem, lib. 1. de clement. cap. 2. audi. *Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, nec abscisam. Nam tam omnibus ignoscere, crudelitas est, quàm nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quidquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem praponderet.*

deret. Optimè, nec potest suprà.

10. Nec nisi à Dei institutione, & exemplis hæc didicisse fatemur: ipse enim cùm ad pœnas de Pharaone, diro præferocéque rege sumendas primùm accessit, solo digito manus visus est: sic enim ad ranarum, & sciniphum plagam exclamauerunt Magi, *Digitus Dei est hic*. Exod. 8. 19. Sed quæ periphrasis fuerit? explicat Chaldæus Paraphrastes legens, *A facie Dei plaga hæc est*, quòd Dei percussiones, & plagæ per manum significentur: vt Iob 19. 21. *Manus Domini tetigit me*, Isaiæ 9. 12. At cur non manum, sed digitum dixerunt: equidem quòd leuiores, minorésque plagæ illæ, & castigationes essent: nam digito facere, vel mouere, vt benè ibi obseruat Pereira disput. 4. num. 18. leuiter aliquid facere vel mouere significat, vt Matthæus 23. 4. de Pharisæis, *digito nolunt ea mouere*: vt id egregium Principibus, ac magistratibus hinc daret Dominus monitum pœnas atque supplicia digitatim mensuranda esse: ne vel latum vnguem excedant, ac proinde si vno digito puniri crimen potest, duobus non fore vtendum; eo modo, quo dicebat paulò antè citatus Seneca. *& si quando misso sanguine opus est, sustinendum est; ne vltra quàm necesse sit incidas*. Id quod primùm ex sententia in Regem Balthasarem grauius, & ad mortem peccantem, non vno solùm, sed pluribus digitis conscripta: deinde ex seueriori Pharaonis animaduersione tota iam inflicta manu non importunè firmaueris, sic enim de Balthasaris iudicio apud Danielem c. 5. v. 5. *In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis*; de Pharaonis verò grauissimo supplicio, atque durissima castigatione Exod. 9. 15. *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribísque de terra*: digitos nimirum suppliciis pro scelerum grauitate addens: & contractam manum plus, minúsve extendens; *ne vltra quàm necesse sit, incidat*, sanguinémque fundat. Quò bene aptaueris trinam illam Petri confessionem, quam ab eo Dei Filius elicuit Ioan. 21. 17. Nam, vt bene sic id explicet August. *ne minus amori lingua seruiat, quàm timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quàm vita præsens*; non minus opportunè eò retulit S. Cyril. Alex. vt Petri peccato condigna responderet curatio, siue animaduersio, vt qui verbis, oréque peccauerat; ore etiam & verbis pro peccati modo emendaretur. Audi illum lib. 12. in Ioannem, c. 64. *Iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, vt terna negatio æqualis confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum est, verbis curatur*. Sic Cyril. Quam ad rem hæc optimè scripsit Ambros. in cap. 5. Ad Ephes. illa Psal. 4. 5. verba: *Irascimini, & nolite peccare*, explicat, ac elucidat. *Hoc ergo docet, vt ipsa ira cum moderatione sit, neque nimium quis iustum se prabeat delinquenti: quia solent quidam sic peccare vt tantis plagis affici videantur, quantas non possunt ferre: & qui poterat fortè corrigi, tollitur de vita non sine peccato irascentis: vnde Salomon*, Noli, *inquit*, iustus esse multum (Ecclesiast. 7.) quia est qui perit in suo iusto. *Sed imitatores Dei esse debemus, qui temperatam habet iustitiam*. Hæc Ambrosius. Quæ Vulgatum verbum, *Summum ius, summa iniuria*. satis probat. Ad alia.

[Margin: Exod. 8. 19. Chaldæus. Iob. 19. 21. Isa. 9. 12. Pereira. Matth. 23. 4. Dan. 5. 5. Exod. 9. Ioan. 21. 17. Augustin. S. Cyril. Alexand. Ambros. Ps. 4. 5. Eccl. 7.]

VERSVS XXVIII.

Festinantiùs ergo misi illum, vt vos eo iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim.

Festinantiùs.

1. Chrysost. CHRYSOSTOMVS. *Quid est*, σπουδαιοτέρως, *id est, festinantius? sine cunctatione, nulla interposita mora, iubens omnia quæcumque obstent vincentem quàm citissimè ad vos venire*. Sic ille cum suis discipulis; vbi & comparatiui aduerbij, & Græcæ vocis vim, Græcus ipse sensui potissimum intentus, videtur prætermisisse; aduerbium sic expressit Anselm. *Festinantiùs quàm fecissem, nisi hoc euenisset, misi illum*; vocem verò σπουδαιοτέρως propriè significare *studiosius* minimè est dubium; sed enim, quod ex studio & ardore animi, festinatio, & alacritas oriatur, siue, quia id Pauli studium in Timotheo ad illos festinanter mittendo maximè relucceret, opportunè noster vertit *festinantiùs*.

[Margin: Anselmus. Lect. Græca.]

Sine tristitia sim.

2. BEnè Anselm. *Sine tristitia, quam de vobis tristitiam habebam*, Græcè sic habetur κἀγὼ ἀλυπότερος ὦ, quod Chrysost. interpres legit, *& ego magis sine tristitia sim*: Syrus verò interpres, *Leuior mihi sit animi ægritudo*: Ambros. *Meliori animo sim*: alij, *Et magis dolore vacem*, eodem omnes sensu. Ostendit verò Apostolus, inquit Chrysost. *Nunquam animam suam dolore vacuam esse, qui enim ita dicit*, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? *quomodo sine mærore, & tristitia sit*? Enucleatiùs OEcumenius. *Non dixit* gaudeo, *immò neque simpliciter dixit, sine mærore ero, sed* magis vacem mærore: *ostendens, quòd propter discipulos numquam doloris expers erat*. Pulchrè: nunquam enim magnus amor curarum, & doloris expers est.

[Margin: Anselmus. Græca Lect. Syriaca. Ambros. Chrysost. Oecum.]

VERSVS XXIX. & XXX.

Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote.

Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit tradens animam suam, vt impleret id quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

Cum honore.

1. Lect. Græca. GRÆCE ἐν τίμῳ, *in pretio*: qui in honore & pretio præ cæteris habetur, & ita signatè signatè colitur. Habet quidem epitasim illud, *& eiusmodi*, ac si dicatur: tales homines inter omnes alios

alios in pretio, & honore à vobis habendi sunt: significantiùs dixeris Hispanè, *Talos como estos son los que aueis de querer, y estimar.* Sed quare? *Quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit: tradens animam suam.*

Vt impleret id quod ex vobis deerat.

2. Erasmus. EXprimit siue emungit hęc Erasmus hoc modo: *Vt impleret, quod in vestro erga me officio fuit diminutum*: quod nonnulli sic capiunt, ac si dixerit Paulus. Ego spiritualia vobis cómunicaui, vestrũm erat, temporalia mihi rependere, præsertim in vinculis cõstituto, & quidem misistis nonnulla ad me, sed quod hisce deerat, Epaphroditus pro vobis mihi suppleuit: sed hæc per exprobrationem Philippensibus à Paulo dicta nolim; id enim ab illius vrbanitate, & comitate est alienissimum; sed vt solertiam, atque industriam Epaphroditi laudet, qui cùm allatas à se eleemosynas ad Paulum extremè indigentem sustendandum satis non esse, perspiceret, alias ad id negotij aliunde conquisiuit. Similes

2. ad Cor. 8. 14. phrases sunt 2. ad Corinth. 8. 14. *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Ad hæc opportunior is mihi sensus videtur, quem offerunt Chrysostom. & Anselm. vt de personali Epaphroditi erga Paulum obsequio suę ciuitatis nomine exhibito, ipse loquatur: *Quidquid igitur* (inquit Chrysost.) *vestri ministerij mihi deerat, id ipse expleuit, vt hac etiam ratione dignissimus sit, qui multum honoris reportet, quoniam quòd omnes facere oportebat, hoc ipse pro vobis præstitit.* Iuuat vox Græca λειτουργία, pro qua Noster posuit *obsequium*, quæ frequentiùs sumitur pro publico ministerio: vnde inibi Chrysost. *Quid hoc est? Non aderat ciuitas, sed per illum omnis erga meo officio, ac ministerio functa est, nimirũ quod illũ misit.*

Chrysost. Anselm.

Chrysost.

Ad ea verba: *Vsque ad mortem accessit, tradens animam suam.*

ADNOTATIO I.

Egregij Prælati & Principis esse, nullum non laborem pro subditis perferre.

1. Græca Lect. Erasmus. DIXI ad vers. 27. Græcè pro *tradens animam suam*, esse, παραβουλευσάμενος, τῇ ψυχῇ, id est, vt vertit Erasmus, *non habita ratione vitæ*, siue *despiciens vitam suam*, vel magis propriè *perperam consulens vitæ suæ*: vbi etiam adnotaui Hispana phrasi Græci verbi significationem, & proprietatem optimè efferri. *Desamorado para consigo*: & si liceat verbum confingere, hoc omnino Græcum exhauriri, *Desquierome*; vt sit oppositum illi, *Bien me quiero*, vbi vides quò eant omnia, quæ in præcedentibus versibus pro egregij Sacerdotis & ministri Euangelici forma in Timotheo Paulus commendauit, in aliis verò Romanis Sacerdotibus reprehendit: de eo enim vers. 20. dixit. *Neminem habeo tam vnanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit*; de illis vero statim: *Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Nimirum tam pura affectione pro commisso sibi grege pastor debet esse sollicitus, adeóq; sua non quærere, sed despicere, *vt vsque ad mortem accedat, tradens animam suam.* Certè si attendis, hinc ipsorum culmen, & celsitudo consurgit,

Psal.46.9. dicente Vate Psal. 46. 9. *Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt*; sed quare vehementer eleuati? Quia videlicet. *dij fortes.* Quòd si inquiras, in quo hæc maxima fortitudo consistat: Respondet quinta Editio, & à Græcis Codicibus plures, qui Quinta legunt, *dij protectores*, siue *protectiones* 2. quasi ea Editio. Principum Ecclesiæ fortitudo & potentia sit (& idem etiam de sæculi Principibus iudicium esto) subditos tutari, atque eos ab ingruentibus periculis protegere, atque defendere, non ea solùm ratione, qua de auri sæculi principibus dicebat Seneca epist. 91. *Illo ergo sæculo, quod aureum perhibetur,* Seneca. *penes sapientes fuisse regnum, Possidonius indicat. Hi continebant manus, & infirmiores à validioribus tuebantur. Suadebant, dissuadebántque, & vtilia, atque inutilia monstrabant. Horum prudentia ne quid deesset suis prouidebat. Fortitudo arcebat pericula, beneficentia augebat, ornabátque subiectos, officium erat imperare, & non regnum*: sed etiam cum sui discrimine, salute vitáque illorum incolumitati posthabitis: vnde in Hebræo fonte pro *dij fortes terræ*, signatissime habetur *scuta terræ*; pulcherrima quidem imagine qua non solùm adstruitur exhibita subditis à Prælato, & Principe protectio, & imminentium malorum depulsio, sed notanter innuitur; eam Principum charitatem esse oportere, qua animam suam pro suis ponant, & velut obiectum scutum incurrentes subditis ictus in se suscipiant, & quidquid illis malorum imminet, ad se transferat. Sanè quasi *magna seruitus*, vt alibi dicebat Seneca, sit *magna fortuna*; nec delitiarum, aut quietis illecebra, sed laborum & molestiarum occasio sit. Ita quidem Synesius oration. de Regno. *Quam qui felicissimam Dei beneficio est adeptus* (de florenti fortuna Principum loquitur) *cuique in prima ætate magni Regis appellationem concessit, eum nullum non laborem perferre oportet, & ab omni vitæ commoditate separari: & somni quàm parcissimi, sollicitudinem autem plurimarum esse participem, si quis Regis nomen non immeritò velit obtinere.* Hæc Synes. Quæ Principes, & Prælati ob oculos semper habere, & in animo altè recõdere, & tenaciter retinere deberẽt.

Heb. Lect.

Seneca.

Synes.

Hinc emphatica locutione Dominus de seipso 2.
dicebat *Ego sum pastor bonus*, Ioan. 10. 11. Sed qua Ioan. 10.11.
de causa: Explicat statim: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*; quæ in Syriaca lectione epitasim Lect. Syr. habere videntur ex particula, *&*, sic apposita: *Et bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis*, vbi mihi non dubium, causalis vim de more Scripturæ eam particulam obtinere, vt sese explicans dicere videatur; ideo ego, & ego quidem solus pastor sum bonus, quia quod bonus pastor facere tenetur, animam meam do pro ouibus meis: ita postmodum ait vers. 15. *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrẽ,* Ioan.10.15. *& animam meam pono pro ouibus meis.* Sanè ob hanc rationem huius boni pastoris, siue Principis pastorum (1. Pet. 5. 4.) typum gerens Ionas Propheta, & sese pro nautarum, eorúmque qui in naui vehebantur, salute, maris fluctibus. ac certissimæ morti primùm addixit, inquiens: *Tollite me, & mittite in* Ion.1.12. *mare, & cessabit mare à vobis*, Ionæ 1. 12. & has subinde ad Deum preces fundebat, *Domine tolle* Ion. 4.4. *quæso animam meam à me; quia melior est mihi mors, quàm vita*, Ionę 4. 4. vtrobique nimirum velut scutum quod aduersarij ictus in se suscipit, vt eũ, quẽ protegit, incolumen reddat, extremum vitæ discrimen sibi diligens. vt subditi in pace, & securitate degerent. Vtrumq; ad Christum egregiè referente S. Maximo hom. 1. de Paschate; sic enim primùm. *Nisi Ionas peßundetur, naufraga nauis periculum non sedatur: sic, & non liberatur Ecclesia, nisi Christi morte saluetur.* Ad quem modum Ionæ verba sic postea

postea elucidat, *Dicit itaque Ionas in oratione sua.* Tolle igitur Domine animam meam, quia melior est mihi mors, quàm vita. *Dicat hoc rebus Dominus noster Iesus Christus,quia* melior est mihi mors quàm vita:*id est, viuens vnam Iudæorum gentem saluare non potui,moriar, vt mundus vniuersus vna morte saluetur.* Sed enim ad illa verba, *Melior est mihi mors;* iure dubites, cur dixerit, sibi potius, quàm iis qui salutem erant consecuturi meliorem, & opportuniorem suam mortē esse, cùm illis ipsa omnino expediens & necessaria foret:quo quidē modo idemmet Dominus dicebat, *Expedit vobis,vt ego vadam,*
Ioan.16.7. Ioan.16.7.& Diuinus Spiritus, mali Pontificis ore, *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, ne*
Ioan.11.50. *tota gens pereat,*Ioann.11.50. Sanè quòd vt priuato homini melior est vita,quàm mors & seipsum,quàm alium à vitæ discrimine custodire; ita Principi, atque Prælato,melior & viuacior est pro subditorum incolumitate mors, quàm vita, & illorum potius, quàm suæ saluti consulere.Sic Alexandro sapienter
Demosth. ingerebat Demosthenes.*Nihil in fortuna tua maius habes, quàm vt possis, nihil melius, quàm vt seruare, & benefacere velis.* Pulcherrimè magnitudinis fastigiū ad benefaciendi, & saluandi potentiam; summam verò bonitatis, & excellentis genij ad voluntatem ferendi subditis opem, & leuamen reuocans; ac si dixerit: Ne tibi, o magne, de imperio, cuius termini non alij quàm mundi sunt,tibi blandiaris cùm maius multo, ac excellentius sit, subditis benefacere,ac opem ferre: vnde quidem sanctus Basilius
S.Basil.Seleu. Seleuciensis oratione 6. de *Noe* Dominum cum magno illo Patriarcha sic loquentem facit. *Ad te duxi animalia, vt olim ad protoplastum. Tu verò pro paradiso illis arcam pande. Esto honoratior animantium Dominus,quàm Adamus:dedit ille nomen, tu salutem confer.* Optimè *honoratior dominus.* Nam vt honore dignus, qui nomen dedit, ita honoratior, & splendidior, qui opem, & salutem confert. Vt hinc videris:non adeò magnū esse in Principe, siue eius dignitatem, & magnitudinem non omnino implere:vacua nomina,atque vocabula,& titulos honoris suis impartiri nisi etiam salutem,atque omnē opem, & auxiliarem manum miseris populis,& afflictis rebus, siue iis,qui pro ipso sanguinem suum profundunt;liberaliter tribuat.

3. Quam equidem ad rem in præfatis Domini ver-
Lect. Græca. bis, *Ego sum Pastor bonus,* rursus obserua, in Græco fonte nomini *Pastor* præpositum esse articulū,quo Pastor ille vnicus designetur,qui boni Pastoris no-
Lect.Syriaca. men mereatur;atque ita lectio Syriaca reposuit:*Ego sum ille Pastor bonus,*vt dum Christus Dominus Pastorem se omnino & vnicè bonum inde ostendit, quòd nulla sibi è ouibus lucri siue victus, vestitúsue auida spe proposita, animam suam pro illis po-
Quintil. nat;occurrere videatur Quintiliani oratorum summi sententiæ, non probantis eam Homeri imaginem, qua Agamemnonem Græcorum Principem, Pastorem populorum appellauit: sic namque ille lib. 8. cap. 6. *At ego in agendo nec Pastorem populi,auctore Homero dixerim, nec volucres pennis remigare, licèt Virgilius in apibus, ac Dædalo speciosissimè sit vsus.* Reddit rationem. *Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit,plus valere eo, quod expellit.* At inquis. cur Pastoris imago Regis personam iusta similitudine non impleat, & locum eius omnino non occupet? Responderit opinor, Gregor. Nazianz. in Apologetico: Quòd amplius à Prælato, & Principe, quàm à Pastore exigatur; nimirum, quamuis is Pastor sit, qui verè, & simpliciter dixerit, *Die, noctùque æstu vrebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis,*
Genes. 31. 40. Sæpiùs tamen Pastores & lenti, ac ociosi ad diffusæ arboris vmbram ludibundi recubare,& è gregis lacte, & carnibus non omnino insipidè vesci solent, ac Principibus, atque Prælatis nec vllum vnquam otium licet,nec suas in subditorum gubernatione commoditates quærere, decorum est. Audi Nazianzenum multis hæc in hunc modum diffundentem: *Haudquaquam id esse existimabam, ac ne tum quidem existimo, gregi,aut armento præesse,& hominum animas moderari, illic enim quàm crassissimas oues, ac boues reddere sufficiat; idque sibi & Pastor,& bubulcus ab oculos ponens irrigua,& compascua loca explorabit, gregémque, & ad pascua ducet, & à pascuis educet,fessumque recreabit, & aliò amouebit, ac reuocabit, aliquoties quidem pedo,vt plurimum verò fistula:nihil porrò aliud negotium opilioni,aut armentario incumbit, quàm vt cum lupis nonnumquam pugnet; atque interdum etiam ægrotantem ouem, aut bouem inuisat. Magna autem temporis parte quercus ipsi, & vmbra, & fistula curæ erunt, & in commodo herba loco corpus sternere, atque ad gelidam aquam,& sub tenuissima aura lectulum ex tempore, ac rudi opera compingere;amatorium etiam quidpiam cum cissybio cantillare,ac oues,vel boues astari;eorúmque etiam pinguissimum quodque comedere,ac pretio addicere.Virtutis porrò ne leuissima quidem cura gregem vllum, aut armentum vnquam tetigit; quæ enim virtus eorum esse queat? aut quis eorum commodis, potius quàm suæ voluptati consuluit?* Hæc omnia Theologus. En primùm Pastoris imaginem,Principis,Prælatiue personam non implentem;quippe hi sua non quærere, & ad Epaphroditi morem *vsque ad mortem* pro suis subditis accedere, & animas tradere, siue ad minus perpetuis laboribus, ac assidua sollicitudine conficere debent. Persensit sanè hos muneris sui aculeos sanctus Damasus Papa qui occasione verborum Iacob, quæ nuper attulimus: *Die noctùque æstu vrebar, & gelu,& somnus fugiebat ab oculis meis;* grauissimè inquit epist. 4. *Si ergo sic laborat, & vigilat, qui pascit oues Laban; quanto labori,quantísque vigiliis debet intendere, qui pascit oues Dei?* ac si dicat; quantum homines potiores sunt, siue Christus Labano excellit; tanto maiores vigilias & grauiores,ac diuturniores labores pro subditis suis bonus Prælatus ac Princeps suscipere debet. En deinde rectissimè, atque opportunissimè Dominum sese dicentem bonum pastorem,& illum bonum Pastorem, qui vnicè bonus sit; cùm optimi Principis, siue Prælati nomen, atque personam ex Pastoris ratione omnino impleat; *bonus enim Pastor animam suam dat pro ouibus suis.*

(Gen. 31. 40. — Gregor. Naz. — S.Damas.)

Sed iam meritò ambigis; quónam modo solus 4.
Dominus vnicè bonus Pastor, siue vnicus ille Pastor,qui bonus sit,dici debeat? ex hac præsertim ratione quòd animam suam pro ouibus suis posuerit; cùm plures in Ecclesia boni Pastores extiterint, præsertim ij, qui vel animas suas pro ouibus suis cuiuis discrimini obiicere non recusarunt; vel qui reapse, pro illis mortem obierunt, Nónne bonus Pastor, ex Christi testimonio Petrus? Ioan. 21.15. Nónne bonus Pastor ille qui dicebat: *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris,* 2. ad Corinthios 12. 15. & alibi: *Quotidie morior propter vestram gloriam,* 1. ad Corinthiorum 15. 31. & ad Colossens. 1. 24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius,quod est Ecclesia.* Nónne bonus etiam Pastor Ioannes Chrysostomus, qui suos sic verè, & ex animo alloquebatur homilia 11. tom.5. à nobis longiùs adductus ad vers.26.adnotat.1.num.1. *Ego millies pro vobis immolari paratus sum. Non enim*

(Ioan. 21. 15. — 2 ad Cor. 12. 15. — 1.ad Cor.15. 31. — Ad Coloss. 1. 24. — Chrysost.)

propter

propter diuitias vestras mundi insidias patior, sed propter charitatem, quam erga vos habeo, quia omnia ago, vt vos proficiatis. Quomodo ergo solus bonus Pastor Christus? Respondet acutissimè Augustinus tractatu 46. in Ioannem: Apostolos quidem, & alios viros Apostolicos, bonos, sed non distinctos à Christo Pastores fuisse, quia mẽbra erant corporis Christi; ac proinde ex hoc loco non tam conuinci, egregios hosce viros, bonos Pastores non fuisse, quàm ostendi, omnes alios, qui ab hoc tramite recedunt, bonos Pastores nõ esse, cùm à norma à Christo proposita deflectant: sic namque Augustin. *Habet ouile Domini præpositos, & filios, & mercenarios. Præpositi autem, qui filij sunt, Pastores sunt. Si Pastores sunt, quomodo vnus Pastor, nisi quia sunt illi omnes vnius membra Pastoris, cuius sunt oues propriæ? Nam & ipsi membra sunt ipsius vnius ouis, qui sicut ouis ad immolandum ductus est.* Porrò huc magno iure aduoces monentem Paulum; *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; 1. ad Timoth. 3. 1. Sed quid fuerit, *bonum opus*? Occurrit S. Isidor. Pelus. lib. 3. epistol 216. sapienter capiens de arduo, ac perdifficili negotio, quod ægrè confici queat; & verò cum hac ipsa ratione Episcopatus labores, & sudores, & pericula, ac curas sic percensuisset. *Ad eum enim omnia ea, quibus subditi opus habent suspensa sunt: quæ tandem ista eorum, qui diuino cultui consecrati sunt explorationes, esurientium alimonia, sitientium pocula, nudorum indumenta, eorum quibus iniuria infertur, præsidium; eorum, qui orbitatem lugent procurationes; viduarum defensio, eorum, qui iniuriam inferunt, vltiones; eorum qui flagitiosè, ac sceleratè imperium gerere conantur, reprehensiones, ægrotorum curationes; eorum, qui ob tentationes offenduntur, correctiones: eorum, qui in vinculis tenentur, solutiones; eorum, qui in calamitatibus versantur consolationes, &c.* Paulum his verbis eos, qui dominandi cupiditate tenentur, deterrentem, & velut fræno cohibentem considerat, atque hunc in modum loquentem facit. *Si quis Episcopatum desiderat, labores intueatur; atque illud spectet, an ferendis illis par esse queat, Pericula conspiciat, (aduersus eum enim armis instruuntur inuisibiles, ac plerumque etiam visibiles inimici) ac non honorem suum animo perpendat. Mortes contempletur, non delitias: insidias, & curas conspiciat, non in voluptatem, animique remissionem oculos conijciat. Illud fiat, quod si quis ad hunc thronum euehatur, idcirco instituitur, vt legitimè certet, non autem vt citra periculum in luxu, ac delicijs versetur.* Hæc & multo plura in hanc rem Isidorus.

August.

1. ad Timoth. 3. 1.

Isid. Pel.

5. Hinc certè ex præfata boni Pastoris ratione, & norma à Christo proposita, atque obseruata non omnino abs re huc referas Apostoli verba ad Coloss. 2. 15. de ipsomet Domino pro ouibus suis in cruce animam dante: *Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, vbi obserua Tertullianum, siue Nouatianum hæc verba sic legere. *Exuens se carnem, potestates dehonestauit*; & eodem penè modo Hilar. lib. 9. de Trinitat. & August. lib. 16 aduers. Faustum, cap. 29. *Exuens se carnem, principatus, & potestates exemplauit*: vt sensus fuerit Christum carnem, & mortalitatem pro suis subditis exuens, suo exemplo humanas potestates, atque eos sæculi Principes, qui carnibus potiùs subditorum aluntur, & quæ illorum sunt sibi assumunt, & induunt, vel saltem pro ipsis nihil sollicitudinis, nullúmque periculum subeunt, dehonestasse, & ludibrio, ac contemptui proposuisse, ostendens illos à vera principatus ratione omnino aberrare, ita penè Hilarius lib. 1 de Trinitate post principium hunc locum sic efferens. *Ad vltimum in homine passus, vt potestates dehonestaret, dum immortalis ipse, neque morte vincendus pro morientium æternitate moreretur.* Vis videre Principes dehonestatos, & ignominiæ expositos? Audi eumdem Dominũ Isaïæ cap. 23. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Pendo singula, quòd omnia è re nostra sint. Et primùm quidem nimis verè ad hæc verba dixit Arias Montan. *Vtinam horum omnium locorum ex nostris moribus non esset adeò aperta explicatio.* Sed ad rem. Certè pro *infideles*, plures vertunt declinantes, deflectentes: quasi à muneris præscripto, & ratione discedentes, quæ lectio nostræ Vulgatæ *infideles* eos compellanti, hoc est, debitam officio fidem non seruantes benè congrui. Sed obserua, Hebræam vocem *Zorbechim* propriè de iis dici, qui suo arbitrio, suáque cupiditate ducuntur; quod quidem, vt cuius homini indecorum, ita Principi, & magistratui maximè turpe, ac fœdum esse videtur: iis enim nihil pro suo arbitrio, nihil pro sua cupiditate meditandum, siue agendum fuerit; immò proprio ingenio, & innata sibi propensione exutis omnia ad aliorum vtilitatem, & commodum dirigere, atque instituere debent, quod si secus faxint, meritò *infideles* habebuntur: nec infideles solùm, sed etiam *socij furum*, id est, furibus adsimiles, phrasi vsitata in Scriptura, quia qui sunt similes, socij dicuntur: vt Iob 30. 29. *frater fui draconum, & socius struthionum*: non tam quòd aliena rapiant, quàm quòd, qui ex dignitate & munere aliis benefacere, & opem ferre deberent, sibi solis consulant, atque prospiciant. Sic sanè Christus (vt hoc cap. vers. 7. adnot. 9. num. 8. ad finem monui) iis qui ipsum comprehensum veniebant dixit. *Tanquam ad latronem existis, &c.* Matth. 26. 55. vide ibi: siue etiam quòd seipsos muneri suo furentur, & qui se totos aliorum bono addicere deberent, sua tantùm quærant, atque procurent. Vnde subiicit, *Omnes diligunt munera*: hoc est, se suáque curant, non quæ ad alios spectant: id quod etsi in priuatis hominibus non adeò indecens esset, in Principibus tamen, & magnis viris qui publico bono nascuntur, omnino intolerabile censetur. Sed audi Bernard. sermone 77. in Cant. *Non omnes sunt amici Sponsi, quos hodie Sponsa hinc inde assistere cernis, & qui, vt vulgò aiunt, eam quasi addextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt, quærant, ex omnibus charis eius.* Diligunt munera; *nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati circumamicti varietatibus tamquam Sponsa procedens de thalamo suo; nonne si quempiam talium repentè eminùs procedentem aspexeris, Sponsam potius putabis, quàm Sponsæ custodem?* Benè quidem ex munerum dilectione inferens infidelem Principis, ac Prælati animum, qui subditos suos non diligat, nec muneri suo satisfaciat. Nec secus premit hæc verba Petrus Damianus lib. 2. epist. 2. ad S. R. E. Cardin. inquiens: *Dicet aliquis; Ego quidem nihil quæro, sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic non notantur ij, qui munera quærunt, sed qui tantummodò diligunt.* Pergit verò Bernard. & animum muneribus auidum, manus non fore contenturum quin eas rapinis corrumpat, sic admonet. *Vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam? vestium splendorem? mensarum luxuriem? congeriem vasorum argenteorum, & aureorum, nisi de bonis Sponsæ? Inde est quòd illa pauper, & inops & nuda relinquitur facie miseranda, inculta, hispida, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare Sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere, non est instruere, sed prostituere; non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare,* dicente

Ad Col. 2. 15.

Hilar.
August.

Hilar.

Isa. 1. 23.

Arias Mont.

Hebr. lectio.

Iob 30. 29.

Matt. 26. 55.

Bernard.

S. Petr. Dam.

Bernard.

dicente de illis Domino. Qui deuorant plebem meam,vt cibum panis. Sic ille.

6. N[illegible] illud quidem tanquam certissimum adde[illegible] non subditorum modò, sed ipsorummet Principum ruinam sæpe sæpiùs inde [illegible] ducere: sic quidem de Babyloniorum ide[illegible] bat Isaias ca[illegible] Isa.46.1.
Nab[illegible]
tis,oner[illegible]
Con[illegible] & contrit[illegible]
saluare portantem, [illegible]
ibit. Egregius [illegible]us, acc[illegible]tione dignus: & verò si attendis, idolo[illegible]m casum, atque confractionem eò refert, quòd ipsorum simulacra magna auri, & argenti vi constarent; totúmque id pondus c[illegible]ruicibus miserorum hominum illa portantium; nulla inter oneris, & portantis vires seruata proportione, & æqualitate, incumberent; ideo dixit: *Facta sunt simulachra bestijs, & iumentis:* id est,non humanis humeris, sed bestiarum dorsis æqualia, ac si hac imagine adumbrentur ij Principes, atque Prælati, qui infirmorum onera nolunt sustinere, sed sibi ipsis, suæque magnitudini, & commoditati omnino prospicere, nihil de illa remittentes, vt subditos leuent; quod sanè super ipsos tandem recidit: nam *vis consilij expers mole ruit sua. Confractus est* (inquit) *Bel, contritus est Nabo.* Quare? quia *onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem.* Et videor mihi videre ea idola dicentia. Quid? nónne nobis totam nostræ magnitudinis mensuram implere fas fuerit; ac proinde quidquid auri, & argenti fuerit nostræ staturæ necessarium exposcere? Sed enim suusmet illis casus, atque excidium respondet; minimè id ipsis expediens fuisse,sed potiùs de iure suo plusculum remittere; vt à subditis commodiùs gestarentur. Cui cogitationi optimè inseruit, quod in verbo *confractus* sic pensitauit Forerius ibi: *Vulgatus confractum dixit, pro incuruatum: nam tunc idola,quæ nec iuncturas, neque flexibile dorsum,neque genua habent,incuruari dicuntur,quando confringuntur.* Quæ verba eò detorqueo,vt affirmem, ideo tandem hæc idola conteri,atque confringi,quòd nec iuncturas, nec flexibile dorsum, aut genua habeant, id est,quòd ad subditorum vtilitates, & populorum leuamen inflecti atque demitti nesciant, sed semper erecta, & inflexibilia de magnitudine, ac vtilitate sua; siue de sua pompa, & ingentibus sumptibus nihil remittant, super subditorum capita semper incedentia, quin illorum laboribus,atque sudoribus parcant. Forer.

Ad ea verba, *Tradens animam suam*, &c.

Adnotatio I.

Amicitiam non in proprios, sed in amici vsus etiam cum discrimine, & iactura deriuandam.

1. Vetus illa quæstio fuit, hodierna etiam tempestate, non tam speculatiuè,vt aiunt, quàm practicè, vltrò citróque controuersa, & peiorem forsan in partem dirempta. Quis tandem amicitiæ scopus,finisve sit?ob quam videlicet causam amici,optandi,quærendi,ac de-

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. num. 2.

lige[illegible] vsus? Et ea o[illegible] apud Senecam e[illegible] ergo [illegible] Ar[illegible]s siquidem [illegible] sic Epicurus, in [illegible]sententiam [illegible] cru[illegible]um vulgus [illegible]uriu vadit. Sed [illegible]or, opinor, illius auctor, siue an[illegible]xtitit Epicurus, cùm antiquissimum ab [illegible]di incunabulis patre[illegible]num hic sensus h[illegible] quippe primus parens, qui blandis suæ vxor[illegible] verbis,& precibus delinitus Dei præcepto co[illegible]ire non dubitauit, cùm ab ipso ob immane flagitium reprehensus fuit, suam defensionem inde opportunè suscipiendam censuit,si propriam culpam, & comm[illegible]itam pœnam in charissimam vxorem reiiceret atque transferret, ipsam sibi pro scuto, quo [illegible] muniret, assumens; sic enim ait Genes. 3. 12. *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi de ligno, & comedi:* ac si diceret, ipsa vt mihi fuit culpæ auctrix,ita & pro me supplicium etiam sustineat, id sic adnotante Bernardo sermone 1. de Annuntiat. Virginis: *Adam quoque indignationi diuinæ mulierem,pro qua peccauerat,obiecit, quasi post tergum eius volens declinare sagittam.* Et statim: *Et Adam qui mulieri malè misertus est,vt cùm ea peccaret,bene noluit misereri, vt pœnam sustineret pro ea.* Vides semen,ex quo Epicuri fructus pullulauit? Gen.3.12. Bernard.

Iam si germanum Adæ filium, fidelémque discipulum qui illius vestigia omnino premat, velis videre; inquirito quanam de causa insignis impietate Rex Achab bonum Principem Iosaphat sociali sibi fœdere coniunxerit,& arctissimis amicitiæ vinculis copulauerit; nec verbis magnificis contentus toti exercitui in prælij administratione præfecerit; regium ei splendorem, & munus relinquens,vulgari,atque communi cum aliis militibus habitu à se assumpto: hoc enim significant illa verba 4.Reg. 22.30. *Sume arma, & ingredere prelium, & induere vestibus tuis. Porro Rex Israël mutauit habitum suum & ingressus est bellum:* vt dicere videatur Castris ô amice,vt belli dux,& dominus exercitus impera rémque totam tuo arbitratu guberna; mihi enim priuatum militem sub signis tuis agere,satis ad decorem,& ornamentum erit. Et verò si tibi nonnulli auctores suggesserint,regio id Achabi ingenio,atque vrbanitati fore tribuendum,quasi ipse hospiti,& amico primas in exercitu partes dare voluerit, minimè credas; immò potiùs illis assentire, qui sacrum textu bene pensitantes,ex illius filo,& serie coniectant, malignum hoc Achabi inuentum, atque artificium fuisse, vt propriæ incolumitati consulens omnium hostium tela coniurato impetu in ipsum intenta in amici caput transmitteret, quippe ipse ex suis nuntiis, & exploratoribus optimè nouerat,dirum sui hostem Regem Benadab suis militibus præconio edixisse, vt totum belli pondus in Regem Israël incumberet. Etenim post præfata verba, *Porrò Rex Israël mutauit habitum suum, & ingressus est bellum;* pergit sacer scriptor. *Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra maiorem, nec contra minorem quempiam, nisi contra Regem Israël solum.* Quod sanè videtis ad exitum perductum,namque ad regium splendorem,qui in vno Iosaphat relucebat omnes aduersi exercitus Principes conuenerunt totam in ipsum aciem, atque impetum dirigentes. En Achabum optimi amici specimen dantem, atque ex Epicuri doctrina 2. 4. Reg. 22. 30.

doctrina non nisi ad vsus amicum parantem; & iurato fœdere sibi coniungentem, vt illius discrimine certóque periculo se ipsum communiter, & vt germana Adami proles imminentem sibi diuinæ iræ sagittam post amici tergum declinaret, atque illo tanquam scuto repelleret; nimirum *vir quidam in incertum sagittam dirigens casu percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum*, 3. Regum 22.34. Vides, quem ille animum, quam mentem in amico deligendo, & ornando haberet? vt post illius videlicet tergum declinaret sagittam.

3 Reg. 22. 34.

3. Contrà quidem à Paulo edoctus Epaphroditus pro amicorum salute malè sibi consulens, & propriam salutem pro amicorum vsu egregiè contemnens, nec solum pulchra hæc Gentilis Senecæ illi æuo coëxistentis sensa exprimens: *In quid amicum paro? vt habeam pro quo mori possim; vt habeam, quem in exilium sequar, cuius me morti opponam, & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia, quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.* Sic Seneca epist. 9. diuina Pauli vestigia veris factis inania Senecæ verba obruentis premens: ita enim Apostolus 2. ad Corinth. 12. 15. *Ego autem libentissimè impendam, & super impendam pro animabus vestris, licèt plus vos diligens minus diligar*; vbi facilè videris, quàm longo interuallo Christiana doctrina, Paulique charitas, ethnicæ eloquentiæ, siue arrogantiæ excellat. Vt quid enim iactabat Gentilis se amicum parare? *Cuius me morti*, inquit, *opponam, & impendam.* Quid iam Paulus, & Epaphroditus non verbis, sed reapse ostendunt, præstántque? *libentissimè impendam, & superimpendam*, quasi parum fuerit, salutem, vitámque semel impendere, nisi iterum, atque iterum, immò & millies superimpendant; nouos vitæ, mortísque vsus præ amoris magnitudine excogitantes, vt amicorum saluti proficiant, eísque ancillentur; at, quibus quæso amicis tam egregium insolitumque obsequium præstare gestiebat Paulus tepidis sanè, & in amore frigescentibus, *licèt plus vos diligens* (inquit ille) *minus diligar.* In quæ verba Chrysostomus, *& quod maius est, hæc omnia ijs præstabat, a quibus non magnopere diligebatur.* Aptaueris hic opportunè egregium Pyladis, atque Orestis exemplum non ab Ethnicis modò, sed à Nazianzen. etiam orat. in laudem Basil. & à Lactantio lib. 5. cap. 17. celebratum, quorum alter ob crimen mori debuit, alter ob amicitiam, vt socium è morte eriperet, mori voluit, quod nescio quis sic appositè exposuit,

Seneca.

2. ad Cor. 12. 15.

Chrysost.

Nazian. Lactant.

Eadem innocentem pœna, quæ sontem premit.
—— Verè tyrannus est Amor.

4. En veræ charitatis, atque amicitiæ faciem, simúlque illius à cupiditate, insanóque amore discrimen. Quid enim amicitia, quid verus amor spectet; nisi amici bonum & vtilitatem; quod sibi proponat commodum, præter id quod ex ipsamet amicitia oritur, atque efflorescit? Quò verò turpis cupiditas nisi ad lucrum, ad negotiationem, ad mercaturam eat? Audi amicitiæ diffinitiones ipsis etiam Ethnicis probatas; sic enim Cicero libro de amicitia. *Amare autem, nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames, nulla indigentia, nulla vtilitate quæsita, quæ tamen ipsa efflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus sis secutus.* Et lib. 2. de natura Deorum, *Amicitiam, si ad fructum nostrum referamus, non erit ista amicitia, sed mercatura quædam vtilitatum suarum.* Ad quem modum Ambrosius lib. 3. officiorum cap. vltim.

Cicero.

Nihil ipse commodi tui causa inhonestum petas, non enim vectigalis est amicitia, sed plena decoris, & gratiæ: virtus est enim amicitia, non quæstus, quia non pecunia quæritur, sed gratia, nec licitatione pretiorum, sed concertatione beneuolentiæ. Sic Ambrosius. Eunucleatiùs Augustinus, siue Cassiodor. lib. de amicitia, *Quid sit vera amicitia nondum nouit, qui vult, aliam esse mercedem, quam ipsam. Vita enim corporis pro amico ponenda est, & nihil eorum negandum, quæ licent.* Enim verò hac de causa beatus Iob non fracto, siue demisso animo, sed excelsa, & admonitoria voce, amicos suos sic alloquebatur cap. 19. 21. *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*; nec enim tam debitum eorum erga se obsequium his verbis desiderare, quàm officij illos admonere videtur: ac si diceret, en tempus, atque occasionem in quam amicum parastis, en scopum, in quem amicitiam direxistis, en rem incertam, in qua amicus certus cernitur: id pulchrè adnotante Ambrosio citato loco, vbi cùm dixisset; *Iuuemus consilio, conferamus studia, compatiamur effectu, si necesse est, toleremus propter amicum etiam aspera; plerumque inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpè obtrectationes: si resisteris, vel responderis cùm amicus arguitur, & accusatur, nec te pœniteat eiusmodi offensiones. Iusti enim vox est. Et si mala mihi euenerint propter amicum sustineo. In aduersis enim amicus probatur.* Statim ad Iobi verba, sic ait: *Non quasi abiecta vox ista est, sed quasi censoria. Nam cum iniustè argueretur ab amicis: respondebit*: Miseremini mei amici, *hoc est, misericordiam debetis facere. Opprimitis autem vos, & impugnatis hominem, cuius ærumnis compati pro amicitia vos oportebat.*

Ambros.

August.

Iob 19. 21.

Ambros.

Hæc ad Christianam disciplinam signatissimè pertinent; monente Domino Ioan. 15. 12. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Quo in loco frequentiùs quæritur, qua ratione assertor hoc dilectionis præceptum, suum singillatim vocauerit, sicut & alibi *mandatum nouum*, peculiari formula appellauit Ioan. cùm iam olim in Decalogo, immò & ipsa naturæ lege omnibus fuerit sancitum, vt mutuum charitatis officium alij aliis persoluant? Et verò dum huic nodo varias adhibent interpretes solutiones, expeditissima, nostróque instituto peropportuna videtur; quam ad id loci affert S. Cyrillus Alexandrinus in Ioann cap. 23. vim faciens in illis verbis, *sicut dilexi vos*: vt non de quacumque dilectione, sed de ea, quæ inter omnes diligendi modos maior & eminentior est, dum ad Christi imitationem sese ipsi mortis discrimini quis offert, quippe *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, Ioan. 15. 13. sermo sit. Audi Cyril. aureo orationis decursu hæc sic explicantem: *Quomodo igitur mandatum istud nouum est, quod in veteri lege constitutum est? sed vide quæso quod sequitur*: sicut dilexi vos; ita & vos diligatis inuicem. *Vt ergo nouitatem præcepti facilè intelligamus, rimemur diligenter, quomodo nos Christus amauit. Cùm igitur* in forma Dei esset, factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; ita cùm esset diues, factus est pauper, *vt ipse Paulus rursus testatur. Vides nouum, & inauditū dilectionis modum? lex enim fratrem diligendum esse ait, sicut se ipsum Christus autem magis nos, quam seipsum amauit.* Et post nonnulla in hanc rem. *Nouus, atque inauditus huius dilectionis modus, quo nos affici iubet, nihil omnino dilectionis fratrum*

5.

Ioan. 15. 12.

S. Cyr. Alex.

2. ad Cor. 8.

fratrum anteponentes, non gloriam, non diuitias, non corporis huius mortem, si opus fuerit, pro salute fratris mori. Quod a beati Saluatoris discipulis factitatum esse videmus, quódque omnes qui vestigia eorum sequuntur, libenter faciunt, vitam suam pro salute aliorum contemnentes, omnem laborem, omne periculum subeuntes, ac demum morientes, vt à perditione hominum animas liberent. Propterea Paulus quotidie mori se ait. Hactenus Cyrillus. Pro quo
Chrysost. egregiè fideiuber Basilius apud Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio: Etenim, cùm cuidam amico in vincula coniecto eam animosè, ac fideliter ferret opem, quæ ipsummet auxiliatorem in vitæ discrimen adduceret, eáque de causa ab aliis amicis, vt vitæ prodigus, & qui ad mortem per proprios pedes rueret, argueretur; suauissimis hisce verbis ipse iis occurrebat. *Aliter amare non didici, nisi vt vitam meam in discrimen adducam, dum periclitantem amicum liberare, opus est.* Sed & pro Basilio sic etiam spondet Nazianzen.
Nazianz. orat. in eius laudem. *Nec nobiscum Gentiles Orestes suos, & Pylades vllo modo conferendos putabant, nec Molionidas illos Homerico versu celebratos, quos calamitatis societas, atque ars egregiè aurigandi nobilitauit, eodem tempore frena, & verbera inter se partientes.* Sic ille.

6. Huic Christianæ dilectionis præstantiæ, mirè accinit Paulus, anathema exoptans esse pro fra-
ad Rom. 9.3. tribus suis, ad Romanos 9. 3. *Optabam enim ego ipse* (inquit) *anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*; sed fuerit operæpretium hæc verba cum illis componere, quæ ardentissimus Israëliticæ plebis amator, dum pro illa ad Deum preces funderet,
Exod. 32.31. sic illi ingerebat: *aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, Exod. 32. 31. Etenim, vt hæc egregiam Moysis erga populum charitatem indicent, excellentiorem quidem amoris modum illa Pauli præ se ferunt; nimirum Moyses cum suis extingui atque deleri volebat; Paulus verò non cum suis, sed pro suis extingui, morique exoptabat; præclarè id in Pauli gratiam sic obseruante, atque expendente Chrysostomo homil. 1. de laudibus Pauli:
Chrysost. *Moysem profectò Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius quidem sunt multa alia præclara. Sed caput illius sanctæ animæ, atque fastigium est, quoniam pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ: sed Moyses cum cæteris optauit perire, Paulus pro cæteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarentur alij, ipse de gloria æternitate decidere.* Ita Chrysostomus. Cui quidem non dubium,
Seneca. quin subscripsisset Seneca, eam omnium perfectissimam amicitiam censens, pro qua homines moriuntur: sic enim ille epistola 6. *Tunc amicitia nostra certiorem fiduciam habere cœpissem, illius veræ quam non spes, non timor, non vtilitatis suæ cura diuellit: illius, cum qua homines moriuntur, & pro qua moriuntur.* Sic Seneca.

7. Sed & huc singillatim retulit Paschasius lib.
Paschas. 4. in Matthæum cœlestis portæ angustias Do-
Matth. 7.13. mino Matth. 7. 13. sic nos vrgente: *Intrate per angustam portam*; quæ de charitate in Deum, & proximum ipse explicat. Quòd si illi obieceris, portæ angustias charitati non concinne aptari quæ alta, lata, profundáque à Paulo esse dicitur
ad Ephes. 3. 18. ad Ephesios 3. 18. *In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Respondebit, latissimam quidem charitatem esse, & capacissimos habere sinus, quibus amicos, inimicósque excipiat, at simul in magnas redigi angustias, dum amicum vsque ad aras diligere, siue pro ipso mortem perferre debet. Audi illum. *Satis itaque excelsa est, dum vsque ad amorem Dei erigitur; satis verò deorsum angusta, cùm etiam pro amore proximi nos mori velle, atque inimicum diligere iubet.* Pergebat quidem hac via Dominus, cùm Iudæis in illum sæuientibus, & lapidare volentibus, ad salutem tamen amico Lazaro impertiendam accersitus quasi per proprios pedes ad mortem ibat: *Eamus* (inquit) *in Iudæam.* Vnde discipulis occurrentibus, & à cœpto itinere hunc in modum eum deterrentibus: *Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc*, Ioannes 11. 8. facilè ex Christi nomine obuiam ieris; hanc esse amicitiæ legem, vt cum ea homines moriantur, & pro ea moriantur: nec alia ipsum Dominum mente Lazarum sibi amicum parasse, nisi vt haberet pro quo mori posset, cuius se morti opponeret, atque impenderet. Nec illud hoc loco prætereundum fuerit, bonum Dominum sic inter se, & amicos suos præfatas Senecæ, & Epicuri illæ amicitiæ sententias numero 1. positas fuisse partitum, vt sibi amanti delegerit, amicum parare, vt habeat pro quo mori possit, cuius se morti, ac periculo impendat; amico verò eam præscribere normam, vt iuxta Epicuri doctrinam ea ipsum de causa in amicum assumat, vt habeat qui sibi ægroto assideat, succurrat in vincula coniecto, vel inopi: sic nimirum Deo per Vatem conclamante Psalm. 49. 15. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, &c.* Nec latebat id Lazari sorores, quæ hoc ei vnum scripsere, *Ecce quem amas, infirmatur.* nam *amanti* (vt inquit Augustinus) *solùm nunciandum fuit.* Vnde impio Regi Asa illud signatè vitio vertitur, quod in infirmitate sua Deum subuenire paratum non inuocauerit; sic enim 2. Paralipomenon 16. 12. *Ægrotauit Asa dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est.*

Ioan. 11.8. — Psal. 49.15. — 2. Paral. 16. 12.

8. Hæc Christi, hæc Pauli, atque eorum qui sano pectore sapiunt, de amicitia sententia. Enim verò nostri homines, qui Adæ spiritum sibi ebibere didicerunt, Epicuri doctrinam, & Achabi exemplum sequi malunt, in vsus proprios amicitiam deriuantes. Sic Ionas arefactam hederam non mediocriter dolebat. Quare? num quòd ipsa periisset? Minimè, sed quòd illum æstuantem antea protegeret, atque recrearet; ita enim Ionæ 4. 6. *Et præparauit Dominus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum; laborauerat enim, & lætatus est Ionas super hedera lætitia magna.* Vnde sic statim cum illo disertissimè Dominus disceptabat. *Putas ne bene irasceris tu super hederam? & dixit, Bene irascor ego vsque ad mortem. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret, &c. & ego non parcam ciuitati Niniue, &c.* Preme illud, *Tu doles super hederam in qua non laborasti*, inest enim iis verbis is aculeus, ac si dixerit Dominus; Non de illius tu malo, nec quòd illam feceris, aut auxeris, siue erga illam amicè te gesseris, sed de tuo tantùm incommodo doles, quippe qui ad tua solùm respicis. Ion. 4.6.

Aliter quidem ego, qui cùm nullum de Niniue exitio percipiam detrimentum, non possum tamen de illius excidio non dolere; atque illius saluti omnimodis prospicere, quòd hæc veri amici lex sit, vt amet nulla indigentia, nulla vtilitate quæsita, non enim vectigalis amicitia est. Iam verò qui è Adæ, siue è sæculi filiis mitiùs ea in re se gerunt, Iobi amicos imitantur ab afflicta amicitia diffugientes, & ad florentem aliam transuolantes, de quibus ipse; *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit*; siue, vt habent LXX. *Non respexerunt me proximi mei, sicut torrens deficiens*, Iob 6.15. vbi Didymus in Catena Græca, *Ad certum quoddam tempus id quod sunt, occulunt; in rebus autem afflictis amicorum palam cernuntur, amicitiæ larua detracta.* Sic Baal cultoribus suis extremè laborantibus, atque eius opem profusis oris, sanguinisque vocibus implorantibus in itinere & diuersorio demoratus manum porrigere nolebat, 3. Regum 18.27. Sic misero Iuda peccatum agnoscente, & ad amicos sibi priùs Scribas, & Pharisæos confugiente, malóque suo remedium siue consolationem efflagitante; illi ad hunc modum eius dolorem deliniebant: *Quid ad nos? tu videris*, Matth. 27. 4. Sic Ierusalem plorans plorabat in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, nec erat, qui consolaretur eam ex omnibus charis eius, Threnorum cap. 1 vers. 2. Quid simile de amico quodam Lucilli dicebat ad ipsum Seneca epist. 42. hunc in modum: *Meministi cum quendam affirmares, esse in tua potestate dixisse me, volaticum esse, ac leuem, & te non pedem eius tenere, sed pennam. Mentitus sum: pluma tenebatur, quam remisit.* Ita ille leuissimam amici fidem argutè carpens, qui facili negotio amicitiam desereret, atque hinc inde auolaret, est enim plura minus quàm penna, quæ vt toto corpore sparsa, ita leuissimo nisu auellitur. Hæc pro cap. 2.

LXX. Iob 6.15. Didymus. 3. Reg 18.27. Matth. 27.4. Thren. 1.2. Senec.

EPISTOLÆ
AD
PHILIPPENSES
CAPVT TERTIVM.

Verſ. I. *De cætero fratres mei gaudete in Domino, eadem vobis ſcribere, mihi quidem non pigrum; vobis autem neceſſarium.*

1\. NIHIL motor, vetùm illa verba, *De cætero fratres mei gaudete in Domino*; ad præcedentis capitis calcem, vt nonnulli pertinaciter contendunt; an verò ad huius capitis initium iuxta Vulgati partitionem, pertineant: nec enim hinc pendent fortunæ Græciæ, & vt aliqua ratio pro illa ſententia eſſet, haud dubium, quin communi lectioni multo maius pondus ex Vulgati auctoritate accedat. Quare iis ſolùm bene ſit innouare, quibus eſt innouandi cacoëthes. Vt vt ſit; gaudere Philippenſes vult Paulus, quòd nulla iam illis ſiue de rebus ipſius, ſiue de ægritudine Epaphroditi, ſollicitudo, aut timor ineſſe deberet; cùm & ipſe vinculis incolumem euaſurum perſuaſum omnino haberet, & priſtina valetudo Epaphrodito iam fuiſſet reſtituta; hæc ſic optimè obſeruante Chryſoſtomo: *Mœrebant, quod quomodo ſe res Pauli haberent, ignorabant, mœrebant, quòd ipſum obiiſſe exiſtimabant. mœrebant ob Euangelium, ob Epaphroditum. Igitur de omnibus his rebus animum illis explens, ſubiungit,* De cætero fratres mei gaudete. *Non habetis, inquit. poſthac cur mœreatis. Habetis Epaphroditum, ob quem dolebatis, habetis Timotheum, ego etiam aduenio, Euangelium procedit, quid iam vos amplius angat? Gaudete.* Sic Chryſoſtomus, & ab eo Theophylactus. Congruit illud, *de cætero*, Græcè τὸ λοιπὸν, id eſt, *quod ſupereſt*, ſiue *quod reliquum eſt*. Hiſpanè, *lo que reſta ya.* *Chryſoſt.* *Theoph.*

Fratres mei.

Idem. THeophylactus, *Galatas filios appellat Apoſtolus, quia correctione, & emendatione indigebant: hos verò fratres nominat. nam honorificè cum eis loquitur.* Sumpſit à Chryſoſtomo.

Gaudete.

2\. NOn eſt dubium, quin de interna animi lætitia, & hilaritate ſermo ſit; vt explicat Theodoretus, aiens: *Omni lætitia ſpirituali impleamini*; ſed enim non omnino abs re quiſquam dixerit, mœrentes, afflictóſque Philippenſes ad decoram, & iuſtam exhilarationem, modeſtámque oblectationem à Paulo inuitari. Quod & illud *in Domino*, videtur innuere, modum, terminum, atque ſpiritum recreationi tribuens; vt notare videtur Anſelmus, explicans: *Non gaudeatis in carnalibus, & ſæcularibus, vt Pſeudo Apoſtoli ſuadent, ſed in Domino*; & ipſamet ratio & paterna Pauli erga Philippenſes viſcera ſuadere videntur. Sanè cùm hominis natura nec ferrea, nec ſaxea ſit, leuamine, atque recreatione ipſomet Deo auctore ſæpiùs indiget. Sic enim egregia illa fœmina Geneſis 21.6. *Riſum fecit mihi Dominus*, ad quæ verba Philo lib. Quod deterius potiori inſidietur, ſcitè ait, *Opifex eſt Deus boni riſus*: vnde peculiaris quidem eſt virtus, quæ hominem ad honeſtum gaudium, atque oblectationem inclinat, feſſos, ſiue mœrentes animos opportuna quiete, atque lætitia demulcens, vti S. Thom. 2. 2. quæſt. 168. & Ariſtot. lib. 4. Ethicorum cap. 8. admonuerunt; immò verò ad ipſiuſmet naturæ curam, ac proinde ad rem etiam, medicam pertinere, medicorum princeps Hippocrates cenſuit, qui in libro de flatibus, laborem inter morbos aſſignat, & eius medicinam, *laboris vacuitatem* aſſerit. A quo non it Gregorius Nyſſenus libro de opificio hominis, cap. 13. inquiens: *Perneceſſaria enim res eſt ad conſeruationem corporis tempeſtiua remiſſio*; paulò antè, *Nam ſi ſemper vires animalis contentæ ſint, frangi, ac dirumpi tandem membra ſupra modum tenta neceſſe eſt: contráque corporis continua relaxatio rei quaſi corruenti, ac diſſolutæ interitum affert. Vſus autem vtriuſque tempeſtiuus naturam conſeruat, quæ in perpetua rerum ſibimet aduerſantium permutatione nunc hac, nunc illac ſe recreat.* Vnde Auguſtinus lib. 2. de Muſica, ſic monet: *Volo tandem tibi parcas; ſapientem enim interdum remittere aciem rebus intentam decet.* Et Seneca, rigidus ipſe, & Stoïca ſeueritate imbutus in eandem ſententiam dicebat epiſt. 15. *Neque ego te iubeo ſemper imminere libro, aut pugillaribus. Dandum eſt aliquod interuallum animo, ita tamen, vt non reſoluatur, ſed remittatur.* Et lib. de tranquillitate animi inter paræneſes ad illam obtinendam hanc ponit. *Danda eſt remiſſio animis; meliores, acrioréſque requieti ſurgent; vt fertilibus agris non eſt imperandum; citò enim exhauriet in illos nunquam intermiſſa fœcunditas, ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paulum reſoluti, ac remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio quædam, & languor.* Hæc ille, & multo plura; ſic tandem concludens: *Theodor.* *Anſelm.* *Gen. 21.6.* *Philo.* *S. Thom.* *Ariſtot.* *Hippocr.* *Gregor. Nyſſ.* *Auguſt.* *Senec.*

Indulgendum est animo, dandúmque subinde otium, quod alimenti, ac virium loco sit. Nec omittendi suauissimi poëtæ egregij versus,

Statius.

Sed tu dum nimio possessa Hyperione flagrat
Torua Cleonai iuba syderis, exue curis
Pectus, & assiduo temet furare labori,
Et fontes operit pharetras, arcúmque retendit
Parthus, & Eleus auriga laboribus actos
Alphæo permulcet equos; & nostra fatiscit
Laxatúrque chelys.

Hæc Statius: & eadem imagine vsus Ouidius in epistolis, Phædræ nomine sic ait:

Ouidius.

Arcus, & arma tua tibi sunt imitanda Diana,
Si nunquam cesses tendere, mollis erit.

Sanè adeò vsque est verum, ad virtutem pertinere, interdiu gaudere, & honestis oblectamentis ad labores dissoluendos vti, vt hæc aspernari, agreste, atque subrusticum vitium fuerit, vt citat. loco Ethicorum admonuit Aristoteles: & verò, vt peculiare illi nomen non indiderit, apposuit quidem M. Tullius, qui in partitionibus immanitatem appellauit his verbis: *Temperantiam imitatur immanitas quadam in voluptatibus aspernandis.* Quare, quos hîc immanes, & alibi *homines sine sensu* appellat: de quibus sic etiam Seneca epistol. 3. sic vtrosque *reprehendus, & eos qui semper inquieti sunt, & eos qui semper quiescunt. Nam illa tumultu gaudens, non est industria, sed exagitata mentis concursatio* &c.

M. Tullius.

3. Vt hinc iam non fuerit mirandum, rem & virtuti, & naturæ consonam tum à magnis viris complexam, tum ad ipsummet ius ciuile, quod hominibus iustam viuendi legem præscribit, fuisse relatam; atque ideo Imperatores qui toti orbi iura reddebant, ad ludicras etiam res componendas non in mediocrem prouidentiæ suæ partem deriuasse. Et quoad primum quidem de Socrate Seneca, de Augusto Suetonius cum pueris iocati, & ludere suo tempore solitos, auctores sunt; sic enim Seneca præfato lib. de tranq. anim. *Nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens est, sed ad iocos reuocanda; cum pueris Socrates ludere non erubescebat.* Similiter Suetonius in Octau.

Sueton.

Seneca.

Ad quem modum Amasidis Regis Ægypti sapientiam commendat Herodot. in Euterpe, quòd grauissimis regni curis perfunctus, publicisque negotiis assiduè confectis, pomeridianis horis, tempestiuis oblectamẽtis frueretur; sic etiam Pythagoram post indefessam totius diei exercitationem tibicini, *vt molliora caneret*, imperasse solitum, vt homo totus in symbolis inde moneret, dandam etiam animo remissionem; refert Laërtius in eius vita: & de aliis egregiis viris sic Seneca iam citatus. *Et magni, vt dixi, viri quidam sibi menstruas certis diebus ferias dabant, quidam nullum non diem inter otium, & curas diuidebant. Qualem Pollionem Asinium Oratorem magnum meminimus, quem nulla cura vltra decimam retinuit. Ne epistolas quidem post eam horam legebat, ne quid noua curæ nasceretur, sed totius diei lassitudinem duabus illis horis ponebat. Quidam medio die interiunxerunt, & in post meridianas horas aliquid leuioris operæ distulerunt. Maiores quoque nostri nouam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetabant.* Sic Seneca. Sed, quòd caput est; Sanctissimus Gregorius Nazianzenus, vt ipsemet affirmat orat. 27. cùm maiorem diei partem in sacris rebus, & iugi diuinarum litterarum studio posuisset, vergente in occasum Sole ad maris ripam descendere solebat, vt deambulatione, & remissione laborem solueret, siue frangeret. sic enim ipse: *Vergente iam in occasum Sole deambulabam, locus verò in quo spatiabar, ripa maris erat, soleo enim ferè huiusmodi oblectamentis labores dissoluere, & relaxare, quandoquidem nec perpetuam contentionem neruus ferre potest.* Iam verò, iuris partem id esse, ac proinde ad Imperatores, & legum latores publicæ hilaritatis curam pertinere; sic in primis ait Seneca d. c. 15. lib. de tranq. anim. *Legum conditores festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Deinde prudentissimus Imperator Iustinianus sic professus est in lege *alearum vsus* 13. C. de aleatorib. & alearum lusu. *Non enim bella solummodo bene ordinamus, sed & res ludicras*; & apud Cassiod. lib. 3. variar. epist. 51. Theodoricus Rex publicæ lætitiæ ludos non verbis modò signatissimè ordinat; sed magnis etiam expensis adornat, & emit, vt *populi possimus* (ait) *desiderata gaudia continere.*

Herodot.

Laërt.
Seneca.

Gregor. Naz.

Seneca.

Iustinian.

Cassiod.

Et optimo quidem merito; cùm (vt verissimè paulo antè dicebat Seneca) ex assiduitate laborum nascatur quædam animorum hebetatio, & languor: & moderata animi indulgentia, & quies alimenti, ac virium loco sit, vt post remissionem meliores, acrioréſque animi resurgant. Ita scitè Dio Chrysostomus. *Remissiones* (inquit) *praparamenta ad labores sunt, & arcus, & lyra, & homo vegetantur quiete.* Et post præfata verba Statius, 4.

Seneca.

Dio Chrys.

Statius.

——— Vires instigat, alitque
Tempestiua quies. Maior post otia virtus
Te quoque flammabit tacitè repetita parumper
Desidia, & solidos nouus exultabis in actus.

Vnde indidem Ouidius,

Quod caret alterna requie durabile non est.

Qua de re sic egregiè Seneca Pater in proœmio Controuers. *Omnibus quidem prodest animum relaxare. Excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studij abducitur, feriarum hilaritate discutitur.* Adhibet præclarum exemplum in Portio Latrone, qui cùm se ab otio reuocauisset, *tantis viribus incumbebat in studium, vt non tantum nihil perdidisset, sed multum adquisiuisse desidia videretur.* Subscribit Synesius in Dione pulchrè adstruens mitioribus studiis animum non tantùm recreari, sed ad noua seriarum litterarum certamina, & grauiorum rerum curas compungi, atque accendi. Sic enim ille: *Vbi sudore* (de seueris literis ac seriis scientiis loquitur) *perfusos animos, viribúsque præ lassitudine defectam naturam animaduerterint; benignè statim reuocant, móxque Calliope squalidos, & sitculosos excipiens in florida prata perductos recreat, ne laboris ægritudine conficiamur, lautissimúmque, & adijciale conuiuium instruit Atticis veneribus, & poëticorum lenociniorum vetustate refertum, quibus primum exhilarat, tum occultè stimulat, & paulatim quodammodo animum conuertit, demúmque ad idem certamen accingit.* Hactenus Synesius.

Sen. Pat.

Synes.

In Domino.

Capiunt id Cornelius & alij, quasi sensus fuerit, Dominum hæc illis gaudia fecisse, nouámque subinde gaudendi materiam ministrasse, Christianam fidem, & religionem tum Romæ, tum apud illos mirè propagans, & exaltans: sed multo simpliciùs videtur, gaudij, atque lætitiæ modum hac phrasi Apostolum præscripsisse, vt cùm discipulos oblectationem, & lætitiam inuitauerit, subiiciat statim *in Domino*: ea tantùm lætitia, & exhilarandi modo illos perfrui admonens, 5.

Cornel.

quæ

Chrysost. quæ Dei seruos deceat. Ita Chrysost. inquiens, *Benedixit* in Domino, *non iuxta mundum. Non esset enim istud verum gaudium.* Similiter Theo- Theoph. phylact. *Pulchrè autem dixit* in Domino, *lætari enim secundùm mundum non est lætari.* Omnino OEcumen. verò ad rem OEcumenius, *Gaudere debetis gaudio spirituali, dignóque Domino.* Firmat quidem hanc expositionem ipsemet Dominus apud Ioan. Ioan.15.11. cap.15. 11. dum ait, *Hæc dixi vobis, vt gaudium meum in vobis sit*; vbi *gaudium meum*, hoc est, gaudium Domini, haud dubium, quin idem sit, ac gaudium siue gaudere *in Domino.* Quid autem gaudium suum inibi Dominus appellauerit, sic Cyr. Alexan. docet Cyril. Alexand. lib. 10. in Ioan. cap. 21. *id est, vt illis solummodo lætari rebus velitis, quibus ego gaudeo.* & post pauca, *Hanc lætitiam si vos habebitis, sincero, ac integro afficiemini gaudio. Veram enim solidámque lætitiam, illam tantummodo, quæ in Deo est, appellamus, qua etiam Iesus gauisus est. Hæc verò mundana, vmbra solummodo est more somnij deuolans.* Hæc ibi. Sed de iis plura in adnotationibus dabimus.

Eadem vobis scribere.

6\. Theoph. Ambros. THeophylact. *Cùm multis eos nominibus prædicasset, inducit tandem adhortationem, ne si principio statim admoneat, onerosus videatur.* Pergit Ambros. *Ostendit sollicitudinem suam, quam gerit circa profectum illorum, quia impiger est adscribendum eis, quæ necessaria sunt vtilitatibus eorum.* Sed cùm dixerit *eadem*, quæ, rogo, intellexit? Respon- Theodor. det Theodoret. *Non scripsit aliam ad eos epistolam, sed in ea multas eis dedit institutiones.* At vox *eadem* non diuersas, sed easdem iterum repetitas significat. Quæ ergo hæ fuerint? Respondent nonnulli eadem, quæ Romanis, & Galatis scripsi, modò vobis ingerere non piget. Sed id maximè Anselm. contortum videtur. Meliùs Anselmus: *Eadem quæ præsens dixi, id est, vt in Domino tantùm gauderetis, mihi quidem non est pigrum, vel tædiosum scribere vobis, vt diutius maneat, quam verborum prolatio.* Sed enim cùm hæc ad sequentia ex ipsa dictionis serie, & contextui mollitie opportuniùs referantur, probabilius est, Apostolum ad ea verba, c.1. Chrysost. vers.10. *Vt sitis sinceri*, allusisse; illis enim, vt Chrysost. & Græcos Patres explicasse vidimus, discipulos à prauis dogmatibus, ac proinde à Pseudo Apostolorum doctrina, & communione deterrebat, fidei sinceritatem, & puritatem maximè monens atque commendans; his verò eandem adhortationem adnectit, & inculcat subdens. *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem*, hoc est, cauete eos, & à peruersa eorum doctrina fugite.

Mihi quidem non pigrum.

7\. Vatabl. Lect. Syriac. S. Cyr. Alex. ID est, vt Vatabl. & alij legunt, *non me piget*; siue, vt Syra lectio, *Non est mihi tædiosum*: aut, vt Cyril. Alexandrin. reponit lib 4. in Ioan. cap. 11. *Non est mihi molestum.* Cur enim patrem pigeat, filiis suis eadem salutis monita iterum atque iterum inculcare? Cur medico fuerit molestum, eadem ægris remedia ostendere, & adhibere? maximè cùm præceptorum disciplina assidua inculcatione densetur, atque firmetur: sic dicebat Tertul. Tertullian. in Apolog. c.39. *Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus.* Ideo subdit,

Vobis autem necessarium.

GRæcè pro *necessarium* est ἀσφαλὲς *tutum*, 8. Lect. Græc. Cyr. Alex. quomodo legit interpres Cyril. Alexand. citato nuper loco: vnde Cornel. suspicatur nostrum vulgatum, sicuti Ambrosium legisse, ἀναγκαῖς positum pro; ἀναγκαῖς, hoc est, *necessarium*; sed non est tanti discrimen, vt diuinatione opus sit: maximè cum sensus pulchriùs, ac venustiùs eodem recidat: non enim fuit contentus Vulgatus verba reddere, nisi etiam fidus interpres sensum adhiberet, atque locupletaret; admonens quàm oporteat inculcari monita, atque præcepta, vt animo firmiter inhæreant; parum, aut nihil aliàs profutura; nam, vt scitè dixit Seneca: *Nemo* Senec. *medicus ægrotos in transitu curat.* Vnde Cyril. Alexandrin. dicto loco dum rationem reddit; cur Dominus panem vitæ non semel se appellauerit apud Ioan. cap. 6. vers. 48. & 51. Paulum hæc ver- Ioan. 6. 48. ba vsurpantem ab eo fuisse edoctum sic affirmat. Cyr. Alex. *Eadem ad vos dicere Paulus ait*, & vobis tutum, & mihi non molestum, *ab ipsis, vt puto, Christi verbis ita perdoctus. Nam quemadmodum cruditati vulnerum, non vnum sed varia vicissim remedia conferuntur, neque semel, sed frequenter appositu remedijs molliuntur; sic duro animo varia quædam, & frequens accommodanda doctrina est, vt si prima parum profecerit, secunda saltem, aut tertia, vel eisdem verbis allata permulcere, atque attrahere possit. Quapropter Saluator varia oratione modò ænigmaticè, atque obscurè, modò dilucidè, atque apertè eandem rem Iudæis proposuit, vt excusari nequeant, si resilierint.* Sic dicebat Seneca epistol. 27. *Quibusdam remedia mon-* Senec. *stranda, quibusdam inculcanda sunt.* & ep. 89. Lucilium vt sibi & aliis prodesset monens, aiebat: *Hæc Lucili virorum optime, quominus legas deterreo, dummodo quidquid legeris, ad mores statim referas. Illos compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma, cupiditates tuas, publicásque quantum potes vexa; & istis dicentibus: Quousque eadem? Responde. Ego debeo dicere: Quousque eadem peccabitis? Remedia ante vultis, quam vitia desinere. Ego verò eò magis dicam, & quia recusatis, perseuerabo.* Sed opportuniùs huic rei Ioãni Papæ sic supplex assiduè admoneri petebat Cassiodor. lib. 11. epist. 2. *Monete me quæ sunt gerenda sollicitè. Bene agere* Cassiod. *vel correptus exopto; quia difficilius errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris; nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus.* Ita ille.

Ad ea verba, *Gaudete in Domino.*

ADNOTATIO I.

Certum recreationibus, & oblectationibus modum, finémque ponendum.

NOn equidem ad qualecumque 1. gaudium, siue oblectationem, sed ad gaudium *in Domino*: ad iustam scilicet, & honestam animi recreationem, atque lætitiam, quæ debitos fines minimè prætergrediatur, discipulos inuitat Apostolus. Boni enim solummodo risus, & gaudij opifex Deus dicitur; eius nimirum oblectamenti, quod ad ipsius gustum, & placi-

rum debitè, ac moderatè transigitur. Tres igitur honestæ lætitiæ, atque recreationis debitas conditiones, siue circunstantias in his Pauli verbis inuestigare placet, opportunitatis nimirum, temporis, ac modi; vt primùm non antea oblectamenta, & remissiones insumantur, quin duri labores, & anxiæ sollicitudines; siue mærores præcesserint; deinde, vt hæc præfixos modestiæ, & temperantiæ fines non egrediantur; tandem vt certum ijs, & moderatum temporis spatium præfigatur: Quæ paucis etiam & nos persequemur. Et quod primum quidem attinet, non priùs gaudere, ac recreari Philippēses voluit Paulus, quàm assiduo labore atque mærore fessos, fatigatósque videret. Est sanè hæc prima, ac præcipua recreationis lex, vt ad ipsā non alij quā diuturno labore confecti pressíque accedant. Quod quidem ipsamet recreationis, remissionis, & refectionis nomina satis indicant; non enim refici, ac recreari, aliquem propriè dixeris, nisi cùm ante laborem integer atque ob vegetam valetudinem, & valentem habitum veluti recenter factus siue creatus, diuturnis laboribus, assiduáque subinde exercitatione fatigatus, quasi extinctus, & suffocatus censetur: ad quem etiam modum, id solum remitti, ac relaxari conuenienter dicitur, quod summa priùs contentione siue intentione, adstrictum religatúmque erat. Pupugit, opinor, hæc ratio Basilium in sermone de institutione monachorum: vt oblectationes, & remissiones cum medicamentis, quæ non nisi ægris corporibus adhibentur,
Basilius. hunc in modum componeret. *Vt enim medicamento non is vtitur, qui sanus est, sed qui saucius, sic ijs etiam, quæ leuandi corporis causa inuenta sunt, is vti debet, non qui delicatus est, sed qui imbecillus.* Hinc illa Bernardo grauis tristitia, animíque dolor oriebatur, dum nonnullos è suis, recreationi, & oblectamentis deditos, non tam quòd recreatione fatigati, pressíque indigerent, quàm quòd in ea laxamenta sponte propenderent, videbat; sic enim ipse sermone 2. de septem misericordiis.
Bernard. *Hic mihi fratres, tristitia magna, & dolor continuus est cordi meo, quòd nonnullos tam pronos ad leuitatem, & ad risum, & ad scurrilia verba tam faciles video.* Sic ille.

2. Fuit quidem à Moyse dum rerum omnium creationem describeret, peculiaris tenebrarum mentio facta; *diuisit* (inquit) *lucem à tenebris, appellauítque lucem diem & tenebras noctem*, Genes. 1.4.
Gen. 1. 4. Theod. Vbi benè primùm adnotauit Theodoret. quæst. 7. in Genes. non minus homini pernecessariam noctem, hoc est, quietem à lassitudine. *Sunt quidem* (inquit) *inter se contraria* (lux scilicet & tenebræ) *sed homini ambo necessaria; illud enim hominum operibus, & laboribus confert, & apparere facit ea, quæ videntur, adhortatúrque ad collaudandum horum auctorem. Tenebræ verò quiescere faciunt, & reparant hominem soluta lassitudine, quam ex labore contraxit.* Deinde tu facilè videris, tenebras luci, & noctem diei, hoc est, quietem labori, & diurnæ sollicitudini remissionem succedere: vnde Nyssenus
Nyssenus. lib. de hominis opificio cap. 13. *Igitur cùm per vigilias contentio virium corpus non nihil debilitauit, somno laxatum reficitur. Et vt equi post certamina quadrigis eximuntur, sic facultates sentientes agendo lassata aliquamdiu à natura vicissim recreantur.* Vt argumento fuerit, non nisi post lassitudinem, & laborum certamina animo quietem, & remissionem dandam, ne homo à propria conditione & dignitate desciscat. Quare notatu digna est Theodoreti obseruatio ad id loci monentis lumen, substantiam; tenebras verò accidens, siue accidentarium quid esse; sic enim ait: *Didicimus igitur apertè, tenebras esse necessarias. Quod autem non sint substantia, sed res quædam accidentaria facile est intelligere, nempe quod sint cæli, & terræ adumbratio. Quamobrem oriente lumine euanescunt tenebræ. Lumen autem substantia est, & subsistit.* Quod sanè eò referri velim, vt inde moneamur eos, qui laboribus, & egregiis operationibus sunt dediti, veros homines, & vt ita dixerim, substantiales esse, illos qui recreationum, & oblectamentorum nimis auidi, & amantes sunt, insubstantiales, & accidentarios, siue homines absque substantia, futiles, & nullius momenti censeri. Sanè Augustinus epistol. 250. eam hac de causa normam sumendis recreationibus præscripsit, quantum necessitas transigendæ, ac sustentandæ vitæ expoposcerit. *De agenda ista temporali vita* (ait ille) *eo modo per quem veniendum est ad æternam, noui concupiscentias carnales esse frenandas, tantúmque remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandæ, agendæque vitæ satis sit.* Et benè quidem; cur enim nisi necessitatis causa tenebras, & accidentia amaueris. August.

Inest quidem hic aculeus illis Pauli ad Timothum verbis epistol. 1. cap. 5. 11. *Adolescentiores viduas deuita; cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.* vbi illud *luxuriatæ fuerint*, Græco præsertim verbo καταστρηνιάσωσιν spectato, non ad luxuriæ fœditatem, ac turpitudinem, sed ad immoderatam animi remissionem, & delicatiores delitias referendum est; propriè enim significat id verbum, *bene se pascere*, & *hilarius quàm decet exultare*, atque ita Apocalyps. 18.7. à nostro Vulgato redditur *in delitijs fuit.* Vnde Anselmus explicat, *in luxu ciborum, & delitiarum versentur.* Theodoret. verò coniungens ei verbo *in Christo*; sic capit, *Luxuriatæ fuerint, pro eo, quod est, Ecclesiasticum subsidium acceperint, & quæ sunt corpori necessaria absque vlla sollicitudine perceperint, aluntur in otio.* Increpat ergo Apostolus, & vt rem mali exempli ab Ecclesia procul remouet otium & delitias, quæ ante laborem sumuntur, ac proinde vitandas monet iuniores viduas, quæ non pro necessitate, & à laboribus lassitudine, sed pro voluntate, ac voluptate hilariùs exultare, & oblectamenta, ac remissionem nullis antè laboribus, & defatigationibus susceptis arripere solent, inde prouenire affirmans; vt frænos tandem abrumpant, ac castitatis iugum atque professionem, quam in Dei domo fecerant, excutiant; aduersùs emissa à seipsis vota nubere volentes: nec non, vt otio assuetæ in plura, eáque non mediocria vitia prolabantur. subiicit enim statim: *Simul autem & otiosæ discunt circuire domos non solùm otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet.* Quæ verba sic pulchrè effert Theophylact. *Circumeuntes enim nihil aliud agunt, quàm quæ de hac audiunt, ad illam perferāt, & quæ de illa ad hanc: ac necessariò tandē ad curiositatē labuntur omnia perscrutandi, & ad nugas, ac deliramenta, cū quæ de omnibus audierīt, omnibus etiam dicunt.* Vides notā, ac characterem, futilis, & insubstantialis animi; ex næniarum accidentibus compositi? sed enim, minus fuerit mirandum id delicatulis, & imbecillibus fœminis mentis aciem, & animi vigorem ex otio, & delitiis infringi, quando ferocium etiam militum animos immoderatæ, ac intempestiuæ oblectationes emollire, atque eneruare solent, vt ex æterna Romanæ Reipublicæ aduersùs L. Syllam Romanum exercitum in Campania in delitias,

[Margin notes: 3. — 1. ad Tim. 5. 11. — Apoc. 18. 7. — Anselm. — Theod. — Theophyl.]

rias,& oblectamenta ire permittentem, facilè videre est; atque eam quidem sic proponit Sallustius in coniuratione Catilinæ: Salust. *Exercitum quem in Asia ductauerat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriose, liberaliterque nimis habuerat, loca amœna, voluptaria facilè in otio feroces militum animos mollierant: ibi primum insueuit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa, cælata mirari, ea priuatim, ac publice rapere, delubra spoliari, sacra, profanáque omnia polluere. Igitur hi milites postquam victoriam sunt adepti, nihil reliqui victis fecere.* Sic ille.

4. Iam verò de modo, siue moderatione in oblectationibus seruanda ex ipso remissionis nomine admonemur, quòd scitè premunt hanc rem Seneca, & Clemens Alexand. Seneca. *Multum interest*, inquit ille libr. de tranquil. anim. cap. 15. *remittas aliquid, an soluas.* Clem. Alex. & Clemen. lib. de Pædagog. cap. 5. *Tamquam autem animalia ratione prædita oportet nos temperatè componere, studij nostri acrimoniam, & nimium intensam vehementiam moderatè remittentes, non autem inconcinnè dissoluentes.* Sed rei intentus elegantissimè dixit Ambrosius lib. 1. Ambros. Officiorum, cap. 20. *Caueamus ne dum laxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam, & quasi concentum bonorum operum*; ac si dicat: aliud quidem est, animum modestè, temperatè, ac decenter à curis, laboribúsque abducere, aliud distrahere, siue dissoluere, dum virtutis modo non seruato, & virtutibus splendore dempto in plura immodestiæ, intemperantiæ, atque scurrilitatis errata quis labitur. Quod sanè monitum iam antè satis disertè dederat Paulus ad Ephes. 5. 4. ad Ephe. 5. 4. cùm à fidelibus procul esse iubet, *scurrilitas quæ ad rem non pertinet:* siue facetiæ quæ indecentes sunt, vt legit Theoph. Theophyl. ibi vbi non damnauit Apostolus omnem vrbanitatem, siue vrbanos sales, sed eos qui indecentes, & à cordatis hominibus censentur indigni, ideo ipse Græcè dixit vrbanitatem non decentem, & Vulgatus hanc opportunè scurrilitatem vocauit. Certè Aristotel. citato sæpiùs c. 8. lib. 4. Ethicorum, cùm extrema huius virtutis sic Aristot. percensuisset. *Qui igitur in ridiculis exuperant, scurræ sunt ac importuni, affectantes omnino ridiculum, & magis coniectantes facere risum, quam honestè loqui. Qui verò, neque dicent quidquam ridiculi, neque alios dicere paterentur, rustici sunt, & duri*, medium, siue honestæ recreationis & vrbanitatis modum sic præscripsit. *At ij, qui cum moderatione iocantur, comis, atque vrbanus vocatur, salem sanè moris iam habitum assecutus, vt ad benè, rectéque iocandum se se* M. Tull. *flectere possit.* A quo non it M. Tull. 1. officiorum, inquiens: *Ipsúmque genus iocandi non profusum, neque immoderatum, sed ingenuum, & facetum esse debet.* Hinc Magnum Basilium perfectæ vrbanitatis numeros, & modos sic implentem facit fidus ipsius socius, & amicus Gregor. Nazian. orat. 20. Greg. Naz. in illius laudem. *Quis in cœtibus adeò iucundus? quantum quidem ipse cognosco, qui ipsius maximè periculum feci. Quis in narrando festiuior? Quis in iocando argutior? Quòd si non lepidus quispiam, & facetus erat, neo circumforaneus, nec ex eo quod omnibus omnia fieret plerisque gratus, & acceptus, quid tum? Nonne laudem potius, quàm reprehensionem hoc nomine meretur saltem apud mente præditos?* Adiicit perpulchram imaginem id omne elucidantem. *Nisi quis leonem etiam accusandum putet, quod non simiæ vultum, sed toruum quendam, & horrificum, ac regium præferat, cuius ipsæ quoque saltationes fortes, & generosæ sunt, & cum admiratione iocundæ, atque etiam histriones vt suaues, & humanitatis plenos admiretur, quoniam populi voluptatibus inseruiunt, colaphosque sibi inuicem in malam impingendo, strepitumque ciendo, risum ei mouent.* Hactenus de Basilio Nazianz. Nec pigebit his aptare similem à Seneca Scipioni tributam laudem citato superiùs loco: *Scipio triumphale illud corpus mouit ad numeros,* Seneca. *non molliter se infringens, vt nunc mos est, etiam incessu ipso vltra muliebrem mollitiem fluentibus, sed vt illi antiqui solebant inter lusum ac festa tempora virilem in modum tripudiare, non facturi detrimentum etiam si ab ipsis hostibus spectarentur.* Sic Seneca. Ad quem etiam modum in Romana quadam virgine, quæ mortalitatem nuper expleuerat, eximiam in ludis modestiam, ac temperantiam sic commendabat Plinius iunior lib. 5. epist. *Quam parcè, custoditéque* Plin. iun. *ludebat.* Egregia quidem in virgine laus.

Placet verò sub hoc etiam sensu accipere eam 5. Sponsæ pulchritudinem, ac venustatem ab Sponso tantopere commendatam Cant. 7. 6. *Quam* Cant. 7. 6. *pulchra es, & quam decora charissima in delitijs:* vt quam nimirum paulo antè à fortitudine, & militari disciplina, in iustum gloriæ fastigium asseruit illis verbis c. 6. 3. *Terribilis vt castrorum acies ordinata*; atque ijs cap. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* Cant. 6. 3. his modò, illius in oblec- Cant. 7. 1. tationibus, & exhilarationibus temperantiam, atque modestiam efferat; atque inde insigni pulchritudine, & decore conspicuam prædicet. Quid enim pulchrius? quid magis decorũ fuerit, quàm in gaudijs, ac recreationibus, atque iis subsidiis, quæ velut fulcimenta ad transigendam vitam necessaria sunt, parcè, & custoditè se gerere? Hanc certè inter præcipuas primitiuæ Ecclesiæ laudem, à qua velut nota & charactere fideles ab Ethnicis discriminarentur, sic ponebat Tertullian. in Apologetico cap. 39. *Cœna nostra de nomine* Tertull. *rationem suam ostendit: vocatur, id quod dilectio penes Græcos est quantiscunque sumptibus constet lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Si quidem inopes quosque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate quid sit de Religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur; editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est vtile, ita saturantur vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur vt qui sciunt Deum audire. Post aquam manualem, & lumina vt quisquam de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit, aque oratio conuiuium dirimit: inde discceditur non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eamdem curam modestiæ, & pudicitiæ, vt qui non tam cœnam cœnauerint, quam disciplinam.* Hæc omnia Tertullian. Quæ quòd egregium aurei illius æui sanctitatem redoleant, & præfatam sponsæ pulchritudinem, & decorem in delitiis ostendant, atque elucident, nec potui omittere, nec illis aliquid demere debui. Sanè vel hinc edoctus Augustin. sermon. 1. in Octaua Paschæ, Au[g]. qui est 157. de tempore; fideles sic adhortabatur. *Primum quidem nobis agendum est, vt quia paschales dies sunt, id est, indulgentiæ, ac remissionis, ita a no[bis] sanctorum dierum festiuitas agatur; vt relaxatione corporum puritas non obscuretur, sed potiùs abstinentes ab omni luxu, ebrietate, lasciuia, demus oper[am so]briæ remissioni, ac sanctæ synceritati, vt quid[quid] modo*

modò corporali abstinentia non adquirimus, mentium puritate quæramus. Sic Augustinus. At enim verò iam olim ante hos PP. in ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis hæc omnia singillatim præscripserat S.Clem.Pont Rom.lib.5. constit.Apostol.fideles
S.Clem.Rom. sic admonens. *Hortamur vos, fratres, & conserui, vt relinquatis inania, & turpia verba, facetias, ebrietates, libidines, delitias, immoderatam iracundiam cum stultis sermonibus, quoniam neque in Dominicis diebus, qui sunt hilaritatis, & lætitiæ, concedimus vobis præter sanctitatem aliquid dicere, vel facere: ait enim quodam in loco Scriptura,* Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, (Psalm. 2. 10.)
Ps.2.10. *Exultationes igitur vestras cum timore, & tremore celebrari oportet. Christianus enim fidelis nec carmen Ethnicum, neque meretriciam cantilenam canere debet; quoniam continget eum in cantione dæmoniacorum nominum, idolorum mentionem facere, & in locum Spiritus sancti inuadet in eum spiritus malus.* Hæc Clemens, vt videas, quanta circumspectione, & grauitate, ex Patrum monitis, & exemplis remitti, ac recreari animus debeat.

6. Quò quidem per allegoriam retulisse videtur
Philo. Philo in libro, *quod deterius potiori insidietur*, ea
Gen 18.11. Genes. 18.11. verba: *Desierant Saræ fieri muliebria:* vt ex illis admoneamur, perfectum virum honestis delectationibus, & virilibus oblectamentis, non verò fœmininis, & leuioribus iocis operam daturum; sic enim ille. *Docet, summopere non mediocriter relinquenda, quæ non prosunt virtutem affectantibus, sicut & Saram deseruerunt muliebria: sunt autem affectiones naturaliter fœmineæ, quæ vt nos derelinquant, debemus operam dare masculinæ formæ delectationibus.* Sic ille. Ad cuius gustum sapientis, & stulti delectationes describebat, & ad harum ignominiam, & ad illarum laudem, inter se, hunc in modum componebat Seneca lib. de vita beata
Senec. cap. 11. *Sed nihilominus illi ipsi stulti, & inæquales, & sub ictu pœnitentiæ positi magnas percipiunt voluptates, vt fatendum sit, tam longè tum illos ab omni molestia abesse, quàm a bona mente, & quod plerisque contingit, hilarem insaniam insanire, ac per risum furere. At cõtrà, sapientium remissæ voluptates, & modestæ, ac penè languidæ sunt, compressæque, & vix notabiles, vt quæ neque accersitæ veniant, nec quamuis per se accesserint, in honore sint, neque vllo gaudium percipientium exceptæ. Miscent enim illas & interponunt vitæ, vt ludum, iocúmque inter seria.* Ita ille. Sed multo meliùs, multóque opportuniùs Gregor. Na-
Greg.Naz. zianzen. orat. in Pentecost. inquiens. *Nec feriari nostrum quidquam est aliud, quam animæ thesauram aliquem earum rerum condere, quæ firmæ sunt, ac stabiles, & manibus tenentur, non autem suffugiunt, & dilabuntur.* Ita ibi. Fusiùs verò orat. 1. in Iulianum: vbi cùm Christianas oblectationes recensens dixisset, *Hymnos pro tympanis assumamus, Psalmodiam pro fœdis modulationibus, & cantibus, plausum grati animi indicem; & canoram manuum actionem pro theatricis plausibus, mœstitiam pro risu; prudentem rationem pro ebrietate, grauitatem pro lasciuia;* in hæc tandem verba desistit. *Quòd si te, vt lætæ celebritatis, & festorum amantem saltare oportet, salta tu quidem, sed non inhonestæ illius Herodiadis saltationem, quæ Baptistæ necem attulit, verùm Dauidis ob arcæ requiem, quã quidem Deo gratam incessionem agilitate præditam, & versatilem mysticè designari existimo.* Hactenus Theologus.

7. En sponsæ pulchritudinem, & decorem in delitiis suis. En gaudium in Domino; modestum scilicet, & temperatum, & ad optimæ rationis, ac probitatis leges compositum. Vnde quidem Salomõ à diebus vanitatis suæ in se reuersus dicebat, *Risum reputaui errorem. & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* Ecclesiast. 2. 2. vbi si ambigas, cur risum Eccl.2.2.
à natura homini datum absolutè damnauerit, maximè cùm illius opifex Deus dicatur? cur etiam gaudium, deceptionem appellet, cùm ad gaudium, & lætitiam discipulos Paulus inuitet? Respondebo aliud quidem esse, gaudere in Domino; aliud ad morem sæculi importunè & intempestiuè gaudere; aliud decenti & bono ritu præditum; aliud in cachinnationem, & immoderatam hilaritatem esse effusum: cùm non cuiusuis risus, sed boni tantùm opifex Deus signatè dicatur. Vnde Chrysostom. homil. 15. in epist. ad Hebræos, in immoderatum risum inuectus inquit: *Et quid malum est risus? inquis: Non est malum risus, sed malum quando fit importuno tempore, & immoderatè. Risus enim inditus est nobis, vt quando amicos post multum temporis viderimus, hoc faciamus, quando aliquos delinquentes, & timentes, vt resoneamus eos risu, non vt cachinnemur, & semper rideamus. Risus inest animæ nostræ vt remissionem aliquando habeat anima, non vt diffundatur* Hæc ille; & ad eius gu- Chrysost.
stum Augustin. sermon. 9. de verbis Apostoli in id Lucæ 6. Beati qui plorant, quia ridebunt, sic ait. *Risum pro gaudio posuit non cachinnationem, sed exultationem.* Ita quidem de Nepotiano Hieron. August.
epist. 3. *Grauitatem* (inquit) *morum hilaritate frontis temperabat gaudium in risu, non cachinnum intelligeres.* Addam duo ex Ethnicis non mediocriter opportuna: alterum, Aristidem Appellam singulari iudicio commendantem dixisse: Nemo tanta cum venustate nec risit, nec orientem risum rubore compescuit; alterum scitè ab Homero Iliad. α. Io- Hieronym. Homer.
uem, dum exhilaratus dicitur scommate, quo à Pallade, & Iunone Venus affecta fuit, non ridentem, sed subridentem; hoc est, non effusè & plenè ridentem, sed risum intra labia cohibentem induci; sic enim Homerus, μείδησεν δὲ πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: Quod sic elucidat Eustathius ibi: *Iuppiter de scommate non ridet. Nam risus de eiusmodi rebus est a grauitate, & honestis personis alienus, sed subridet, quod est multo grauius, & honestius, quàm ridere; cùm subrisio sit risus lenis, & placidus cogitatione temperatus.* Ita ille. Vide Clem. Alexan. lib. 2. Pe- Eustath.
dagogi cap. 5. de Nazian. orat. 6. & Carm. de pudicitia.

Sed bone Deus, quanta hac in re hodierna 8.
tempestate homines peccant, nonnisi ad meram, & impuram corporis voluptatem, comessationes, ebrietates, impudicas saltationes. theatrales prophanitates, insanos sumptus, ac ludos, quibus patrimonium atrociter vexant, ferocium bestiarum agitationem, quarum furori se se liberaliter obiiciunt, atque impendunt, animi hilaritates, & oblectamenta reuocantes: de quibus breuissimè, & absolutissimè Salomon Sapientiæ 14. 28. *cùm lætantur, insaniunt.* quæ visus est explicare Seneca Sap.14.27.
iam citatus cùm dixit: *& quod plerisque contigit, hilarem insaniam insanire, ac per risum furere.* Quid enim aliud hæc omnia, quàm mera insania fuerit? cùm vel ab ipsa hilaritate nihil fuerit magis alienum. In Ethnicos quidem hac ratione olim inuehebatur Tertul. in Apologet. cap. 35. minimè Tertull.
præscius, aut callens, ea quæ in gentibus ipse acerbiore risu increpabat, in Christianos aliquando casura; aiebat siquidem. *Grande videlicet officium, focos & thoros in publicum ducere, vicatim epulari, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad impudentias, ad iniurias, ad libidinis illecebras, sícciue exprimitur gaudium per publicum dedecus? Haccine solemnes*

solemnes dies principum decent, quæ alios dies non decent? O nos merito damnandos! Cur enim vota, & gaudia Cæsarum casti, & sobrij, & probi expungimus? cur die læto non laureis postes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honesta res est solemnitate publica exigente induere domus tuæ habitum alicuius noui lupanaris. Hæc de Ethnicis, & vtinam de Ethnicis solùm Tertullianus. Sanè si nostris ea omnia vndique aptari nequeunt, illa ad minus quæ Ambrosius lib. 2. officiorum, cap. 21. prodigalitatis, & vanitatis arguit; omnino dixeris con-
Ambros. uenire: Ait enim inibi. *Prodigum est popularis fauoris gratia exinanire proprias opes, quod faciunt, qui ludis Circensibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatorijs, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant suum, vt vincant superiorum celebritates; cum totum illud sit inane.* Sic Ambros.

9. Iam hilarem hos insaniam insanire, & per risum furere, inde collige, quòd nihil magis alienum à vera lætitia, quàm hæ oblectationes fuerint. Nam risum dolore misceri, & extrema gau-
Prou. 14. 13. dij luctum occupare quotidie cernimus. Quid enim iis gaudiis nisi labores, defatigationes, contentiones, inimicitias, ægritudines, mortes succedere videmus? vt iure illis aptes, quod idololatris festa sua atrociter celebrantibus obiiciebat Clemens Pont. Roman. lib. 5. Recognition. ad Iacobum fratrem Domini, nunquam non ab illis ægros, dolentes, vulneratósque redire. Ita enim
S. Clem. ille. *Sed quidam dicunt. Hac lætitiæ gratia, & ad releuandos animos instituta, & ad hoc inuenta, vt humana mens aliquantulum curis, & laboribus relaxetur. Videte quomodo ipsi accusatores estis eorum, quæ geritis: si hæc leuandi mœroris, & lætitiæ capiendæ causa reperta sunt, quomodo in lucis, & syluis inuocationes dæmonum fiunt? Quomodo insani rotatus hominum, sectionésque membrorum? Quomodo in ijs furor rabidus concipitur? Quomodo inuitatur insania? Quomodo mulieres sparsis crinibus furibundæ iactantur? Vnde stridor, & fremitus dentium? Vnde mugitus cordis, & viscerum? & omnia illa quæ vel simulata, vel etiam ministerio dæmonum compaginata ad terrorem stultorum, & ignorantium hominum proferuntur? Hæc leuandi animi causa fiunt, an potiùs opprimendi?* Hæc Clemens. Quæ pænè dicito agitantibus tauros, & ab illis peiùs agitatis; dicito iustis hastis, & æquis certantibus: dicito & iis quibus pernox alea ludi, & fortunarum iactura fieri solet.

10. De modo verò recreationum tempori impo-
Clem. Alex. nendo sic disertè inquit Clemens Alexandrin. citato iam loco. *Quæcumque naturalia sunt homini, ea ab illis minimè sunt tollenda, sed eis potiùs modus, & conueniens tempus est adhibendum. Non enim si homo est animal ridendi præditum, ideo perpetuò ridendum est, quandoquidem nec equus, cuius est proprium hinnitus, semper hinnit.* Certè Ezechieli is à Deo flendi, ridendique præscriptus est modus; seria scilicet agendi, atque à laboribus abstinendi, vt fletus, siue labor duplo maior risu, & oblectationibus ad minus esset; sic enim ipse inquit
Ezech. 2. 9. cap. 2. 9. *Et ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris: & scripta erant in eo lamentationes, & carmen & væ.* in quæ verba hæc habet
Ambros. Ambros. lib. 2. de pœnitent. cap. 6. *accepit librum, in cuius capite scripta erant* lamentatio, & melos, & væ: *duo tristia, & vnum delectabile, quoniam ille saluus erit in futurum, qui in hoc seculo plus fleuerit.* Cor enim sapientium in domo luctus, & cor stultorum in domo epulatum. Hæc Ambros. Hinc sponsa, qua pulchra, & decora in delitiis habetur, sic alicubi dicebat: *Egrediamur in agris, commoremur in villis*, siue, vt Ambros. legit, *in castellis*, *Cant. 7. 11.*
Cant. 7. 11. vbi non modò honestos, hilarésque in agrum egressus ad commorandum in castellis, hoc est, ad laborandum, & pugnandum referebat quòd remissiones (vt dicebat Dio) præparamenta ad labores sint, sed etiam hæc oblectamenta egressus nomine, quasi breuis moræ & velut inchoatæ actionis spatium signatè appellabat, commorationem, & diuturnitatem temporis in castellis, siue in laborum exercitio ponens; sic sapienter dixit Valerius. *Otium industriæ subnecti* *Valer. Max.*
debet, non euanescu virtus, sed quo recreatur. Quod maximè facit præfatus Pauli locus ad Timotheum de adolescentioribus viduis, quæ genio nimis indulgentes, temperantiæ habenas & castitatis iugum tandem abrumpebant, vnde S. Nilus in Admonitionibus dicebat: *Excessum risus fuge,* *S. Nilus.*
eneruat enim animam, anima verò eneruata facilè à freno legis exuitur. & Seneca dicto cap. 15. libri de *Senec.*
tranquil. animi; cùm dixisset, *danda est remissio animis, vires recipient parum resoluti, ac remissi*, vim faciens in aduerbio *parum*, subiicit *Nam & somnus necessarius est, hunc tamen si per diem, noctémque continues, mors erit*; apta sanè imagine explicans præfixam ab August. superiùs adducto normam. *August.*
Tantum remittendum in delectationes sensuum corporalium, quantum sustentandæ, agendæque huiusmodi vitæ, satis sit. Sed videsis hac de re Cassianum collat. vlt. cap. 20. *Cassian.*

VERSVS II.

Videte canes, videte malos operarios; videte concisionem.

EN quòd iterum, atque iterum Philippenses Paulus monet, vt nimirum ab impudentibus, impuris, & malignis Iudaizantibus caueant, quòd legis studiũ & circumcisionis necessitatem prædicantes, corde ipsi in circumciso in impuras carnis voluptates, vt operarij, iniquitates defluerent; sed phrases singulas persequamur.

Videte.

VOluit dicere *Cauete*, sub qua voce legit hunc locum Syrus interpres, similiter & Am- 1. *Lect. Syriac.*
bros. lib. ad Virginem, *Vitate canes.* & vt facilior *Ambros.*
sub eo verbo esset sententia; significantiùs tamen suam mentem aperuit Apostolus phrasi *videndi*, non enim solùm dixit, cauete à canibus, sed obseruate diligentiùs, ne vos incautos ex insidiis aggrediantur, ita Photius apud OEcumenium: *Videte, hoc est, inuestigate, vosmetipsos seruate.* simi- *Photius.*
lis verbo, *videre*, significatio inest ad Coloss. 2. 8. *ad Col 2. 8.*
Videte, ne quis vos decipiat. & 1. ad Corinth. 8. 9. *1. ad Cor 8. 9. & c. 10 12.*
Videte autem, ne fortè hæc licentia offendiculum fiat *Act. 13. 40.*
infirmis; & cap. 10. 12. *qui existimat stare, videat, ne cadat.* & Actuum 13. 40. *Videte ergo ne superueniat vobis, quod dictum est* & in Euangelio sæpiùs.

Canes.

Canes.

TVm, quòd in his canibus insectandis scopum huic epistolæ Paulus præfixerit; tum etiam, quòd hoc loco in interpretum expositionibus nonnulla desiderari videantur, pluscula de Pauli mente circa hanc canis imaginem, dicere, operæpretium duxi. Nollem tamen, vt quod alij in breuitate, æquè ego in prolixitate peccarem. At enim opportuniora solùm, & congruis huius loci sensibus eruendis aptiora afferre curabo.

2. Haud semper in Scripturis, & apud externos auctores, canis impurum, & execrabile animal habetur, cùm per ipsum tum Ecclesiæ Antistites, qui oues ab omni hostium iniuria tutas custodiunt, tum etiam diuini Verbi præcones, qui latratum assiduum contra profanos, & impios exereent, designentur. Psalm. 67. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipsis*, vt Augustini ibi, & Gregorij homilia 40. & aliorum expositio fert. Et Isai. 56. 10. *Canes muti non valentes latrare.* Vnde Plato libr. 2. de Republic. militem ciuitatis custodem informans ait. *Naturam generosi adolescentis, qui ad disciplinam eiusmodi educetur, nihil differre a generosi canis ingenio, vtrumque ipsorum sagacem esse oportere, mansuetum erga suos; aduersus autem hostes immitem.* Hæc Plato. Hinc nonnulli humanioris, quàm sacræ litteraturæ periti existimarunt, Paulum non ad terrestres, sed ad marinos canes, quorum hoc omnino munus est, vt reliquum animantium genus deprædentur, allusisse. Sed vt rem illi inauditam & præter omnium Patrum, & interpretum mentem dixerint, illud magis mireris, quòd Ambrosium huius sententiæ patronum faciant, cùm nulla omnino huius commenti apud ipsum mentio sit, vel audi eius commentarium. *Hos designat, qui inuidentes gentibus prauitate colloquiorum suorum euerterant Galatas suadentes eis, vt circumciderentur, quos omni genere vitandos, & spernendos docet, quasi canes, qui primùm oblatrant, deinde morsu saeuo malè operantur in carnem.* Hæc ille. Quare obsecro vllum canis marini vestigium; sed nec ipse canis, cui olfactus est præcipuus illud indagine sua valeat deprehendere. Abeant ergo quibus non tantùm fingere, sed aperto etiam capite mentiri, voluptas est.

Psal. 67. 24.
August. Greg. Magn. Isai. 56. 10. Plato.
Ambros.

3. Ad terrestres ergo canes, quibus tot malignitatis, & improbitatis sunt maculæ. vt vna, vel altera boni specie, quam habent, elui nequeant, respexit Apostolus. Si verò inquiras ad quæ præcipuè vitia voluit alludere? Respondeo, eam esse Iudaïzantium improbitatem, siue adeò ex omnium scelerum colluuione concreta animalia eos haberi, vt omnium penè macularum caninarum fœditate voluerit eos Paulus respergere, [illegible] cùm ipse nomini *canis* nullum peculiare adiectiuum siue epitheton adiunxerit, quo illud singillatim ad determinatum vitij genus contraxerit, sed potius in omni sua latitudine reliquerit. Vnde plura ex iis vitiis, quæ cani insunt, speculari. & iis Iudaïzantibus accommodare est operæpretium. Et primò ex Græcorum Patrum, & interpretum expositione, hac appellatione Iudæos, vt prophanos, & à vero Deo alienos perstringit Apostolus. Appellabantur quidem primitus gentiles à Iudæis canes, siue *de oblatrandi aduersus Deum rabie* vt inquit Hilarius canone 6. in Matthæum, siue, quòd vt Iudæi inter filios, & chara Dei pignora, ita illi ab affectu Dei alieni, extra rationem seruorum etiam haberentur. Vnde Dominus Matth. 7. 6. *Noite sanctum dare canibus.* Et proprium consilium sequutus Matthæi 15. 24. Chananeæ dixit, *Non est bonum sumere panem filiorũ, & dare canibus.* Vbi Hilarius canon. 15. *Delatus Israël honor affectus in eum Dei cumulat inuidiam; iuxta quem plebs gentium accepit canum nomen:* siue etiam, quòd Iudęis hostes essent. est enim militare conuitiũ in hostes *canis*. Ita sæpiùs apud Homerum quilibet in hostem suum ingerit xovwnas sic Erithræus. *Canis verbum est, quo impudentius inimicis conuitium fieri solet.* Terentius.

Hilarius.
Matth. 7. 6.
Matt. 15. 24.
Hilarius.
Erithr.
Terent.

Eu. *Diminutam ego caput tuum hodie nisi abis.*
G. *Hinc verò canis!*

Siue tandem ob sanguinem, quem de hostiis idolorum Gentiles gustabant, canes dicebantur. Nunc verò iisdem ferè omnibus de causis, de oblatrando nimirum aduersùs Deum rabie, de alienatione à Deo, de gustu sacrificiorum, quæ iam Deo erant inuisa; & tandem quòd Christiani nominis aperti hostes essent, versa omnino rerum vice ij, qui antea filij, & vt chara pignora Deo in delitiis erant, optimo iure canes appellantur: *cum rebus* (inquit Theodoretus) *translata sunt nomina, & gentes quidem filij, Iudæi autem vocantur canes.* Similiter Chrysostomus. *Olim isto canum nomine Ethnici vocabantur, nunc autem illi. Cur? Quoniam quemadmodum Ethnici, & a Deo, & à Christo alieni erant; ita Iudæi nunc se abalienauerũt; atque hinc illorum impudentiam, & improbitatem, magnámque a filiis disiunctionem, ac dissidium ob oculos ponit.* Paulo aliter Photius apud OEcumenium inquiens. *Erant nonnulli ex Iudæis nempe credentes, qui vna cum fide Iudaismum etiam commiscebant, & prædicationem corrumpebant, quos canes appellat. Canes verò dicebantur interdum Ethnici, eò quòd Deum ignorarent. Nam & canes in eum quoque latrant, qui aliquid tribuit. Nunc autem hi canes dicuntur (qui enim filium negant, neque Patrem nouerunt.)* Sic ille.

Theodor.
Chrysost.
Photius.

4. Verùm enim verò, vt Iudæi suo iam meritò dicerentur canes, peculiari tamen ratione à Paulo de eo nomine Iudaïzantes modò vocantur, nimirum quòd qui fidem Christianam semel complexi essent, iterum ad Iudaicam superstitionem, & veterem ritum redissent: sic prouerbiali loqutione tam de illo, qui post expiata pristina scelera iis denuo irretitur, quàm de eo, qui fidem deserens, & impietatem iterans ad falsam religionem se reuertit à Salomone primùm Prouerbiorum 26. 11. & deinde à Petro epistol. 2. cap. 2. v. 22. dicitur, *canis reuersus ad vomitum.* Quòd non minus abominabilis immunditiæ id sit, quàm canem fœditatem quam primùm tamquam molestam, & noxiam non sine nausea, abiecerat, rursum absorbere. Placuit hic sensus inter alios, & iam datos, & subinde dandos Photio apud OEcumen. necnon Iustiniano, & aliis. Et quidem menti ac scopo Apostoli omnino congruit, ac reliquorum quasi radix, & semen est.

Prou. 26. 11.
2. Pet. 2. 22.
Photius. Iustin.

5. At enim notissimum deinde maledicentiæ, & obtrectationis symbolum canis est, vt 2. Regum 16. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi.* Apocalysis 22. 15. *foris canes.* Vbi ex Tertulliani, & Bedæ interpretationes canes appellantur, qui Christiana Religioni oblatrant. Sic enim Tertulliani lib. 2. contra Marci. cap. 5. *O canes, quos foras Apostolus expellit latrantes in Deum veritatis: hæc sunt argumentorum ossa, quæ obroditis.* Similiter Psal. 21. 21. Christus cœlestem Patrem orans, vt Ecclesiã suam à mundi calũniis, &

2. Reg. 16. 9.
Apoc. 22. 15.

& perſecutionibus liberaret, ſic emphaticè dicebat. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*, vbi mundum acerba lingua, & indignanti ſtimulo innocentes indeſinenter perfodientem canem appellauit, vt inibi hunc in modum interpretatur Auguſt. *Hic nihil aptius, quàm vnica Eccleſia mihi videtur intelligi, Canem verò appellauit mũdum non ratione, ſed conſuetudine contra inſolitam veritatem latrantem. Hac eſt enim canum natura, vt eum quibus habent cõſuetudinem, ſiue illi boni, ſiue mali ſint, non ad eos latrent. Inſolitorum autem perſonis viſis etiam innocentibus irritentur.* Sub qua ſignificatione Paſchaſius lib. 4. in Matth. illud Chriſti monitum. *Nolite ſanctum dare canibus*, Matth. 7. 6. ſic accepit. *Per canes intelliguntur ij, qui contra veritatem oblatrando impugnant.* Prior verò Auguſtin. ad ea verba hæc ſcripſerat lib. 2. de ſerm. Domini in monte, cap. 20. *Quapropter canis, quoniam inſiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant, integrum eſſe non ſinunt.* Nolite (*inquit*) ſanctum dare canibus, *quia & ſi dilacerari, & corrumpi non poteſt, & manet integrum, atque inuiolabile; illi tamen quid velint, cogitandum eſt, qui acriter, & pertinaciſſimè reſiſtunt, & quantum in ipſis eſt, ſi fieri poſſit conantur perimere veritatem.* Hinc Hieronymus in Proœmio catalogi ſcriptorum Eccleſiaſticorum in maledicos Eccleſiæ hoſtes ſic inuehitur. *Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſus Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant Eccleſiam nullos Philoſophos, & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores, quanti, & quales viri eam fundauerint, extruxerint, & ornauerint, & deſinant fidem noſtram ruſtica tantùm ſimplicitatis arguere.* Hæc ibi Hieronym. Sed dum Tertullianus rodendorum oſſium meminit, alluſit opinor ad Diogenem Cynicum ob maledicentiam Canem appellatum, cui ea de cauſa ludens Alexander ſpotulam oſſium plenam dono miſit, quam ille minime reiecit, ſed ſic ſimul accepit, atque momordit. *Caninus quidem cibus, ſed donum nequaquam regium.* Vnde idem Tertullian. lib. de Pallio, cap. 4. ſic rurſum Diogenem ex latratu noſcendum dedit. *Quòd ſi iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret.* Ita quidem Lactantio lib. 6. cap. 8. Hieronymo ad Ruſticum, & epiſtol. ad Auguſtin. & dialogo aduersùs Luciferianos, Quintiliano lib. 12. cap. 9. Prudentio in Hamartigenia, Appio apud Saluſtium *canina facundia* prouerbialiter dicit; *quando cauſidici* (vt inquit Iſidorus lib. 3. ſentent. cap. 56.) *in certaminibus cauſarum, omiſſis, qua agunt, veluti canes alterum ſeſe lacerant, iurgiáque cauſarum ad iniurias ſuas conuertunt.* Sic Seuero gratulabatur ſanctus Paulinus epiſtola 1. hunc in modum: *Confugiſti ad pietatis ſilentium, vt euaderes iniquitatis tumultum, muteſcere voluiſti mortalibus, vt ore puro diuina loquereris, & pollutam* canina facundia *linguam Chriſti laudibus & commemoratione ipſa pij nominu expiares*: vnde hoc ſenſu Tertullian. vndequaque eruditiſſimus, vt diceret cauſarum patrocinium ſe non ſuſcipere; libr. de Pallio, cap. 5. inquit: *Cauſas non elatro.* Ad quem locum doctiſſimus Scholiaſtes Cerda (præter locum Hieronymi ad Ruſticum iam citatum) ex Varrone Attacino, *latrare fora*, ex Affranio Perſa, *gannire ad aurem*, ex Chryſoſtomo, *mordere, & comedere*, ex Seneca in Herc. Fur. *rabioſa fori iurgia*, in hanc rem affert. Vide illum. Apud Comicum verò in Menæchmis act. 5. ſcen. 5. Menæchmus Soſides mulierem ſic alloquitur.

Non tu ſcis mulier Hecobam propter canem,
Graci eſſe predicabant? Mul. *Non equidem ſcio.*
Men. *Quia idem faciebat Hecoba, quod tu nunc facis,*

P. Anton. Velaſq. in epiſt. ad Philip. tom. 2.

Omnia mala ingerebat, quémque aſpexerat.
Itaque adeò iure cœpta appellari canis.

Sic etiam Horat. in maledicum quendam in lib. Epod. Ode 6.

Quid immerenteis hoſpites vexas canis,
Ignauus aduerſum lupos?
Quin huc inaneis, ſi potes, vertis minas,
Et me remorſurum petis?

Ita ex ſententia Patrum, & Interpretum Iuſtiniani, Cornelij, Eſtij Iudaïzantes Paulus notat, quòd maledico dente Euangelium, & res Chriſtianas carperent, ſic Theoph. *Canes enim Gentiles dicebantur, nũc Iudai, vt petulantes, & mordaces, & veritatis lucem impudentiùs oblatrantes.* Breuiùs Primaſius. *Canes contra Euangelium latrantes.* Similiter Photius, *aut eo quòd occulte mordeant.* Addidit non nihil acutè Anſelm. *Cognoſcite illos eſſe canes, hoc eſt, non ratione, ſed conſuetudine contra inſolitam veritatem latrãtes. Hac eſt enim canum natura, vt eum quibus habent conſuetudinem, ſiue illi boni ſint, ſiue mali non ad eos latrent, inſolitorum autem perſonis viſis etiam irritentur. Ita pſeudo Apoſtoli conſuetudinem legis tenent, & contra veritatis nuncios irrationabiliter latrant, & mordent.* Hæc Anſelmus. Quo etiam, & S. Thomæ expoſitio ad ſæuitiam qua Eccleſiam Iudaïzantes perſequebantur, & dilacerare ſtudebant, ſic referentis. *Tria de his dicit, ſcilicet ſæuitiam cordis irrationabilem, vnde dicit, canes. Natura canis eſt, vt ſtatim ex ira latret, non ex ratione, ſed ex conſuetudine: ſic & illi Iſaia 56. 11.* Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi Paſtores neſciuerunt intelligentiam, *&c. Apocal. vltimo*, foris canes. Sic S. Thom. Fuiſſe verò hunc Iudæorum perpetuum morem criminationes, & querelas attexere, ſæuóſque morſus adiungere, ſic inquit Baſil. Seleuc. orat. 33. *Semper enim Iudaus amans eſt criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat*, vbi illum vides pro libito, & vtilitate criminantem. Nec omittenda fuerint in hac canis acceptione, quæ luculentiſſimè ſcripſit Euſeb. Cæſar. lib. 10. Demonſt. 8. vt Iudæis in Chriſtum cruci ſuffixũ inſultantibus omnino conuenire adſtruat illud Pſal. 21. 17. *Circumdederunt me canes multi*; ſunt enim huic etiam inſtituto peropportuna, & his Iudaïzantibus Paulo infeſtis mirè quadrant. Si verò Euſeb. *Canes autem erant, qui illũ circumdederant, & conuentus malignantium, ipſi ad circumciſionem pertinentes Magiſtratus Iudaorum, & Scriba, & Principes Sacerdotũ, & Phariſai, qui etiam vniuerſam multitudinem compulerũt, vt ſanguinẽ illius, & aduersùm ſeipſos, & aduerſum filios ſuos peterẽt, proinde Iſaias planè illos canes vocat, dum dicit:* Omnes canes ſtupidi, qui nequeunt latrare: *Quum enim eos oporteret, tametſi Paſtorem eorum nõ ſuſceperant, attamen bonorum canum inſtar, domini ſui rationalem gregem, atque oues domus Iſraël cuſtodientes, doctè, ac prudẽter latrare, Dominúmque ſuum, ac Paſtorum Principem demulcere, atque agnoſcere, omnique cuſtodia creditum ſibi gregem conſeruare: latrare autem ſi fortè acerbiùs vellent, contra eos id facere, qui extrinſecus gregi inſidiarentur: ipſi contra canum ſtupidorum, neque vera inſanientium inſtar, latrantes ſuos emiſerunt, & oues Paſtoris efferarunt, vt meritò conueniat eis illud:* Circũdederunt me canes multi; concilium malignantium obſedit me. *Quin etiam omnes, quicumque in hunc vſque diem itidem, vt illi pergunt maledicere, ac latrare aduersùs Chriſtum Dei, ab illis diuerſi putandi non ſunt.* Hæc & alia inibi Euſebius. Conſentanea ſunt, quæ habet Epiphanius hæreſi 78. aucto tamen cenſu, dum Iudæos non vtcumque canes, ſed qui rabidi eriã fuerint, ac præ rabie verum Dominum non agnouerunt, ſic adſtruit.

Canes.

TVm, quòd in his canibus inſectandis ſcopum huic epiſtolæ Paulus præfixerit; tum etiam, quòd hoc loco in interpretum expoſitionibus nonnulla deſiderari videantur, pluſcula de Pauli mente circa hanc canis imaginem, dicere, operæpretium duxi. Nollem tamen, vt quod alij in breuitate, æquè ego in prolixitate peccarem. At enim opportuniora ſolùm, & congruis huius loci ſenſibus eruendis aptiora afferre curabo.

2. Haud ſemper in Scripturis, & apud externos auctores, canis impurum, & execrabile animal habetur, cùm per ipſum tum Eccleſiæ Antiſtites, qui oues ab omni hoſtium iniuria tutas cuſtodiunt, tum etiam diuini Verbi præcones, qui latratum aſſiduum contra profanos, & impios exercent, deſignentur. Pſalm. 67. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſis*, vt Auguſtini ibi, & Gregorij homilia 40. & aliorum expoſitio fert. Et Iſai. 56. 10. *Canes muti non valentes latrare.* Vnde Plato libr. 2. de Republic. militem ciuitatis cuſtodem informans ait. *Naturam generoſi adoleſcentis, qui ad diſciplinam eiuſmodi educetur, nihil differre a generoſi canis ingenio, vtrumque ipſorum ſagacem eſſe oportere, manſuetum erga ſuos; aduerſus autem hoſtes immitem.* Hæc Plato. Hinc nonnulli humaniores, quàm ſacræ litteraturæ periti exiſtimarunt, Paulum non ad terreſtres, ſed ad marinos canes, quorum hoc omnino munus eſt, vt reliquum animantium genus deprædentur, alluſiſſe. Sed vt rem illis inauditam & præter omnium Patrum, & interpretum mentem dixerint, illud magis mireris, quòd Ambroſium huius ſententiæ patronum faciant, cùm nulla omnino huius commenti apud ipſum mentio ſit, vel audi eius commentarium. *Hos deſignat, qui inuidentes gentibus prauitate colloquiorum ſuorum euerterant Galatas ſuadentes eis, vt circumciderentur, quos omni genere vitandos, & ſpernendos docet, quaſi canes, qui primùm oblatrant, deinde morſu ſæuo malè operantur in carnem.* Hæc ille. Quare obſecro vllum canis marini veſtigium; ſed nec ipſe canis, cui olfactus eſt præcipuus illud indagine ſua valeat deprehendere. Abeant ergo quibus non tantùm fingere, ſed aperto etiam capite mentiri, voluptas eſt.

Pſal. 67. 24. August. Greg. Magn. Iſa. 56. 10. Plato. Ambroſ.

3. Ad terreſtres ergo canes, quibus tot malignitatis, & improbitatis ſunt maculæ, vt vna, vel altera boni ſpecie, quam habent, elui nequeant, reſpexit Apoſtolus. Si verò inquiras ad quæ præcipuè vitia voluit alludere? Reſpondeo, eam eſſe Iudaizantium improbitatem, ſiue adeò ex omnium ſcelerum colluuione concreta animalia eos haberi, vt omnium penè macularum caninarum fœditate voluerit eos Paulus reſpergere, ... cùm ipſe nomini *canis* nullum peculiare adiectiuum ſiue epitheton adiunxerit, quo illud ſingillatim ad determinatum vitij genus contraxerit, ſed potiùs in omni ſua latitudine reliquerit. Vnde plura ex iis vitiis, quæ cani inſunt, ſpeculari, & iis Iudaïzantibus accommodare eſt operæpretium. Et primò ex Græcorum Patrum, & interpretum expoſitione, hac appellatione Iudæos, vt prophanos, & à vero Deo alienos perſtringit Apoſtolus. Appellabantur quidem primitus gentiles à Iudæis canes, ſiue *de oblatrandi aduerſus Deum rabie* vt inquit Hilarius canone 6. in Matthæum, ſiue, quòd vt Iudæi inter filios, & chara Dei pignora, ita illi ab affectu Dei alieni, extra rationem ſeruorum etiam haberentur. Vnde Dominus Matth. 7. 6. *Nolite ſanctum dare canibus.* Et proprium conſilium ſequutus Matthæi 15. 24. Chananeæ dixit, *Non eſt bonum ſumere panem filiorũ, & dare canibus.* Vbi Hilarius canon. 15. *Delatus Iſraël honor affectus in eum Dei cumulat inuidiam; iuxta quem plebs gentium accepit canum nomen*: ſiue etiam, quòd Iudæis hoſtes eſſent. eſt enim militare conuitiũ in hoſtes *canis*. Ita ſæpiùs apud Homerum quilibet in hoſtem ſuum ingerit κύνωπας ſic Erithræus. *Canis verbum eſt, quo impudentius inimicis conuitium fieri ſolet.* Terentius.

Hilarius. Matth. 7. 6. Matt. 15. 24. Hilarius. Erithr. Terent.

Eu. *Diminuam ego caput tuum hodie niſi abis.*
G. *Hinc verò canis!*

Siue tandem ob ſanguinem, quem de hoſtiis idolorum Gentiles guſtabant, canes dicebantur. Nunc verò iiſdem ferè omnibus de cauſis, de oblatrando nimirum aduerſùs Deum rabie, de alienatione à Deo, de guſtu ſacrificiorum, quæ iam Deo erant inuiſa; & tandem quòd Chriſtiani nominis aperti hoſtes eſſent, verſa omnino rerum vice ij, qui antea filij, & vt chara pignora Deo in delitiis erant, optimo iure canes appellantur: *cum rebus* (inquit Theodoretus) *tranſlata ſunt nomina, & gentes quidem filij, Iudæi autem vocantur canes.* Similiter Chryſoſtomus. *Olim iſto canum nomine Ethnici vocabantur, nunc autem illi. Cur? Quoniam quemadmodum Ethnici, & a Deo, & à Chriſto alieni erant; ita Iudæi nunc ſe abalienauerũt; atque hinc illorum impudentiam, & improbitatem, magnámque a filijs disiunctionem, ac diſſidium ob oculos ponit.* Paulo aliter Photius apud OEcumenium inquiens. *Erant nonnulli ex Iudæis nempe credentes, qui vna cum fide Iudaiſmum etiam commiſcebant, & prædicationem corrumpebant, quos canes appellat. Canes verò dicebantur interdum Ethnici, eò quòd Deum ignorarent. Nam & canes in eum quoque latrant, qui aliquid tribuit. Nunc autem hi canes dicuntur* (*qui enim filium negant, neque Patrem nouerunt.*) Sic ille.

Theodor. Chryſoſt. Photius.

Verùm enim verò, vt Iudæi ſuo iam meritò dicerentur canes, peculiari tamen ratione à Paulo de eo nomine Iudaïzantes modò vocantur, nimirum quòd qui fidem Chriſtianam ſemel complexi eſſent, iterum ad Iudaicam ſuperſtitionem, & veterem ritum rediſſent: ſic prouerbiali loquutione tam de illo, qui poſt expiata priſtina ſcelera iis denuo irretitur, quàm de eo, qui fidem deſerens, & impietatem iterans ad falſam religionem ſe reuertit à Salomone primùm Prouerbiorum 26. 11. & deinde à Petro epiſtol. 2. cap. 2. v. 22. dicitur, *canis reuerſus ad vomitum.* Quòd non minus abominabilis immunditiæ id ſit, quàm canem fœditatem quam primùm tamquam moleſtam, & noxiam non ſine nauſea, abiecerat, rurſum abſorbere. Placuit hic ſenſus inter alios, & iam datos, & ſubinde dandos Photio apud OEcumen. necnon Iuſtiniano, & aliis. Et quidem menti ac ſcopo Apoſtoli omnino congruit, ac reliquorum quaſi radix, & ſemen eſt. 4.

Prou. 26. 11. 2. Pet. 2. 22. Photius. Iuſtin.

At enim notiſſimum deinde maledicentiæ, & obtrectationis ſymbolum canis eſt, vt 2. Regum 16. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi.* Apocalyſis 22. 15. *foris canes.* Vbi ex Tertulliani, & Bedæ interpretationes canes appellantur, qui Chriſtianæ Religioni oblatrant. Sic enim Tertulliani lib. 2. contra Marci. cap. 5. *O canes, quos foras Apoſtolus expellit latrantes in Deum veritatis: hæc ſunt argumentorum offa, quæ obroditis.* Similiter Pſal. 21. 21. Chriſtus cœleſtem Patrem orans, vt Eccleſiã ſuam à mundi calũniis, & 5.

2. Reg. 16. 9. Apoc. 22. 15.

& persecutionibus liberaret, sic emphaticè dicebat. Psal. 21.21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*, vbi mundum acerba lingua, & indignanti stimulo innocentes indesinenter perfodientem canem appellauit, vt inibi hunc in modum interpretatur August. August. *Hic nihil aptius, quàm vnica Ecclesia mihi videtur intelligi, Canem verò appellauit mũdum non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem. Hac est enim canum natura, vt cum quibus habent cõsuetudinem, siue illi boni, siue mali sint, non ad eos latrent. Insolitorum autem personis visis etiam innocentibus irritentur.* Sub qua significatione Paschasius lib. 4. in Matth. illud Christi monitum. Paschas. Mat. 7.6. *Nolite sanctum dare canibus*, Matth. 7.6. sic accepit. *Per canes intelliguntur ij, qui contra veritatem oblatrando impugnant.* Prior verò Augustin. ad ea verba hæc scripserat lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 20. August. *Quapropter canes, quoniam insiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant, integrum esse non sinunt.* Nolite (*inquit*) sanctum dare canibus, *quia & si dilacerari, & corrumpi non potest, & manet integrum, atque inuiolabile; illi tamen quid velint, cogitandum est, qui acriter, & pertinacissimè resistunt, & quantum in ipsis est, si fieri possit conantur perimere veritatem.* Hinc Hieronymus in Procemio catalogi scriptorum Ecclesiasticorum in maledicos Ecclesiæ hostes sic inuehitur. Hieron. *Discant ergo Celsus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduersùs Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant Ecclesiam nullos Philosophos, & eloquentes, nullos habuisse Doctores, quanti, & quales viri eam fundauerint, extruxerint, & ornauerint, & desinant fidem nostram rusticæ tantum simplicitatis arguere.* Hæc ibi Hieronym. Sed dum Tertullianus rodendorum ossium meminit, allusit opinor ad Diogenem Tertull. Cynicum ob maledicentiam Canem appellatum, cui ea de causa ludens Alexander sportulam ossium plenam dono misit, quam ille minimè reiecit, sed sic simul accepit, atque momordit. Tertull. *Caninus quidem cibus, sed donum nequaquam regium.* Vnde idem Tertullian. lib. de Pallio, cap. 4. sic rursum Diogenem ex latratu noscendum dedit. *Quòd si iam tunc locorum Diogenes de dolio latraret.* Ita quidem Lactantio lib. Lactant. Hieron. Quintil. Prudent. Salust. Isidor. 6. cap. 8. Hieronymo ad Rusticum, & epistol. ad Augustin. & dialogo aduersùs Luciferianos, Quintiliano lib. 12. cap. 9. Prudentio in Hamartigenia, Appio apud Salustium *canina facundia* prouerbialiter dicit; *quando causidici* (vt inquit Isidorus lib. 3. sentent. cap. 56.) *in certaminibus causarum, omissis, quæ agunt, veluti canes alterum sese lacerant, iurgiáque causarum ad iniurias suas conuertunt.* Sic Seuero gratulabatur sanctus Paulinus epistola 1. hunc in modum: Paulin. *Confugisti ad pietatis silentium, vt euaderes iniquitatis tumultum, mutescere voluisti mortalibus, vt ore puro diuina loqueceris, & pollutam* canina facundia *linguam Christi laudibus & commemoratione ipsa pij nominis expiares:* vnde hoc sensu Tertullian. vndequaque eruditissimus, vt diceret causarum patrocinium Tertull. se non suscipere; libr. de Pallio, cap. 5. inquit: *Causas non elatro.* Ad quem locum doctissimus Scholiastes Cerda (præter locum Hieronymi ad Rusticum iam citatum) ex Varrone Attacino, *latrare fora*, ex Affranio Persa, *gannire ad aurem*, ex Chrysostomo, *mordere, & comedere*, ex Seneca in Herc. Cerda. Varro Att. Affran. Chrysost. Fur. *rabiosa fori iurgia*, in hanc rem affert. Vide illum. Apud Comicum verò in Menæchmis act. 5. scen. 5. Menæchmus Sosides mulierem sic alloquitur.

Senec. Trag.

> *Non tu scis mulier Hecobam propter canem,*
> *Græci esse prædicabant?* Mul. *Non equidem scio.*
> Men. *Quia idem faciebat Hecoba, quod tu nunc facis,*
> *Omnia mala ingerebat, quemque aspexerat.*
> *Itaque adeò iure cœpta appellari canis.*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Sic etiam Horat. in maledicum quendam in lib. Epod. Ode 6. Horat.

> *Quid immerenteis hospites vexas canis,*
> *Ignauus aduersum lupos?*
> *Quin huc inaneis, si potes, vertis minas,*
> *Et me remorsurum petis?*

Ita ex sententia Patrum, & Interpretum Iustiniani, Iust. Corn. Estius. Cornelij, Estij Iudaïzantes Paulus notat, quòd maledico dente Euangelium, & res Christianas carperent, sic Theoph. Theoph. *Canes enim Gentiles dicebantur, nũc Iudæi, vt petulantes, & mordaces, & veritatis lucem impudentiùs oblatrantes.* Breuiùs Primasius. Primas. Photius. *Canes contra Euangelium latrantes.* Similiter Photius, *aut eo quòd occultè mordeant.* Addidit non nihil acutè Anselm. Anselm. *Cognoscite illos esse canes, hoc est, non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrãtes. Hac est enim canum natura, vt cum quibus habent consuetudinem, siue illi boni sint, siue mali non ad eos latrent, insolitorum autem personis visis etiam irritentur. Ita pseudo Apostoli consuetudinem legis tenent, & contra veritatis nuncios irrationabiliter latrant, & mordent.* Hæc Anselmus. Quo etiam, & S. Thomæ expositio ad sæuitiam qua Ecclesiam Iudaïzantes persequebantur, & dilacerare studebant, sic referentis. S. Thom. *Tria de his dicit, scilicet sæuitiam cordis irrationabilem, vnde dicit, canes. Natura canis est, vt statim ex ira latret, non ex ratione, sed ex consuetudine: sic & illi Isaia 56.11.* Isa. 56.11. Canes impudentissimi nescierunt saturitatem, ipsi Pastores nesciuerunt intelligentiam, &c. *Apocal. vltimo*, foris canes. Sic S. Thom. Fuisse verò hunc Iudæorum perpetuum morem criminationes, & querelas attexere, sæuósque morsus adiungere, sic inquit Basil. Seleuc. orat. 33. Basil. Seleu. *Semper enim Iudæus amans est criminationis, & ex quibus fructum capit, querelas captat*, vbi illum vides pro libito, & vtilitate criminantem. Nec omittenda fuerint in hac canis acceptione, quæ luculentissimè scripsit Euseb. Cæsar. lib. 10. Demonst. 8. vt Iudæis in Christum cruci suffixũ insultantibus omnino conuenire adstruat illud Psal. Psal. 21.17. 21.17. *Circumdederunt me canes multi*; sunt enim huic etiam instituto peropportuna, & his Iudaïzantibus Paulo infessis mirè quadrant. Si verò Euseb. Eused. *Canes autem erant, qui illũ circumdederant, & conuentus malignantium, ipsi ad circumcisionem pertinentes Magistratus Iudæorum, & Scribæ, & Principes Sacerdotũ, & Pharisæi, qui etiam vniuersam multitudinem compulerũt, vt sanguinẽ illius, & aduersùm seipsos, & aduersum filios suos peterẽt, proinde Isaias planè illos canes vocat, dum dicit:* Omnes canes stupidi, qui nequeunt latrare: Isa. 56.10. *Quum enim eos oporteret, tametsi Pastorem eorum nõ susceperant, attamen bonorum canum instar, domini sui rationalem gregem, atque oues domus Israël custodientes, doctè, ac prudẽter latrare, Dominúmque suum, ac Pastorum Principem demulcere, atque agnoscere, omníque custodia creditum sibi gregem conseruare: latrare autem si fortè acerbiùs vellent, contra eos id facere, qui extrinsecus gregi insidiarentur: ipsi contra canum stupidorum, réque vera insanientium instar, latratus suos emiserunt, & oues Pastoris efferarunt, vt meritò conueniat eis illud:* Circũdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me. *Quin etiam omnes, quicumque ex hunc vsque diem itidem, vt illi pergunt maledicere, ac latrare aduersùs Christum Dei, ab illis diuersi putandi non sunt.* Hæc & alia inibi Eusebius. Consentanea sunt, quæ habet Epiphanius hæresi 78. aucto tamen censu, dum Iudæos non vtcumque canes, sed qui rabidi etiã fuerint, ac præ rabie verum Dominum non agnouerunt, sic adstruit.

Et sanè hi rursus furiosi instar rabiosorum canum proprium suum Dominum allatrant; quemadmodum ab initio Iudæi hoc non cognito, merito a Propheta appellati sunt canes muti, *huius nominis cognomen acepti ex impudente impetu, quo in Dominum, & ipsum aduentum, velut verè videre est. Aiunt enim rabiosos canes, mutos appellari, eò quòd edentuli fiunt ex relinquente ipsos notione. Ea est enim canum natura, ubi in rabiem conuersi fuerint, qui aliquando dominum nouerunt, & filios ipsius, domesticósque, & alios omnes domini familias genuinos, quum apprehenderit ipsos insania, alterantur persona coram ipsorum aspectu, & in ipsos domesticos exurgant, quos aliquando honorantes causa ipsis blanditi sunt moribúsque subditi fuerunt. Statim enim, qui spectabant Christi aduentum, qui parati erant suscipere ipsum, qui prophetias videre rogabant, qui obedire diuinis sermonibus promiserant, &c. velut rabiosi canes insurrexerunt, & manus iniecerunt, velut semper cum rabie canis immissis antea manibus innadit.* Et post plura in hanc rem subiicit. *Post hos verò similiter, qui nunc sunt, noui Iudæi alternatim eodem ductu vsi sunt.* Hactenus ex Epiphanio.

6. Affinis huic canis analogiæ, illa est, sub qua oris impudentia, quæ ad publicè maledicendum anteire solet, designatur, vt apud Isai. 56. 11. *Canes impudentissimi*, & 2. Regum. 3. 8. *Numquid caput canis ego sum aduersùm Iudam hodie, vt argueres me pro muliere hac*, id est, vt benè explicat Martinus del Rio in adagialibus, tomo 1. adag 189 Esto commiserim, quod improperas, an idoneus visus sum tibi, quem palàm dehonestares? Me ne adeò impudentem putas, vt non erubescam, & grauiter feram coram aliis hoc mihi flagitium obiectari? Est quidem canis animal admodum inuerecundum, vt Oppianus lib. 5. de venatione notat, imò tam profligatæ impudentiæ infame, vt ipso habitu oris eam præ se ferat impudentiam vt ei qui omninò depuduerit faciem canis inesse prouerbialiter dicamus. Hinc *Cynici Philosophi* (ait Pollux) *dicti sunt ab ingenio canino impudente, audace contumace.* Similiter Varinus: *Cynici à Canum inuerecundia dicti non priuatim, sed publicè quem vellent, tanquam allatrantes reprehendebant, cibum etiam in publico sumebant, & quæuis alia, quæ cæteri homines ab aliorum oculis solent abscondere, in hominum conspectu faciebant*. Sub quo opinor sensu Demetrium Cynicum Vespasiano Imperatori assurgere nolentem ipse canem appellauit apud Suetonium in Vespasiano capit. 13. Quam ad rem opportuni essent Catulli versus, nisi ad eos transcribendos & modesto lectori dandos facies canis scriptori pernecessaria foret, ergo, ne sana pereant, putrida præcidam.

Isai. 56. 11.
2. Reg. 3. 8.
M. del Rio.
Oppianus.
Pollux.
Sueton.

Catul.

Quæ sit quæritis illa quam videtis
Turpe incedere, mymicè, ac molestè
Ridentem Catuli ore Gallicani
Non assis facis, ô lutum lupanar,
Aut si perditius potest quid esse;
Sed non est tamen satis putandum,
Quòd si non aliud pote est, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Iam hæc canibus Paulo infensis, plures ex Patribus, & interpretibus accommodant, licèt non vna ratione. Nam Chrysost. Theoph. Estius, & alij interpretes ad petulantiam in oblatrando referunt quòd Iudaïzantes ingenio canino Euangelio publicè allatrarent. Theodoret. verò de ea petulantia intelligit, quæ sæpius de vitiis suis ab Apostolo admoniti, in ipsis perdurare non erubescebant. Sic enim Theod. *Canum propria est impudentia, quoniam ergo sæpè conuicti quòd prædicationem adulterarent, & corrumperent, in sua improbitate perseuerabant, eos meritò canes vocauit.* Ita ille. Pro quo facit, hoc canes illos finet esse, de quibus paulo inferiùs inquit Apostolus, *multi enim ambulant, quos vobis sæpe dicebam.* Sanè quasi multoties à Paulo obiurgati in aliorū exemplum, à quibus cauerent adhibiti. Indiscriminatim verò Photius, canes propter impudentiam appellari etiam dicit.

Chrysost.
Tertul.
Theoph.
Estius.
Theodor.
Theod.
Photius.

7. Possis etiam subinde aliam canis analogiam considerare, & præfatam Iudaïzantium petulantiam de impura eorum conuersatione, ac turpitudine accipere. Canis enim maximè impurus & obscœnus, & lasciuiæ palam inseruiens esse perhibetur. Sed id nõnulli, qui summæ eruditionis haberi volunt, non aliunde adstruunt, quàm quòd canes auidiore quodam affectu lepores consectentur, cuius significatum inter nequitias improbiores reponunt, atque ex Ouidio, Apollinis affectum, quo Daphnim insequebatur, ex auiditate, qua leporem canis petit, explicante, confirmant. Ego verò odi cane peius, & angue eos, qui præter impuritates, quæ sese vltrò nostris oculis ingerunt, mysticas alias rimari, & ab eo sensu, qui palàm est, ad occultiorem alium, & arcanum tamquam venatici canes olfactu deprehendere gestiunt. Abscondenda hæc certè si in propatulo essent, & consepelienda, non verò eruenda, dum omnino latent, immò verò dum nonnisi in eorum voto, & olfactu inueniuntur. Quid, quòd patente via quærunt semitam, est enim tam manifesta canis impuritas, & turpitudo, vt præterquam quòd prouerbio cesserit: *Masculi canis infinita cubilia*, ad quod alludens Saluian. Massil. lib. 4. de prouid. procerum sui temporis libidinem carpens dixit: *Vt canum, vel suum more tantas putet coniuges suas esse, quantas potuerit libidini subiugare*; præter hoc, inquam, vna, eadémque lege à Domino cauebatur, ne merces meretricis, nec pretium canis in templo sibi offerretur; sic enim Deuter. 23. 18. *Non offeres mercedem prostibuli*, (Hebr. Chald. & apud LXX. *meretricis*) *nec pretium canis in domo Domini Dei tui*. Quæ verba sic expendit Hieronymus ad cap. 66. Isaïæ. *Pulchrè canis, & meretrix copulantur, quia vtrumque animal pronum est ad libidinem.* Nec aliò eunt illa Tertulliani verba in Apologetico, cap. 7. de vitiis falsò impositis Christianis. *Dicimur sceleratissimi, &c. quòd euersores luminum, canes, lenones scilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inuerecundia procurent.* Sic etiam dixit Lyricus lib. 1. epist. 2.

Ouidius.
Saluian.
Deut. 23. 18.
Lectio Hebr. Chaldaa. LXX.
Hieron.
Horat.

Syrenum voces, & Circes pocula nosti.
Quæ si cum sociis stultus cupidúsque bibisset,
Sub domina meretrice fuisset turpis, & excors
Vixisset canis immundus.

Homer.

Sanè apud Homerum illud Achilles in Agammenonem ad notandam eius impuritatem iacit conuitiũ, quòd *caninis oculis sit*. Taxat ergo Paulus Iudaïzantium turpitudinem, sicut & versu 19. cùm ait: *Et gloria in confusione ipsorum*; vbi nos Deo auspice plura tam ex propria, quàm ex aliorum sententia dabimus; ita Chrysostom. orat. 2. aduersùs Iudæos eos ex hoc loco sic carpens. *Similiter, & canes illos appellat, & equos insanientes in fœminas: non quòd illorum esset transformata natura, sed quòd horum animalium incontinentiam imitarentur.*

Infr. vers. 19.
Chrysost.

8. Subsistit verò hæc explicatio tam ex eo, quòd Iudæi libidinosi, & impuri semper exstiterint, vt Prophetarum oracula manifestant, & auctores passim notant; singillatim verò Cornelius Tacitus, qui lib. 5. historiarum proiectissimos ad libidinem esse ait. Tum etiam, quòd canum mentionem ideò fecerit Paulus, vt eos esse vitandos admoneat; nam illi familiare est, fideles ab impurorum hominum consortio seiungere, & deterrere: sed & contextus huc inclinat; cùm Paulus canes hos *concisionem*, se autem,

Corn. Tac.

rem, & Christianos circumcisionem, hoc est, homines corde circumcisos, quique Deo spiritu seruiant appellet, vbi circumcisionem cordis, hoc est, affectuum munditiam, nec non vitam spiritualem concisioni corporis, & vitæ concupiscentiis carnis irritæ non obscura antithesi, & si Græca spes, pulchra paronomasia opposuit.

ad Rom. 16. 15. 2. ad Cor. 11. 20. ad Tit. 1. 12. Isa. 56. 11. Seneca. Athenæ. Xenoph. Martin. del Rio. Ambros.

9. Hinc ex præfato vers. 19. illis in verbis, *Quorum Deus venter est*, ad horum ingluuiem, & voracitatem, canum etiam appellationem cum Estio referas dicente, canes Iudæi erant, qui ventris causa apud omnes se ingrebant. Sic sæpius, vt ventricolas Paulus carpit ad Roman. 16. 18. & 2. ad Corinth. 11. 20. *Si quis deuorat*; ad Titum 1. 12. *Ventres pigri*: sanè voracitatis, & ingluuiei egregium simulachrum carnis est. Ita citato Isaiæ loco cap. 56. 11. *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Quibus verbis adiunge illud ex Seneca epistol. 74. *Solebat Attalus hac imagine vti: vidisti aliquando canem missa à domino frusta panis aperto ore captantem? quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat.* Vnde de Cynicis Philosophis Elearcus apud Athenæum lib. 14. *Non frugalem, & abstinentem vitam exercetis ò Cynici, sed re vera caninam viuitis.* Et paulo pòst, *vitia canum, allatrandi nempe, & maledicendi licentiam, & voracitatem.* Similiter apud Xenophon. lib. 5. de instit. Cyri, *cibo & vino tentari, & commoueri vt illæ ipsis [illegible], & belluinum esse videtur*, sic ibi, cuius argumenti plura reperies apud Martinum del Rio 2. tom. Adag. in Psal. 58. *Famem patientur vt canes.* Iam præfata canis symbola pæneque omnes huius loci expositiones firmare videtur Ambrosius libr. ad Virginem deuotam, c. 1. his verbis: *Fratres tuos spirituales homines non sequeris, & sequeris carnales, qui si non saturentur, murmurabunt. Misisti margaritas tuas ante porcos, qui conculcent eas pedibus suis, & conuersi elidant te. Non audisti? vitate canes, vitate malos operarios. Qui sunt isti? Homines huius sæculi, qui non sequuntur vestigia Christi. Rogo te quid tibi demonstrant? doctrinam quam non sequuntur, nisi diabolicam sapientiam huius sæculi? Ieiunium quod oderunt? abstinentiam quam iudicant? humilitatem quam opprimunt? sobrietatem quam negligunt? sinceram mentem quam non habent nisi duplicem? Verecundiam quam proiiciunt à se? Nescio autem quid vis studere cum ipsis.* Hactenus ille.

Exod 11. 6. August. 2. Reg. 3. 8. Hieron. Eccl. 9. 4.

10. At enim, cùm his verbis subiiciat Apostolus, *videte concisionem*, quod ad Iudaicæ professionis contemptum, atque ignominiam omnino dictum videtur; non ineptè quis dixerit, Paulum etiam canes Iudaïzantes appellasse, vt illos infra abiectissimos deiiceret, & nullius frugi homines faceret. Etenim canis ad rem omnium vilissimam denotandam sumi in Scripturis solet, vt Exod. 11. 6. *Eritque clamor magnus in vniuersa terra Ægypti, qualis nec antè fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine vsque ad pecus.* quæ verba sic elucidat August. lib. 2. locution. de Exodo tomo 3. *Elegantissima locutio est: per canem quippe extremum significauit, vel hominum, vel pecorum, ita commendans, quanta in Hebræis quies futura esset, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus.* Quem etiam sensum reddidit Hyeronymus præfatis verbis Abner. 2. Reg. 3. 8. *Numquid caput canis ego sum aduersum Iudam hodie*; ac si diceret (inquit Hieronymus in qq. in lib. 2. Regum) *propter te, & domum patris tui dicor caput canis esse contra Iudam, &c. caput canis se dicit esse, id est, vilem, eo quòd à domo Iuda haberetur sicut latrantes canes, & eo quòd princeps esset canum, id est, stultorum hominum.* Nec aliò it illa Ecclesiastis locutio cap. 9. *Melior est canis viuus leone* mortuo, de qua ibi interpretes. Sanè si animum vel mediocriter attendis, facilè videris Iudæos olim fortissimos, & magno in pretio quasi egregiæ indolis homines, habitos à Christi Domini passione omnium abiectissimos, & inuisos censeri. Vnde Ammian. Marcellin. lib. 2. de Imperatore Marco Anton. agens ait. *Cùm Palæstinam transiret Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum, & tumultuantium sæpè tædio percitus dolenter dicitur exclamasse: O Marcomani! O Quadi! O Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.* Quò it commune omnium gentium in eos odium: vel audi vt blasphemet Rutilius Gallus libro 1. itinerarij ad hunc modum.

Ammia. Marc. Rut. Gal.

Atque vtinam nunquam Iudæa excisa fuisset
Pompeij bellis, imperioque Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresque suos natio victa premit.

Plin. Chrysol.

His canis iuxta Pauli textum, & Iudaïzantium mores acceptionibus duas alias non omnino reiiciendas adiungo, alteram, vt ex canis natura inuidentia Iudæorum erga Christi discipulos, quos periti, illos mordere, & insectari non cessabant, designetur. 11.
Nec enim canibus hoc inuidiæ vitium deest; sic enim de illis Plinius lib. 25. cap. 8. cùm de canaria herba disserit, *inueneruntque canes eam qua fastidium deducunt, eámque in nostro conspectu mandunt sed ita vt numquam intelligatur quæ sit: etenim depasta cernitur. Notata est hæc animalis huius malignitas in alia herba maior, percussus enim à serpente mederi quadam sibi dicitur, sed illam homine spectante non decerpit.* Sic ille. Rem auget Hispana paroemia, *Perro del hortelano, que ni come las berças, ni las dexa comer.* Quam sanè ad rem de Scribis his, & Pharisæis opportunè loquutus est Chrysolog. sermo. 172. explicans ea Christi verba Luc. 11. *Væ vobis legis periti, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis*, ad hunc modum. *Audistis ergo: quemadmodum dum seclusit alios, se ipsum Ianitor inuidiosus exclusit. Acceperat claues Pharisæus, non vt clauderet, sed vt intrare desiderantibus aperiret. Sed ne intraret alter, ipse permanere foris maluit per liuorem.* Sic Chrysolog.

Suidas. Eustath. Igna. M. Plin.

Altera canis ad Pauli mentem consideratio fuerit, vt denotet fictos amicos, & adulatores plus æquo in obsequium pro temporis opportunitate pronos, & veluti canes blāda lingua lambentes, qui tamen suam nacti occasionē acriter dentibus mordeant. 12.
Fuit enim Græca paroemia Κυνὸς λαίθαργος, id est, *canis clanculum mordens.* dicta de simulatoribus, qui beneuolentiam, & studium suum ore prædicant, clam tamen insidiantur, & dolum blando risu prætexunt. In quem sensum duo ab Adagiographo citantur testimonia, alterū è Iambicis Suidæ,

Palpando mordens, clam canis dentem imprimens.

Alterum Eustachij Odyss. 16. obtrectatoris nominātis λαίθαργος [illegible], id est, *in medium clancularij canis mordentis.* Sic quidē, ni fallor, visus est intellexisse hunc Pauli locum Ignatius Martyr. epistol. 2. ad Antiochenos, dum illos de his canibus, tam ex his Pauli verbis, quam ex citatis ex versu 19. sic monet: *Videte malignos operarios, inimicos crucis, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum. Videte canes rabidos, serpentes super pectus repētes, dracones squamosos, & aspides, basiliscos, scorpiones. Hi sunt Thoës.* Hæc Ignatius. Sed non ideo intellectu facilia sunt; latet enim sensus tam ex modo dictis, quàm ex illis verbis, *hi sunt Thoës* eruēdus. Et verò Thoës sic definit Plinius lib. 8. cap. 34. *Luporum genus procerius longitudine, breuitate crurum dissimile, velox saltu, venatu viuens, innocuum homini,*

habitum, non colorem mutant, per hyemes hirti, æstate nudi. Sic ille Vbi vides Thoës, & homini innocuos, & se se temporibus accommodantes. Ad hæc Rho-
Cel. Rho. diginius lib. 13. cap. 27. illos homini amicissimos esse affirmat, quique eum venerentur, & ab aliarum bestiarum incursibus defendant. Iam obserua eosdemmet homines, ab Ignatio cum animalibus homini inimicissimis, canibus nimirum rabidis, draconibus, aspidibus, basiliscis, scorpionibus simúlque cum Thoibus ipsimet homini amicissimis, componi; planè vt indicet id horum canum ingenium esse, vt cum blandè demulcent, venerantur, defendeníque ac opitulari videntur, opportunitatem ad mordendum, vulnúsque infligendum ac venenum stillandum obseruent. Pende nunc illud *hi sunt Thoës.* Voluit dicere, hi qui vobis Thoës; hoc est, familiarissimi, & amicissimi videntur, non alij sunt, quàm dracones, basilisci, aspides, canésque rabidi, qui lingua, & blandis caudæ motibus blandiantur, dentésque subinde imprimant, & morsu apprehendant. Et huc quidē maximè facit verbū *videndi*, seu cauendi, quo Paulum innuere dicebamus, occultum esse hoc hostium genus ob'eruationéque non mediocri ad eos deprehendendos opus esse.

13. Similis omnino Pauli locus, & in hanc senten-
ad Rom. 16. 18. tiam egregius ad Roman. 16. 18. *Rogo autē vos fratres, vt obseruetis eos qui dissensiones, & offendicula praeter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinasse ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino non seruiūt, sed suo ventri, & per dulces sermones, & benedictiones* (Græcè *blandiloquentia*) *& assentationes seducunt corda innocentium.* Vbi non obscura voracium horum canum vestigia vides: sed audi Chrysostomum. *Re-*
Chrysost. *cte dicit Apostolus* per blandiloquentiam, *obsequium quippe illorum in verbis hæret; mēs verò talis non est, sed dolo referta.* Ita ille. Quòd si sigillatim horum aspidum, & basiliscorum venenū, quod sub Thois specie homini propinant videre velis, audi Irenæū libr.
Irenæus. 3. c. 19. *Similia loquentes fidelibus, non solum dissimilia sapiūt, sed & contraria, & per omnia plena blasphemiis, per quæ interficiunt eos, qui per similitudinem verborum, dissimile affectionis eorum in se attrahunt venenū; sicut quis aquam mixtum gypsum dans pro lacte seducit per similitudinem coloris.* Hæc & plura Irenæus. Subiicit Apostolus, *gaudeo igitur in vobis, sed volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Quæ verba eadem esse videntur cum illis versu 10. c. 1. *Vt charitas vestra crescat in omni scientia, & sensu,* iuxta Chrysostomi interpretationem quam ibi dedimus, & statim in adnotationibus persequemur.

Videte malos operarios.

14. QVos canes primùm dixit, nunc *malos operarios* appellat, quod operarentur quidem, vt ait
Chrysost. Chrysostomus, *sed malam in partem, opúsque otio longè deterius, cum quæ rectè sunt constituta, disiiciunt.* Sic
Theod. ille Theodoret. *non ædificant, sed ædificium diruere*
Primas. *conantur.* Primas. *Quidquid nos ædificamus, destruere*
Theophy. *conantur.* Theophylact. *canum enim plerique, dominorum inhiant mensæ, alij domos custodiunt, hi verò & si operantur, in prauis tamen, & turpibus operam suam impendunt, auellúntque & dissipant, quæ diutius sunt*
Anselm. *bene plantata.* Anselmus, *Notate, & cauete eosdem pseudoprædicatores, quia in agro Dei super frumentum*
S. Thom. *seminant zizaniam errorum.* S. Thomas, *non fideliter in vinea Domini laborant, nec bonum semen in agro Dei mittunt.* Hæc Patres.

15. Apparet ex dictis hosce malos operarios Christiano gregi fuisse admixtos, qui cum Christiano nomine censerentur, & Euangelium prædicarent, reapse hostes Christi, & Euangelij essent, tum prauis, & turpibus rebus operam dantes, tum Iudaïsmū sub Christianis dogmatibus obtrudentes; iidem ergo hi sunt cum illis de quibus 2. ad Corinth. 11. 13.
ait: *nam eiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi,* nec non cū iis, 2. ad Cor. 11. 13.
de quibus eadem epistola c. 2. 17. *Non sumus sicut* 2. ad Cor. 2. 17
plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Et verò si de phrasi agitur, eadem est cū illa, Christi apud Lucam 13. 27. *Discedite à me operarij iniquitatis.* nam Luc. 13. 27.
hæc Christi concio ipsammet dixeris ac illam quæ habetur Matth. 7. 21. *Multi dicent mihi in illa die,* Matth. 7. 21.
Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nūquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatē: vt omnes explanatores, & res ipsa siue voces eædem loquuntur, & quidem his in verbis Dominus ex sententia August. lib. 2. de serm. Domini, Auctoris August.
Imperfecti hom. 19. in Matth. Hieronymi, & Hila- Auct. op. Imperf.
rij, quam maximè probat Maldonatus de solis falsis Hieron.
prophetis, & Doctoribus, qui aut veram fidem non Hilarius.
habent, sed habere simulant, vel, vt Auctor Im- Maldon.
perfecti censet, vel fidem habent veritate destitutam, vt Hieronymus, & alij volunt, loquitur.

Possis etiam optimo merito *malos operarios* hos 16.
ministros dicere, vel ob hoc solum quòd canes ventri, & carnis delitiis dediti essent. Quid enim à bono operario fuerit magis alienum, quàm lautè, delicatè, ne dum luxuriosè viuere: Iratissimum, vel hac ratione veteribus Sacerdotibus se se Dominus exhibebat Osee 4. 8. inquiens: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eo-* Osee 4. 8.
rum. Sed obserua S. Cyril. Alex. ibi extrema hæc ad hunc modum legere: *in iniquitatibus eorum accipient* S. Cyrill. Alex.
animas eorum, siue *suas*; sic verò explicare, vt sit sensus: Deum illis Sacerdotibus infensum esse, quòd populo peccante, ipsi in sacrificium pro eo proprias animas non offerrent, sed molliter, & delicatè viuerent. Ita enim Cyrillus. *Cùm igitur etiam de Sacerdotibus accipiant, dicant, meritò intelligatur vox pro offerent. In tempore igitur iniquitatum, populi videlicet, ipsi accipient, hoc est, offerent in sacrificiū, & in odorem suauitatis spiritualem Deo animas suas, probè nimirum conuersantes, & vitam legibus mirificè consentaneam traducentes, & quæ Sacerdotibus decora sunt, cogitare, & facere summo studio enitentes. Potest enim talis populus, qui in offensam Dei incurrit, & legē iniquè violauit, in pristinum locum restituere. Verum enim verò ad hoc instituti, inquit, vnà cum aliis lapsi sunt.* Hæc Cyrillus. Nec multo aliter Theodoretus, in-
quiens. *Quoniam in sacrificiis pro peccatis oblatis de-* Theodo.
licatè, dissolutè, & indulgenter versamini, & congruam curationem habentibus non admonetis, horum delictorum, & iniustitiarum pœnas dabitis. Sic ille.

Videte concisionem.

AD Ecclesiæ lacerationem ex schismate, quòd 17.
mali hi operarij in ea faciebāt, sic refert Theo-
doret. *Circumcisionem prædicantes, corpus etiam Ec-* Theodo.
clesiæ excindere conantur. Anselm. verò de ipsorum-
met à Christo excisione hunc in modū capit. *Vide-* Anselm.
te concisionem: id est, *eos concisos, & excuriatos, quia carnem amputauerunt, sed vitia nutriunt, & à Christo cæsi, id est, abscisi sunt.* Sed neutrum opinor è Pauli mente primariò est, qui eo vocabulo ad circumcisionem iam antiquatam, & infructuosam, imò etiam noxiam acutè adspexit, vt ex antithesi circumcisionis spiritualis, quam sequenti versu

versu sic opponit. Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo. manifestè apparet. Ita Chrysostom Theophylact. & D. Thomas. *Magnum quidem, & maiestatis plenum* (inquit Chrysostom. *erat apud Iudaeos circumcisio, quandoquidem, & lex ei decedebat, & Sabbatum circumcisione vilius erat. Propterea Paulus ipsius nomen referat, &* inquit, videte concisionem, & paulò post, *& quid inquit? circumcisio illa concisio est, quapropter? Nihil enim aliud faciunt, quàm quòd carnem concidunt. Quando enim quod fit, legitimum non est, nihil aliud quam carnis sectio est, & concisio. Nam & nos concisionis nomine vtimur in iis, qui temerè & sine arte hoc faciunt.* Hæc Chrysost. Similia alia Patres. — Chrys.

18. Et verò Græca vox κατατομὴν, non solùm significat concisionem, sed etiam occisionem, qua quis ex multis vulneribus, ictibúsque concisus occiditur. Vnde non tantùm innuit Paulus circumcisionem, olim optimo merito in pretio habitam, iam quid sine arte, & illegitimum esse, sed temerè etiam, & cum destructione, & occisione eorum, qui circúcidebantur adhiberi; quasi dicat: hos cauete, quos non tam appellem circumcisos, quàm concisos, dissectos, & occisos mortiferis modò animæ vulneribus; postmodum verò vulneribus pœnarum inferni. Ita quidem exponit hunc locú Ribera in id Ioëlis 3. 14. *Populi populi in valle concisionis.* Et verò dum ipse hæc Vatis verba sic explicat, vt significent Vallem Iosaphat, quòd in ea concidendi, id est, disperdendi, sint inimici Dei, phrasi ad extremum exitium denotandum Scripturę familiaris; vt Psalm. 88. 24. *Et concidam à facie ipsius inimicos eius.* & Psal. 128. 4. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum*; non abs re dixeris ad id loci Paulum allusisse; pulchrè docens, quàm alius modò sit circúcisionis status ab eo, quem ante Christum habebat; tunc siquidem Dei filios ab alienis, discriminabat, illósque ipsi adhærere faciebat; nunc verò illa à Deo homines diuidit, atque præcidit, ac proinde extremo damnationis supplicio obnoxios reddit; iuxta ea, quæ de phrasi diuidendi ex Cæsario Nazianzeni fratre elucidante illud Christi Domini apud Matthæum 24. 41. *Diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis*, diximus ad cap. 2. vers. 13. adnotatio. 4. numer. 10. vide ibi. — Gen. ibid. — Ribera. Ioe. 3. 14. — Psal. 88. 24. — Psal 128. 4. — Matth. 24. 41.

19. Quò pulchrè per allegoriam retulit Ambrosius ea Vatis verba Psal. 36. 35. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*: vt Iudæorum Scribis, qui ab altissimo Circumcisionis culmine in concisionis statum, in quo Scripturarum sonú, & corticem, siue potiùs literam occidentem sequuntur, infeliciter ceciderunt, vndique quadrent; nam dum se aliquid esse existimant, nihil sunt. Audi Ambrosium: *Est & alius impius, qui videtur exaltatus, & eleuatus super cedros Libani; & si transeas, non erit, nec locum eius inuenies. Vide mihi Scribam Iudaïcum reddentem seriem veterum Scripturarum, sed non sequentem. Audis, quia labiis reddit, miraris vt doctum. Interroga, quid sentiat. Respondet secundú literam, percurrit historiam. Superexaltatus videtur tibi, & eleuatus, si literam cogites. Transi ad intelligentiã spiritualem, quia lex spiritualis est, vides illũ nihil esse; tum dicis.* Vidi impium superexaltatum, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eũ, & non est inuentus locus eius. *Quæsiui eum, vbi esse debuerat, vbi vita est, non illum inueni. Non erat ibi vbi vita erat, quia mortuus erat, & ideo nec locus eius inuentus est.* Sic Ambros. En circumcisionem Iudæis in concisionem, & occisionem commutatam: & ad gentes in Christum credentes spiritualiter translatam, vt inde ij, qui prophani, & à Deo verò alieni antea, vt immundi canes, habebantur, Christi fide & spirituali concisione mundati, regiis, & generosis olim, iam verò defunctis leonibus potiores, atque meliores censeantur. *Melior est*, enim (Salomone auctore Ecclesiast. 9. 4.) *canis viuus leone mortuo*; huc hæc verba sic referente Salonio: *Canis viuus significat populum gentium, leo mortuus populum Iudaeorum à Deo derelictum. Melior est ergo apud Deũ Canis iste viuus, quàm leo ille mortuus, quia nos qui de gente credimus viuentes, per fidem cognoscimus Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Ita ille. Sed quam acriter hinc ex præteritæ felicitatis recordatione feriantur! Ita quidem S. Zeno Veron. M. eximia Dei primitus illis collata beneficia ad pulsandos illorum animos hunc in modum reuocabat. *Ad hoc sane in eremo aquam de petra bibisti: manna ac calo gustasti, vt cùm esses ad egestatem postmodum deuolutus, præteritorum bonorum recordatione acriùs torquereris.* — Psal 36. 35. — Ambros. — Eccl. 9. 4. — Salonius. — S. Zeno M.

20. A quo quidem non longiùs iuerit, quod in adolescente illo de æterna salute Dominum consulente, & ab eo de terrenis possessionibus relinquendis admonito; eáque de causa non sine graui mœrore à Christo discedente, Luc. 18. 23. sic excogitauit Hilarius canon. 29. in Matth. *Adolescens insolens vbi iacturam legis facere præcipitur, mœstus, & tristis est. Est autem huic populo crux, & passio scandalum, & idcircò ipsi nihil salutis ex ea est, sed gloriatur in lege, & cohæredes gentes aspernatur, & transire in Euangelicam libertatem recusat.* Enim verò huic Iudaïci populi excæcationi Gentilium salutem in sequenti à Christo pronunciata sententia: *Facilius est enim Camelum per foramẽ acus transire*, opportunè statim adnectit Hilarius hunc in modum: *Non conuenit Camelo eum acus foramine; neque in angustis cauerna exiguissima, recipi poterit bellua ingentis informitas. Sed in primordio libri sub vestitu Ioannis, in Camelo gentes significari admonuimus. Pecus enim hoc verbis obedit, metu continetur; ieiunij patiens est, & oneri suo quadam disciplina ratione succumbit: cuius exemplo gentium immanitas ad obedientiam præceptorum cœlestium emollitur. Hæ igitur angustissimũ iter regni cœlestis introeunt.* Illud verò tam concisionis, quàm circumcisionis phrasibus fuerit opportunius; quod de mystica acu sic statim adiúgit Hilarius: *Acus scilicet, quæ est verbi noui prædicatio, per quam corporum vulnera assuũtur, & assuta vestium texuntur, & mors ipsa compungitur. Ergo huius nouæ prædicationis hoc est iter, in quod facilius informitas gentium introibit, quàm opulentia diuitis, id est, gloriantis in lege.* Hæc Hilarius. Vbi Iudæos dissutos, concisos: Gentiles verò consutos, sanatos, & ad cœleste regnum vocatos, & admissos vides. — Luc. 18. 23 — Hilar.

21. Inest etiam peculiaris emphasis huic concisionis locutioni ad eum Synagoge morsum siue aculeum infigendum, quòd ipsa ex Christi morte in seipsa concisa, dissecta, & lacerata extiterit, cùm tamen è contra Ecclesia gentium toto terrarum orbe dispersa, per Christi sanguinem collecta, & in vnum congregata fuerit; id quod & velũ templi *à summo vsque deorsum scissum*, Matth. 27. 51. & Christi tunica indiuisa, & impartita perseuerans, Ioań. 19. 24. satis dilucidè ostendunt: nam vt illud Synagogæ concisionem; ita hæc Christiani populi indiuisam vnitatem egregiè præfigurarunt, vt sapienter obseruauit S. Athanasius in Euangel. *de Passione, & cruce Domini*, hunc in modum: *Hanc tunicam solam scindere non potuerunt metu eius signi, quod per eam denotabatur, neque tamen hoc illorum, sed suspensi Saluatoris opus erat. Nam cùm penderet, vt homo, principatus persequebatur, diabolũ comprehendebat, carnifices deterrebat, ne tunicam scinderent, vt ea manente maneret, & Iudeo* — Matth. 27. 51 — Ioan. 19. 24. — S. Athan.

Iudaeorum probrum, quod non multo post accidit, nimirum quum velo scisso tunica Christi, ne à carnificibus quidem diuisa est, sed integra mansit. Manet enim semper Euangelium, cùm vmbrae diuiduntur. Sic Athanasius. Nec ab hoc iuerit, quod ipsemet ad finem illius sermonis ex Oseae verbis de Synagoga à Deo
Osea 2.9. repudiata: *Liberabo lanam meam, & lineum meum, quae operiebant ignominiam eius*, cap. 2. 9. obseruat, & Iudaeis Christum ad flagella denudantibus sic aptat. *Et nudantes Dominum, ac verberibus mulctantes, non enim aduertebant, se ab eo renudari, & quod planctum aduersùs se prioritabant; dicit enim Dominus*, Auferam vestimenta mea, & lintea mea, vt non tegam turpitudinem eius. *& rursus*, ideo in planctu erit. Haec ille.

22. Fuerit verò his peropportuna ea explicatio, quam
Luc. 12. 51. Petrus Chrysol. serm. 164. adhibet illis Christi verbis Lucae 12. 51. & seqq. *Putatis, quia pacem veni dare in terrã? Non dico vobis, sed separationem: erunt enim ex hoc quinque in domo vna diuisi, tres in duos, & duae in tres diuidentur. Pater in filium, & filius in patrem suum; mater in filiam, & filia in matrem: socrum in nurum suam, & nurus in socrum suam*; dum enim scitè perquirit, quomodo Christus cùm dixerit quinque fore personas in domo vna diuidendas, sex statim numeret? patrem videlicet, & filium; matrem, & filiam; socrum & nurum: id ad Christi cum Ecclesia coniunctionem, & Synagogae separationem, & omnimodam à coelesti haereditate diuisionem, & exclusionem, sic refert. Crysol. *Cùm quinque dixerit ex vna domo diuidendos numero, nomine sex diuidentur; pater, filius, mater, filia, socrus, nurus: sed quia est ipsa socrus, quae mater est, certum est, quinque tantùm personas in his nominibus inueniri. Diuiduntur autem tres in duo, dum sponso sponsa coniuncta, socrus, quae tertia est, diuisa remanebit in domo. Ergo ista, in qua Ecclesia coniungitur Christo, Synagoga, quae mater est, & socrus permanet suo iam marito per diuisa.* Et statim in eamdem sententiam. *Duo ergo in tres ita diuiduntur, dum de isto Christi, & Ecclesiae consortio altera heres scinditur, & diuiditur Synagoga, vt Christus, & Ecclesia diuisi ab haereticis, vno maneant, & iungantur in spiritu.* Sic ille. Ad quem etiam modum appositè explicat patris à filio diuisionem, *dum Iudaicus populus, qui per carnalem Christi generationem paternum sortitus est nomen, à Christo filio per inuidiam separatur.* Haec Chrysolog. & alia.

23. Sed & huc etiam faciunt duo Leuitici canones
Leuit. 21. 7. sub hoc sensu à Procopio expensi; sic enim in primis Leuit. 21. 7. Summo Sacerdoti praescribebatur: *Scortum, & vile prostibulum non duces vxorem, nec eam, quae repudiata est à marito.* deinde inibi vers. 9. de Sacerdotis filia in stupro deprehensa sic decer-
Leuit. 21. 9. nebatur: *Sacerdotis filia, si deprehensa fuerit in stupro, & violauerit nomen patris sui, flammis exuretur.* Et quidem extrema haec verba Synagogae reprobationi, & damnationi sic inibi aptat Procopius. *Nam igni mancipata est Iudaeorum Synagoga, quae sequebatur placita Scribarum, & adhaerebat praeceptis humanis; idcircò Isaias exclamat.* Quomodo facta est meretrix vrbs fidelis, &c. Cui cogitationi opportunè concinit Chrysolo. serm. 169. inibi enim primùm de muliere, quae decem drachmas habens, vnam
Chrysol. perdidit, hunc in modum disserit: *Christus est plenum deitatis numisma. Christus est dragma nostrae redemptionis, & pretij Christus est, qui & erat in legi decalogo, & latebat, Christus est, quem habebat & Synagoga, & tenebris impugnantibus non videbat. Decem drachmas decem legis diximus verba, ex quibus verbum perdiderat, & Synagoga vnum. Quod vnum? illud, quod in Ecclesia primus, quia lucerna ardens erat, Ioannes inuenit, dicente Domino:* ille erat lucerna ardens, Ioan. 5. 35. Ioan. 5. 35.
Dicente Euangelista, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Ioan. 1. 1. *Hoc fuisse in Decalogo iam patescat.* Audi, Ioan. 1. 1.
inquit, Israël; Dominus Deus tuus, Deus vnus est, Exod. 20. *Hoc Synagoga dum non videt in Filio, amittit in Patre, dum non credit in Christo, Christum lethaliter crucifigit; cui meritò per Decalogum consequẽter dicitur*, Non occides, Exod. 20. 13. *Siquidem dum Iudaeus ipsam mandatorum seriem capite detruncat, ante Christi, quàm legis exit homicida; vnde totum corpus retorsit in Christum.* Hinc verò sequens Decalogi praeceptum: *Non moechaberis*, Synagogam spiritualiter fuisse transgressam, quae multorum. Numinum cultum suscepit, ac proinde vt adulteram fuisse dãnatam, sic infert. *Non occides: Non moechaberis, damnata est Synagoga, quae iuncta diis gentiũ repulit Christum, qui se posita potestate dominantis, coniugis ad eam descendit affectu.* Haec Chrysol. Rursus verò Procopius ad sensum spiritualem reuocans praefatum Leuitici canonem, ne Sacerdos impuram mulierem, vxorem duceret, sapienter cum eo illa Oseae cap. 2. 2. sub Domini persona verba, *ipsa non vxor mea; & ego non vir eius*, sic componit, *Iterum quoque ostendit Iudaeorum Synagogam alienam esse à Christo. Nam eiecta est ab vnitate, qua illi ipsam coniunctam esse docebat: idque testatur Propheta*, Quia ipsa non est vxor mea; nec ego maritus eius. *At Ecclesiam ex gentibus conflatam Paulus despondit, vt exhibeat se virginem castam, & irreprehensibilem Christo. Verùm alioqui Christus non despondetur animis impuris: puris autem vt virginibus coniungitur.* Hactenus ex Procopio.

Exod. 20. Exod. 20. 13. Procop. Osea 2. 2.

Habet etiam huic rei opportunum acumen, quod notauit Chrysolog. serm. 102. in illis Lucae verbis cap. 7. 4. quae pro Centurione pretiosi serui salutem exoptante, atque efflagitante seniores Iudaeorum Christo suggerebant. *Quia dignus est, vt hoc illi praestes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse aedificauit nobis*; nimirum Synagogam dirutam, & in coemẽtis esse, nisi à Gentili, qui Christum subinde suscepit, in nouam fabricam erigatur, & aedificetur; sic enim Chrysolog. *Audistis quia semper diruta est Synagoga, & iacet iugiter in coementis, nec coeleſtem surgit in fabricam, nisi eam in Ecclesia culmen Christianus fabricator extruxerit.* Cui cogitationi optimè accommodes Prophetae Amos vaticinium à Iacobo de Gentilibus in locum Iudaïci populi dispersi, iam atque destructi ad salutem admissis, atque subrogatis Actuum 15. 16. Sic enim ex Vate Apostolus. *Post haec reuertar, & reaedificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reaedificabo, & erigam illud, vt requirãt caeteri hominum Deum, & omnes gentes, super quas inuocatum est nomen meum*: vbi & Gentiliũ vocationem, siue ex illis factam diuini tabernaculi reaedificationem (de qua modò non agimus. Vide si velis opportunam explicationem illis verbis Ioannis apud Lucam 3. 8. *Potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahae*, ab Ambrosio adhibitam libro secundo in Lucam cap. 11.) & Iudaeorum dispersionem, & concisionem habes: vt veluti lapides ab aedificio in quo sublimes, & cum honore erant, deiecti; hac, illac dispersi circumuoluantur, atque rotentur. Qua de re sic elegantissimè Tertullian. in Apolog. cap. 21. *Iudaeis erat apud Deum gratia, vbi & insignis iustitia, & fides originalium auctorum, vnde illis & generis magnitudo, & regni sublimitas floruit, & tanta felicitas, vt Dei vocibus, quibus edocebantur, de promerendo Deo, & non offendendo praemonerẽtur. Sed quanta deliquerint, fiducia patrum inflati ad declinandum, deriuantes à disciplina in profanum modum, & si ipsi non confiterentur,* probat

24. Luc. 7. 4. Amos 9. 11. Actuum. 15. 16. Luc. 3. 8. Ambros. Tertul.

probat exitus hodiernus ipsorũ; dispersi, palabũdi, & cœli, & soli sui exortes vagãtur per orbẽ sine homine, sine Deo Rege, quibus nec aduenarum iure terram patriã saltem vestigio salutare conceditur. Hęc Tert. cuius vestigiis hærens ipsius discipulus Cyprianus post eadem

Cyprian. cum illo verba subiicit. *Quam verò fuerit illis profana vita, quã contracta sit violata religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui & si voce tacent, exitu confitentur: dispersi, & palabundi vagantur, soli, & cœli sui profugi per hospitia aliena iactantur.* Ab vtroque verò Prudentius in Apotheosi,

Prudent. *Exilijs vagus huc, illuc fluitantibus errat*
Iudæus; postquam patria de sede reuulsus
Supplicium pro cæde luit; Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.

S. Zeno M. Nec minus pulchrè S Zeno Veron. sermon. 11. de Exodo. *Quem mare sustinuit adunatum, non potest terra baiulare dispersum.*

25. Nazian. Dixit quidem hac de causa de infelicibus istis erronibus Gregor. Nazianz. orat. 12. *Vna vtique illis calamitatis columna totus terrarum orbis est, per quem variè fusi sparsique sunt, diuinúsque cultus compressus, & extinctus, ipsúmque adeo Hierosolymitanæ vrbis solum quòd vix iam cognoscitur, atque hactenus dumtaxat illis patet, idque dumtaxat fructus ex vetere sua gloria, & amplitudine capiunt, vt per diem conspicui facti solitudinem lugeant.* Hæc Nazianz. Pulchrè *calamitatis columna totus terrarum orbis*; nam, vt bonus Scholiastes Elias Cretensis inibi hęc

Elias Cret. explicat & euoluit. *Quemadmodum columnæ ex ære, vel lapide excitatæ, aut vituperationes, aut ærumnas multorum continentes prætereuntibus illas spectandas exhibent, sic totus terrarum orbis, per quem Iudæi dispersi sunt, & cultus ipsorum extinctus, & Hierosolymæ solum, quod vix iam agnoscitur, instar columnæ prædicant quæcumque ipsis horrenda acciderint.* Sic Elias ibi. Diffudit hæc luculenter Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 305. vbi de incredibili pænè numero Iudæorum à Romano exercitu, siue interfe-

Isidor. Pel. ctorum, siue captiuorum primùm ait: *Postea quàm consceleratí, atque nefarij Iudæi propter audacissimum illud, & immanè facinus aduersus Dominum perpetratum, Angelico subsidio destituti sunt, tum verò Romanorum gladio traditi tanto numero capti sunt, vt, qui conspexerunt, adduci vix possent, vt crederent, quemquam eorum interiisse; ac rursus tantus cæsorum numerus inuentus est, vt omnes ambigerent, an quisquam captus fuisset.* Post nonnulla in eam sententiam hæc subdit: *Qui autem cladi superfuerunt, ob id tantum modo superesse permissi sunt, vt & belli calamitates tragicum in modum deplorarent, & velut captiui quidam verberones orbem vniuersum peragrantes, Crucifixi cultum, ac venerationem omnibus in locis florentem prospicerent,* Hæc Isidorus. Nec fuerit omittendum, quod ex miserrima hac infelicissi-

S. Zeno M. mæ huius gentis ruina sapienter pendit S. Zeno Veronens. frustrà illam sibi de vero Dei cultu, siue de Paschæ celebratione blandiri, cùm nec vllum diuinæ apud illos religionis vestigium superfuisse videamus. Sic enim Zeno serm. 14. de Exodo. *Iudæos non tantùm legitimum Pascha celebrare non posse, sed religionis diuinæ prorsus nihil retinere paucis accipite. Salomonis templum, de quo præsumebant, excidit. Altaria Dei ipsi euerterunt: lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem. Sacerdotibus eorum luctus indicitur. Immolatio aufertur. Cessat vnguentum. Circumcisio vacuatur. Sabbatum denotatur. Neomenia, & dies festi odio habentur. Potiuntur eorum Romani regno. Nihil, vt arbitror, restitit illis proprium, nisi quod Agno salutari neglecto ingrati viles agnos cum amaritudine homines amari manducant.* Hactenus Zeno.

Ad ea verba, *Videte canes.*

ADNOTATIO I.

Improborum consortium à iustis omnino vitandum.

PVLCHRVM quidem, & dignum Paulo monitum, & quo vix vllum opportunius, & expedientius dixeris. Quî enim prodesse, aut proficere, siue etiam in virtute vllatenus consistere valeas, si improbis intermixtus fueris? Luctatur sæpiùs implicitis tecum nexibus dæmon, nec te valet de gradu dimouere; instat multiplici suggestione, vrget, & deiectus nouis ausibus denuo resurgit, nec tamen vincit, aut præualet Quid? animum ne ideo despondet? Minimè; sed fortiora in te arma & robustiora tela parat; quæ nam? blandum scilicet amicum, familiaremque sodalem, cuius noxiis persuasionibus deuictus, cuius prauis exemplis emollitus; cuius pestifera respiratione corruptus, peccato subiiciaris, & diabolo tandem infeliciter obtemperes: sapienter id sic monente Gregorio magno lib. 3. Mor. c. 6. *Callidus aduersarius* Gregor. M. *cum in bonorum cordibus repelli se conspicit, eos, qui ab illis valdè diliguntur, exquirit, & per eorum verba blandiùs loquitur, qui plus cæteris amantur, vt dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.* Sic Gregorius, apposita sanè similitudine vsus, rei cuiuspiam prædurae, quam non facilè clauo transfixeris, nisi illam priùs terebra perforaueris, ea verò præeunte nulla difficultate clauus intromittitur Nec multò aliter S. Ephrem homil. *de recta viuendi ratione,* per- S. Ephrem. dicis imaginem ab aucupe iam captæ, ad alias facili negotio cassibus innodandas propositæ, in hanc rem sic vsurpans. *Quæ primum capta fuerit anima ad alias decipiendas fit quasi laqueus, vt voluntati inimici obsequantur; sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt: circa illum anceps laqueos figit, vt voce sua perdix reliquas circumuolitantes ad eos pelliciat.* Pulchrè, vt inde videris, quàm difficilè sine noxio amico; quàm facilè illo duce animas pennis præditas, & per cœlestia volitantes malus auceps capere soleat. 1.

2. Extant huius veritatis ab ipsius mundi incunabulis præclara exempla; pessimus enim ille auceps ad primum hominem capiendum, Euã tamquam perdice iam capta; ad Euam verò decipiendam serpente tamquam terebra ad cor illius perforandũ, vsus est: & vt ab hoc incipiam, iam ambigis, cur potius serpentem, quàm aliud animal ad hoc facinus perficiendũ assumpserit? Respondent August. de ciuit. August. Dei, c. 11. & Diodorus apud Martinum Del-Rio Diodor. M. Del-Rio. causam fuisse, quòd serpens dæmoni idoneum ad fallendã instrumentũ, & operi suo congruũ: quare magis aptum & idoneum inter omnia animalia instrumentum? Recurrunt, vt par est, ad Scripturæ verba: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus,* Genes. 3. 1. Genes. 3. 1. Verum eum verò, vt ex his verbis is nodus tandem dissoluitur, ita priùs magis intricatur. Nã dum hic locus ad calliditatem, siue astutiam serpentis ab interpretibus frequentiùs refertur, multo difficilior res hæc redditur. Etenim præterquam, quòd non facilè statuas, omnium animalium astutiorem serpentem esse, cùm ex Philosophorum mente non pauca fuerint, quæ illum astutia, & fraudibus æquare,

re,& superare videantur: esto ipse solertior,& astutior cæteris sit, quid quæso ea maior solertia, siue vafricies huic fraudi opportunior fuerit? Num serpens se ipso, & non potiùs dæmon verba, & fraudes adornabat, & instruebat? Quid verò astutissimo dæmoni solertia, siue prudentia serpentis, (quod miror non animaduertisse interpretes) opus erat? ab illo scilicet inueterator ille technas, & dolos mutuaretur siue perdisceret. Nugæ id: ergo si callidè epitheton illud *callidior* ex Græco verbo φρονέω à quo φρόνιμος, eã calliditatem referes ad eam familiaritatem, qua industrij homines iis, quos sibi lucrati, siue decipere volunt, sese insinuant,& blandè adiungunt: certè Tullius lib. de Amicitia callidum sese insinuantem sic faciebat. M.Tull. *Apertè adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors; callidus verò, & occultus ne se insinuet, studiosè cauendum est.* Vnde serpentem callidiorem cunctis animantibus terræ sic capio, vt Euæ familiarior, & qui se sic blandè insinuans, eiúsque manibus & brachiis adnectens, illi in deliriis esset, quò sanè facit Hebræũ verbum ערום *aram* nostro Latino *callidior* respondens: nam illud propriè veteris, vt benè adnotauit inibi Cornelius, *in multas spinas & laqueos complicatus, & inuolutus.* Ita omnino S. Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa c. 10. *Serpens plus cæteris animalibus familiaris erat homini, ipsum frequenter accedẽs: atque placidè motibus corporis blandiens.* Quod & citato loco sic indicat August. *Animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, & operi suo congruum per quem loqueretur elegit.* En idoneum ad fallendum instrumentum, & dæmonis calliditati congruum; familiarem nimirum, & amicum blandè sese insinuantem, per quem ipse noxiæ suasionis venènum instillet, vt (quod dicebat Gregor.) *dum vis amoris cor perforat, facilè persuasionis eius gladius ad intima rectitudinis munimina irrumpat.* Id ex præfatis verbis sic inferente Damasceno. *Vnde per ipsum princeps mali diabolus primis nostris parentibus impietatis suæ venenum instillauit.* Porrò hinc videris, quam prouidè, quámque misericorditer has subinde inter mulierem, & serpentem amicitias, quæ ad malitiam ausæ fuerant Dominus diremplerit, ac sciderit, sic illum allocutus: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, Genes. 3. 15. Etenim sic Basilius ad ea verba homil. 9. ex variis *re vera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahuntur; nam ea est amicitiæ huius lex, & vis, vt per similitudinem, malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè in Prouerbiis dicitur*, corrumpunt bonos mores colloquia praua. Sic ille.

(Margin: Lect. Heb. — Cornel. — S. Damasc. — August. — Gregorius — S. Damasc. — Genes. 3. 15. — Basilius.)

3. Iam verò, vt serpens quà Euæ familiaris ipsi decipiendæ idoneum, & congruum extitit instrumẽtum, ita ipsámet Euam, quà viro suo amicissimã, ipsi in profundũ barathrum deturbando, multo magis idoneũ. & congruentiùs fuisse, videris ipsa nimirũ, seducta, hoc est, sub boni specie, atque prætextu (ô mirã insipientiã,& stultitiã!) ad malũ perducta; hic verò non seductus, sed apertis oculis (heu cæcitatẽ, & amentiã!) vt vxori morẽ gereret, fronte libera peccatũ fuit amplexus: ita quidẽ disertè Paulus 1. ad Timoth. 2. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit?* Quid? nónne & Adã in errorẽ, atque peccatum incidit? cur ergo dicitur, *non est seductus?* Sanè, quòd non tam imprudẽtia, aut ignoratione vt Eua, quàm vxoris amore cor illius deliniente, & inuertẽte in peccatũ lapsus fuerit. Ita August. lib. 11. de Genes. ad litterã c. 42. hũc in modũ: *Adam postquã de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique dedit, vt simul ederet, noluit eã contristari, quam credebat, posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo.* Et statim. *Non quidem carnis victus concupiscentia, quã nõdum senserat in resistente lege mẽbrorum legi mentis suæ, sed amicabili quadã beneuolentia, qua plerũque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Hæc ille, & alia. Vides mali aucupis calliditatem, & in fallẽdo dexteritatẽ? solus ipse totis licèt artibus,& viribus suis instructus fortè animum aggredi non audet, sed Euæ serpentẽ, vt magis familiarẽ, Adæ verò ipsam Euã, vt amicã & illius delitias in lapsũ aduocat: vnde Tertull. lib. 1. de habitu muliebri mulierẽ hac ratione atroci stylo pungens, ait: *Tu es diaboli ianua: tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.* Quippe fortior hostis dæmone malus amicus fuerit; & congruentius ad labefactandã virtutem instrumentũ, similiter Chrysolog. serm. 79. eadem de causa mulierem mortis interpretem scitè facit, sanè dæmon, ipsáque mors sine fœmina nõ satis se explicare,& mentem intimósque sensus, ac duo diuersi idiomatis homines, qui nisi interpretẽ ad manum habuerint, se mutuo callere,& explicare nequeunt. Vt vel obiter videris quàm sit mulier dæmoni, ac morti affinis, eiusdémque idiomatis, mentis, sensúsque.

(Margin: 1. ad Timoth. 2. 14. — Augustin. — Tertul. — Chrysolo.)

Persistit sanè obstinatè in hoc pugnandi modo malus dæmon, & quem omnino prostrare contendit, iisdem quibus Adamum armis aggreditur: vel 4.
vide S. Iobum, ter ab illo telis, ac machinis appetitum, atq; pulsatũ, nec de animi proposito tantisper dimotũ, quomodo fortiori tandem telo in eum insurgat Sed quod, inquit, fortius ac valentius telum, quàm florentis fortunæ, opum regni, propriæ valetudinis,& charorum pignorum amissionem appellaueris? Equidem diras illas amicæ vxoris voces eũ ad impatientẽ diffidentiã & incredulitatẽ pertentantis: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere*, Iob. 2. 9. Ita S. Gaud Brix. præf. tract. in Exod. inquiẽs: *Vt callidus ille iterũ per mulierẽ serpẽs palmã patientiæ auferat fortissimo bellatori, & interitum congerat victo.* At enim egregius luctator eò promptiùs ignitum telum retudit, quò perspicaciùs animaduertit ex eadem pharetra esse, ac primùm illud in Adamum per mulierẽ non sine victoria vibratum, & iactum: vnde in vxorem attentissimos oculos intendens, sic ei respondit. *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es.* Sed obserua apud LXX. ante hæc verba priùs poni: *Qui insipiens*, siue (vt Chrysost. hom. 3. de Iob. tom. 1. legit) *prospiciens eam.* Ad quæ verba Chrysost. *Non dixit respiciens eam, sed prospiciens. Quare? ignorabat namque suam vxorem? num secum non sedebat? num ex eadem liberos nõ genuerat? Quare ergo prospexit.* Respondet verò: *Prospicere ostendit, quòd non eam vidit, sed eum, qui eam prospexit diabolum cognoscebat, qui in serpente fuerat locutus, & nunc in muliere loquentem.* Premunt verò statim ipsemet Chrysost. & Gaudent. citato loco hac ratione signatè ei dixisse: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es*, velut digito Euam indicãs maritum ad peccatum pellicientẽ: *Veluti si quis diceret* (inquit Chrysost.) *quasi Eua locuta es.* Similiter Gaudentius: *At ille beatissimus intelligens callido antiquæ artis argumẽto diabolũ rursus per mulierẽ venenũ mortis ingerere, sic respõdit: Velut vna ex insipientibus mulieribus locuta es; pulsans videlicet vnam, de qua omnes.* Ita ille.

(Margin: Iob. 2. 9. — S. Gaudent. — Iob. 2. 10. — LXX. — Chrysost. — Idem. — S. Gaudent.)

Quòd si adhuc multò clariùs ac manifestiùs nosse velis nullũ in dæmonis armamentario fortius ad 5.
prostrandum hominem telum, quàm alium hominem esse, obserua quàm fortiter, quàm pertinaciter Christum Dominum in deserto toties malus dæmõ tentare, siue adoriri,& oppugnare ausus fuerit. post quadragenariam enim inediam cibos esurienti obtulit:

tulit: subinde verò validioribus armis vsus, inanis gloriæ faces, quæ optimum quemq; inflammāt, admouit; tandē omnia regna mundi, & omnem gloriam eorū profusa, & liberali manu obtulit, Matth.
Matth 4.9. Luc.4.7. 4.9. Luc.4.7. Et verò cùm hæc omnia tela ille bellorum Dei dux eluserit, & vel amictu vitauerit; animum dirus hostis minimè despondit, sed ad opportuniorem pugnādi occasionem, & modum sese reseruauit: sic enim Lucas vers.4.13. *Et consummata*
Luc.4.13. *omni tentatione diabolus recessit ab illo vsque ad tem-*
Lib. Græca. *pus*; vbi Græcè pro tempore est καιρὸς, quæ vox, vt cap. 2. vers. 12. adnotat. 4. sæpiùs inculcauimus, propriè significat occasionem, siue opportunitatem, quasi maior, & commodior pugnandi opportunitas diabolo superesset: vnde Ambros. lib.4. in Lucam
Ambros. id premens, sic ait: *Audito Dei nomine recessit vsque ad tempus, postea enim non tentaturus, sed apertè pugnaturus aduenit*, ac si dicat, modò tārùm vellicauit, & cum eo colludere visus est: postea enim valida manu, & totis lacertis ipsum adoriri potuit, quàm cùm tota regnorum ac diuitiarum fortuna, cui tamquam fulmini omnia patere solent, subnixus illum aggressus est? Respondeat aliquis cum Chrysologo, eum ipsi acriorē pugnādi modū & opportuniorem occasionē visā fuisse, cùm mellitis illum adulationibus demulcere, & emollire tentauit: *Erat* enim
Marc.1.24. (inquit Marc.c.1.24.) *homo in spiritu immundo, & exclamauit, dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos: scio quis sis, sanctus Dei.* Sic
Chrysolo. namq; Chrysol. serm. 17. *Credidit infelix, vt eum, quem tentatione vincere, quem muneribus inflectere nequiuit, posset adulatione pulsare.* Bene quidem ad incredibile adulationis robur, infixúmque illi stimulum explicandum, sed illud forsan tibi non minus opportunum videatur: tunc videlicet validiùs se, & acriùs Dominum oppugnaturū credidisse, cùm nō se ipso, sed suæ cogitationis assumpto interprete, eóque Christi amicissimo, illum de sententia salutādi humanū genus dimouere conatus est, ipso etenim dicente: *Quia oporteret eum ire Ierosolymam, &*
Matth.16.22. *multa pati à senioribus, &c. assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Matth.16.22. Vnde quidem non tam in interpretem, quàm in ipsummet malitiæ auctorem Dei sapientia intendēs seuera hac illum, & emphasi plena increpatione verberauit: *Vade post me Satana: scandalum es mihi.* Vides modò adsimilia illis verba, quæ in ipsammet dæmonis faciem, cùm ipsi totam regnorum suorum fortunā pro genu sibi flexo pol-
Matth.4.10. licebatur, antea sic iecerat, Matth.4.10. *Vade Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, &c.* Quod si attendis, maior quidem his verbis Petro, ac illis dæmoni dictis vis, & energia inest; nec enim tunc huic, vt modò Petro dixit: *Scandalū es mihi*; innuens quodammodo, acriores nunc à Petri, quam à dæmonis verbis tentationis aculeos persentire; id enim videtur significare, dum ait, scandalo sibi, & occasioni ruinæ suasionem Petri esse; non quidem quod reapse acriùs hæc quàm illa verba Christum pungerent, grauiúsve tentarent, cùm ipse nulla multo etiā grauiorū tentationū vi, vel latum vngem à recto tramire posset dimoueri; sed vt nobis ostenderet, plus à falso amico, siue à dæmone in illo, quàm ab ipsomet dæmone omnibus suis armis, & artibus instructo fore timendum. En tempus, & occasionem, cui dæmon maximè fidebat, quippè qui benè nouerat, quod alio intentus dixit Boëtius
Boëtius. lib.3. de consolat. *Nulla pestis est perniciosior ad nocendum, quàm familiaris inimicus.*

6. Hinc illud Christi monitum, *Cauete autem ab ho-*
Matth.10.17. *minibus*, Matth.10.17. Ad quod meritò ambigas, cur cùm immediatè antea, hosce met homines à quibus suos sibi cauere præscribit, lupos appellauerit, inquiens: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum:* modo non dixerit, cauete ergo ab illis, hoc est, à lupis, quod attentiorē curā & prouidentiā videbatur, exposcere Sed cauete ab hominibus. Dicet nō nemo ex Senecæ sensu immò verò iniecto hominis metu acriorem illis solertiam, & sollicitudinem iniecit, cùm multo iratior & implacabilior, & ad nocendum atrocior, & perniciosior homo, quàm fera sit, sic dicebat Seneca epist. 119. humanæ vitæ pericula recensent: *Occurret nobis loco fera, & homo fe-*
ris omnibus perniciosior, sed id ad rem aptiùs faciet, Seneca.
si de sæuo discrimine, quod iusto à falso amico soleat contingere sic explicueris, vt Christus eos, qui suos erant insectaturi, & lupos, & homines considerauerit, lupos quidem, quà in Christi discipulos sæuissimis cruciatibus, & pœnis erāt grassaturi, homines verò, quà blanditiis, & amica beneuolentia, & humanitate illos poterant inficere, & à fide, & recta viuendi ratione diuellere: vt dicere voluerit. Nolite timere lupos eos persecutores, qui occidunt corpus, *cauete autem ab hominibus*, à blandis inquam seductoribus qui possunt animam perdere in gehennam. Nullus vobis à tyrannis, & carnificibus metus sit, timete verò ne in falsos amicos, & noxios familiares incidatis: ita pœnè ad hæc Matth. verba Paschasius lib.6. in Matth. inquiens. *Hoc est cauere ab* Paschas.
hominibus, non vt tradamur, quod veritas futurum pronuntiat, sed vt non decipiamur illis insidiarum fraudibus. Respicit hic locus quod ait: Ecce ego mitto vos, &c. *& ideo cauete per prudentiam, ne amittatis simplicitatem columbæ.* Ita ille Cui cogitationi aptissimè deseruiunt, quæ vt veram, sanctámque amicitiam maximè commendaret de falsæ noxiæque discrimine sic monebat Themistius Eufrada orat. 3.
Nónne perinde, vt venatores, primùm omniū nos oportet, prædæ vestigia didicisse, signaque atque indicia ac- Themist.
curatè nosse, ac recognoscere, per quæ minimè imprudentes, quod ferarum indagatoribus nonnunquam accidit, pro felici illa præda ad præruptum aliquem locum, ac præcipitem deferamur: Etenim in hac venatione multæ, ac variæ feræ beatam amicitiam simulant, præsertimq; omnium insidiosissima illa, ac ferocissima, quæ ab huius temporis hominibus simulatio appellatur. Tam callidè autem, ac malitiosè imitatur, vt vel ad cubile ipsum perfæpe venias vestigiorum consideratione deceptus. Hæc & alia Themistius. Ergo inquit Dominus, de lupos timueritis. sed cauete ab hominibus, qui blandis. & beneuolis artibus animis vestris bellum inferunt, hi enim ferociores lupi fuerint.

Erit sanè, è hac re, perquirere de illa errabunda à bono pastore tanto studio, & ardore quæsita & inuenta: vbinam primū errauerit. & à pastore defecerit: tandémque perierit: *Errani*, inquit, *sicut ouis. quæ* 7.
periit, Psal.118.176. Num in campis, & solitudine? Psal.118.176.
Minimè: cùm bonus pastor, vt eam quæreret, & inueniret, reliquas nonaginta nouem in montibus reuenierit. Sic enim apud Luc.15.4. *Nónne dimittit nonaginta nouem in deserto: & vadit ad illam, quæ perierat.* & apud Matth.18.12. *Nónne relinquit nonaginta* Luc.15.4.
nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ errauit: Matth.18.12.
à montibus, & à solitudine vadit? venit ergo ad vrbes & ad hominum frequentiā, vt ibi quæreat. Errauit ergo ouis in vrbe, atque homo inter humanos lupos periit qui solus forsan non errasset. nec à pastore recessisset. Habere quidem ante oculos id videtur Hilarius, dum lib. contra Auxentium Mediolanensibus, vt ab Arrianis recederent, hæc ingere-
bat. *Malè vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam* Hilarius.
Dei in tectis ædificiisque veneramini, malè sub his, pacis nomen

nomen ingeritis. Ante ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum: Montes mihi, & syluæ, & lacus, & carceres, & voragines sunt tutiores. nam si ab iis recessero,& tectis,atq; ædificiis me induxero,siue immersero erraturũ, & periturum me timeam. Certè hac de causa Isaac è vrbe in agrum secedere solitus
Gene. 24.63. dicitur Genes. 24.63. his verbis: *Et egressus est Isaac*
LXX. *ad meditandum in agro.* Sed obserua LXX. legere:
Ambrosius. *& egressus est Isaac exerceri in campo*; Ambros. verò lib. de Isaac, & anima cap. 3. alios codices nactus reponere; *& abalienabat, siue abducebat se:* sanè quasi illud ad salutem optimum nactus esset remedium, si ab hominum cõsortio sese abduceret, atque alienũ redderet: ita inibi Ambr. *Fugiebat Dauid sanctus à facie Saul non vtiq; vt terras relinqueret, sed vt immitis, & inobseruatis, & perfidi declinaret cõtagiũ. Fugiebat autẽ adhærens Deo, sicut & ipse ait* Psal 62.9.
Ps. 62.9. Adhæsit anima mea post te. *Abducebat se, & abalienabat à vitiis sæculi huius, elevabat animã suam sicut Isaac in cãpo, vel abalienabat.* Sic Ambr. Quibus adnecte hæc aurea Philonis lib. de Abrah. *Vir bonus vi-*
Philo. *tæ quietæ amator secessum quærit, & solitudinẽ, latere cupiẽs nõ odio hominũ, est enim si quis alius eorũ amãs; sed quia fugit, & proculcat vitia, quibus vulgus delectatur, gaudere solitum iis, quæ delenda sunt, & dolere iis, quæ gaudenda.* Concinnit illud diuini libelli, qui
Contemptus mundi. inscribitur Contemptus mundi, *Nunca estuue entre vndices, que no b. lui je menos hombre.* Sed quare? Re-
Seneca. spondet Seneca epist. 7. *Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut allinit; vtique quò maior est populus, qui commiscemur hoc periculi plus est.* Ita ille.

8. Hinc notanter Regius Vates vno in loco dicebat. *A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillã*
Ps. 116.8. *oculi*, Psalm. 116.8. & in alio, tamquam optata consecutus: *Quoniam tu Domine singulariter in spe consti-*
Ps. 4.10. *tuisti me*, Ps. 4.10. Et ad priora quidem verba pupillæ imaginem diligenter obserua; ea enim siue ad discriminis magnitudinẽ; siue ad tutissimũ, & munitissimũ auxiliũ à Deo efflagitandum, nil opportunius, nihil dici potuit accommodatius. Quid enim pupilla magis delicatũ & dãno adeò obnoxiũ: offendes quidem, & affliges reliquas corporis partes, sed fuste, sed ferro, sed igne, quòd si st pulã vel paleã, vel acus aciem, aut manuum titillationẽ capiti, genæve admoueris quid inde Nullus certè sensus; nullus sequitur dolor, sed risus: at si hæc pupillæ applicueris, si paleam inieceris, si manum admoueris; lædetur proculdubio, affligetur, corrumpetur & in lachrymas diffluet. Innuit ergo hinc primũ Vates, extremũ sibi ab improborũ (hos enim accurata locutione *resistentes dexteræ* Dei bonarũ, scilicet cogitationũ, & operũ inspiratrici, & adiutrici, dicit) societate metuere periculũ; atq; ideo aduersùs illud nõ minori auxilio, & munimine quàm oculi pupilla circumsepta, & vallata est, egere. id verò quàm sit magnũ, quia in re tuis oculis videre nequis, acci-
Basilius. Ambros. M. Tull. pe à M. Tull. à quo Basil hom. 11. in Hexaëmer. & Ambr. lib. 6. in Hexaëm. c. 9 subinde mutuati sunt; sic enim ille lib. 1. de *natura Deorũ. Acies ipsa, quæ cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parua est, vt ea quæ nocere possint, facilè vitet, palpebræque quæ sunt tegumenta oculorum, molli tactu ne læderet aciem aptissimè factæ, ut ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & ad aperiendas, idque prouidit, vt identidem fieri posset cum maxima celeritate: muniteque sunt palpebræ tamquam vallo pilorum, quibus, & apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, & somno conniuentibus oculis ad cernendum non egeremus, vt qui tamquam inuoluti quiescerẽt: latent præterea vtiliter, & excelsis vndique partibus sepiuntur. Primum enim superiora superciliis ob-*

ducta sudorẽ à capite, & fronte defluentẽ repellunt, genæ deinde ab inferiori parte tutantur subiectæ, leniterq; eminentes. Nasus ita locatus est, vt quasi murus oculis interiectus esse videatur. Vides quot vallis, & interuallis quot muris, & antemuralibus, quod rationibus, & modis pupillæ à natura vndequaque defendantur, & protegantur. Ergo si Deũ benignũ adiutorẽ habes, à peccatorũ consortio omnino similiter tutandũ te, & discernendũ noueris: ita citato loco Ambr. post similẽ pupillarũ descriptionem inquiẽs: *Vnde tutum auxilium postulans Propheta ait:* Custodi Ambros.
me Domine, vt pupillam oculi: *tutissimo quod im natura vallo munire dignatus es.* Et quidem insigni hac prouidentia ab impiorum consortio, atque contagio Dominũ populum suũ custodiisse, & protexisse dixeris; cùm impios Dathan, & Abiron à terra absorberi præcepit: Moyse etenim vniuersã plebẽ ab eorum societate sic deterrente. *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum*, Num. 16.26. non multo post: *Disrupta est terra sub pedibus eorum,* Num. 16.26.
& aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis Num. 16.31.
suis, & vniuersa substantia eorũ. Descenderuntque viui in infernum operti humo, &c. nimirum vt Deus tãquam pupillam oculi à resistentibus diuinæ dexteræ suos vndequaq; muniret, atque defẽderet, id sic considerante Ambr epist. 82. ad Eccles. Vercell *Immurgens terra in medio plebis scinditur, apertus in profundum sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mũdi huius ablegantur elementis, vt nec aërem haustu, nec cælum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.* Sic Ambrosius.

Iam in posteriori Vatis loco, *singulariter in spe cõ-* 9.
stituisti me. Chrysostom. & Græci ex lectione Aqui- Chrysost. Aquila.
læ aduerbium *singulariter*, vertunt *seorsim*: hoc est, separatim ab impiis idque ex Dauidis mente ad singulare, & eximium Dei beneficium referunt, quasi singulariter siue seorsim à peccatoribus degere, idem sit, ac confidenter, magna cum spe cœlestis vitæ agere. Audi Chrysost. *Quid est autem singulariter? seorsum ab improbis: hac enim pacem apud te præclare habui, & separatè habito, fugiens homines improbos, ac corruptos: & iure profectò, quemadmodum enim corpora sæpè à corrupti aëri lue infecta pereunt; ita etiã anima, sæpè damnum accepit ex malorum congressione.* Sic Chrysost. pulchra sanè infecti aëris imagine vsus, quam sic priùs adhibuerat Basilius citato superiùs loco. *Quemadmodum enim in pestilentibus locis* Basilius.
sensim attractus aër latentem corporis morbum inicit, sic itidem in praua consuetudine, & conuersatione maxima nobis mala hauriuntur, etiam si statim incommodum non sentiatur, idcircò aduersus serpentem irreconciliabilis nobis indita est inimicitia. Sic Basil. Pergunt verò Tertull. & Ambr. & quod Chrysost. & Basil. de aëre ad imaginem referunt, vt ex ea discrimen quod ab impiorum cõsortio aduenit meliùs explicent: non pro metaphora, sed materialiter, & reapse accipiẽdũ cẽsent, vt ipsemet aër quo respiramus, si peccatorũ vocibus, & sceleribus fuerit cõstupratus, nõ mediocre nobis, nec incertũ inferet dãnum: hinc enim Tertul. lib de spectaculis c. 27. fideles à theatro, & spectaculis auocare studebat, quòd illis inter Gentiles cõsiderare, & aëre ab illorũ vocibus infecto spirare, necesse fuerit: *Nõ ergo* (inquit) *fugies* Tertul.
sedilia hostiũ Christi, illa cathedrã pestilentiariã, ipsumque aërem, qui insuper incubat scelestis vocibus constupratum. Similiter Ambr. lib. 5. epist. 30. ad Valenti- Ambros.
nianum Augustum, cùm eum hortaretur, ne Gentilium precibus inclinatus prophanas ipsorum aras imperatorio decreto instaurari iuberet, eamque in rem dixisset: *Quòd si aliqui nomine Christiani*

tale

tale aliquid decernendum putant mentem suam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant, quisquis hoc suadet, sacrificat: subdit grauissimè, atque verissimè *Tolerabilius tamen est, vnius sacrificium, quàm lapsus omnium. Totus hic Christianorum periclitatur Senatus; si hodie Gentilis aliquis Imperator, quod absit, aram statueret simulachris, & eo conuenire cogeret Christianos, vt sacrificantibus interessent, vt oppleret anhelitus, & ora fidelium, cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto.* Pulchrè quasi solus Ethnicorum anhelitus, & quod rem auget, cinis siue fauilla; vel etiam perfidi foci fumus ad fidelium animos denigrandos satis superque fuerit. Pro qua sanè sententia sic primùm fideiubet Plato lib. 5. de legibus. *Qui se improbis immiscet, necesse est, eadem pati, & agere, quæ tales agere, & loqui inter se didicerunt:* deinde verbum vetus, Plato.

Claudo vel vni si propinquus fias,
Disces & ipse claudicare protinus.

10. Sed do tibi Ambrosij sensa sacro penicillo delineata, de sanctissimis, & purissimis populi sui viris dicente, siue deflente Ieremia in Threnis cap. 4. 7. *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores: Denigrata est super carbones facies eorum, &c.* O ingentem mutationem! Sed vnde subdit Vates: *Nō sunt cogniti in plateis.* Sanè quasi à plateaȗ frequentia pulcherrimus illorum cādor obscuratus, & denigratus fuerit. Audi Venerab Gillebert. in allegor. Gotfr. Tilm. *Magna certè collaudatio, sed misera commutatio. Candor niuis, lactis nitor, eboris rubor, pulchritudo sapphiri, & puritas, carbonis obducitur nigredine, &c. Silebo de aliis: ordinis nostri cernite viros, quàm admirabile erat nomen eorum in vniuersa terra: in initiis, quando vix erant in plateis, statim cogniti pro sanctitatis signo erant in eis. Nunc autem nullo religionis discrimine, nullo priuilegio conuersationis, aut nullo, aut pertenui distincti, & signati sunt à cæteris. Frequentia platearum decolorat Nazaræos, & peregrinam speciem inducit.* Sic ille. Nec mirū. Nam Epicteto Philosopho auctore apud Iust. Lips. in commen. ep. 7. Senec. *Fieri non potest, quin qui versetur, & adhæreat fulligine tincto, & ipse fulliginem ab eo participet.* Hinc candidissimum illum Nazaræū, nitidiorem lacte, rubicundiorem ebore antiquo, & sapphiro pulchriorem; Petrum, inquā firmissimā petram, & Ecclesiæ columen, & culmen dum versari voluit, & adhærere fuligine tinctis, & ad sacrilegum focum sedere, fuliginem erroris, & ipse suscepit, & perfidorum fumo denigratus est. Sic enim Lucas c. 22. 55. de eo immanissimis Christi hostibus adhærente: *Accenso autem igne in medio atrij & circumsedentibus illis erat Petrus in medio eorum;* sedēs nimirū ad eorum morem: sic enim Mat. c 26. 69. *Petrus verò sedebat foris in atrio.* Quòd si & ipsi se erigebāt, & ad focū stabant: stabat & ipse Petrus eodem modo, eodem corporis habitu Ioan. 18. 18. *Stabant serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis Petrus stans, & calefaciens se.* Iam quid inde: sanè cùm nefarij illi satellites frigidissimū anhelitum odij, & criminationum in Christū spirarēt, cúmque sacrilegus ille focus infidelitatis fumū exhalaret, oppleuit quidē anhelitatis ora fidelis discipuli, obscurauit, ac denigrauit eius pulchritudinē, & fidem fumus ex igne, fauilla de sacrilegio: hæc pulchrè expendente Ambr. lib. 10. in Lucā: *Consideremus in quo actu neget: frigus, inquit, erat: si tempus consideremus, frigus esse non poterat; sed frigus erat, vbi Iesus non agnoscebatur; vbi non erat qui lucem videret, vbi negabatur ignis consumēs: frigus ergo erat mentis, non corporis, &c. Mala flamma Iudaïca vrit, non calefacit, malus focus, qui quondam etiam Sanctorū mentibus fuliginem erroris aspersit.* Vides Ambrosium sensu & verbis probantem Gentilis Epicteti sententiam? *Fieri non potest, quin qui versetur, & adhæreat fuligine tincto, & ipse fuliginem ab eo participet.* Sed & statim sic pergit in hanc rem. *Etiam lapsus sanctorum vtilis est. Nihil mihi nocuit, quod negauit Petrus: profuit, quod emendauit. Didici cauere colloquia perfidorum. Petrus inter Iudæos negauit. Salomon contubernio Gentili deceptus est.* Sunt verò huic instituto opportunissima, quæ Seneca epistola 123. cum Ambrosio coniurans sic inquit: *Horum omnium sermo vitandus est: hi sunt, qui vitia tradunt, & alio aliunde transferunt: pessimum genus videbatur hominum, qui verba gestarent; sunt quidem, qui vitia gestant, horum sermo multum nocet: nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit, sequitur nósque, cùm ab illis discesserimus surrecturum postea malum.* Adiungit appositam similitudinem, quam vide.

Tren. 4. 7. — Gillebert. — Luc. 22. 55. — Mat. 26. 69. — Ioan. 18. 18. — Ambros. — Senec.

11. Huc quidem facit, quòd perfido Iudæ obdurato animo in flagitio omnium flagitiosissimo persistenti, & traditionis facinus iamiam executioni mandāti emphaticè dixerit Dominus: *Quod facis fac citius.* Ioan. 13. 27. Ioan. 13. 27. vbi dum frequentiùs ambigunt PP. & DD. quomodo, quáve ratione mortem sibi inferendā maturare Christus voluerit, Iudámque quodammodo acuerit, & quasi calcar ei admouerit: variásque huius rei alibi à nobis allatas explicationes adhibent: non omnino abs re dixeris causam fuisse, quòd Assertor paterna beneuolentia, sapientissimáque prouidentia discipulis suis consuleret, ne, à Iuda iam penitus infecto, & tota nequitia imbuto, facinúsque exhalante, verbis, gestu, motibus, siue respiratione ipsa candidi, & mundi corrumperentur: *Frequenter enim accidit* (inquit Ambros. ep. 3) *vt quis contra propositum suum intemperantē audiens, cùm velit ipse continentiæ disciplinam tenere fuco insipiētiæ coloretur.* Fauet huic coniecturæ, quod Iuda inde exeunte subiicit Ioan. vers. 31. *Cùm ergo exiisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis.* siue, vt Syrus interpres, & Græci legunt, *Nunc glorificatus est filius hominis:* ac si Dominus, qui Iudam cæteris discipulis admixtum videns in summa sollicitudine, & angore erat, ne illos vel halitu suo corrūperet, & improbitatis suæ venenum instillaret, eo discedēte, hilaris, & lætus exclamet. Iam nū glorificatus maneo: siue omnibus lætitiis perfusus in gloria sum: dum vos à mali socij contagio securos intueor. Nec longius ab hoc iuit Aug. ad ea verba inquiens: *Exeunte immūdo, omnes mundi cum suo mundatore manserunt;* scitè illud *exeunte immundo:* vt innuere videatur, cæteros discipulos nō priùs aperto ore mundos appellari, censérive posse, quàm ab immundi consortio semoti essent. Dixit siquidem sapienter huc intentus Seneca lib. de tranq. animi, c 7. *Initiū morbi est, ægris sana miscere.* & ep. 104. *Hærebit tibi auaritia, quamdiu cū sordidóque conuixeris: hærebit tumor, quamdiu cū superbo conuersaberis: nunquam sæuitiam in tortoris cōtubernis pones: incendent libidines tuas adulterorum sodalitia.* Nec hinc discesserim, quin rogem, vt obserues, tanti à Domino esse, suos ab improbi consortio secernere, vt vel hac de causa vitam suam pretiosissimam, atque diuinam quantocyus profundere, non dubitauerit: & cùm eam ob rem mortem suam maturari videret; non vtcumque recreatum, sed glorificatum se esse dixerit.

Ambros. — Ioan. 13. 31. — Lect. Syriaca. — August. — Senec.

12. Hinc illud cū primis ad virtutem, & beatā vitam ab iis, qui pleno pectore sapiunt præceptum vt nō nisi optimos quosque in amicos deligamus; tantum videlicet virtutis, tātum vitij suscepturi, quantū siue vitij, siue virtutis illis fuerit. Ita quidem Eugenium Pontificem Maxim. animosa oratione commonebat Bernard.

Bernard. Bernard. lib. 4. de considerat. *Veniamus ad collaterales, & coadiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sint; quamobrem si boni sint, tibi potissimum sunt, si mali, æquè plus tibi:* vnde vocem subinde tantisper attollens subiicit. *Ne te dixeris sanum dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem.* & statim. *Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis; non magis quàm sanitas vicino serpente; non est quo te subducas malo intestino.* Rectissimè, quippe *initium morbi est, ægris sana* Chrysost. *miscere.* Accinit citato loco Chrysostomus infecti aëris similitudinem sic persequens: *Tu autem si in ciuitate aliqua sis habitaturus, de aëre curiose inquiris, an non sit salubris, non temperatus, non siccus. De anima autem rationem initurus, non es solicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri, sed temerè, & inconsideratè eam omnibus permittis.* Nec minus luculenter Seneca dicto cap. 6. lib. de tranquillitate animi; dum inquirens, quinam in amicos nobis sint deligendi; sic respondet: Senec. *quos scilicet vacuos, quãtum fieri poterit à cupiditatibus eligemus: serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent; itaque vti in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus, ita in amicorum legendis ingeniis dabimus operã, vt quàm minimè inquinatos assumamus.* Sic ille: & iis consentanea Greg. Magn. siue sensu, siue adhibita pestilentiæ imagine Greg. Magn hom. 9. in Ezech. tom. 2. Præmisi verò de industria hæc PP. & auctorum monumenta; vt ex illis intricatum nodum in Ecclesiastici verbis dissolueres: ipse enim c. 49. 5. de Regibus Hebraïci populi verba faciens, quot boni, quot mali fuerint; sic absolutè pronunciat. *Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt: nã reliquerunt legẽ Altissimi Reges Iuda, & contempserunt timorẽ Dei;* vbi ea primum difficultas sese statim, vel ipsis oculis ingerit, quo nimirum modo Dauid, & Ezechias à peccato immunes dicãtur; cùm & Ezechias inanis gloriæ amore non mediocriter captus fuerit; & Dauid atrocissimè errauerit, tũ adulterij, & homicidij, tum etiam populi superbè recensiti reus. Deinde id meritò ambigas, cur Rex Asa, & quod plus est, Iosaphat egregiis vterq; laudibus ab Scriptura celebratus inter improbos Reges à diuino Oraculo adscribantur. Et quidem dum primã difficultatem hac facili solutione opprimis, non de quouis peccato, sed de idololatriæ crimine, quod in Scriptura per antonomasiam peccatũ dicitur (vt præter exempla passim obuia, facilè disces ex M. del Rio in Thren. ad c. 1. v. 8.) sermonẽ à sapiente fieri: maiores sumit secũda vires, nam Asæ Regis in Deum pietatem, & fidẽ sic commendat Sacer Scriptor 3. Reg. 15. 11. *Et fecit*
3.Reg.15.11. *Asa rectum ante cõspectum Domini, sicut Dauid, pater eius, & abstulit effeminatos, purgauitque omnes sordes idolorum, quæ fecerant Patres eius.* De Iosaphat verò, adeò negat idololatram fuisse, vt acre etiam idololatriæ, cuiuisque profano cultui bellum indixisse, sic
2.Paral. 17. 3. affirmet 2. Paral. 17. 3. *& fuit Dominus cum Iosaphat quia ambulauit in viis Dauid Patris sui primis, & non sperauit in Baalin, sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius, & nõ iuxta peccata Israel.* Et post pauca. *Tertio autem anno regni sui misit de Principibus suis Benhail, & Obdiã, &c. vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas Semeiã, & Mathaniã, docebántque populum in Iuda habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* Ecce vtrumque Regem legi, & præceptis Dei obsequentissimum, & idolorum cultui valdè infensum. Cur igitur inter impiorum Regum sordes ambo inuoluũtur? De Asa quidem haud difficilè respõdeas, excelsa, ad quæ populus offendebat, non abstulisse; sic enim citato loco libri Regum post verba allata, *excelsa autem non abstulit.* Et verò vt ille ad eam tur- 3.Reg.15.14. pitudinem scipso non concurreret, at, qui Rex erat, & ea propter nõ modò idololatriam, sed & omnes eius fibras præcidere, & populi scandalum auferre debebat: nec tamen iusto operi, humanis ductus rationibus, quæ Regibus exitium esse solent, manum admouit; seipsum etiam eo scelere inquinasse iure dicendus est; eadem enim culpa, eadémque pœna peccantes subditos, & iudices, ac Principes consentientes manet, de quo alibi.

Sed quid de Iosaphat respondeas? cùm de ipso 13.
dicat Scriptura 2. Paralip. 17. 6. *Dúmque sumpsisset* 2. Paral. 17. 6.
cor eius audaciam propter vias Domini, etiam excelsa, & lucos de Iuda abstulit. Hæremus planè, nec aliam huius rei commodiorem rationem reddi posse existimamus, quàm perpetuas illum amicitias cum cõtaminatissimo Rege Achab, & filio eius Ochozia, qui idololatriæ addictissimi fuerunt, & coluisse. Sic enim de coniunctione, & affinitate ipsius cũ Achab. 2. lib Paral cap. 18. 1. *Ergo Iosaphat diues, & inclytus* 2. Paral. 18. 1.
multum, & affinitate coniunctus est cum Achab. De ipsius verò cum Ochozia amicitia eod. lib. c. 20. 35. *Post hæc iniit amicitias Iosaphat Rex Iuda cum Ocho-* 2. Paral. 20. 35.
zia Rege Israël, cuius opera fuerunt impiissima. Qua de causa, sic illum grauiter reprehendit Prophe- 2. Paral. 19. 2.
ta Iehu 2 Paralip. 19. 2. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia iungeris, & idcircò irã quidem Domini merebaris.* Ergo sanum non dixeris dolentem latera, nec bonum malis innitentem, nec verum Dei cultorem idololatris fauẽtem, & cum ipsis amicitias, & sanguinis affinitatem coniungentẽ, imo S. Petr. Dam.
verò *Dei hostis esse conuincitur,* (verba sunt Pet. Dam. lib. 7. epist. 10.) *qui eius inimico in amicitia sociatur.* Chrysost.
Certè *cum Impio conuersationem* (ait Chrysost. in Ps. 13. versu 1.) *existimo, esse à Deo auersionem;* & tan- Hebr. adag.
dem, *qui cum improbo habitat* (vt Hebræum adagium habet) *cum eo vapulat,* & quod Plautus in mercatore dixit, è Sibyllæ foliis est. Plautus.

Nunc ego verum illud verbum experiar vetus,
Aliquid mali esse propter vicinum malum.

Obseruauit in concordiæ, ac vnitatis gratiam 14.
Hieron. lib. 1. aduers. Iouinian. in prima rerum crea- Hieron.
tione soli inter omnes secundæ die: Dominum non benedixisse, siue eam non laudasse; cùm enim de singulorum dierum operibus subiecerit Moses: *Et* Genes. 1. 6.
vidit Deus quod esset bonum; de huius diei opere nihil tale adiectum legimus, ea potissimũ de causa, quòd dualis numerus *ab vnione diuidat.* Displicuit Hebrçis Magistris apud Nicolaum de Lyra hæc ratio: eám- Lyra.
que illi prætulerunt, quòd secundæ diei opus, perfectum nondum esset, nimirum aquarum opificium non nisi tertia die consummatum fuit; vt nobis inde moneret, non esse boni appellatione dignũ, quod non est perfectum. Verùm enim verò, si res attentiùs inspiciatur, videris apud LXX. hanc etiam diem LXX.
æquis à Deo laudibus celebratam. Sic enim ipsi: *Et* Genes. 1. 6. 7. & 8. LXX.
dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, & sit discernens inter aquam, & aquam Et factum est sic. Et fecit Deus firmamẽtum, & diuisit Deus inter aquam, quæ erat sub firmamento, & inter aquam, quæ supra firmamentum, & vocauit Deus firmamentum, cœlum. Et vidit Deus, quia bonum est: & factum est vespere, & mane dies secundus, Gen. 1. v. 6. 7 & 8. Vnde quidẽ, vt nostri Vulgati, hac de re reticentiam benè ad vnitatis laudem referebat Hieronym. ita ex lectione LXX. simúlque ex huius diei opificio, nempè firmamento in medio aquarum interiecto, vt cœlestes, ac supernas, ab inferis diuideret atque discerneret; rectè colliges optimam, atque à Deo laudatam, & benedictam, eam diuisionem, ac disiunctionem esse, quam

firma

firmamentum siue cœlum, hoc est, cœlestis, &
superior ratio inter cœlestes, & terrenos homi-
nes constituit. Sic grauiter Leo Pontifex serm.
Leo. 6. de Natiuitate cùm dixisset. *Non habet mundus*
amicitias veras, & multos facit peruerso amore con-
cordes. Subiicit: *Pax spiritualium a supernis ve-*
niens, & ad superna perducens, cum amatoribus mun-
di nulla nos vult communione misceri. Nec minus
opportunè serm. 4. de Quadrages. *Inimicis au-*
tem crucis Christi nulla consensione iungamur, ne im-
piorum consortio sanctitas fidelium polluatur; lux se-
paretur a tenebris, & fugiant filios diaboli filij verita-
tis. Sic Leo. Ita quid pulchrè illud *lux separetur*
a tenebris, cum allusione ad Dei opus, atque con-
silium, statim enim vt lucem creauit, eam à te-
nebrarum consortio disiunxit, dicente Mose Ge-
Genes. 1. 3. nes. 1. 3. *Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd*
esset bona, & diuisit lucem a tenebris. Sanè quasi
bonitatis appendix; siue complementum fuerit,
à tenebrarum societate diuisio, ac separatio; nec
bonum aliquid censeatur quod malo fuerit ad-
mixtum, cùm initium morbi sit ægris sana mis-
cere. Quòd si his obieceris Paulum generali
ad Rom. 12. 15. oratione dicentem, *gaudere cum gaudentibus; fle-*
re cum flentibus, ad Roman. 12. 15. vt indiuiduam
vitæ, & affectuum consuetudinem cum omnibus
retineamus: occurrit Tertullianus lib. de Idolo-
Tertul. latria, cap. 13. sic iis satisfaciens. *Gaudere cum*
gaudentibus, & lugere cum lugentibus, de fratribus
dictum est ab Apostolo ad vnanimitatem cohortante.
Cæterùm ad hæc nihil communionis est lumini, & te-
nebris, vitæ, & morti, aut rescindimus quod scriptum
est: sæculum gaudebit; vos verò lugebitis. Sic il-
le. Ergo longissimo interuallo, toto cœlo, to-
tóque firmamento filij lucis, à filiis tenebra-
rum ex Dei præscripto distungendi; ac diuiden-
di sunt.

15. Psal. 148. Mirum alicui videatur Regium Vatem Psalm.
148. ad Dei laudes celebrandas omnes creatu-
ras, quotquot in cœlo, terra, & mari sunt, vocan-
tem, atque inuitantem, nullam hominis peccato
obnoxij mentionem fecisse. Inanimata quidem
omnia in hanc rem aduocauit; volucres, bestias,
serpentes, atque dracones in hæc studia allexit; &
hominis oblitus est? Adeò ne ipse inanimis, adeò
ferus, & atrox? adeò nullius frugi, & nihil, vt
bestiis, & draconibus postponatur, & ad Deum
laudibus afficiendum lignis syluarum, & abyssis
minus idoneus aptus sit? Quæ iam quæso huius
causa fuerit? Dixeris ex Ecclesiastico cap. 15. 9.
Quòd non benè resonent Dei laudes ore pecca-
Eccles. 15. 9. toris: *Non est* (inquit) *speciosa laus in ore peccato-*
ris: dissonus nimirum à voce animus non har-
moniam, seu concentum; sed potiùs tumultum
Amos 5. 23. reddit: ita Dominus Amos 5. 23. *Aufer a me tu-*
multum carminum tuorum: Et in ea verba Hieron.
Hieron. *Cantica Leuitarum, quibus laudabant Dominum, tu-*
multum vocat, sonitùmque confusum; quia non est
pulchra laus in ore peccatoris. Benè quidem: sed
non minus appositè; nostro verò instituto op-
portuniùs respondet Chrysostomus, inter pecca-
torem velut dissonam chordam à benè modula-
ta, lyra à consortio cæterarum creaturarum lau-
des Dei celebrantium fuisse depulsum, ne illa-
rum concentum corrumperet. Sic enim ille ho-
Chrysost. milia, *cum esset presbyter designatus*, à nostro Fron-
tone Ducæo nuper Latinitate donata: *Peccato-*
rem tanquam è sacra patria abegit Propheta, & vl-
tra fines, ac pomœria submouit. Atque vt musicus
optimus è cithara benè modulata chordam dissonam
resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur: sic
& peritus artis medicus membrum putrefactum am-
putat, ne hæc lues ad cætera membra sana transiliat:
eundem ad modum Propheta fecit, dum veluti chor-
dam dissonam, ac veluti membrum ægrum ab vniuer-
so creaturæ corpore resecat. Hactenus ex Chry-
sostomo.

Ad ea verba: *Videte malos operarios.*

ADNOTATIO II.

Valdè consentaneum Pauli monitis esse, vt religiosi qui de suis erratis sæpiùs admoniti non resipiscunt, ex aliorum societate expellantur.

NON longiùs à Pauli instituto iturum me 1.
crediderim, si hoc in loco tam nostræ
societatis morem, immò verò sanctio-
nem, quàm cæterorum sacrorum ordi-
num constitutiones, quæ prudentissimè præscri-
bunt, vt religiosi, qui ad religionis leges, atque
instituta sese componere, & de erratis suis sæpè
sæpiùs admoniti ad bonam frugem se recipere
nolunt, ita ab aliis omnino caueantur, vt ab eo-
rum consortio, & communi societate resecentur,
itidem aptauerim. Eodem enim Pauli, nec non
S. Parentis N. Ignatij sensa, & verba sunt, ne vi-
delicet canes, siue mali operarij, quæ benè ab
aliis ædificata sunt, destruant, & bonorum pro-
fectui & quieti impedimento sint. Sed enim prio-
rem huius rei monitorem habemus Dei filium in
Apostolis & ministris suis duos signatè gladios
desiderantem atque exposcentem; sic enim Lu-
cæ 22. 36. *Qui non habet, vendat tunicam suam,* Luc. 22. 36.
& emat gladium; discipulis verò suggerentibus: & 38.
ecce duo gladij hic; ipse notanter respondit, *satis*
est; sed cur satis? Cur etiam duo, & non vnus?
Respondet Paschasius. *Quia discipulis Christi, nec* Paschas.
plus sunt necessarij quam duo, nec minus habere con-
gruit. Vnum, in verbo, quo feriatur quisque vt vi-
uificetur, alterum; quo vlciscatur omne scelus, & ino-
bedientia, & si non se correxerit qui huiusmodi est,
præcidatur & resecetur a corpore, vbi minimè præ-
termittendum illud, *vendat tunicam suam, & emat*
gladium; innuit enim Dominus, nihil commu-
ni bono magis vtile, nihil adeò necessarium at-
que hunc gladium esse, atque ideo victui, ve-
stitui, & iis, quæ maximè necessaria sunt, præ-
ferri debere. Quòd si ad ipsa mundi incunabu-
la velis recurrere, hanc ipsam regulam à Deo
præscriptam, seruatámque reperies, dum Cai-
num peccatis obnoxium, & de iis ab ipso Deo
non semel admonitum, in ipsis consistentem,
pœnitentiámque, & saniora consilia detrectan-
tem, vel ab ipsorum met parentum societate, &
communione non cunctanter eiecit, ne illos se-
rale eius ingenium inficeret, & à rectitudine ex-
turbaret; id enim ea ipsius ad Deum verba satis
indicant: *Ecce eiicis me hodie à facie terræ*, Genes. Genes. 4. 14.
4. 14. quasi de Deo præcipiente, vt aliò abiret,
immò & vi illum expellente queratur; ea enim
emphasis inest verbo, *eiicis*: nam, vt scitè Sene-
ca epist. 54. cùm dixisset: *quia eiici est inde ex-* Seneca.
pelli, vnde inuitus discedas. Sed enim, sic id priùs
obseruauit Ambrosius lib. 2. de Cain, cap. 10.
Nec tamen penitus inultum esse pateretur in eo, qui Ambros.

nullam pœnitentiam sceleris induisset. Repulit enim eum a facie sua, & a parentibus abdicatum separatæ habitationis quodam relegauit exilio, eo quòd ab humana mansuetudine transisset ad sæuitiam bestiarum. Pende illa, *separata habitationis quodam relegauit exilio:* ac si dicat Ambrosius, à parentum societate præcidere, & resecare & separatim degere voluit; ne illis scandali, & ruinæ occasio esset.

2. Sed vt ad ea quæ proximè ad Religionem spectant, propiùs accedamus; primum quidem minimè negabimus, aut causabimur, quod vulgares quidam homines nobis obiiciunt, nonnullos apud nos inueniri, qui religiosos mores non satis induerint, ac proinde religioso habitu, & conuersatione censeantur indigni; egregia Augustini, & Tertulliani sensa, & verba in hanc rem nostra facientes; sic enim ille de suis monachis

August. aiebat epistol. 137. *Quantumlibet enim vigilet disciplina domus mea homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est, aut melior sit, quàm domus*

Gen. 19.27. *Abrahæ vbi dictum est:* Eiice ancillam, & filium

Gen. 21.10. eius: *aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duo-*

Malach. 1.2. *bus geminis dictum est:* Iacob dilexi, Esau autem

Gen. 49.46. odio habui; *aut melior sit quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit, aut melior sit,*

2. Reg. 11.14. *quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam*

2. Reg. 15.13 *mansuetudinem rebellauit; aut melior quàm cohabi-*

2. ad Cor. 7.5 *tatio Pauli Apostoli; qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret, quod superiùs commemorauit,* Foris pugnæ, intus timores; *nec diceret cùm de sanitate & fide Timothei loqueretur;* Neminem habeo, qui germanè de vobis solicitus sit; omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi:

Philipp. 2. 20 *aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in qua vndecim boni perfidum, & furem Iudam tolerauerunt: aut melior sit postremò, quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt.* Hactenus August. Iam Tertullianus Gentilibus Christianæ religioni diffidentibus, quòd aliqui in illa improbi extitissent; sic occurrit, vt inde illam puriorem asserat: ita enim ille lib. 1. ad Nationes (qui nuper repertus est)

Tertull. cap. 5. *Quod ergo dicitis. Pessimi, & probrosissimi auaritia, luxuria, improbitate non negabimus quosdam: sufficit & hoc ad testimonium nominis nostri, si non omnes, si non plures. Necesse est in corpore, & quantum velis integro, aut puro, vt neuus aliquis effruticet, aut verrecula exurgat, aut lentigo sordescat. Cœlum ipsum nulla serenitas tam colata purgat, vt non alicuius nubiculæ flocculo resignetur. Modica macula in fronte, in parte quadam exemplari vis à quo vniuersitas munda est. Maior boni portio modico malo ad testimonium sui vtitur.* Sic ille ibi. Nec minus appositè lib. de præscriptionibus aduersùs hæreticos cap. 3. prudenter adstruens, neminem scandalizari debere, si Episcopus, si presbyter, si virgo, si Doctor, si etiam Martyr ab Ecclesia defecerit cùm non ex personis fides, sed ex fide

Idem. personæ probentur. Audi eum: *Solent quidem isti myriones etiam de quibusdam personis ab hæresi captis ædificari in ruinam. Quare illa, vel ille fidelissimi, prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia in illam partem transierunt? Quis hoc dicens non ipse sibi respondet, neque prudentes, neque fideles, neque vsitatos*

1. Reg. 10. *æstimandos quos hæreses potuerunt demutare? Et hoc*

1. Reg. 13. *mirum (opinor) vt probatus aliquis retro postea exci-*

2. Reg. 12. *dat? Saul bonus præ cæteris, liuore postea euertitur*

3. Reg. 3. *Dauid vir bonus secundùm cor Domini, postea cædis, & stupri reus est. Salomon omni gratia, & sapientia donatus à Domino ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei filio seruabatur sine delicto permanere. Quid ergo si Episcopus, si diaconus, si vidua, si Doctor, si etiam Martyr lapsus a regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? ex personis probamus fidem? an ex fide personas?* Et post pauca cùm eodem sapientiæ, & elegantiæ impetu dixisset ex Luca 3. 17. Dominum ventilabrum, Luc. 3.17.
siue palàm in manu portare ad purgandam aream suam: subiicit. *Auolent quantum volent paleæ leuis fidei quocumque afflatu tentationum, eò purior massa frumenti in horrea Domini reponetur.* & post nonnulla: *Ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis eius, si à quibusdam deseruntur, quam ea nos ostendunt Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi.* Hæc ex Tertull. Quæ nostro instituto facilè, & oppotunè accommodaueris, illa præsertim ex priori testimonio, *Maior boni portio modico malo ad testimonium sui vtitur,* & hæc ex posteriori; *ex personis probamus fidem? an ex fide personas:* nimirum religio non huic, vel illi ex suis nititur, vt perfecta censeatur, sed illi potiùs, vt probentur, & perfecti sint, religioni adhærere, & ad illius leges se omnino compositos ostendere, necesse est.

Atque hinc quidem iam videris, quàm malè inter paleas, & triticum conueniat; siue, vt ipsius Domini verbis vtamur: *Quid paleis ad triticum?* 3.
Ierem. 23. 28. Quid, inquam, spuriis, atque illegitimis ad probos, germanósque religiosos? Ier. 23.28.
Sanè religiosam vitam cum cœlesti beatitudine non prorsus absimili, siue inepta imagine componebat S. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 129. vt S. Isid. Pelus.
inde adstrueret, quod Ioannes de cœlesti Hierusalem aiebat Apocalyps. 21. 27. *Non intrabit in* Apoc. 21.27
eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Sic enim ille; *Dei regnum monastica vita est, vt quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat, verùm alta sapiat, ac virtutes cœlo superiores præstet. Hanc tu amplectens da operam, ne quod te delictum in seruitutem addicat, ac regijs templis, & palatijs exturbet.* Pulchrè, nam in hac Dei domo, quæ cœlestem illam imitatur, intrare, & commorari *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium* fas non fuerit. Certè, vt alia omittam; religiosum hominem religiosis moribus non præditum, merum mendacium, fictam, somniatámque chimæram esse, nemo vertet in dubium, clamante Bernardo serm. 3. in dedicat. templi. *Quid enim frater? vanitati, aut tepiditati,* Bernard.
seu cuilibet alij vitio fidem seruas operibus? Et Deo per tonsuram mentiris? Sic ibi de aliis: de se verò, siue in sua persona de pluribus in religionis statu Deo famulantibus epist. 249. hæc similiter dicebat. *Clamat ad vos mea monstruosa vita; mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei sæculi; nec clericum gero, nec laicum: nam monachi tam dudum exui conuersationem, non habitum.* Ad quem sanè modum hosce, quos insequimur religiosos sic describebat, siue indice monstrabat S. Prosper
lib. de vita contemplatiua, cap. 4. *Illos dico, qui* S. Prosper.
velut conuersi ex pristinis moribus nihil abijciunt, non mente mutati, sed veste; nec actu, sed habitu. Hi sunt, qui sermone tantùm, non opere sæculo renunciasse contenti sæculariter viuunt, & vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt; ac religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt; prædicant magna, nec faciunt: accusant vitia, nec deponunt; publicè sibi displicere simulant. quod occultè committunt. Magni student videri, non fieri. Vides egregios mendaces, fictósque, & per-

& personatos religiosos? Magno ergo iure regiis hi templis, atque palatiis exturbari, & à legitimorum filiorum Dei societate, & consortio expelli debent. *Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui*, 2. ad Corinth. 6. 14. Ita quidem Gregor. Nazianzen. in oration. *ad monachos hypocritas*: cùm de optimorum monachorum professione, & moribus dixisset, *Lachrymásne taces, & ventris frænum, & genuum vulnera, noctésque insomnes, quibus monachi sua corpora conficiunt*: de fictis, & palliatis subdit: *de veris loquor: nam stulti, ac præposteri ad coruos proijciantur.* Benè *proijciantur*; vt regiis palatiis indigni: sed cur *ad coruos*? Sanè tanquam viua cadauera; & homines religiosæ professioni mortui; ac si dicat Theologus: nam qui cucullum solùm, non virtutes induunt, & ad sæculi morem, & affectus potius quàm ad religionis leges, & instituta se componunt, quid nisi inutilia, fœtentiáque cadauera à viuorum cœtu ad coruos proiicienda censeantur?

(Margin: 2. ad Cor. 6. 14. — Nazianz.)

4. Porrò cùm diuinus Sponsus *speciosus forma præ filijs hominum*, totúsque ad beneficia, & dona hominibus conferenda à Rege Vate prænuntiatur; ense statim super fæmur ac si illum sit illico districturus, accinctus inducitur, *Accingere* (inquit) *gladio tuo super femur tuum potentissime.* Sed quid amoribus, & ensi? Quid nuptiis, sponsalitiæque largitati, & vulneri infligendo? Audi ad ea verba Paschasium, Qui cùm de spirituali religiosorum cum Christo Domino connubio præmonuisset. *Tunc itaque benè seruantur fœdera nuptiarum, si ex vtraque parte impenditur amor castæ dilectionis, & pudor perpetuæ castitatis, si respondeat in inuicem pulchritudini formæ & decori: si inuigilet morum probitas, & diligentia castæ obseruationis; ne in vllo lædatur ius amoris*: de sponsi gladio sic postmodum disserit. *Vnde ne blandiatur fortè virgo Christi, quasi ex lenitate sponsi, audiat, quia gladium portat, & zelotypus esse minatur. Vnde sequitur*, Accingere gladio tuo super femur tuum potentissimè. *Quod si bene feceris, si fœdera seruaueris sponsalitatis tuæ, potens est, & fortis filius Regis, quem duxisti sponsum adimplere libellum dotis. Sin autem improbè vixeris, time, quia de ore eius gladius fulgurans ex vtraque parte exit acutus, & elimatus.* Vt videlicet, qui eam sponsam à qua ius amoris non læditur, nec inita fœdera infringuntur, egregiis donis munerat, & libellum dotis adimplet: illi quæ fœdera non seruat, nec ad sponsi mores se componit, repudij libellum mittat, & vltore gladio à se abscindat. Apto hîc veterem repudiorum consuetudinem, Romanis viris solemnem: quòd si ipsa tibi dura videatur, acerbámque iudicas eam repudij formulam, vxori antea charissimæ à marito in faciem iactam, *Res tuas tibi habe: exi foras*: (de quo vide Brissonium lib. 8. de formulis) scito illos eo iustitiæ prætextu eam seueritatem colorasse solitos, quod alienis à marito moribus vxor vteretur; ac proinde vna duos dissimiles capere domus non posset. Sic ea de re loquente Epigrammatario lib. 11. epigrammat. 105.

(Margin: Psal. 44. 4. — Paschas. — Brisson.)

Vxor vade foras, aut moribus vtere nostris.

(Margin: Martial.)

5. Quò mirè facit terribile illud Ezechielis vaticinium cap. 5. vbi sub ænigmate pilorum, qui vt antea barbæ, & capiti Prophetæ innati, & adhærentes in honore, & decore habebantur, à naturali subinde loco rasi, atque diuulsi pedibus conculcandi, & igne comburendi proiiciuntur, plebem suam antea sibi dilectissimam à se repellendam, & quæsitissimis suppliciis puniendam Deus comminatur; sed quare? Respondet Dei Verbum: *Quia superastis gentes, quæ in circuitu vestro sunt, & in præceptis meis non ambulastis, & iudicia mea non fecistis, &c. ecce ego ad te, & ipse ego faciam iudicia in oculis gentium*: vbi ex originibus pendenda, & maximè obseruanda sunt ea verba, *quia superastis gentes, &c.* Sic enim ex Hebræo & Codicibus, quos nactus est Theodoretus, legeris: *Quoniam character, seu forma vestra ex gentibus.* Quæ sic explicat Theodoretus, *Quasi dicat; Quando enim gentium charactera induistis, & earum institutis perfusi mea iudicia, & leges auersati estis.* Sic enim Theodoret. Ita quidem in suis lamentationibus Ieremias spuria, & adulterina hæc studia à pristino illo virtutum splendore, qui Dei filios decebat, desciscentia sic deflet cap. 4. 2. *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* pro quibus verbis, hæc emphaticè reposuit Chaldæus: *Quomodo fuerunt populi immundi positi contra lectulos eorum, vt vxores eorum eos aspicientes parerent filios pulchros similes illis?* Quæ non esse ad sonum accipienda, sed eò spiritualiter referenda, vt queratur Vates, Dei populum characterem & formam immundarum gentium induisse, mentisque ac animi conceptus ad earum studia, & mores direxisse; ratio, ac institutum Prophetæ, & cum nostro Vulgato consonantia satis suadent: ac si dixerit. O rem maximè absurdam, atque præposteram, vt inclyti filij Sion, quibus Pater cœlestis imitandus ob oculos versabatur, ad terrenas sordes, & lutum se deiecerint; & immundis gentium moribus se imbuerint; factique sint lutei, *& abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* En rationem, cur à domo & veluti à facie sua, immò, & à barba, & capite, pilos antea in honore, & deliciis habitos radat, expellátque Dominus; quia nimirum, qui vitalem succum, & humorem à Dei capite, & spiritu trahere debebant, ac proinde egregiis atque diuinis virtutibus conspicuos cerni; gentium potiùs à Deo alienarum studia prauósque mores sectari, imitarique vellent Quare illos ipsismet gentibus calcandos, puniendósque optimo merito tradit. Quæ religiosis viris in domum Dei primum admissis, immò illius capiti innixis, & in abscondito faciei protectis, & postmodum sæcularium hominum affectus, & studia imitantibus, qui, vt dicebat Prosper, *non mente mutati, sed veste, religionis imaginariæ nomine palliati opinionem virtutis pro virtute suscipiunt, & magni student videri non fieri*; siue qui vanitati, aut tepiditati, aliísque vitiis fœdus operibus seruantes, vt deflectat Bernardus, Deo per tonsuram mentiuntur, mirè quadrant. Cur enim hæc cadauera inter viros religiosos iaceant? & non potiùs ad coruos proiiciantur, & sæcularium hominum pedibus proterendos dedantur? Cur hæc vasa testea, quæ auri primi amictum proiecerunt; cur, inquam, qui antea inclyti charitatem primam reliquerunt, & luteis sordibus sese inquinarunt, vt vasa iam ignominiæ è domo Dei non expellentur? Quid enim sanctius, iustiúsve, ea militiæ lege cuius meminit Themistius oratione 17. *neque chlamyde, & zona tenus quis miles habetur, sed aut rem præstare debet ordini, ad quem se ipsum aggregauit, aut ab illo arcetur.*

(Margin: Ezech. 5. 7. — Hebræa lect. — Theodor. — Thren. 4. 2. — Chald. Par. — Osea 9. 10. — Prosper. — Themist.)

6. Sed audi rursus eundem Dominum Oseæ 9. 15. Ibi

* P. Anton. Velasq. in epist. ad Philipp. tom. 2.

Osee 9.15. *Ibi exosos habui eos, propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eyciam eos.* Sed quæ hæ adinuentiones, ob quas illi Deo exosi, illisque Deus tantopere infensus, vt tanquam malos, & contumaces seruos de domo sua eiecturus fuerit? Aperit ipsemet Dominus indidem versu 8. inquiens,
Osee 9.8. *Insania in domo Dei eius:* quæ LXX. transferunt:
LXX. *Insaniam in domo Domini fixerunt:* hoc est, in Dei domum, quam omnimoda puritas, & sanctitudo decet, sæculares insanias, vanitates, delitias, carnalésque affectus inuexerunt; ita pænè Theophy-
Theophyl. lact. ibi dum ait; *Domus Domini est peræque mens nostra, in qua insaniam infigimus, dum oculos nostros flectimus in vanitates, & insanias falsas, circa vanam hanc vitam in rabiem adacti, furentésve. Insania est amor, insania est ira, insania est ad qualemcumque voluptatem immundam impetus.* Hæc verò religiosis hominibus facilè accommodes ex Hieronymi
Hieron. commentario in illis Vatis regij verbis Psal. 133.
Psal.133.1. 1. *Ecce nunc benedicite Domino omnes serui Domini, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri:* vbi sapienter adstruit, monachis, atque virginibus, qui in altissimo religionis statu Deo quasi ad faciem famulantur, hæc signatissimè conuenire; cùm enim dixisset. *Dicamus esse aliquem dominum ditissimum. Iste habet familiam, habet & seruos. qui sibi ministrent, nunquid tantam habent fiduciam serui, qui in villis sunt, quantam illi, qui quotidie ministrant? Illis magna dignitas est, qui faciem vident Domini, & ministrant ei, &c.* Subiicit: *Hoc totum quare dixi? Dominus noster Iesus habet, & ipse multam familiam, habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant: habet alios in agris. Monachos, & virgines ego puto illos esse, qui ad faciem ministrant domino suo: sæculares autem, qui sunt quasi in agro, de familia sua. Denique illi, qui sunt in agris, istos postulant, vt rogent Dominum, si quid necessarium habent.* Sed enim inde sic infert Hieronymus. *Quantam habent ergo dignitatem, qui quotidie vident faciem Domini, tantam habent pœnam, qui negligunt ministerium Domini.* Hæc ille. Ergo iis seruis, qui stantes in domo Domini negligunt ministerium Domini, & insaniam in domo Dei figunt, sæculares scilicet mores, mundi studia, & vanitates; honoris cupiditatem, ambitionem, delitias, & similes stultitias; iure optimo intonat Dominus: *ibi exosos habui: de domo mea eyciam eos.*

7. Nec immeritò huc aduoces cum Venerabili Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani ad cap. 7. Ieremię ea Iacobi verba post visam in somnis scalam cœlos vsque pertingentem, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes per ea, è somno
Gen.28.17. euigilantis Genes. 28.17. *Quam terribilis est locus iste!* sed cur terribilis? Vidistine gehennam? aut alium infelicitatis, & miseriarum locum? Immò verò! *Non est hic aliud,* inquit, *nisi domus Dei, & porta cœli.* Cur ergo ad domus Dei conspectum paues? Cur terribilem locum, & non potiùs amabilem, iucundum, gratum dicis? *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum,*
Psal.132.1. Psal. 132.1. Vis nosse? Adi Chaldæum Paraphrastem, qui ea verba sic legit. *Quàm terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Domino.* Pende illud, *non est locus communis;* & domui Dei, hoc est, Religionis statui apta; vt noueris ad eum pauere, & terribilem existimare, quòd non sit communis; nec triuialem viuendi modum, & communem cum sæcularibus, sed purum, peculiarem, accuratum, & eximium ferat; alioquin tanquam inutilis, & ingratus seruus domo expelleris. Sed iam audi Galfridum hæc Iacobi verba cum illis Ieremiæ 7.4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ierem.7.4.
Quoniam si benè direxeritis vias vestras, & studia vestra, &c. habitabo vobiscum in loco isto: hunc in modum componentem. *Timeamus & nos, & cogitemus, quomodo nos oporteat conuersari in domo Dei.* Galfrid.
Væ nobis, si & propter mala opera nostra relinquatur domus nostra deserta. Pauens sanctus Iacob. Quàm terribilis est, inquit, locus iste. Ita ille. Benè illud: *Cogitemus quomodo nos oporteat conuersari in domo Dei,* sed quomodo? sanè vt in domo Dei; *in loco in quo beneplacitum est coram Domino:* scilicet dissimulabit ille in domo sua eos qui communia cum sæcularibus studia habent; eos (inquam) quos Bernardus digito ostendebat serm. 7. in Psal. *Qui habitat,* his verbis. *Videas enim eos tam auidè lucra captare præsentia: tam sæculariter transitorijs voluptatibus adgaudere; ad terrenarum damna, vel minima tam pusillanimiter turbari, tam carnaliter super his decertare; discurrere tam impudenter, tam irreligiosè sæcularibus se implicare, ac si hoc esset tota eorum portio: hæc vniuersa substantia.* Crediderim potiùs facto de his erratorum funiculis domo ipsum sua eos cum stomacho eiecturum, inquiens: *Domus mea, domus orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum,* Matth. 21.13. Bernard. Matt.21.13.

Sed vt ad sanctitatem domus Dei paueas, & terribilem hunc locum, puritate, & morum, integritate reuerearis; do tibi singularem & huic rei peropportunam historiam ex lib. 4. Regum, cap. 17.24. Sanè cùm Deus Israeliticæ plebi ob illius peccata grauiter infensus quidquid ex decem tribubus in Samaria superfuerat Regi Assyriorum, captiuum dedisset; Samaria, pulsis eius habitatoribus, solitaria ac deserta remansit. At enim ne regio illa solo minimè macro, & exili, sed pingui, & vbere prouentu fortunata, inculta, & derelicta syluesceret; pro antiquis colonis procul ablegatis, nouos ex Assyriis finibus induxit cultores Salmanasar, qui terram exercerent, & regiis emolumentis inseruirent: & verò cùm hi ad morem patriæ suæ viuerent, Dei legem ignorantes, & impiam à maioribus acceptam religionem retinentes à leonibus à Deo vindice immissis passim occidebantur; sic enim Sacer textus: *Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos:* sed num hi antea timuerant Deum? Minimè quidem. Cur ergo non antea immisit in eos Dominus leones? aut cur modò misit? Porrò, quòd *cum ibi habitare cœpissent,* non timerent Dominum: nimirum Dei possessio, & terra diuino cultui destinata alios mores, alium animum postulabat; atque ideo eam impietatem, quam in iis hominibus in profana regione de gentibus Dominus non puniebat; in terra possessionis suæ minimè dissimulare, sed acriter vindicare decreuit. Vides Dei locum, terribilem esse, quòd communis non sit; sed qui communiter viuentes absumat? sed & iis verbis, quibus id statim percensetur, suus inest aculeus: ita enim vers. 26. *Nunciatúmque est regi Assyriorum, & dictum, Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit eos Dominus leones; & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ.* Obserua illud, *eò quòd ignorent.* Certè si ignorantibus terræ illius ritum tam acre infligitur supplicium, quòd putas fore à Deo iis immittendum? qui *legitima terræ* scientes, & co- 8. 4.Reg.17.24 4.Reg.17.26

gno

gnoſcentes *inſaniam in domo Dei confixerunt*. Ita quidem de ſuis Sacerdotibus grauiter Dominus conquerebatur Oſeæ 6.7. *Ipſi autem ſicut Adam transgreſſi ſunt pactum : ibi præuaricati ſunt in me:* ſiue legunt LXX. *ibi contempſit me* : ſed quid fuerit, *ſicut Adam* peccaſſe, quod iis Dei miniſtris ſignatè inſigni vitio vertitur ? nónne omnes ſicut Adam peccamus? impiúmque ipſius transgreſſionis exemplar ſequimur? Dixerim, non tam ad perſonam, quàm ad locum adſpexiſſe Dominum, quod & illa verba videntur innuere, *ibi præuaricati ſunt in me* : vt eo in cardine querela vertatur, quod quemadmodum Adam in paradiſo, in loco videlicet ſancto, & Dei obſequio peculiariter deſignato peccatum perpetrauit; loci puritatem & ſanctitatem polluens, atque contemnens; ſic illi in Dei domo, quam *decet ſanctitudo* illius puritatem, & inſtituta fuerint transgreſſi. Quò facit egregia Ambroſij pro Petro in domo Principis Iudæorum lapſo facta excuſatio Adæ peccatum non leuiter onerans; ita enim ille lib. 10. in Lucam: *Malè Eua induxit Adam; malè Petrum introduxit fœmina; ſed ille in paradiſo labitur : vbi non veniabilis culpa; hic in prætorio Iudæorum; vbi difficilis innocentia.* Sic Ambroſius.

Oſee 6.7. LXX. Pſal 92.7. Ambroſ.

Adnotatio III.

Optima ratione membrum putrefactum reſecari; ne lues ad cætera membra ſana tranſiliat.

1. IAM verò de neceſſitate, & vſu huius gladij primùm audi Aſſertorem Matthæi 18.8. *Si manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proijce abs te, &c. & ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Quæ verba pulchrè componit Hilarius cum illis Dauidis Pſalm. 118.134. *Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua* : ſed enim primo eſt operæpretium videre, quomodo hæc Vatis explicet. Ait ergo : *Ergo Propheta ſi ab his redemptus eſſet, cuſtoditurum ſe præcepta Dei pollicetur, quia iſta domeſticorum calumnia, impedimentum fidei frequenter afferrent.* Preme ſingula; ſignatè verò phraſim redimendi, qua innui videtur, cum qui domeſticis ſcandalis obnoxius eſt; à peccatis quodammodo emptum; ſiue illis oppigneratum eſſe, ne diuina præcepta perfectè cuſtodire poſſit; ſiue, vt verbis Scripturæ vtatur, venundatum eſſe, vt faceret malum. Quid enim fuerit redimi, niſi in libertatem aſſeri; vt poſſit quis expeditè virtuti incumbere? vnde notanter Hilarius Dauidis ſanctitatem ad eam conditionem reuocauit; *ſi ab his redemptus eſſet*; quaſi aliàs nihil boni de ſua virtute, ſiue ſalute poſſet polliceri : opportunè ergo Redemptor ſic ſuos in libertatem aſſerit, *ſi manus tua, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum.* Quæ indidem verba hunc in modum elucidat Hilarius. *Non de membris corporum hic locutus eſt, cum ſcandala nec pes, nec manus poſſit afferre, ſed de coniunctiſſimis nobis, ac maximè neceſſarijs*, quia omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, *hæc iubet, ne domeſticis calumnijs, aut ſcandalis penes nos manentibus aliqua nobis vitiorum labes adhæreat.* Nec omittendum, quod ad hæc verba in oculi imagine conſiderauit Hieronymus, vt nimirum denotet ſocium maximè vtilem, ſollicitum, & acutum, ne videlicet religio falſò ſibi blandiatur, ob egregias doctrinæ, & capacis ingenij dotes retinendum eum ſibi eſſe qui aliorum virtuti ſcandalo, & impedimento eſt: quin, vt dicebat Nazianz. *Eijciatur ad coruos.* Sanè ſi ad puerum à noxij exempli diſcrimine ſemouendum, prudenter dicebat Iuuenalis:

Matth. 18.8. Pſal. 118. 134. Hilarius. Hilarius. Hieron. Nazianz.

Magna debetur puero reuerentia. Iuuenal.

Quantam toti familiæ, ſiue religioni reuerentiam deberi crediderīs? ne prauorum exemplorum periculis, & ſcandalis pateat. Audi Euſebium Lugdunenſem Antiſtitem homil. 7. ad Monach. qui cùm initio homiliæ dixiſſet, *Qui inter multos vitam agere conſtituerunt, aut cum grandi fructu, aut cum grandi periculo, vel diligentes, vel etiam negligentes ſunt* : poſt nonnulla ſic ſubiicit. *Ideóque chariſſimi, quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio poſiti agere ſtudeamus, ne vitia noſtra aliorum virtutibus noceant, ne aliorum feruorem tepor noſter debilitet, ne aliorum patientiam iracundia noſtra violet, ne aliorum humilitatem ſuperbia noſtra deprauet, ne aliorum ſanitatem infirmitas noſtra corrumpat, ne aliorum pulchritudinem fœditas noſtra contaminet, ne aliorum ardentes extinguamus lampades, ſi noſtras illuminare non poſſumus.* Ergo, vt Propheta ſi à malorum ſcandalis redemptus fuerit, cuſtoditurum præcepta Dei pollicetur, ita nos redemptam, & ad virtutis perfectionem expeditam, liberámque eam religionem dicemus, quæ putridas manus ſibi præcidere, oculúmque noxiè acutum eruere nouit. Ita quidem æquo, iuſtóque iudicio redemptam à Domino Sion dixit Iſaias cùm ab ea peccatores expulit, ac diſturbauit. Sic enim cap. 1.27. *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia*, ſed quónam modo? quáve ratione hæc redemptio captiuitatíſque expulſio fiet? ſubiicit. *Et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum, conſumentur* : in quæ verba hæc inquit elegantiſſimè Chryſoſtom. tom. 1. *Species etiam hæc beneficij in eos collati, vt nemo ſuperſit, qui alios abducat à rectitudine, & in fraudem, errorémve pelliciat, ſed nequitiæ magiſtros quam longiſſimè amolia- tur.* Ita ille.

Euſeb. Iſai. 1.27. Chryſoſt.

Nec à præfatis Chriſti verbis cenſuetim diſcedendum, quin in manus, pedis, oculíque imaginibus, vt reſecandi difficultatem, ita & retinendi diſcrimen, atque periculum conſiderauerim : eſt quidem perdurum, & amarum, manum ad viuum reſecare; quis enim adeò fuerit excors, qui id non vehementer doleat? at vel inde monemur, reſecandam omnino; ne morbi virus in proxima membra intimè ſibi coniuncta ſerpat. Benè quidem monebat Plutarch. in lib. *de Amicitia in plures diffuſa*; amicum futurum ſedulò priùs examine explorandum, quod ſi noxium fortuito caſu oblatum, malo fato admiſerimus, eo illum loco ſubinde habituros, ac adulterinum nummum, quem dum habemus, perditum volumus, amiſſum gaudemus. Subdit verò. *Cæterùm amittendi facultas, atque perdendi amicum diſplicentem, non tam in procliui eſt, vt admittendi; perinde enim atque cibum noxium, & peſtilentem retinere non audes, veritus, ne te corrumpat, neque eijcere potes ſine moleſtia iam bili permiſtum; ſic malum amicum ſi habes, læderis : ſin reijcis per vim, & amarulentiam, non aliter atque choleram ſummo dolore euomis.* At enim verò amarulentiam, & dolorem tantiſper ſuſtinere præſtat, quàm morbo & corruptioni animum indeſinenter paſcenti locum facere; ſic id monente Ambro- 2.

Plutarch.

Ambros. brosio in id Psalm. 118. 10. serm. 3. *Ne repellas me a mandatis tuis*; hunc in modum: *Nam quemadmodum manens in corpore, quod vomendum est, plus acescit; ita qui debet excludi, si retineatur, nec se corrigat, totum corpus exulcerat*: resecanda ergo manus, ne brachium; resecandus pes, ne crus; eruendus oculus, ne tota facies exulceretur.

3. Hinc notantissimè Paulus ad Galatas 5. 12. non sine allusione ad præfata Christi verba ait. ad Gal. 5. 12. *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant*. Pende phrasim abscindendi; eandem scilicet cum ea, qua vsus est Dominus: vnde Anselmus ibi cùm Anselm. alios sensus dedisset, tandem ait: *Vel sic intelligatur hæc abscisio sicut Dominus in Euangelio præcepit, membra, quæ nos scandalizauerint abscindi, & projici à nobis, vt quia isti pseudo Apostoli scandalum generant inter eos, separentur penitus, & alienentur ab eis*. Sed enim sub dubitantibus, perquirentibúsque tam Patribus, quàm interpretibus; qui Paulus, vir qui in suo populo mitissimus apparuit, tam magnam indignationem susceperit, & tam alienam à sua consuetudine execrationem intulerit, vt fratres suos deuouere videatur; respondet primùm Tertullianus lib. de Tertull. Anima cap. 16. *Rationalis est indignatio, quæ ex affectu disciplinæ est*. Respondet verò ad rem subinde Hieronymus ibi: *Fermentum a massa vicinia* Hieron. *semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal a caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat*: vbi opportunè illud, *fermentum à massæ vicinia semouendum*; quod hoc in loco maximè verum sit, quod adnotatione præcedenti ex Comico dicebamus; *aliquid esse mali propter* Seneca. *vicinum malum*, & ex Seneca, *initium morbi est, ægris sana miscere*: vnde ad nostrum institutum Pauli verba sic retulit S. Bonauentura in tracta- S. Bonau. tu vltimo de sex alis Cherubim cap. 7. *Vbicumque quatuor ista conueniunt: scilicet grauiter peccare; & non esse spem correctionis propter obstinationem, seu inueteratam consuetudinem; & alios inficit propter eius exemplum; vel scandalizari, qui talia tolerant; quid restat, nisi vt ouis morbida abijciatur? & membrum putridum præcidatur, ne sana inde inficiantur, & corrumpantur? vnde dicit Apostolus*, vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Sic ille. Ad quem quidem modum vetustissimus Basilius in regul. fusiùs disputatis interrogat. 28. sub eadem vitiati, corruptique membri, alia corrum- Basil. pentis sic præscripsit. *Qui sæpius punitus, & corruptus emendari non vult, hunc perinde vt fuimet corruptorem non sine multis lachrymis, lamentationibúsque, vt membrum tamen penitus vitiatum, inutiléque medicorum more, à reliquo corpore præscindere conuenit*. Hæc ibi.

4. Ad Hebræos quidem sic loquebatur Paulus ad Hebr. 12. 15. cap. 12. 15. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei*. S. Thom. In quæ verba benè Sanct. Thom. *Non autem dicit: Ne tu desis, sed ne quis, id est, quicumque; quia quilibet debet esse sollicitus de proximo*; subiicit rationem Apostolus: *ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*. Vbi, si aduertis, totam Hebræorum Ecclesiam cauere monet Paulus, paruulam malitiæ radicem surgentem ne ab illa inficiantur; immò verò è re omnium esse inquit, sollicitè curare, singulorum in bono constantiam, & mali cuiusvis extirpationem, quòd modicum malitiæ fermentum ad totam massam pertineat. Vnde hæc ver- Lect. Syriac. ba sic expressit lectio Syriaca: *Et cauete, ne quis reperiatur inter vos expers gratiæ Dei, vel ne qua radix amaritudinum producat folium, & perturbet vos, eóque multi contaminentur*: allusione nimirum facta ad exitiale aliquod virus, quod ingenti aquæ, alteriúsve liquoris portioni admixtum totum inficit, atque corrumpit. A qua imagine non longiùs eunt Salomonis verba Ecclesiastes 10. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*: siue Eccles. 10. 1. vt reponunt LXX. *putrefaciunt compositionem suauitatis*. iuxta Hieronymi exclamationem sic inibi dicentis: *Exemplum superioris sensus dedit, in quo ait; per vnum stultum multa bona subuerti, quod sic malus mixtus bonos contaminet plurimos, quomodo si muscæ moriantur in vnguento perdant illius odorem, & saporem*. Nec minus apposita sunt, quæ immediatè sic dixerat Salomon. Ecclesiastes 9. 18. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*: quæ ex Eccles. 9. 18. originibus hausta opportunam huic rei sententiam continent. Nam Hebraicè illud, *qui in vno* Hebræa lect. *peccauerit*, vt Pagninus, & alij transferunt, habe- Pagninus. tur, *peccator vnus*: Chaldæus verò Paraphrastes Chald. pro *multa bona perdet*; notanter reposuit: *Occasionem affert, vt perdatur bonum magnum ex mundo*: sed quónam modo? Sanè vel quòd *malus mixtus bonos contaminet plurimos*, vt dicebat Hieronymus. vel quòd pulcherrimæ mundi, siue Ecclesiæ, aut religionis, siue familiæ imagini, *omnibus* nimirum, vt dicebat Tullius, *inter concinentibus mundi partibus*, fœdam iniiciat maculam, qua illius splendor & pulcritudo depereat, vt non semel in religionibus videmus. Fuerit verò mirandum, dolendum, siue vnum præscindere membrum, ne omnia inficiat, vnum hominem excludi, & ab aliorum consortio resecare, ne prauis moribus plures corrumpat, cùm vel hac ratione Dominus, vt pauculos incolumes redderet, plures, immò cunctos homines, siue vniuersam hominum generationem funditus delere; aquarúmque diluuio obruere, minimè dubitauerit; sic id pensitante Chrysostom. homil. 22. in Genes. *Posteris* Chrysost. *prouidit, cùm malitiæ fermentum sustulit, & magistros iniquitatis*. Vides quanta cura, quanta prouidentia hoc diuisionis gladio Dominus vtatur, quámque ad viuum putrida membra velit resecare, qui quotquot prauitate sua alios inficere poterant; licèt multos, licèt plures, licèt omnes penè homines, è medio sustulit, vt malitiæ fermentum ab exiguæ massæ vicinia submoueret. Quid ergo iam dubitabis, modicum modò malum, siue fermentum tollere, vt totam familiæ, siue congregationis massam incolumen custodias?

At enim verò, cùm membrum præcidendum; 5. fratrémq; dilectum ab aliorum societate ad coruos proiiciendum audis, duplex tibi duplicatio animum pulsat; siue duplici cruciaris scrupulo. Nam primum, hæc tibi seueritas cum clementia, & bonitate non benè se gerere coniectas, & à visceribus misericordiæ, quæ nos induere iubet Apostolus, tibi omnino videtur aliena: sed occurrit Origenes hom. 7. in Iosue. *Quæ est ista bo-* Origenes. *nitas? Quæ est ista misericordia? vni parcere, & omnes in discrimen adducere? polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vna oue morbida grex vniuersus inficitur; sic etiam vno vel fornicante, vel aliud quodcunque scelus committente plebs vniuersa polluitur*. Optimè: Nec minus opportunè Bernardus epistol. 102. ad quendam Abbatem inquiens. *Ne timeas esse contra charitatem, si vnius* Bernard. *eiectione scandalum multorum recompensaueris pace, quippè qui sua fortè malitia fratrum cohabitantium turbare facilè poterat vnanimitatem*; & post pauca.

Melius

Melius est enim vt pereat vnus, quàm vnitas. Immò verò ad misericordiam id potius, quàm ad seueritatem pertinere, quod pluribus, quàm vni consulere, misericordiæ opus sit, sic censet August. tum in regula, tum etiam serm. 1. de institutione regularis vitæ ad eremitas: *Non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Sic August. Benè omnino *misericorditer*; cùm toti familiæ prospicitur; cùm lues certo interitu grassatura de medio aufertur.

6. Sanè vel hac ratione misericordia non confusè, & sine delectu, vel, vt propriùs dixerim, non spargenda, siue prodigenda, sed ex acto rationis iudicio adhibito exhibenda est, habet enim & hæc suos fines quos egredi, transilireque non debet, habet & suos scopulos ad quos non semel impingat, & naufragium faciat. Vnde accurata locutione Regius Vates Psal. 118. 58. dicebat: *Miserere mei secundùm eloquium tuum*; misericordiam vel in semetipsum non aliter quàm iuxta Verbi Dei normam, & leges exhibendam pronuncians. Quod ad præsens institutum opportunissimè indidem reuocauit Ambrosius serm. 8. vbi cùm dixisset: *In ipsa Ecclesia, vbi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet forma iustitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus breui lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus communionem, quamplurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat*; subiieit. *Nónne cùm vni indulget indigno, plurimos facit ad prolapsionis contagium prouocari? Facilitas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi. Hoc ideo dictum est, vt sciamus secundùm Verbum Dei, secundùm rationem dispensandam esse misericordiam debitoribus.* Apponit elegantem, & aptissimam huic rei imaginem. *Medicus ipse si serpentis interius inueniat vulneris cicatricem, cùm debeat resecare vlceris vitium, ne latiùs serpat, tamen à secandi, vrendique proposito lachrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat, quod ferro aperiendum fuit: nónne ista inutilis misericordia est, si propter breuem incisionis, vel exustionis dolorem corpus omne tabescat, vitæ vsus intereat?* Vnde sic absolutissimè concludit. *Rectè ergo & sacerdos vulnus, ne latiùs serpat, à toto corpore Ecclesiæ, quasi bonus medicus debet abscindere, & prodere virus criminis, quod latet, non fouere; ne dum vnum excludendum non putat, plures faciat dignos, quos excludat ab Ecclesia.* Pende extrema, quibus adstruit Ambrosius, atrociter crudelem eum esse, qui meritò excludendum non excludat; quippè qui inani humanitatis prætextu pluribus immaniter noceat; immò verò plurium ipse delictorum, siue delinquentium artifex fit.

Psal. 118. 58.

Ambros.

7. Quòd si animum intendis, ad religiones in viridi obseruantia florentes signatè id pertinet, atque in illis maximè locum habet; sic sacra Sponsa admonente Canticorum 2. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis aduenit:* vbi quòd florens, & incolumis Ecclesiæ, ac religionis status fuerit, arescentium palmitum putatio, siue vitiatorum sodalium abscisio subiicitur; vti ad hunc locum sic adnotauit Venerabilis Aponius, *Tempus putationis aduenit, illud proculdubio in quo Pater agricola peritissimus putator sterilia sarmenta de vera vite Christo, vstionis amputat falce, eos scilicet, qui in se nullam similitudinem Factoris sui Filij Dei per imitationem boni operis ostenderunt. Æstiuum tempus namque putationis aduenit, quando ex vna stirpe corporis boni separentur à malis, ne vicinitate malorum depereant boni, ne perfidia incredulorum periclitentur credentes.* Benè *peritissimus putator*, qui eos amputet, qui nullam in se similitudinem Factoris sui ostendunt, sed ad mundi mores, & leges se componunt, ciúsque characterem suscipiunt. Sed in eo signatissimè illius peritiam elucere dixeris, quòd temporis opportunitatem nouerit, & à florente stirpe aridos palmites tenellæ vineæ maximè obfuturos absciderit. Certè hac de causa Ananiæ Sapphiræque peccatum tā seuera punitione vlttus est Petrus Actuum 5. 5. quòd ex florenti Ecclesiæ messe omnino fuerit expediēs, orientia zizania quàm citissimè euellere, ne tenera virtus læderetur; ac recentis lucis obscuraretur splendor, vti ad hunc modum expendit S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 181. *Nam cùm tunc Euangelij sementem facere incepissent, ac statim enata zizania conspexissent, sapienti consilio ea confestim euulserunt, ne vnà cum tritico aucta futuro igni ad vstionem seruarentur.* Quò opportunè referas eiusdem Sponsæ verba Cant. 2. 15. dicentis: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* obserua rationem, nimirum quòd vt florente vinea grauius ei damnum à quauis cœli iniuria, siue ab animalculis illi insidiantibus aduenit: ita dum Religio in flore est, maiorem iniuriam, ac detrimentum à malis sociis accipiat.

Cant. 2. 12.

Aponius.

Actuum 5. 5.

S. Isid. Pelus.

Cant. 2. 15.

Iam verò vt videris, quàm sit verum, quod dicebat Origenes: *Quæ est ista misericordia vni parcere, & omnes in discrimen adducere*, vt plura alia præteream, conice quæso oculos, in illammet nauiculam, in qua Christus Dominus cum discipulis aduehebatur, eámque fluctibus pænè submersam videris; sic enim Matthæi 8. 24. *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.* Quam enim credis tanti periculi causam? qualémve imminentium fluctuum exstitisse originem, nisi mali sodalis præsentiam, Iudæ, inquam, traditoris societatem, qui inibi aderat? Audi Ambrosium lib. 4. in Lucam: *Et si multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen ea adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus, sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis.* Opportunissimè. nam quo obsecro viuaciori penicillo discriminis magnitudo à prauo socio adueniens valeat depingi? cùm omnium discipulorum merita, ipsámque firmissimæ petræ fortitudinem vnus Iudas turbare, & in iustam discriminis formidinem vocare potuerit? *Qui suis meritis firmus est*, inquit Ambros. *turbatur alienis*; ac si dixerit. Nec enim sufficit propriorum meritorum firmitas, vbi praui exempli præsentia adest; hæc siquidem omnia labefactare, & corrumpere consueuit. Sanè hæc nostro instituto intentus ob oculos habuisse, dixeris S. Isidor. Pelusiotam, qui cùm monachum quendam in aliquot errata dilapsum suo Abbati commendaret, misericordiæ opus prudentiæ sale sic condiuit: *Nostra causa velim, ipsi veniam tribuas, sin autem is est, qui venia, & indulgentia minimè melior fiat: nolim, ille fructum ex litteris nostris vllum capias, verùm è fratrum tranquillitate ablegetur, ne tumidos fluctus, ac vertiginis placidis, ac quietis ipsorum moribus excitet. Nam hoc quoque lex nobis sub parabola cortice præscribit, cùm eos, qui lepra laborabant, extra castra emittit.* Audis, improbum vnum tumidos, & furentes fluctus placido, & tranquillo mari excitare, pluresque meritis suis firmos in discrimen adducere? Audis etiam non nouam, & inusitatam apud religiosos viros rem esse, irreligiosos, & discolos è fratrum societate ablegare? floruit

8. Origenes.

Matth 8. 24.

Ambros.

S. Isidor. Pelusiot.

quippè Isidorus Pelusiota, Chrysostomi tempore, cuius ipse discipulus fuit, sub annum Domini 440.

9. Sed & illud in præfato nauiculæ discrimine notatu videtur dignissimum peculiari, ac consultissima ratione Dominum periclitantibus non statim succurrisse; sed accuratum, & vigilans somnum tunc temporis adornasse, vt nobis documento esset, malorum sodalium consortium specialia Dei auxilia sæpè sæpiùs retardare, & mali aliquid insontibus esse propter vicinum malum. Porrò ad Ephes. 5. 14. sic aiebat Paulus: *Surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* (ad Ephes. 5. 14.) Et verò aliquale in his verbis negotium facessit; cœlestem illuminationem ei tanquam præmium proponi, qui à mortuis surrexerit; moneréque Paulum, vt qui diuinæ lucis particeps esse velit, à morte quantocyus resurgat, cùm certo certius sit, neminem à morte surgere, & ad vera, ac vitalia bona animum intendere posse, quin cœlesti prius luce perfundatur, & tam ad dignoscendum, quàm ad amplexandum bonum illumineтur. Quî ergo (inquis) dixerit Apostolus, exsurge vt illumineris, cùm ad surgendum præuiam illuminationem præcedere sit necessarium? At enim, si Pauli verba consideres, haud difficilè te ab hoc nodo expedies, cùm ipse non à morte, sed potiùs *a mortuis* ad suscipiendos diuinæ illuminationis radios exsurgere dixerit; mortuorum videlicet consortium vitandum admonens, vt sensus fuerit, opus esse mortuorum societatem vitare, & ex infimo loco, vbi illi iacent, exsurgere, vt peculiares Dei illustrationes & dona, quæ amicis singillarim impertiuntur, valeamus percipere; quasi figuratè insinuet Apostolus, mundissimi huius Solis radios, qui splendidiori luce mundis solùm oculis nitent, ad infimum, & immundum locum ægrè sese demittere; ac proinde ob malorum consortium iustos quosque nonnunquam transire, ac transuolare: atque ideo eos qui suis meritis firmi sunt, alienis peccatis turbari, & peculiarem Dei opem non accipere. Quò possis opportunè aduocare quod subtiliter contemplatur S. Petr. Damian. serm. de S. Michaële plurimum lucis cœlestibus syderibus quamuis peccato minimè obnoxiis ob primi parentis peccatum tanquam propter vicinum malum deperiisse: sic namque ille. (S. Pet. Dam.) *Peccante autem illo multum splendoris sydereis detractum est luminaribus, totámque elementorum materiam infectio deploranda confudit.* A quo quidem non abit, quòd benedictionem Domino creaturis omnibus impertiente, terrestria animantia absque hoc benignitatis suæ flore indotata reliquerit, vt Patres, & explanatores obseruant, sed qua ratione? quóve ipsorum peccato? Respondent Hebræi Doctores, & ab eis Anastasius Synaïta eam signatè causam exstitisse, quòd inter ea omnia, serpens qui ad decipiendum hominem vt congruum instrumentum à dæmone assumendus erat, fuerit præuisus; sic enim ille (Anastas. Sinai.) lib. 7. in Hexaëmer. *Secunda autem causa, propter quam priuati sunt benedictione, quoniam in eis erat serpens Euæ (vel potius sanctæ Ecclesiæ hostis & insidiator;) & futurus erat obnoxius illi terribili Christi execrationi.* Sic ille.

10. Ille verò huic rei opportunissimus locus est (Iosue 7. 1.) Iosue 7. 1. vbi vnius hominis crimine, vniuersum populum peccato obnoxium, & Deo inuisum, atque illi ideo Deum maximè infensum videris; sic enim ibi. *Filij autem Israel prævaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filij Tabdi, filij Zare de tribu Iuda tulit aliquid de anathemate; iratúsque est Dominus contra filios Israel.* Pende hæc quæso. Sanè cùm in vniuersum pronuncietur, filios Israël, omnem videlicet populum diuinis mandatis obstitisse; quis non miretur, & ambigat de causali illa, quam subiicit. *Nam Achan tulit aliquid, &c.* Exigebat enim prior illa vniuersalis, atque indefinita propositio, vt subderetur. Nam tulerunt omnes de anathemate: cùm tamen nonnisi vnum omnino tulisse, & criminis reum exstitisse dicatur. Cur ergo omnes peccasse? Cur Deum omnibus infensum, & iratum fuisse, pronunciatur? Num illi vel publicè, vel remotis arbitris secretò peccauerant; occultúmque illis errati virus suberat? Minimè quidem, vt ex quæsitissimo examine, & inquisitione postea comparuit. Vnius ergo ob noxam, vniuersus populus, & culpæ, & pœnæ subjacere dicetur? Ita omnino: vnus siquidem flagitiosus non coërcitus, nec supplicio ab aliis seiunctus, atque abscissus omnes in discrimen dubio procul tandem tandem pertracturus est, atque ideo nec insontes, nec à diuina ira securi, ij inter quos ille degit, quotquot illi fuerint, censendi sunt, vnde citato loco Origenes hunc locum sic premit. *Nos otiosè transcurrendum est, quod vno peccante ira super omnem populum venit; hoc modo accidit, quando sacerdotes, qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas, ne fortè malè de eis loquantur, sacerdotalis seueritatis immemores nolunt implere, quod scriptum est* peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant; *& iterum:* Auferte malum ex vobis ipsis: *nec zelo Dei succincti imitantur Apostolum dicentem:* tradidi huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Sic ille. & post nonnulla: *Dum vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum.* Hæc Origenes. Ergo non contra clementiam & misericordiam, sed pro ipsa hîc abscisionis gladius distringitur: multo enim clementius, & benignius vnus petit, quàm vnitas. (Origen. — 1 ad Timoth. 5. 20. — 1. ad Corint. 5. 13. — 1. ad Corint. 5. 5.)

Verùm aduersum hunc gladium, vel ex ipso societatis fine, atque instituto iterum repugnas; cùm finis societatis eò eat, vt non solùm saluti, & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacemus, sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbamus; ac proinde nostræ vocationis sit, diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, siue inter Gentiles, siue inter hæreticos, siue etiam inter flagitiosissimos quosuis peccatores; vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur. Quî ergo (inquis) hæretici, Gentilis, & perditissimi cuiúsvis hominis corruptissimos mores, & communicationem non refugis, immò verò illorum familiaritati te ipsum sponte insinuas, omnibus omnia factus, vt illos lucrifacias; cur fratris tui, non hæretici, non Ethnici, non omnino corrupti, & desperati hominis societatem metuis, & te ab illo necessariò corrumpendum credis? Benè quidem arguis, sed minimè fuerit difficilè ex Dei ipsius sententia argumento occurrere. Etenim, si aduertis, aliter Leuitici canones de homine incerta, ac dubia lepra infecto, ac de illo, qui omnino leprosus apparebat, censendum iudicabant; illum enim extra castra ab aliorum societate remouebant, ne tumidos fluctus (vti hunc literæ corticem enucleabat S. Isidor. Pelusiota superius numero 13. adductus) placi 11.

(S. Isidor.)

placidis, ac quietis aliorum moribus excitaret; hunc verò vt mundum, à quo nihil esset timen-
Leuit. 13. 15. dum, tolerabant: vide Leuitici 13. vers. 15. & seqq. Quòd si ambigis, & dum rem introrsum non penetras, ad contrarium omnino iudicium ferendum duceris, quasi plus periculi ab eo, qui totus leprosus, quàm à semileproso sit, ac proinde ab illo potius quàm ab hoc cauendum videatur; occurram ex Theodoreto ibi, similem tibi Pauli doctrinam ob oculos proponente. Etenim Apostolus, qui à fidelibus peccantibus cauere, & cum illis cibum non sumere præscripsit, infidelium conuiuia fidelibus minimè prohibuit: sed quomodo hæc cum illis à Theodoreto componantur, videre iuuat: sanè cum quæstione 16. in Leuiticum
Theodor. sic interrogasset. *Cur prorsus leprosum appellat mundum?* hunc in modum respondet. *Illum, qui vario colore respersus est, ab alijs quidem separat, vtpotè, qui spem purificationis habeat, qui verò penitus albus est, hunc cum cæteris conuersari iubet: & hoc continet figuram rerum spiritualium, siquidem lex diuina, ne edere quidem permittit cum fidelibus, cum infidelibus autem ad conuiuium inuitantibus manducare non pro-*
1. ad Cor. 10. 27. *hibet. Sic itaque diuinus Apostolus ait.* Si quis infidelium vocat vos, & vultis ire, omne quod vobis
1. ad Cor. 5. 11. appositum fuerit, edite, nihil discernentes: *de fidelibus autem peccantibus inquit.* Si quispiam qui frater nominatur, fuerit fornicator, hactenus cum eiusmodi non edere, *& iterum;* Subducite vos ab
2. ad Thessal. 3. 6. omni fratre inordinatè ambulante. *Talis igitur ei similis est, qui aliquatenus est leprosus, infidelis autem ei, qui colorem omnem naturalem perdidit. At qui cum talibus, & colloquimur, & conuersamur, cum illis verò nequaquam.* Sic Theodoret. Quid autem hæc sibi velint, facilè coniicies; nimirum plus nobis periculi esse à fratre inordinatè ambulante, siue à socio semileproso, cuius improbitas nec in summo gradu, nec omnino manifesta, sed sub luce maligna (vt ita dixerim) apparet, quàm ab eo, qui sæcularibus vitiis, & manifestis criminibus scatet; hunc enim quiuis vel mediocriter probus, quamuis cum illo non semel colloquatur, cauendum sibi censet, corruptissimósque illius mores odit, & auersatur, vnde indidem hoc
Theodor. sensu Theodoret. *Mundum nihilominus eum dixit, qui totus euasit albus, non quòd sano sit corpore, sed quòd secundum legem inquinare non possit accedentem ad se.* Quare inquinare non possit? quod ei, qui virtutem sectatur, hic, *tanquam ethnicus, & publicanus sit.* Quis enim nisi ferus ad latrocinia exercenda, ad homines contumeliis, mortéve afficiendos, ad aliorum thoros commaculandos ex aliorum exemplo facilè incitetur? immò hæc cùm videt, non horreat, & abominetur? ast illum, qui secretioribus pulsatur criminibus, & inter virtutes & vitia medius fluctuat, dum non omnino caues, dum non statim horres, & aliunde intra eadem tecta propinquum tibi & familiarem, & lateri tuo hærentem habes, sensim imitaris, vnde ab eo tandem inficiendum, & contaminandum te fore non dubitauerim iuxta præcedentis adnotationis doctrinam, quæ in domesticis, & eiusdem ordinis sociis maximè locum habet.

12. En tuos eiectos, atque euulsos scrupulos: ita vtinam eum mihi erueres, quem iniicit Faustus Rhegiensis in serm. ad Monachos tom. 2. Bibliot. veter. Patrum; dum grauiter caussatur & dolet, eam quorundam religiosorum procacitatem, siue potiùs insanissimam amentiam esse, vt acerbum hoc abscissionis à corpore supplicium tanquam præmium, & erratorum suorum remedium appetant, malintque aduersus Deo præstitam fidem à fratrum societate se abscindere, quàm religionis leges, & instituta custodire, & à peccatis suis emendari: sic enim Faustus. *Clamat autem in contumelia disciplinæ in peccato animæ suæ. Malo discedere, quam emendari, quam satisfacere, quam implere, quod præcipis. Isti tales nesciunt, quod vouerunt: obliti sunt propter quid huc venerunt: isti tales non bene petunt, si malè vitijs appetuntur, non fide pulsant, sed infidelitate pulsantur.* Vnde statim subiicit. *Illis ipsis, qui grauiter apud nos delinquunt, nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus inuenire sententiam, quam vt a corpore congregationis abscissi sine pace discedant. Et nunquid non amentia genus est, vt hoc quisquam pro remedio expetat, quod etiam a Præposito nisi pro summo crimine non possit inferri? Intelligamus ergo istas indignitates, & contradictiones inimico cooperante & disponente prouenire.* Hæc Faustus. — Faust. Rheg.

Illud pro tota adnotationis huius doctrina minimè omittendum, non ad nostram tantùm Societatem, sed ad aliorum sacrorum ordinum instituta ea quæ diximus suo etiam modo pertinere. 13.
Quare consule, si placet, Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio cap. 134. Regulam S. Benedicti cap. 28. & in eam Cardinal. Turrecremata, Vmbertum de erudit. Religio. lib. 5. part. 2. cap. 3. Augustinum in regula adductum à Nauarro in cap. *non dicatis* 12. quæst. 1. num. 65. nec non Constitutiones Augustinianas Salmanticæ excusas anno 1591. parte 6. cap. 22. Constitutiones S. Dominici distinctione 1. c. 19. Constitutiones S. Hieronymi c. 30. Constitutiones B. Mariæ de Mercede dist. 1. cap. 19. Regulam S. Francisci cap. 13. & in eam Cordubam cap. 2. Reg. quæst. 31. — Conc. Aquisg. Reg. S. Bened. Turrecrem. Vmbert. August. Nauarr. Const. Aug. Cõst. S. Dom. Const. S. Hier. Constit. B. M. de Mercede. Reg. S. Franc. Cordub.

Adnotatio IV.

Mali operarij, siue Concionatoris esse, Dei verbum inanium sermonum fuco, ac calamistris delinire.

VT plura veterum nequam operariorum errata ad nouos de manu in manum ad nostra vsque tempora transmissa, accusanda, & acri stylo perfodienda possemus suscipere, illud solummodo vrgere est animus, quod illis in I.
Theodor. verbis 2. ad Corint. 2. 17. *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei,* ex Theodor. expositione perstringit Apostolus, vt in commentario vidimus, quod nimirum Iudaizantes non modò falsa dogmata diuinæ veritati admiscerent, sed tam futilibus ad vanam ingenij ostentationem sententiis, quàm inanis eloquentiæ lenociniis, comptisque & calamistratis Rhetorũ flosculis illius vim, & robur infringerent, eo sensu, quo dicebat Isai.
Isai. 1. 22. cap. 1. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua;* siue, vt
LXX. LXX. transferunt: *Caupones tui miscent aquam vino.* Nam vtrique Pauli, & Isaiæ loco eundem subesse sensum ipse Theodor. & Chrysost. monent; vt dixi. Ergo sic aiebat Theodoret. *Hic contra aduersarios contendere aggreditur, & docet, quòd ipse quidem tradit doctrinam, quæ à diuina gratia proficiscitur, illi autem diuinum sermonem cauponantur, cum fabulam efficientes, & sua cogitata gratiæ admiscentes, quemadmodum qui vinum purum aqua miscent.* Apud quem preme signatè illud, *fabulam efficientes.* ea enim quæsita fabulæ imagine plura simul inanium Doctorum, siue

siue concionatorum errata mirè præstringit, atque reprehendit: nihilque ab Euangelico munere magis alienum esse, ostendit. Ad quid enim fabula, siue scena, quàm ad auditorum gustum, & voluptatem inanibus rebus, inanioribus verbis, & phrasibus artificioso ornatu, & muliebribus lenociniis explicatis, conciliandam fuerit? Quid ergo vanitati & veritati? concionatori & histrioni? Dei verbis, & sæculi inuentis fuerit commune? Proh dolor! duæ iam scenæ, sæcularis altera, altera spiritualis inueniuntur. Audi Gregor. Nazianz. oration. 27. quæ est *de se ipso*: ita se ab his scenis & theatralibus Doctoribus; siue ab his spiritualibus histrionibus secernentem, ac discriminantem. *Sed neque facetus quispiam, ac iucundus sum, atque ita comparatus, vt hominum beneuolentiam blanditijs, & assentatione surripere queam, quales multos eorum video, qui hoc tempore Sacerdotij munus profitentur, qui fidei nostræ pietatem, quæ prius simplex, atque artis expers erat, artificiosam reddiderunt; ac nouum quoddam politices genus à foro ad sancta translata, & a theatris ad sacrarium, vulgi oculis minimè spectandum; ita vt, si audacter hoc dicere oporteat, duæ iam scenæ sint, inter quas hoc duntaxat intersit, quòd illa omnibus pateat, hæc quibusdam; illa rideatur, hæc in honore sit; illa theatrica, hæc spiritualis nominetur.* Hæc Nazianzenus. Pulchrè quidem nonnullos tam sui, quàm nostri æui concionatores describens, quibus non Dei gloria, non proximorum salus, non boni publici vtilitas, sed inanis auræ gloria; popularis fauor, & plausus ob oculos versantur, quos quidem vt sibi excitent, & aucupentur, ea solùm, siue ad sententias, & sensa, siue ad verba spectes, auditoribus suggerunt, atque obtrudunt, quæ illorum delectationi, ac pruritui inseruiant, siue ancillentur: totam concionem iis rerum, & sermonum blanditiis condientes, quæ externo gustui, non interno cordis palato concinant. Quos quidem alter etiam Gregorius sic depingit, & carpit. *Prædicatores hypocritæ, & mali frequenter sacræ legis eruditione fulciuntur, doctrina verba proferunt; omne quod sentiunt, testimonijs accingunt, nec tamen per hæc vitam audientium, sed proprios fauores quærunt, quia nec proferre alia nouerunt, nisi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitant, non autem ad lachrymas accendant.* Et quidem vel ex ipsismet illis repensis laudibus scenicam, & theatralem eorum prædicationem dignosces. Quid enim illi gestiunt, audire? sanctè? vtiliter? Apostolicè? Minimè: Quid ergo? acutè, scitè, floridè. Hæc verò ad theatra omnino pertinere sapienter monuit Plutarchus in libro de audiendo: nam cùm dixisset, Epicurum laudibus, & plausibus suis applaudentem, stomachum sibi facere subiicit; illos etiam auditores in laudando peccare, qui prædictas laudum formulas vsurparent; sic enim ille. *Voces laudum non promiscuè vsurpandæ. & Epicurus in amicorum epistolis dum plausus, & fauores fieri sibi prædicat, stomachum nobis facit; sicut & illi, qui genere laudum offendunt, cum Philosopho acclamant, acutè, siue scitè, vel floridè. Hi enim theatrales, aut declamatorias voces ad Philosophos transferunt, & orationi castæ accommodant laudationem meretricis.* Verùm enim verò non immeritò illi pro se respondeant, theatrali sermoni; & meretriciæ orationi, theatrales, ac meretricias laudes iustè, & appositè conuenire: sed de hoc statim redibit sermo.

Greg. Nazianz. — Greg. Magn. — Plutarch.

2. Sed vt quæ ab iis Doctoribus præter rationem, ac ordinem fiunt, non sine ordine, & ratione tractemus; sermonum primò fucum, & calamistratum eorum stylum; deinde sententiarum inanitatem insequamur: & præfatis sanè Pauli verbis, *adulterantes Verbum Dei*, æquè vtrumque conuenire, sic inquit Tertullianus in libro de præscriptionibus aduers. hæres. cap. 16. *Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.* Iam verò orationem siue prædicationem comptam, & flosculorum lenociniis ornatam omnino esse inutilem, nec meliori vllo prætextu ab iis Doctoribus assumi, quàm vt auditores velut musico concentu oblectent, & apud illos ipsi in admiratione sint; sic dolenter monet Chrysost. homil. 30. in Acta Apostol. *Flosculos verborum, & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, vt canamus, non vt prosimus, vt simus in admiratione, non vt doceamus: vt oblectemus, non vt compungamus, vt plausu, & laudibus obtentis abeamus, non vt mores componamus.* Opportunè illud, *vt canamus*: nimirum hoc eodem sensu iuxta plurium Patrum expositionem, inter quos sunt Rabanus, & Strabo, dixisse videtur Sapiens: *Musica in luctu, importuna narratio.* Ecclesiastici 22. 6. importunum, & à Dei verbi, & re alienissimum censens; vt luctuoso, & lachrymabili peccatorum statui, cui seriæ, & vehementes admonitiones, quæ lachrymas excuterent, & ad grauissimum dolorem, & compunctionem permouerent, omnino debentur, harmonia verborum, & cincinnatæ, & circumrotatæ orationis concentus adhibeatur; id enim valet apud sapientem *Musica*: vnde ibi Hugo Cardinalis: *Rythmicè*, inquit, *& meretricè verbum, Dei loquuntur.* Luctum verò ad peccati statum fore referendum ex his Cypriani verbis lib. de lapsis facilè videas: *Si quem de tuis charis mortalitatis exitu prodidisses, ingemisceres dolenter, & fleres, facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia mœroris ostenderes; animam tuam miserè perdidisti, & spiritualiter mortua funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis? non iugiter vlulas?* Vides omnimodam importunitatem, & inanitatem musicæ prædicationis, & rythmicæ orationis luctuosissimo peccati statui applicitam? At enim nihil hac suaui musicæ sæuius, & atrocius esse; sic rursus docet Chrysostomus homilia 38. ad Populum. *Hoc Ecclesias Dei subuertit, quoniam nec vos sermonem audire quæritis compunctionum, sed potiùs, qui delectare sono valeat per bonam compositionem, tanquam citharœdos audientes; & nos sæuiter, & ærumnosè facientes vestras sequimur complacentias, cùm eas deberemus excidere.* Hæc Chrysostomus.

Tertull. — Chrysost. — Ecclesi. 22. 6. — Hugo Card. — Chrysost.

3. Sanè inanes hos flosculos cum ipsamet Verbi Dei natura non benè se gerere, ex illius imagine, quam Assertor in parabola seminantis nobis proposuit Lucæ 8. 11. satis euidenter euincitur: *Semen* (inquit) *est Verbum Dei*: semen? ergo mundum, paleis, aristisque vndequaque excussis. Semen? ergo purum, atque sincerum, & intactum, non sacchabo, blandissimarum vocum intinctum, aut dulcium translationum melle conditum, siue artificiosi pigmenti auro, aut fuco coloratum: nam quis vnquam adeò amens & nugarum amator fuit, qui vt triticum ad prouentum sereret; illud priùs deaurauerit, aut sacchara intinxerit? Sed hanc rationem ipsemet Dominus sic vrget apud Ieremiam c. 17. 28. *Propheta qui habet somnium narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè; quid*

Luc. 8. 11. — Ierem. 17. 28.

quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras? Preme illud, *loquatur sermonem meum verè*; quod non nisi Hispana phrasi exhauriendum crediderim; ac si dixerit Dominus: *Quien predica mi palavra, prediquela de veras*; magna scilicet verborum, rerúmque grauitate, dulcium sermonum, & musicorum concentuum næniis prætermissis, atque neglectis; *Quid enim paleis ad triticum?* Quid rei omnium grauissimæ, atque vtilissimæ cum leuidensibus nugis, ac puerilibus iocis? Quid diuinis verbis, in quibus de æterna animarum salute agitur, quique ad accendendos auditorum animos, & durissimorum pectorum saxa confringenda adhibentur, cum inutilibus, & futilibus elegantum phrasium, & musicæ harmoniæ concentibus? Ita
Hieron. ibi Hieronym. *Pulchra* hæc cum paleis comparari ait, *quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos, sed de inanibus stipulis conteruntur*. Sed audi ea de re Ambrosium lib. 2. in Lucam ipsiusmet Demosthenis eloquentiæ Principis
Ambros. adducto testimonio hunc in modum. *Nam si Orator illorum, qui phaleras sermonum loquuntur, negat, in hoc positas esse fortunas Græciæ; hoc an illo verbo vsus sit, sed rem spectandam putat; si ipsi Philosophi eorum, qui totos dies in disputatione consumunt, minus Latinis, & receptis vsi sermonibus sunt, vt propriis vterentur: quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria, quibus vincit sermonis vilitas, quod operum miracula diuinorum nullis venustata sermonibus veritatis suæ lumine refulserunt.* Sic
Seneca. Ambros. Audi Senecam epist. 75. *Non quærit æger medicum eloquentem, sed sanantem, &c. Quid aures meas scalpis? Quid oblectas? aliud agitur; vrendus, secandus, abstinendus sum. Ad hæc adhibitus es, curare debes morbum veterem, grauem, publicum. Tantum negotij habes, quantum in pestilentiam medicus. Circa verba occupatus es? iamdudum gaude, si sufficis rebus.* Audi ipsummet eloquentiæ patrem lib. 1.
M.Tull. de oratore dicentem. *Quid enim est tam furiosum, quam verborum, vel optimorum & ornatissimorum sonitus inanis nulla subiecta sententia, vel scientia?* Hæc Cicero.

4. At auditorum gustus (inquis) aliud exigit, & blanditiis hisce & sermonum lenociniis adgaudet: optima quidem ad permouendum histrionem, aut poëtam ratio, sacrum verò concionatorem? Apage. Scilicet minister Christi, Deique legatus ad leuissimorum adolescentulorum gustum loqui, ad vanissimi vulgi pallum ambulare debeat; & qui dignitate, & professione senior est, & appellatur, si non ore, at re, & suis sermonibus dixerit:

Incipio adolescenturire, & nescio quid nugarum agere.

Equidem hac de causa discipulos suos, ne auditores salutarent, signatè admonuit Dominus, il-
Luc. 10. 4. lis in verbis Lucæ 10. 4. *Neminem per viam salutaueritis*; nec enim tam ad externam salutationem quàm ad prædicationis grauitatem, & maiestatem respexisse videtur: sic id explicante Na-
Nazianz. zianzeno in Catena S. Thom. ibi: *Mandauit hoc eis ad Dei gloriam; ne viderentur in eis magis vigere blanditiæ.* Et quidem meritò. nam ex blanditiis, & suauium sermonum medicamine non leuiter suspecta redditur veritas, vt opportunè adnotauit Euripides his versibus in Phœnissis,

Euripid. *Nam veritatis fuerit esse oratio simplex*
Vafris nec agens ambagibus interpretum:
Siquidem ipsa per se congruit; at sermo iniquus,
Quia per se sit morbidus, medicamenta exquisita
Deposcit sibi.

Sed in palearum imagine, quam vsurpauit Dominus, præter rei indignitatem, & vtilitatem, illud singillatim denotatur, talem prædicandi modum nullius frugi, & vtilitatis futurum, quem enim prouentum ex palearum seminatione possis sperare? at illis admixtum, inquis, it triticum, quod in segetem non potest non prouenire. Sed repugno cum Ambrosio sapienter admonente has nimiæ elegantiæ paleas non leue fructui, qui aliàs ex rebus oriretur, impedimentum afferre; 5.
quod luxurias (inquit ille serm. in Psalm. 118.) *in flore sermonis tenuatur, & hebetatur in fructu.* Similiter Chrysologus, & ipse quidem elegantiæ, & amœnitatis, sed cum debito sale, & modo conditæ non negligens serm. 18. *Si quid spiritualis intelligentiæ lateat, scire volumus, verborum flosculos non quæramus; qui maturitatis fructus quærit, despicit amœna camporum: violæ, rosa, lilia, narcissus, grati flores, sed gratior panis. Quod est odor naribus, hoc est auribus sermonis ornatus, quod dat panis vita, hoc scientia dat saluti.* vnde sic infert: *seponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quando scientiæ deposcitur fortitudo.* Sanè quasi cum rerum fortitudine, & sententiarum pondere, malè verborum suauitas atque dulcedo se gerat, quæ dictorum robur eneruet, atque infringat. Procul ergo à floridis hisce concionatoribus, atque Doctoribus fructus, procul robur atque substantia panis; & qui violas, rosas, lilia, atque narcissos colligunt, & spargunt, odorem naribus, non vitæ, panem, & fulcimentum indunt. Nec longiùs ab hoc iuerit, quòd in siliquis, de quibus prodigus ille saturari cupiebat considerauit idem Ambros. lib. 7. in Lucam; quasi hæ inanem sermonum pompam, & linguæ facundiam, gratam rem dæmonibus adumbrent. Sic namque Ambrosius. *Sunt, qui porcos accipiant pro gregibus dæmoniorum; siliquas pro exili virtute inanium hominum, sermonúmque iactantia, qui nihil prodesse possunt inani quadam Philosophiæ seductione, & quodam sonoro facundiæ plausu, pompam magis, quam vtilitatem aliquam demonstrantes. sed hæc diuturna oblectamenta esse non possunt.* Hæc Ambros. Ex quibus non omnino inutilem, & infructuosum cum dicendi, & concionandi morem dixeris, qui dæmoniorum gregibus pergratus, suauísque illorum gustui cibus est. Egregia omnino laus. Ambros. Chrysol. Ambros.

Illustres quidem, vt alibi admonui, duo Hebræi populi duces, siue iudices habentur: alter Aod; alter Samgar: sed ille inde celebratur, quòd gladium sibi ad bellum maximè limatum, atque politum fecerit, hic verò quòd rustico vomere egregia facinora peregerit, eo siquidem ac è bellico tormento laxata rota; sexcentos Philisthæos interemisse dicitur Iudic. 4. 31. cum Aod limatissimo suo, & splendenti gladio vix vnum, atque hunc nonnisi ex insidiis interfecerit: vt esset argumento, *quia sæpè plus proficit simplex & rudis prædicatio* (inquit Stephan. Cantuar. à nobis iam adductus, cap. 2. vers. 16. adnotation. 1. num. 4.) *quam exquisita, atque polita.* Nimirum; *viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ. ac spiritus compagum quoque. ac medullarum*, ad Hebr. 4. 12. vnde non sæcularis eloquentiæ vagina contectus, sed nudus, ac, vt ita dixerim, viuus, vt ferire possit distringendus, atque tractandus est; aliter inutilis illius vsus, & qui tangere, non verò penetrare, & ad animæ diuisionem peruenire valeat. 6. Iudic. 4. 31. Steph. Cant. ad Heb. 4. 12.

Sic

Sic certè Cherubim ad custodiendum paradisum constitutus flammeum, siue flammantem gladium nulla occupatum vagina, sed in omnem partem versatilem, seséque porrigentem habere dicitur

Genes. 3. 24. Genes. 3. 24. Isti verò Doctores non tam *gladium spiritus, quod est verbum Dei*; quàm vaginam sine gladio, (quod de hæreticis non dissimili omnino sensu dicebat

Tertull. Tertullian.) qua aërem verberent, habere videntur; vt illis meritò di-

Seneca. xeris cum Seneca iam citato: *Quid aures meas scalpis? quid oblectas? aliud agitur, vrendus, secandus, abstinendus sum; ad hæc adhibitus es: circa verba occupatus es?* Stringe iam gladium, & de vagina pugnare desine.

7. Hinc sanè hosce Doctores, quantumuis canos, ac veteranos videris; tyrones, & nouitiolos, veræ virtutis ignaros, & inexpertos primùm appellaueris: etenim sapienter docuit Plutarch.

Plutarch. in lib. de audiendo, *primum virtutis tyrocinium esse, fucum orationis abluere.* Sic quotquot diserti viri Græciæ habebantur, *Asianum tumorem* (ver-

Hieron. ba Hieronymi epist. 4.) *Attico siccabant sale, & luxuriantes flagellis vineas falcibus reprimebant, vt eloquentiæ torcularia non verborum pampinis, sed sensuum, quasi vuarum expressionibus redundarent.* Deinde mali ingenij homines optimo merito ex August. ostenderis; sic enim ipse lib. 4. de do-

August. ctrina Christiana, cap. 11. *Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba*; subdit optimam rationem. *Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?* Ad hæc: ad muliebrem animum, effœminatúmque ingenium is orationis ornatus, atque lenocinium pertinere dixeris. Porrò Ezechiel. 13. 17. in hos concionatores Do-

Ezec. 13. 17. minus sic inuehitur: *Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus Deus. Væ, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas*: vbi præter ea, quæ adnot. seq. expendemus, iure addubites, quid sibi velit illud, *contra filias populi tui.* Num fœminæ ad prophetandum, & concionandum adhibebantur? Non opinor. Quid enim prædicationi, & mulieri? doctrinæ, & fuso? sed de hoc alibi. Cur ergo

Hieron. dixerit Vates *filias*? respondet Hieron. inibi. *Potuit dicere Propheta: super filios populi tui, qui prophetant, sed quasi omnes, qui velamina contexant, & ceruicalia consuant sub omni cubito manus, mulieres sint, & nullus inter eos, viri nomine dignus habeatur,* ait Propheta, in filias populi tui, &c. *effœminatæ quippe sunt eorum magistrorum animæ, & voluntates, qui semper sonantia, semper canora componunt, & (vt quod verum est, dicam) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignum est in ijs, qui iuxta gratiam, & voluntatem audientium prædicant.* Sic disertissimè Hieronymus. Ad cuius planè gustum Seneca non semel locutus est: Nam citata laudatáque iam

Seneca. epist. 75. sic ait: *Quis enim accuratè loquitur; nisi qui vult putidè loqui*; & epist. 115. aduersùs cincinnatos oratores longiùs diuagatur hunc in modum. *Cuiuscumque orationem videris sollicitam, & pollitam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum. Magnus ille remissiùs loquitur, & securiùs; quæcumque dicit plus habent fiduciæ, quàm curæ. Nosti quàm plures iuuenes barba, & coma nitidos, de capsula totos, nihil ab illis speraueris forte, nihil solidum oratio vultus est animi. si circumtonsa est, & fucata, & manu facta, ostendit illum quoque non esse synce-rum, & habere aliquid fracti. Non est ornamentum virile concinnitas.* Optimè. Quare crispatis hisce, & cincinnatis, siue calamistratis concionatoribus, immò concionatricibus iure accommodaueris quod suæ nostræque tempestatibus adolescentulis ad fœminarum morem comam, & cincinnos nutrientibus, & ambitioso artificio Æthiopico pænè gyro crispantibus, & confundentibus non sine stomacho ingerebat Ambros. epist. 15.

his verbis: *Quàm deforme autem, virum facere opera muliebria; ergo & pariant, ergo parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ, & tamen illæ velantur, isti belli gerantur.* Ambros. Quàm deforme enim fuerit, virum, atque eum virum, qui non minus de animo, quàm de sexu vir, & senior dici, & esse debet, muliebria opera facere, & effœminatum animum ostendere! Quàm dissonum & turpe, vt diuinorum præliorum duces, & bellatores cincinnis, & fuco vacent, & muliebribus ornamentis delectentur! Sed inquiunt; vt hæc ita fuerint, satius nobis videtur, eloquentes apud populum haberi. At enim & hoc eloquentiæ nomen illis detrahere non dubitauerim Isidorum Pelusiotam secutus epist. 42. lib. 3. vbi verum eloquentem sic definit, & à falso discriminat.

Eloquentem ego hunc esse statuerim, qui id quod animo Isid. Pelus. *concepit, perspicua oratione demonstrare potest, non qui doctissimis, & sublimibus verbis: etiam quæ clara, & dilucida sunt, obscurat: ille siquidem, quod latet, in lucem profert: hic illud etiam, quod omnibus perspicuum est, in tenebris occultat, eóque nomine ille, vt qui auditoribus prodesse cupiat, amplissimis laudibus celebratur; hic contra, vt qui gloriæ suæ cupiditate flagret honoris, ac præmij expers relinquitur.* Sic Isidorus.

Quò traxeris per allegoriam insigne illud Achami furtum, insigni supplicio mulctatum, de 8.

quo Iosue 7. 21. etenim vbi dicitur illum inter Iosue 7. 21.

alia furatum fuisse regulam auream, LXX. reponunt, linguam auream. LXX. Quid verò fuerit linguam auream è Gentilium castris in Ecclesiæ discrimen furari, non difficilè elicies ex his Domini apud

Ieremiam verbis cap. 23. 30. *Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea.* Ierem. 23. 30. Sed obserua Pagninum, & alios ex Hebræo legere; *qui lenificant verba mea*, quasi Dei verba dulcia, & mellita reddere, idem fuerit, ac ea furari, siue vim, efficaciam, atque energiam illis auferre. nam *quod luxuriat in flore sermonis* (vt dicebat Ambrosius) *tenuatur, & hebetatur in fructu.* Iam hæc omnia ad ea verba Iosue sic probat Orige-

nes homil. 7. *Non puto in illo furto parui auri tan-* Origenes. *tam vim fuisse peccati, vt tam numerosam Dei Ecclesiam macularet. Sed videamus ne fortè interioris intelligentia sit tanta, & tam grauis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, & multa in Philosophorum, vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hierico, id est, huius mundi homines.* Et statim: *Sed vide ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo; memento quòd Iesus anathema iussit esse omne aurum, quod in Hierico fuerit inuentum: si poëtam legeris modulatis versibus, & præfulgido carmine deos, deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est, &c.* Damnantur ergo Concionatores; qui *furantur*, siue *lenificant* Dei verba, qui aurei sermonis pulchritudine, & pompa delectantur; & vt nouis vocibus, & metaphoris inuentis, siue fabricatis cultos sese iactent, cultores non Dei, sed poëtarum se exhibent, & profitentur.

Quàm

Quàm longè autem à vera sapientia id erat, sapienter monuit August. lib. 2. contra Academicos, cap. 11. inquiens. *Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem.* Sed illud huic rei, & præfatis Domini verbis, *ad Prophetas, qui lenificant verba mea*; fuerit opportunissimum, quod Cardin. Baron. tom. 2. Annal. ad annum Christi 231. num. 61. de magno illo Spiridione Episcopo Triphillium Ledrensem Antistitem, quòd leniora, siue dulciora Dei verba redderet, publicè reprehendente ex Nicephoro lib. 8. hist. Eccles. cap. 42. sic refert. *Magnus ille Spiridion, cum Triphillius Ledrensis Episcopus rhetoricis literis egregiè excultus coram Episcoporum conuentu sermonem habens, cùm illud Euangelij occurrisset*, Tolle grabatum tuum, & ambula; *pro* grabato, lectum *dixisset, elegantiori nimirum sibi visus vti voce debere, eum liberè reprehendens. Tu ne, inquit, præstantior es eo, qui grabatum dixit; qui igitur pudor iste est, verbis illius cum decore non velle vti. Atque his dictis in conspectu omniũ Episcopali Sede exurgens factum, & superciliũ eorum, qui oratione affectata se se efferrent, comprimere conatus est.* Hactenus ex Nicephoro Baronius.

Adnotatio V.

Mali operarij, siue Concionatoris esse Dei verbis inutiles cogitationes, & inuenta, ad auditorum gustum ingerere.

1. Venio ad aliud Doctorum, siue concionatorum genus, quos Apostolus meritò appellat, adulterantes verbum Dei; à Theodoreto illis verbis descriptos: *illi autem diuinum sermonem cauponantur, eum fabulam efficientes, & sua cogitata gratia admiscentes, quemadmodum, qui vinum purum aqua miscent.* Libet tamen in ipso huius dotractationis limine ad gustum Plinij grauiter dolere, nullius iam negotij rem esse, spiritualem medicum, hoc est, vitæ, mortisque arbitrum agere, cùm non nisi accuratissimo examine Decuriones, & æris tribunos, qui de nummis, siue de re familiari censebant, deligerentur, sic enim ille lib. 29. natur. histor. cap. 1. *Sed decuriæ pro more censuris Principum examinantur, inquisitio per parentes agitur: & qui de nummo iudicet, à Gadibus, columnisque Herculis accersitur de exsilio verò non nisi die quadragesimo quinque electis viris datur tabella, at de iudice* (alij libri legunt *medico*) *ipso quales in consilium eunt, statim occisuro? Meritò, dum nemini nostrûm libet scire, quid saluti suæ opus sit. Alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoscimus, aliena memoria salutamus, aliena viuimus opera. Perierúntque rerum naturæ pretia, & vitæ argumenta. Nihil aliud pro nostro habemus, quam delitias.* Quid ni enim, idem nobis contingere doleas; apud quos siue ij, qui de rebus familiaribus iudicant, siue qui causarum patrocinium suscipiunt, siue iidem ipsi medici, quorum occasione querebatur Plinius, magna cum diligentia, & iudicio, nec nisi accurato examine præmisso, & petitiæ periculo facto seliguntur; concionatores verò, qui animam potissimi medici; penes quos spiritualia pharmaca deputantur, & animarum medela dirigitur, quique de omnium moribus cum auctoritate iudicant; Icui quidem sapientiæ, prudentiæ, ac virtutis eorum periculo facto, prædicationi, rei omnium maximæ destinantur, vel potiùs ipsi sese animosè, siue audacter ingerunt; nullo meliori iure, atque argumento innixi, quàm quòd linguæ volubilitatem experiantur, & natiua lingua excusos libros, siue conscriptos Codices nacti fuerint. Heu! alienis illi, alienis & nos pedibus ambulamus, alienis oculis vtrique agnoscimus, aliena viuimus operà. Pericrúntque rerum naturæ pretia, & vitæ argumenta. Sed ad rem.

2. Obseruant quidem Chrysostom. & Theodor. in præfatis verbis Pauli, *adulterantes verbum Dei*, sensum communem habere cum illis Isaiæ 1. 22. *Vinum tuum mixtum est aqua*; quæ dum à LXX. sic leguntur, *caupones tui miscent aqua vinum*: à Basilio, Cyrillo Alexandrino, Hieronymo, in id loci. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 12. & Nazianzenus in Apologetico de concionatoribus, & Doctoribus insincerè, & non pro dignitate tractantibus verbum Dei, optimè explicantur. Sed enim non perinde hæc, siue à Paulo, siue ab Isaia dici crediderim, quasi cum allusione ad mercatores, & rerum venditores, taxentur Doctores turpe lucrum sectantes; sed ij potiùs, qui ad instar eorum, qui ea corrumpunt, quæ venalia proponunt, & signatè vini puritatem, atque vigorem, aqua diluunt, & encruant, Dei verbis, sacræque doctrinæ futiles, & inconditos cogitatus, è proprij cerebri pharetra depromptos admisceant; quibus diuinorum sermonum efficacitatem, robúrque infringant; vti dicebat Theodoretus: *sua cogitata gratia admiscentes, quemadmodum, qui vinum purum aqua miscent.* Quo omnino sensu Isaiæ verba à Basilio explicari videris hunc in modum: *Scripturam ipsam in aquam conuertunt, permiscentes quæ suo ipsorum intellectu excogitarunt in extremam perniciem auditorum: dum enim studio adnituntur, vt indulgendo eorum voluptatibus demereantur ipsorum gratiam pro blandiloquia, & suaues sermones assentando alunt eorum vitia in perditionem, per hæc eneruantes austeritatem, & vigorem Scripturarum vitiosos vtiliter perstringentem ad auditorum subuersionem; enarrantes multimodam erga homines benignitatem planè ineruditam; condonationes item peccatorum nullo discretionis sale conditas, & talia quædam ad captandam multorum gratiam, quibus maximopere effœminant animas studio consectantium voluptates.* Hæc Basil. Vbi planè vides, quid cauponari, siue vinum aqua miscere: quid etiam adulterare Dei verbum sit; vtraque enim imagno eò it, vt explicet; diuinæ prædicationis grauitatem, immò eius vim, atque spiritũ ab iis Concionatoribus imminui, atque deperdi non secus ac vinum aqua diluitur, & in moneta imago Principis viliori metallo insculpta deflorescit, quod ad auditorum gustum se se accommodantes, ea solum excogitent, quæ voluptates titillare, non corrigere; peccata scabere, non traducere; animos oblectari, non frangere, atque ad Dei legem inflectere valeant. Preme illa *eneruantes austeritatem, & vigorem Scripturarum vitiosos vtiliter perstringentem*, quibus ostendit Basilius, tum, quò Scripturæ, & prædicationis scopus tendat, vt nimirum vitiosos perstringat, pungat, & velut acre medicamentum mordeat; tum etiam quò eam isti concionatores inflectant, nempè ad captandam popularem auram, & conciliandos sibi auditorum animos, qui malo facto non grauibus, & salutaribus monitis, sed dulcibus, & iucundis demulcentur: vnde ipsi nihil minus quàm de vera Scripturæ inter

August. Baron. Niceph. Ioan. 5. 8. Theodor. Isaiæ 1. 22. LXX. Basil. Cyr. Alex. Hieronym. Ambros. Nazian. Basil.

interpretatione, siue de sugillandis ex illa peruersis moribus curant; totos sese transferentes ad subtilissimas, vt ipsi credunt, cogitationes, & discursus fabricandos; quos auditorum animis instituendis, moribúsque formandis, nec hilum aptiores dixeris, quàm arithemetica siue geometrica illis proposita dissertatio fuerit. Et huc quidem eunt: *condonationes peccatorum nullo discretionis sale conditas, & talia quædam, quibus magnopere effœminant animas.*

3. Quadrant verò hæc contextui Pauli eo in loco, quippe de se ipso præmiserat, *Christi bonus odor sumus Deo*: ac si dicat, vt notauit OEcumenius, ipsum erga Christi verba, & prædicationem non aliter se gerere, ac thuribulum, per quod flagrans suffitus diffunditur. *Nam velut thuribulum* (inquit) *fumus huius vnguenti, ac cœlestis incensi, ipsius odorem vbique circumferentes*: sanè, quasi Euangelicus concionator, nec sensa, nec verba à se ipso mutare, sed tanquam thuribulum os tantùm, per quod pura, & sincera Christi verba prodeant, exhibere: ita quidem dicebat ipse eadem epist. cap. 13. 3. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Planè quòd Christus sit, qui in concionatore loquatur, qui sensa, & orationem dictet, & inspiret; ille verò non nisi linguam, & latera præbeat: sic videris Magdalenæ ad sepulchrum lamentanti contigisse: duo etenim Angeli se se illius obtutibus offerentes dixerunt: *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. 13. nec multo pòst ipsemet Dominus sub hortulani specie conspicuum se, & absconditum exhibens eodem ductu, interrogat, *Mulier quid ploras?* Ioan. 20. 15. Nec otiosè quidem, aut superfluè; sed vt nobis innueretur, eadem Angelis, hoc est, Dei ministris, atque præconibus, ac Christo verba, atque sententias inesse debere; non secus ac thuribulum, quod ingestos sibi odores reddit, atque diffundit: vnde cohærenter præfatis verbis, *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*; subiicit Apostolus; *sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, in Christo loquimur*, vt dicere videatur, sincerum odorem, sincera sensa, & verba ex Deo depromere, quin illis de suo aliquid admisceat. Cui sanè sententiæ valdè affinis est illa ex eadem epist. c. 5. 20. *Pro Christo legatione fungimur*: hoc est cùm è suggestu loquimur, cum monemus, & exhortamur, non nostram, sed Christi personam gerimus; ac proinde ab illo orationē & verba mutuamur: nec enim à seipso, sed ab eo, qui eum delegat, ac mittit, legatus loquitur; ac proinde si verba mutauerit, infidus habebitur: vel ea de re ad nostrū etiam institutum aptata Platonem audi libr. 12. de legibus, in principio; sic disserentem: *Si legatus, aut præco falsò, quæ sibi commissa sunt, nuntiauerit, dicendáve tacuerit, vel rursus ab hostibus, amicísve rediens, quæ ab illis accepit, aliter, quàm acceperit, retulisse reperiatur, quæ si Mercurij, Iouísque mandata, legationésque contra legē contempserit, in iudiciū deferatur.* Hæc Plato.

[Marginalia: 2. ad Corinth. 2. 15. — OEcumen. — 2. ad Cor. 13. 3. — Ioan. 20. 13. — Ioan. 20. 15. — 2. ad Cor. 5. 20. — Plato.]

4. Congruunt verò iis verbis, *adulterantes verbum Dei*; ea quæ ipsemet Apostolus Timotheo magna verborum emphasi ingerebat in prima ad illum epist. cap. vltim. 21. hunc in modum: *O Timothee depositum custodi*: quæ de Euangelica doctrina populis ingerenda frequentius accipiunt Græci Patres, & prior illis Irenæus lib. 3. cap. 3. Cur autem insolita depositi imagine vsus fuerit Paulus forsan ambiges: Christus enim ad spiritualem negotiationem, siue lucrum explicandum talenta, siue mnas, quæ non mediocres vsuras, & lucra parerent, vsurpauit Matth. 25. 14. & Lucæ 19. 12. ab hac verò similitudine depositi imago longè it; id enim, vt non minui, ita nec augeri vllo modo exposcit; sed veluti serui nequam, talentum in sudario ligatum reddi. Qui ergo Paulus à Domino non dissideat; vel quæ hæc Euangelicæ doctrinæ sors fuerit; quę velut vinculis compedita intra certos limites continenda est? Nónne ipsemet Apostolus, vt curreret Dei sermo, oratum iri volebat, 2. ad Thessal. 3. 1. Sed enim, quò verba hæc de doctrina Euangelica aptissimè, accipiuntur, eò depositi metaphora opportuniùs subsistit, quæ sanè alia est à talenti imagine; hæc enim Diuini spiritus gratiam adumbrat, quam crescere, & continuò multiplicari pręscribit Dominus, seruúmq; ea in re pigrum damnat; depositi verò similitudo aliud exigit, vt nimirum quod, & quale acceperis, integrum reddas: *lex enim depositi* (inquit ad hunc locum Chrysost.) *non patitur, vt aliquid pereat sine culpa apud depositarium*: vt inde Euangelicus dispensator, Concionator, & Doctor nouerit, quanta puritate, & sinceritate Euangelicam doctrinam, tractare debeat: non modò ne eam immutet, atque corrumpat, & falsam pro vera tradat; sed etiam ne infringat, atque eneruet, & effeminatam, ac degenerem reddat. Ita Vincentius Lyrinensis aureo libello pro Catholicæ fidei antiquitate aduersus hæreses, cap. 27. hunc in modum: *Depositum custodi: quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde. Nolo mihi pro alijs alia subijcias. Nolo pro auro plumbum, aut æramenta supponas. Nolo auri speciem, sed naturam planè.* Optimè, & nostro instituto valdè appositè. Quid enim aurum fuerit, nisi vera, & solida doctrina ex germana Scripturæ interpretatione, & Patribus elicita, & ad formandos mores, & vitia perstringenda omnimodis intenta? Quid verò aliud auri speciem, siue æramenta dixeris, quàm hos cultissimos cogitatus, aristis leuiores, & subtiliores, quibus vt nihil solidum ex Scriptura, & Patribus adhæret, ita nullus eos auditorum sequitur fructus, siue morum correctio. Ait ergo Vincentius. Nolo fucata & leuia pro solidis; nolo splendentia pro salutaribus; nolo iucunda pro vtilibus; cedo aurum; sapientiam, doctrinam; cedo stimulos.

[Marginalia: Chrysost. — Theoph. — Irenæus. — Matt. 25. 14. — Luc. 19. 12. — 2. ad Thessal. 3. 1. — Chrysost. — Vinc. Lyrin.]

Placet verò hìc illud subiicere, quod vti ex hoc loco ad Timotheum veteres hæretici apud Tertullianum ex depositi imagine quam nimium premebant, elicere conabantur, aliquam esse in Ecclesia doctrinam occultissimam de manu in manum ab Apostolis traditam, & non nisi paucis notam & per viam; (sic enim Tertullianus lib. de præscription. cap. 13. *Non omnia volunt illos* (Apostolos) *omnibus reuelasse, quædam enim palam, & vniuersis, quædam secretò, & paucis demandasse, quia & hoc verbo vsus est Paulus, &c.*) Ita eodem prorsus modo velle etiam nobis & hos concionatores persuadere, non omnia auditoribus palàm denuncianda, siue tam dilucide, & particulatim proponenda vt penetrentur, sed satis esse, si ab aliquibus subtilissimis, & omnimodæ culturæ deditis omnino capiantur. Sed Deus bone! quàm multa ea in re peccant. Nam siue doceas, & instituas; siue pungas, & reprehendas, quid fuerit adeò necessarium, quàm ab iis qui docendi, instituendi, & obiurgandi sunt, clarè, & distinctè intelligi? quin aliqua doctrinæ ruga insit, quæ non explicetur, & extendatur. Sanè egregia illa Doctorum, & Concionatorum laus esse perhibetur, quod ad instar phialarum, quæ omnino patulæ, 5.

[Marginalia: Tertul.]

ac

ac dilatatæ sunt, nihil abscondant nihil obscurum, laténsve auditoribus propinent, quod ipsi vel primo haustu non hauriant; sic enim Salomon Canticorum 5. 13. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis*: vbi LXX & Græci PP. *pro areola aromatum*, reponunt, *aromatis phialæ*: & verò hanc phialæ imaginem concionibus, siue sermonibus qui à diuini verbi præconibus, habētur, ea potissimum ratione accommodat Gregor. Nyssen. ibi, quòd phialæ figura profunda non sit, sed omnis ab illa concauitas oculis subducatur; Hispanè dicimus, *Taças llanas*, quę ijs quidem è diametro opponuntur, è quibus cum angustia guttatim bibitur; ideóque appellantur, *copas penadas*. Audi Nyssenum; qui cùm dixisset: *itaque veritatem, quæ in simplicitate patescit per vocem phialæ significari dicimus*. subiicit. *Atque ex his iam haud dubie horum verborum sententia perspicua est, nimirum esse proprium puris Ecclesiæ oculis, vt talem corpori cibum præparent, maxillas comminuendi vi præditas, quo nihil profundum, ac latens, in ijs quæ dicuntur conspiciatur, sed omnia sint dilucida, libera ab omni fraudulenta occultatione, ac profunditate separata: ita vt pueris manifesta sint, quemadmodum Vates ait*, Testimonium Domini est fidele, ac pueros erudit. Hæc Nyssenus. Ergo atrociter errant concionatores, qui guttatim & cum angustia percipi, & hauriri volunt, cùm in phialis potiùs propinanda doctrina sit, vt vel ipsimet pueri, ac rudes eam placidè bibere, & capere possint.

Cant. 5. 13. — *LXX.* — *Greg. Nyss.*

6. Quòd si & in grauioribus admonitionibus, & increpationibus, eam quam sibi confingunt, depositi legem obseruent, nec clarè, & distinctè populi peccata traducant, & dilucido stylo coarguant, atque castigent, multò immaniùs decipiuntur, diuino oraculo attestante: *Si dicente me ad impium: Morte morieris; non annunciaueris ei, neque locutus fueris, vt auertatur a via sua impia, & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur. sanguinem autem eius de manu tua requiram*, Ezechiel. 3. vers. 18. in quæ verba priùs obserua, quid Gregorius moneat, quid terribile obiiciat Theodoretus; & hic quidem sic ait: *Terribilis, & horroris plena comminatio, idonea ad deterrendos eos quoque, qui maximè lapidei sint.* Iam Gregorius hunc in modum loquitur: *Si hoc loco sanguinis nomine mors corporis designatur, valde nobis timendum est de nostro silentio; quia si prælatus de morte corporis quandoque morituri tam grauiter reus teneatur, quo reatu de morte animæ subiecti constringetur, quæ potuisset semper viuere, si verba correctionis audisset? Nos ergo sacerdotes hîc commonemur, qui tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus.* Hæc & alia Gregor. Sed quale hoc silentium, siue reticentia, de qua loquitur Gregorius? siue quid id fuerit? *non annunciaueris ei, &c.* Num concionatores, & Doctores in pertinacissimum silentium compositos populis doctrinæ eloquia subtrahere? Minimè. Quid ergo? Hebræa sanè lectio pro *annunciaueris*, habet, *Non expolieris ei.* Quid? Monetur ne concionator, vt auditores suos subtilibus cogitationibus, & discursibus cultos, & expolitos reddant? Non opinor. Sed phrasi Hebræa; ingens pondus admonitionum, quas ille auditoribus est traditurus, significatur: nimirum verbum צָהַר *zahar*, propriè significat limare, siue lima detergere; atque inde ad serio monendum vsurpatur, vt talis fuerit admonitio, tam exactè, & ad amussim facta, vt rubiginem ab animo auferre valeat. Addit bene ad id loci P. Hieronymus Prado, significare etiam id verbum repetere, inculcare, iterúmque iterate dicendum, quòd ferrum non leuiter, & facilè, siue semel adhibita lima expoliri soleat, sed tracta, & retracta sæpiùs, *vt concionatoris munus (ait ille) esse sciamus, eadem sæpè repetere, & apertè, atque dilucidè palámque admonere aberrantes, periculi impendentis.* Sed illud ad rem nostram fuerit opportunius, quod in emendatissimis Codicibus LXX. iuxta Caraffæ editionem sic hæc legantur: *In dicendo me iniquo morte morieris; & non distinxisti ei ad distinguendum, vt auertat se a vitijs suis, & viuat.* Preme accuratum dicendi modum, *& non distinxisti ei ad distinguendum*: est enim, ac si diceret, Dominus, & non clarissimè, & distinctissimè, nullis inuolucris siue ambagibus, mortem meo nomine minitasti, & qua ratione, & modo eam declinare posset, atque deberet, dilucidè non demonstrasti, *sanguinem eius de manu tua requiram.* Ita Theodoretus ibi, *nisi iniquo mortem minis præsignificet, doceátque quid vitam afferat, & quid mortem conciliet.* En quid sit, *non annunciare, & non loqui*; non quidem debitas admonitiones silentio premere; sed eas non distinctè & clarè tradere; non proponere gehennæ horrorem, non ostendere peccati fœditatem, tam palàm, atque distinctè, vt quod Nyssenus dicebat, *pueris ipsis manifesta sint, quemadmodum Vates ait. Testimonium Domini est fidele, ac pueros erudit.* Nam, 1. ad Corinth. 14. 8. inquit Paulus: *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum?* Quæ verba Pradus præfato loco sic explicat, *incertæ voces tubarum sunt phaleratæ conciones, & tepidæ exhortationes.*

Ezech. 3. 18. — *Theodor.* — *Greg. Magn.* — *Hebr. lect.* — *P. Prado.* — *LXX.* — *Theodor.* — *Nyssen.* — *1. ad Cor. 14. 8.*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

7. Certè Christianæ rei cladem huc non immeritò reuocaueris ad eum modum, quo Ieremias miserrimum suæ Reipubl. statum inde ortum duxisse deplorabat, quod Prophetæ & concionatores populi peccata non palàm, & apertis vocibus, sed per ambages arguerent. Etenim cùm dixisset Thren. 2. 14. *Cui comparabo te? aut cui assimilabo te filia Ierusalem? Magna est velut mare contritio tua. quis medebitur tui?* tantæ calamitatis, & infelicissimæ sortis eam reddit rationem: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* quæ verba dum componit Paschas. lib. 2. in Threnos cum illis Ezechiel. 13. 11. *Qui liniunt absque temperatura*; sic elucidat: *Nec dubium quòd culpa sacerdotum, & eorum qui in lege versantur, ruina sit populi: qui aut falsa docent absque temperamento, quasi quæ videant, aut iniquitatem suam populo: seu scelera, sollicitè ad pœnitentiam, vt prouocent, non annuncient.* Bene, sed enim illa est obseruatu digna locutio, *non aperiebant iniquitatem tuam*: pro qua lectio Tigurina habet, *Non traducebant iniquitatem tuam*: hoc est, non arguebant palàm, disertis, ac dilucidis verbis, non vtebantur seueris, debitísque increpationibus, non distinguebant tibi ad distinguendum: sed mollibus, & mellitis rationibus publica & enormia peccata leuiter vellicabant, siue titillabant; ideo subiicit statim. *Viderunt autem tibi assumptiones falsas*, vbi cùm pro *assumptiones*, Hebraicè sit מַשְׂאוֹת *mesaoth*, quod genus est prophetiæ grauis, atque minacis; & à Vulgato reddi hac ratione soleat, *onus*: dicat non nemo; non bene iis concionatoribus non ad salutem, sed ad voluptatem auditorum loquentibus aptari: sed facilè occurras ex epitheto *falsas*. quod adiungit Propheta: eo etenim innuit, non esse veras & graues eas increpationes, nec minas prout decebat intorqueri, sed ea solùm de causa,

Thren. 2. 14. — *Paschas.* — *Ezec. 13. 11.* — *Lect. Tigur.* — *Hebr. lect.*

vt sese Prophetas, & concionatores iactarent, qui non semper iucunda, sed aspera & seuera aliquando loquantur. Firmat id in eum locum Maldonatus pulchra imagine ex Plutarcho lib. *de discrimine adulatoris, & amici.* (Maldonat. Plutarch.) Quemadmodum adulatores, ne ad gratiam semper loqui existimentur, aliquando eos, quibus maximè blandiuntur, reprehendunt, sicut catuli, qui fingunt se dominum mordere, sed dentes non infigunt. Nec minus abs re dixeris ea phrasi, *aperiendi iniquitatem*: allusum à Vulgato fuisse ad vlcera, quæ vna ex parte quòd grauia, & putrescentia sint, seueras chirurgi manus, scalpellum, & ferrum, vt secentur desiderant; sic dicimus eadem phrasi Hispanè, *Abrir la postema*; ex alia verò ob insanam ac immitem chirurgi pietatem, siue imperitiam, ne ægroto dolorem afferat, lenioribus remediis, atque fomentis contra artis methodum superficie tenus curantur: etenim vt ille dixit,

Claud. in lib. de Entrop. *Vlcera possessis altè suffusa medullis*
Non leniore manu; ferro sanantur, & igne.

Vnde ortum duxit nostra parœmia, *Cirujano piadoso mata al enfermo.* Quam nostro instituto sic opportunè aptat S. Cyprianus in lib. de lapsis.
S Cyprian. *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum seruat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putaminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem; gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.* Sic Cyprianus.

8. Firmat hæc Dominus dum propria Doctoribus, & concionatoribus monita reddit Matth.
Matth. 5.13. cap. 5.13. inquiens: *Quod si sal infatuatum fuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quid enim fuerit sal infatuari, nisi acrem virtutem, qua mordet, & pungit, amittere? hæc enim eius natura est, vt per acrimoniam, & mordacitatem tumida, & superflua carnium exsiccet, atque restringat. Ergo si *sal infatuatum fuerit ad nihilum valet vltra*: nullius vtilitatis, & momenti censebitur; cùm à proprio munere, & officio discedat. Sanè si attendis tota Concionatoris, & Euangelij ministri perfectio à veritate dicenda & ingerenda sumitur: ideóque in Sacerdotis pectore; *Vrim, & thummim*: hoc est, *Doctrina, & veritas*: (vt noster Vulgatus Hebræas voces transfert) insculpta gestabantur:
Exod. 28.30. Exodi 28.30. *Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem*: at enim cùm Hieron. & alij reponant;
Hieronym. *illuminationes, & perfectiones*, doctrinæ, & veritati respondentes: bene colligas perfectionem Doctoris, & concionatoris in veritate annuncianda censeri; rursus verò cum eodem Hieron. auctore lib. 1. aduers. Pelag. *veritas amara, & rugosa frontis* sit; non obscurè infertur, eum qui ad voluptatem & gustum auditorum loquitur, meram, puramque, vt par est, veritatem non annunciare; neque iniquitatem siue vlcera ægrotantium aperire. Hinc Paulus Titum concionatorem instituens, sic admonebat cap. 1.13. (ad Tit. 1.13.) *Sunt multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, quos oportet redargui.* Sed quónam modo? Subdit: *Increpa illos durè, vt sani sint*: ac si dixerit, vt bene de ipsis possis sperare, salutem tandem assecuturos non leuiter, & blandè, sed grauiùs, & vehementiùs ipsos increpare debes, mordaci aceto eorum aures perfundens; scripsit verò Græcè Apost. pro *durè*,
Lect. Grac. *ἀποτόμως ad viuum*. ducta similitudine, vt interpretes obseruant, à re chirurgica, cùm caro emortua, atque putrescens ad viuum resecatur; indicans grauia vlcera non molli oleo perungenda, sed grauioribus obiurgationibus à verbo Dei petitis, veluti profundiore plaga scalpello inflicta esse secanda; aliàs oleum & opera perdetur, vti dicebat Seneca præced. adnotat. adductus. *Quid aures meas scalpis? quid oblectas? aliud agitur, vrendus, secandus, abstinendus sum.* Seneca. Porrò Gregor. Naz. epist. 77. ad Olympium, se vrbanitate, & lenitate, qua Apollinaristas obiurgabat, sceleratiores, & impudentiores reddidisse, sic ingenuè fatetur. *Ego cum omnium maximè Apollinaristarum cogitationem, impietatémque perspectam haberem, nec ferendam eorum amentiam cernerem, existimabam fore,* Greg. Naz. *vt lenitate mea mitiores efficerentur, ac paulatim emollirentur, atque hoc mihi sæpè fingebam; verum per imprudentiam, & sceleratiores eos, vt apparet, reddidi, & intempestiua hac philosophia Ecclesiam detrimento affeci. Neque enim peruersi homines lenitate, atque humanitate flectuntur.* Hæc ille, qui grauissimè, & pro dignitate è suggestu verba semper fecit. Abeant iam ij, de quibus agimus, concionarores, & meliorem sibi successum polliceantur.

Vereor equidem illos, si non verbis, reapse tamen illud conclamaturos, quod est apud Isaiam 9.
cap. 26.18. *Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tua Domine. Concepimus & parturiuimus; & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra; ideo non ceciderunt habitatores terræ.* Isai. 26.18. Sed obserua duo; alterum ex Cyrilli, & optimorum interpretum sententia hæc ad Concionatores, & spirituales patres accommodè referri, qui *a facie Domini*, hoc est, à Verbo, & sermone Domini concipiunt sensus, ac verba, quibus spirituales Deo filios gignant, atque parturiant, eo modo, quo optimus ille, *communis totius mundi pater*; vt ipsum appellat Chrysost. in commemorat. S. Pauli. *& Mater membrorum Christi*, vt Bernard. serm. 12. in Cant. siue *Nutritor Ecclesiæ* (vt Ambros. serm. 18.) ad Galat. 4.19 dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Cyr. Alex. Chrysost. Bernard. Ambros. ad Gal. 4.19. Alterum, non leue interpretibus negotiũ facessere vna ex parte dici, *peperimus spiritum*, ex alia immediatè subiicit, *salutes non fecimus*; qui enim is spiritus conceptus, & partus sit, quem nulla sequatur salus? Vnde acutam, cohærentémque eorum interpretationem esse qui apud P. Sanchez censent, *spiritum* significare ventum; ac proinde peperisse spiritum esse idem, ac rem euanidam, & nullius momenti produxisse; cui expositioni tum optimè hærent, quæ sequuntur: salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores orbis; tum etiam adstipulatur Hieronym. in comm. aiens, iuxta Hebraicum hoc dicitur: *Quia nihil dignum tua fecimus misericordia, propterea impij non corruerunt.* Hieron. Ergo hic fuerit sensus; ac si Doctores, & concionatores dixerint, se Euangelij prædicationi operam nouantes, sustinuisse quidem dolores, quos sustinuit puerpera siue in euoluendis libris, & nouis conceptibus inueniendis, & exquisitis discursibus fabricandis; siue in defatigatione corporis, & animi, quæ ad id munus sequi solet; non tamen illud ipsis contigisse leuamen, quod parturienti, quæ cùm *peperit filium, iam non meminit pressuræ propter gaudium quia natus est homo in mundum.* Ioan. 16.21. nam post tot studia, & meditatas cogitationes; elaboratas politásque locutiones, ac dicendi modos; tot iam siue similiter cadentia, similiter desinentia; siue paria paribus; contraria contrariis opposita, nullus tandem auditorum exstiterit fructus,

siue

sine compunctio, & ad Deum conuersio, nec ceciderint habitatores terræ; sed in suis peccatis immoti, fixique permanserint. Mirè verò huic Isaiæ testimonio illud respondet apud Oseam cap. 8. 7.
Osea 8. 7. *Ventum seminabunt, & turbinem metent, culmus stans non est in eo; germen non faciet farinam:* pro quibus LXX. & Cyrill. Alex. reponunt: *Quia corrupta vento seminauerunt, & subuersio eorum suscipiet ea: Manipulus non habens vires, vt faciat farinam.* Quæ verba, cùm non dubium, quin Adagialia apud Hebræos fuerint ad generaliter explicandum inutilem fructum ex stulto conatu, in quo laboris multum à prouentu omnino vacuum sit, qualis esset illius, qui semina vento corrupta, siue euanida quibus nulla medulla, nulla vis, siue seminalis virtus inesset, terræ mandaret; huic instituto opportunè aptaueris. Quid enim sit adulteratum Dei verbum eo quo diximus modo, populis ingerere, quam ventum, siue semen vento corruptum seminare? Porrò hi tam elaborati discursus, tam micantes, & ad plausum exquisitæ cogitationes *manipulus* sunt, *non habens vires, vt faciat farinam:* quæ enim? quæ energia? siue efficacia ad permouendos animos, eósque à dulcibus voluptatibus, ad seria, & iniucunda pœnitentiæ opera transferendos illis possit inesse? Iam verò, quid hoc concionatore ventum seminante nullúmque Christianæ rei prouentum afferente infelicius, aut magis tristi sydere natum esse possit? Certè præfato apud Ieremiam loco de iis prophetis, qui pro tritico paleas seminabant; sic queribundus
Ierem. 23. 22. Dominus dicebat: *Si stetissent in consilio meo, & nota fecissent verba mea populo meo, auertissem vtique eos a via sua mala, & a cogitationibus suis pessimis,* Ierem. 23. 22. vbi vides quantum nocumenti, æternique exitij peruersus concionandi vsus Ecclesiæ, atque Reipublicæ afferat, cùm protestetur Dominus, eo in cardine salutem, & conuersionem animarum versari, ipsúmque gratiæ, & auxiliorum suorum distributionem, verbi sui prædicationi ritè, & rectæ quasi adnexam, & alligatam habere. Quod si
Hieronym. mauis cum Hieronymo hæc ad ipsorummet concionatorum salutem, & conuersionem referre, vt sensus sit: si integrè & sincerè suum obiissent munus, nec verbum meum adulterassent, non tradidissem eos in reprobum sensum, sed potiùs validiora auxilia contulissem, quibus ad bonam frugem se reciperent, & salutem consequerentur; facilè videris futiles hosce concionatores non minus seipsos, quàm alios perdere, dirúmque sibi, & aliis parare exitium.

VERSVS III.

Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes.

1. APPARET modò venustas paronomasiæ, qua vtitur Paulus in vocibus
Græc. lect. κατατομὴ, & περιτομὴ, *concisio,* scilicet, & *circumcisio:* est enim proinde, ac si dicat: Nos sumus veræ circumcisionis sectatores, qui reapse ad Domini mentem, & gustum circumcidimur, illi conciduntur potiùs, & occiduntur, virtutem in vitium demutantes: siue, apud nos vera circumcisio, & circumcisionis scopus; apud ipsos inanis circumcisionis vmbra tanquam crumena argento vacua reperitur: sed quare? Primùm, quia *spiritu seruimus Deo* qui videlicet ex animo, & toto mentis nisu Deum religiosè colimus: & corde mundo, ac casto corpore ipsi placere, & inseruire studemus: deinde, quòd nullam in carne habemus fiduciam, id est, nullam in rebus externis, quæ ad corpus potius, quàm ad animum pertinent, spem, vt illi faciunt, collocamus. Quare minimè fuerit dubitandum veram in nobis spiritualis circumcisionis significationem compleri; siue veræ à nobis circumcisionis scopum collimari; illis verò externam pelliculæ non modò inanem sed noxiam etiam, & lethalem amputationem inesse. Ita Chrysost. hunc in modum:
Nam si circumcisio quærenda est, apud nos eam inuenietis; qui spiritu Deo seruimus, id est, qui spiritualiter seruimus. Dic enim mihi, vtrum melius? anima, an corpus? Euidenter anima; igitur, & hæc circumcisio illa melior, quinimo hæc nunc sola circumcisio est. Chrysost.
Sic Chrysost. Similiter Theophyl. *Si conquirenda est circumcisio in nobis hanc certe comperietis, qui spiritu, hoc est, qui mente tota, & animo Deo seruimus. Nam qui animam circumciderit hoc est, vitia ex animo demerit, profectò nobile admodum circumcidendi nactus est genus, & eò magis, quò animus est corpore potior.* Ita ille. Theoph.

Nos enim sumus circumcisio.

PRemit rursum hæc verba Chrysostomus, vt Paulus carnalem circumcisionem non modò euertat, sed speciosum etiam, quod antea habebat, nomen illi adimat, vt ad spiritualem circumcisionem Christi, *in quo circumcisi sumus circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, in circumcisione Christi consepulti ei in Baptismo,* ad Colossens. 2. 10. transferat; sic enim Chrysostomus, *Etenim quamdiu quidem typus maneat, merito comparationi locus erat: nunc verò & nomine iam illum priuat, negátque circumcisionem esse. Nam typus quidem donec ventura est veritas, veræ rei nomine vocatur; postquam verò aduenit veritas, non amplius.* Subiicit appositam imaginem. *Simile quiddam euenit in adumbrata pictura. Describit quispiam regem adumbrans: lineamenta illa adumbrata, quamdiu pigmentorum flos, & color verus se in conspectum non dat, regem vocamus, at vbi iste color accessit, obscuratur veritate typus, neque apparet, túncque dicimus, immò nunc est Rex, antea non nouerat.* Hæc Chrysost. Omnino ad mentem Athanasij, qui in orat in illud Euangelij, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo* cùm longius de circũcisione disseruisset, subiicit: *Sicut sacrificia vmbra erant rerum futurarum, ita circumcisio particularis totius hominis circumcidendi adumbratio, delineatióque fuit.* Sed de hoc aliàs. Illud modò ad Pauli etiam mentem non omittendum, ex hac externa circumcisione iam tunc Deum ad spiritualem, & internam cordium munditiam Hebraicum populum vrgere solitum. Sic Deuter. 10. 16. *Circumcidite præputium cordis vestri,* & Ierem. 4. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum viri Iuda, & habitatores Ierusalem.* in quæ verba Hieronym. *Pro eo quod nos diximus,* circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum. *Symmachus posuit.* purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrorum. *Circumcisionem,* 2. ad Col. 2. 10. Chrysost. Athanas. Deut. 10. 16. Ierem. 4. 4. Hieron. Symmach.

emendationem; praeputia vitium intelligens. Quare
ad Rom. 2. 25. Paulus ad Roman. 7. 15. notanter ait: *Circumcisio quidem prodest, si legem observes*: vbi Theodor.
Theodor. *Ostendit Paulus his verbis, circumcisionem carnalem inutilem esse, si non adsit spiritualis circumcisio. Corporalis enim circumcisio solius locum obtinet signaculi.*
2. ad Cor. 4. 10. Ita ille. Verissimè ergo hoc loco Apostolus. *Nos sumus* (inquit) *circumcisio*; quippe qui *mortificationem Domini Iesu*, qua cupiditates nostras abnegamus, & desideria carnis coërcemus, *in corpore nostro* circumferimus. Ita ex Christi exemplo spiritualem hanc circumcisionem suadebat Nazian-
Nazianz. zenus orat. 38. inquiens: *Per omnes Christi aetates, ac virtutes vt Christi discipulus sine reprehensione incede. Purificare, circumcidere, velum à natiuitate contractum abscinde.* Ad quem locum pulcher est Nicetae commentarius, dum haec habet. *Deinde fac circumcidaris, vitiosas omnes, & obscaenas cogitationes non secus, ac superfluum quoddam membrum detruncans: spiritualis enim circumcisio nihil aliud est, quam corporeae voluptatis, rerúmque superuacanarum, ac minimè necessariarum abiectio. Omnis enim voluptas, quae nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est.* Haec ille. Ita quidem Euangelicam disciplinam cum acu componens Hilarius ad praeced. vers. in commentar. num. 20.
Hilarius. adductus apposite dicebat: *Acus scilicet, quae est verbi noui praedicatio, per quam corporum vulnera assuuntur, & dissuta vestium retexuntur, & mors ipsa compungitur.* Vnde quidem Origenes homilia 3. in cap. 17. Genesis premens haec Pauli ver-
ad Roman. 2. 28. Origen. ba, & ea cum illis ad Roman. 2, 28. *Non enim qui in manifesto Iudaeus est, neque quae in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudaeus est, & circumcisio cordis in spiritu, non litera*, componens, & spiritualem hanc circumcisionem per omnes sensus internos, siue externos, per omnes corporis partes, per omnia membra copiosè circumuoluens; sic tandem aduersùs Iudaizantes concludit. *Non tibi videtur dignior hac esse circumcisio, in qua testamentum Dei debeat collocari? Confer, si placet, haec nostra cum vestris Iudaizis fabulis, & narrationibus foetidis, & vide si in illis vestris, an in his, quae in Christi Ecclesia praedicantur, circumcisio diuinitus obseruetur. Si non etiam ipse sentis, & intelligis hanc Ecclesiae circumcisionem honestam, sanctam, Deo dignam: illam vestram turpem, foedam, deformem, &c.* Haec & multo plura ibi Origenes.

3. Illud verò egregiam huic rei opportunitatem
Ioan. 19. 35. cum eximia subtilitate coniunctam habet, quod in sanguine, & aqua ex Christi latere profluen-
S. Laur. Nou. tibus excogitauit S. Laurent. Nouariens. homil. 4. de poenitentia; vt nimirum aqua spiritualis circumcisionis, qua Christianorum corda abluuntur, atque mundantur: sanguis verò, concisionis, siue incisionis, immò verò occisionis, quae Iudaeos manet typus fuerint; sic namque ille: *Signum acceperunt Iudaei: quale? circumcisionis. Signum acceperunt, & Christiani: quale? Miserationis. Ecce signum in Iudaeis circumcisio carnis; in Christianis circumcisio cordis. Sed satis haec illa praestantior. In illa sanguis incisionis, in hac aqua remissionis: ibi plaga carnis; hic palma pietatis: ibi obseruantia rigida; hic indulgentia regia. Et hoc vtrumque signaculum Christus pendens in patibulo praenotauit, quando de vulnere suo, & aquam eduxit, & sanguinem. Vt sanguinis signaculum daret Iudaeis; aqua verò indicium gentibus Christianis.* Vnde statim ad fideles conuersus subdit: *Signum ergo accepisti de fonte, non Iudaicum, sed Euangelicum.*

4. Iam loquendi modum quo Paulus vtitur, sic obseruat & expendit Augustinus sermone 15. de Augus. verbis Apostoli cap. 1. *Cum ergo ait*: Nos sumus circumcisio. *Videte quid voluerit intelligi in illa circumcisione, quae in vmbra data est significante, quae remota est luce veniente. Cur autem non dixerit: Nos, habemus circumcisionem, sed* nos sumus circumcisio; *sic accipite, hoc voluisse Apostolum dicere. Nos sumus iustitia: circumcisio enim iustitia est. Magis autem commendat quod dicit, dicendo, nos esse iustitiam, quam dicendo, nos esse iustos; ita tamen vt cum iustitiam dicit esse, iustos intelligamus. Non sumus illa incommutabilis iustitia, cuius participes facti sumus; sed quemadmodum dicitur, magna ibi iuuentus est pro multis iuuenibus, sic dicitur iustitia, vt intelligantur iusti.* Haec & plura alia in hanc rem Augustinus.

5. Nec praetereunda fuerit Chrysostomi obseruatio in accurata hac Pauli locutione: *Nos sumus* Chrysost. *circumcisio*, quasi quidquid homo est, ad animum potius, quàm ad corpus, aut res externas referendum fuerit: sic namque Chrysostomus, *Minimè autem dixit: In nobis est circumcisio, sed* nos sumus: *ac meritò quidem. Hoc enim est homo: circumcisio virtuti congruens: hoc est verè homo.* & vt hanc doctrinam ad cap. 1. vers. 23. in exposit. literae num. 10. ex Basilio, Nysseno, Dorotheo, & Aristotele illustrauerim, ipsam modo ex S. Zenone Veronensi firmare, simúlque ex optima ratione, & fide explicare, & temperare placet. Et sic quidem pri-
mum Zeno in serm. in illud, *Attende tibi*, quem S. Zen. M. Basilij vestigia premens confecit tom. 2. Biblioth.
veterum Patrum. *Attende tibi, id est, neque tuis, ne-* Basil. *que his, quae circa te sunt. Aliud enim sumus, nos ipsi, aliud quae nostra sunt, aliud quae circa nos sunt. Nos namque sumus anima, & mens: secundum quam ad imaginem eius, qui nos creauit. Nostra verò sunt corpus, & corporalis sensus: circa nos autem sunt, mundana substantia, viuendi artes, & caetera vsus instrumenta mortalium.* Deinde hac doctrina sic monet. *Quid igitur praecepit sermo. Ne attendas, inquit, carni, neque ea, quae carnis bona videntur, studio impensiore secteris, id est, sanitatem, corporis decorem, cultum vultus, voluptatem carnis, atque delitias, neque vitae longioris vota suspires non diuitias saeculi, non ambitionis gloriam, non potentiam caducae fragilitatis mireris, & nihil omnino quod ad praesentis vitae ministerium pertinet, magnum aestimes ad petendum, ne dum in hac sollicitudinis tuae intentione raptaris, illa quae verè magna sunt, & in quibus vera est vita, negligas: sed* attende tibi, *id est, animae tuae: hanc excole, huic omnibus curis, omnibúsque studijs consule.* Sic Zeno. Pia quidem, & salutaria sensa, sed si ad dogmatum amussim, siue ad Philosophiae numeros aptāda sint; sic sunt omnino dirigenda, vt hominis corpus extra ipsius essentiam minimè ponatur, cum substantialis eius pars sit, ex qua & totus & verus homo coalescit: vnde ad vnitatem personae Christi, duabus naturis constantis; ex vnitate hominis corpore, & anima substantialiter praediti sic argumentabatur Athanas. in symbolo: *Nam sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.* Ergo dum Zeno, & alij Athanas. Patres corpus & carnem *nostra* potius quàm *nos* vocant, non tam Philosophos, quàm concionatores, & monitores sese exhibere volunt, vt à nimio corporis amore & studio nos auocent, atque in animae curam totos conuertant: & bene quidem. nam qui animam diligit, & curat; ipsummet corpus amat, eique quantum omnimodis potest, prospicit, atque consulit.

Qui

Qui spiritu seruimus Deo.

6. Firmat quæ dixerat Apostolus, verámque circumcisionem apud Christi colas solummodo inueniri inde probat, quòd Deo spiritu inseruiant.: sed loco ex se nihil obscuro non leues offundit tenebras varia huius loci lectio: nam dum Græcè habetur οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto, cap. 6. vt Spiritus sancti diuinitatem aduersùs hæreticos assereret, validè contendit legendum esse, *Spiritui seruimus Deo*, vti etiam legit Hieronym. lib. 6. in Isaiam cap. 15. addit verò Ambros. Latinos Codices, vel varios, vel vitiatos esse. Dixit opinor variam in nostris Codicibus huius loci lectionem esse, quòd in vetustioribus libris legeretur, *Spiritui Dei seruimus*, vt non semel legit Augustin. Eodem etiam quo Ambros. spiritu ductus, vt hinc adstruat sancti Spiritus diuinitatem. Qua in lectione tam firmiter vim facit, vt affirmare non dubitet, eamdem omnibus, aut pænè omnibus Græcis Codicibus, & probatis Latinis inesse, atque eam, quæ in aliquibus reperiebatur, *Spiritu seruimus Deo* mendosam censeri. Sic enim ille lib. 1. de Trinitate, c. 6. tom. 3. *dicente Aposto.* Nos enim sumus circumcisio Spiritui Dei seruientes, *quod est in Græco* λατρεύοντες. *Plures enim Codices etiam Latini sic habent*, qui spiritui Dei seruimus: *Græci autem omnes, aut panè omnes. In nonnullis autem exemplaribus Latinis inuenimus*, Nos Spiritui Dei seruimus, *sed* spiritu seruimus Deo. *Sed qui in hoc errant, & auctoritati grauiori cedere detrectant, numquid & illud varium in Codicibus reperiunt.* Nescitis quia corpora vestra templum est, qui in vobis est Spiritus sancti. Sic ibi Augustin. Similiter sermon. 15. de verbis Apostoli, cap. 1. tomo 10. quamuis mitiùs de nostra lectione loquatur, hunc in modum: *Ergo cùm legeretur, audistis dicentem Apostolum.* Nos enim sumus circumcisio, qui Spiritui Dei seruimus. *Scio plerosque Codices habere:* Qui spiritu Deo seruimus. *Quantum autem inspicere potuimus plures Græci hoc habent. Qui spiritui Dei seruimus. Sed non ibi quæstio est. Manifestum est enim vtrumque, & congruum regulæ veritatis, quia & Spiritui Dei seruimus, & non carne, sed Spiritu Deo seruimus.* Hæc ille.

Lect. Græc. — *Ambros.* — *Hieronym.* — *August.* — *Idem.*

7. En igitur triplicem huius loci lectionem, & bonis auctoribus quamlibet subnixam. Et verò vt illa Ambrosij, *Spiritui Deo seruimus*, & bona, ac pia sit, & Græcæ constructioni omnino hæreat: similiter, quamuis Augustino tot Græci, ac Latini Codices ad manum fuerint *Spiritui Dei* legentes, quique ab ipso tam acriter defendantur, à Vulgati tamen lectione minimè mihi videtur recedendum; tum quòd Vulgati lectio est; tum vel maximè quòd Græcis ipsis Patribus probetur, vt ex sensu Chrysostomi, & Theophylacti de obsequio in Deum non externis cæremoniis, sed spiritu ipso exhibito satis constat. Vnde apparet, eos dubio procul existimasse, Datiuum πνεύματι positum ab Apostolo fuisse pro Ablatiuo, quo Græci carent. Vt hinc mirandum fuerit, dixisse Augustinum, probatam sibi lectionem in omnibus, aut pænè omnibus Græcis exemplaribus haberi, cùm ante ipsius tempora suos iam dudum Chrysostomus edidisset commentarios.

Ambros. — *August.* — *Chrysost. Theoph.*

8. Maior mihi in lectione Vulgati difficultas est, de quo spiritu, humano, an diuino? intelligendum id sit: *Spiritu seruimus Deo.* Sanè non pauci ex iis, qui huic Vulgati lectioni adhærent, de diuino Spiritu sermonem esse adhuc censent, sub hoc sensu: Deum colimus, ipsique diuino ducti spiritu, siue spiritus diuini adiuuante gratia, inseruimus. Mouentur, quòd spiritum carni videatur opponere, vt ad Gal. 4. 17. *Caro cõcupiscit aduersus spiritum.* Deinde quod ad Roman. 2. 29. dum circumcisionem cordis, quæ *spiritu, non litera* fit, adstruit, eumdem met spiritum videtur intelligere, quem literæ solet opponere, vt 2. ad Cor. 3. 6. *Qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non litera, sed spiritu, litera enim occidit, spiritus autem viuificat:* at enim de diuino Spiritu ibi agi, certius est, præsertim cùm statim dicat: *quo modo non magis ministratio spiritus erit in gloria.* Sed hæc, si verum fateor, nullius ponderis fundamenta sunt; multóque maiorem vim habet, vt hæc de humano spiritu accipiamus, quòd tum Paulinæ orationis series eò omnino inclinet, vnde citato loco Augustin. de verbis Apost. serm. 15. post præfata verba quibus nostram lectionem non improbat, subiicit: *Carne enim seruit Deo, qui de rebus carnalibus sperat, se placere Deo. Cùm verò & ipsa caro ad bona opera spiritui subiicitur, spiritu seruimus Deo*, &c. tum hæc phrasis, *seruire spiritu*, siue *in spiritu* familiaris Paulo sit pro ex animo, & tota mente seruire; vt ad Roman. 1. 9. *Cui seruio in spiritu meo*; & cap. 7. 6. *seruiamus in nouitate spiritus*; à quo non abit illud eiusdem capitis, vers. 25. *mente seruio legi Dei*; quam explicationem plures ex recentioribus sequuntur, vt Salmeron, Iustinian. & alij.

ad Gal. 4. 17. — *ad Rom. 2. 29.* — *2. ad Cor. 3. 6.* — *August.* — *ad Rom 1. 9. & c. 7. 6. & 25.* — *Salmer. Iustinian.*

Iam verò huic locutioni, qua carnali, atque inani concisioni veram, & spiritualem cordis circumcisionem opponit Paulus, non vnus ex ipsius mente, sed duplex (nisi ego erro) Christianæ professioni explicandæ, & à Iudaica discriminandæ opportunus sensus subest: vt nimirum æquè astruat, & Christi disciplinam totam in spiritualibus bonis exoptandis & quærendis esse; & eius seruos illud ipsi obsequium exhibere, quod non à metu, aut timore, sed ab *spiritu*; prompto videlicet, & spontaneo animo proficiscitur. Ergo dum ait Apostolus: *Spiritu seruimus Deo*, hoc in primis intendit; veram circumcisionem eò potissimum ire vt terrenæ cupiditates ab humanis animis recideantur: & spiritualia tantùm bona quærantur, quod & veteres etiam Patres ex circumcisionis lege benè intellecta præstiterunt: & Christianæ disciplinæ proprium est. Certè Augustinus, Fausto Manichæorum antistiti vetus Testamentum tanquam prophanum, & ad temporalia tantùm bona propendens respuenti, opportunè occurrebat asserens; vetus Testamentum noui prophetiam & vaticinium esse, eundémque vtrique scopum ad spiritualia bona spectantem præfigi: ac proinde, vt modò apud Christianos non pauci sunt, qui ad vetus Testamentum referri possint, quòd terrena bona auidissimè quærant; ita antiquitus plures fuisse, qui ad nouum Testamentum omnino pertinerent. Audi illum lib. 15. contra Faust. cap. 2. *Vetus autem Testamentum rectè intelligentibus prophetia est noui Testamenti. Itaque & in illo populo sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui intelligebant quod agebant, vel quod per eos agebatur, in nouo Testamento habebant istam spem salutis æternæ, ad illud enim pertinebant, quod intelligebãt, & diligebant, quia & si nondum reuelabatur, iam tamen figurabatur. Ad vetus autem illi pertinebant, qui non illic amplius, quàm promissa temporalia cogitata cõcupiscebãt, in quibus æterna figurata, & prophetata non intelligebant.* Sic ille. En iam quid vera circumcisio, quid cõcisio: nec nõ quid spiritu seruire Deo, primũ sit.

9. — *August.*

10. Deinde huic spiritui, siue spiritualium bonorum affectui illum in Christi discipulis spiritum adiungit Paulus, quo non timore seruili, non præmiorum temporalium illecebra, quod Hebræorum proprium erat, sed ex animo & charitate in Deum ducti tamquam filij, qui patri inseruientes proprium negotium agere putant, Deo famulantur; vnde hæc verba, *qui spiritu seruimus Deo*, non modò opportunè cum præcedentibus hærent, sed etiam explicant quid vera cordis circumcisio propriúsque filiorum Dei character sit; animus scilicet casto amore flagrans non metu, non mercede conductus. Qua sanè de causa discipulos suos Dominus tum amicos appellauit

Ioan. 15. 15. Ioan. 1. 13. Irenaeus. Ioannes 15. 15. tum *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. 13. & de amicorum appellatione sic censuit Irenæus lib. 4. aduers. hæres. cap. 27. *In eo autem quòd amicos Dei dicit suos discipulos, manifestè ostendit, se esse verbum Dei, quem & Abraham voluntariè, & sine vinculis propter generositatem fidei sequens, amicus factus est Dei*: amicitiæ rationem ad voluntarium obsequium, siue ad seruitutem spiritu exhibitam manifestè referens. Iam verò fideles tamquam filios seruis ex hoc capite sic opposuit Apostolus: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater*: filios

ad Rom. 8. 15.

autem sic descripsit, atque à mercenarijs, & seruis discriminauit Nazianzen. oration. 40. in S. Baptisma. *Tres enim eorum, qui salutem consequuntur, classes, esse scio: seruorum videlicet, mercenariorum, & filiorum: si seruus es, plagas metue; si mercenarius, mercedem dumtaxat expecta; sin autem super hos assurgis, ac filius es, patrem verere, ac bonis operibus stude; quia bonum est patri obtemperare, etiam si ex ea re nihil quæstus ad te redditurum sit, hoc ipsum merces est, patri obsequi.* Hæc Nazianzen. quæ pro commentario huius loci Pauli in quo sumus, esse possunt. Pergit verò Bernard. & præfatis Pauli verbis ad Romanos hæc sic aptat. *Quidam confitentur Deum, quia potens est, timore ad id instigante potius quam amore. Alij confitentur ei, quia bonus est non in se, sed in ipsis, de quibus dicitur in Psalmo,* Confitebitur tibi, cùm benefeceris ei. *Alij confitentur Domino, quia bonus est absolutè. sunt filij, qui non acceperunt* spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater. Sic Bernardus: vt iam cum innumeris Christi filijs obuiam ieris Poëtæ dolenti,

Nazian. — Bernard. — Ps. 48. 19.

Ouid. de Ponto.

> *Nec facilè inuenies multis in millibus vnum,*
> *Virtutem pretium qui putet esse sui.*
> *Ipse decor recti facti, si præmia desint*
> *Non mouet, & gratis pœnitet esse probum.*

11. Sed meritò ambigas quo sensu hæc timoris expulsio, siue exclusio fuerit accipienda; cùm Dei timor siue apud Scripturam, siue apud Patres maximi fiat, adeóque cum verò, & germano Dei obsequio, spiritu, mēte ipsi exhibito non pugnet, vt ipsamet Dei iustitia, & sanctitas Christus Dominus spiritu timoris omnino imbutus, sine repletus dicatur Isaiæ 11. 3. *Et replebit illum* (inquit) *spiritus timoris Domini*. Quòd si responderis, alium esse filialem Dei timorem, qui omnes illius nutus vereretur, ab eo, quo supplicia, & castigationes formidantur, atque ideo primum in Scripturis passim commendari; secundum verò à Paulo tamquam seruorum proprium excludi: rursus repugnabo, omnino etiam bonum & salutarem gehennæ, atque iudicij diuini timorem esse, cùm sæpius eo ad pœnitentiam, & iustificationem fi-

Isa. 11. 3.

deles excitentur, &, vt loquar ore Patrum Concilij Tridentini sessione 6 cap. 6. vtiliter concutiantur. Quid, quòd ad hunc signatè timorem nos Dominus vrgebat Matth. 10. 28 monens: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus mittere in gehennam.* Verùm enim verò haud difficilè hæc omnia conciliabis, si non tantùm perfectum, sanctúmque Dei timorem, qui manet in sæculum sæculi, sed etiam eum, quo gehennæ & iudicij discrimine proposito fidelium mentes ad pœnitentiam primùm excitantur, vt ad perfectam subinde iustitiam instituantur, & promoueantur ab illo agressi, atque seruili, qui indociles, & inurbanos animos præsentaneis supplicijs, ac malis semper vrget, non tam vt illos erudiat, & ad meliora promoueat, quàm vt nolentes, & reluctantes in officio contineat; cum Chrysostomo in præfata verba cap. 8. ad Roman. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*, sapienter discriminaueris: sic enim ille homil. 14. *Et quomodo literæ illæ seruitutis erant literæ? omnem vitæ illorum formam profero, ac tum demum id apertè intelliges: Etenim supplicia illos e uestigio excipiebant, & merces statim sequebatur, mensuram suam habens, quotidiani frumenti ritu famulis admensi, ac traditi, & magnus vndique timor ob oculos vigens, & circa corpora purgationes, & intra actiones continentia; apud nos verò non ita, sed cogitatio, & conscientia expurgatur, neque enim dicit Deus; ne occidas tantùm*, sed ne irascaris, *neque ne mœcheris, sed* ne aspicias lasciuè, *vt ne amplius videlicet ob præsentanea pœnæ timorem, sed ob ipsius amorem tum virtutis habitus, tum reliqua officia, ac rectè facta in nobis exsistant.* Et post pauca: *illi pœnæ formidine adducti omnia agebant: hi autem spiritus desiderio, & amore. Et ipsum hoc argumento est, quod iussa prætergrederentur illi, vt mercenarij, & ingrati nunquam non murmurantes; hi autem quod spiritui placeant!* Hæc Chrysostom. Pende illa *magnus vndique timor ob oculos vigens*; & hæc, *pœnæ formidine omnia agebant*; quæ seruilem timorem rusticitatem, & ignobilitatem nunquam exuentem satis demonstrant.

Conc. Trid. — Matt. 10. 28 — Chrysost.

Porrò Concil. Tridentin. suppliciorum timorem sic commendauit, tamquam ad iustitiam excitatorem & pædagogum, vt illo nimirum peccatores concussi, & quasi à peccati sedibus reuulsi, ad iustitiam & charitatem properarent; sic enim Concilium citato loco: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, &c. & dum peccatores se esse intelligentes, a diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illúmque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt.* Opportunè illud, *vtiliter concutiuntur*, &c. vt nimirum dum in peccatorum fæcibus defixi sunt, diuini timoris tonitru cientur, & velut illa probatica piscina, de qua Ioan. 5. 2 turbentur. Ad quem sanè modum aquæ piscinæ turbationem explicuit ibi Theophylact. inquiens. *Turbari autem aquam piscinæ significat, quòd in ipsa turbentur spiritus malitiæ contriti, & suffocati gratia spiritus.* Qua verò ratione turbentur, sic illicò optimè monet: *Hanc autem piscinam pœnitentiæ Angelus turbat. Qualis? ille magni consilij Patris, Christus, & Saluator. Nam nisi tetigerit cor nostrum diuinum verbum, & turbationē feceris in illo propter memoriam futurorum suppliciorum, nunquam efficax erit* 12.

Conc. Trid. — Ioan. 5. 2. — Theophyl.

erit piscina ista, neque sanitas erit animæ dissolutæ. Sed enim subiicit opportunissimè Concil. illum tanquam omnis institiæ fontem attingere: non consistentes videlicet in timore, sed ad amorem gradum facientes. Quo sensu scitè dixit Basilius homilia 8. in Psalm. 32. Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur, dilectio verò deinceps succedens a timore scientificè adoptatos perficit: pulchrè scientificè adoptatos, quòd hic timor non à seruili animo, sed à scientia, & prudentia, quæ timere præcipiunt, vbi timendum est, dimanet, & ad dilectionem manuducat. Basilio mirè concinit Nazianzen. oration. in Sancta luminaria inquiens. Neque enim ea nobis ratio ineunda est, vt a contemplatione auspicantes in timorem desinamus: effraneis enim contemplatio in præcipitia quoque nos impulerit; verùm vt timoris rudimentis imbuti, & purgati, atque, vt hoc verbo vtar, extenuati, in altum efferamur. Vnde Bernard. sermon. 2. in nuptiis Canaa, dum in aqua quæ postmodum in vinum à Domino commutata est, timorem, in vino vero charitatem considerat, illa Christi ad ministros verba, Ioannis 2.7. Implete hydriàs aqua; ad Prælatos, & Doctores sic subtiliter per allegoriam refert, ac si illos Dominus hunc in modum instituat. Incutite metum, & spiritu timoris non tam vasa, quàm corda repleta, quia vt ad charitatem perueniant, initiandi sunt a timore, vt dicant & ipsi a timore tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis. Hæc ille. Nec aliter quidem cum primo homine se Deus gessit; dum illi & legem, amoris pignus, atque indicium, & mortis pœnam simul imposuit, vt ab hac etiam aduersus nefariam appetentiam auxilium caperet, vti Basilius Seleuciens. orat. 3. in Adam supplic. hunc in modum obseruauit. Ideo mortis terrorem, cum lege tibi obtuli contra nefariam appetentiam auxilio futurum, vt si mens ad eam inclinet, terrore obiecto firmetur; est enim temperantiæ n. rum, præuaricationis metus. Tu verò non terrore, sed honore amorem mihi defer. Sic ille.

Basil.

Nazian.

Bernard.

Ioan. 2.7.

13. Hinc notantissimè Ioannes de timore sic inquit epistol. 1. cap. 4. 18. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem: vbi si attendis, ad virtutis complementum, timorem non minus inclusit, quàm exclusit. Quid enim fuerit, illum à perfecta charitate foras mitti; nisi introductorium ad pietatem prius fuisse; subinde verò succedente dilectione pulsum? Quare rursus Bernard. in præfatis hydriis aqua primùm plenis, quæ deinde in vinum transiuit, sic philosophatur sermone 1. in nuptiis: Aqua replentur si timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini est fons vitæ: aqua, inquam timor Domini est, & si minus sapida, sed optimè refrigerans animam noxijs desiderijs æstuantem, sed diuina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem. Hæc Bernard. Nec minus appositè eius vmbra Venerab. Gillebert. in allegoriis Gotfridi ad ea Ioan. verba hunc in modum. Perfecta charitas foras mittit timorem, velut inutilem, & superuacaneum: sed non timorem illum, qui castus permanet in sæculum sæculi. Est enim timor, quem foras mittit veritas. Primus cautus. Secundus castus, & non permanens in sæculum sæculi. Tertius castus, & permanens. Primus veretur pœnam. Secundus offensam. Tertius totus libera quadam, & secura reuerentia est. Primus metuit puniri, secundus priuari, tertius neutrum. Primum perfecta charitas exterminat. Secundum ad tempus tolerat. Tertium sibi indiuisè collaterat, Frigidus timor est, & pigre incedit, satis habens tantùm impunè euadere, hunc timorem perfecta charitas foras mittit. Amor fastidium nescit, feruidus est, & in anteriora extentus: Hæc & plura ibi Gillebertus.

1. Ioan. 4. 18.

Bernard.

Gilleber.

Quò retulit per allegoriam Venerab. Aithardus apud Gotfrid. Tilman. in allegoriis super libros Regum; ea verba, quæ de egregia Salomonici templi structura signatè dicuntur 3. Reg. 6. 7. Malleus, & securis non sunt audita in domo Domini; quasi id perfectis solummodo viris, in quibus charitas foras misit timorem, speciosúmque Deo habitaculum præparauit, aptari valeat, nam multo (inquit) sudore, multóque labore sudatur, securique ac malleo plurimum laboratur, antequam ad illam quietem, ad illam pacem, quam solus Iesus inhabitat, veniatur. Hic exercendi sunt, & feriendi: si fortè vel in eorum ictibus, in lapidibus, huius forma Libani, qua eis candescit, possit confundi, molles alleuari, confringi duruties, compages dissolui, vt sic a massa perditionis dissoluantur, & a Libano inferiore auellantur, auulsi cadantur, politantur, & in Libano superiore quadrentur, atque formentur in domus spiritualis structuram mittantur. Concutiendi sunt igitur per fidem, aliquando minaciùs per rationem; securis est enim cum quis conuenitur ex fide, malleus ex ratione: obijcienda est eis peccati fœditas, & supplicij asperitas. Quare post nonnulla, quæ accommodatè in hanc rem differit, sic concludit: Huiusmodi malleis, & securis huiusmodi tunsionibus, & pressuris lapides expolliti atque quadrati conuenienter, & condignè transeunt in ædificium spirituale: suisque aptantur locis per manus artificis: disponuntur permansuri sacris ædificijs. Hic iam silet malleus, & securis, qui perfectionis tantæ sunt, vt in ædificio Dei sic locari sint idonei, qui incidunt in omnibus iustificationibus Dei sine querela, & sine offensione; nec oportet, vt increpentur, vel arguantur, sed nec etiam vt admoneantur; ipsi enim in libertate spiritus constituti, hilares datores voluntarium offerunt sacrificium, immò holocaustum; perfecta siquidem charitas ab eis foras misit timorem, quasi malleum incidendi damnationem. Hactenus Aithard. 14.

3. Reg. 6. 7.

Aithar.

His mirè concinit Vates Psalmo 118. 120. inquiens: Confige timore tuo carnes meas; à iudiciis enim tuis timui: ab hoc enim loco peculiarem lucē, & splendorem accipiunt præfata Ioannis verba, perfecta charitas foras mittit timorem. Certè, dum David timore configi expostulat, diffutum se, siue dissolutum; à delitiis nimirum, siue vitiis, atque cupiditatibus frustratim discissum ostendit, eo modo, quo de se dicebat Augustinus à nobis alibi adductus: Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas in amaritudine animæ meæ, & colligens me a dispersione in qua frustratim discissus dum ab vno te auersus in multa euanui: vnde iudicij timore, & gehennæ metu resarciendus, ac veluti consuendus erat; eius animus, vt ad meliorem frugem receptus, ingentes subinde in Dei via profectus faceret; & in perfecta charitate solidatus pristinum timorem exueret, non aliter quàm acus, quæ cùm ad consuendam vestem necessariò exigatur, velle confecta reiicitur: id hac ratione, & eadem pænè imagine sic explicante Augustin. ad ea Ioannis verba: Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta priùs intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introducat charitatem. Ita ille, coniurans cum Basilio Magno, qui superiùs dicebat: Necessariò velut introductorius ad pietatem timor assumitur, 15.

Ps. 118. 120.

August.

Idem.

Basil.

assumitur, dilectio verò deinceps succedens à timore scientificè adoptatos perficit: nec non cum altero
Basil.Sel. Basilio Seleuciæ Episcopo, qui cùm maris erga Deum obedientiam eleganti hac ratiocinatione pensitasset, oratio. 1. *Fertur illud quidem fluctibus attollitum: vbi vero terminos attigerit, reuertitur, refugitque, & Domini vocem littoribus scriptam cum inuitum fuerit, curuatis fluctibus terginis postuorem adorat.* subiicit, *cùm terram violentè feriat, refertur, ac diuini imperij memor refertur in fugam. Quare placidè purpurascens adulatur vicina continenti quasi mollibus vlnis terram complecti occupet, semper Domini præcepto cohibitum, & tantum non singulis momentis audire ratum.* Vbi illud primùm quasi seruum verberibus ad obedientiam adactum vides, & dum Domini præcepto quasi gladio percutitur, à transgressione pedem referens; deinde pietate tam & amore Dei vocem atque præcepta velut obuiis vlnis suscipiens, & amplexans.

Et gloriamur in Christo Iesu.

16. PErsistit Paulus in adstruenda spiritualiter vera circumcisione, quasi hæc apud Christi seruos tantummodo inueniatur. Sed quæ hæc ratio & consecutio fuerit? Respondet subtiliter sanctus Thom.
S.Thom. *Quòd nimirum data fuerit circumcisio, vt signum fiaci Abrahæ ostenderetur, vt scilicet eius fides ostenderetur vera, quæ fuit fides de futuro semine,* ad Galat. . Abrahæ dictæ sunt promissiones: *Est ergo circumcisio signum Abrahæ de Christo,*
ad Gal 3.16. *ille ergo circumciditur, qui interius per Spiritum sanctum renouatur in Christo. qui est veritas circumcisionis* ad Colos. 2. 11. circumcisi estis circumcisione
ad Col.2.11. non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Chisti. Hæc S Thomas. Quæ sic aurea præstrinxerat Theophylactus.
Theophyl. *Virum igitur melius est in Christo gloriari circumcidenti corda nostra, & ad filiorum Dei ingenuitatem perduxet per baptisma, an in carne gloriari. hoc est. in carnali circumcisione superbire?* Ergo tantùm non dicit Paulus. Nos in circumcisionis veritate, illi in vmbra atque imagine gloriantur. Vter rogo,
ad Col.2. 10. iure glorietur? Nos Christum, *in quo sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei,* ad Colos. 2. 10. iam occupauimus, & tenemus: illi circumsioni hærentes à crumena pecuniis vacua nihil differunt: vter ditior censeatur? Ita quidem Iudæos veterem circumcisionem pertinaciùs modò retinentes marsupium sine numis appellauit Theophylact. premens illa Pauli verba ad Roman. 4. 11. de Abra-
Theoph. ad Rom 4.11. ham: *Et signum accepit circumcisionis; signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio,* hunc in modum. *Quemadmodum si quis crumenam ostentet, & solam, & vacuam, in qua nihil sit abditum, repositúmve; sic Iudæus crumena quidem est circumcisione signata, in qua tamen fides nulla est. cuius est circumcisio sigillum.* Sic Theophylact. Apto hîc vermem illum, qui diluculo ascendit, & hederam siue cucurbitam vmbræ suæ amœnitate æstuantem Ionam protegentem, vndequaque corrosit, Ionæ 4. 7. prout ab Augustino epistol. 49. explicatur hunc in mo-
Iona 4.7. August. dum. *Vmbraculum ergo cucurbita super caput eius promissiones erant veteris Testamenti, vel ipsa iam munera, in quibus erat vtique sicut dicit Apostolus,*
ad Heb.10 1. vmbra futurorum, *tamquam ab æstu temporalium malorum in terra promissionis defensaculum præbens, vermis autem matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse rursus Christus occurrit, ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa, quæ temporaliter apud Israëlitas vmbraculi prius significatione viguerunt, euacuata marcescunt.* Hæc & alia ibi Augustinus.

His eam adnecte explicationem quam præfato sermone 15. de verbis Apostoli adhibuit idem Augustin. quòd acuta fuerit, & quamuis allegoriæ inuolucris contecta, ab hac, in qua sumus, nihil discordet. Est hæc. *Apostolus non tibi negauit circumcisionem sed exposuit, lucem prætendit, vmbram remouit, &c. Non vtique frustra octaua die iussus est infans circumcidi, nisi quia petra, qua circumcidimur, Christus erat. Cultellis enim petrinis circumcisus est populus. Petra autem erat Christus. Quare ergo octauo die? Quia in hebdomadis idem primus, qui & octauus, completis enim septem diebus reditur ad primum. Finitur septimus: Dominus sepultus, reditur ad primum, Dominus resuscitatus. Domini enim Resurrectio promisit nobis æternam diem, & consecrauit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipse videtur propriè ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus resurrexit. Reddita est petra. Circumcidantur, qui volunt dicere,* Nos enim sumus circumcisio. Traditus est enim propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *Iustificatio tua, circumcisio tua non est a te.* Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Hæc ille aliquanto implicita, quæ lector explicet, & euoluat. 17. August. ad Rom 4. 25. ad Eph.2.

Illud minimè omittendum, posse etiam opportunè hæc verba ad gloriationem in Christi cruce referri, vt eadem fuerit sententia, ac illa ad Galat 6 14. *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hæc enim eodem Apostolo monitore propria & signatissima Christianorum nota, atque character est, qui eos ab infidelibus discernat. Sic enim 1. ad Corinth. 1. 23. *Prædicamus Christum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam:* vt nimirum nihil nobis gloriosius, nihil splendidius, in quo gloriari possimus, occurrat sic quidem ex Pauli sensu, & verbis dicebat S. Paulinus in epistol. ad Aprum: *Sibi habeant litteras suas oratores; sibi sapientiam suam Philosophi; sibi diuitias suas diuites; sibi regna sua reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est; nobis sapientia in stultitia prædicationis; nobis virtus in infirmitate carnis; nobisque gloria in crucis scandalo, quo mihi mundus occiditur, & ego mundo.* Sic ille. Quòd si animum intendis, appositè hæc cum sequentibus, *Et non in carne fiduciam habentes,* hærere videntur: nam vt ea ad circumcisionem frequenter referamus; benè etiam dixeris, non id tantùm Paulum velle, sed etiam ea locutione innuere despectum, atque contemptum eorum omnium, quæ ad carnem, & mundi gloriam pertinent; vt Christi discipulis nullo sint in amore delitiæ, non opes, non gemmæ, non imperium, non ea omnia, quibus impotens hominum libido pretium fecit, quæ sanè apud Iudæos magno in honore habebantur. 18. ad Gal.6.14. 1 ad Cor.1. 23. S.Paulin.

Accinit huic sensui cœlestis Sponsus Canticorum 8. 5. ad Ecclesiam, inquiens: *Sub arbore malo suscitaui te; ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua:* quæ de Christi cruce esse accipienda communis PP. & interpretum sententia fert: vt moneat Christus, se in cruce Ecclesiæ filios parturiisse. Pergit verò Ambros. & dum LXX. lectioni hæret, quæ habet, *sub arbore malo malo eleuaui te;* inde monet, gloriandum nobis in Christi cruce esse, à qua cœlestis noster ortus oritur: 19. Cant.8.5. LXX.

oriatur: atque hinc regiam Christianorum dignitatem, & excellentiam præ veteris legis filiis maximè subsistere; sic enim Ambrosius. *Bona anima quæ requiescit sub arbore fructuosa, & maximè boni odoris. Nam si Nathanaël bonus, in quo dolus nullus erat, sub arbore fici visus est: vtique bona anima, quæ sub arbore mali eleuata est sponso suo. Plus est enim eleuari, quàm videri. Plus etiam à Sponso eleuari: nam & Nathanaël videbatur sub arbore, tamen anima eius Sponsa non erat, qui occultè veniebat ad Christum, quia verebatur Iudæos.* Pulchrè id, si omnino literæ foret consentaneum: nam de Nicodemo id legimus, Ioan. 3. 2. & cap. 19. 39. de Nathanaël nihil tale legimus. Forsan è purissimo aliquo fonte hausit hoc Ambros. ne dixeris calore scribendi, quæ vnius erant, alteri accommodasse. Ergo bona anima, quæ sub vmbra crucis eleuatur ab Sponso, dum ipsa in cruce illius gloriatur, eámque palàm præfert, & profitetur: vnde subiicit Ambrosius. *Non erat speciosa sicut Luna, electa vt Sol, quæ erat in vmbra, quia sponsa per diem nubit; publicè confitetur: ideo ista sub arbore mali, illa sub ficu, quia hæc confessionis suæ odorem diffundebat longius, illa habebat puritatis innocentiæ suauitatem, flagrantiam spiritus non habebat.* His optimè hærent, quæ Sponsæ sic statim suggerit Sponsus. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, Cant. 8. 6. Hæc enim eò iuerint, vt non solùm de interna dilectione, sed de externa etiam Christianæ disciplinæ professione; signatè verò de gloriatione in Christo crucifixo; nam huic super brachium ponendus præscribitur; moneatur sponsa: sic id admonente ad ea verba Theodoreto: *Valet ergo Saluator noster, vt eum pro signaculo in contemplationibus, & in actionibus nostris habeamus, & notam ipsius in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt numismata regia non adulterina, sed regiam imaginem praeferentia.* Hæc Theodoret.

Ambros.

Ioan. 3. 2. & c. 19. 39.

Ambros.

Cant. 8. 6.

Theod.

20. Dixeris ad hanc legem egregiè compositam Mariam Magdalenam, quæ discipulis à Christi sepulchro recedentibus non recedebat; immò potiùs *stabat ad monumentum foris plorans*, Ioan. 20. 11. vt Christi crucem, atque passionem omnimodo profiteretur. nam id, stare; id, foris stare; id, plorantem stare significat. Nam vt stare est, habitus fortitudinis, atque constantiæ, de quo ad cap. 4. vers. 1. ita plorantem stare, egregia externi luctus & publici doloris signa sunt. Sanè quod adnotauit Hieronym. fletus ad oculorum lachrymas; ploratus verò ad externam eiulationem, & lamentationum verba refertur: vt apertè indicat illud Ierem. 31. 16. *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis*: vnde quidem plorantem stare, idem fuerit, ac Christum insigni luctus pompa colere; ipsiúsque crucem palàm profiteri. At enim verò signatè dixit Ioannes ipsam foris stare, vt ostenderet quanta fidei constantia Christum palàm confiteretur; & de eo gloriaretur, vt quæ non domi reclusa, siue abscondita, sed omnium oculis, & toti Solis luci exposita eum expectabat, & inuenire gestiebat; vt hoc loco allusum videatur ad Sponsæ verba Cant. 9. 1. *Quis det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ? vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat.* quibus illa significat, velle se Christo *foris*, hoc est, *extra portam* ad crucis ludibria, & mortem properanti occurrere, ipsiúsque ignominiam amplecti, & in ea vndequaque gloriari. Quò intentus Paulus ad Hebræos cap. 13. 12. cùm dixisset. *Propter quod, & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*: subiicit, *exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes*, quod fuit dicere, palàm, & aperto capite Christum ignominia affectum suscipiamus; & in eius cruce, & morte gloriemur; vt germani ipsius filij dicamur, & simus. Nimirum ipse, *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*, Ioan. 1. 12. preme illud *receperunt eum*: extra vineam videlicet ab iniquis agricolis post iniurias & plagas ei inflictas eiectum, Lucæ 20. 15. siue *extra portam* cruci suffixum excipientes, eius ignominias, & crucem minimè erubescentes: sic hæc omnia coniungente & elucidante Ruperto in ea Ioan. verba: *Maximè autem de gente, quam nesciebat, de populo, quem non cognouerat, scilicet de vniuersitate gentium numeri ad eum confluxerunt extra vineam suam proiectum, & suo sanguine cruentatum, qui & subiectis humeris deuotè impositum ad suum transtulere diuersorium.* Quotquot *ergo* (inquit) receperunt eum; *quotquot exierunt ad eum extra portam passim, quotquot de gentibus, quæ illum non cognouerant, ad eum cucurrerunt, & improperium eius portare non erubuerunt, dedit eis magnam potestatem, inclytam potestatem, scilicet, posse filios Dei fieri, cùm priùs Dei fuissent inimici.* Hæc Rupertus.

Ioan. 20. 11.

Hieronym.

Ierem. 31. 16.

Cant. 8. 1.

ad Hebr. 13. 12. & 13.

Ioan. 1. 12.

Luc. 20. 15.

Rupert.

Et non in carne fiduciam habentes.

21. Anselm. ANselmus: *Respexit quosdam in carne fidentes: ipsi erant, qui de carnis circumcisione gloriabantur: Non sumus habentes fiduciam; id est, spem salutis in carne, id est, in carnalibus obseruantiis, vel generis nobilitate.* Benè, vt dicere videatur nos ad Solem, illi ad vmbram respiciunt; quippè vt dicebat numer. 14. Augustin. *Vmbraculum cucurbitæ super caput Ionæ promissiones erant veteris Testamenti, quæ temporaliter apud Israëlitas viguerunt, modò euacuata marcescunt: glorientur ergo illi in vmbraculo; glorientur in cucurbitis.* Nec premenda solùm sub hoc sensu hæc verba sunt, sed extendenda iuxta ea, quæ ad præcedentia verba numer. 16. diximus, quibus adde Ambrosium lib. 2. in Lucam capite 10. vbi zonæ pelliceæ occasione, qua Ioannes Baptista præcinctus dicitur, hæc Pauli verba sic illustrat. *Quid autem sibi vult cinctus zonæ pellicea: nisi quòd caro ista, quæ mentem priùs grauare conseruat, ea post aduentum Domini non impedimento cœpit esse, sed cingulo? eò quod iuxta Dauid*: In salicibus organa nostra suspendimus; *& iuxta Apostolum*, Confidentiam non habemus in carne, *& confidentiam habemus in corpore: non habemus in voluptatibus, habemus in passionibus, quo spiritu feruens vigeat affectus, & ad omne accingamur obsequium cœlestium præceptorum, deuotione mentis intenti, atque apparatu corporis expediti.* Sic ille.

August.

Ambros.

Psal. 137.

Ad

Ad ea verba, *Nos sumus circumcisio.*

Adnotatio I.

Verum hominis esse siue essentiam ex sola virtute censeri.

1. Amplector Chrysostomi obseruationem, cámque ab ipsamet humana natura & conditione: Sanè non rudis, & impolita, sicut nec subita, aut tumultuaria hominis formatio exstitit, sed vt perfecta, atque omnibus numeris absolutissima, ita plenissima mysterij, atque arcanæ significationis: *Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti?* inquit sapientissimus Iob cap. 10. 10. [Iob c.10 10.] sic etiam Iosephus [Ioseph.] hominem ex fermentata humo factum notanter dixit lib. 1. antiquit. cap. 2. Sed quis rogo huius casei coagulus? quod huius massæ fermentum? nónne Dei spiritus vitalisque diuini oris halitus; non halitus exterius modò, sed multò etiam interiùs hominem animans, & cum diuina imagine diuinum esse, ac cælestem vitam impertiens. [Tertul.] *Recogita enim* (ait Tertullian. lib. de anima c. 9.) *cùm Deus flasset in faciem hominis flatum vitæ, & factus esset homo in animam viuam, totum vtique per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, & per vniuersa corporis spatia diffusum, simúlque diuina aspiratione densatum omni intus linea expressum esse, quam densatum impleuerat, & velut in forma gelasse* vt argumento fuerit, ex Dei spiritu hominis dignitatem florere; nec eius vitam aliunde posse subsistere. Tolle ergo per peccatum ab homine Deum tolle diuinum spiritum [Sap. 1. 5.] (*Spiritus enim sanctus, disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate*, Sapient. 1. 5.) auferésque simul à caseo coagulum, auferes à massa fermentum, totúsque homo diffluet, atque euanescet; illúmque ré emortuam, nullique vsui aptam reddes: id quidem illismet impiis hominibus, qui deliciis, & voluptatibus se totos addicere festinabant, ingenuè profitentibus, (& peritis in arte credendum est:) dum Sapient. 2. vers. 2. [Sap. 2. 2.] dicebant: *post hoc erimus tamquam non fuerimus*; ac si dicerent, dignitatem, splendorem, immò & essentiam nostram amittemus, non secus ac si in rerum natura numquam extiterimus. Reddunt rationem: *quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum*: hoc est, diuino enim à nobis ablato Spiritu in fauillam, & nihilum redigemur: sic hæc pulchrè explicante S. Petro Damiano epistol. ad Desiderium [S. Petr. Dam.] Abb. Cassinat. cap. 4. *Quia tunc cùm videbantur esse impij, ad nihilum potius pertinebant, quam ad verum esse. Qui enim ab illo, qui verè est, iuxta id Exodi 3. 14. Ego sum, qui sum; recedit, necesse est, vt non sit; quia ad nihilum tendit.* Hæc ille.

2. Firmat hæc plenissimè Salomon ad hanc thesim totam sapientiam suam, & librorum eruditionem reuocans: [Eccl. 12. 13.] *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* Ecclesiast. 12. 13. Quo in loco, vt bonæ sint Hieronymi [Hieron.], & aliorum explicationes, dum ille ea verba, *hoc est enim omnis homo*, sic capit, *ad hoc natus est homo*; alij verò illa sic legunt, atque elucidant [Caiet.]: *hoc dumtaxat diuinum est, fixum, stabiléque bonum in omni homine*, mihi quàm maximè arridet Ruperti lib. 7. de glorificat. Trinit. cap. 11. [Rupert.] duplex obseruatio; altera in illo pronomine *hoc*, altera in verbo *est*, quippè censet ly *hoc* non in nominandi, sed in auferendi casu collocatum esse, haberéque effectricis causæ vim; vt sensus fuerit, hoc efficitur esse, siue essentia hominis, & in sua natura constituitur: ac si dicatur, si vis, hominem esse, Deum time, & mandata eius obserua; nam à Dei timore homo est, atque subsistit; sine Dei timore, nihil est homo, siue non est homo. Audi illum. *Ablatiuo casu dictum Grammatici intelligunt hoc, ac si diceret: Deum timendo & mandata eius obseruando accipit esse homo, & gratia est, adhærendo Deo, quod natura est, &c. Aliàs autem homo siue sit Rex Israël in Ierusalem, siue Rex in Babylone præpotens, quantumcumque affluat delitijs, & fruatur bonis ædificans sibi domos, & plantans vineas, faciens hortos & pomeria, & exstruens aquarum piscinas, possidens seruos, & ancillas, armenta quoque, & magnos ouium greges coaceruans sibi argentum, & aurum, faciens sibi cantores, & cantatrices, scyphos, & vrceos ad vina fundenda, quid prodest? & hæc omnia vana sunt, & ipse vanitas est.* Hæc ille. Quæ optimè expressit Paraphrasis Chaldæa Campensis: [Paraph. Chald.] quæ sic habet. *Hoc solo adquiritur quidquid verè hominem, & solidè beatum facere potest*; pulchrè verè hominem; aliàs falsus, fictus, & nugax homo; verissimè etiam id *solidè beatum*; quod absque virtute inanis & vmbratilis beatitudo, & felicitas infelicissima. Sed pro hac Ruperti obseruatione sic bellissimè spondet, atque respondet idemmet Salomon Sapientiæ 7. 2. [Sap. 7. 2.] vbi seipsum à prima conceptionis suæ linea describens notanter ait: *Decem mensium tempore coagulatus sum*; & verò vt ad ea verba plura dixerim de partu à decem mensium tempore legitimo, atque maturo; sic enim Gellius [Gellius.] lib. 3. cap. 16. *Decem viri partũ legitimum esse mense decimo voluerunt*; & Tertullian. [Tertul.] lib. de anima cap. 37. *Legitima natiuitas ferme decimi mensis ingressus est.* modò ad arcanam significationem me totum conuerto, & decem mensium tempus ad Decalogum, Deique legem sic reuoco, vt ipsa pro coagulo & vitæ semine homini sit: eáque Salomon coagulatũ & in viuentium numero constitutum fuisse affirmet. Certè indidem sic philosophatur. Tertul. [Idem.] *Qui numeros ratiocinamur, & decimalem numerum, vt exinde reliquorum parentem colunt, denique perfectiorem natiuitatis humanæ. Ego ad Deum potius argumentabor hunc modum temporis, vt decem menses Decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero nascamur, quanto disciplinæ numero renascimur*: vides Decalogi obseruantiam; hominis coagulum, & spiritum esse, à quo illius natura, atque essentia dependeat? atque hoc sensu dixisse Salomonem, Dei timorem causam effectricem hominis esse?

3. Nec minus opportunam censebis posteriorem Ruperti adnotationem in verbo *est*; premit enim eius vim ex præfatis verbis Exod 3. 14. [Exod. 3. 14.] *Ego sum, qui sum*; & statim, *qui est, misit me ad vos*: vt vni virtuti, siue timenti Deum verum, & substantiale *esse*, ex eius participatione, qui propriè esse dicitur, subsit; quasi is solùm sit, veréque subsistat; cùm diuinam naturam bibat, atque participet; cæteri verò, qui virtutem contemnunt, nec esse, nec subsistere dici possint. *Vt ergo sciat omnis cõcio* (inquit ille) *per quid fieri debeat, vt humana creatura liberetur à seruitute corruptionis. Homo iam non sit vanitas, habens esse, habens participationem in idipsum cum æterno illo, qui dicit:* Ego sum, qui sum. *Hoc est, ait omnis homo Deum timere, & mandata eius*

eius obseruare. Sic ille. Cui obseruationi duplex fulcimentum apposite adhibeas; dum in Scriptura, & homo iustus, homo verus ad differentiam picti, somniatique hominis appellatur; & peccatum, annullatio, siue annihilatio esse perhibetur; quod verum esse hominis, eiúsque essentiam atque naturam omnino destruat, & in nihilum redigat. Audi.
Iob c. 1. 1. Certè Iob c. 1. vers. 1. notanter dicitur: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum*; sed obserua pro illis verbis, *& erat vir ille simplex.* LXX. legere, *& erat homo verus ille.* Quòd si inquiras, qui homo verus dicatur? (LXX.)
cùm quotquot animo & corpore constant, veri homines sint; respondet Chrysostomus in catena Græca in Iob, quam noster Comitolus Latinam fecit: (Chrysost.)
Externi Philosophi cùm hominis explicant diffinitionem, aiunt, Homo est animal rationale mortale. Diuina autem Scriptura eum diffinit esse hominem, qui id, quod Dei similitudinem imitatur, custodiuit, & qui ex virtute cognoscitur, qui verò diuinos typos, ac notas confundit, ac corrumpit, hunc ne hominis quidem nomine dignatur. Etenim si quis humana natura charactere insignitus ob flagitiosam electionem eumdem typum iniuria afficit, à Propheta audit, Homo cùm in honore natus esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Quare hoc item loco, suo* (Psal. 48. 13.) *vtens instituto Scriptura diuina, docénque nulla re alia ita distingui hominem, vt irreprehensibili, iusto, pio, his ipsis Iobum illustrans pronunciat, ac dicit*: Erat homo verus; *improbi enim sunt, falsi homines non secus quàm picti.* Hæc Chrysostomus. Quæ statim ex hiscemet Ecclesiastes verbis, quæ in manibus habemus, sic adstruit: *Id ipsum confirmat Ecclesiastes Dei timorem tamquam ad caput cùm redigit: Absolutio, inquit, sermonis; audi, Deum time, & mandata eius custodi, quia id est omnis homo.*

4. Iam verò peccatum, annihilationem, siue annullationem, sic appellauit Regius Vates Psal. 106. 40. *Effusa est contentio super Principes*: vbi dum Hebræa, (Lectio Hebr. Græ. Lect.) itidémque Græca vox, quæ contemptioni respondet, variè ab antiquioribus redditur, atque exponitur; alij enim despectionem siue iniuriam, ac irrisionem; alij deprædationem vertunt, quæ peccato hominem deprædanti, contumeliæque atque irrisioni exponenti optimè quadrant. Gregorius Nyssenus tractatu 1. in Psalmos mauult legere, annullationem, hoc modo: *Effusa est annullatio super* (Greg. Nyss.) *Principes*; quod de peccato hominem destruente, & annihilante, & à propria essentia atque natura deiiciente, ac proculcante non sine allusione ad citata Exodi verba, *Ego sum qui sum*, iuxta Ruperti (Rupert.) adnotationem sic explicat: *Quibus docet, quòd esse in eo, quod est, verè sit esse: quod si quis abesse excidit, is non est in esse: esse enim in peccato non est propriè esse, quia ipsamet in se, & secundùm se malitia non est, cùm malitia sit priuatio, & non existentia boni. Quemadmodum igitur ille, qui est in eo, qui est, in esse est; sic qui in nihilo est (tale verò est malitia) itidem nihil fit, & annihilatur, vt in Psalmo isto dicitur.* Sic Nyssenus subiicit statim: *Est autem huius vocabuli notio etiam communi loquentium consuetudine trita: dicimus enim cibum in carne receptum carnem fieri, & vinum aqua infusum fieri aquam, ferrúmque in igne ignescere: sic & is, qui ab eo, quod est, excidit, & ad nihil deflectit, in nihilum quoque conuersus rectè dicitur.* Hactenus ille: Cui cogitationi mirè (Ioan. 18. 18.) concinit Petri negatio apud Ioannem cap. 18. vers. 18. sic enim illi decurrisse verba videris, vt & Christum, & seipsum simul eadem orationis serie, atque locutione denegarit: nam ad interrogata hisce respondit verbis: *Non sum*: ac si dum Christi

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

societatem, & communionem negauit, suammet sibi naturam, & quidquid ad hominis rationem spectat, accurato dicendi modo ademerit, *quod ab eo, qui verè est* (vt dicebat Petrus Damianus) (Petr. Dam. Ambros.) *recedit, necesse est, vt non sit, quia ad nihilum tendit*: hæc ad ea verba sic adnotante, & præstringente Ambrosius libro 10. in Lucam. *Quia videbatur Christi negare societatem vtique se negauit.* Sic ille.

5. Applaudit egregia Francisci Riberæ in cap. 1. Oseæ numero 77. obseruatio probata Hieronymo (Ribera. Hieron. Basil.) in cap. 1. Abdiæ vers. 16. & in cap. 63. Isaïæ, vers. 3. nec Basilio libro 2. con. Eunomium: populum nimirum Iudæorum ab Osea appellati *Iehu*, id est, existentem, quòd ille solus verum Deum nosset, sicut scriptum est, Psal. 75. 1. *Notus in Iudæa Deus,* (Ps. 75. 1.) *in Israel magnum nomen eius*: Idololatras verò, qui à vero Deo alieni erant, signatè dici non esse, vt Esth. 14. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum* (Æsth. 14. 11.) *iis qui non sunt.* Ad quem sanè modum initio Exodi dicitur: *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui in-* (Exod. 1. 1.) *gressi sunt in Ægyptum cum Iacob, Rubem, Simeon, Leui, &c.* vbi si inquiras cur sacer Scriptor duodecim solummodo Patriarcharum nomina apposuerit, cùm septuaginta homines in Ægyptum descendisse statim dixerit: respondet Stephanus Cantuariensis, *Hæc sunt nomina filiorum Israel: id est, bonorum: soli enim boni habent nomen: vnde diues non nominatur, quasi ignotus Domino: pauper verò tamquam familiaris Lazarus nominatur: de malis dicitur,* vocauerunt nomina sua in terris suis: *è contrario de bonis*: gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Vnde in confirmatione, Baptismo, & circumcisione puero nomen imponitur: ac si dicatur soli interiùs mundi nomen habent.* Hactenus Stephanus. Edoctus opinor à Hieronymo, qui in epitaphio Nepotiani ait: *Ab eo tempore censemur, ex quo in Christo renascimur*: id est, alicuius nominis, census, & dignationis haberi debemus. Quò faciunt emphatica Christi verba discipulos ad parandum pascha mittentis Matth. 26. 18. *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit: Tempus meum propè est*: preme illud, *ad quendam*, cum Hilario canon 30. in Matth. obiiciente. *Sed oportebat eos scire, quò is pergerent, & de hominis nomine edoceri: alioquin incerti ad quem mitterentur, quomodo missi, quæ præcepta fuerant, exequerentur.* Occurrit verò opportunissimè statim Hilarius, ideo optimo iure hominis illius nomen reticeri, quòd Christiani nominis honor credentibus, qui solùm esse, & existere dicuntur, nondum fuerat præstitus, ac proinde ille quasi non esse, censeretur; sic enim ille: *Hominem enim, cum quo Pascha celebraturus esset, non nominat; nondum enim Christiani nominis honor credentibus erat præstitus, qui verè sunt, Deum mentis, ac fidei oculis contuentes.* Hæc ille.

(Steph. Cant. Luc. 16. 19. Ps. 48. 12. Luc. 10. 20. Hieron. Mat. 26. 18. Hilar.)

6. Capies hinc obscura Salomonis verba, Prouerbiorum 12. 7. commonentis, *Verte impios, & non* (Prou. 12. 7. Greg. Mag.) *erunt*: sed quid id sibi velit, non immeritò ambigas. Respondet Gregorius Magnus homilia 31. in Euang. sermonem esse de peccatorum conuersione: qua desinunt esse, qui erant: *conuersi namque impij non erunt, non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa*? Sed eam explicationem, vt contortam facilè respuit contextus: occurrunt alij, & ad impiorum felicitatem, quæ breuis, & instantanea est, sic referunt, ac si dixerit Salomon; Qui ægrè fers impiorum felicitatem, verte illos, & non erunt, id est, auerte illos paulullum à te, cogitationem in rem aliam transmittens, & cum denuo in illos intenderis, fiet, vt iam non sint: iuxta illud Vatis Psal. 36. 35. *Vidi impium super-* (Psal. 36. 35.)

exaltatum, & eleuatum sicut cedrus Libani, & transiui, & ecce non erat; quæsiui, & non est inuentus locus eius. Benè quidem ad sensum, sed non ad phrasim; nam aliud est vertere, aliud auertere: Sed perficit eam cogitationem Salazarius, suam verbo *verte* vim reddens, vt sensus sit, gyra in orbem impium; videasque tam citò perire, atque esse desinere, quam citò in gyrum voluitur. Acutè: sed si verum fateor, mollior mihi sensus esse videtur, vt moneat sapiens; ne hominis naturam, & essentiam, qua verè est, atque subsistit, externa rerum facie, & personata blandientis fortunæ imagine metiamur, sed ad virtutem & pietatem totis oculis attendamus; ac proinde eos qui virtutem contemnunt, & externis bonis sese totos addicunt, opes, gemmas, impuras voluptates in honore habentes, non exteriùs, sed intrinsecus introspiciendos, & à vera hominis essentia, atque natura omninò esse alienos, fore iudicandos: nimirum hæc vis esse videtur illi phrasi, *verte impios*, ac si diceatur; versa illos siue personam detrahe; nec in externa fronte hæreas: *Bueluelos del otro lado, y veras que no tienen ser*; ad eum modum, quo dicebat Seneca lib. de prouidentia, cap. vltimo. *Isti quos pro felicibus aspicitis, si non qua occurrunt sed qua latent videritis miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti.* Eodem verôque sensu Boëtius Seuerinus libro 4. de consolatione dicebat. *Qui mali sunt, eos malos esse non abnuo, sed eosdem esse, purè, ac simpliciter nego.* Nam vti cadauer, hominem mortuum dixeris, simpliciter verè hominem appellare non possis, ita vitiosos *malos quidem esse concesserim, sed esse absolutè nequeam confiteri.* *Eum enim quod ordinem retinet, seruatque naturam; quod verò ab hac deficit, esse etiam, quod in sui naturam situm est, derelinquit.* Sed totam sapientis sententiam rursus mirè illustrat Senec. epistola 76. inquiens: *Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis quàm ex illis, quibus sceptrum, & chlamydem in scena fabula assignant, cùm præsente populo elati incesserunt, & cothurnati simul exeriùs excalceantur, & ad staturam suam redeunt. Nemo istorum, quos diuitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est, quare ergo magnus videtur? Cum basi illum sua metitis; non est magnus pumilio, licèt in monte constiterit: Colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo.* Subiicit eleganter. & opportunè sensum communem cum Salomone habens: *Hoc laboramus errore, sic nobis imponitur, quòd neminem æstimamus eo, quod est, sed adiicimus illi & ea, quibus adornatus est. Atqui cùm voles veram hominis æstimationem inire, & scire qualis sit, nudum inspice; ponat patrimonium, ponat honores, & alia fortunæ mendacia, corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantúsque sit, alieno, an suo magnus: si erectis oculis gladios micantes videt, & si scit nihil sua interesse, vtrùm anima per os, an per iugulum exeat, beatum voca.* Hæc Seneca, quibus tantùm non dicit, *verte impios; & non erunt*; nam dum illos versas, nec à fronte, siue extrinsecus contemplaris, sed patrimonio, honoribus, & aliis fortunæ mendaciis nudas, & ad animum respicis, eos non esse, necessaria ratione dixeris.

Salazar. Senec. Boëtius. Senec.

7\. Nec ethnici sensa, sed diuina oracula hæc dixeris, clamante Ieremia cap. 4. 25. *Aspexi terram, & ecce vacua, & nihil: intuitus sum, & non erat homo.* Atqui si ad externam rerum faciem te exerceas; iure ambigas qui Vati sanis oculis orbem perspicienti ac perlustranti, vacua omnino occurrerit terra, & dum huc, illúcque oculorum intuitum dirigit, nullum conspexisse hominem? Porrò Ieremiæ temporibus plurimos, immò pænè infinitos homines extitisse Reges, Principes, Dynastas, Sacerdotes, Scribas, Sapientes, Duces, milites, mercatores, & tam liberalium quàm humilium artium artifices, certa fide nouimus. Quæ ergo fuerit fidissimi Vatis mens, dum affirmat, se per totum orbem oculos coniecisse, nec homines vidisse? Respondet citato superiùs loco Chrysostomus non infirmitati, sed perspicacitati oculorum Prophetæ id fore tribuendum. Quia videlicet non ad externam imaginem, nec ad fucatam hominis gloriam, sed ad veram naturam, atque essentiam, quæ sola virtute, & Dei timore censetur, certò, fidelique intuitu adspiciebat, & dum homines falsis, atque mendacibus bonis circumdatos; virtute verò vacuos, & à Dei timore alienos intuebatur, homines non esse; quantumuis Reges, Principes, Dynastæ, Sapientes, Duces viderentur, optimo iure existimabat, & cùm pænè infiniti homines illius oculis subiicerentur, nullum se hominem videre pulchrè dicebat, eo sensu, quo ille nescio quis siue ad sua, siue ad nostra tempora adspiciens exclamauit, *Amici nemo amicus*: quòd nimirũ plures nomine, nullum reapse experiretur. Sed iã Chrys. audi. *Neque enim à figura, sed ab actione quod est, vnumquodque intelligitur; cætero qui communione nominis dumtaxat dicitur id, quòd dicitur: solus ille verus est homo, qui conseruata imagine à Deo concessam pulchritudinem minimè fædauit.* Sic Chrysost. Pende illud *communione nominis dumtaxat dicitur, id quod dicitur*: ac si dixerit cum Tertulliano in opusculo ad Nationes nunc nouiter excusso lib. 1. cap. 5. *Multum distantiæ est inter opinionem, & veritatem: nam & nomina sic sunt instituta, vt fines suos habeât inter* dici, *&* esse. *Quot denique Philosophi dicuntur, nec tamen legem Philosophiæ adimplent? omnes nomen de professionibus gestant, sed seducant nomen sine professionis præstantia, qui superficie vocabuli infamant veritatem.* His opportunè connectas pulchros hosce Gregor. Nazianzen. versiculos, carmine ad Nicobulum.

Ier. 4. 25. Chrysost. Tertul.

Quæ tibi, dic quæso, genitor persancte voluptas.
Hæc erit? humana sub imagine si tibi turpis
Simia sit, collo innexum quæ funibus aurum
Gestet: non enim species ridenda, leuisque
Mutatur fuluo licèt hanc decoraueris auro.
Quid prodest asinis auri gestare talenta?
Auri namque etiam nummis oneratus asellus
More rudit tamen ipse suo. Quid iuuerit enses
Ex plumbo factos vagina condere pulchra,
Ex quibus vtilitas in bellis nulla redundat?
Talis enim est quisquis verarum cùm sit inanis
Prorsus opum, externis tantùm fluxisque superbit.

Nazianz.

8\. Hinc Regius Psaltes, qui malo fato Dei in se imaginem fœdauerat, virtutémque cũ obscœna voluptate, turpi commutauerat negotiatione, cùm primùm in se reuersus est, exclamauit: *Cor mundum crea in me Deus*, Psalm. 50. 12. & alibi, *Remitte mihi, vt refrigerer, priusquàm abeam, & ampliùs non ero.* Et quidem priora verba sic illustrat Chrysostom. *Rex es, purpura indutus es, diademate ornatus: Non quæro (inquit) ista: decorem meum quæro, & splendorem spiritu, contemno vmbram, pertransco cœnosa quæque: folia sunt ista, & nox, & somnium, & fœnum, & tamquam tela aranea; gloriam meam quæro.* Ad posteriorem autem locum obserua ex Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Ruffino, Cassiodoro, & pluribus aliis apud Lorinum, Vatem illis verbis, *Remitte mihi*, de remissione peccatorum agere, vnde Ambrosius & Augustinus sic capiunt, ac si veniam oret Propheta Dominum, ne si peccato obnoxius sit, esse desinat, dum Deo non adhærens à vera hominis essentia in nihilum cadit; sic namque Augustin. ibi: *Si enim mihi non remiseris peccata, ibo in æternum abs te.*

Psal. 50. 12. Chrysost. Ps. 38. 14. Lorinus. Chrysost. August.

Et à

Et à quo ibo in æternum? Ab illo,qui dixit : Ego sum, qui sum. *Ab illo qui dixit*, Dic filiis Israël : Qui est misit me ad vos. *Ab eo ergo qui verè est,qui in contrarium pergit, ad non esse pergit.* Ita Augustin. & eodem ductu Ambros. *Petit remitti antequam abeat, vt sit:si enim remissum non fuerit, non ero,inquit, cum iis qui sunt,cum iis qui in paradisum meremur ascendere.* Non ergo est,qui ab eo qui est, deflectit, quamuis purpura conspicuus, diademate illustris, gemmis imperio,& opibus ornatus cōspiciatur,iis enim cæca hominum libido pretium fecit; & ad veram hominis essentiam nec hilum proficiunt.

Eccl.3.14. Ambros.

9. His omnino hæret, quod de Iona antea perdito, subinde verò resipiscente, & ad bonam frugem se se reuertente, dicitur Ionæ 1.8. Nam cùm à nautis de suis negotiis, operibus,patria,itinere sic interrogaretur, *Quod est opus tuum?* (vbi alij Codices habent, *quæ est negotiatio tua?*) *quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu?* ipse vt aptè responderet solummodo dixit, *Hebræus ego sum, Dominum Deum cæli ego timeo.* Sed obserua apud L X X. etiam prætermitti patriam, hancque omnino responsionem esse, *Seruus Domini ego sum, & Deum cœli ego colo.* De industria nullam patriæ,negotiationis, itineris,aut alterius rei, siue instituti mentionem faciens, quòd hæc omnia ad vnum Dei timorem, & cultum iam dirigeret; hoc vno tantummodo fine, atque scopo sibi proposito: hæc ad id loci sic præstringente Theophylact. *Hoc studium,hæc mea negotiatio est,seruire Deo meo per mea opera,& actiones, & colere eum per fidem in ipsum.* Sic ille. O bonum viatorem, siue nauigantem? A quo non it quod de sancto Luciano narrat Chrysostom. hanc vnicam trecentis sibi interrogationibus factis responsionem ad manum habuisse: *Christianus sum*; ita enim ille tomo 5. *Quænam ex patria ortus es? Chrystianus sum ait. Quam artem profiteris, Christianus sum. Quibus maioribus? ille verò ad omnia dicebat, Christianus sum:* ac si diceret,cætera non sum,quia cætera non sunt, nulla sunt, & nisi Christianus nomine, & re essem, non erat,cur essem,& in viuis degerem. Hinc Tertullianus libro de carne Christi, cap. 2. Marcionem hæreticum sic alloquebatur, & traducebat. *Si Propheta es,prænuncia aliquid: si Apostolus, prædica publicè: si Apostolicus, cum Apostolis senti:si tantummodo Christianus es,crede quod traditum est;si nihil istorū es,meritò dixerim,Morere:* vt dicere videatur,quid es quòd viuere velis,qui is non es, qualis esse debes,& qui ab hominis essentia ratione,& scopo deficis.

Ionæ 1.8. LXX. Theoph. Chrysost. Tertul.

10. Quòd si paulisper hæreas in ea existendi phrasi, qua quis esse,vel non esse dicitur,& pro virtute,aut vitio hominibus accommodatur, vt hucusque,præsertim verò num. 5. vidimus; facilè etiam videris, ipsamet summam felicitatem, & beatitudinem significari; eâq; ratione, cùm Deum quòd vndequaque beatus,ac felicissimus sit,ceu proprium nomen sibi vendicare,*sum qui sum*: tum etiam Israëliticum populum,ob diuinæ amicitiæ præstantiam,qua inter omnes mundi nationes eminebat *Iehu*, id est, existentem appellari,quod egregiè confirmant illa Assertoris verba apud Ioan.17. 3. *Hæc est vita æterna* (hoc est vera hominis felicitas, atque beatitudo) *vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Cuius quidem lectionis vis, seu ratio ea est quòd verbum *sum,es,fui*, propterea à Grammaticis substantiuum appelletur, quod ipsum per se subsistet, quin alterius verbi adminiculo indigeat; cùm contra cætera omnia, in illud tamquam vltimum resoluantur:vnde à virtute homo,& esse hominem, & verè felicem esse accipit, quòd ab illa summa, & perfecta beatitudo, siue bonorum omnium cumulus dimanet;ac proinde meritò dicebat Chrysostomus superiùs citatus Ecclesiastem ad Dei timorem tamquam ad caput omnia redigere. Quare rursus Dauid Psalm. 48. 17. accurata locutione dicebat, *Ne timueris eum diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius*;opes videlicet,ac externa bona ad gloriam domus eius potius quàm ad gloriam eius reiiciens,alia quippe hominis gloria, alia gloria domus illius censeri debet: sed hæc meliùs audies à Chrysostom. homilia 7. de pœnitentia, tom. 5. sic præfatum locum expendente. *Vidisti dictionis subtilitatem,& manifestam diuisionem;non enim dixit:cùm multiplicata fuerit gloria eius, sed* gloria domus eius:*ostendens sanè, alteram quidem esse hominis gloriam;alteram gloriam domus:domus quidem gloria,porticus, deambulatoria, laquaria pulchra, pauimentum,gemmarum ornatus,prata,horruli,seruorū multitudo,sumptuosáque supellex,quorum nihil ad hominem:hominis verò gloria fides recta,zelus in Deum, charitas,humilitas,mansuetudo, assidua oratio, eleemosyna,philosophiæ ornatus,& cætera virtutis membra.* Sic ille. Cui subnixus rationi hominem verè felicem, atque beatum,& domesticum Dei, ciuémque sanctorum;à mundano & politico;à purpurato, inquā, grege; ab Aulicis, & curialibus; quibus vt virtutis nulla cura,ita falsa, vmbratilisque felicitas subest, sic ex parentis sui, viri quidem egregij, ac sapientissimi discriminabat Nazianzen. oratione 19. *Etenim hominis quidem in Republica versantis esse arbitrabatur,dicta,factáque sua huc referre,vt gloriam, & splendorem apud exteros assequatur,quippè qui præsenti vita nihil beatius esse ducat:spiritualis autem & Christiani, vnam tantùm salutem ob oculos sibi proponere, atque ea,quæ ad hanc ducant, plurimi facere, quæ autem ad eam nihil adiumenti afferant,vt vilia,nulliúsque pretij aspernari;ob eámque causam id quod in aspectum cadit,pro nihilo putare;id autem vnum spectare, atque in eo laborare,vt interna optimo, & pulcherrimo statu sint, eáque magni æstimare, ex quibus ipse quàm optimus futurus sit.* Hæc Nazianzenus.

Ioan.17.3. Chrysost. Psal.48.17. Chrysost. Naz.

II. Iam ex iis omnibus non difficilè statues, quomodo Deus externa bona, opes, imperium, honores, valentia membra inæqualiter hominibus distribuens, atque huic frequentissimæ domus maiestatem,& atria famulorum splendore vibrantia,illi infelicis tugurij angustias,huic copiosam supellectilē, immensúmque auri, & argenti pondus illi ipsammet paupertatem, atque miseriam,huic florentissima regna,illi tristissimam seruitutem diuidens, personarum acceptor dici nequeat. Nimirum ea omnia quæ memoraui in vtramuis partem sumpta ad hominis essentiam non pertinent, neque eius felicitatem, ac beatitudinem adstruunt,aut destruunt;vera namque hominis conditio, perfectáque beatitudo virtute hîc solummodo censetur,& æterna illi promissa mercede in futura perficitur; externa verò sæculi ornamenta extra hominis essentiam sunt,vnde pauper à diuite,princeps ab ignobili, dominus à seruo,si vera rerum facies inspiciatur,nihil differūt: nam vel ipso Gentili,Seneca teste,subsilire in cœlū ex quouis angulo licet. Do tibi huius cogitationis auctorem Olympiodor. in c. 5. Ecclesiastes ad fin. in verba. *Si qui verò putant diuitias istas, sensibilésque fortunas summum esse hominis bonū, hi mihi paucis rogandi sunt,quid ita sint, quòd illas Deus æquè cunctis hominibus non impartiat, cùm tamen idem personarum non sit acceptor. Atqui cernitur, quæ verè sunt bona, cunctis æquè liberaliter effudisse,hoc est, liberum arbitrium, dispositionémque ad obeundas, exercendásque virtutes.* Nec ab hoc longiùs abiuit Seneca lib. de prouidentia. Etenim cùm hunc in modum interrogasset.

Olympio. Senec.

gasset. *Quare tamen Deus tam iniquus* (hoc est, non æquus) *in distributione fati fuit, vt bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adscriberes?* post nonnulla respondet Deum loquentem sic faciens. *Quid habetis, quod de me queri possitis vos, quibus recta placuerunt. Aliis bona falsa circumdedi, & animos inanes velut longo, fallacique somno lusi. Auro illos, argento, & ebore adornaui, intus boni nihil est.* Et statim. *Non est ista solida, & sincera felicitas, frustra est, & quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, & ad arbitrium suū ostendi, nitent, & imponunt; cum aliquid inciderit, quod disturbet, ac detegat, tunc apparet, quantum altæ, ac veræ fœditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedit bona certa mensura, quanto magis versaueritis, & vndique inspexeritis meliora, maioráque.* Hæc & alia ibi Seneca.

Ad ea verba, *Spiritu seruimus Deo.*

ADNOTATIO II.

Proprium perfecti hominis esse, non inuitum, aut pœnarum timore actum, Deo inseruire.

1. DISCIPVLOS suos amicos, scilicet, ac filios, qui vt Naziauzen. in Commentario citatus dicebat, patrem verentur, non quòd plagas extimescāt, aut mercedem laborantibus promissam expectent, sed *quia bonum est patri obtemperare, etiam si ex ea re nihil quæstus ad ipsos rediturum sit* à seruis, & mercenariis, siue à Iudæis, Christianos sic discriminabat Dei Verbum apud Ieremiam cap.

Ierem. 31. 31. 31. 31. *Ecce iam domus Israel, & domui Iuda fœdus nouum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, & ego dominatus sum eorum, sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Sed iure ambigas, quòd inter vtrumque pactum ex his verbis intercedat discrimen: Vix enim apparet, in quo hoc ab illo distet. At enim si attendis, ibi videtur elucere discrimen, quòd diuina lex in corde Christianorum scripta apprehensæ Hebræorum manui opponatur, quasi hi non nisi metu, & coactione calcaribúsque adhibitis ad Dei præcepta seruanda adducerentur, Christiani verò suopte nutu ad Dei obsequium promptissimi habeantur: quippè quibus illud in visceribus, & in corde infixum insit: vnde inibi notanter de Hebræis ait Dominus; *Et ego dominatus sum eorum*, ac si dicat; ad instar domini cum seruis seueriùs agentis, me erga illos habui. Certè Paulus hac ratione fideles non semel admonebat, eos iam sub lege non esse; sic enim ad Roman. 6.

ad Rom. 6. 14. 14. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia*, & ad Gal. 5. 18. ad Galat. 5. 18. *Quòd si spiritu ducimini non estis sub lege.* Quid? ex leges ne, & diuinæ legis contemptores adstruebat? Absit, sed quæsita locutione Christianos, qui in lege Dei sunt, à Iudæis, qui sub lege sunt, discernebat; Audi ipsum 1. ad Corinth. 9. 20. id enu-

1. ad Cor. 9. 20. cleatissimè differentem in hæc verba: *Et factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer eis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) vt eos, qui sub lege erant, lucrifacerem, iis qui sine lege erant tamquam sine lege essem; (cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi, &c.)* vbi vides tres hominum classes à Paulo censeri, eos videlicet, qui *sine lege* erant; hoc est Gentiles; & qui *sub lege*, id est, Hæbros; & qui *in lege*; semetipsum nimirum, Christique discipulos. Iam si inquiras, quid sit, in lege esse, quid sub lege; quantúmque hoc ab illo differat? respondet August. dum ea Psalm. 1. 2. verba de beato, ac perfecto viro: *Sed in lege Domini voluntas eius*, sic premit: *Iusto nō est posita lex, vt dicit Apostolus: sed aliud est, esse in lege, aliud sub lege. Qui est in lege, secundum legem agit, qui est sub lege, secundùm legem Dei agitur. Ille ergo liber est; iste seruus:* ac si dicatur, qui *in lege* est, cuíque in corde scripta lex inest, suopte nutu volūtario, & generoso animo agit nam dum Deo tamquam filius deseruit; illius obsequium animo medullitus infixum habet; ac proinde quidquid agit ex propriis visceribus dimanat; at verò, qui *sub lege est* est; non tam à se, quàm à legis imperio, ac pœna, & à fronte Domino vrgente, instantéque (nam verissima vetus parœmia; *Dominis erga seruos plus prodest frons, quàm occipitium*) agere videtur, vnde non tam agere, quam agi, non secus ac cereæ, ligneæve figuræ, quæ in scena externis neruis ac fidibus ducuntur. Ideo optimè subiungit August. *ille liber est; iste seruus.* Sed quare liber; Disce ex Concilio Moguntino IV. cap. 10. Christianam libertatem sic dispungente: *Eam verò libertatem suam Christiani intelligant, non, vt non impleant ea, quæ in mandatis Dei exiguntur, sed quatenus ad ea implenda non vt alij homines pœnarum metu, & imperio legis compellantur, sed ea iam non inuiti, immò verò volentes faciant, ita vt obediētia ipsorum secundum animi promptitudinem, & in rectè factis lætitiam, vera libertas: secundùm præcepti adimpletionem plena, & pia seruitus existimetur.*

August. Psal. 1. 2. 1. ad Tim. 1. 4

August.

Conc. Mo.

2. Hinc illa de Christianç Ecclesiæ filiis, perfectísq; viris, ab imperfectorum, & seruulorum consortio proprio charactere discriminatis, signatissima verba Canticorum 6. 7. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea perfecta mea, &c.* Iure enim reginas, eos, qui Dei præcepta ob cœlestis regni spem custodiunt, concubinas, illos, qui gehennæ metu à peccatis coërcentur, adolescentulas tandem, iustitiam ob mundi prætexrus, & lucra exercentes appellaueris: Columbam verò vnam, atque perfectam, Christi Sponsas, siue filios tantúmodo esse dixeris, qui columbæ candore, & simplicitate, eius tantùm dilectioni inhærentes, ipsum ipsius causa, & virtutem ob virtutem colunt, & amplexantur: id scitè sub hoc sensu explicante Isidoro Pelusiota lib. 4. epistol. 5. Sic enim primùm de mercenariis, & seruulis. *Sexaginta sunt Reginæ; animæ quæ Regni cœlestis ergo virtutem operantur. Et octoginta pellices, quæ supplicij metu à vitiis abstinent Et iuuenculæ, quarum non est numerus, quæ ob aliquos prætextus mundanos temperantiam colunt, & iustitiam sectantur, &c.* Deinde de electissimis Christi Sponsis, ac filiis. *Vna est columba perfecta, nempè summè sanctorum cœtus, qui honestum ipsius honestatis causa colit, qui neque ob mercedem, neque ob supplicium, neque ob aliquem huius vitæ prætextum, sed ob id, quod Deo gratam rem faciat, officium facit.* Pulchrè verò hæc Christi Sponsæ lex fuerit, vt eius consortio, atque coniugio, ex morum similitudine digna habeatur, quippè ipse non metu, non mercede, sed ipso virtutis, & beneficientiæ amore ductus, homo factus, & crucifixus est; vti Ambrosius libro vltimo, de interpellatione Iob, cap. vltimo, optimè expendit; & nostro instituto ex illis eiusdem Domini verbis: *Tollat crucem suam, & sequatur me,* Luc. 9. 23. hunc in modum aptat: *Qui illum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem, boni, sunt sed pro amore virtutis. Christus enim per*

Cant. 6. 7.

Isid. Pel.

Ambros.

Luc. 9. 23.

per naturam bonus non propter præmij cupiditatem. Ideo passus est, quia benefacere, eum delectauit, non quia incrementum gloriæ ex sua passione quærebat. Sic Ambrof. Hinc notanter Ioannes epistol. 1. cap. 4. vers.
1. Ioan. 4. 9. 9. cùm dixisset, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*; ad perfectam hanc dilectionem ex Christi amore sic nos vrget: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* In quæ verba Bernard. in allegoriis Gotfridi Tilman.
Bernard. sic inquit: *Non aliter ad veram perfectionem conscendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius rei nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit; ita eum nos quoque nullius alterius rei, nisi sui tantùm amoris dilexerimus obtentu.* Hæc Bernard. Postmodum verò, eum, qui castissima hac charitate præditus est, ita describit, atque commendat: *Nec enim charius, sicut pretiosius quidquam præsenti iudicat puritate; cui pœna grauis est, vel virtutum perniciosa transgressio, vel ipsius vitij virulenta contagio: huic numquam nec reuerentia humana præsentia adiicit quidquam honestatis, nec minuet solitudo: sed vbicumque secum semper circumferens arbitram, non solùm actuum, sed etiam cogitationum suarum conscientiam, ipsi potissimum studere contendit, quam nec circumuenire, nec falli, nec subterfugere se posse cognoscit.* Hactenus ille.

3. His illud concinnit, in sacro Canticorum libro, dum Christi Sponsa ab eo non semel euocatur, atque ad rem aliquam accersitur; tum ipsam Sponsi nutui maximè obedientem supponi; tum de eius obsequio statim exhibito nihil singillatim addi: nimirum cap. 2. 10. Salomon cœlestem Sponsum sic
Cant. 2. 10. & c. 4. 8. eam loquentem facit, *Formosa mea veni.* & vers. 13. *Speciosa mea veni*, & cap. 4. 8. *Veni de Libano Sponsa mea*; nec tamen vsquam addit, & venit; ad eum modum, quo Centurio ille apud Matthæum cap. 8. 9. cùm suæ potestatis meminit, militésque ac seruos
Matth. 8. 9. dicto parentes iactauit, aiebat: *Habeo sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit, & alij: Veni, & venit; & seruo meo: Fac hoc, & facit.* Quòd videlicet alia sponsæ siue filij, alia mercenarij, siue serui ratio sit; ille enim agit, hic agitur; ille dum voluntatem in lege Dei, immò Dei legem in voluntate, siue in corde suo scriptam habet, suopte nutu ad obsequium propendet; hic cùm sub lege sit, vix ad eam implendam nisi apprehensa manu, & vrgente imperio adducitur: vnde tam pulchrè de Sponsa reticetur, *& venit*, quàm opportunè de seruo additur; cùm ipsam dicto citiùs aduenturam, extra omnem dubitationem fuerit: de seruo autem, qui ab alio agitur, non possit non timeri, cessaturum ab opere, si domini præceptum, & frons illum continuò non vrgeat: ac proinde non ingratiis subditur, *& vadit, & venit, & facit*, vt de exhibito obsequio certiores reddamur. Videris id quidem adumbratum in mysticis illis Ezechielis currus rotis, quæ hac illac ad regentis nutum mouebantur, & circum agebantur, nullo illis externo impulsu, siue vi indita, quòd spiritus vitæ
Ezech. 1. 20. esset in rotis: sic enim Vates c. 1. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum; spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuatur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis*: ac si diceret de illis, quod de se Paulus, *spiritu seruimus Deo*, non metu, aut mercede ducti, sed spontanea, & promptissima voluntate illius
Theodo. obsequium spirantes: ita ad id loci Theodor. *Quare Propheta quoque asserit, spiritum vitæ in rotis esse, vnde spontaneus, & voluntarius esset motus, neque enim temo, aut iugum animalibus erat impositum, verùm præibant quidem nubes.* Sic ille. Nec verò existimaueris effrænos ideo, & sine iugo exstitisse, qui validius,

licèt suauiùs multo, ac iucundiùs, interioris dilectionis iugum perferebant: sic id adnotante Chrysost. ad ea Pauli verba, *per charitatem spiritus seruite inuicem*, ad Galatas 5. 13. *Cùm legis iugum detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit iugum, nimirum charitatis, illo quidem validius, sed multò leniùs, ac iucundiùs.* Hæc ille. Chrysost. ad Gala. 5. 13.

Sanè cum Sponsa à Regio Vate in epithalamio omnium pulcherrima, & ornatissima inducitur; omnis illius decor, atque splendor eò refertur, vt zonis aureis constricta sit: *Omnis (inquit) gloria eius, filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis*, Psalm. 44. 4.
14. Sed obserua plures cum Euthymio pro *in fimbriis aureis*, legere *in zonis aureis*: vt sensus fuerit, Psal. 44. 14. Euthym.
in eo maximè Sponsæ pulchritudinem elucere, quòd ad diuina præcepta adimplenda, integrúmque obsequium Deo exhibendum non metu, aut coactione, sed spontaneo voluntatis impetu feratur; nec ferreis timoris vinculis, sed aurea dilectionis catena adstricta sit. Enim verò Gregorius libr. 21. Greg. Magn.
Moral. cap. 8. sic capiebat; zonam auream qua præcinctus ad mamillas erat, is de quo Ioan. Apocal.
1. 14. hunc in modum: *Zona in pectore est refrænatio malorum in corde, ne hominem lædant: estque aurea zona, quia quisquis supernæ patriæ ciuis est, non iam timore supplicij, sed amore charitatis immunditiam deserit, bonúmque operatur.* Nec aliter explicat Augustin. ea Psalm. 149. 8. verba, Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, inquiens, *ferrea vincula sunt, quamdiu timent; ament, & aurea erunt*; ac si dicat, qui timore aguntur, serui sunt: quos ferrei compedes, & vincula coërcent; qui verò charitate ducuntur, inter filios censentur, quos aureæ catenæ non detinent, sed ornant, & *ornatam monilibus filiā Hierusalem Dominus concupiuit.* Quò refero egregiam Abrahamo pollicitationē post initum cū hoste certamen, & ab eo reportatā victoriam à Deo sic factā Apoc. 1. 14. Psal. 149. 8. August.
Genes. 15. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces mea magna nimis*: quòd si dixeris, seram tunc promissionem aduenisse, debuisséque ante prælij discrimina brauium proponi, quo ad exerendas vires miles pungeretur: repugnat disertissimè Ambrof. libr. 1. de Abraham, c. 8. his verbis. Genes. 15. 1.
Spondendæ mercedis locus nunc erat, minus enim mirabile faceret, si securus promissum Dei esset hosté adorsus; victoriæ se vrius processeras ad triumphum magis inuitatus, quàm promptus ad gloriam, subiicit eleganter, Ambros.
Bona mens, quæ sine responsi cœlestis syngrapha certamen arripuit, gemina laudis fructu adquirit sibi, vt & confidentissimæ fortitudinis, & plenissimæ deuotionis gratiam locet. Sic Ambrof. pulchrè plenissimam deuotionem appellans, quæ nulla sibi mercede, nulla pœnæ formidine proposita, aurea charitatis zona ad benè operandum se præcingit.

Quis non miretur: cùm Deum, amicissimum sibi 5.
Iob tanta seueritate tractante, atque exercentem viderit: quæ enim damna? quas charorum amissiones? quos acerbissimos morbos illi non immisit, vt miquos acerbissimos faceret? Potuítne mitissimum Dei ingenium mutationem, & tantam mutationem subire, vt ex benignissimo amico infensissimum hostem (vt rerum facies indicat) transiret? Quid enim aliud fuerit omnia bona, quæ per tot temporis spatia in eum liberalissimè sparserat, & cumulauerat, subitò ab illius manibus extorquere? Aut quò iuerit hæc tot malorum seges, durissimáque exercitatio, quæ vel ipsammet pellem patientissimo viro denudauit Inest quidem huic cladi, & bonorum omnium spoliationi egregium peculiaréque mysterium. Sanè callidissimus, iuxtáque versutissimus dæmon, cùm

Cc 3 Iobum

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Iobum dira accusatione perfodiendum suscepit, non vnam, aut alteram illius actionem arguere, siue hoc, vel illud ei crimen appingere, sed totam ipsius virtutem debilitare, & suspectam reddere, conatus est aculeatissimis illis, & piperatis verbis, *Numquid*
Iob. 1. 9. *Iob frustra timet Deum?* ac si diceret: Credis ne? pietate, & charitate tui, & non potiùs turpis lucri gratia in virtutis opera ferri: Nequaquam, mercede certè conductus, non voluntate adductus te colit; nec tam te, quàm se ipsum in virtute quærit; cui enim hero tam vtilius, aut fructuosius ille inseruiret? Ita
Olympio. ibi Olympio. in catena Græca hunc in modum, *Verba profectò diaboli, non virtutem tibi reddit, cùm te pietate colit, verùm acceptorum beneficiorum mercedem persoluit. Mercenarius est, non verus, siquidè is gratuitò erga Deum pius est, qui nec ob supplicia, nec ob promissa illi seruit.* Benè illud, *verba profectò diaboli:* quod non nisi ex diaboli pharetra tantum acumé diro intinctum veneno non tam ad Iobum confodiendum, quàm ad ipsummet Deum, si fieri id posset, quodammodo compungendum prodire potuerit. Vnde quidem Deus, ac si diaboli aculeo fuisset compunctus, non quòd candidissimũ Iobi animum nesciret, quem intus, & in cute nouerat, sed vt, & illum orbi notum faceret, & malignas dæmonis artes eluderet, tectissimósque dolos retegeret; omnes illi facultates, liberos, valetudinem, & quidquid speciosum, charúmque habebat, auferri, liberaliter permisit. Vt videris, quãti apud Deum sit gratuitus animus, qui nec ob præmia, nec ob supplicia illi seruit, vt modò illum (nostro intelligendi modo) experiretur: non dubitauerit amico suo Iob quæcumque antea dedisset, semel auferre. Sed enim, cum is in profundissimo miseriarum pelago subsistens, & bonis omnibus spoliatus pietatem æquè ac antea retineret; ipsum met Deum aduersùs diaboli criminationes patronum feliciter nactus est, sic enim post probatam illius sinceritatem, atque pietatem malũ
Iob. 2. 3. dæmonem allocutus dicitur: *Numquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra; vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc, retinens innocentiam. Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustrà.* Pende aduerbium hoc *frustrà:* vt ambigam, qui Deus frustrà aliquid fecisse, dici possit? cùm consultissima prouidentia, & saluberrimo definitéque consilio, quod incassum reddi non valeat, cuncta peragere, extra omnem dubitationem fuerit. Vt verò dubitationi satisfiat, audi quomodo hæc verba inibi Chrysost.
Chrysost. explicet: ait enim. *Frustrà, inquit, eius rei familiari inuidisti: illum aduersùs me pietatem à bonorum possessione excitari aiebat: bonis spoliatus est, pietate nequaquam,* vt dixerit Dominus: Vides quàm atrociter fueris deceptus, dum seruum meum Iob, non germanum filium, sed mercenarium, & turpis lucri studiosum finxisti: En bonis omnibus nudatus virtuté æquè, ac antea colit. Ergo diaboli aculeo pulchriorem aculeum opponit Deus; nam vt ille, quò pietatem, & candorem Iobi suspectum faceret, ac infirmaret, aiebat, *Numquid Iob frustra timet Deum?* Ita Deus, vt illum protegeret, gratuitúmque illius animum notum redderet, de industria dixit: *vt affligerem eum frustrà,* non dubitans semet ipsum quodammodo arguere, frustràque illum à se afflictum pronunciare. Illi ergo aduerbio *frustra,* quo diabolus veteratoriè vsus est, hoc *frustra* Dominus opponit: ostendens verissimam, atque omnibus numeris absolutissimam Iobi virtutem extitisse, qui germani filij more, patri nec mercedes intuitu, nec supplicij timore, sed charitatis impulsu obsequẽtis, adhuc bonis omnibus spoliatus pietatem, vt antea, retinuerit.

De Dei populo ad bellum aduersùs Chananæos 6.
eunte, id votum ad Dei auxilium promerendum emisisse vt quotquot victor prosterneret, vsque ad internecionem debellaret, sic refert sacer Scriptor
Numerorũ 21. 2. *At Israel voto se Domino obligans,* Numer. 21. 2.
ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Sed quale id votum dixeris? aut quanti pretij? Nónne vt sibi constet, de meliori bono esse debet: Quomodo autem melius bonum dixeris, in subiectas iam ceruices sæuire, & victoriam multo sanguine fœdam reddere? Nónne melius, & multò quidem melius fuisset, ad Helisæi morem hostes amicè, & liberaliter cibantis, & reficientis, 4. Re- 4. Reg. 6. 22.
gum 6. 22. cum capta præda benignè agere? eísque bona pro malis referre? Subsistit tamen Israëlitici populi votum, tamquam de meliori bono factum: Ea enim illorum mens, is animus, erat, vt in tanti beneficij gratitudinem, se se Deo ex animo, & corde tamquam ingenui, & obsequentes filij deuouerent, nec mercedis illecebra, sed ex mero pietatis affectu ipsi ancillarentur, ac in eius gloriam bellorum discrimina susciperent. Nimirum ea iure gentium, immò & diuino sancita lex erat, vt qui in iusto bello superati essent, in victoris manum deuenientes, sub illius dominio, & potestate
essent; sic enim Deuteronomij 20. 11. *populus, qui in* Deutero. 20.
ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Vnde hic 11.
emissi voti sensus fuit, ac si diceretur: Si has mihi gentes tradideris, totam victoriæ gloriam & honorem tibi referam: non enim ex præda, atque spoliis mihi quidquam reseruabo, nec pugnabo allectus meæ vtilitatis dulcedine, vt ditior euadam, sed vt nominis tui hostes de medio tollam; omnem obsequij, meæque in te pietatis mercedem despiciens, & ingenuo, ac liberali animo tuæ gloriæ vnicè inseruiens.

Hinc rursus Salomon de Sponsæ pulchritudine, 7.
& venustate, quæ in genis signatissime nitet Cant.
4. 3. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua;* & c. 6. 6. Cant. 4. 3.
sicut cortex mali punici, sic gena tua. Sed cur? cum mali punici cortice potius quàm cum alterius pomicario Sponsæ genas ad illius pulchritudinem commendandam composuit? nónne alia mala pulchriora, & nitidiora apparent? Porrò; quòd vt inter mala punica, & cætera poma, siue alios arborũ fructus illud intercedit discrimen, quòd hi alienam manum, qua medentur, siue decorticentur, vt gustui aptiores sint, expectent; malum verò punicum se ipsum sponte aperit, denudat, ac frangitur, vt pulcherrima, ac suauissima grana sua depromat, & sumere volenti offerat; ita Filij Dei, siue amici, à seruis discriminẽtur, quòd hi alieno ductu & manu; illi verò suopte nutu ad Dei obsequium ferantur, & pulcherrima virtutum opera exerceant; id ibi sic
adnotante Philone Carpath. Antistite, *Compara-* Phil. Car.
tur sancta anima malo punico, quia fouet in sinu suo cogitationum, & desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt, & aperiunt. Benè *se aperiunt;* quin alterius manum præstolẽtur, qua aperiatur, vt hinc suauissimi Dei gustui fructus sint. Hinc Deũ, dum homini inter paradisi arbores posito legem, & tẽperantiæ præceptum imponeret,
sic loquenté facit S. Basil. Seleuc. orat 3. *Tu verò non* Basil. Sel.
terrore, sed honore amorem mihi defer. Tu maior, cùm sis, esto planta paradiso illustrior, & voluntariæ tuæ obedientiæ carpam fructum bonorum. Ita etiam de anima sapientiæ, & iustitiæ studiosa sub fortis mulieris
imagine dicebat idem Salomõ Prou. 31. 13. *Opera-* Prou. 31. 13.
ta est consilio manuum suarum; vbi Hebræa habent: *In* Heb. lect.
voluntate manuum suarum; quasi operantibus manibus voluntas peculiaris subsit; qua ipsæ se se permoueant,

permoueant, & agere potius, quàm agi dicantur.
Ambros. Quam ad rem pulchrè obseruauit Ambros. serm. 12. in Psal. 118. Dominum, etsi iam apud se ipsum destinasset, Isaiam ad concionandi ministeriũ assumere, noluisse tamen illum prius ad id munus
Isai.6.8. reapse mittere, quàm ea interrogatione facta: *Quẽ mittam? & quis ibit nobis?* Isai. 6. 8. ipse vltro egregio animi impetu sese vltrò Domino obtulerit: sed audi Ambros.
Ambros. *Vtique seruulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat, sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui vt ipse offerret, præsolatus est, & quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam, & sic se offerens missus est. &c. Etenim quasi voluntarium organum vlteriore spiritus, sed gratia Christus impleuit.* Hæc Ambrosius.

8. Est verò quod in præfatis Canticorum verbis, quibus mali punici cortici, siue fragmini, sponsæ genæ comparantur obserues. Sanè cùm gena ea faciei pars sit, quæ maximam iniuriarum, nempè alapam excipit, atque perfert, omnino cum malo punico componi debuit, vt argumento sit, non solùm virtutum opera spontanea voluntate exercenda, sed etiam contumelias, & opprobria alacri & libenti animo excipienda ac perferenda fore. Vnde quidem videris consultissima ratione Dominum discipulos admonuisse, vt cùm ab inimicis vnam accepissent alapam, aliam statim percutienti maxillam offerrent; ne iniuriam inuiti, sed volentes, &
Luc.6.29. libentes suscepisse, & pertulisse viderentur. *Et qui te percutit in maxillam* (inquit Assertor) *præbe ei & alteram*, Luc. 6. 29. Porrò cùm colaphus repentino sæpiùs impetu impingi soleat, & si rem examinas, plenam atque spontaneam eius, cui infringitur, voluntatem præueniat, vt ipse verum patientiæ specimen habere, nec inuitus, sed volens libénsque illatam sibi iniuriam videatur perferre, aliam subinde maxillam nouæ contumeliæ excipiendæ opportunissimè vertet. Id sic pensitante Chrysost.
Chrysost. hom. 18. in Matthæum. *Propterea eum, qui palmis cæditur, non modo prohibuit irasci, sed etiam percutientis iram exsaturare, præcepit, vt ne primam quidem iniuriam sustinere videretur inuitus*: ac si adstruat, secundam iniuriam, dum voluntarij animi quo prima fuit perpessa, certus est index ac bonus fideiussor, perferentis patientiam egregiè commẽdare: siue potiùs, adeò placere Deo spontaneum animum, siue dum agit, siue dum patitur, vt noua ipsum iniuria tamquam Lydio lapide, ne obscurus, aut sub luce maligna sit, explorari velit. Vnde quidem haud difficilè elicias rationem, cur Dominus, qui discipulis maxillam obuertendi monitum dedit, cùm in Passionis suæ nocte à nefario carnifice alapam percussus fuit, aliam maxillam nõ reddiderit? Nimirum ipse eam iniuriam non potuit inuitus suscipere, qui iam dudum per Prophetam fuerat pollicitus, daturum se percutienti maxillam, & spontaneo ac promptissimo animo genas vellentibus, & dorsum percutientibus oblaturum.
Thren.3.30. Isai.50.6. Vide Thren. 3. 30. & Isai. 50. 6. Sed vt reuertar, vnde discessi, præfatæ cogitationi pulchrum Pauli factum egregiè applaudit. Nam cùm ipse Romæ vinculis constrictus, & amicorum solatio vndequaque esset destitutus; fortè fortuna Onesimus, Philæmonis, Pauli amicissimi seruus, iram Domini ob nescio quod erratum fugitans, ad Apostolum tamquam ad asylum sese recepit, ab ipso verò non modò benignè susceptus, sed etiam blandè & efficaciter admonitus, ab infidelitatis tenebris erutus ad Christi fidem conuersus est. Et verò cùm id eo tempore accidisset, quo Paulus amicorum ope, & industria maximè indigeret, non obscurum sibi ius ad Onesimum retinendum, vt sibi in vinculis ministraret ex amicitiæ legibus, quæ amicorum communes res facit, esse existimauit. At enim, ne id charitatis officium non tam ex voluntate, quàm ex necessitate persoluere Philæmon videretur, ı é vndique perspecta maluit seruum illi suum commendatitiis epistolis benè munitum mittere, vt Pauli indigentia cognita ab ipso sciente, & volente ad illum subinde remitteretur, hæc omnia ipsomet Apostolo sic præstringente epistola ad Philæmon. ad Philem.
vers. 13. *Quem ego volueram mecum detinere, vt pro te ministraret in vinculis Euangelij; sine consilio autẽ tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Pulcherrimè, & vrbanissimè, ac satis quidem ad diuini oraculi mentem in tabernaculi structura per Moysem conclamãtis:
Iste est sermo, quem præcepit Dominus: separate apud vos primitias Domino: omnis voluntarius, & prono animo offerat, Exod. 35. 5. vbi expressiùs Hæbræa, & Chaldæa lectio: *Omnis cuius est spontaneum cor offerat oblationem Domino.* Exod.35.5. Heb.& Chal. Lect.
Et quidem cùm statim oblationis materia, siue quantitas pro cuiusque voluntate taxetur, vt liberum fuerit vnicuique siue aurum, & argentum, siue pilos caprarum, aut pelles arietum offerre; tantùm non dicitur iis verbis: Non à pretio, aut magnitudine, sed ab spontaneo animo, & voluntate grata Deo munera erunt, nec placere ei poterit, qui maxima, & pretiosissima quæque inuitus, & reluctans obtulerit. Ita S. Valerianus homil. 3. de arcta, & angusta via, illud Vatis Psal. 53. 6. *Voluntariè sacrificabo tibi*, sic premens: Psal.53.6.
Quamuis parua ex voto offerentis magna fiunt munera, consumunt verò auctorem suum beneficia, quæ confluerint extorta; sic denique semper plangit quod erogauit, qui conuiuium inuitus instituit. Sic ille, coniurans cum Seneca lib. 4. de beneficiis, cap. 18. dicente: *Ingratum voco, quisquis metu gratus est.* Sed pro Seneca.
oblatione, siue sacrificio non nisi spontaneo animo Deo faciendo illud signatissimè facit, quod Ethnicis obseruatum est, ingratas, atque inuisas dijs suis hostias esse, quæ ad sacrificandum deductæ, amoueri se, aut reluctari viderentur, immò & illas etiã, quæ per proprios pedes non venirent, sed hominũ humeris adduci necesse esset. sic id adnotantibus necesse esset, sic id adnotantibus Plinio, atque Macrobio; quorum prior lib. 8. cap. 45. inquit. *Hoc* Plinius.
quoque notandum vitulos ad aras humeris hominum allatos non ferè litare, sicut nec claudicante, nec aliena hostia deos placari, nec trahente se ab aris. Similiter Macro lib. 3. Saturnal. c. 5. *Obseruatum est à sacrifi-* Macrob.
cantibus, vt si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementiùs reluctata, ostenditque se inuitam altaribus admoueri, amoueretur. Hæc Macrob.

ADNOTATIO III.

Ab hoc dilectionis obsequio, virtutis mensuram desumi.

I. EN lydium lapidem, quo capitur experimentum, quantum veræ in vnoquoque virtutis sit, siue vnde virtutis statura, proceritas, siue pusillas dignoscatur. Porrò de Ecclesiæ filiis ad Christum recenter conuersis, siue de primitiuis illis giganteæ virtutis fidelibus sic vaticinatus est Isaias c. 45. 14. *Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent*, siue, vt Hebræa habent, *In compedibus transibunt.* Sed dum viros sublimes audis, non immeritò ambigis, Isai.45.14. Lect.Hebræa.

 tum

tum illos ad instar seruorum vinctos, & compeditos esse, tum etiam in compedibus pergere, ac currere. cùm sat fuerit compeditum passim moueri, siue reptare. At vtrumque nodum optimè soluit S. Cyril. Alex. lib. 4. in Isaiam orat. 3. cōpedes & manicas ad charitatem, qua à Christo minimè queant diuelli, sic referens: *sequentur te vincti manicis, id est, charitatis nexibus, & cōpedibus inexplicabilis in Deū pietatis, vt dicere queant: Quis nos separabit à dilectione Christi?* ad Rom. 8. 35. vbi omnino vides iustorum proceritatem, ac sublimitatē ex *obedientia charitatis* dimensa, atque libratam cùm non metu puncti, sed libero, & promptissimo animo virtutis stadium percurrunt, ad eum modum, quo de Adami obedientia n. 5. dixit Basil. Seleuc. *Tu maior cùm sis, esto planta paradiso illustrior, & voluntariæ tuæ obediētia carpam fructum bonorum*: tum etiā de maris in Deū reuerentia idēmet Pater in expositione literæ aiebat. *Fertur illud quidem fluctibus altè elatum; vbi verò terminos attigerit, reuertit, refugitque, & Domini vocem litoribus scriptam cùm intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Sanè quasi magnitudinem suam cum spontaneo obsequio metiatur, & quòd egregiā inter omnes creaturas sese agnoscat, tum summ illius, promptiúsque in Dei obedientia se gerat, Domini vocem non tam auribus, quàm oculis excipiens, & ad illius nutus sese effingens, atque componens. Vide iam seruorum pusillitatem, qui non nisi pœnæ formidine in officio continentur, siue tamquam infantes puerili castigatione aguntur: sic namque Paulus de iis, qui priscis ante Christi aduentum temporibus dum sub tutoribus, & actoribus & sub lege velut sub pædagogo erant, ad Galatas 4. 3. *Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes*: preme paruulorum nomen, & seruientium appellationem cum Hieronymo ad id loci in hunc modum. *Rectè hi sub tutoribus, & actoribus esse dicuntur, qui habentes spiritum timoris, nec dum meruere spiritum libertatis, & adoptionis accipere: ætas enim infantiæ ad peccata formidat, pædagogum metuit, non confidit, se liberam.* Sic ille. Opportunè verò duobus illis Isaiæ verbis, *transibunt*, & *pergent*, aptaueris quæ superiùs ex Gilleberto dicebamus. *Frigidus timor est & pigrè incedit, satis habens tantùm impunè euadere: hunc timorem perfecta charitas foras mittit. Amor fastidium nescit feruidus est, & in anteriora extenms.* Post quæ verba hæc subiicit. quæ filios à seruis opportunè discriminant. & illorum sublimitatem, & proceritatem satis ostendunt. *Quid enim timebit charitas? Veteres offensas? sed* charitas operit multitudinem peccatorum. *Infirmitatis propria conscientia timebit ne decidat? sed* fortis vt mors dilectio. *Temporales pro Christo timebit molestias? sed ne quidem æternas si fuerint, defatigari, & euanescere poterit consummata dilectio. Non enim ideo amat charitas, vt pareat, sed mauult foris pænaliter in æternum perire, quàm vsu æterni amoris priuari.* Pergit multis, quibus appositam horum rationem reddit. Vide ibi.

S. Cyril. Alexand. — ad Rom. 8. 35. — Basil. — ad Gal. 4. 3. — Hieronym. — Gilleber.

2. Ab hoc ponit, Hæbræis Pascha in Ægyto celebrantibus baculos in manibus habere, fuisse præscriptum, Exodi 12. 11. *tenentes baculos in manibus vestris*, Apostolis verò baculos perferre, Christum denegasse, *Nihil* (inquit) *per viam tuleritis, neque calceamenta, neque virgam*, Matth. 10. 10. Quia videlicet illis in Ægypto agentibus, & cum seruilibus Ægyptiis affectionibus luctantibus, timoris baculo opus erat, Apostoli verò, & qui ab ipsis excolendi erant, non timore, sed charitate duci, & in viros perfectos efformari debebant. Rem his verbis adnotante Gaudentio Brixiensi tract. 5. in Exodum ad finem. *Opus mihi est, & baculo Pascha adhuc in Ægypto celebranti, vt si imitator sum sancti Moysi Hebræum meum, id est, intellectum Israëlitem, qui Deum videre promeruit, ab interitu liberem percusso Ægyptio: hoc propter se ipsum quisque, quamdiu seruit legi: si quis verò est Apostolicus, & per Iesum prostrato Ægyptio magnus factus, ac potens, non iam propter se baculum portat, sed propter eos, quibus dici necesse est.* Quid vultis in virga veniam ad vos, an in Charitate, & spiritu mansuetudinis? 1. ad Corinth. 4. 21. *portet & propter eos, qui veniunt ad nos in* vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, Matth. 7. 16. vbi bene illud Gaudentius: *per Iesum prostrato Ægyptio magnus factus, ac potens, &c.* quasi à Pædagogo liber, & à lege minitante tamquam à seuero patre emancipatus, dum spiritu & charitate ducitur, in vitum sublimem euaserit. Vnde statim Prælatis, ac Apostolicis Doctoribus tale monitum subiicit Gaudentius. *Quod si lupus desinat esse lupus, & cum agno pascatur, vt ait Propheta* (Isai. 11. 6.) *& si leo desinens esse leo cum boue manducet paleas, baculo opus non est: si enim feralium morum nequitia in tantam vertatur mansuetudinem, vt cum ouiculis innocentibus ac mundis Christi operariis vitæ pabulum mites quærant, & capiant, & tales vtique sint, qui in charitate, & spiritu mansuetudinis ad perfectum debeam erudiri, dicitur à Christo Apostolicis quibúsque Sacerdotibus, vt neque baculos correptionum portent in via, quando in discipulis obedientibus, ac modestis terram sanctam possidere iam cœperint.* Hactenus ex Gaudentio.

Exod. 12. 11. — Matth. 10. 10. — S. Gaudent. — 1. ad Cor. 4. 21. — Matth. 7. 16. — Isai. 11. 6.

3. Iam ipsemet Dominus hæc omnia luculenter firmat. Nam cùm de cœlestis beatitudinis præmiis, nec nō de gehennæ suppliciis coram discipulis copiosiùs desetuisset, atque alterutrum illis ob oculos iacere, quasi dictorum fideiussionem, & fulcimentum operæ pretium existimasset, beatitudinem potius, quàm gehennam proponere statuit, vt tamquam generosi filij amoris ductu allicerentur, nec vt seruuli minis, ac suppliciis à peccatis deterrerentur, siue tamquam infantes timoris ferula erudirētur: ac proinde in monte (Matth. 17. 2.) gloriosum sese illorum obtutibus obiecit: vti ad hunc modum pensitauit Chrys. hom. 57. in Matth. *Vide quid agit, cùm de regno, & gehenna dissereuerit, regnum vt oculis cernatur, concedit, gehennam autem minimè, quoniam rudioribus, ac ineptioribus illud necessarium fuisset, sed cùm illi probi essent, & perspicaces, satis fuit eos à melioribus confirmari.* Sic ille. Quo sanè spiritu imbutus Apostolus cùm Hebræos ad sanctimoniā, & vitiorum vacuitatem vrgeret, notanter dixit: *Sine qua nemo videbit Deum*, ad Hebræos 12. 14. vt videlicet tamquam generosos filios, & germanos amatores ex Dei facie, non ex suppliciorum atrocitate à peccatis deterreret; vnde inibi Anselmus. *Valdè terruit Apostolus, sed non nisi amatores. Non enim dixit, Pacem sectamini cum omnibus, & sanctificationem, quam qui non habuerit, æterno igne cruciabitur, sed dixit,* sine qua nemo videbit Deum. *Amatorem te voluit esse boni, non formidatorem mali, & ex eo ipso quod desiderabas, inde terruit. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illius amore suspiras, ecce probat te Deus tuus, quasi dicat tibi. Ecce fac quod vis; imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta. Non te hinc punio, non te in gehennam mitto: faciem meam tantum tibi negabo: si expauisti, iam amasti. Si ad hoc quod dictum est, faciem suā tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum: si in non videndo Deum magnam pœnam putasti, gratis amasti.* Hæc Anselmus consensu, quod dicebat

Matth. 17. 2. — Chrysost. — ad Heb. 12. 14. — Anselm.

Gilleber. dicebat Gillebert. num. 8. *Non ideò amat charitas, vt pareat, sed mauult foris pœnaliter in æternum perire, quam visu æterni amoris priuari.*

4. His consentire, simúlque diffidere videtur ipsemet ferendi leges modus, quo Deus priscis sæculis vsus est: Etenim cùm primitus leges tulit, & præcepta hominibus imposuit, nullis pœnarum, & suppliciorum terroribus adhibitis, sic blandè, & amicè

Exod. 20. 13. edicto suo cauit, *Non occides. Non mœchaberis. Non loqueris contra proximum tuũ falsum testimoniũ, &c.* Exod. 20. 13. post modum verò easdemmet leges iterum manifestans grauissimas singulis pœnas subiecit.

Leuit. 20. 9. Sic enim Leuitici 20. 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur. patri, matrique qui maledixerit, sanguis eius sit super eum. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur mœchus, & adultera.* Quòd si hæc tibi dissonare videantur, atque huius discriminis quæsieris rationem, occurrit sapienter Origenes obseruans priori in loco sic se Deum cum hominibus gessisse, vt eos erga ipsũ agere volebat, vt videlicet non pœnarum metu, sed vt filij in Deum tamquam in optimum, & indulgentissimum patrem charitate ducerentur; in posteriori verò peccatorum flagitiis iam perspectis in illos tamquam in contumaces seruos seueriora suppliciorum decreta distinxisse, sed iuuat Origenem in medium proferre: sic enim ipse in ea Leuitici verba cap. 11. (siue is auctor eius libri sit, siue Cyrillus Alexand. vtriusque enim nomine hi in Leuiticum Commentarij circumferuntur.)

Origenes. *In Decalogo dicitur*, Non occides: Non adulterabis; *hoc enim solum præcipitur, & non adscribitur pœna commissi. Nunc autem iterantur quidem ea, sed adhibitis pœnis: dicitur enim,* Homo quicumque adulterabit vxorem viri, & vxorem proximi sui morte moriatur, &c. *Sed in vero ordine diuinæ sapientiæ non continuò pœnas cum primis statuit præceptis: vult enim, vt non metu pœnæ, sed amore pietatis, patris præcepta custodias, sed si contempseris, non tã homini iam, quàm contemptori pœna mandatur. Primò enim benignitate prouocaris vt filius*: ego enim dixi, dij estis: & filij

Psal. 81. 6. excelsi omnes, Psal. 81. 6. *Quod vt filius obediens esse non vis, contemptor plecteris, vt seruus.* Hæc & alia ibi Origenes.

5. Nec alio sensu monuisse videtur Petrus epist. 1.

1. Pet. 1. 22. c. 1. 22. *Castificantes animas vestras in obedientia charitatis.* nam si attendis, illud omnino docet, animi effectus non nisi ab obedientia charitatis, ab eo scilicet obsequio, quod spontaneo & alacri animo nõ metu, aut mercede exhibetur, castos, ac perfectos

Seneca. reddi, quasi probet Senecæ placitum lib. 4. de benefic c. 1. monentis, eam esse virtutis legem, vt suo ære censeatur, atque ad illam non solùm metu deposito, sed vtilitate etiam calcata fuerit accedendum. adiicit eodem lib. c. 24. *Nec enim recipit ipsa sordidum amatorem, solutóque ad illam sinu veniendum est.* Quòd si huic explicationi objeceris, Græ-

Græca Lect. & Syriaca. cè, & Syriacè pro *obedientia charitatis* esse *obedientia veritatis*: respondebo, hanc ab illa lectione minimè discrepare; immò verò Vulgatum ad explicandam obedientiam veritatis, siue veram consultò posuisse obedientiam charitatis, siue quæ à charitate proficiscitur, nõ obscurè innuẽs, quod Gregorius Magnus lib. 6. Moral. c. 18. alibi à me adductus admonuit. *Malè sana sunt corda, quæ nullo Dei amore sauciantur.* quasi à charitate perfectum, atque integrum obsequium dimanet; nec sani, aut casti affectus esse possint, si Dei amore non purgẽtur, ac perficiantur, siue ex illo ad amussim, & regulam dirigantur. Firmo id tibi ex August. in Enchirid. ad Laurent. c. 121. dicente. *Omnia præcepta* Augustin.

diuina referuntur ad charitatem omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum; quod verò ita fit, vt vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, non dum fit, quemadmodum fieri oportet, quamuis fieri videatur. Biberat ex hac Augustini, siue ex Petri patera S. Parens Noster Ignatius, qui in Cõ- S. Ignat.

stitutionibus sic nos admonet: *Omnes rectam habere intentionem studeant, non solum circa res omnes particulares, id semper in eis synceri spectantes, vt seruiãt, & placeant diuinæ bonitati propter se ipsam, & propter charitatem, & eximia beneficia, quibus præuenit nos, potius quàm ob timorem pœnarum, vel spem præmiorum.* Hæc S. Pater part. 3. constit c. 1. n. 26. vt filios suos aurea inaure ornaret, ad eum modum, quo amicos Iob ad conuiuium venientes aureas ei inaures singulos attulisse, dicitur Iob 42. 11. & qui- Iob. 42. 11.

dem dum inaurem spiritualiter capiens Gregorius Gregor. M.

lib. 33. Moral. c. 12. ad obedientiam refert; de industria ex auro factam, vt pulcherrima hæc obedientiæ lex innueretur, sic ait. *Quia verò ipsa obedientia non seruili metu, sed charitatis affectu seruanda est, non terrore pœnæ, sed amore iustitiæ; cuncti, qui ad conuiuium veniunt, auream inaurem obtulisse perhibẽtur, vt videlicet in ea, quæ exhibetur obedientia, charitas fulgeat, quæ virtutes omnes, quasi auri more cætera metalla transcendat.* Ita ille.

Sed ne omnem timorem videamur excludere 6.

cùm & hic vtilis etiam, atque salubris sæpius inueniatur, hæc omnino iuxta dicta in expositione litteræ n. 11. & seqq. capienda sunt. At enim si in seruili timore hæreas, adeò verum est, non nisi ex obedientia charitatis animum castum reddi, siue etiam eam tantùm obedientiam veram dici posse, quæ à charitate proficiscitur, vt non vereãtur August. & Gregorius affirmare, eum qui metu pœnæ non peccat, ipsummet quod cauere videtur facinus, committere. Sic enim Greg. M. 3. par. pastoralis Gregor. Mag.

admonitione 14. *Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse, quod metuat, vt audacter illicita cõmittat.* Similiter August. serm. August.

10. de verbis Domini, *Qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia iam concupiscit*: subjicit præclaram imaginem. *Terrore ingenti armorum, et atque telorum, & circumdantis forsitan multitudinis etiam leo reuocatur à præda, & tamen leo venit, leo redit; prædam non rapuit, sed malitiam non poluit.* Ita ille. A quo non abit Seneca lib. 4. de beneficiis, c. 18. cùm ait: *In-* Seneca.

gratum voco quisquis metu est, & eodem lib cap. 14. *Non dicam pudicam, quæ amatorem vt incenderet, repulit, quæ aut legem, aut virum timuit* (abscindo turpiter dicta) *non immeritò in peccantium numerum refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, & non sibi*; ac si dicat, vt benè explicat Iustus Lips. *quæ non sua causa, nec conscientia pudica fuit, sed legi, aut famæ.* Ad Ius. Lips.

quem etiam modum Ambros. lib. 1. de virginibus, inquit. *Itaque nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta, quæ mercede conducitur.* Hæc ille. Ambrosius.

7. His optimam Nili doctrinam, qua cupiditates externis potius rationibus, atque causis impeditas quàm ex casto amore siue ex perfecto Dei timore cohibitas robustiores fieri adstruit, vt potè huic instituto peropportunam, placet aptare, sic verò ille in Ascetico. *Licèt cupiditates non lædant, quòd propter assiduos congressus lædendi non inueniunt opportunitatem, clam tamen insinuant sese, & corroborantur, ac maiores ex temporis spatio vires colligũt.* Subiicit pul- S. Nilus.

cherrimam imaginem, quæ obscurissimis Moysi verbis clarissimam lucem inferre videtur; sed hæc

prius

prius afferre, atque ex illa illustrare non dubitauerim. ita enim Moyses Deuteronom. 29. 18. *Ne fortè sit in vos vir, aut mulier, familia, aut tribus, cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat, & seruiat dijs illarum gentium: & sit inter vos radix germinans fel, & amaritudinem. Cùmque audierit verba iuramenti huius, benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax mihi erit & ambulabo in prauitate cordis mei, & absumat ebria sitientem*: vbi grande negotium facessit interpretibus extrema hæc locutio, *absumat ebria sitientem*, siue, vt Chaldæus reddit, *sequatur sitim ebrietas*: & verò dum vnusquisque in suũ abit; sic ego olim hunc locum interpretabar, vt de homine cupiditates, & idola sua præ legis seueritate intorsum abscondente & dissimulante sermoné Moyses faceret; eò enim eunt pænè omnia verba, vt illa: *cuius cor auersum est hodie*; connecta videlicet ab oculis nostris malitia. nam si appareret, acerbe illam vlcisceremur: & hæc, *benedicat sibi in corde suo, dicens: Pax mihi erit*: id est, tutus & incolumis ero; quis enim interius me videat? vnde apertius Chaldæus, *cum audierit verba iuramenti huius, cogitet in corde suo, dicens, Pax erit mihi, quoniam in cogitatione cordis mei ego ambulabo*. Deinde vt huic cogitationi illa prouerbialis locutio, *absumat ebria sitientem*, siue; *sitim sequatur ebrietas*: sic hæreat: & ea noxia cupiditas in sinu cordis, atque cogitationis abscondita, & enutrita in apertum tandem scelus atrociter erumpat; tanto quidem maiori impetu, ac vi, quãto diutiùs in cogitationis sinu fuerat compressa, vt concupiscentiæ non adimpletæ sitis in ebrietatem impietatis omnimodo sese expatiantis, & anteacti temporis vsuras exigentis commutari videatur. Iam ad priora illa verba recurre, *ne sit inter vos radix germinans fel, &c.* ijs enim mirè consentiunt, dum latens cupiditas cum semine. quod in terra radices egit, sed ob frequentem pedum incessum non statim erupit, eleganter componitur: sed ad hanc cogitationem iam suapte nutu it S. Nilus sic inquiens: *Et quemadmodum terra frequenti pedum incessu conculcata, quamuis habeat spinas, tamen eas non profert, exortum enim illarum cohibet pedum conculcatio, interim tamen propagantur radices, & simul ac tempus cõtulerit, vberes spinæ florentésque prodeunt: sic & cupiditates dum assiduis congressibus, & occupationibus in apertum prodere nequeunt, occultè fouentur, & fiunt robustiores, deinde per otium, & quietem occasione grata, & periculosissimum illis, qui eas initio expugnare neglexerunt, bellum inferunt.* Hactenus ille.

5. Sed dum me præfata leonis imago, quam proposuit Augustinus, maximopere delectat; libet illam exemplo illustriorem reddere, leonémque tibi ob oculos ponere terrore ingenti circumdantis multitudinis à præda reuocatum, qui tamen leo venit, leo redit. & opportunitate data pessimi voti sui cõpos euasit. Herodem dico, qui à Ioanne Baptista ob flagitiũ flagitiosissimũ in sacris concionibus verbi stimulo perfusus, ipsum è medio tollere, atq; atrociter occidere volebat, populi tamen timore in officio inuitus continebatur, sic enim Matth. c. 14. 4. *Volens illum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant*; Sed quid inde? Num quòd prædam non rapuit, malitiam posuit? Minimè: imò verò prædæ sic denuo inhiabat, vt leuissimæ saltatricis vocem occasionem suam putauerit; sic enim statim Matthæus, *misit & decollauit Ioannem in carcere*, Matth. 14. 10. En quid humanus timor valeat, quid præstet. Ita quidem pendit ea Matthæi verba Chrysolog. serm. 127. *Facile deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed hominem pertimescit. Hic timor peccandi facultatem differre potest, auferre non potest voluntatem, Vnde etiam quòd suspenderit à crimine auditores, redit ad crimen, & æstuat animo quoadusque perficiat, quod cogitat malum: solus est Dei timor, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam seruat, perpetem tribuit facultatem.* Hæc Chrysolog.

Deut. 29. 18. — Hb. Chald. — S. Nilus. — Matth. 14. 4 — Matth. 14. 10. — Chrysolo.

9. Sed quidem, siue vt noueris hoc ex timore proueniens obsequium non tam virtutem, quàm ad illam gradum esse; siue etiam vt videris, quàm proximum ruinæ, lapsuique in peccatum sit, audi sub persona Domini Regium Vatem (quod Pauli instituto Christianam disciplinam, veram circumcisioné appellantis, & veteri diuinæ legis obseruãtiæ longè anteferentis mirè facit) Ps. 80. vers. 11. & 12. dicentem: *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* vbi meritò ambigas, qui valeant hæc duo subsistere? & populum non audire vocem Domini: & ob id ab eo in desideria cordis fuisse dimissum. nam is dimittitur, qui retinetur: siue is in desideria cordis abit, qui antea illa coërcebat: quomodo ergo is nõ audisse vocem Domini dicitur, qui in desideria cordis non abibat? vel quare dicatur sese continuisse, & cordis desideria (in quæ subinde in non seruatæ fidei pœnam dimittitur) frænasse; qui vocem Domini non audiuit? Sanè, quia audiebat quidem sed non ex animo, & spontaneè, sed seruuli timore velut vinculis adstrictus: atque id Deo exhibebat obsequium, quòd non animus, non charitas, non digna ei præstanda fides: sed metus, & suppliciorum coactio eliciebat, siue exprimebat: ac proinde is animæ status esset, qui & Deo ingratus, & à peccato, & morte vix duobus abesset digitis: vnde accurata locutione dixit Dominus, *Dimisi eos*; velut è vinculis timoris soluti; & à Deo vt inutiles & inuisi serui, manumissi, & domo eiecti: id scite inibi sic adnotante Agellio, *Significanter autem dixit, dimisi eos: nam quia coactè, non sponte, & ex animo Deo seruiebant, & quodammodo vincti, atque ligati eius imperio sibi videbantur; ideo ex illis vinculis Dei timoris relaxati, atque dimissi, suis desiderijs traditi sunt.* ac si dixerit Deus, Quid mea refert coactum obsequium? aut quomodo mihi placeat, quòd nõ ab animo, & dilectione proficiscitur. Nec aliud tinniunt illæ ipsius Domini voces. Isaiæ 1. vers. 11. & deinceps. *Quò mihi multitudinem victimarũ vestrarum dicit Dominus? Plenus sum, holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectũ meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis?* Et quæ inibi sequuntur: vbi notantissimè ea, quæ antea Domino periucunda erant, tunc molesta, & ingrata, & quæ olim iussa atque præscripta, iniussa dicuntur: & qui ad Dei cõspectum venire, & manibus quidem non vacuis. (Exod. 23. 15.) priùs inuitabantur, modò vt inuisi & qui graui nauseæ, atque fastidio sint, inde arcẽtur; quòd nimirum non spontaneè, & ex animo Deo inseruirent, nec munera, dilectionis acumine puncti, sed metu & timore afferrent: vnde optimo merito quasi nullum ex ipsis vsum, aut voluptatem percepturus, ea respuit, ac nauseabundus abiicit Dominus.

Ps. 80. vers. 11. & 12. — Agellius. — Isai. 1. 11. — Exodi 3. 15.

10. Nec subdere pro coronide dubitauerim, opportunissimè quæ hucusque diximus, religiosis hominibus aptari, quod ad ipsos signatissimè pertineat, castificare animas in obediẽtia charitatis, & tam ad diuina præcepta implenda, quàm ad peculiares sui instituti constitutiones obseruandas, siue ad Prælatorum iussa exsequenda prompto, atque alacri animo currere, vt agere, non agi videantur; nec sub lege,

lege, sed in lege; imò, & ipsi sibimet lex sint. Certè præter citata S.P.Ignatij verba num. 11. sic suas ipse constitutiones exorditur. *Quamuis summa sapientia, & bonitas Dei Creatoris nostri, ac Domini sit, quæ conseruatura est, gubernatura, atque promotura in suo sancto seruitio, hanc minimam Societatem Iesu, vt eam dignata est, inchoare: ex parte verò nostra interna charitatis, & amoris illius lex, quam Spiritus sanctus scribere, & in cordibus imprimere solet, potius quàm vllæ externæ constitutiones ad id adiutura sit, &c.* Sapienter existimās ab hac interna lege charitatis potiùs quàm ab externis legibus tum religiosæ disciplinæ vim, tum religionis florem, & ornatum maximè aduenire. Nam si illa absit, iure dixeris de tota religiosa disciplina, quod de vrbis, aut oppidi præsidio, atque incolumitate aiebat Plautus in Persa: (S. Ignat.)

(Plaut.) *Si incolæ sint benè morati, pulchrè munitum arbitror:*
Sin autem, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Vnde non immeritò subditis suis seriò, & grauiter possit Prælatus ingerere, quæ leui leuiter leuis poëta dicebat,

(Propert. lib. 2. eleg.) *Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,*
Quæ numquam supra per inimicus eat?
Nam nihil inuitæ tristis custodia prodest.

cùm tamen Christi Sponsa atque filius, id est qui ex charitate Deo famulatur, seipso tamquam firmissimo & impenetrabili muro satis tutus sit, vt de pudica, & honesta fœmina subiiciebat impudicus, & inhonestus poëta.

Quæ peccare pudet Cynthia, tuta satis est.

Vnde quidem Sponsa cum Sponso de sororculæ custodia consultante, hoc est, Prælato cum Domino de subditorum gubernatione in hunc modum agente: *Soror parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, Cant. 8. 8. hoc est, murum muro, & custodiam custodiæ addere nos non pigeat: ipsa, quàm peccare, maximè pudebat, atque horrebat, sic animosè dictis obuiam ibat. *Ego murus, & vbera mea sicut turris:* ac si diceret: Ego mihi ipsi centuplex murus fuerim, charitate in Deū me vndequaque impenetrabiliter muniente. Iam verò esto inuitis tristis custodia prosit, & ostiis, mœnibus, ac turribus timore, scilicet, & pœnis religiosi in officio contineantur; quid magis insulsum, inconditúmve fuerit: quàm ad aras religiosæ disciplinæ victimas has sese trahentes, & vehementiùs reluctantes, atque inuitas altaribus admoueri, ostendentes humeris hominum afferri, & quod de ominosa victimâ aiebat nescio quis: (Cant. 8. 8.)

(Ouid lib. 7. Metam.) ——*mugitus victima dires*
Edidit.

quo omnino modo dicebat, siue plangebat Bernardus sermone 6. de Ascens. *Sanè inuenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga, & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum breuis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio, quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos denique, vt videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet.* (Bernard.)

Hæc Bernard.

VERSVS IV. V. & VI.

Quamquam ego habeam confidentiam, & in carne: si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.

Circumcisus octauo die ex genere Israël; de tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm legem Pharisæus.

Secundùm æmulationem persequens Ecclesiam Dei; secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela.

1. BENE monent interpretes non esse sensum Pauli, vel Iudaïzis cæremoniis, vel iis, quæ ad generis nobilitatem spectant, siue etiam paternæ religionis propagādæ studio aliquid tribuere, aut in iis actu, & reapse se aliquo modo confidere, affirmare: sed per occupationem hæc esse accipienda, vt occurrat iis, quæ Iudaïzantes, qui Paulum non nossent, illi poterant obiicere: ideo, Paulum, ipsum circumcisionem damnare, quòd videlicet, ipsum circumcisionem damnare, quòd Gentilis esset, atque Hebraïcæ stirpis nobilitatem contemnere, quòd aduena, aut proselytus ei populo sese immiscuisset, vt dicere videatur, posse se etiam in his, si aliqua eorum habenda ratio foret, spē suam optimo merito reponere non secus ac Iudaïzantes ipsi collocabant. Ergo Paulum sic loquentem audi. Nec ideo hæc dixerim, quòd quæ non habeam vituperem, vt nonnulli faciunt. Nam si quisquam est, qui in carne iure possit confidere, eo quod huius fiduciæ materiam, & occasionem habeat: is ego maximè sum, quippe qui & circumcisione splendidis circumstantiis ornata, & iis omnibus quæ apud Hebræos decora, & speciosa habentur, singillatim sum prædītus. Ita Anselmus: *Ne putetis, inquit, me contemnere, quod non habeo. Quid enim magni est, si homo abiectus, vel plebs ignobilis contemnat nobilitatem? Habeo ista, sed contemno, & ideo vos doceo talia contemnere, quoniam videtis me habere, quod contemno. Nam* si quis alius, *id est, à me diuersus, qui vos decipere quærit*, videtur confidere in carne, *quasi inde iustus*, ego magis *confido, quàm ille pseudo.* Sic Anselmus. Sed obserua illis verbis, *& ego magis*, non inesse eum sensum, ego magis confido, sed hunc: ego maiorem confidentiæ in carne occasionem, & materiam habeo: nec aliquid de cōfidentia in carne determinatè affirmari, sed sub ea conditione: si quidquam esset carni confidendum, siue si quispiam posset in carne confidere. Quare non abs re dixeris ad eum tibi modum hanc locutionem sonare, ac illam Hectoris de salute patriæ desperantis: apud poëtam lib. 2. Æneid. (Anselm.)

(Virgil.) *Sat patriæ, primóque datum, si Pergama dextra*
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

Cir

Circuncisus octauo die.

2. *Lectio Graeca. Ad Rom. 2. 26.* SEnsum non verba reddit Vulgatus; est enim Graecè, *circumcisio octaui diei*, eadem qua praecedenti versu phrasi dixit, *Nos sumus circumcisio*, & qua ad Rom. 2. 26. & 3. 30. gentes appellauit *praeputium*. Ait ergo, Non vt proselytus, qui iam adulti circumcidebantur, sed vt verus Israëlita, in quo perfectissimè obseruata est circumcisionis lex, à parentibus circũcisus fui, id est non per proprios pedes ad obseruandam legem iui: sicut Hispanè diceremus, *No me fuy por mi pie à la pila.* Ita Anselm. *Anselm.* *Circumcisus sum octauo die sicut lex inserat, id est, non proselytus, neque aduena ad populum Dei; non maior circumcisus, sed à parentibus natus Iudaeus habeo circumcisionem octaui diei.* Cur octauo die circumcisio infantibus adhiberetur? & an ob infantis periculum eum diem praeuertere fas fuerit disputant nonnulli interpretes; sed id ego, quod ad rem praesentem nihil faciat, libens omiserim. Vide Iustinianum. *Iustin.*

Ex genere Israël.

3. *2. ad Cor 11. 22.* AC si dicat; neque proselytus, neque ex proselytis parentibus; Hispanè dicimus, *Christiano viejo*, sic dixit 2. ad Corinthios 11. 22. *Israëlitae sum & ego.* Iudicauit etiam, ortum vndequaque germanum, & nulla ex parte spurium duxisse, cùm nõ fuerit contentus dicere, ex genere Abraham, siue Isaac, sed signatè ex Israël, vt à reprobi Esaü genere se notanter secerneret. Apparet autem Erasmum, & Caietanum dum nouitatem affectantes dixerunt (quod nolim placuisset etiam Iustiniano) Israël non esse in genitiuo, sed in nominandi casu, ab scopo aberrasse, cum Israël nusquam vsurpetur pro singulis Israëlitis, sed pro omnibus collectiuè. *Erasm. Caiet. Iustinian.*

De tribu Benjamin.

4. *Chrysost.* CHrysostomus: Ac si diceret, *Ex probatiore parte*: erat quippè tribus Benjamin egregiis dilectionis & fauoris signis à Deo praelecta; & in maximo honore, atque delitiis habita: vnde notantissimis verbis de illa dixit Moyses Deuteronomij 33. 12. *Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*: vbi pro, *habitabit confidenter in eo*, LXX. Pagninus ex Hebraeo, & Paraphrasis Chald. *Deus obumbrat super eum omnibus diebus.* Addit Chald. *Et in terra eius habitabit maiestas Domini.* Et plures quidem huius dignitatis, & prae aliis tribubus excellẽtiae, à Patribus causae, atque rationes afferuntur. Chrysostomus enim, & Theophilactus ideo praestantiorem fuisse aiunt. *Nam quae Sacerdotum erant, in sorte erant huius tribus.* Theodoretus verò, & Anselmus, quod ex pulcherrima Rachele, pro qua Iacob speciosam seruiuit seruitutem, ortum duceret: *Neque verò sum ex semiserua* (inquit Theodoretus,) *sed de libertate procreatus sum ex dilecta Rachel, pro qua Patriarcha seruiuit.* Addit aliam subinde rationem Anselmus recentioribus interpretibus maximè probatam, tribum Benjamin, & regiam tribum Iuda à vero Dei cultu, & templo nunquam defecisse, cùm aliae decem, vt impio Regi Ieroboam morem gererent, veram religionẽ cum sacrilego idolorum cultu commutauerint. Nec de huius tribus laudibus omittendum, quod adnotauit Cornelius, fortissimam inter

Deut. 33. 12. *LXX. Pagn. Chald.* *Chrysost. Theoph.* *Theodor. Anselm.*

alias extitisse: totique Israëli primum Regem Saulem peperisse.

Vbi non possum non adnotare, cùm mirificè ad Pauli gloriam faciat, quod scitè obseruauit Hieronymus in epitaphio Paulae, in excidio nimirum tribus Benjamin trecentos viros ob vnum Paulum ex illa oriturum, ineffabili consilio à Deo fuisse seruatos. Quàm mira, quàm singularis haec Dei prouidentia, & gubernatio! Quàm praecipua ipsi de vno Paulo cura! Saeuiebat in tribum vniuersam vltio diuina, viros omnes ex illa ad vnum perdere volebat; at cùm Paulus ex illa futurus ei obiicitur, ex tam ingenti caede trecentos iubet incolumes seruari, ne semen, vnde prodiret Paulus interiret. Sed nónne vnum, vel alterum ad id reseruare satis fuerit? cùm ad totum genus humanum olim diluuij aquis obrutum aucto denuo censu reparandum, vnum Noë cum familiaribus ad octo vsque animas Deus tantum reseruauerit? Plus nè vno Paulo futuro, quàm in vniuerso hominum genere procreando apud Deum erat? Dicat id fortè non nemo: Nec mirum cùm ipse non modò *communis totius orbis Pater*, vti eum appellat Chrysostomus, in commemoratione sancti Pauli, & *Sol mundi* auctore Dionysio Areopagita libro de diuin. nomin. cap. 7. sed *Angelorum* etiam *magister*, vt inquit sanctus Thomas opusc. 1. cap. 26. & *arca, in qua virtutes omnium Sanctorum cumulatissimè sunt conditae*, vt ait idẽ Chrysostom. homilia. 8. de laud. Pauli esset futurus. Tanti ergo viri, támque prae caeteris praestantissimi saluti & vitae, non vna tantùm ratione, & modo (esset quidem vnicus summè certus & securus) sed trecentis, vt ita dixerim, modis, siue trecentis oculis (quod in fabulis de Argos vigilantia dicitur) voluit Deus prospicere, & rem iam securam, securiorem (si fieri posset) modis omnibus reddere.

Hieron. *Chrysost.* *Dion. Areop.* *S. Thom.* *Chrysost.*

Sed postquam Paulo iam in lucem edito, atque superstite, trecentae illae familiae funditus perierunt, & obliuioni mandatae sunt potiori iure possit Christiana ei veritas dicere, quàm Quinto Fabio Maximo ambitioso mendacio Romana adulatio blandita est. 4.

Qui nasci vt posses, quamuis cecidere trecenti,
Non omnes Fabios abstulit vna dies, *Ouidius.*

vt quemadmodum his versibus tantùm non dixit Ouidius. Quamuis tota Fabiorum familia, quae vrbis Romanae columen, & culmen erat, vno fuerit die perempta, tamen cùm te ô Maxime, ex illa superstitem Roman. pop. vidit, nullum sibi ex suis Fabiis demptum putauit, cùm tu vnus pro illis omnibus sis. Quo quidem in laudem Fabij nihil fingi potuit illustrius ita verissimè de Paulo dicatur, in eo vno totam Benjamin tribum viuere, atque superstitem esse, cùm & in eius gratiam, illa maximè orta fuerit, & quidquid in ea vnquam splẽdidum, atque gloriosum extiterit, in vno Paulo, cumulatiùs, & splẽdidiùs eluxerit. Quod inde facilè colliges, quòd quidquid ad laudem Benjamin, in veteri Testamẽto dictũ fuerit, vnanimiter Patres ad Paulum referant: & primum quidem huic tribui à Patriarcha Iacob impertitam benedictionem, *Benjamin lupus rapax: manè comedet praedam, & vespere diuidet spolia*, Genes. 49. 27. de Paulo accipiendam, frequentior veterum Patrum expositio est. De qua sic inquit Ruffinus libro de Benedict. Patriarch. *In Ecclesia autem apud quamplurimos ista habetur opinio, quòd ad Apostolum Paulum referri posse, quae scripta sunt, videantur. Quod quidem nec nos refugimus, aut improbamus, sed conamur facere sicut scriptum est. Sapiens audiens verbum, collaudat, & adiiciet ad illud*, Ecclesiast. 21. Sic omnino censent Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. cap.

Gen. 49. 27. *Ruffin. Ambros. Cyr. Alex. August. Rupert. Eucher. Hieron.*

cap.12. Cyrillus Alexandrinus in eodem tractat. hic lib. 1. Glaphyrorum, cap. de Benjamin ad fin. Augustinus serm. 4. de Sanctis. Rupertus, & Eucherius in eum Genesis locum. Hieronymus in traditionibus. Procopius in catena in Gen. & alij. Appingam Ambrosij, & Ruperti verba, quia egregia; & Ruperti quidem primùm, quòd magis opportuna, quippe ille hæc Pauli in quibus sumus, cum iis Genesis optimè coniunxit lib. 9. commentar. in Genes. cap. 37. ad hunc modum: *Elegantissima transfigurationum proprietas.* Catulus leonis Iuda. Benjamin *autem* lupus rapax. *Ille Rex, iste armiger. Ille* expectatio gentium, *iste vorator gentium. Manifesta quippe de Paulo Apostolo prophetia est. Quemadmodum Iudas Christus, quia de tribu Iuda erat nasciturus: sic Benjamin Paulus, quia de tribu Benjamin erat assumendus; ipse enim dicit*: Nam & Israelita sum de semine Abrahæ, de tribu Benjamin. *Item*, si quis alius videtur fidere in carne, ego magis: circumcisus octaua die ex genere Israel, de tribu Benjamin, *Lupus rapax. Hoc certè malum erat. Sed audi quod sequitur:* Manè comedet prædam, & vesperè diuidet spolia. *Si malum erat, lupum rapacem esse, & mane prædam comedere, bonum sit vesperè, spolia diuidere. Manè lupus rapax prædam comedebat, nam in adolescentia persecutor, & blasphemus, & contumeliosus quoscunque inuenire poterat huius viæ viros, ac mulieres vinctos ad Principes perducebat, sed vesperè, id est, vsque ad finem vitæ suæ diuisit spolia sua, sacra scilicet, Euangelicæ prædicationis eloquia, de quibus Psalmista*: Lætabor (*inquit*) ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Hactenus Rupertus. Et codem ductu Ambrosius his verbis: *Lupus erat cum dispergeret, & deuoraret oues Ecclesiæ. Sed qui lupus venerat, pastor est factus: lupus erat, cum Saulus erat, quando intrabat in domos, & viros, ac mulieres trahebat in carcerem, Lupus erat, quando spirans minas & homicidia in discipulos Domini petebat epistolas à Principe Sacerdotum, vt inuaderet seruos Christi, quem tamquam lupum nocturnis tenebris oberrantem effusa Iesus luce cæcauit. Ideo Rachel cùm pareret Benjamin, vocauit nomen eius*: Filius doloris mei; *futurum prophetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ persecutionis suæ tempore, & graui matrem dolore vexaret. Sed tamen idem postea Principibus escam posteriore diuisit tempore: euangelizans gentibus Dei Verbum, & plurimos ad fidem prouocans: qui eo disputante (sicut legatus Pauli Proconsulis, & Publius Princeps) Domini gratiam receperunt.* Sic de hac prophetia Ambrosius.

Marginal notes (left): Rupert. — ad Rom. 11. 1. — Act. 9. — Ambros.

7. Pergit verò indidem, & aliam, quam ex Moyse Deuteronom. 33. 12. de tribu Benjamin singulariter à Deo dilecta, & eximiis gratię, & protectionis suæ donis ornata, num. 4. proposuimus, vni Paulo in hunc modum aptat: *Pulchrè etiam Moyses cum benediceret Benjamin tribum dixit*: Dilectus à Domino habitabit fidens, & Deus obumbrauit super eum omnibus diebus: & inter humeros requiescet dilectus à Domino. *Qui etiam vas electionis est factus. Neque enim aliter, nisi Domini est miseratione, & amore conuersus. Vnde & ipse nihil merito tribuens suo, sed totum deferens Christo ait*, Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei; gratia autem Dei sum id quod sum; & gratia eius egena in me non fuit, 1. ad Corinth. 15. 9. Habitabit fidens in domo, *quam ante vastabat: habitauit in tabernaculis Christi, qui antea sicut lupus errabat in syluis.* Et Deus obumbrauit super eum, *quando visus est ei Christus. Qui licèt apertis oculis nihil videbat, tamen Christum videbat, & merito videbat per fidem, quem etiam audiebat loquentem.* Non cæcitatis est obumbratio ista, sed gratiæ. Denique Marię dicitur, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Lucę 1. 35. Et inter humeros requiescet: *hoc est inter bonos actus, & opera pretiosa. Nam & Patriarcha dixit, quod* Issachar supposuit humerum suum ad laborandum, & factus est vir agricola. *qui Paulus imitatus posuit fidei nouellæ plantaria, ideoque quasi bonus agricola dixit.* Ego plantaui, Apollo rigauit.

Marginal notes: Deut. 33. 12. — 1. ad Cor. 15. 9. — Luc. 1. 35.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Ad quem etiam modum Cirill. Alex. loco cit. & Theod. in Psal. 67. ad Paulum omnino referunt Vatis verba Psal. 67. 28. ibi: *Benjamin adolescentulus in mentis excessu.* Sic enim prior: *Beati enim discipuli, cum fuerint ex sanguine Israel, duces constituti sunt iis, qui in Christo per fidē iustificati sunt, cum quibus fuit, & hic ex tribu Benjamin. Vnde & scribit,* Siue enim mente excedimus Deo, siue sobrij sumus, vobis, 2. ad Corinth. 5. 13. ita similiter Theodoret. *Porro Benjamin adolescens est beatus Paulus, qui ex tribu Benjamin ortus est, Adolescens tanquam post omnes vocatus, & appellatus. Præterea Adolescentem ipsum Actuum historia vocat, &c. Fuit autem in excessu mentis, cum didicisset in cœlis esse eum quem ipse persecutus est, quémque mortuum existimauit.* Hæc Theodor. Sed nec ab illo, nec à Dauide eo in loco discedendum, quin peculiares horum verborum lectiones, quæ in Pauli gloriam, siue vt ipsum ex propriis signis, siue de facie dignoscamus; ibi habentur: sic namque Theodor. *Aquila dixit, ibi Benjamin paruus imperans ipsis: secundum Theodotionem verò. Præceptor illorum.* Quæ Paulo sic accommodat. *Hic Ecclesijs imperat, & instruit gentes, & volentes ad salutem ducit.* Ita ille. 8.

Marginal notes: S. Cyr. Alex. — Psal. 67. 28. — 2. ad Cor. 5. 13. — Theodor. — Actuum. — Aquila. — Theodor.

Hebræus ex Hebræis.

9. Amplificatio est præcedentis orationis, *ex genere Israël*; immò non nihil addit, ac si dicat, more Hebręus, ex puro, & defæcato Hebręę gentis origine, non permixtus alienigenis: dixisset ad idiomatis Hispani leges, *sin raça, ni mancha de mala casta.* Videtur autem hæc dixisse ad differentiam Hebræorum, qui in Samaria degentes, Gentilibus se commiscuerunt; sic Primasius, Anselmus, & S. Thomas. & ex recentioribus Iustinian. & Cornel. Aliter tamen explicant Græci, quibus adhæret Estius, vt nimirum eò Paulus respexerit, quòd plures Iudæorum, dum per varias orbis plagas dispersi erant, externarum gentium linguis assueti, Hebraicæ linguæ peritiam amiserant (sic 2. Esdræ 13. 24. dicitur: *Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas; & filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi:*) ipsius verò parentes, quamuis in Cilicia degerint, patriam tamen Hebræorum linguam, & natiuum gentis characterem incorruptum retinuerint. Ita Theophylact. & OEcumen. Sed multò videtur probabilior prior Latinorum expositio, valde enim in hac posteriori videtur contortum, ex sola Hebraicæ linguæ cognitione, aliquem Hebræum dici, cùm plures inueniantur, qui eam calleant, quos summa iniuria Hebræos ex Hebræis appelles, sed illud minus ad rem esse videtur, eos qui essent Hebræi genere, ea solùm de causa, quòd Habraicæ linguæ peritiam amisissent, Hebræos censeri non debere. Videris sanè multos è nostratibus Hispanis, qui cùm per diuturna

Marginal notes: Primas. — Anselm. — S. Thom. — Iustinian. — Cornel. — Estius. — Esdræ 13. 24. — OEcumen.

na temporis spatia inter externas nationes fuerint versati, proprium Hispanæ gentis characterem, & natiuæ linguæ vsum amiserint, quos tamen Hispanos ex Hispanis, vti Paulum Hebræum ex Hebræis meritò appellaueris.

10. Sed de deriuatione huius nominis, siue cognominis *Hebræus* (quod cõmunius est, & antiquius, omnes enim filij Israël dicuntur Hebræi. Iudæi autem non sunt dicti, nisi post discessionem decem tribuum à duabus, vt ait Hieronym. Ionæ 1.) multi multa dicunt, & Augustin. quæ priùs affirmauerat, subinde lib. 2. retractationum, c. 16. correxit. *Hieronym. August.* Illud mihi probatissimum est, quod affert Ribera in cap. 1. Ionæ, n. 44. *Riber.* Hebræos dictos esse ab *Abar*, id est, *transiuit*, quo nomine primus omnium vocatus est Abraham Genes. 14. 13. *Gen. 14. 13. LXX.* *Nunciauit Abraham Hebræo*: LXX. τῷ περάτῃ, id est *transitori*, ille enim cùm priùs habitasset in Chaldæa, primus transiuit Euphratem, & venit in terram Chanaam, vbi à Chananæis, inter quos habitabat, cœpit vocari Hebræus, quasi alienigena, & ignotus. Qua de re vide Burgensem in add. 2. ad c. 21. Matthæi. *Burgens. Hieronym. Gregor.* Certè Hieronym. & Gregor. hom. 3. in Ezechiel. docent Hebræum significare transitorem. Quòd si eo in nomine mysterium quæras, vide iam tunc prænunciatum esse, Hebræos non permansuros in Dei obsequio, & Ecclesia, imò verò transituros, quasi spumas super faciem aquæ, auferendúmque ab illis Regnum, dandúmque gentibus facientibus iustitiam.

Secundùm legem Pharisæus.

11. *Grae. Lect.* SEcundùm Græcè κατὰ, id est, quantum attinet ad legem. Hispanè, *quanto a*: id est, quantum ad ipsam legem, seu Religionis professionem attinet, è primoribus eram. Ita quidem. Nam Pharisæi, vt docet Iosephus lib. 2. de bello Iudai. cap. 7. *Iosephus.* erant quasi Philosophi Iudæorum, & legem illis interpretabantur. Vnde Pharisæi dicti sunt, vel à *pharas*, id est, diuidere, quòd quasi purioris, & præstantioris vitæ, à populo diuiderentur, vt ait Hieronymus in tradit. in Genes. & Epiphan. lib. 1. Panar. c. 16. & Anselmus hîc: *Hieron. Epiphan. Anselm.* vel ab eadem radice, quatenus etiam significat interpretari, explicare, aut docere. Et verò vt ipsi non leuibus vitiis subiacerent, eorum quidem professio, atque doctrina, sanior, atque præstantior, quàm aliorum Doctorum, Sadducæorum scilicet, & Essenorum, & Herodianorum habebatur, quippe, quæ Moysi, & Decalogo plerumque adhærebat, & egregia dogmata immortalitatis animarum, præmiorúmque, ac suppliciorum alterius vitæ profitebatur, qua de causa certissimam Iudæorum sectam appellauit eam Paulus Actuum 26. 5. *Act. 26. 5.* *Secundùm certissimam nostræ religionis sectam vixi Pharisæus.* Vbi certissimam dixit Paulus; comparatione aliarum, hoc est, *exactissimam*, vt Græcè habetur, quòd præcipua, & honoratior inter alias haberetur, vnde Syrus interpres legit, *Lect. Syr.* *in illa præcipua disciplina Pharisæorum me vixisse.* Nimirum illa tot, támque insanos, vt aliæ sectæ, errores non continebat. Herodiani enim adeò erant amentes, vt dicerent, Herodem Ascalonitam esse Christum, Sadducæi verò terrenis rebus, & corporis sensibus ita addicti, vt resurrectionem mortuorum, Angelos, & spiritus negarent. Nec saniores Esseni, qui tantùm sibi tribuebant, vt ab aliorum conuersatione, & cæremoniis se subducerant, affirmantes, sanctiora se alia mysteria colere.

At enim verò, vt præstantior aliis Pharisæorum secta esset, negari tamen non potest, etiam quoad doctrinam nonnullos habuisse errores, pluréſque ab ipsis legis interpretationes afferri, quæ valde essent absurdæ. 12. Vnde mirificè hic lapsus est Estius, *Estius.* affirmans valde honestum, atque laudabile vitæ genus Pharisæos habuisse, neque ex professione quidquam mali continere: hoc inde contendens adstruere, quod Matth. 23. 2. dixerit Dominus, *Matth. 23. 2.* *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite*; minimè id quidem, vt inquit ille, de aliis, quorum doctrina erroribus esset respersa dicturus, verùm enimuero plus tribuit Estius Pharisæis, quàm ipsimet sibi deferebant; cùm Iosephus, *Ioseph.* Pharisæus ipse lib. 2. de bello cap. 7. & lib. 18. antiquit. cap. 2. egregios Pharisæorum errores, nimirum animarum metamorphosim, id est, ab vno in aliud corpus transmigrationem, necnon fati in omnia potestatem recenseat. Deinde obscura Christi verba, & quæ difficiles explicatus habeant, è proprio cerebro quam è Patrum, & interpretum mente, sonum etiam quàm sensum attendens explicauit Estius. Sunt quidem Patres ad inuicem in eorum expositione diuisi, sed nullus probauit, quod Estio placuit, imò illud disquirunt, quomodo moneat Christus facere omnia quæ Scribæ & Pharisæi docebant, cùm eorum sæpè doctrinam reprehenderet, & discipulos ab eorum fermento, hoc est, doctrina cauere iusserit Matth. 16. 12. *Matt. 16. 12. Maldonat. Xist. Sen. Ribera.* Quid ad hæc illi respondeant, videat lector apud Maldonat. Nec non & eius loci germanam interpretationem. De Pharisæis verò plura si volet, adeat Xistum Senens. lib. 2. verbo, *traditiones*, & Riber. de templ. lib. 3. cap. 4.

Secundùm æmulationem.

GRæcè ζῆλον, *zelum*, vt dicat: Si zelus vehe- 13. *Grae. Lect.* ménśque studium tuendæ legis Mosaicæ spectetur, quantus iis in me fuit, qui ob id Ecclesiam Dei persequebar, & deuastabam? Apparet autem non positum id à Paulo inter suas laudes, sed eò potissimum ire, vt omnino amoueret suspicionem, qua aliquis credidisset, illum iam pridem legi Mosaicæ, & antiquis cæremoniis, fuisse infensum: eáq; de causa nullã prætermittere occasionem eas insectandi. Ac si diceret, inquit Anselmus, *Anselm.* *Non eram piger Iudæus, sed quidquid erat quod legi meæ videretur aduersarium impatienter ferebam, acritérque insequebar.* Quo omnino sensu, & verbis ad Galatas 1. 13. *ad Gal. 1. 13.* dicebat: *Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam. Et proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator exsistens paternarum mearum traditionum*: vbi pro *æmulator*, &c. eadem qua Græcus textus ibi, & hîc phrasi legit Syrus: *Lect. Syriac.* *maiorem in modum zelauerim doctrinam patrum meorum*: Græcè enim ibi zelotem se dixit paternæ legis Paulus, vt omnem à se suspicionem odij, siue veteris legis, siue Iudæorum amoliretur, simúlque ostenderet, etiam ardentiùs aliis, per ignorantiam tamen, Iudaicos ritus amasse, atque zelauisse, donec illi diuinæ cognitionis lumen affulsit. Vide eius loci ad Galatas interpretes, & Augustinus *August.* lib. 22. contra Faustum cap. 70. in illis verbis feruidam, egregiámque Pauli ad virtutem indolem odorantem.

Secun-

Secundùm iuſtitiam quæ in lege eſt.

14. HÆc cũ præcedentibus ſic connectunt Chryſoſt. & Theophyl. vt velit Paulus, ſe ea de cauſa Dei Eccleſiam vexaſſe, quòd paternam religionem eo animi ardore complecteretur, vt nihil quod ipſi repugnaret, ferre poſſet, non verò quòd magnos inde honores, aut lucra aucupari vellet. *Eſt enim vel ex periculorum contemptu proiectâque audacia, vel ex principatus cupiditate id facere, quod ſanè Principes Sacerdotum faciebant, oſtendens igitur, non ſe talem fuiſſe,* ſecundum iuſtitiam, *inquit*, quæ in lege eſt, conuerſatus ſine querela. Ita Chryſoſt. Similia habet Theophylactus. Ego potiùs hæc refero ad ſeriem narrationis, qua Paulus enumerat ea ob quæ plus aliis in carne gloriari ſe poſſe dixerat; vt præter ſuperiùs dicta, vitæ etiam probitatem, & mores ita compoſitos, vt nemo de ipſo, iure conqueri poſſet, adiungat. Vnde non credo Apoſtolum de interno animi candore, & innocentia locutũ, ne plus æquo ſibi adrogaret, ſed de externa iuſtitia qua quis probe inſtitutus eſt, ne aliis ſcandalo, aut detrimento ſit; ideo dixit, *conuerſatus ſine querela*, ad externam potius cum aliis conuerſationem, quàm ad id, quod internum, & Deò abſconditum eſt, quódq; ad præſens inſtitutum minus faciebat, rem deferens. Perſtringit, quæ hucuſque ſub hoc ſenſu dicta ſunt à Paulo, Chryſoſtomus his verbis: *Ergo ſi nobilitatis, ergo & ſtudij, alacritatiſque & morum, & vitæ omnes antecellebam, quid cauſæ fuit, quamobrem præclara illa dimiſerim, inquit, niſi quòd ea, quæ Chriſti ſunt, repererim maiora, ac longè quidem maiora? Quamobrem addit.* Sed quæ mihi fuerunt lucra, &c. Sic Chryſoſtomus.

VERSVS VII.

Sed quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.

1. INSVLTABANT hìc veteres hæretici negantes legem à Deo datam fuiſſe, quando eam Apoſtolus detrimentum arbitratur: ſed eos optimè ex ipſiſmet verbis Apoſtoli reuincunt Chryſoſt. & Theophyl. obſeruantes, Paulum, tum de ea abſolutè dixiſſe, ſibi fuiſſe lucrum, dum videlicet eum ad Chriſtum manuduxit: tum, non dixiſſe illam eſſe, vel fuiſſe detrimentum, ſed ſibi comparatione gratiæ Euangelicæ viſam fuiſſe detrimentum. Sic enim Chryſoſt. *Attendamus diligenter quæ dicuntur, Non dixit, lex eſt detrimentũ, ſed ipſam arbitratus ſum detrimentum, & de lucro quidem loquens non dixit, arbitratus ſum, ſed* fuerunt lucra; *de damno autem*, arbitratus ſum: *meritò; illud enim natura erat, hoc verò iam ex opinione noſtra profectum eſt. Quid igitur? Non eſt, inquit, damnum lex, ſed propter Chriſtum putatur damnum. Cur autem non dixit, putari lucrum, ſed eſſe? cogita quãtum fuerit, homines efferatos iam natura ad humanã vitæ rationẽ adducere: niſi lex fuiſſet, neque etiã gratia data fuiſſet: quapropter? Quoniam pontis inſtar fuit.* Sic Chryſoſt. Sed aliam ſubinde, atque aliam ſimilitudinem, tum ſcalę, per quam de infimo in ſublimem locum adſcenditur; tum argenti, quod auro inuento, ſi vtrumque retinere non licet, à ſe tamquam damnum quis facilè abiicit, ſic ſubſternit. *Etenim quoniam minimè fas erat, de infimo loco in excelſum aſcendere, facta eſt ſcala, & tamen, qui iſthuc peruenit, non amplius ſcala egeat, ac tamen pro hoc ipſo, quòd illius nõ eget, beneficiũ ſe illi debere meritò fatetur; ſine illa enim non aſcendiſſet; idem de lege dicendum eſt, euexit nos in ſublime: ergo lucrũ erat; ſed iam ipſam putamus damnum. Quomodo? nõ quoniam damnum eſt, ſed quoniam longè potior gratia. Nam quemadmodum fame laboras pauper quandiu quidem ſolum argentum habet, eo arcet famem, poſtquam verò aurum inuenerit, ſi vtrumque retinere non liceat, damnum putat retinere argentum, atque illo dimiſſo aurum cupit, dimittit autem, non quod damnum ſit argentum (non enim eſt) ſed quod vtrumque ſimul habere non liceat.* Hæc, & alia Chryſoſt. Ad cuius guſtum non modò Theophyl. qui fidus eius aſſecla eſt, ſed Theod. etiam & OEcum. necnon Ambroſ. in comm. & Auguſt. ſerm. 15. de verbis Apoſt. cap. 5. & 6. loquuntur.

2. Ab hoc explicandi modo non diſſentit Commentarius Paſchaſij in id Matth. 13. 45. *Simile eſt regnum cœlorũ homini negotiatori, quæreti bonas margaritas*, dum vtraque verba ad hunc modum componit. *Deinde cùm iugi medicatione negotiatus fuerit in lege, & ea, quæ in lege ſunt, deprehenderit intelligentias, tandem aliquando inter eas, quas repererat, inuenit vnam, & ſingularem margaritã Chriſtum, quam optabat; in cuius comparatione licèt bona ſit lex, bona ſit, & Prophetia, ſeu quæ in his præcipuè inueniuntur doctrinæ ornamenta, homo negotiator ſimilis Pauli Apoſtoli omnia legis, Prophetarúmque myſteria, & obſeruationes priſtinas, in quibus inculpatè prius vixerat, quaſi purgamẽta contemni, & quiſquilias, vt Chriſtũ lucrifaciat, quia pretioſiſſimum eſt margaritum ſciẽtia Saluatoris, & Sacramentum Paſſionis illius, & Reſurrectionis arcanũ.* Hactenus Paſchaſ. edoctus indidẽ à Hieron. Quam ſanè obſeruationem opportunè confirmes ex ingenti lucis diſcrimine; qua hunc, atque illum populum illuminatum nouimus. Nam illi parcũ candelæ lumen tantũ prælucebat hunc verò tota Solis lancea ſplendorem ſuum circumquaq; diffundens liberaliſſimè irradiauit. Audi de primo Ierem. c. 16. 9. *Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris vocẽ gaudij, & vocẽ lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.* Sed obſerua Græca exemplaria hæc iis addere, *odorem vnguenti, & lumen candelæ:* vnde totum hunc locum ſic legit, & explicat Athanaſ. ſerm. in Euang. de Paſſ. & cruce Domini. *Quod autem lux ab illis ablata ſit, ita teſtatum inuenies in Ieremia.* Verbum quod factum eſt ſuper Ieremiam in omnem populum Iudæ: *vbi deinde iſtam vocem ſubinfert.* Auferam ab illis vocem lætitiæ, & vocẽ gaudij vocem ſponſi, vocem ſponſæ; odorem vnguenti, & lumen candelæ. Ita ibi. Vides modicũ illis candelæ lumen præ Chriſtianæ lucis comparatione præluxiſſe. Quid enim minus nobis quàm totus fons lucis illuminat? *Orietur vobis timentibus nomen meum,* (inquit ex Dei ore Malach. 4. 2.) *Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.*

3. Sed vt negari non poſſit, verè hæc omnia dici; neſcio tamen quanta huius loci opportunitate afferantur: ſiue an ad Pauli mentem, & ſenſum omnino exprimendum, conſentanea ſint: etenim ſi & ſcopus ipſi præfixus, & verba attentiùs conſiderentur, non ſolùm vult, legem comparatione gratiæ Euangelicæ damnum eſſe, quòd minus iam ſubinde bonum reſpectu illius ſit: ſed omnino ex Chriſti aduentu euacuatam eſſe, & reſpectu noua

Margin notes: Chryſoſt. Theoph. (at 14); Chryſoſt. (at "Ergo ſi nobilitatis"); Chryſoſt. Theophyl. (at 1); Idem.; Theoph. Theodor. Ambroſ. Auguſt.; Matt. 13. 45. Paſchaſ.; Ierem. 16. 9.; Lect. Græc.; Athanaſ.; Malach. 4. 2.

nouatum circumstantiarum nihil iam emolumenti; detrimenti verò plurimum adferre. Quare aduertas velim, Apostolum non agere de lege prout præcepta Decalogi continebat; hæc enim inconcussa semper, atque inuiolata cum suo decore, & maiestate manere necesse est, sed de externis tantùm cæremoniis, & ritibus legalibus, de Circumcisione, scilicet, de munere Pharisæi, & de iis omnibus, que ad hæc pertinebant; deinde facilè est videre, ipsum non loqui de his, prout ante Christum in vsu erant, sed cùm post ipsius aduentum, tanquam cum Sole vmbræ cessauerant: iam hæc sub hoc sensu sumpta absolutè, & simpliciter detrimentum appellat Paulus ad eummet modum, quo versu 2. Circumcisionem appellauit concisionem, nec alia quidem huius, atque illius loci Anselmo interprete sententia est. Sic enim ille: *Sed omnia illa carnalia, quæ mihi ante Christi notitiam fuerunt lucra, id est, vtilia, & chara; hæc post fidem arbitratus sum detrimenta salutis propter Christum, qui in his prænunciatus erat; & si adhuc ista seruarē, eius aduentum ostenderē nondum factū; quæ enim venturum eum significabant, si iam seruantur, venisse eum negant; & ideo sunt detrimenta, quia deterunt veritatem fidei; vnde paulo superius Iudæi dicti sunt concisio, quia carnalis circumcisio plena abscisio est a Christo.* Hæc Anselm. Breuiùs S.Thom. *Hæc sum arbitratus propter Christum mihi detrimenta*, id est, *reputo, quòd sint mihi in detrimentum; legales enim obseruantiæ quæ tempore legis erant efficaces, post Christum factæ sunt noxiæ.* Sic S.Thom. Ergo id sibi tam hîc, quàm præcedentibus versibus inquit Paulus; si lex defendenda, & Euangelio associanda fuisset, nemo me libentiùs id faceret, quippe qui plures, & fortiores causas faciendi habeam: sum enim Hebræus ex genere Israëlitico, & præclara tribu Beniamin ortus; secta, & professione Pharisæus, acerrimúsque olim Iudaicarum obseruantiarum vindex; ergo si ego, qui is sum, eam relinquo, facilè est animaduertere, illam iam minimè seruandam fore: nam quæ tunc mihi vtilia videbantur, atque fructuosa; iam cùm Christi lux mihi est oborta, inutilia, & plena detrimenti apparent, vt enim olim circumcidi carne, & Mosaicæ legis cæremonias exactissimè obseruare, lucrum erat spirituale; id iam concidi est, & ad interitum ruere, cùm ea iam omnia non modò emortua, sed mortifera etiam opera sint.

Anselm.

S.Thom.

4. Hæc aucto censu confirmat Ambros. lib. 5. in Luc. cap. *de excusatione discipulorum*: vbi cùm in illis Domini verbis, Matth. 9. 13. *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, acutè hærens dubitasset, quomodo ad peccatores potius, quàm ad iustos vocandos, & illuminandos, quasi meliores impij, quàm iusti conditionis fuerint, venisse Dominus dicatur? appositè statim respondet, non de Christianæ Ecclesiæ, sed de Pharisaici supercilij iustis, qui in lege præsumunt, atque gloriantur hæc esse accipienda. Audi illum. *Nemo tibi Christum potest auferre, nisi ipse te auferas illi. Non ergo te auferat iactantia tua, non te auferat arrogantia, nec tibi de lege præsumas. Non enim vocare iustos venit, sed peccatores. Quomodo ergo Dominus iustitias dilexit, neque Dauid vidit iustum derelictum? Aut quæ ista æquitas, si iustus relinquitur peccator adsciscitur, nisi intelligas, quòd eos iustos dicit, qui ex lege præsumant, & Euangelij gratiam non requirant?* Nemo autem iustificatur ex lege, *sed redimitur ex gratia. Est igitur in lege iustitia, sed non per legem iustitia.* Hæc Ambros. quæ statim, & Paulo, & nostro instituto hunc in modum aptat. *Nam ipse Apostolus, Hebræus ex Hebræis; secundùm legem Pharisæus; secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela, qui gloriatur ex lege.* Quæ mihi, *inquit* lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimentum esse; *hoc est, abieci iustitiam, & gloriam legis. Iustitia enim legis sine Christo vacua est,* quia plenitudo legis Christus est. Hæc & multo plura in hanc rem Ambros. ibi.

Matth. 9, 13.

Ambros.

Psalm. 74. 2.

Psal. 36. 26.

Iam ex his mero meridie clariùs elucet, quàm magna sit Kemnitij, & sociorum eius væsania, & pertinax ruditas, quibus neque ex PP. ne ex interpretibus, neque ex contextu, siue ex ipsomet sono literæ vlla omnino huius loci lux oboriri potuit: sed nullo noui commenti sui sponsore dato, ex his verbis adstruere contendunt, non posse nos bonis nostris operibus, quæ ex fide, & gratia Dei fiunt, salutem æternam promereri. At enim; quid magis præter Apostoli mentem? & quod ab ipsius instituto longiùs diuagetur, excogitari queat: cùm ille minimè de his operibus agat; sed de commodis illis, siue lucris temporalibus, quæ ipsi, cùm retinebat legem Moysi, & persequebatur Christum, obueniebant; siue etiam de legis ceremoniis post Christi aduentum iam irritis, & inanibus. Vide Bellarm. tom. 3. lib. 5. de iustificatione, cap. 5. vbi alias etiam ex Augustino explicationes adducit. 5.

Bellarmin.

Illud in Græcis vocibus κέρδος, id est, *lucrum, & ζημία detrimentum*, siue etiam *iactura, damnum*; & generaliùs *pœna, supplicium* minimè omittendum, quod adnotauit Aristoteles lib. 5. Ethicorum, cap. 4. correlatiuè inter se opponi, vt videris quanta vocum opportunitate in re maximè graui, & seria locutus fuerit Paulus: singulas verò vocis ζημία, siue *detrimentum* significationes in sequentis versus adnotationibus ad rem Pauli pensiculatiùs elucidabimus. 6.

Græc. lect.

Aristot.

VERSVS VIII.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse; propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

CVM Græcè pro *verumtamen* sit, ἀλλὰ μενοῦνγε, id est, *quinimo*, vel *quinetiam*: vt vertit Erasm. siue, *verumtamen etiam*; vt alij; apparet, amplificationem, & grauiorē affirmationem iis verbis subesse; qua obtestetur Apostolus, non modò veteris legis cæremonias, eásque anteactæ vitæ excellentias, quas priùs recensuerat, generis, videlicet, nobilitatem, Pharisaicæ sectæ professionem, doctrinæ præstantiã, ardentémq; legis æmulationem, ac zelum, sed alia etiam omnia, quibus cæca hominũ cupiditas pretiũ fecit; delitias, opes, potentiã, gloriã, & quidquid cœli ambitu continetur, nō modò nauci à se fieri, sed pro magno dispēdio haberi. In eáq; ipsum sententia, & voto esse, vt horum omnium tanquam vilissimarũ rerũ iactura pretio 1.

Græca Lect.

Erasm.

pretiosissimum Christi thesaurum sibi comparet: sic contextum, & Græcas voculas premente Chrysost. *Verisimile enim est, Paulum de mundanis rebus dicere. Nam cùm dixisset*, Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; *addit*.: verumtamen, & existimo omnia detrimentum esse: *dum dicit omnia, significat & præterita, & præsentia*. Ita ille. Vnde quidem non longè hæc ire videntur ab illis ad Roman. 8. 38. *Certus sum enim; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, nec creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Chrysost. — Roman. 8. 38.

Omnia detrimentum esse.

2. Lect. Syriac. Lectio Syriaca habet *inopiam esse*. Sed Noster significantiùs dixit, *detrimentum*; quod prudens quisque cauere, & deuitare debeat Ac si dicat; Quia tam legis cæremoniæ, siue præfatæ carnis excellentiæ, quàm omnia terrena bona, & mundi gloria, dum me ad Christum non promouent, sed potiùs impediunt, non modò inutilia, & nullius momenti, sed etiam noxia, & exitialia sunt. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum, leuémve iacturã patiatur? En pulchram rerum permutationem; dum mundana cum cœlestibus, falsa cum veris; caduca, cum æternis Paulus commutat. Ita quidem generosam adolescentulam, quæ in vitæ flore, florentísque fortunæ sinu, nuncium mundo remiserat, hunc in modum alloquebatur, & demulcebat, Bernard. epist. 114. *Magnum est mihi gaudium, quòd te ad verum, & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non est de terra, sed de cœlo, & re vera, illud est solum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore percipitur*: & post nonnulla in hanc rem, subiicit: *Modica, transitoria, terrena sunt, quæ despicis; maxima, æterna, cœlestia sunt, quæ appetis. Plus dicam, & verum dicam, tenebras deseris, & lumen ingrederis: de profundo fluctuũ emergis ad portum; de misera seruitute in felicem libertatem suspiras: de morte denique transis ad vitam.* Sic Bernardus, de mundi bonis præ virtutis studio contemptis. Nec fuerit nimis mirandũ, ipsum tanto cœlestis doctrinæ imbre perfusum hæc dixisse; est autem admiratione dignum, quàm sint his similia, quæ Lucillo Romanis muneribus, publicisque negotiis, nec non ingentibus diuitijs occupato, Gentilis Seneca ingerebat; vt earum omnium rerũm contemptum, & impensius virtutis studium ipsi persuaderet; cùm enim ille epistola 21. hæc dixisset. *Melius probas honesta, quam sequeris: vides vbi sit posita felicitas, sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem, quod te impediat, quia parum ipse despicis, dicam. Magna hæc esse existimas, quæ relicturus es; & cum proposuisti tibi illam felicitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à qua recessurus es. fulgor, tamquam in sordida, & obscura casurum*. subiicit. *Erras mi Lucilli, ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem, & lucem, cùm hæc certam originem habeat, ac suam, ille niteat aliena: hoc inter hanc vitam, & illam. Hæc, quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim vmbram faciet quisquis obstiterit: illa verò suo lumine illustris est.* Hæc Senec.

Bernard. — Senec.

3. Egregium ergo cœlestis margaritæ negotiatorem sese exhibuit Paulus, qui ea inuenta dedit omnia, quæ habuit, & emit eam Matthæi 13. 46. magno iure existimans, *omnia detrimentum esse*

Matt. 13. 46.

propter eminentem scientiam Iesu Christi. Nimirum, ea potissimum de causa temporalia bona nobis à Deo videris esse commissa, vt saluo moderato eorum vsu, quæ ad vitam transigendam necessaria sunt; cæterorum omnium contemptu, & ab animi sinu abiectione spiritualia, & æterna tamquam boni negotiatores nobis comparemus; Quo sanè in cardine totam versari sapientiam, atque hoc signatè illius opus, & munus esse, tam ex præfatis Christi apud Matthæum verbis, quàm ex Pauli exemplo dixeris. Quam ad rem sic opportunissimè loquitur Salomon Prouerbiorum 17. 16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit*. vbi Pagninus ex Hebræo legit: *Vt quid est pretium in manu stulti, vt emat sapientiam, & cor non est ei*. Similiter *lectio* Tigurina. *Quorsum est stulto pretium in manu? qui nec pectus habet, nec sapientiam, &c.* Nec minori emphasi LXX. *Vt quid sunt diuitiæ imprudenti; acquirere enim sapientiam excors non poterit*: vbi duo vides: alterum, diuitias, siue temporalia omnia à Salomone appellari pretium ad sapientiam coëmendam; etenim vbi Noster vulgatus, & LXX. habent *diuitias*: vtraque lectio ex Hebræo reposuit, *pretium*, quasi ea ratione homini à Deo temporalia donentur, vt iis velut opportuno pretio cælestem thesaurum redimat: alterum, inde hominem vecordem, & stultum haberi, quòd præ visibilium, & terrenarum rerum, immò vilissimi stercoris amore, æternam felicitatem, & cœleste regnum, pro quo illa commutanda sunt, mercari nesciat: ac si dicat cum Terentiano illo Sanecione, *Ego spem pretio non emo*: cui disertissimè occurrebat, & increpabat ipsius famulus, inquiens: *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum lucrum est*. Sed opportunius Tertullianus, & Prosper, dum prior Martyres in carcere detentos, & à seculi lætitia exortes, ad omnia duta pro Christo perferenda sic animabat. *Si aliqua amisistis vitæ gaudia negotiatio est, aliquid amittere, vt vt maiora lucretis*; scitè *negotiatio est*: qua minori pretio eximium aliquid, & excellens adquiritur. Prosper verò epistola ad Demetriadem, quæ est 8. inter epistolas Ambrosij, Felicissimam hanc negotiationẽ sic adornat. *Si verè intelligatur contemptus iste præsentium, ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius nihil inuenietur electius, quæ sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt; neque ad vllam creaturam, quamuis potentem, atque mirabilem, sed ad ipsum omnium, visibilium, & inuisibilium ambiunt Creatorem; cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est; cui seruire, regnare est.* Hæc ille. Nec omittenda, quæ de egregio præsentis tranquillitatis simul cum futuræ beatitudinis lucro, in hac felici negotiatione etiam pendit in hunc modum: *Quo autem pretio quies huius temporis aptius comparatur, quam vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materia refundantur, & sanctò, beatóque commercio ematur Christiana libertas: fiántque filij Dei, de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes.* Sic Prospertius.

Prou. 17. 16. — Pagnin. — Lect. Tigur. — LXX. — Terent. — Tertul. — Prosper.

Propter eminentem scientiam Iesu Christi.

Græcè habetur διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, quod verbum verbo vertendum fuisset, *propter eminens scientiæ*: phrasi Hebræa, & Hispana, *Por lo eminente de la ciencia*; siue, vt Ambr. *propter eminen* 4.

Lect. Græc. — Ambros. — Lect. Syri. ac

eminentiam scientia. Lectio verò Syriaca hæc sic effert: *Pra dignitate scientia*. Referunt id nonnulli ad eam diuinarum rerum scientiam, siue cognitionem, quam Christus attulit, qui *omnia quacumque audiuit a Patre nota fecit nobis*; sed non opinor è Pauli mente id esse, qui sese statim vers. sequenti explicans, ait: *ad cognoscendum illum, &c.* De scientia ergo, qua Christus ipse cognoscitur, loquitur Apostolus, ac si dicat: Quæcumque eximia, & præstantia in mundo habentur, mihi pro magno dispendio sunt, ob eminens ingénsque bonum, quod in Christi cognitione est: eo sensu, quo ipsemet Dominus dicebat. *Hac est autem vita aterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioannis 17. 3. Ita Sanctus Thomas in Commentario, inquiens. *Reputo mihi detrimentum; & hoc propter desiderium recta scientia Iesu Christi Domini mei*, 1. ad Corinthiorum 2. 2. Nihil reputaui me scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: *Et hoc propter eminemtem scientiam. Quia hac superat omnes alias scientias, nihil enim melius potest sciri, quam Verbum Dei; in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia absconditi.* Sic S. Thomas. Similiter Anselmus his verbis: *Nam etiam si ipsum non possem assequi, vel propter solam eius scientiam, qua tanta, & tam praexcellens est, respuerem omnia illa vetera.* Complexus est id dilucidè Tertullian. libr. 5. contra Marcion. cap. vltimo, sic legens, atque explicans hæc verba: *Qua autem retro lucri duxerat; hac ac si stercora existimat pra comparatione agnitionis Christi.*

Ioan 17. 3. S. Thom. 1. ad Cor. 2. 2. Anselm. Tertull.

5. At enim verò, non sunt hæc perinde accipienda, quasi Paulus loquatur de simplici cognitione, & notitia speculatiua, quæ de Christo per solam fidem habetur: sunt enim plures, vt ipsemet Apostolus ait, *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. ad Titum cap. 1. vers. 16. sed de scientia, & cognitione practica informata charitate; vti ad perfectæ scientiæ rationem prærequiri, fusiùs diximus ad cap. 1. vers. 8. Quare tam de cognitione mysteriorum Christi doctrináque Euangelica, quàm de fructu, qui ad hanc cognitionem consequitur, sermo est: ita egregiè Primasius explicans, simul, & monens. *Tunc erit apud hominem eminens Christi scientia, quando fuerit ab eo propter Christũ mundus contemptus.* Sanè si attendis, cognitionis phrasis, rei etiam cognitæ fructũ comprehendit. Et cùm ad personas refertur, non tam ea notitia, qua aliquis de facie noscitur, quàm amica, & familiaris agnitio significatur: cui cogitationi, nec non huic loco explicando opportunissima sunt ea Oseæ verba c. 6. 3. quibus ij, quorum oculis diuina lux affulserat, ad Deum impensè diligendum sic sese mutuò exhortabãtur, & vrgebãt. *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemúrque, Vt cognoscamus Dominum.* siue, vt LXX. habẽt, *Viuemus coram eo, & sciemus. Persequamur vt cognoscamus Dominum.* Quo in loco, cognoscere Dominum perinde est, ac eius beneuolentia, & gratia frui; sic pulchrè hunc locum explicante S. Cyrillo Alex. *Tunc, inquit*, persequemur, vt cognoscamus Dominum. *Persequemur, pro studebimus aiunt: Tunc*, & resurgemus, & viuemus coram illo. *Consurreximus enim cum Christo, & quoniam vnus pro omnibus mortuus est; eius vitam viuimus, non tam ab oculis Dei propter transgressionem remoti, neque tamtum post tergum propter tergum abiecti, sed ad conspectum de cætero admissi, & fiduciam in ipso propter iustitiam in Christo habentes.* En quid sit cognoscere Christum; nimirum non esse ab oculis Dei propter transgressionem remotos, nec post tergum abiectos, sed ad illius conspectum, & gratiam admitti. Ita quidem ad Galat. 4. 9. non sine emphasi sub hoc sensu aiebat idem Apostolus. *Nunc autem cum cognoueritis Deum, immò & cogniti sitis à Deo*: vbi hæc verba, *immò & cogniti sitis à Deo*; non tam correctio, quàm explicatio præcedentium sunt; innuens Paulus Galatas pristinis erroribus ablegatis in Dei gratiam, & amicitiam olim adscitos fuisse. à qua ipsi malo fato sese postea vellent discindere: vnde ea verba, *immò, & cogniti à Deo*, sic explicat Hieronymus ibi: *Non quòd Deus creator omnium aliquid ignoret, sed quòd eos tantum scire dicatur, qui errorem pietate mutauerint.* Cognoscit Dominus, qui sunt eius, *& Saluator in Euangelio*, Ego sum, *ait*, pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, *& contra ad impios*, Nescio vos; recedite à me operarij iniquitatis, *& ad stultas virgines*; Nescio vos, quæ estis. Hæc Hieronymus.

ad Titum. 1 16. Primas. Osea 6. 3. LXX. S. Cyr. Alex. ad Gal. 4. 9. Hieronym. 2. ad Tim. 2. 19. Ioan. 10. 14. Luc. 13. 25. Matth. 25.

Si inquiras. Cur hac scientiæ, siue cognitionis Christi phrasi ipsemet cognitionis fructus, nempè vitæ probitas, & rectitudo significetur? Dixerim; ad rei cognitæ maiestatem, & excellentiam; simúlque ad cognitionis perfectionem, & attentionem id fore referendum; quasi vix reperiri queat plena, atque perfecta diuinarum rerum cognitio, quin egregius virtutis & probitatis fructus subsequatur. Sic scientiam, & intellectum explicabat Regius Vates Psalm. 106. 43. inquiens, *Quis sapiens, & custodiet hac; & intelliget misericordias Domini?* Quæ inibi sic diffundit Gregor. Nyssen. tract. 1. in Psal. c. 8. *Qua vero est hac sapientia, & bonorum custodia? Ne quis diuina humanitatis, & benignitatis sit rudis, & ignarus. Nam qui intelligit, qua affectus est, is neutiquam abiecerit bonum illud, quo donatus est. At qui gratiam nõ intelligit, ei idem accidit, quod cacis, qui margaritam, vel smaragdum, vel aliquem pretiosum lapidem manu tenentes, vt calculum aliquem vulgarem, & passim obuium abijciunt. qui ob ignorantiam pulchritudinis qua in tãta re inest prater suam voluntatem priuantur.* 6.

Psal. 106. 43. Nyssen.

Domini mei.

BEnè obseruant Cornel. & Estius addi hæc ab Apostolo, vt delitias amoris sui, & ardentem animi affectum erga Christum declaret; & illius seruitutem, libens profiteatur, & de ea maximè delectetur, atq; glorietur. Sed enim, ad maiorem præfactæ scientiæ, explicationem facere etiam videntur, quòd practicam cognitionem dominij Christi signatè exprimant; ac si dicat: Omnia libentissimè contemno, & pro detrimento duco, vt valeam, ac tantum dominum suscipiam, eique inseruiam: Hispanè cognitionem sic omnino explicaremus sensu dato, *Todo lo dexo de buena gaña por conocer tal Señor.* Et quidem rectissimè. nam, vt dicebat Prosper: *Cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est: cui seruire, regnare est.* Quò etiam faciunt egregia hæc Fulgentij verba epist. 6. ad Theodorum *de conuersione*, c. 4. *Si qui ergo rerum temporalium, & mutabilium amore contempto in illius dilectionem transeunt: in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo verè semperque gloriosi, cuius vera, & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur.* Pende illa, *in ipso erunt pleni, in quo nihil* indigetur, quibus allusum videtur à Fulgentio ad id Pauli ad Colos. 2. 10. de Christo: *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti*; ex quibus facili conse 7.

Cornel. Estius. Fulgent.

consecutione subinfertur, eum qui Christo adhæret, omnium bonorum affluentiam, & quamdam illius summæ felicitatis participationem assequi. Vnde videris non aliud inter Christi, & sæculi bona interesse discrimen, quàm, quod inter plenitudinem, & vacuitatem, copiam, & inopiam intercedit.

8. Illud maximè obseruandum in lectione Tertul. *præ comparatione agnitionis Christi*, ad terrena bona contemnenda, & proculcanda, nihil esse efficacius, & opportunius, quàm cœlestia, & æterna iuxta illa apponere, & vtraque inter se comparare, tanta enim cœlestium rerum præstantia, atque excellentia, vt nec diu, nec ancipiti consilij lance deliberare opus sit, quæ præ aliis eligi, & amplexari debeant. Sic de diuina Sapientia præ omnium mundi thesauris à se electa, atque dilecta dixit Salomon Sapientiæ 7.8. *Et præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Quibus in verbis apposité aperit sapiens, quanta sit efficacia, & robur comparationis, & collationis vtrarumque rerum inter se, quando ad sapientiæ, siue virtutis præsentiam, quæ illius maiestas, & splendor est, omnia, quæ in rebus creatis pretiosissima habentur, quamcumque antea lucem, & æstimationem habebant, omnino amittunt, & nullius pretij digna esse censentur. Certè nonnulli, immò plures, ne dixerim omnes, diuitiis plurimum tribuunt; eodemmet Salomonem ipsomet Sapientiæ libro, c. 15. 12. auctore, de sui, simúlque de nostri temporis hominibus dicente, *Multi æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndequaque etiam ex malo adquirere*, quod videtur expressisse ille, qui clamabat,

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est;
Virtus post nummos. Hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt iuuenes dictata senésque.

Nec non apud Græcum Sophoclem alter censens,

Nullum est malùm, quod cum lucro coniunctum sit.

Atij talia effutientes, ad virtutis pulchritudinem, & honestatem minimè adspexisse, nec iusta consilij lance inter illam, & diuitias comparationem instituisse, certum est; etenim si debitis momentis vtraque inter se bona expenderentur, & conferrentur; virtutisque pulchritudo, æterna præsertim mercede ornata, animi oculis obiiceretur; haud dubium, quin à quouis, qui rationis omnino expers non esset, ingentibus auri, argétique thesauris longo interuallo anteferretur. *Tantus enim splendor honestatis est* (inquit Ambros. lib. 2. officior. c. 1.) *vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus Sol Lunæ globum, & cætera stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis; vbi verò, & incorrupto vibrat decore, cætera, quæ putantur bona secundum voluptatem corporis, aut secundùm sæculũ clara, & illustria, obumbrat.* Quare expende tum ea verba, *in comparatione illius*, Græcè, συγκρίσει, id est, comparatione iudicante ea, quæ simul comparent, & comparantur, quo gustu opportunè dixit Seneca epist. 81. *Sapiens inter se omnia comparauit*: tum illa *in conspectu eius* Græcè ἐναντίον: hoc est, *ex aduerso*: vt videlicet vtraque bona, inter quæ comparatio fit, vicina, & in proximo sint, siue alia iuxta alia, vel è regione posita, vt quæ potiora, & excellentiora sunt, suo splendore, minorum bonorum lucem coërceant. Quo it Græca paræmia: ἡ πορφύρα πρὸς πορφύραν διακριτέα. *Purpura iuxta purpuram diiudicanda est*, quòd certissimum iudicium ex collatione nascatur. Accipit verò egregiam id prouerbium lucem, quam nostro itidem instituto mutuatur, ex iis, quæ de pallio quodam purpureo, quod in Iouis templo inerat, cum quo reliquas purpuras alij conferebant sic scribit Flauius Vopiscus in Aureliano Imperatore. *Meministis fuisse in templo Iouis Opt. Max. Capitolini pallium breue purpureum lanestre, ad quod cum matronæ, atque ipse Aurelianus iungeres purpuras suas, cineris specie decolorari videbantur cætera diuini cõparatione fulgoris.* Nec minus opportunum fuerit, quod hunc alludens inquit Quintilianus lib. 12. c. *de generibus dicendi*, dum agens de dictione mediocri, ait, eam per se admirationem habere: sed admotis iis, quæ eximia, & dilucida sunt, desinere esse admirationi, quod comparatione meliorum, mediocra emoriantur. *Habet*, inquit, *admirationem, neque immeritò. nam ne illud quidem facilè est. sed euanescunt hæc, atque moriuntur comparatione meliorum: vt lana tincta fuco, citra purpuras placet, at si contuleris, etiam lacernæ conspectu melioris obruatur.* Magna ergo emphasi inquit Salomon, comparationem inter virtutem, & ea omnia bona, quæ in sæculo maximè splendent, solenniter, & æqua consilij lance factam, eam vim habere, vt, quæ antea pretiosa, & splendida videbantur, quanta quanta sint, admota virtutis maiestate, & dignitate ita euanescant, & emoriantur, vt non aliud, quàm exiguus arenæ puluis reputari debeant, & cineris specie decolorari videantur diuini comparatione fulgoris. Illustrat hæc Cyprianus lib. de *laude Martyrij*, elegantissimis, & opportunissimis hisce verbis. *Quod si te dignitas ambitiosa deterret, & congesta in thesauris pecuniæ admonet magnitudo. quæ semper propositum bonæ mentis auertit, & deuotam pro Domino suo animam furiali eludit horrore, quæso repetas verba cœlestia; nam & ipsa vox dicentis est Christi*, Qui perdiderit animam suam pro nomine meo, recipiet centuplum in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam, *qua vtique nihil maius, nihil aptius, nihil vtilius computare debemus. Nam licèt pretiosarum vestium more purpura in imagines currat, & lentescẽtibus filis erret ad speciem. nec defossis grauia, quibus incumbis desinit metalla thesauris, vacua tamen, ni fallor, & inania ista computabuntur.* Hæc Cyprianus. En egregium, & cumulatissimum comparationis fructum.

Pergit verò Salomon, & nouos per comparationem, & collationem rerum profectus faciens, de sapientiæ maiestate & pretio à se facto subiicit, *& proposui pro luce habere illã*: hoc est, pro Sole, & almæ lucis vsu: sed epitasim habet illud *proposui*: ac si noua hęc mentis opinio, & recens animi propositum sit. Sanè eodem libro, c. 4. versu 12. dixerat, *fascinatio nugacitatis obscurat bona*; assignans sæcularibus bonis non nihil lucis, & si falsæ, atque malignæ, quæ virtutis dignitatem, atque præstantiam obscuraret, & ad ignorantium, siue cęcutientium adspectum, imminueret, eo modo, quo de dæmone imbecillium oculos præstringente, sub hoc sensu opposité inquit Ambros. libr. 2. de interpellatione, cap. 4. *Non potest illuminare, quia non possidet lucem. sed transfigurat se in Angelum lucis, vt decipiat incredulos, transfigurat autem se simulatione falsæ lucis, non splendore perpetuæ claritatis. Vnde & Saluator*, Videbam Satanam sicut fulgur; *nec fulgur est. sed sicut fulgur.* Ait ergo 9.

Tertul. Sap. 7.8. Sap. 15.12. Horat. lib. 1. ep. 1. Sophocles. Ambros. Græc. lect. Seneca. Flau. Vop. Quintil. Cyprian. Matth. 10. & 19. Ambros. 2. ad Cor. 11. 14. Luc. 10. 18.

modò de Sapientia, & spiritualibus bonis Sapiens: *proposui pro luce habere illam*, iustissimum falsæ terrenarum rerum luci talionem reddens, vt quemadmodum illæ vera bona priùs obscurauerant, ita collatione, & comparatione inter vtraque iam facta, à virtutis splendore, & maiestate obscurentur, atque obruantur: sic dixit opportunè Seneca. (Senec.) *Non potest in tanta Solis claritate scintilla habere momentum.* Virtus ergo lux, Sol, omnisque quo irradiamur fulgor, ad cuius præsentiam quæcumque in sæculo collucere videbantur, euanescunt, & sese ab omnium conspectu auferunt. Vt vel hinc præter superiùs datam explicationem denuo coniicias, cur de omnibus mundi bonis absolutè pronunciauerit Salomon. (Eccl. 1. 2.) *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, Eccles. 1. 2. Adeò ne inania, & vana dixeris hæc, post quæ toto impetu, & eruditum & rude vulgus cursu vadit; (Chrysost.) *Non est cælum vanum* (inquit Chrysost. hom. 12. in epist. ad Ephesios elucidans verba) *neque terra vana, absit. Non Sol, nec Luna, nec astra, nec corpus nostrum; hæc enim sunt omnia valdè bona.* Nec minus oppositè de pluribus aliis rebus idem dixeris: cur ergo vana omnia & vanitas à Salomone dicuntur; Respondent plures è Patribus, quòd vt in se vanæ reapse non sint, cum æternis tamen, & spiritualibus bonis compositæ vanæ, & inanes reddantur. Ita Athanasius in synopsi, (Athanas.) ad hæc verba inquiens: *Per id verò, quòd ista vanitatem esse dicit, futurorum bonorum æternitatem significat. Quapropter & vniuersa transcendens hortatur, vt æternorum memoriam seruemus.* Et post nonnulla, *Non vt creaturam criminaretur, sed vt æterna contemplatus temporariorũ desiderium admoneret esse vanitatem.* Similiter Nyssen. indidem (Nyssen.) aiens: *Huc tendit vox Ecclesiastæ non oportere ad hanc sensilem intueri vitam, quæ si conferatur cum ea, quæ verè est vita, non est, nec potest subsistere.* Quare *non est, nec potest subsistere*, quæ antea erat, nec denuo mortem, aut vulnus in se ipsa suscepit? Quia nimirum ad cælestium bonorum præsentiam terrena hæc omnino euanescunt, atque extinguuntur: ita in sapientes Hieron. eum locum his (Hieronym. Exod. 34. 33.) verbis. *Legimus in Exodo gloriatum vultum Moysis in tantum, vt filij Israël eum aspicere non possent. Quam gloriam Paulus Apostolus ad comparationem Euangelicæ gloriæ dicit esse, non gloriam.* Nam nec glorificatum est (inquit, quod glorificatum in hac parte propter excellentem gloriam, 2. ad Co- (2. ad Cor. 3. 10.) rinth. 3. 10.) *Possumus igitur, & nos in hunc modum cælum, & terram, & omnia quæ in hoc circulo continentur, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata pro nihilo.* Hæc ille subiicit statim eamdem cogitationem, & imaginem, quàm illustramus, *& quomodo si igniculum lucernæ videns, contentus essem eius lumine, & postea orto Sole non cernerem quòd lucebat: stellarum quoque lumina, iubare viderem Solis abscondi. Ita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem, recogitans aut in omnia pertransire, & mundum suo fine senescere. solúmque Deum, illud semper esse quod fuerit, compellor dicere non semel, sed bis:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ita Hieronym. quasi dicat. Quis cùm cœlum tempesta nocte serenum est, tot cœlestium luminum claritatem, & splendorem non miretur? atque hic Iouis, illic Martis, vel Veneris sydera: miro fulgore collucentia non animaduertat, & laudet? at enim cum primùm Sol exoritur, immensum eius iubar, non modò eam pulchritudinem castigat, atque coërcet, sed etiam obscurat, & extinguit; ad quem proculdubio modum dum cœlestia bona animo non affulgent, sæcularium quidem rerum sydera ad speciem splendere videntur: & hinc regnum Iouis, illinc arma, siue trophea Martis; tum Veneris decor, & pulchritudo: nec non Mercurij diuitiæ conspicua apparent, & illustria. Verùm enim verò, cùm Sol iustitiæ Christus, æternáque ipsius beatitudo exoritur; assiduáque cogitatione animo versatur, quæcumque antea splendebant, euanescunt, & emoriuntur diuini comparatione fulgoris. *Non enim potest in hac claritate Solis scintilla habere momentum.* Certè dum Philo lib. 3. de vita Moysis, ipsum ob peccatum idololatriæ populi Israëlitici grauiter indignantem facit, magnæ illius iræ peculiares causas reddit his verbis, *primum repente cæcatum esse totum populum, qui paulo antè perspicatior, sapien- (Philo.) tiórque fuerat omnibus alijs gentibus, deinde vanissimam fabulam potuisse tantam lucem veritatis extinguere, quæ nec Solis, nec vniuersorum syderum obscurari potest deliquio, contenta est enim proprio splendore intelligibili, & incorporeo, ad quem collatus iste sensibilis, perinde superatur, ac nox cum die composita.* Hactenus Philo.

Huc sanè illustrissimorum septem Machabæorum Martyrum. nec non generosæ ipsorum matris, lectissimæ quidem fœminæ sensa, & verba (10.) (2. Mach. 7.) mirè faciunt. Et vt ab hac incipiam; Quid quæso fuerit? quòd ipsa vnicè sibi dilectos filios ad mortem viriliter hortaretur? & illos lacerari, vri, torreri non modò siccis oculis, sed alacri animo, & lætabunda videret: *Non enim filiorum, qui supplicio afficiebantur* (inquit Gregor. Nazian. orat. 22.) (Nazian.) *vicem dolebat; verum sollicito, atque anxio animo erat, ne non ipsis supplicium inferretur; nec eos, qui excesserant, magis desiderabat, quam reliquos illis adiungi optabat.* Planè, quod in cœlestes palmas, æternámque felicitatẽ pro temporalibus bonis, quæ filij despiciebant, retribuendam, interiores oculos conuerteret, ad cuius quidem conspectum & huius lucis vsura, & pulcherrimus iuuentæ flos, & cætera sæculi gaudia vndique euanescebant: Audi Chrysostom. homil. 4. de verbis Isaiæ tom. 1. vbi cùm dixisset: *Stabat tyrannus,* (Chrysost.) *atque ab vna muliere superatus discedebat: ille armis oppugnabat, hæc animi promptitudine superabat: ille fornacem incendebat, hæc virtutem spiritus; ille exercitum mouebat, hæc ad Angelos applicabat animum.* subiicit: *videbat infernè tyrannum, & in animo versabat illum in cœlis regnantem, videbat infra se tormenta, ac numerabat superna brauia; videbat præsentè cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem:* vt illius videlicet maiestas & splendor vtramque mundi aciem, & suppliciorum, atque præmiorum obtunderet, & hebetaret. Nec alia quidem filiis mens, aliúsve cogitationum scopus. Nimirum, quæcumque ipsis persecutor tam ferox, & truculentus, quàm blandus, & magnificus promissor hic pollicebatur, illi æternum in cœlis duratura considerabant, & dum inter vtraque bona comparationem instituebant; nec diu, nec ancipiti consilij lance deliberandum sibi censebant. quin immortalia caducis longo interuallo anteferrent: vti eos ad repugnandum tyranno sic instructos, & loquentes facit citato loco Nazianzen. *Cum his rationibus in aciem prodi-* (Nazianz.) *mus, his armis instructi sumus. Iucundus quidem, & suauis hic mundus est, & patrium solum, & amici, & cognati, & æquales, & templum hoc, cuius magnum, & celebre nomen est, & patria festa, & mysteria, cæteráque*

quæ ob quæ mortales omnes antecellere videmur. En præsentia bona in trutina suspensa: iam futurorum lancem hæc omnia deprimentem,& vtilissima monstantem vide. *Verum ista Deo, periculisque ijs, quæ pro virtute adeuntur, haudquaquam suauiora sunt: caue id existimes. Alius enim nobis mundus est, omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, longè sublimior, ac diuturnior. Patria autem superna Hierusalem, quam nullus Antiochus obsidione cinget, nec spem habebit, fore, vt ditioni, atque imperio suo subijat, vtpote firmam, & inexpugnabilem, &c. Nam quod ad hoc templum attinet, cœlum longè magnificentius est. Iam verò nobis pro festo, & celebritate, Angelorum chorus est, &c.* Iam ex hac rerum collatione egregium comparationis fructum colligentes sic inferunt. *Quocirca res paruas, nulliúsque pretij nobis polliceri desine. Nec enim turpibus, & ignominiosis honoribus affici sustinebimus, nec cum detrimento coniuncta lucra complectemur: non ita infeliciter negotiabimur.* Hæc ibi.

11. Iam verò, quum his armis instructi vim Regis armatam sex egregij pugnatores elusissent, & in ipso regij furoris æstu gloriosè triumphassent: tyrannúsque, vt saltem septimum fratris natu minimi animum perdomaret, omnia calliditatis, & virium tela eò contulisset, vt illum sibi obsequentem redderet; montes illi aureos opum, honorum, regiæque gratiæ & amicitiæ promittens; etenim *non solum verbis hortabatur, sed & cum iuramento affirmabat, se diuitem, & beatum facturum, & translatum à patrijs legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum*, 2.Machab. 7, 24. bona mater, quæ *non secus ac auicula* (ita Nazian.) *pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiosa fera circumuolabat, stridebat, obsecrabat*: filium suum demulcens, & exhortans malignis tyranni blandimentis sic obuiam iuit. *Peto nate, vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt.* Pulchrè omnino. Sed obserua Græcè pro *aspicias* esse ἀναβλέπω, quod significat, *semel, atque iterum aspicere*: idémque hîc valeat ac *confer vtraque inter se*: vnde sic inferebat: *ita fiet, vt non timeas carnificem istum.* quasi apertiùs diceret, & si te, ô nate, iuuentæ flore potientem, hinc mundi gaudia, eáque omnia bona, quæ impius hîc tibi ob oculos iecit; illinc verò sæuissimi cruciatus, atque supplicia, & mors ipsa terribilis, frangere pertentent, non erit tibi difficile, & illa, vt vilissima pro nihilo ducere, & hæc omnino contemnere, si ad cœlestia animum attentus applicueris, atque ea cum his terrenis, atque caducis æqua lance composueris. At si docta hæc mulier filium suum Moysis discipulum, & sectatorem fecerit; de hoc enim Paulus ad Hebræos 11.24. ait: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Reddit rationem Apostolus: *aspiciebat enim in remunerationem.* Pende illa, *magis eligens*, & hæc, *maiores diuitias æstimans*, quibus non obscurè innuit, comparationem à Moyse inter vtraque bona factam fuisse; & dum vna ex parte regiæ aulæ delitias, thesauros, atque potentiam; ex alia cœlestis beatitudinis remunerationem in bilance appendit, magis elegisse improperium Christi, quòd vera, & æterna bona animo proposita temporalia omnia, & quæcumque Ægyptus, totúsque mundus haberet, obscurarent, & obruerent; id breuiter sic inibi præstringente Chrysostomo: *Cœlo enim proposito, erat superuacaneum admirari Regiam Ægypti.* Ad quem etiam modum idemmet Pater homil. 18. in Ioan. cùm interrogasset, quo pacto inanis gloriæ studium, & cupiditatem à nobis vinci, extinguique possit? respondet. *Gloriam gloriæ comparabimus; quemadmodum enim terrenas diuitias contemnimus, cùm alias speramus diuitias, ita & huius vitæ gloriam, cùm longè maiorem, & veram coniectabimur, contemnemus.* Nec ab hoc iuerit Vatis sensus gloriæ magnitudinem expendentis, & terrenis rebus longè præferentis, cùm ait. *Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia*, Psalmo 83. 11. Quorum occasione sic inquit Augustin. lib. de libero arbitrio ad finem. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, vt si non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora; propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni delitiis, & circumfluentia temporalium bonorum rectè meritóque contemnerentur. Non enim falsò, aut paruo affectu dictum est.* Quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia.

2.Machab.7. 24. — Græc.Lect. — ad Hebr. 11. 24. — Chrysost. — Psal. 83. 11. — August.

Propter quem omnia detrimentum feci.

12. GRæcè ἐζημιώθην, *pro damnis duxi*, vt legunt Syrus, Chrysostomus, & Theophylact. & è recentioribus Vatab. & Eras. Ambros. verò sermone 8. in Psalm. 118. non sine admiratione Iustiniani, qui ad Pauli institutum id non pertinere ait, sic legit, *Omnia detrimentum passus sum.* Verùm si Græcum verbum attentiùs inspiciatur, & passiuæ significationis est, & (vt de nomine ζημία suprà monuimus significat *mulctari*, siue *damno affici*: vnde Theophylacti interpres eodem quo Ambrosius modo legit, *Propter Christum detrimentum sum ipse perpessus*, quæ sic explicat, *hoc est, iacturæ fore mihi reliqua omnia existimaui*: vt videris Ambrosij lectionem à nostra nihil differre. Quid enim plus, minúsve sonet hæc locutio: omnium detrimentum feci; ac ista: omnium detrimentum, aut iacturam passus sum, qui omnia, quæ priùs magna putabam, iam proieci. Arridet huic dicendi modo ille Senecæ externa continentis, atque à se proijcientis epistol. 87. *Naufragium, antequam nauem ascenderem feci*: vide illam. Ergo inquit Paulus, Propter Christum omnium iacturam feci, omnibus me spoliaui; omnia contempsi, atque proieci, omnium detrimentum perpessus sum. Vbi libet exclamare cum Paschasio ad ea Christi verba: *Qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, Matth. 16. 25. *O beatum damnum, & iactura felix! saluare nos vult cum detrimento animæ, & corporis, & esse sui similes.*

Græc.Lect. — Lect Syrc. — Chrysost. — Theoph. — Ambros. — Iustinian. — Seneca. — Paschas. — Matt.16.25.

13. Quòd si ambigas, cur, cùm Græcè scripserit Paulus, *pro damnis duxi*; Vulgatus non fuerit contentus reponere, damnosa mihi visa sunt, quod translatio omnino videbatur exigere; sed potiùs *omnia detrimentum feci*; non ad mentis arbitrium, siue iudicium, sed ad bonæ cogitationis effectum, & rem executioni mandatam id referens? Respondebo Vulgatum hac locutione, non tam verba, aut sensa Pauli, quàm ipsius facta, egregiámque rerum omnium despicientiam, atque contemptum dum non mente solùm, aut iudicio, sed reapse à se cuncta proiecit; & omnibus sese spoliauit, exprimere voluisse: id nobis simul innuens, cum solummodo inter sapientes, & à Deo

Deo illuminatos fore censendum, qui sæculum, ac sæcularia negotia, quæ pro damnis ducit, reapse relinquit, atque contemnit, non illos qui dum ipsa verbo tenus vituperant, atque lacessunt, sese ab illis expedire, & extricare nesciunt, aut nolunt. Quod adnotat. 11. fusiùs persequemur. Deinde, peculiarem emphasim huic dicédi modo inesse dixeris ad denotandam egregiam animi promptitudinem, qua Paulus non lentè, aut cunctanter, sed alacriter omnia propter Christum terrena despexit, & conculcauit: aliter quidem ac amicum sic monens

Seneca. Senec. epistol. 22. *Totis viribus age, vt te istis officijs exuas. Et quidem quam sententiam feram, attende. Censeo, aut ex ista vita tibi, aut è vita exeundum*, nescio qua ignauia à se ipso discordans subiiciebat. *Sed illud idem existimo, leni eundum via, vt quod malè impleuisti, soluas potius, quàm abrumpas; dummodo si alia soluendi ratio non erit, vel abrumpas.* Ignauè quidem, vel ineptè. Quid enim opus sit? in fœdere cum sæculo malè inito eam amicitiæ legem seruare, qua præscribitur; *amicitias dissuendas, non scindendas esse*: & non potiùs, vt mundum iusto, & felici damno perdas; te ad Alexandri modum, gustúmque componere? inane, & infelix mundi lucrum, atque dominium ex Herculano nodo sibi auspicantis, quem, vt inquit Ausonius scribens Paulino, *cum soluere non posset abscidit*. Ita omnino

Auson. ad Gal. 1. 16. Apostolus. *Omnia* (inquit) *detrimentum feci*, & alibi: *continuò non acquieui carni, & sanguini*, ad Galat. 1. 16. quod malè implicitum erat non tam soluens, quàm abrumpens, nodúmque nulla data mora vno incunctanter ictu abscindens. Sic quidem in Elisæo sese Heliæ magistro addicenti obseruauit S. Nilus in Ascetico nullas sibi inducias sumpsisse, quin præ ardentis studij cupiditate omnia statim relinqueret; ita enim ille:

S. Nilus. *Quomodo igitur Eliseus, cùm se Heliæ magistro adderet, mundo renunciauit*: Reperit (*inquit*) Elisæum arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat. Et tulit par boum, & mactabit illud, & in aratro boum coxit carnes,

3. Reg. 19. 21. 3. *Reg.* 19. 21. *Hæc promptum ardentis animi studium declarant. Neque enim dixit, Vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque considerauit, ea, si venderentur, emolumenti plus allatura. Sed cùm totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tamquam à recto proposito reuocantibus studuit explicare. Sciebat enim sæpè procrastinationem pœnitentiæ causam extitisse.* Hæc Nilus.

14. Et verò eò opportuniorem hanc obseruationem esse censueris, quòd præcedentibus verbis iuxta lectionem Tertul. *præ comparatione, &c.* comparationem ab Apostolo inter vtraque bona factam diximus; etenim non est id perinde capiendum, quasi de Christo eligendo, diu, & dubia consilij lance vtriusque rei momentis expensis, & longa consultatione adhibita deliberauerit; quod comparationis, & collationis vis exigere videtur, sed quod ad primum irradiantem Christi splendorem atque ad virtutis pulchritudinem leui oculo conspectam, omnia alia detrimentum, & stercora statim fuerit arbitratus; nimirum cùm spiritualia, & cælestia bona cum terrenis comparantur, vt potiora præ aliis eligantur, quò plus diuina luce irradiante spiritualia, & diuina, se produnt, atque manifestant, eò minus exacto comparationis vtrinque factæ libramine opus est. Vnde alibi idemmet Apostolus cùm cælestia, & terrena inter se comparasset, inquiens. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. ad Cor. 4. 17.

2. ad Corinth. 4. 17. vbi Chrysostom. *præsentia* (inquit) *cum futuris componit, in præsenti nempè cum æterno, leue cum graui, tribulationem cum gloria*; sic statim infert: *non contemplantibus nobis, quæ videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ verò non videntur, æterna.* Preme illa, *non contemplantibus nobis*: est namque accurata, & ad hanc rem quæsita locutio: non enim dixit Paulus; non videntibus, aut non aspicientibus nobis; quomodo enim hæc cum illis conferre potuer; nisi vtraque vidisset? Sed *non contemplantibus*; nimirum verbum *contemplari*, vel ad animum potius rem attentiùs considerantem, quàm ad oculos refertur, dicente M. Tullio pro Deiot. *animo contemplare, quod oculis non potes*, vel significat diligentem, & accuratum intuitum, qui in abdita fertur, seu qui res circumquaque perlustret; vnde Grammatici dictum volunt à templo, id est, à loco, qui ab omni parte aspici poterit: sic dixit idem Cicero de orat. *Seu ea cum contemplari cuperem vix aspiciendi potestas fuit*: vt his verbis significet Paulus, adeò infra virtutis, & cœlestium rerum dignitatem terrena omnia esse; vt indignum sibi videatur, ad hæc attentiùs aspicere, vt cum illis ancipiti consilij lance componat: quia videlicet, *quæ videntur temporalia sunt quæ verò non videntur æterna*: ac si dicat, quia cœlestia terrenis adeò excedunt, vt si hæc cum illis in trutina suspendas Pegaso testudinem comparare videaris, vt de rebus nequaquam inter se ob infinitum pænè excessum conferendis Græca habet parœmia. A quo non longius iuit Seneca cùm dixit epistol. 92. *Quid autem stultius? quid indignius? quàm comparare veneranda contemptis? veneranda enim sunt fides, iustitia, pietas, fortitudo, prudentia: è contrario vilia sunt, quæ sæpè contingunt pleniora vilissimis; crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas, infirmitasque.* Ita Seneca.

Didicit hanc ab Assertore mentem Apostolus, 15.
cui vix omnia regna mundi, cunctúsque illius splendor, & gloria à nequissimo dæmone ostensa sunt, vt illa præ Dei amore eligeret, cùm statim nulla omnino interposita mora, explosa omnia, & cum ipso offerente repudiata, & contempta sunt. Etenim iis in verbis Matth. 4. 10. *Tunc dicit illis Iesus, Vade Satana*: Græcè pro particula *tunc* est τότε, quæ eam vim habet ac *statim, continuò, quàm citissimè.* Qui quidem sensus subesse etiam commodè potest (quem simpliciorem & germanum credimus, ad cap. 1. vers. 3. adnotat. 1. numer. 10. dedisse me memini) iis Canticorum verbis cap. 8. 7. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicient eam*, vt sermo sit de anima eximiæ sapientiæ, & sanctitatis; cui magnus quidam homo (phrasi enim Hebræa *homo* idem valere solet, ac *quisque*, siue *quicumque ille sit*, Rex videlicet potentissimus, aut prædiues aliquis Dynasta, siue etiam malus dæmon) qui & *princeps huius mundi*, Ioan. 12. 31. & *inimicus homo* appellatur, Matth. 13. 28.) quotquot habet thesauros, & domus ornamenta, ea lege offerat, vt à Dei obsequio deflectat, ille verò cum opum, siue thesaurorum cumulum, regiúmque splendorem continuò, absque vlla cunctatione, aut hæsitatione despiciat, atque contemnat, rem omnino indignam æstimans,

Margin notes: 2. ad Cor. 4. 17. — Chrysost. — M. Tull. — Cicero. — Seneca. — Matth. 4. 10. — Græc. Lect. — Cant. 8. 7. — Ioan. 12. 31. — Matt. 13. 28.

mans, quæ iustitiæ, & pietati in Deum aliquo modo valeat comparari. Vt si quis (inquit ibi
M.Del Rio P.Martinus Del Rio) pro ea offerat omne aurum Indiæ. & quidquid vbique gemmarum, vel thesaurorum est, oblata despiciens spernet; aurum dicet, arenam vilem esse, & argentum quasi lutum in conspectu eius: tu, tibi dicet, habeto quisquilias tuas, margaritum vitro non vendo. Benè id, sed enim tam in lectione Hebræa, quæ haber, *despiciendo despiciet eam*, scilicet, oblatam substantiam domus : quam apud
L.X.X. L X X. reponentes
Symmac. *contemptu contemnent eum*; & similiter apud Symmachum, *spretus spernetur*; is nimirum, qui obtulit, siue tentauit; ea eiusdem verbi conduplicatio deliberationem denotat non solùm valdè firmam, & ex animo profectam, sed etiam nulla mora, aut hæsitatione, siue perplexitate suspensam; ad eum modum, quo de Ioanne Baptista, cùm ei Messiæ munus, & diuini honores à Pharisæis oblati sunt, quos si ille admitteret, ad mortem peccaret; alter Ioannes dixit, & confessus est, & non negauit; & confessus est, quia non sum ego Christus, Ioan. 1.
Ioan. 1. 20. 20. Ea siquidem verborum repetitione, & coaceruatione dixisse videtur, despiciendo despexit id minus dum illico, & incunctanter à se remouit.

16. Vnde quidem videris cur non vno, & eodem modo sapiens ille negotiator apud Matth. 13. 44. & fortis illa mulier à Salomone celebrata Prouerb. 31. 16. in agro coëmendo se gesserint; sic
Matt. 13. 44. enim de illo Dominus : *Simile est regnum cælorum thesauro, abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius abit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* & statim de simili emptore : *inuenta vna pretiosa margarita abit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit eam*; de egre-
Prou. 31. 16. gia verò ea fœmina Sapiens, inquit : *Considerauit agrum, & emit eum* : vbi vides, hanc empticem non nisi præuia vtriusque rei consideratione, & comparatione inter pretium erogandum, & agrum coëmendum priùs facta, cum fuisse mercatam, illum verò negotiatorem, cùm primùm vidit thesaurum in agro; nec per temporis instans fuisse immoratum, cùm statim magna cum alacritate cuncta, quæ habebat, pro illo profuderit; nec enim vlla comparationis, aut agri & pretij illius considerationis, siue collationis hîc mentio fit. Sed quæ huius discriminis ratio ? Sanè, quòd apud Salomonem de emptione rerum temporalium, vt pluribus interpretibus placet; apud Matthæum verò de spiritualium bonorum mercatura agatur; vt autem illic prudentiæ est, inter id quod emitur, & pretium, quod exhibetur, aliquam collationem, & comparationem fieri (hinc enim forsan Hispanè dicimus *comprar*) ita in cœlestium bonorum negotiatione eorum dignitate, & maiestate cognita incunctanter, & absque vlla hæsitatione terrenis omnibus præferenda sunt. Dicat etiam forsan non nemo de cœlestis thesauri negotiatione vtrobique sermonem esse; at enim apud Salomonem de sapiente; apud Matthæum verò de sapientiore negotiatore agi; quorum alter comparationem lentiùs instituerit, eique tantisper hæserit, alter verò ad Pauli morem statim, & absque vlla hæsitatione omnium detrimentum fecerit, vt Christum lucrifaceret. Ad quam cogitationem facit, hunc sapientiorem sub viri; illum verò sub mulieris persona adumbratos fuisse. Apponat, qui hæc dixerit, vtriusque negotiatoris exempla; mulieris quidem fortis, hoc est, sapientis animæ in Susana; viri verò fortissimi, hoc est, animi sapientis in Iosepho, dum vterque ad adulterium pellicitur, illa à pessimis senibus Daniel. 13. 22. hic autem ab improba hera Gen. 39. 7. Dan. 13. 22.
Sed dum ambo ea in re sapiens consilium capiunt, vide discrimen virilis à fœmineo animi, hæc enim non sine aliqua licèt perleui hæsitatione sic rem vndique ponderauit, *Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro; si enim hoc egero, mors mihi est* (id est, vt ego existimo, si nefas istud commisero, rem mihi molestissimam perficiam, ac si Hispaniè dixerit : *Es me el pecar à par de muerte*) *sin autem non egero, non effugiam manus vestras.* Vnde tandem infert, *sed melius est mihi incidere in manus vestras, quam derelinquere legem Dei mei.* Sapienter quidem, sed rerum momentis vtrinque expensis. At Iosephus, dum ad adulterium vrgetur, statim nulla interposita hæsitationis, aut ancipitis consilij mora illud repudiasse sic dicitur, *qui nequaquam acquiescens operi nefario dixit ad eam, quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum* ? Sapientiùs quidem, dum præ animæ salute voluptatem carnis despiciendo despexit, iniuriam sanè non leuem virtuti irrogati existimans, si fœdam voluptatem cum ea certare permitteret.

Et arbitror vt stercora.

GRæcè plusculum energiæ esse videtur ad exprimendum contemptum, & despicientiam; sic enim habetur σκύβαλα εἶναι: *stercora esse*, 17. Græca Lect.
quibus innuit Paulus eam ipsius mentem esse, vt illa quorum iacturam fecit, non tam vt stercora habeat, quàm reapse stercora esse existimet: & verò Græca vox σκύβαλα, stercus, vel fimum primariò significat, vt noster interpres reddidit, sed inde etiam ad significandam rem vilem, & quæ per contemptum abiicitur, non raro sumitur: vnde Hieronym. Dialog. contr. Pelagian cap. 3. vertit *quisquilias*. Theodoret. verò, & Græci *paleas*, Hieron.
seu *aristas*. Cyril. Alexand. lib. de fide ad Reginas, Theodor.
cap. de Epistola ad Philipp. *rudera*: hoc est, *lapidum* Cyr. Alex.
frusta, quæ ex ædificiorum ruinis supersunt, & proiiciuntur; vt constat ex Suetonio in Nerone, cap. 38. dicente; *Pollicitus cadauerum, & ruderum* Sueton.
gratuitam egestionem. Basil. in regul. interrogat. 8. generali vocabulo, *reiectamenta*. Addunt nonnulli nimis peculiare id vocabulum esse; propriéque significare eas sordes, quæ ex pecorum intestinis egeruntur.

At quæ hæc sunt, quæ Paulus arbitratur, vt 18.
stercora; siue quæ stercora esse existimat, aut quisquilias, rudera, vel reiectamenta ? Hieronym. quidem in cap. 2. Abacuc impium censet affirmare, sermonem his verbis de lege veteri à Paulo institui, cùm ipsa, Dei testamentum sit : ac proinde non nisi de falsa interpretatione à Pharisæis illi adhibita capiendum; sic enim ipse : *Non quòd* Hieron.
lex vetus, vt Manichæi arbitrabantur, ad comparationem Euãgelij σκύβαλα computetur, cùm vnius Dei vtrumque sit testamentum, sed quòd doctrina Pharisæorum, & præcepta hominum, & deuteroses Iudæorum, stercora dicantur ab Apostolo. Sic ille. Sed enim, vt hæc exponendi, siue censendi ratio, cum Hieronymi sit, non possit non mihi probabilis, immò, & venerabilis esse: at seueriorem, & rigidiorem, quàm par est, censuram continere, meritò dixeris, cùm Basil. & Græci PP. superiùs adducti de lege, siue de legis cæremoniis olim florentibus, & stantibus, & velut paleis triticum confouentibus, iam verò inutilibus, & superuacaneis

sint ita illud falsa, & nugacia bona pro veris, & solidis obiiciat, & miserorum hominum sensus, ac mentes turbet, atque decipiat, vt dum veræ, ac sinceræ felicitati solidisque bonis, ac liquidis gaudiis se incumbere, atque inniti existimant, eorum vmbram solummodo, siue earum rerum, quas sibi pollicebantur, imaginem teneant. Ita Seneca epist. 115.
Senec. cùm dixisset: *Miramur parietes tenui marmore inductos; cùm sciamus, quale sit, absconditur, oculis nostris imponimus. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fæda ligna latitare.* Subiicit: *Nec tantùm parietibus, aut lacunaribus ornamentum prætenditur, omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.* Vides mundi præstigias bracteatam & depictam felicitatem pro certa, & solida proponentis, & illustrium bonorum speciem, siue crustam pro veris & perpetuis obiicientis?

4. Capies hinc sub accurato, & germanissimo sensu
1. ad Cor. 7. 29. Paulum 1. ad Corinthios 7. 29. vniuersum hominum genus variis, ac diuersis curis, atque ministeriis occupatum, siue distentum hunc in modum seriò commonentem: *Hoc itaque dico fratres. Tempus breue est; reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquã non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes: Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Vbi si dubites, quare Apostolus rationem reddens, cur mundanis rebus minimè inhærere debeamus, dixerit, *præterit figura huius mundi*, non verò præterit mundus ad eum modum, quo Ioannes
1. Ioan. 2.17. epistola 1 cap 2. 17. dixit, *mundus transit, & concupiscentia eius.* Respondebo, peculiarem emphasim esse Paulinæ locutioni, siue voci *figura*: nam Græcè
Lectio Græca. Tertul. est σχῆμα, id est effigies, species, habitus externus, (vt legit Tertullianus libro de resurrectione carnis, cap. 5. & libro de cultu fœmin. cap. 9.) vt non tribuat Apostolus mundo formam, siue naturam constantem, & veram, sed solummodo externam effigiem, aut speciem, siue mimum histrionicum & laruam, vel personam in scena. Quare opti-
Theoph. mè ibi Theophylactus ait: *Mundi verò ideo dixit figuram, quia eius bona sol terminentur aspectu: & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.* Pro qua cogitatione obserua, Græcum verbum παράγει, pro quo noster posuit *præterit* etiam significare, decipere, seducere, vt interpretes monent; & Stapulensis probatus Caietan. legit. Vnde quidem omnino subsistit ratio Pauli, cur mundo adhærendum non fuerit, quòd nimirum improbus ille impostor, & præstigiator sit qui amatores suos atrociter decipiat, dum nihil veri, & solidi in se habens blanda specie, & fucata effigie illos allicit. Possis verò pro huius loci commentario appingere hæc ex Seneca
Seneca. epistola 85. *Sæpius hoc mihi exemplo vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agimus, assignat. Ille qui in scena elatus incedit, & hæc supinus dicit: En impero Argis: regna mihi liquit Pelops: seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios, ille, qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:*

Quod nisi qui veris Menelaë, hac dextra occides.
diurnum accipit, in cœnaculo dormit: idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supráque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est; contemnes illos si despoliaueris. Hæc ad Pauli mentem Seneca.

5. Fideiubet pro his Salomon non scientia solùm, sed experientia ipsa optimè instructus de seipso loquiens: *Ego Salomon fui Rex in Hierusalem*, Eccle- Eccl. 1.12.
siastes 1. 12. Quo in loco obseruatu digna fuerit illa locutio: *fui Rex*: immò verò perdifficilis esse videtur. Quid enim fuerit? *fui Rex*: Post funus ne suum vita iam exutus loquebatur? Cur ergo non dixit, ego Salomon sum Rex. Negantur Rabbini, vt difficultatem euadant, & Salomonem ob peccata ab Asmodæo dæmone regno pulsum affirmant. Alij locutionis acumine puncti illum regno se suo abdicasse, & priuatam vitam elegisse coniectant. Sed opportuniùs, opinor, Hugo Victorinus apud Pinedam in id loci ad rerum temporalium inanitatem, atque fallaciam, siue potiùs scenam, in qua res aliæ ab iis quæ sunt, apparent, & conspiciuntur sic reuocauit. *Fui, iam non sum, quia & si sum,* Hug. Vict.
id ipsum iam nihil esse, agnosco quod sum: ac si dicat, vt reapse Rex sim; quid me Regem esse pronunciem, qui iam nouerim scenicam potentiam, & mimicum splendorem hunc esse. Dixi me aliquando Regem, cùm è regio throno scintillas splendor oculos meos occæcabat, & rem solidam, & firmam amplexar: me existimabam; at cùm hæc intus & in cute noui, fuisse non esse Regẽ iure optimo affirmauero.

Sed rursus eodem sensu Paulus Romanos sic 6.
monet cap. 12. 2. *Nolite conformari huic sæculo: sed* Ad Rom. 12.
reformamini in nouitate sensus vestri. Quo in loco sa- 2.
pienter premit Chrysostomus Græca verba, quibus *conformari sæculo*, & *reformari* in spiritu expressit Apostolus: nimirum conformari sæculo Græcè di- Lectio Græc.
xit, συσχηματίζεσθε, id est, *configurari*: eodem scilicet Chrysost.
verbo, à quo vox σχῆμα, qua citato loco ad Corinthios dixerat: *præterit figura huius mundi reformamini* verò scripsit, μεταμορφοῦσθε à voce μορφὴ, hoc est, forma naturalis, & vera; pulchrè indicans immensum inter mundum, & virtutem discrimen intercedere: cùm ille nihil solidum & plenè subsistens, sed figuram tantùm habeat extrinsecus emendicatam, fuco; & mentitis coloribus depictam virtuti verò sua, & naturalis forma subsit, quæ verè, & plenè subsistat. Sed Chrysostomum appositè hæc diffundentem audire est operæ pretium. Sic namque primùm. *Est enim huius sæculi figura humilis, depressa, vilis, temporalis, nihil habens sublime, nihil recti, sed omnia peruersa. Itaque si rectã incedere voles, ne adaptes te ipsum ad præsentis vitæ figuram. Nihil enim in illa est, quod maneat, firmúmque sit. Vnde & figuram appellat; & alibi rursus: Præterit enim figura huius mundi.* Et post pauca. *Nam etiamsi diuitias obieceris, si gloriam, si delitias, siue aliud quodcumque ex iis, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, nõ ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio: persona quædam scenica non consistens rerum substantia.* Sed & statim de spiritus reformatione agens subdit. *Non dicit, transfigureris: sed transformeris, ostendens quæ mundi sunt figuram; quæ verò virtutis, non figuram, sed veram quandam esse formam, naturalem pulchritudinem habentem, quæ non habeat opus externis illis cultibus, ac figuris, quæ simul atque comparuerint, intereunt.* Hactenus ex Chrysostomo.

Nec ab hoc iuerit Isaias cap. 24. 5. vbi cùm dixis- 7.
set: *Luxit, & defluxit terra, & infirmata est, defluxit* Isa. 24. 5.
orbis, infirmata est altitudo populi terræ: fluxa videlicet, & infirma, luctus, & mœroris plena iam esse quæcumque olim excelsa, firma, & florentia erant subiicit: *& terra infecta est ab habitatoribus suis.* Sed obserua inibi Hebræũ verbum חנף *chanaph* pro quo Lectio Hebr.
Vulgatus reposuit inficere, propriè significare simulare, & ad instar hypocritæ alium ab eo, quem inte-riùs, habet, vultum præ se ferre: vnde ad verbum legeris, *simulauit*, siue *hypocrita facta est terra*; isque erit sensus; sæculi bona non secus, ac hypocrita, qui

qui vittutis faciem, & laruam extrinsecus præfert,
cùm intus vitiorum lue, & sordibus plenus sit, ex-
ternam solùm speciem extrinsecus accersitam, mé-
titisque coloribus depictam habere, intrinsecus
verò vana, inania, & nullius frugi esse; fucatáque
pulchritudine sæculares homines allicere, atque
decipere, & à sensu suo mouere. His adiunge ea
Sponsi plurimum minarum, & terroris habentia
Cant. 1.7. verba c. 1. 7. *Egredere, & abi post vestigia gregum*
LXX. *tuorum.* Quæ L X X. legunt *in vestigiis*, vt sensus
fuerit, eum, qui à vero Deo aberrauerit, & sæcula-
ribus rebus se se addixerit, atque immiscuerit, quã-
tum quantum in eorum studio, & consecutione in-
sudauerit, & res ei feliciter euenerit, non ideo vera
bona, sed tantùm bonorũ vestigia, atque vmbram,
siue externam gaudij, diuitiarum, aut honorum fa-
ciem, non ipsam naturam tandem aucupaturum;
sic hæc pensitante Philone Carpathio ad ea verba:
Phil. Car. *Omnis anima errabunda vagatur, quam pondus Spiri-*
tus sancti, & Christi amor ardens firmat, & roborat: illa
misera anima multis, & variis cogitationibus circum-
fertur, quæ soli Deo non adhæret, illúmque solum aman-
do quæritat honestatem vitæ, ac morum: illi ergo omnes in
vestigiis gregum, hoc est, in vmbris, in vanitatibus, in
erroribus, in vitiis hominum gregalium, & brutorum
miserrimè vagantur, & iacent, quos Christi amor, &
desiderium non firmat, ac pascit, erigit, ac fouet, illumi-
nat, ac beat. Hactenus Philo edoctus, opinior, ab al-
Phi. Heb. tero Philone Hebræo in libro, *Quòd Deus sit immu-*
tabilis, eodem sensu affirmante. *Nihil igitur est in*
humanis rebus, ac negotiis præter vmbram, auràmque
leuissimam sine mora prætereuolantem, eum enim vltrò
citróque tamquam æstuantia. Sic ille.

8. Hinc illa Oseæ ad idolorum cultores admoni-
Osea 8. 6. tio, siue insultatio, cap. 8. 6. *Quoniam in aranearum*
telas erit vitulus Samariæ: vbi præter alias explicatio-
nes, atque translationes, quas in sequentibus adno-
tationibus, vt ostendamus terrena bona supplicium,
& pœnam esse, latiùs expendemus: modò tam Hie-
ronymi lectionem, quàm quod inibi apud ipsum
Hebræi tradunt, aduerte; ait enim ipse, se à quodam
Heb. lect. Hebræo accepisse, Hebræam vocem שְׁבָבִים *saba-*
bim pro qua noster posuit, *aranearum telas*, propriè
significare minuta fila, quæ in aëre hac illac voli-
tant, ab aranearum telis, siue ab alia re æquè futili,
atque euanida, si aliquid tam futile, ac inane esse
potest, discussa. Qua quidem imagine, quanta sæcu-
larium rerum vanitas, & futilitas fuerit, apprimè
ostenditur: vt meritò dixerit S. Fulgentius epistol. 6.
S. Fulgen. ad Theodot. *Qui rebus huius sæculi inhæret, vento in-*
hæret, formidinem & contumeliã captat. At enim, quæ
horum idolorum fallacia, & hypocrisis est, ea quæ
interiùs aranearum minutissima fila, & inutilissimæ
stipulæ reapse sunt; tumidissimam, ac superbissimam
faciem, clarissimum splendorem, ac lucem vibran-
tem, qua miserorum hominum oculos fallant,
Hieron. animósque pelliciant, exteriùs habent: vnde Hie-
ronymus diuersimodè, sed eodem recidente sensu,
Heb. lect. Hebræam vocem appositè legit, *seducens*, vt sensus
sit, fallacissima mundi idola esse, quæ exteriùs ni-
tida, florentia, aureáque videantur, interiùs vm-
bra, minutula fila, siue ventus, & nihil sint. Sic
Ambros. lib. 5. in Lucam ad ea Domini verba:
Ambros. *Arundinem vento agitatam*, sæculares, & sæcularia
bona cum arundine componens, scitè ait: *Iure arun-*
dini comparandos, in quibus solidæ iustitiæ nullus est
fructus, qui forensibus criniti phaleris, nodis obsiti, va-
cuo oris strepitu sonori nulla sui vtilitate frequenti etiam
offensione intus inania, foris speciosa sectantur. En vi-
tulum Samariæ siue mundi idola, *intus inania, foris*
speciosa. Quare ad eamdem sententiam plus plus fir-

mandam, & explicandam subiicit Vates: *Culmus*
stans non est in eo, germen non faciens farinam. Ad quæ Osea. 8.7.
verba obserua, non monere Prophetam, arua, siue
segetes ob cœli inclementiam, & anni sterilitatem
nullos attulisse prouentus, & hiantem agricolarum
expectationem delusisse, vti dixit Habacuc 3. 17.
Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum; & Habac. 3. 17.
ille

— spem mentita seges;

sed potiùs fructus, & spicas ad iustam mensuram
peruenisse: at euanidas, & nullo cibi, victúsve vsui
aptas extitisse, sed

— — illos Virgil. 1. Georg.
Expectata seges vanis elusit aristis:

vt inde sæculares homines admoneantur, non ideo
famelicos animos, & vacua ipsos pectora gestare,
quòd fortuna semper infensam, & auaram se illis
exhibeat, (hæc enim, vt nosti, frequens eorum
querimonia, & perpetuum cum fortuna iurgiũ est,
numquam ipsis res ex voto procedere:) sed quòd
ea sit terrenorum fructuum, sæculique segetis ina-
nitas, vt oculos tantùm non animum pascere possit.
Cui cogitationi opportunè legunt ea verba L X X. LXX.
& Cyril. Alex. reponentes: *Manipulos non habens* Cyrill. Alex.
vires, vt faciat farinam. Pulchrè *non habens vires*;
quòd aranearum telæ, quòd inanes, quòd vmbra,
quòd nihili hi fructus fuerint: quã enim vim, quod
robur ad explendum hominis animum æternæ feli-
citatis capacem hæ quisquiliæ, & nugæ habere va-
leant: ita quidem Psaltes Psal. 118. 5. *Fiant sicut fœnũ* Psal. 118 5.
tectorum, quod prius quàm euellatur, exaruit. In quæ
verba S. Zeno Veron. *Inanes sunt, vacui sunt, inutiles* S. Zeno. M.
sunt; inania enim, & inutilia seuerunt. O infelices labo-
res, & infructuosa carnis opera ædificiorum fœno com-
parata, & antequam euellantur, arida, id est, ante ipsum
inutilis, ipsius messis tempus emortua!

Porrò vt Deum nostrum à mundi idolis falsís- 9.
que numinibus discriminemus, hoc hymno perpe-
tuo ritu celebramus. *Sanctus Deus: Sanctus fortis:*
Sanctus immortalis. De quo quidem sapienter primũ
admonet Iouius Monach. vetustus auctor lib. 7. de
Verbo incarnato, cap. 25. tam ex tremenda Sera-
phinorũ professione, quàm ex iis Psal. 41. 2. verbis:
Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, voce *viuus* Psal. 41. 2.
in æquipollentem *immortalis* commutata, fuisse
conflatum: deinde singulas eius particulas tam in
Dei laudem, quàm in infelicium idolorum oppro-
brium sic elucidat. *Porrò exprimis voces* Deus, *&* San-
ctus, *vt distinctio fiat ab idolorum simulacris, quæ ter-*
restria sunt humanarum manuum opus, & vera abo-
minationes. Fortis *verò aduersùs muta, immobilia, &* Iob. Mon.
imbecilla idola. Immortalis *denique, quòd idola nec*
spirent, nec vllam efficiendi vim habeant. Apta hæc
sæculi idolis, apta concupiscentiæ carnis, apta con-
cupiscentiæ oculorum, apta superbiæ vitæ, atque
hæc de illis nominibus appella, dicito immobilia,
& imbecilla idola esse, quæ nullam efficiendi vim
habeant, nec suis cultoribus satietatem, aut ali-
quam liquidæ voluptatis partem afferant. Sed quî,
quæ emortua sunt, vitam; vana, & inania, perpetui-
tatem gaudij; imbecilla, solidam, & constantem fe-
licitatem dare possint? Iure S. Paulinus de S. Felice
Natali 8. cùm de egregiis sanctitate viris, aduersus
fortunæ casus nullam à mortalibus rebus opem
quærentibus dixisset:

Non armis sibi, nec muris capienda parabant S. Paulin.
Præsidia.

Subiicit,

— humanis opibus sperare salutem
Nulla salus; nec enim mortem mortalia pellent.

Qua sanè de causa siue veros, siue mysticos idolo-

latras,

nouarum circumstantiarum nihil iam emolumenti; detrimenti verò plurimum adferre. Quare aduertas velim, Apostolum non agere de lege prout præcepta Decalogi continebat; hæc enim inconcussa semper, atque inuiolata cum suo decore, & maiestate manere necesse est, sed de externis tantùm cæremoniis,& ritibus legalibus, de Circumcisione,scilicet, de munere Pharisæi,& de iis omnibus, que ad hæc pertinebant; deinde facilè est videre,ipsum non loqui de his,prout ante Christum in vsu erant,sed cùm post ipsius aduentum,tanquam cum Sole vmbræ cessauerant: iam hæc sub hoc sensu sumpta absolutè, & simpliciter detrimentum appellat Paulus ad eummet modum, quo versu 2. Circumcisionem appellauit concisionem,nec alia quidem huius, atque illius loci Anselmo interprete sententia est. Sic enim ille: *Sed omnia illa carnalia, quæ mihi ante Christi notitiam fuerunt lucra, id est, vtilia, & chara; hæc post fidem arbitratus sum detrimenta salutis propter Christum, qui in his prænunciatus erat; & si adhuc ista seruarē, eius aduentum ostenderē nondum factū; quæ enim venturum eum significabant, si iam seruantur, venisse eum negant; & ideo sunt detrimenta, quia deterunt veritatem fidei; vnde paulo superiùs Iudæi dicti sunt concisio, quia carnalis circumcisio plena abscisio est à Christo.* Hæc Anselm. Breuiùs S.Thom. *Hæc sum arbitratus propter Christum mihi detrimenta*, id est, *reputo, quòd sint mihi in detrimentum; legales enim obseruantiæ, quæ tempore legis erant efficaces, post Christum factæ sunt noxiæ.* Sic S.Thom. Ergo id sibi tam hîc, quàm præcedentibus versibus inquit Paulus; si lex defendenda, & Euangelio associanda fuisset, nemo me libentiùs id faceret, quippe qui plures, & fortiores causas faciendi habeam: sum enim Hebræus ex genere Israëlitico, & præclara tribu Beniamin ortus; secta, & professione Pharisæus, acerrimúsque olim Iudaicarum obseruantiarum vindex; ergo si ego, qui is sum, eam relinquo, facilè est animaduertere, illam iam minimè seruandam fore: nam quæ tunc mihi vtilia videbantur, atque fructuosa; iam cùm Christi lux mihi est oborta, inutilia, & plena detrimenti apparent, vt enim olim circumcidi carne, & Mosaicæ legis cæremonias exactissimè obseruare, lucrum erat spirituale; id iam concidi est, & ad interitum ruere, cùm ea iam omnia non modò emortua, sed mortifera etiam opera sint.

Anselm.

S.Thom.

4. Hæc aucto censu confirmat Ambros. lib. 5. in Luc. cap. *de excusatione discipulorum*: vbi cùm in illis Domini verbis, Matth. 9. 13. *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, acutè hærens dubitasset, quomodo ad peccatores potius, quàm ad iustos vocandos, & illuminandos, quasi meliores impij, quàm iusti conditionis fuerint, venisse Dominus dicatur? appositè statim respondet, non de Christianæ Ecclesiæ, sed de Pharisaici supercilij iustis, qui in lege præsumunt, atque gloriantur hæc esse accipienda. Audi illum. *Nemo tibi Christum potest auferre, nisi ipse te auferas illi. Non ergo te auferat iactantia tua, non te auferat arrogantia, nec tibi de lege præsumas. Non enim vocare iustos venit, sed peccatores. Quomodo ergo Dominus iustitias dilexit, neque Dauid vidit iustum derelictum? Aut quæ ista æquitas, si iustus relinquitur peccator adsciscitur, nisi intelligas, quòd eos iustos dicit, qui ex lege præsumant, & Euangelij gratiam non requirant?* Nemo autem iustificatur ex lege, *sed redimitur ex gratia. Est igitur in lege iustitia, sed non per legem iustitia.* Hæc Ambros. quæ statim, & Paulo, & nostro instituto hunc in modum aptat. *Nam ipse Apostolus,*

Matth. 9. 13.

Ambros.

Psalm. 74. 2.

Psal. 36. 26.

Hebræus ex Hebræis; secundùm legem Pharisæus; secundùm iustitiam, quæ in lege est, conuersatus sine querela, *qui gloriatur ex lege.* Quæ mihi, *inquit* lucra fuerunt, hæc duxi propter Christum detrimentum esse; *hoc est, abieci iustitiam, & gloriam legis, Iustitia enim legis sine Christo vacua est,* quia plenitudo legis Christus est. Hæc & multo plura in hanc rem Ambros. ibi.

5. Iam ex his mero meridie clariùs elucet, quàm magna sit Kemnitij, & sociorum eius væsania, & pertinax ruditas, quibus neque ex PP. ne ex interpretibus, neque ex contextu, siue ex ipsomet sono literæ vlla omnino huius loci lux oboriri potuit: sed nullo noui commenti sui sponsore dato, ex his verbis adstruere contendunt, non posse nos bonis nostris operibus, quæ ex fide, & gratia Dei fiunt, salutem æternam promereri. At enim; quid magis præter Apostoli mentem? & quod ab ipsius instituto longiùs diuagetur, excogitari queat: cùm ille minimè de his operibus agat; sed de commodis illis, siue lucris temporalibus, quæ ipsi, cùm retinebat legem Moysi, & persequebatur Christum, obueniebant; siue etiam de legis ceremoniis post Christi aduentum iam irritis, & inanibus. Vide Bellarm. tom. 3. lib. 5. de iustificatione, cap. 5. vbi alias etiam ex Augustino explicationes adducit.

Bellarmin.

6. Illud in Græcis vocibus κέρδος, id est, *lucrum*, & ζημία *detrimentum*, siue etiam *iactura*, *damnum*; & generaliùs *pœna*, *supplicium* minimè omittendum, quod adnorauit Aristoteles lib. 5. Ethicorum, cap. 4. correlatiuè inter se opponi, vt videris quanta vocum opportunitate in re maximè graui, & seria locutus fuerit Paulus: singulas verò vocis ζημία, siue *detrimentum* significationes in sequentis versus adnotationibus ad rem Pauli pensiculatiùs elucidabimus.

Græc. lect.

Aristot.

VERSVS VIII.

Verumtamen existimo omnia detrimentum esse; propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

1. CVM Græcè pro *verumtamen* sit, ἀλλὰ μενοῦνγε, id est, *quinimo*, vel *quinetiam*: vt vertit Erasm. siue, *verumtamen etiam*; vt alij; apparet, amplificationem, & grauiorē affirmationem iis verbis subesse; qua obtestetur Apostolus, non modò veteris legis cæremonias, eásque anteactæ vitæ excellentias, quas priùs recensuerat, generis, videlicet, nobilitatem, Pharisaicæ sectæ professionem, doctrinæ præstantiā, ardentémq; legis æmulationem, ac zelum, sed alia etiam omnia, quibus cæca hominū cupiditas pretiū fecit; delitias, opes, potentiā, gloriā, & quidquid cœli ambitu continetur, nō modò nauci à se fieri, sed pro magno dispēdio haberi. In eaq; ipsum sententia, & voto esse, vt horum omnium tanquam vilissimarū rerū iactura pretio

Græca Lect.
Erasm.

pretiosissimum Christi thesaurum sibi compararet: sic contextum, & Græcas voculas premente Chrysost. *Verisimile enim est, Paulum de mundanis rebus dicere. Nam cum dixisset,* Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta; *addit*: verumtamen, & existimo omnia detrimentum esse: *dum dicit omnia, significat, & præterita, & præsentia.* Ita ille. Vnde quidem non longè hæc ire videntur ab illis ad Roman. 8. 38. *Certus sum enim; quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, nec creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Chrysost.

ad Roman. 8. 38.

Omnia detrimentum esse.

2. Lect. Syriac.

LEctio Syriaca habet *inopiam esse.* Sed Noster significantiùs dixit, *detrimentum*; quod prudens quisque cauere, & deuitare debeat Ac si dicat; Quia tam legis cæremoniæ, siue præfatæ carnis excellentiæ, quàm omnia terrena bona, & mundi gloria, dum me ad Christum non promouent, sed potiùs impediunt, non modò inutilia, & nullius momenti, sed etiam noxia, & exitialia sunt. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum, leuémve iacturã patiatur? En pulchram rerum permutationem; dum mundana cum cœlestibus, falsa cum veris; caduca, cum æternis Paulus commutat. Ita quidem generosam adolescentulam, quæ in vitæ flore, florentisque fortunæ sinu, nuncium mundo remiserat, hunc in modum alloquebatur, & demulcebat, Bernard. epist. 114. *Magnum est mihi gaudium, quòd te ad verum, & perfectum gaudium velle tendere comperi, quod non est de terra, sed de cœlo, & re vera, illud est solum gaudium, quod non de creatura, sed de creatore percipitur:* & post nonnulla in hanc rem, subiicit: *Modica, transitoria, terrena sunt, quæ despicis; maxima, æterna, cœlestia sunt, quæ appetis. Plus dicam, & verum dicam, tenebras deseris, & lumen ingrederis: de profundo fluctuũ emergis ad portum; de misera seruitute in felicem libertatem suspiras: de morte denique transis ad vitam.* Sic Bernardus, de mundi bonis præ virtutis studio contemptis. Nec fuerit nimis mirandũ, ipsum tanto cœlestis doctrinæ imbre perfusum hæc dixisse; est autem admiratione dignum, quàm sint his similia, quæ Lucillo Romanis muneribus, publicisque negotiis, nec non ingentibus diuitijs occupato, Gentilis Seneca ingerebat; vt earum omnium rerum contemptum, & impensius virtutis studium ipsi persuaderet; cùm enim ille epistola 21. hæc dixisset. *Melius probas honesta, quàm sequeris: vides vbi sit posita felicitas, sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem, quod te impediat, quia parum ipse despicis, dicam. Magna hæc esse existimas, quæ relicturus es; & cum proposuisti tibi illam felicitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à qua recessurus es, fulgor, tamquam in sordida, & obscura casurum.* subiicit. *Erras mi Lucilli; ex hac vita ad illam ascenditur. Quod interest inter splendorem, & lucem, cùm hæc certam originem habeat, ac suam, ille niteat aliena: hoc inter hanc vitam, & illam. Hæc, quia fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim vmbram faciet quisquis obstiterit: illa verò suo lumine illustris est.* Hæc Senec.

Bernard.

Senec.

3. Egregium ergo cœlestis margaritæ negotiatorem sese exhibuit Paulus, qui ea inuenta dedit omnia, quæ habuit, *& emit eam* Matthæi 13. 46. magno iure existimans, *omnia detrimentum esse*

Matth. 13. 46.

propter eminentem scientiam Iesu Christi. Nimirum, ea potissimum de causa temporalia bona nobis à Deo videris esse commissa, vt saluo moderato eorum vsu, quæ ad vitam transigendam necessaria sunt; cæterorum omnium contemptu, & ab animi sinu abiectione spiritualia, & æterna tamquam boni negotiatores nobis comparemus; Quo sanè in cardine totam versari sapientiam, atque hoc signatè illius opus, & munus esse, tam ex præfatis Christi apud Matthæum verbis, quàm ex Pauli exemplo dixeris. Quam ad rem sic opportunissimè loquitur Salomon Prouerbiorum 17. 16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit.* vbi Pagninus ex Hebræo legit: *Vt quid est pretium in manu stulti, vt emat sapientiam, & cor non est ei.* Similiter *lectio* Tigurina. *Quorsum est stulto pretium in manu? qui nec pectus habet, nec sapientiam, &c.* Nec minori emphasi LXX. *Vt quid sunt diuitiæ imprudenti; acquirere enim sapientiam excors non poterit*: vbi duo vides: alterum, diuitias, siue temporalia omnia à Salomone appellari pretium ad sapientiam coëmendam; etenim vbi Noster vulgatus, & L X X. habent *diuitias*: vtraque lectio ex Hebræo reposuit, *pretium*, quasi ea ratione homini à Deo temporalia donentur, vt iis velut opportuno pretio cælestem thesaurum redimat: alterum, inde hominem vecordem, & stultum haberi, quòd præ visibilium, & terrenarum rerum, immò vilissimi stercoris amore, æternam felicitatem, & cœleste regnum, pro quo illa commutanda sunt, mercari nesciat: ac si dicat cum Terentiano illo Sancione, *Ego spem pretio non emo*: cui disertissimè occurrebat, & increpabat ipsius famulus, inquiens: *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum lucrum est.* Sed opportunius Tertullianus, & Prosper, dum prior Martyres in carcere detentos, & à seculi lætitia exortes, ad omnia duta pro Christo perferenda sic animabat. *Si aliqua amisistis vitæ gaudia negotiatio est, aliquid amittere, vt vt maiora lucretis*; scitè *negotiatio est*: qua minori pretio eximium aliquid, & excellens adquiritur. Prosper verò epistola ad Demetriadem, quæ est 8. inter epistolas Ambrosij, Felicissimam hanc negotiationẽ sic adornat. *Si verè intelligatur contemptus iste præsentium, ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius nihil inuenietur electius, quæ sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt; neque ad vllam creaturam, quamuis potentem, atque mirabilem, sed ad ipsum omnium, visibilium, & inuisibilium ambiunt Creatorem; cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est; cui seruire, regnare est.* Hæc ille. Nec omittenda, quæ de egregio præsentis tranquillitatis simul cum futuræ beatitudinis lucro, in hac felici negotiatione etiam pendit in hunc modum: *Quo autem pretio quies huius temporis aptius comparatur, quam vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materia refundantur, & sanctò, beatóque commercio ematur Christiana libertas: fiántque filij Dei, de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes.* Sic Prospertius.

Prou. 17. 16.

Pagnin.

Lect. Tigur.

LXX.

Terent.

Tertul.

Prosper.

Propter eminentem scientiam Iesu Christi.

GRæcè habetur διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως, quod verbum verbo vertendum fuisset, *propter eminens scientiæ*: phrasi Hebræa, & Hispana, *Por lo eminente de la ciencia*; siue, vt Ambr. *propter* 4.

Lect. Græc.

Ambros.

Lect. Syriac.

eminentiam scientiæ. Lectio verò Syriaca hæc sic effert: *Præ dignitate scientiæ.* Referunt id nonnulli ad eam diuinarum rerum scientiam, siue cognitionem, quam Christus attullit, qui *omnia quæcumque audiuit a Patre nota fecit nobis*; sed non opinor è Pauli mente id esse, qui sese statim vers. sequenti explicans, ait: *ad cognoscendum illum, &c.* De scientia ergo, qua Christus ipse cognoscitur, loquitur Apostolus, ac si dicat: Quæcumque eximia, & præstantia in mundo habentur, mihi pro magno dispendio sunt, ob eminens ingénsque bonum, quod in Christi cognitione est: eo sensu, quo ipsemet Dominus dicebat. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, Ioannis 17. 3. (Ioan. 17. 3.) Ita Sanctus Thomas (S. Thom.) in Commentario, inquiens. *Reputo mihi detrimentum; & hoc propter desiderium rectæ scientiæ Iesu Christi Domini mei*, 1. ad Corinthiorum 2. 2. (1 ad Cor. 2. 2.) Nihil reputaui me scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum: *Et hoc* propter eminemtem scientiam. *Quia hæc superat omnes alias scientias, nihil enim melius potest sciri, quam Verbum Dei, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscōditi.* Sic S. Thomas. Similiter Anselmus (Anselm.) his verbis: *Nam etiam si ipsum non possem assequi, vel propter solam eius scientiam, quæ tanta, & tam præexcellens est, respuerem omnia illa vetera.* Complexus est id dilucidè Tertullian. libr. 5. contra Marcion. cap. vltimo, (Tertull.) sic legens, atque explicans hæc verba: *Quæ antem retro lucri duxerat; hæc ac si stercora existimat præ comparatione agnitionis Christi.*

5. At enim verò, non sunt hæc perinde accipienda, quasi Paulus loquatur de simplici cognitione, & notitia speculatiua, quæ de Christo per solam fidem habetur: sunt enim plures, vt ipsemet Apostolus ait, *qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* ad Titum cap. 1. vers. 16. (ad Titum. 1 16.) sed de scientia, & cognitione practica informata charitate; vti ad perfectæ scientiæ rationem prærequiri, fusiùs diximus ad cap. 1. vers. 8. Quare tam de cognitione mysteriorum Christi doctrinâque Euangelica, quàm de fructu, qui ad hanc cognitionem consequitur, sermo est: ita egregiè Primasius (Primas.) explicans, simul, & monens. *Tunc erit apud hominem eminens Christi scientia, quando fuerit ab eo propter Christū mundus contemptus.* Sanè si attendis, cognitionis phrasis, rei etiam cognitæ fructū comprehendit. Et cùm ad personas refertur, non tam ea notitia, qua aliquis de facie noscitur, quàm amica, & familiaris agnitio significatur: cui cogitationi, nec non huic loco explicando opportunissima sunt ea Oseæ verba c. 6. 3. (Oseæ 6. 3.) quibus ij, quorum oculis diuina lux affulserat, ad Deum impensè diligendum sic sese mutuò exhortabātur, & vrgebāt. *Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemúrque, Vt cognoscamus Dominum:* siue, vt LXX. (LXX.) habēt, *Viuemus coram eo, & sciemus. Persequamur vt cognoscamus Dominum.* Quo in loco, cognoscere Dominum perinde est, ac eius beneuolentia, & gratia frui; sic pulchrè hunc locum explicante S. Cyrillo Alex. (S. Cyr. Alex.) *Tunc, inquit,* persequemur, vt cognoscamus Dominum. *Persequemur, pro studebimus aiunt: Tunc;* & resurgemus, & viuemus coram illo. *Consurreximus enim cum Christo, & quoniam vnus pro omnibus mortuus est; eius vitam viuimus, non tam ab oculis Dei propter transgressionem remoti, neque tamquam post tergum propter tergum abiecti, sed ad conspectum de cætero admissi, & fiduciam in ipso propter iustitiam in Christo habentes.* En quid sit cognoscere Christum; nimirum non esse ab oculis Dei propter transgressionem remotos, nec post tergum abiectos, sed ad illius conspectum, & gratiam admiti. Ita quidem ad Galat. 4. 9. non sine emphasi sub hoc sensu aiebat idem Apostolus. (ad Gal. 4. 9.) *Nunc autem cum cognoueritis Deum, immò, & cogniti sitis à Deo*: vbi hæc verba, *immò & cogniti sitis à Deo*; non tam correctio, quàm explicatio præcedentium sunt; innuens Paulus Galatas pristinis erroribus ablegatis in Dei gratiam, & amicitiam olim adscitos fuisse. à qua ipsi malo fato sese postea vellent discindere: vnde ea verba, *immò, & cogniti a Deo*, sic explicat Hieronymus (Hieronym. 2. ad Tim. 2. 19.) ibi: *Non quod Deus creator omnium aliquid ignoret, sed quod eos tantum scire dicatur, qui errorem pietate mutauerint.* Cognoscit Dominus, qui sunt eius, *& Saluator in Euangelio*, Ego sum, *ait*, pastor bonus, (Ioan. 10. 14.) & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, (Luc. 13. 25.) *& contra ad impios*, Nescio vos; recedite à me operarij iniquitatis, (Matth. 25.) *& ad stultas virgines*; Nescio vos, quæ estis. Hæc Hieronymus.

6. Si inquiras. Cur hac scientiæ, siue cognitionis Christi phrasi ipsemet cognitionis fructus, nempè vitæ probitas, & rectitudo significetur? Dixerim; ad rei cognitæ maiestatem, & excellentiam; simúlque ad cognitionis perfectionem, & attentionem id fore referendum; quasi vix reperiri queat plena, atque perfecta diuinarum rerum cognitio, quin egregius virtutis, & probitatis fructus subsequatur. Sic scientiam, & intellectum explicabat Regius Vates Psalm. 106. 43. inquiens, *Quis sapiens, & custodiet hæc; & intelliget misericordias Domini?* (Psal. 106. 43.) Quæ inibi sic diffundit Gregor. Nyssen. (Nyssen.) tract. 1. in Psal. c. 8. *Quæ vero est hæc sapientia, & bonorum custodia? Ne quis diuinæ humanitatis, & benegnitatis sit rudis, & ignarus. Nam qui intelligit, quæ assecutus est, is nequiquam abiecerit bonum illud, quo donatus est. At qui gratiam nō intelligit, ei idem accidit, quod cæcis, qui margaritam, vel smaragdum, vel aliquem pretiosum lapidem manu tenentes, vt calculum aliquem vulgarem, & passim obuium abyciunt, qui ob ignorantiam pulchritudinis quæ in tāta re inest, præter suam voluntatem priuantur.*

Domini mei.

7. Benè obseruant Cornel. & Estius (Cornel. Estius.) addi hæc ab Apostolo, vt delitias amoris sui, & ardentem animi affectum erga Christum declaret; & illius seruitutem, libens profiteatur, & de ea maximè delectetur, atq; glorietur. Sed enim, ad maiorem præfatæ scientiæ, explicationem facere etiam videntur, quòd practicam cognitionem dominij Christi signatè exprimant; ac si dicat: Omnia libentissimè contemno, & pro detrimento duco, vt valem, ac tantum dominum suscipiam, eique inseruiam: Hispanè cognitionem sic omnino explicaremus sensu dato, *Todo lo dexo de buena gaña por conocer tal Señor.* Et quidem rectissimè. nam, vt dicebat Prosper: *Cui appropinquare, clarescere est; quem timere, gaudere est: cui seruire, regnare est.* Quò etiam faciunt egregia hæc Fulgentij verba epist. 6. ad Theodorum *de conuersione*, c. 4. (Fulgent.) *Si qui ergo rerum temporalium, & mutabilium amore contempto in illius dilectionem transeunt: in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur; in eo securi, in quo nihil metuitur; in eo verè sempérque gloriosi, cuius vera, & sempiterna gloria. nec aufertur, nec minuitur, nec augetur.* Pende illa, *in ipso erunt pleni, in quo nihil* indigetur, quibus allusum videtur à Fulgentio ad id Pauli ad Colos. 2. 10. de Christo: *In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti*; ex quibus facili conse

consecutione subinfertur, cum qui Christo adhæret, omnium bonorum affluentiam, & quamdam illius summæ felicitatis participationem assequi. Vnde videris non aliud inter Christi, & sæculi bona interesse discrimen, quàm, quod inter plenitudinem, & vacuitatem, copiam, & inopiam intercedit.

8. Illud maximè obseruandum in lectione Tertul. *præ comparatione agnitionis Christi*, ad terrena bona contemnenda, & proculcanda, nihil esse efficacius, & opportunius, quàm cœlestia & æterna iuxta illa apponere, & vtraque inter se comparare, tanta enim cœlestium rerum præstantia, atque excellentia, vt nec diu, nec ancipiti consilij lance deliberare opus sit, quæ præ aliis eligi, & amplexari debeant. Sic de diuina Sapientia præ omnium mundi thesauris à se electa, atque dilecta dixit Salomon Sapientiæ 7.8. *Et præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.* Quibus in verbis appositè aperit sapiens, quanta sit efficacia, & robur comparationis, & collationis vtrarumque rerum inter se, quando ad sapientiæ, siue virtutis præsentiam, quæ illius maiestas, & splendor est, omnia, quæ in rebus creatis pretiosissima habentur, quamcumque antea lucem, & æstimationem habebant, omnino amittunt, & nullius pretij digna esse censentur. Certè nonnulli, immò plures, ne dixerim omnes, diuitiis plurimum tribuunt; eodemmet Salomonem ipsomet Sapientiæ libro, c.15. 12. auctore, de sui, simúlque de nostri temporis hominibus dicente, *Multi æstimauerunt lusum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere vndequaque etiam ex malo adquirere*, quod videtur expressisse ille, qui clamabat,

Tertul.

Sap. 7.8.

Sap. 15.12.

Horat. lib. 1. ep. 1.

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est;
Virtus post nummos. Hæc Ianus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt iuuenes dictata senésque.

Nec non apud Græcum Sophoclem alter censens,

Sophocles.

Nullum est malùm, quod cum lucro coniunctum sit.

At ij talia effutientes, ad virtutis pulchritudinem, & honestatem minimè adspexisse, nec iusta consilij lance inter illam, & diuitias comparationem instituisse, certum est; etenim si debitis momentis vtraque inter se bona expenderentur, & conferrentur; virtutísque pulchritudo, æterna præsertim mercede ornata, animi oculis obiiceretur; haud dubium, quin à quouis, qui rationis omnino expers non esset, ingentibus auri, argētique thesauris longo interuallo anteferretur. *Tantus enim splendor honestatis est* (inquit Ambros. lib. 2. officior. c. 1.) *vt vitam beatam efficiant tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ. Et ideo sicut exortus Sol Lunæ globum, & cætera stellarum abscondit lumina, ita fulgor honestatis; vbi verò, & incorrupto vibrat decore, cætera, quæ putantur bona secundùm voluptatem corporis, aut secundùm sæculū clara, & illustria, obumbrat.* Quare expende tum ea verba, *in comparatione illius*, Græcè, συγκρίσει, id est, comparatione iudicante ea, quæ simul comparent, & comparantur, quo gustu opportunè dixit Seneca epist. 81. *Sapiens inter se omnia comparauit*: tum illa *in conspectu eius* Græcè ἐναντίον: hoc est, *ex aduerso*: vt videlicet vtraque bona, inter quæ comparatio fit, vicina, & in proximo sint, siue alia iuxta alia, vel è regione posita, vt quæ potiora, & excellentiora sunt, suo splendore, minorum bonorum lucem coërceant. Quo it Græca paræmia: ἡ πορφύρα πρὸς πορφύραν διακριτέα. *Purpura iuxta purpuram diiudicanda est*. quòd certissimum iudicium ex collatione nascatur. Accipit verò egregiam id prouerbium lucem, quam nostro itidem instituto mutuatur, ex iis, quæ de pallio quodam purpureo, quod in Iouis templo inerat, cum quo reliquas purpuras alij conferebant sic scribit Flauius Vopiscus in Aureliano Imperatore. *Meministis fuisse in templo Iouis Opt. Max. Capitolini pallium breue purpureum lanestre, ad quod cum matronæ, atque ipse Aurelianus iungeret purpuras suas, cineris specie decolorari videbatur cætera diuini cōparatione fulgoris.* Nec minus opportunum fuerit, quod hunc alludens inquit Quintilianus lib. 12. c. *de generibus dicendi*. dum agens de dictione mediocri, ait, eam per se admirationem habere: sed admotis iis, quæ eximia, & dilucida sunt, desinere esse admirationi, quod comparatione meliorum, mediocra emoriantur. *Habet*, inquit, *admirationem, neque immerito. nam ne illud quidem facilè est. sed euanescunt hæc, atque moriuntur comparatione meliorum: vt lana tincta fuco, citra purpuras placet, at si contuleris, etiam lacerna conspectu melioris obruatur.* Magna ergo emphasi inquit Salomon, comparationem inter virtutem, & ea omnia bona, quæ in sæculo maximè splendent, solenniter, & æqua consilij lance factam, eam vim habere, vt, quæ antea pretiosa, & splendida videbantur, quanta quanta sint, admota virtutis maiestate, & dignitate ita euanescant, & emoriantur, vt non aliud, quàm exiguus arenæ puluis reputari debeant, & cineris specie decolorari videantur diuini comparatione fulgoris. Illustrat hæc Cyprianus lib. de *laude Martyrij*, elegantissimis, & opportunissimis hisce verbis. *Quod si te dignitas ambitiosa deterret, & congesta in thesauris pecunia admonet magnitudo. quæ semper propositum bonæ mentis auertit, & deuotam pro Domino suo animam furiali elidit horrore, quæso repetas verba cœlestia; nam & ipsa vox dicentis est Christi*, Qui perdiderit animam suam pro nomine meo, recipiet centuplum in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam, *quæ vtique nihil maius, nihil aptius, nihil vtilius computare debemus. Nam licèt pretiosarum vestium more purpura in imagines currat, & lentescētibus filis erret ad speciem. nec defossis grauia, quibus incumbis desinit metalla thesauris, vacua tamen, ni fallor, & inania ista computabuntur.* Hæc Cyprianus. En egregium, & cumulatissimum comparationis fructum.

Ambros.

Græc. lect. Seneca.

Flau. Vop.

Quintil.

Cyprian.

Matth. 10. & 19.

Pergit verò Salomon, & nouos per comparationem, & collationem rerum profectus faciens, de sapientiæ maiestate & pretio à se facto subiicit, *& proposui pro luce habere illā*: hoc est, pro Sole, & almæ lucis vsu: sed epitasim habet illud *proposui*: ac si noua hęc mentis opinio, & recens animi propositum sit. Sanè eodem libro, c. 4. versu 12. dixerat, *fascinatio nugacitatis obscurat bona*; assignans sæcularibus bonis non nihil lucis, & si falsæ, atque malignæ, quæ virtutis dignitatem, atque præstantiam obscuraret, & ad ignorantium, siue cęcutientium adspectum, imminueret, eo modo, quo de dæmone imbecillium oculos præstringente, sub hoc sensu oppositè inquit Ambros. libr. 2. de interpellatione, cap. 4. *Non potest illuminare, quia non possidet lucem*. sed transfigurat se in Angelum lucis, *vt decipiat incredulos, transfigurat autem se simulatione falsæ lucis, non splendore perpetuæ claritatis. Vnde & Saluator*, Videbam Satanam sicut fulgur; *nec fulgur est. sed sicut fulgur.* Ait ergo 9.

Ambros.
2. ad Cor. 11. 14.
Luc. 10. 18.

modò de Sapientia, & spiritualibus bonis Sapiens: *propojui pro luce havere illam*. iustissimum falsæ terrenarum rerum luci talionem reddens, vt quemadmodum illæ vera bona priùs obscurauerant, ita collatione, & comparatione inter vtraque iam facta, à virtutis splendore, & maiestate obscurentur, atque obtuantur: sic dixit opportunè Seneca.

Senec.

Non potest in tanta Solis claritate scintilla habere momentum. Virtus ergo lux, Sol, omnisque quo irradiamur fulgor, ad cuius præsentiam quæcumque in sæculo collucere videbantur, euanescunt, & sese ab omnium conspectu auferunt. Vt vel hinc præter superiùs datam explicationem denuo coniicias, cur de omnibus mundi bonis absolutè pronunciauerit Salomon,

Eccl. 1. 2.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, Ecclesf. 1. 2. Adeò ne inania, & vana dixeris hæc, post quæ toto impetu, & eruditum & rude vulgus cursu vidit;

Chrysost.

Non est cælum vanum (inquit Chrysost. hom. 12. in epist. ad Ephesios elucidans verba) *neque terra vana, absit. Non Sol, nec Luna, nec astra, nec corpus nostrum; hæc enim sunt omnia valdè bona.* Nec minus oppositè de pluribus aliis rebus idem dixeris: cur ergo vana omnia & vanitas à Salomone dicuntur; Respondent plures è Patribus, quòd vt in se vanæ reapse non sint, cum æternis tamen, & spiritualibus bonis compositæ vanæ, & inanes reddantur. Ita Athanasius in synopsi,

Athanas.

ad hæc verba inquiens: *Per id verò, quòd ista vanitatem esse dicit, futurorum bonorum æternitatem significat. Quapropter & vniuersa transcendens hortatur, vt æternorum memoriam seruemus.* Et post nonnulla, *Non vt creaturam criminaretur, sed vt æterna contemplatus temporariorũ desiderium admoneret esse vanitatem.* Similiter Nyssen. indidem

Nyssen.

aiens: *Huc tendit vox Ecclesiastæ non oportere ad hanc sensilem intueri vitam, quæ si conferatur cum ea, quæ verè est vita, non est, nec potest subsistere.* Quare *non est, nec potest subsistere*, quæ antea erat, nec denuo mortem, aut vulnus in se ipsa suscepit? Quia nimirum ad cælestium bonorum præsentiam terrena hæc omnino euanescunt, atque extinguntur: ita in sapienter Hieron. eum locum his

Hieronym. Exod. 34. 33.

verbis. *Legimus in Exodo gloriatum vultum Moysis in tantum, vt filij Israël eum aspicere non possent. Quam gloriam Paulus Apostolus ad comparationem Euangelicæ gloriæ dicit esse, non gloriam.* Nam nec glorificatum est (inquit, quod glorificatum in hac parte propter excellentem gloriam, 2. ad Co-

2. ad Cor. 3. 10.

rinth. 3. 10.) *Possumus igitur, & nos in hunc modum cælum, & terram, & omnia quæ in hoc circulo continentur, bona quidem per se dicere, sed ad Deum comparata pro nihilo.* Hæc ille subiicit statim eamdem cogitationem, & imaginem, quàm illustramus, *& quomodo si igniculum lucernæ videns, contentus essem eius lumine, & postea orto Sole non cernerem quòd lucebat: stellarum quoque lumina, iubare viderem Solis abscondi. Ita aspiciens elementa, & rerum multiplicem varietatem, admiror quidem operum magnitudinem, recogitans aut in omnia pertransire, & mundum suo fine senescere, solúmque Deum, illud semper esse quod fuerit, compellor dicere non semel, sed bis:* Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ita Hieronym. quasi diceret. Quis cùm cœlum tempesta nocte serenum est, tot cœlestium luminum claritatem, & splendorem non miretur? atque hîc Iouis, illic Martis, vel Veneris sydera: miro fulgore collucentia non animaduertat, & laudet? at enim cùm primùm Sol exoritur, immensum eius iubar, non modò eam pulchritudinem castigat, atque coërcet, sed etiam obscurat, & extinguit; ad quem proculdubio modum dum cœlestia bona animo non affulgent, sæcularium quidem rerum sydera ad speciem splendere videntur: & hinc regnum Iouis, illinc arma, siue trophea Martis; tum Veneris decor, & pulchritudo: nec non Mercurij diuitiæ conspicua apparent, & illustria. Verùm enim verò, cùm Sol iustitiæ Christus, æternáque ipsius beatitudo exoritur; assiduáque cogitatione animo versatur, quæcumque antea splendebant, euanescunt, & emoriuntur diuini comparatione fulgoris. *Non enim potest in hac claritate Solis scintilla habere momentum.* Certè dum Philo lib. 3. de vita Moysis, ipsum ob peccatum idololatriæ populi Israëlitici grauiter indignantem facit, magnæ illius iræ peculiares causas reddit his verbis, *primum repente cæcatum esse totum populum, qui paulo antè perspicatior, sapientiórque fuerat omnibus alijs gentibus, deinde vanissimam fabulam potuisse tantum lucem veritatis extinguere, quæ nec Solis, nec vniuersorum sydrum obscurari potest deliquio, contenta est enim proprio splendore intelligibili, & incorporeo, ad quem collatus iste sensibilis, perinde superatur, ac nox cum die composita.* Hactenus Philo.

Philo.

10. 2. Mach. 7. 1.

Huc sanè illustrissimorum septem Machabæorum Martyrum, nec non generosæ ipsorum matris, lectissimæ quidem fœminæ sensa, & verba mitè faciunt. Et vt ab hac incipiam; Quid quæso fuerit? quòd ipsa vnicè sibi dilectos filios ad mortem viriliter hortaretur? & illos lacerari, vri, torreri non modò siccis oculis, sed alacri animo, & lætabunda videret:

Nazian.

Non enim filiorum, qui supplicio afficiebantur (inquit Gregor. Nazian. orat. 22.) *vicem dolebat; verum sollicito, atque anxio animo erat, ne non ipsis supplicium inferretur; nec eos, qui excesserant, magis desiderabat, quam reliquos illis adiungi optabat.* Planè, quod in cœlestes palmas, æternámque felicitatẽ pro temporalibus bonis, quæ filij despiciebant, retribuendam, interiores oculos conuerteret, ad cuius quidem conspectum & huius lucis vsura, & pulcherrimus iuuentæ flos, & cætera sæculi gaudia vndique euanescebant; Audi Chrysostom. homil. 4. de verbis Isaiæ tom. 1. vbi cùm dixisset:

Chrysost.

Stabat tyrannus, atque ab vna muliere superatus discedebat: ille armis oppugnabat, hæc animi promptitudine superabat: ille fornacem incendebat, hæc virtutem spiritus; ille exercitum mouebat, hæc ad Angelos applicabat animum. subiicit: *videbat infernè tyrannum, & in animo versabat illum in cœlis regnantem, videbat infra se tormenta, ac numerabat superna brauia; videbat præsentè cruciatum, & cogitabat futuram immortalitatem:* vt illius videlicet maiestas & splendor vtramque mundi aciem, & suppliciorum, atque præmiorum obtunderet, & hebetaret. Nec alia quidem filiis mens, aliúsve cogitationum scopus. Nimirum, quæcumque ipsis persecutor tam ferox, & truculentus, quàm blandus, & magnificus promissor hic pollicebatur, illi æternum in cœlis duratura considerabant, & dum inter vtraque bona comparationem instituebant; nec diu, nec ancipiti consilij lance deliberandum sibi censebant. quin immortalia caducis longo interuallo anteferrent: vti eos ad repugnandum tyranno sic instructos, & loquentes facit citato loco Nazianzen.

Nazianz.

Cum his rationibus in aciem prodimus, his armis instructi sumus. Iucundus quidem, & suauis hic mundus est, & patrium solum, & amici, & cognati, & æquales, & templum hoc, cuius magnum, & celebre nomen est, & patria festa, & mysteria, cæteráque

quæ ob quæ mortales omnes antecellere videmur. En præsentia bona in trutina suspensa: iam futurorum lancem hæc omnia deprimentem, & vtilissima monstantem vide. *Verum ista Deo, periculisque ijs, quæ pro virtute adeuntur, haudquaquam suauiora sunt: caue id existimes. Alius enim nobis mundus est, omnibus rebus, quæ oculis cernuntur, longè sublimior, ac diuturnior. Patria autem superna Hierusalem, quam nullus Antiochus obsidione cinget, nec spem habebit, fore, vt ditioni, atque imperio suo subijat, vtpote firmam, & inexpugnabilem, &c. Nam quod ad hoc templum attinet, cœlum longè magnificentius est. Iam verò nobis pro festo, & celebritate, Angelorum chorus est, &c.* Iam ex hac rerum collatione egregium comparationis fructum colligentes sic inferunt. *Quocirca res paruas, nulliúsque pretij nobis polliceri desine. Nec enim turpibus, & ignominiosis honoribus affici sustinebimus, nec cum detrimento coniuncta lucra complectemur: non ita infeliciter negotiabimur.* Hæc ibi.

11. Iam verò, quum his armis instructi vim Regis armatam sex egregij pugnatores elusissent, & in ipso regij furoris æstu gloriosè triumphassent: tyrannúsque, vt saltem septimum fratris natu minimi animum perdomaret, omnia calliditatis, & virium tela eò contulisset, vt illum sibi obsequentem redderet; montes illi aureos opum, honorum, regiæque gratiæ & amicitiæ promittens; etenim *non solùm verbis hortabatur, sed & cum iuramento affirmabat, se diuitem, & beatum facturum, & translatum à patrijs legibus amicum habiturum, & res necessarias ei præbiturum*, 2. Machab. 7. 24. bona mater, quæ *non secus ac auicula* (ita Nazian.) *pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiosa fera circumuolabat, stridebat, obsecrabat*: filium suum demulcens, & exhortans malignis tyranni blandimentis sic obuiam iuit. *Peto nate, vt aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt.* Pulchrè omnino. Sed obserua Græcè pro *aspicias* esse ἀναβλέψω, quod significat, *semel, atque iterum aspicere*: idémque hîc valeat ac *confer vtraque inter se*: vnde sic inferebat: *ita fiet, vt non timeas carnificem istum.* quasi apertiùs diceret, & si te, ô nate, iuuentæ flore potientem, hinc mundi gaudia, eáque omnia bona, quæ impius hic tibi ob oculos iecit; illinc verò sæuissimi cruciatus, atque supplicia, & mors ipsa terribilis, frangere pertentent, non erit tibi difficile, & illa, vt vilissima pro nihilo ducere, & hæc omnino contemnere, si ad cœlestia animum attentus applicueris, atque ea cum his terrenis, atque caducis æqua lance composueris. At si docta hæc mulier filium suum Moysis discipulum, & sectatorem fecerit; de hoc enim Paulus ad Hebræos 11. 24. ait: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Reddit rationem Apostolus: *aspiciebat enim in remunerationem.* Pende illa, *magis eligens*, & hæc, *maiores diuitias æstimans*, quibus non obscurè innuit, comparationem à Moyse inter vtraque bona factam fuisse; & dum vna ex parte regiæ aulæ delitias, thesauros, atque potentiam; ex alia cœlestis beatitudinis remunerationem in bilance appendit, magis elegisse improperium Christi, quòd vera, & æterna bona animo proposita temporalia omnia, & quæcumque Ægyptus, totúsque mundus haberet, obscurarent, & obruerent; id breuiter sic inibi præstringente Chrysostomo: *Cœlo enim proposito, erat supernacaneum admirari Regiam Ægypti.* Ad quem etiam modum idemmet Pater homil. 18. in Ioan. cùm interrogasset, quo pacto inanis gloriæ studium, & cupiditatem à nobis vinci, extinguíque possit? respondet. *Gloriam gloriæ comparauimus; quemadmodum enim terrenas diuitias contemnimus, cùm alias speramus diuitias, ita & huius vitæ gloriam, cùm longè maiorem, & veram conlectabimur, contemnemus.* Nec ab hoc iuerit Vatis sensus gloriæ magnitudinem expendentis, & terrenis rebus longè præferentis, cùm ait. *Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia*, Psalmo 83. 11. Quorum occasione sic inquit Augustin. lib. de libero arbitrio ad finem. *Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, vt si non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora; propter hoc solùm innumerabiles anni huius vitæ pleni delitiis, & circumfluentia temporalium bonorum rectè meritóque contemnerentur. Non enim falsò, aut paruo affectu dictum est.* Quoniam melior est dies vna in atriis tuis super millia.

(Margin: 2. Machab. 7. 24. — Græc. Lect. — ad Hebr. 11. 24. — Chrysost. — Psal. 83. 11. — August.)

Propter quem omnia detrimentum feci.

12. GRæcè ἡγημαι ζημίαν, *pro damnis duxi*, vt legunt Syrus, Chrysostomus, & Theophylact. & è recentioribus Vatab. & Eras. Ambros. verò sermone 8. in Psalm. 118. non sine admiratione Iustiniani, qui ad Pauli institutum id non pertinere ait, sic legit, *Omnia detrimentum passus sum.* Verùm si Græcum verbum attentiùs inspiciatur, & passiuæ significationis est, & (vt de nomine ζημία suprà monuimus significat *mulctari*, siue *damno affici*: vnde Theophylacti interpres eodem quo Ambrosius modo legit, *Propter Christum detrimentum sum ipse perpessus*, quæ sic explicat, *hoc est, iactura fore mihi reliqua omnia existimaui*: vt videris Ambrosij lectionem à nostra nihil differre. Quid enim plus, minúsve sonet hæc locutio: omnium detrimentum feci; ac ista: omnium detrimentum, aut iacturam passus sum, qui omnia, quæ priùs magna putabam, iam proieci. Arridet huic dicendi modo ille Senecæ externa continentis, atque à se proijcientis epistol. 87. *Naufragium, antequam nauem ascenderem feci*: vide illam. Ergo inquit Paulus, Propter Christum omnium iacturam feci, omnibus me spoliaui; omnia contempsi, atque proieci, omnium detrimentum perpessus sum. Vbi libet exclamare cum Paschasio ad ea Christi verba: *Qui voluerit animam suam saluam facere perdet eam, qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam*, Matth. 16. 25. *O beatum damnum, & iactura felix! saluare nos vult cum detrimento animæ, & corporis, & esse sui similes.*

(Margin: Græc. Lect. — Lect. Syr. — Chrysost. — Theoph. — Ambros. — Iustinian. — Seneca. — Paschas. — Matt. 16. 25.)

13. Quòd si ambigas, cur, cùm Græcè scripserit Paulus, *pro damnis duxi*; Vulgatus non fuerit contentus reponere, damnosa mihi visa sunt, quod translatio omnino videbatur exigere; sed potiùs *omnia detrimentum feci*; non ad mentis arbitrium, siue iudicium, sed ad bonæ cogitationis effectum, & rem executioni mandatam id referens? Respondebo Vulgatum hac locutione, non tam verba, aut sensa Pauli, quàm ipsius facta, egregiámque rerum omnium despicientiam, atque contemptum dum non mente solùm, aut iudicio, sed reapse à se cuncta proiecit; & omnibus sese spoliauit, exprimere voluisse: id nobis simul innuens, eum solummodo inter sapientes, & à Deo

Deo illuminatos fore censendum, qui sæculum, ac sæcularia negotia, quæ pro damnis ducit, reapse relinquit, atque contemnit, non illos qui dum ipsa verbo tenus vituperant, atque lacessunt, sese ab illis expedire, & extricare nesciunt, aut nolunt. Quod adnotat. 11. fusiùs persequemur. Deinde, peculiarem emphasim huic dicēdi modo inesse dixeris ad denotandam egregiam animi promptitudinem, qua Paulus non lentè, aut cunctanter, sed alacriter omnia propter Christum terrena despexit, & conculcauit: aliter quidem ac amicum sic monens Senec. epistol. 22. *Totis viribus age, vt te istis officijs exuas. Et quidem quam sententiam feram, attende. Censeo, aut ex ista vita tibi, aut è vita exeundum*, nescio qua ignauia à se ipso discordans subiiciebat. *Sed illud idem existimo, leni eundum via, vt quod malè impleuisti, soluas potius, quàm abrumpas; dummodo si alia soluendi ratio non erit, vel abrumpas.* Ignauè quidem, vel ineptè. Quid enim opus sit? in fœdere cum sæculo malè inito eam amicitiæ legem seruare, qua præscribitur; *amicitias dissuendas, non scindendas esse*: & non potiùs, vt mundum iusto, & felici damno perdas; te ad Alexandri modum, gustúmque componere? inane, & infelix mundi lucrum, atque dominium ex Herculano nodo sibi auspicantis, quem, vt inquit Ausonius scribens Paulino, *cum soluere non posset abscidit*. Ita omnino Apostolus. *Omnia* (inquit) *detrimentum feci*, & alibi: *continuò non acquieui carni, & sanguini*, ad Galat. 1. 16. quod malè implicitum erat non tam soluens, quàm abrumpens, nodúmque nulla data mora vno incunctanter ictu abscindens. Sic quidem in Elisæo sese Heliæ magistro addicenti obseruauit S. Nilus in Ascetico nullas sibi inducias sumpsisse, quin præ ardentis studij cupiditate omnia statim relinqueret; ita enim ille: *Quomodo igitur Elisæus, cum se Heliæ magistro addiceret, mundo renunciauit*: Reperit (inquit) Elisæum arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat. Et tulit par boum, & mactabit illud, & in aratro boum coxit carnes, 3. *Reg.* 19. 21. *Hæc promptum ardentis animi studium declarant. Neque enim dixit, Vendam instrumenta boum, & prudenter disponam. Neque considerauit, ea, si venderentur, emolumenti plus allatura. Sed cùm totus esset incensus cupiditate, qua ad magistri necessitudinem rapiebatur, neglexit ea, quæ videntur, & ab illis se tamquam à recto proposito reuocantibus studuit explicare. Sciebat enim sæpè procrastinationem pœnitentiæ causam extitisse.* Hæc Nilus.

Seneca. | Auson. | ad Gal. 1. 16. | S. Nilus. | 3 Reg. 19. 21.

14. Et verò eò opportuniorem hanc obseruationem esse censueris, quòd præcedentibus verbis iuxta lectionem Tertul. *præ comparatione, &c.* comparationem ab Apostolo inter vtraque bona factam diximus; etenim non est id perinde capiendum, quasi de Christo eligendo, diu, & dubia consilij lance vtriusque rei momentis expensis, & longa consultatione adhibita deliberauerit; quod comparationis, & collationis vis exigere videtur, sed quod ad primum irradiantem Christi splendorem atque ad virtutis pulchritudinem leui oculo conspectam, omnia alia detrimentum, & stercora statim fuerit arbitratus; nimirum cùm spiritualia, & cælestia bona cum terrenis comparantur, vt potiora præ aliis eligantur, quò plus diuina luce irradiante spiritualia, & diuina, se produnt, atque manifestant, eò minus exacto comparationis vtrinque factæ libramine opus est. Vnde alibi idemmet Apostolus cùm cælestia, & terrena inter se comparasset, inquiens. *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. ad Corinth. 4. 17. vbi Chrysostom. *præsentia* (inquit) *cum futuris componit, in præsenti nempè cum æterno, leue cum graui, tribulationem cum gloria*; sic statim infert: *non contemplantibus nobis, quæ videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ verò non videntur, æterna.* Preme illa, *non contemplantibus nobis*: est namque accurata, & ad hanc rem quæsita locutio: non enim dixit Paulus; non videntibus, aut non aspicientibus nobis; quomodo enim hæc cum illis conferre potuet; nisi vtraque vidisset? Sed *non contemplantibus*; nimirum verbum *contemplor*, vel ad animum potius rem attentiùs considerantem, quàm ad oculos refertur, dicente M. Tullio pro Deiot. *animo contemplare, quod oculis non potes*, vel significat diligentem, & accuratum intuitum, qui in abdita fertur, seu qui res circumquaque perlustret; vnde Grammatici dictum volunt à templo, id est, à loco, qui ab omni parte aspici potest: sic dixit idem Cicero de orat. *Seu ea cum contemplari cuperem vix aspiciendi potestas fuit*: vt his verbis significet Paulus, adeò infra virtutis, & cœlestium rerum dignitatem terrena omnia esse; vt indignum sibi videatur, ad hæc attentiùs aspicere, vt cum illis ancipiti consilij lance componat: quia videlicet, *quæ videntur temporalia sunt, quæ verò non videntur æterna*: ac si dicat, quia cœlestia terrenis adeò excedunt, vt si hæc cum illis in trutina suspendas Pegaso testudinem comparare videaris, vt de rebus nequaquam inter se ob infinitum pænè excessum conferendis Græca habet parœmia. A quo non longius iuit Seneca cùm dixit epistol. 92. *Quid autem fatuus? quid indignius? quam comparare veneranda contemptis? veneranda enim sunt fides, iustitia, pietas, fortitudo, prudentia: è contrario vilia sunt, quæ sæpè contingunt pleniora vilissimis; crus solidum, & lacertus, & dentes, & horum sanitas, infirmitasque.* Ita Seneca.

2. ad Cor 4. 17. | Chrysost. | M. Tull. | Cicero. | Seneca.

15. Didicit hanc ab Assertore mentem Apostolus, cui vix omnia regna mundi, cunctúsque illius splendor, & gloria à nequissimo dæmone ostensa sunt, vt illa præ Dei amore eligeret, cùm statim nulla omnino interposita mora, explosa omnia, & cum ipso offerente repudiata, & contempta sunt. Etenim iis in verbis Matth. 4. 10. *Tunc dicit illis Iesus, Vade Satana*: Græcè pro particula *tunc* est τότε, quæ eam vim habet ac *statim, continuò, quam citissimè.* Qui quidem sensus subesse etiam commodè potest (quem simpliciorem & germanum credimus, ad cap. 1. vers. 3. adnotat. 1. numer. 10. dedisse me memini) iis Canticorum verbis cap. 8. 2. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despicient eam*, vt sermo sit de anima eximiæ sapientiæ, & sanctitatis; cui magnus quidam homo (phrasi enim Hebræa *homo* idem valere solet, ac *quisque*, siue *quicumque ille sit*, Rex videlicet potentissimus, aut prædiues aliquis Dynasta, siue etiam malus dæmon) qui & *princeps huius mundi*, Ioan. 12. 31. & *inimicus homo* appellatur, Matth. 13. 28.) quotquot habet thesauros, & domus ornamenta, ea lege offerat, vt à Dei obsequio deflectat, ille verò cum opum, siue thesaurorum cumulum, regiúmque splendorem continuò, absque vlla cunctatione, aut hæsitatione despiciat, atque contemnat, rem omnino indignam æstimans,

Matth. 4. 10. | Græc. Lect. | Cant. 8. 2. | Ioan. 12. 31. | Matt. 13. 28.

mans, quæ iustitiæ, & pietati in Deum aliquo modo valeat comparari. Vt si quis (inquit ibi P.Martinus Del Rio) pro ea offerat omne aurum Indiæ, & quidquid vbique gemmarum, vel thesaurorum est, oblata despiciens spernet; aurum dicet, arenam vilem esse, & argentum quasi lutum in conspectu eius: tu, tibi dicet, habeto quisquilias tuas, margaritum vitro non vendo. Benè id, sed enim tam in lectione Hebræa, quæ habet, *despiciendo despiciet eam*, scilicet, oblatam substantiam domus: quam apud L X X. reponentes *contemptu contemnent eum*; & similiter apud Symmachum, *spretus spernetur*; is nimirum, qui obtulit, siue tentauit; ea eiusdem verbi conduplicatio deliberationem denotat non solùm valdè firmam, & ex animo profectam, sed etiam nulla mora, aut hæsitatione, siue perplexitate suspensam; ad eum modum, quo de Ioanne Baptista, cùm ei Messiæ munus, & diuini honores à Pharisæis oblati sunt, quos si ille admitteret, ad mortem peccaret; alter Ioannes dixit, & confessus est, & non negauit; & confessus est, quia non sum ego Christus, Ioan. 1. 20. Ea siquidem verborum repetitione, & coaceruatione dixisse videtur, despiciendo despexit id minus dum illico, & ineunctanter à se remouit.

M.Del Rio. — L X X. — Symmac. — Ioan. 1. 20.

16. Vnde quidem videris cur non vno, & eodem modo sapiens ille negotiator apud Matth. 13. 44. & fortis illa mulier à Salomone celebrata Prouerb. 31. 16. in agro coëmendo se gesserint; sic enim de illo Dominus: *Simile est regnum cælorum thesauro, abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius abit, & vendit vniuersa, quæ habet, & emit agrum illum.* & statim de simili emptore: *inuenta vna pretiosa margarita abit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit eam*; de egregia verò ea fœmina Sapiens, inquit: *Considerauit agrum, & emit eum*: vbi vides, hanc empticem non nisi præuia vtriusque rei consideratione, & comparatione inter pretium erogandum, & agrum coëmendum priùs facta, eum fuisse mercatam, illum verò negotiatorem, cùm primùm vidit thesaurum in agro; nec per temporis instans fuisse immoratum, cùm statim magna cum alacritate cuncta, quæ habebat, pro illo profuderit; nec enim vlla comparationis, aut agri & pretij illius considerationis, siue collationis hîc mentio fit. Sed quæ huius discriminis ratio? Sanè, quòd apud Salomonem de emptione rerum temporalium, vt pluribus interpretibus placet; apud Matthæum verò de spiritualium bonorum mercatura agatur; vt autem illic prudentiæ est, inter id quod emitur, & pretium, quod exhibetur, aliquam collationem, & comparationem fieri (hinc enim forsan Hispanè dicimus *comprar*) ita in cœlestium bonorum negotiatione eorum dignitate, & maiestate cognita incunctanter, & absque vlla hæsitatione terrenis omnibus præferenda sunt. Dicat etiam forsan non nemo de cœlestis thesauri negotiatione vtrobique sermonem esse; at enim apud Salomonem de sapiente; apud Matthæum verò de sapientiore negotiatore agi; quorum alter comparationem lentiùs instituerit, eique tantisper hæserit, alter verò ad Pauli morem statim, & absque vlla hæsitatione omnium detrimentum fecerit, vt Christum lucrifaceret. Ad quam cogitationem facit, hunc sapientiorem sub viri; illum verò sub mulieris persona adumbratos fuisse. Apponat, qui hæc dixerit, vtriusque negotiatoris exempla; mulieris quidem fortis, hoc est, sapientis animæ in Susana; viri verò fortissimi, hoc est, animi sapientis in Iosepho, dum vterque ad adulterium pellicitur, illa à pessimis senibus Daniel. 13. 22. hic autem ab improba hera Genes. 39. 7. Sed dum ambo ea in re sapiens consilium capiunt, vide discrimen virilis à fœmineo animi, hæc enim non sine aliqua licèt perleui hæsitatione sic rem vndique ponderauit, *Angustiæ mihi sunt vndique, & quid eligam ignoro; si enim hoc egero, mors mihi est* (id est, vt ego existimo, si nefas istud commisero, rem mihi molestissimam perficiam, ac si Hispaniè dixerit: *Es me el pecar à par de muerte*) *sin autem non egero, non effugiam manus vestras.* Vnde tandem infert, *sed melius est mibi incidere in manus vestras, quam derelinquere legem Dei mei.* Sapienter quidem, sed rerum momentis vtrinque expensis. At Iosephus, dum ad adulterium vrgetur, statim nulla interposita hæsitationis, aut ancipitis consilij mota illud repudiasse sic dicitur, *qui nequaquam acquiescens operi nefario dixit ad eam, quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Sapientiùs quidem, dum præ animæ salute voluptatem carnis despiciendo despexit, iniuriam sanè non leuem virtuti irrogari existimans, si fœdam voluptatem cum ea certare permitteret.

Matt. 13. 44. — Prou. 31. 16. — Dan. 13. 22. — Gen. 39. 7.

Et arbitror vt stercora.

GRæcè plusculum energiæ esse videtur ad exprimendum contemptum, & despicientiam; sic enim habetur σκύβαλα εἶναι: *stercora esse*, quibus innuit Paulus eam ipsius mentem esse, vt illa quorum iacturam fecit, non tam vt stercora habeat, quàm reapse stercora esse existimet: & verò Græca vox σκύβαλα, stercus, vel fimum primariò significat, vt noster interpres reddidit, sed inde etiam ad significandam rem vilem, & quæ per contemptum abiicitur, non raró sumitur: vnde Hieronym. Dialog. contr. Pelagian cap. 3. vertit *quisquilias*. Theodoret. verò, & Græci *paleas*, seu *aristas*. Cyril. Alexand. lib. de fide ad Reginas, cap. de Epistola ad Philipp. *rudera*: hoc est, *lapidum frusta*, quæ ex ædificiorum ruinis supersunt, & proiiciuntur; vt constat ex Suetonio in Nerone, cap. 38. dicente; *Pollicitus cadauerum, & ruderum gratuitam egestionem.* Basil. in regul. interrogat. 8. generali vocabulo, *reiectamenta*. Addunt nonnulli nimis peculiare id vocabulum esse; propriéque significare eas sordes, quæ ex pecorum intestinis egeruntur. 17.

Græca Lect. — Hieron. — Theodor. — Cyr. Alex. — Sueton.

At quæ hæc sunt, quæ Paulus arbitratur, vt stercora; siue quæ stercora esse existimat, aut quisquilias, rudera, vel reiectamenta? Hieronym. quidem in cap. 2. Abacuc impium censet affirmare, sermonem his verbis de lege veteri à Paulo institui, cùm ipsa, Dei testamentum sit: ac proinde non nisi de falsa interpretatione à Pharisæis illi adhibita capiendum; sic enim ipse: *Non quòd lex vetus, vt Manichæi arbitrabantur, ad comparationem Euāgelij σκύβαλα computetur, cùm vnius Dei vtrumque sit testamentum, sed quòd doctrina Pharisæorum, & præcepta hominum, & deuteroses Iudæorum, stercora dicantur ab Apostolo.* Sic ille. Sed enim, vt hæc exponendi, siue censendi ratio, cum Hieronymi sit, non possit non mihi probabilis, immò, & venerabilis esse: at seueriorem, & rigidiorem, quàm par est, censuram continere, meritò dixeris, cùm Basil. & Græci PP. superiùs adducti de lege, siue de legis cæremoniis olim florentibus, & stantibus, & velut paleis triticum confouentibus, iam verò inutilibus, & superuacaneis 18.

Hieron.

canicis aristis, siue ædificiorum, aut ruinarum frustulis hæc acceperint. Sic enim Theodoret. Theodor. ἀνύβαλα, crassior, & durior palea, seu arista nominatur; ea autem fert frumentum, sed postquam collectum est frumentum, ea eijcitur: ita lex Christum ostendit; postquam autem is apparuit, ea deinceps est superuacanea. Vbi simul vides, quomodo hæc expositio cum Manichæorum hæresi; quod timebat Hieronym. non concurrat. Sed enucleatiùs id etiam animaduertit Theophylact. inquiens: Theophyl. *Quod si de lege hac illum dixisse intelligimus, neque hoc pacto iniuria legi infertur. Atqui paleæ sunt purgamenta frumenti, quæ & frumentum tutantur, & illi afferunt firmitatem. His demptis, nec triticum ipsum constabit. Quo enim modo sine stipula, vel calamo illud consistet, alioquin emergente frumento, & lecto, resident inutiles paleæ, sic gratiam lex ipsa, & obfirmat, & facit testatiorem. Verumtamen cum gratia apparebit, nequaquam amplius erit legis huiusce scriptis manendum.* Hæc Græci satis modestè de lege, & legis cæremoniis locuti. Acriùs Anselmus, & Primas. Quorum prior, Anselm. *Quod plus est* (inquit sub persona Pauli) *arbitror ea, non tantum vt detrimenta bonorum, sed vt stercora, id est, quæ coinquinent iam obseruatorem.* Primas. Primas. verò; *Omnia cæremonialia legis proieci.* Stercora, *ciborum sunt reliquiæ, & rerum quondam vtilium purgamenta.* Sic ille.

19. Verùm enimuero, vt appositè, atque opportunè hæc dicantur, potiùs est, vt iuxta ea quæ ad præcedentia verba, *veruntamen existimo omnia detrimentum esse,* numer. 1. diximus, non solùm de legis cæremoniis, sed etiam de mundanis rebus, & ijs omnibus, quæ in sæculo pretiosissima habentur, cum Chrysostom. & eodem Thephylact. quibus Gregor. Magn. lib. 8. Moral. cap. 14. Bernard. in allegor. Gotfrid. Tilman. in Ecclesiasticum, & Ambros. lib. 2. officiorum, cap. 3. assentiuntur; hæc generaliùs accipiamus: Chrysost. Theoph. Greg. Magn. Bernard. Ambros. *Non dum quidem manifestum est* (inquit Chrysostom.) *quisquilianam nomen de lege dici; verisimile enim est, Paulum de mundanis rebus dicere.* Similiter Theophylact. non omnino acquiescens in præfata expositione. *Nondum tamen perspicuum fecit; cui rei gratia omnium iacturam hic fecerit; nisi forte bonorum fortunæ, & sæculi huius dixerimus.* Luculentiùs Bernard. componens hæc verba cum illis Eccle. 22. 2. Ecclesiastici 22. 2. *De stercore boum lapidatus est piger,* ad hunc modum. *Væ misero, qui dum stercoratur, puta ornari. Bos erat Paulus, qui omnia mundana arbitrabatur, vt stercora, vt Christum lucrifaceret. His vero stercoribus lapidatur piger, qui ea amplexatur, & Christum lucrifacere negligens corde vacuo, & deserto foras cogitur euagari.* Similia habent alij PP. Qui sanè sensus ad mores formandos, & vanitatem sæcularium bonorum traducendam videtur opportunissimus, vt ex adnotationibus constabit.

Vt Christum lucifaciam.

20. EN Pauli scopum, & necessariam rationem cur felici damno omnium iacturam fecerit; & quidquid in mundo splendet, stercus, & reiectamenta existimauerit, vt Christum lucrifaciat: Anselm. *id est,* (inquit Anselmus) *in futuro Christum habeam præmium; & hic sim in illo membrum.*

Ad ea verba, *Arbitror vt stercora,* siue *quisquilias.*

ADNOTATIO I.

Fallacem, impostorémque, siue præstigiatorem mundum esse; cuius bona extrinsecus splendent, intus nihil sunt.

MERITO de homine dixeris, quod de leone Plinius lib. 8. cap. 16. 1. Plin. *Omnis vis constat in oculis;* quippè, vt Magister vitæ admonet, Luc. 11. 34. *lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit:* id est, vt ego interpretor, ab acie oculorum, vera, & simplici, & terrenis humoribus, siue cupiditatibus non infecta, vitiata, aut fascinata, tota spiritualis valetudinis, & vitæ ratio dependet; dum homo res, quales sunt, non quales videntur, intuetur & prout videt, pretium illis imponit, ac pro meritis amplectitur, siue reiicit. Exemplum, siue exemplar sit tibi Paulus, qui dum Christum de facie non agnoscebat, & corporeis, siue carneis oculis sæcularia hæc & terrena intuebatur, *lucra* illi, & magnifica atque splendida bona videbantur; at postquam *ceciderunt squammæ ab oculis eius,* Act. 9. 18. Actuum 9. 18. terreni videlicet humores, qui illos corrumpebant, & obcæcabant, omnia vt stercora, quisquilias, & reiectamenta arbitratus est; ita quidem dicebat Regius Vates Psal. 36. 35. Psal. 36. 35. *Vidi impium super exaltatum, & eleuatum super cedros Libani: & transiui, & ecce non erat.* Vbi si inquiras, quónam modo eadem orationis serie dicat Dauid se dum via incederet impium, siue sæculi armatorem, velut pulcherrimam arborem frondibus, & fructibus ornatam, & luxuriantem, quæ vertice quodammodo cœlum pulsaret omnibus, scilicet, Fortunæ; auro, argento, curiosa supellectili; domo aurea cælatura vibrante, imperio, honoribúsque florentē vidisse, & in ipsomet oculorum; illum non esse, nec locum, vestigiúmque sui reliquisse, certissimo intuitu penetrasset multiplici responsione dubitationem tuam opprimunt Patres, atque interpretes: dum id siue ad sæcularium bonitatē, quæ in ictu oculi florent, & transeunt; siue ad comparationem cum veris, & æternis bonis, in quorum claritate, nullum hæ scintillulæ possunt habere momentum, subtiliter referūt: & nos in sequentibus adnotationibus latiùs expendimus. At enim, sic placet modò premere verbum illud *transiui,* vt affirmet Vates se cùm de externo aspectu ad interiorem animi aciē & contemplationem pertransiuit, haud difficilè penetrasse externa hæc bona dum auro, argentóque vibrant, insolitam oculorum eius aciem perturbasse, ac fefellisse, vt aliquod illis ipse pretiū gratis fecerit, cùm reapse nō essent, siue nihil essent. Ergo ait, *transiui, & ecce non erat:* hoc est, Non fuit opus, vernantem hanc, & florentissimam arborem mortis securi excidi; nec mentis meæ aciem ad cœlestia bona conuertere, vt omnino cognoscerem, nihil illi solidi, ac veri boni subesse; id enim sola animi acies, & intenta interiora lumina præstitere: sunt enim ea omnia vanitas, vmbra, nihil, ideo obserua non dixisse Psaltem, transiui, &

& ecce non fuit, aut non erit, sed notanter; *ecce non erat*: vt dicere videatur: ecce non erat, quod videbatur: ecce eodem temporis puncto in quo sese pulcherrimam ostentabat, reapse non erat, nihil erat, vmbra erat, hæc apposite ad hunc sensum dirigentibus Ambros. & Zenon. Veronen. Quorum prior in
Ambros. eum locum sic ait: *Vidi eum in sæculo hoc, vidi oculis corporis. Vidi etiam eleuantem se, & superexaltatem sermonibus suis æstimantem se aliquid esse, qui nihil est. Quo se superexaltat?* Ponam (inquit) thronum meum
Isai. 14. 13. super nubes: & ero similis Altissimo, &c. *Vides cedrum in monte altissimo superexaltatam: sed vento frangitur, sed igni exuritur, sed vetustate dissoluitur. Ita est diues in sæculo. Fulget quidem splendore gratiæ sæcularis, vt Libanus. Nixus est mundi potentia, opibus, & diuitiis exultat. Videtur tibi aliquid esse antequam dicas:*
Exod 3.3. Transiens videbo, Exod. 3.3. *Sicut enim Moyses animo, & mente transiuit materialia, & Deum vidit; & tu si transeas hinc, ad Dei gratiam vestigium mentis attollens, videbis eum nihil esse, qui in hac terra sibi potentissimus videbatur.* Et post pauca: Transiui, & ecce non erat, *hoc est, vidi eum superexaltatum in sæculo, antequam considerarem, quia nihil est sæculum, vbi autem transiui mente supra mundum, vbi quia iam non erat, qui erat superexaltatus in hoc mundo.* Opportunè illud, *vidi quia non erat, qui erat, &c.* quia quod erat, non erat, id est, aliud erat ab eo, quod esse videbatur: nimirum externis oculis lippientibus, & cæcutientibus, siue terrenis cupiditatum humoribus infectis aliquid apparebat cùm reapse nihil esset; nihil enim est sæculum, nihil sæcularia sunt; sed vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Similiter Zeno in Psal.
S.Zen.M. 128. inquiens. *Quem admiratus in sæculi rebus est, quē in corporeis opibus manens excelsum, elatumque comperit, hunc transiens, id est, peregrinus sæculo factus, & in cœlestem, ac spiritalem cognitionem det errenis, & caducis rebus excedens pro nihilo habuit, etiam non esse duxit, & mortuum deputauit.* Sic ille Vt iam dum videris impium exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani quæ pulcherrima coma, & frondibus florēt; meritò de illo dixeris, quòd nescio quis ab auaro quodam, siue homine plus iusto frugali inuitatus cùm eius ianuam omni viridium ramorum, frondium, florúmque pulchritudine instructam; mensam verò vacuam, ieiunámque vidisset; pulchrè in vocibus ludens dixisse fertur,

Vbi maius in foribus adest,
Miraris esse intus minus?

Ita quidem emphatica locutione apud Iob cap.
Iob 20.5. 20.5. dicitur: *Hoc scio à principio, quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Quo in loco non tam breuitatem, nam id ad sequentem adnotationem spectat, quàm inanitatem, & vacuitatem terrenæ felicitatis premere, est animus. Quare obserua primum, laudem ibi, phrasi Hebræa à Vulgato poni pro exul-
LXX. tatione, siue letitia, vt & LXX transferunt, & interpretes monent. Deinde Hebræam vocē illi respondentem propriè significare voce pauonum maximè gaudentium pulchritudine alarum, & caudæ, vt do-
R. Abraham. R. Dauid. cent Hebræorum peritissimi R. Abraham, & R. Dauid in lib. Radicum. Iam quamuis pauonē splendidam illam, & cultissimā caudā mille oculis, & picturis ornatā ad humani aspectus plausus aucupandos ambitiosè explicantem, & circūferentē, vt dixit ille

——— *picta pandunt spectacula caudæ.*

non semel videris; accipe id tamen ex Plin. lib. 10. c.
Plinius. 20. oculis sic subiicientem: *Gemmatos laudatur expādit colores aduerso maximè Sole, quia sic fulgentius radiant, simul vmbræ quosdam repercussus, qui in opaco clarius micant, conchata quærit cauda,* En tibi totam sæculi gloriam, honorum maiestatem, diuitiarum splendorem, voluptatum suauitates, & mala gaudia, siue impiorum laudem atque lętitiam: & vt mittam, quod statim de hac pauonum pompa subiicit Plin. ad temporis punctum durare, quòd cùm superbum illud spectaculum videntibus plus placet, & fulget, inuidè ab illo contrahatur, & complicetur, eáque de causa ab auctoribus non gloriosum tantùm, sed & maleuolum id animal dicatur, *omnes*, inquit ille, *in acervum contrahit pennarum, quos spectari gaudet oculos*, quod sæculi malignitati, & breuitati; tunc tibi sua bona præripientis, cùm delectare incipiunt, mirè quadrat: vt id fuerit, & gemmati illi colores æternum radicent, & durent; quid rogo iis inanius? inutilius? infructuosius? immò verò fallacius? nónne colores tantum malignè propositi aduerso Sole, vt fulgentiùs radient, & oculos fallant? nónne vmbræ quidam repercussus impiorum laudes, & lætitia fuerint? pascéntne hæc animum? implebunt pectus? meliorem hominem reddent? *Fulget quidem homo splendore gratia sæcularis, vt Libanus; nixus est mundi potentia: opibus, & diuitiis exultat, videtur tibi aliquid esse antequam dicas*, transiens videbo, *sed vestigium mentis attollens, videbis eum nihil esse*: nec aliam quàm pauonum eam esse gloriam, quæ oculos tantùm pascat, immò verò turbet, atque decipiat: alia enim aduerso Sole videtur, alia est. Pulchrè in hanc rem Seneca lib. de tranquill anim. cap. 10. *Sciamus omnia æquè leuia esse, extrinsecus diuersas facies habentia, introrsus pariter vana.* Plenius Basilius in Psalmum 1. de sæculi amatoribus, inquit, *qua nullius sunt momenti admirantur, & beatitudinis habent loco, vt diuitias, sanitatem, vitæ splendorem, quorum nullum ipsa sui natura æstimandum est bonum, non solùm quòd facilem habeant ad res contrarias conuersionem, sed & quòd possessores suos nihilo meliores reddere valeant. Quis, enim ob pecuniam iustus? Quis ob corporis prosperam valetudinem prudens?* Sic ille. Ambros. Seneca. Basil.

Hinc sanè si mundum, impostorem, præstigiatorem, & maleficum dixeris, non peccabis, tam experientia ipsa, quàm diuino Oraculo pro te fideiubentibus. Sanè illum sub Niniue persona (nam vt Niniue interpretatur *pulchra*: ita quidem mundus à pulchritudine, & munditie denominatur:) sic pungit, atque traducit Nahum cap. 3. à num. 1. *Væ ciuitas sanguinum vniuersa mendacij dilaceratione plena, &c. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis*: vbi in Hebr. obseruatu digna est vox, quæ respōdet maleficiis; etenim כשפים *cesaphim* nō solùm significat magicas artes, siue fascinationē, quæ mundi fallaciis aptissimè quadrant, sed signatè, atque notanter prestigium, quo spectantium oculi decipiuntur: qua de re præfato Nahum adducto monumento hæc ex Rabbi Abraham scribit Sanctes Pagninus in radice *Casaphat: Rabbi Abraham dicit Sephim à radice Casaphat prastigium, inde prastigiator: est prastigiator, qui est leuis, id est, agilis manibus suis, qui tenet oculos. Est enim præstigiator, qui circunstantibus ita oculorum aciē præstringit (id est, valde stringit, claudit, obtenebrat) vt non aduertant dolum, vt res aliter videtur, faciant quàm sint: Vnde præstigium, incantatio, delusio, falsa ostentatio.* Hæc ibi Pagninus, & subinde. *Rabbi Abraham scribit in commentariis, quòd malefici, aut præstigiatores sunt mutantes aliquid naturale ad aspectum oculi, res scilicet naturales, aliter obiicientes quàm pro ipsarū natura.* Ergo ait Vates, eam sæculi fallaciam, & malignas artes esse, vt quemadmodum præstigiatores manuum agilitate ad stantium oculos deludant, aliter res proponentes quàm pro earum natura 3. Nahum. 3. Lectio Hebr. S. Pagnin. R. Abraham.

sint ita illud falsa, & nugacia bona pro veris, & solidis obiiciat, & miserorum hominum sensus, ac mentes turbet, atque decipiat, vt dum veræ, ac sinceræ felicitati solidisque bonis, ac liquidis gaudiis se incumbere, atque inniti existimant, eorum vmbram solummodo, siue earum rerum, quas sibi pollicebantur, imaginem teneant. Ita Seneca epist. 115. cùm dixisset: *Miramur parietes tenui marmore inductos; cùm sciamus, quale sit, absconditur, oculis nostris imponimus. Et cùm auro tecta perfundimus, quid aliud quàm mendacio gaudemus? scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare.* Subiicit: *Nec tantùm parietibus, aut lacunaribus ornamentum prætenditur, omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice, & disces sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat.* Vides mundi præstigias bracteatam & depictam felicitatem pro certa, & solida proponentis, & illustrium bonorum speciem, siue crustam pro veris, & perpetuis obiicientis? — Senec.

4. Capies hinc sub accurato, & germanissimo sensu Paulum 1. ad Corinthios 7. 29. vniuersum hominum genus variis, ac diuersis curis, atque ministeriis occupatum, siue distentum hunc in modum seriò commonentem: *Hoc itaque dico fratres. Tempus breue est; reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint. Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquã non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes: Et qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: præterit enim figura huius mundi.* Vbi si dubites, quare Apostolus rationem reddens, cur mundanis rebus minimè inhærere debeamus, dixerit, *præterit figura huius mundi*, non verò præterit mundus ad eum modum, quo Ioannes epistola 1 cap 2. 17. dixit, *mundus transit, & concupiscentia eius.* Respondebo, peculiarem emphasim esse Paulinæ locutioni, siue voci *figura*: nam Græcè est σχῆμα, id est effigies, species, habitus externus, (vt legit Tertullianus libro de resurrectione carnis, cap. 5. & libro de cultu fœmin. cap. 9.) vt non tribuat Apostolus mundo formam, siue naturam constantem, & veram, sed solummodo externam effigiem, aut speciem, siue mimum histrionicum, & laruam, vel personam in scena. Quare optimè ibi Theophylactus ait: *Mundi verò ideo dixit figuram, quia eius bona solo terminentur aspectu, & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.* Pro qua cogitatione obserua, Græcum verbum παράγει, pro quo noster posuit *præterit* etiam significare, decipere, seducere, vt interpretes monent; & Stapulensis probatus Caietan. legit. Vnde quidem omnino subsistit ratio Pauli, cur mundo adhærendum non fuerit, quòd nimirum improbus ille impostor, & præstigiator sit qui amatores suos atrociter decipiat, dum nihil veri, & solidi in se habens blanda specie, & fucata effigie illos allicit. Possis verò pro huius loci commentario appingere hæc ex Seneca epistola 85. *Sæpius hoc mihi exemplo vtendum est: nec enim vllo efficaciùs exprimitur hic humanæ vitæ mimus, qui nobis partes has, quas malè agimus, assignat. Ille, qui in scena elatus incedit, & hæc supinus dicit: En impero Argis: regna mihi liquit Pelops: seruus est, quinque modios accipit, & quinque denarios, ille, qui superbus, atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:*

— 1. ad Cor. 7. 29. — 1. Ioan. 2. 17. — Lectio Græca. Tertul. — Theoph. — Seneca.

Quod nisi qui veris Menelaë, has dextra occides.

diurnum accipit, in cœnaculo dormit: idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum, supráque turbam delicatos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est; contemnes illos si despoliaueris. Hæc ad Pauli mentem Seneca.

5. Fideiubet pro his Salomon non scientia solùm, sed experientia ipsa optimè instructus de seipso inquiens: *Ego Salomon fui Rex in Hierusalem*, Ecclesiastes 1. 12. Quo in loco obseruatu digna fuerit illa locutio: *fui Rex*: immò verò perdifficilis esse videtur. Quid enim fuerit? *fui Rex*: Post funus ne suum vita iam exutus loquebatur? Cur ergo non dixit, ego Salomon sum Rex. Negantur Rabbini, vt difficultatem euadant, & Salomonem ob peccata ab Asmodæo dæmone regno pulsum affirmant. Alij locutionis acumine puncti illum regno se suo abdicasse, & priuatam vitam elegisse coniectant. Sed opportuniùs, opinor, Hugo Victorinus apud Pinedam in id loci ad rerum temporalium inanitatem, atque fallaciam, siue potiùs scenam, in qua res aliæ ab iis quæ sunt, apparent, & conspiciuntur sic reuocauit. *Fui, iam non sum, quia & si sum, id ipsum iam nihil esse, agnosco quod sum*: ac si dicat, vt reapse Rex sim; quid me Regem esse pronunciem, qui iam nouerim scenicam potentiam, & mimicum splendorem hunc esse. Dixi me aliquando Regem, cùm è regio throno scintillas splendor oculos meos occæcabat, & rem solidam, & firmam amplexar: me existimabam; at cùm hæc intus & in cute noui, fuisse non esse Regẽ iure optimo affirmauero. — Eccl. 1. 12. — Hug. Vict.

Sed rursus eodem sensu Paulus Romanos sic monet cap. 12. 2. *Nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Quo in loco sapienter premit Chrysostomus Græca verba, quibus *conformari sæculo*, & *reformari* in spiritu expressit Apostolus: nimirum conformari sæculo Græcè dixit, συσχηματίζεσθε, id est, *configurari*: eodem scilicet verbo, à quo vox σχῆμα, qua citato loco ad Corinthios dixerat: *præterit figura huius mundi reformamini* verò scripsit, μεταμορφοῦσθε à voce μορφὴ, hoc est, forma naturalis, & vera; pulchrè indicans immensum inter mundum, & virtutem discrimen intercedere: cùm ille nihil solidum & plenè subsistens, sed figuram tantùm habeat extrinsecus emendicatam, fuco; & mentitis coloribus depictam virtuti verò sua, & naturalis forma subsit, quæ verè, & plenè subsistat. Sed Chrysostomum appositè hæc diffundentem audire est operæ pretium. Sic namque primùm. *Est enim huius sæculi figura humilis, depressa, vilis, temporalis, nihil habens sublime, nihil recti, sed omnia peruersa. Itaque si rectà incedere voles, ne adaptes te ipsum ad præsentis vitæ figuram. Nihil enim in illa est, quod maneat, firmúmque sit. Vnde & figuram appellat; & alibi rursus: Præterit enim figura huius mundi.* Et post pauca. *Nam etiamsi diuitias obieceris, si gloriam, si delitias, siue aliud quodcumque ex iis, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, nõ ipsius, quæ in rebus est, veritatis demonstratio: persona quædam scenica non consistens rerum substantia.* Sed & statim de spiritus reformatione agens subdit. *Non dicit, transfigureris: sed transformeris, ostendens quæ mundi sunt figuram; quæ verò virtutis, non figuram, sed veram quandam esse formam, naturalem pulchritudinem habentem, quæ non habeat opus externis illis cultibus, ac figuris, quæ simul atque comparuerint, intereunt.* Hactenus ex Chrysostomo. — 6. Ad Rom. 12. 2. — Lectio Græca. Chrysost.

Nec ab hoc iuerit Isaias cap. 24. 5. vbi cùm dixisset: *Luxit, & defluxit terra, & infirmata est, defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ*; fluxa videlicet, & infirma, luctus, & mœroris plena iam esse quæcumque olim excelsa, firma, & florentia erant subiicit: *& terra infecta est ab habitatoribus suis.* Sed obserua inibi Hebræũ verbum חנף *chanaph*: pro quo Vulgatus reposuit inficere, propriè significare simulare, & ad instar hypocritæ alium ab eo, quem interiùs, habet, vultum præ se ferre: vnde ad verbum legeris, *simulauit*, siue *hypocrita facta est terra*; isque erit sensus; sæculi bona non secus, ac hypocrita, — 7. Isa. 24. 5. — Lectio Hebr.

qui

qui virtutis faciem, & laruam extrinsecus præfert, cùm intus vitiorum lue, & sordibus plenus sit, externam solùm speciem extrinsecus accersitam, mētitisque coloribus depictam habere, intrinsecus verò vana, inania, & nullius frugi esse; fucatáque pulchritudine sæculares homines allicere, atque decipere, & à sensu suo mouere. His adiunge ea Sponsi plurimum minarum, & terrotis habenria
Cant. 1. 7. verba c. 1. 7. *Egredere, & abi post vestigia gregum*
L X X. *tuorum.* Quæ L X X. legunt *in vestigiis*, vt sensus fuerit, eum, qui à vero Deo aberrauerit, & sæcularibus rebus se se addixerit, atque immiscuerit, quātum quantum in eorum studio, & consecutione insudauerit, & res ei feliciter euenerit, non ideo vera bona, sed tantùm bonorū vestigia, atque vmbram, siue externam gaudij, diuitiarum, aut honorum faciem, non ipsam naturam tandem aucupaturum; sic hæc pensitante Philone Carpathio ad ea verba:
Phil. Car. *Omnis anima errabunda vagatur, quam pondus Spiritus sancti, & Christi amor ardens firmat, & roborat: illa misera anima multis, & variis cogitationibus circumfertur, qua soli Deo non adhæret, illúmque solum amando quæritat honestatem vitæ, ac morum: illi ergo omnes in vestigiis gregum, hoc est, in vmbris, in vanitatibus, in erroribus, in vitiis hominum gregalium, & brutorum miserrimè vagantur, & iacent, quos Christi amor, & desiderium non firmat, ac pascit, erigit, ac fouet, illuminat, ac beat.* Hactenus Philo edoctus, opinior, ab al-
Phi. Heb. tero Philone Hebræo in libro, *Quòd Deus sit immutabilis*, eodem sensu affirmante. *Nihil igitur est in humanis rebus, ac negotiis præter vmbram, auràmque leuissimam sine mora prætereuolantem, eum enim vltro citróque tamquam æstuantia.* Sic ille.

8. Hinc illa Oseæ ad idolorum cultores admoni-
Osea 8. 6. tio, siue insultatio, cap. 8. 6. *Quoniam in araneatum telas erit vitulus Samariæ*: vbi præter alias explicationes, atque translationes, quas in sequentibus adnotationibus, vt ostendamus terrena bona supplicium, & pœnam esse, latiùs expendemus: modò tam Hieronymi lectionem, quàm quod inibi apud ipsum Hebræi tradunt, aduerte; ait enim ipse, se à quodam
Heb. lect. Hebræo accepisse, Hebræam vocem שְׁבָבִים *sababim* pro qua noster posuit, *aranearum telas*, propriè significare minuta fila, quæ in aëre hac illac volitant, ab aranearum telis, siue ab alia re æquè futili, atque euanida, si aliquid tam futile, ac inane esse potest, discussa. Qua quidem imagine, quanta sæcularium rerum vanitas, & futilitas fuerit, apprimè ostenditur: vt meritò dixerit S. Fulgentius epistol. 6.
S. Fulgen. ad Theodor. *Qui rebus huius sæculi inhæret, vento inhæret, formidinem & contumeliā captat.* At enim, quæ horum idolorum fallacia, & hypocrisis est, ea quæ interiùs aranearum minutissima fila, & inutilissimæ stipulæ reapse sunt; tumidissimam, ac superbissimam faciem, clarissimum splendorem, ac lucem vibrantem, qua miserorum hominum oculos fallant,
Hieron. animósque pelliciant, exteriùs habent: vnde Hie-
Heb. lect. ronymus diuersimodè, sed eodem recidente sensu, Hebræam vocem appositè legit, *seducens*, vt sensus sit, fallacissima mundi idola esse, quæ exteriùs nitida, florentia, auteáque videantur, interiùs vmbra, minutula fila, siue ventus, & nihil sint. Sic
Ambros. Ambros. lib. 5. in Lucam ad ea Domini verba: *Arundinem vento agitatam*, sæculares, & sæcularia bona cum arundine componens, scitè ait: *Iure arundini comparandos, in quibus solida iustitia nullus est fructus, qui foris ensibus criniti phaleris, nodis obsiti, vacuo oris strepitu sonori nulla sui vtilitate frequenti etiam offensione intus inania, foris speciosa sectantur.* En vitulum Samariæ siue mundi idola, *intus inania, foris speciosa.* Quare ad eamdem sententiam plus plus fir-

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

mandam, & explicandam subiicit Vates: *Culmus*
stans non est in eo, germen non faciens farinam. Ad quę Osea. 8. 7.
verba obserua, non monere Prophetam, arua, siue segetes ob cœli inclementiam, & anni sterilitatem nullos attulisse pro ventus, & hiantem agricolarum expectationem delusisse, vti dixit Habacuc 3. 17.
Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum; & Habac. 3. 17.
ille

— *spem mentita seges*;

sed potiùs fructus, & spicas ad iustam mensuram peruenisse: at euanidas, & nullo cibi, victúsve vsui aptas extitisse, sed

—— —— *illos* Virgil. 1.
Expectata seges vanis elusit aristis: Georg.

vt inde sæculares homines admoneantur, non ideo famelicos animos, & vacua ipsos pectora gestare, quòd fortuna semper infensam, & auaram se illis exhibeat, (hæc enim, vt nosti, frequens eorum querimonia, & perpetuum cum fortuna iurgiū est, numquam ipsis res ex voto procedere:) sed quòd ea sit terrenorum fructuum, sæculique segetis inanitas, vt oculos tantùm non animum pascere possit. Cui cogitationi opportunè legunt ea verba L X X. L X X.
& Cyril. Alex. reponentes: *Manipulos non habens* Cyrill. Alex.
vires, vt faciat farinam. Pulchrè *non habens vires*; quòd aranearum telæ, quòd inanes, quòd vmbra, quòd nihili hi fructus fuerint: quā enim vim quod robur ad explendum hominis animum æternæ felicitatis capacem hæ quisquiliæ, & nugæ habere valeant: ita quidem Psaltes Psal. 118. 5. *Fiant sicut fænū* Psal. 118. 5.
tectorum, quod prius quàm euellatur, exaruit. In quæ verba S. Zeno Veron. *Inanes sunt, vacui sunt, inutiles* S. Zeno. M.
sunt; inania enim, & inutilia fuerunt. O infelices labores, & infructuosa carnis opera ædificiorum fœno comparata, & antequam euellantur, arida, id est, ante ipsum inutilis, ipsius messis tempus emortua!

Porrò vt Deum nostrum à mundi idolis falsísque numinibus discriminemus, hoc hymno perpetuo ritu celebramus. *Sanctus Deus: Sanctus fortis: Sanctus immortalis.* De quo quidem sapienter primū admonet Iouius Monach. vetustus auctor lib. 7. de Verbo incarnato, cap. 25. tam ex tremenda Seraphinorū professione, quàm ex iis Psal. 41. 2. verbis: 9.
Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, voce *viuus* Psal. 41. 2.
in æquipollentem *immortalis* commutata, fuisse conflatum: deinde singulas eius particulas tam in Dei laudem, quàm in infelicium idolorum opprobrium sic elucidat. *Porrò exprimi voces* Deus, *&* Sanctus, *vt distinctio fiat ab idolorum simulacris, quæ terrestria sunt humanarum manuum opus, & vera abominationes.* Fortis *verò aduersùs muta, immobilia, &* Iob. Mon.
imbecilla idola. Immortalis *denique, quòd idola nec spirent, nec vllam efficiendi vim habeant.* Apta hæc sæculi idolis, apta concupiscentiæ carnis, apta concupiscentiæ oculorum, apta superbiæ vitæ, atque hæc de illis nominibus appella, dicito immobilia, & imbecilla idola esse, quæ nullam efficiendi vim habeant, nec suis cultoribus satietatem, aut aliquam liquidæ voluptatis partem afferant. Sed quî, quæ emortua sunt, vitam; vana, & inania, perpetuitatem gaudij; imbecilla, solidam, & constantem felicitatem dare possint? Iure S. Paulinus de S. Felice Natali 8. cùm de egregiis sanctitate viris, aduersus fortunæ casus nullam à mortalibus rebus opem quærentibus dixisset:

Non armis sibi, nec muris capienda parabant S. Paulin.
Præsidia.

Subiicit,

— *humanis opibus sperare salutem*
Nulla salus; nec enim mortem mortalia pellent.

Qua sanè de causa siue veros, siue mysticos idolo-
Ee 2 latras,

latras, sic conueniebat Dominus apud Isaïam 44.8. *Isa. 44.8.* *Vos estis testes mei: numquid est Deus absque me? Plasta idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis.* Quem locum dum citat Tertullianus *Tertul.* libr. de idololatria, c. 4. post propria verba: *Vos estis testes mei, numquid est Deus absque me;* siue ex mente Vatis, vt nonnulli existimant, siue de suo subiicit. *Et non erant tunc, qui fingunt, & exculpunt?* vt diuinæ contestationi tot testes opponere videatur, quot erant fictores, & excultores idolorum; ac si dicat, immò verò plures aduersùs Deum testes fuisse dixeris, cùm multi essent tam artifices, quàm cultores idolorum. Respondet verò tam ex verbis, quæ sequuntur in Isaïa, quæ ipse sic legit: *Omnes vani, qui faciunt libita sibi, quæ illis non proderunt,* quàm ex iis, quæ ad calcem capitis habentur. *Cognoscite quòd cinis sit cor illorum, &c.* quasi Deus ab ipsismet idololatris vnius diuinitatis suæ cõfessionem extorqueat, cogátque fateri, nullum præter ipsum numẽ esse, cùm omnia mundi idola imbecilla & emortua ad ferendam sibi opem experiantur.

19. Dixeris quidem iure optimo, hac potissimum de causa ad indefessam vigiliam, denegãdúmque oculis nostris somnum, & palpebris, vel leuem nictationem sæpius nos in Scripturis admoneri. Quid? nunquam ne huic corpusculo siue propriæ fragilitatis pondere fatigato, siue laborum assiduitate confecto somni requiem, & leuamen permittemus, sed in perpetuam vigiliam semper suspensa erunt lumina? Minimè quidem cùm & ipsemet Dei Filius homo, & hominum exemplar factus somnum cepisse nouerimus, vt necessarium nobis somnum sanctificaret, vt sapienter admonuit Nazianz. orat. *Nazian.* 31. in id Euang. *Cùm consummasset Iesus, &c.* inquiens, *hac fortasse ratione somnum capit, vt somnum benedicat:* sed de alio quidem somno, quod apertis oculis admittimus, imò ipsis lenocinantibus capimus à Domino admonemur: quippè sæpiùs vigilantes dormimus, cùm falsa hæc mundi bona oculos primùm nostros, & per oculos subinde animum intrãt, eúmque de statu suo deiiciũt: sanè vt in sõniis,

——————vanæ

Horat. *Finguntur species, vt nec pes, nec caput vni*
Reddatur formæ.

Et tamen somnians iis nugis & deliramentis credit, ac delectatur; ita & nos vani, & amentes, sæculo huic ea nobis bona, quæ nec caput, nec pedes habẽt, vt vera, & solida malignè proponẽti, quò falsa specie decipiat mentis acie obdormiente leuissimè credimus, & miserrimè fallimur. Prodit tota hæc cogitatio è pharetra Greg. Nyssen. hom. 11. in Cant. hunc in modum monentis. *Greg. Nyssen.* *Vnum quoddam est de magnis Christi præceptis, per quæ mens discentium Dei verbum tamquam quodã puluere à se excusso, vniuerso, quod in natura particeps est materiæ, ad supernorũ attollitur desideriũ. Hoc autem est, oportere esse somno potentiores eos, qui ad vitam aspiciunt supernam, & mente perpetuò vigilare, veluti quandam animarũ deceptricem, & veritatis insidiatricem expellentes ex oculis dormitationem. Illum dico somnum, & dormitationem per quæ iis, qui in vita errorem profundè immerguntur, finguntur hæc visa somniorũ, nẽpè magistratus, diuitiæ, fastus, præstigiæ voluptatum, gloriæ cupiditas, deliciis fruendi desideriũ, ambitio, & quæcũque in hac vita iis, qui sunt minus considrati frustrà vehementi studio appetuntur.* Reddit aptissimã nostro instituto rationem quòd hæc omnia veluti à deceptore, & præstigiatore proposita alia omnino sint, ab iis, quæ esse videntur. *Suam (inquit) habent essentiam in eo, quòd esse videantur, vt quæ neque sunt, quod existimatur, neque perpetuò permaneant in eo, quod existimantur.* Vnde post nonnulla ita concludit. *Vt ergo procul sit mens nostra à visis eius modi, grauem hunc somnum iubet excuti ab oculis mentis, ne dum in ea, quæ non sunt, studium conferimus, excidamus ab iis, quæ consistunt, & verè sunt. Et ideo nos admonet, vt vigilemus, dicens,* Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, &c. Hæc & multo plura Nyssen. ibi.

Aduoco huc modò, quod superius n. 1. dicebat II.
Sophar apud Iob 20. 5. *Iob. 20. 5.* *Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum breuis, sine ad instar pauonũ sit, &c.* Signatè enim atque opportunè dixit: *Ex quo positus est homo super terram,* quippè vix positus ille super terram fuit, cùm corpore vigilante interiores animi oculi falsæ felicitatis somno oppressi, & blandissima pulchri, suauísque pomi specie decepti sunt, *gemmatos* quidem ipsi callidus serpens aduerso sole proposuit colores, vt fulgentiùs radiarent, & vmbræ quosdam repercussus, splendidam, scilicet, maiestatem, somniatámque diuinitatem: at (malum) cùm somnium auolauit, *aperti sunt oculi eorum,* & cognouerunt *se esse nudos, & consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* Genes. 3. 7. *Gen. 3. 7.* En totam mundi felicitatẽ, maiestatem, diuinitatem in somnis propositam, quam homo postea euigilans inuenit; folia nimirum ficus, immò ipsissimã nuditatem. *O vafritiem, & calliditatem draconis* (inquit citata hom. *de pœnitentia* S. Ephrem) *S. Ephrem.* *sic primos parentes Adã, & Euam nudauit; cùm enim diuinitatem eis promisisset, instar vermiũ eos in terra versari effecit, denudãs ipsos.* Sumus & omnes nos Adæ filii, sumus fallaciatum, & pœnarũ hæredes: *Quasi enim viuente in nobis Adamo* (ait Gregor. Nyssen. orat. 5. de oratione Dominica) *Nyssen.* *singulatim omnes homines quamdiu pelliceas has tunicas circa naturam nostrã videmus, & temporalia folia materialis huius vitæ, quæ nudati propriis, iisque splẽdidis indumẽtis malè nobis ipsis consuimus, cum deliciis, gloriis, diariis honoribus, & breui durantibus carnis expletionibus diuinos amictus permutauimus.* Iam cùm somno discusso euigilamus, nudos nos, & miserè, ac atrociter deceptos serò & cum rubore animaduertimus: sic indidem S. Ephrem, *S. Ephrem.* *Dormientibus variarũ rerum offert simulacra, experge factósque illudit, cernens ipsos nudos, ac pauperes:* vnde apud Isaïam Dominus c. 1. 29. *Isai. 1. 29.* *Confundetur ab idolis, quibus sacrificauerunt, & erubescetis super hortis, quos elegeratis;* vbi Hebræam vocem, quæ respondet hortis *Heb. lect.* propriè legeris *paradisos*, pulchra quidem somniantis, siue hominis à præstigiatore decenti, imagine, qui amœnissima prata, & suauissimæ, ac incredibilis voluptatis paradisos videre sibi, ac tenere videtur, mente verò restituta, siue quisquilias, ac leuissimas paleas, siue falsas rerum, sibi obiectas imagines esse cognoscit, ita sanè somniati hi paradisi, mũdi, scilicet, pompa, & gloriosa supellex desertum in Scriptura vocari solet, vt ad id Cãt. 3. 6. *Cant. 3. 6.* *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum;* adnotant PP. & ad rem nostram Venerab. Gilleber. serm. 15. falsam amatorum mundi existimationem sic perstringens: *Gilleber.* *Desertum verè, & aridum, & sterile reputat sæculum omne hoc per quod ascẽdit: & quãnam ratione nobis factus deserti huius odor sicut odor agri pleni, & quasi ei benedixerit Dominus? Quantos trahit ad se deserti huius odor, & tenet, ne possint euelli, odor iste mortis ad mortem? Inanitas est, quam putatis vbertatem. Denique terra sitis est, & imago mortis, sicut dicit Hieremias propheta,* Terra (*inquit*) sitis. *Cupiditates enim mundanas magis irritat, quàm satiat. Infructuosa est ista, quam putas plenitudo, & si quid est fructus, id fluxum est, & mutabilitate sua mortis prefert imaginem. Quomodo vbi mortis vides imaginem, odorem vitæ sentire te reputas?* Hæc Gillebert.

Mundi

Mundi bona pueriles nugas, sæculi amatores paruulos, siue puerulos esse.

ADNOTATIO II.

I. 1.Ioan.2.16. OMNE *quod est in mundo* (inquit Ioannes epist. 1. cap. 2.16.) *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; hæc si tu ex Salomonis mente vno verbo diffinire volueris, dicito nugacitatem, siue paruitatem, siue puerilia ludicra. Sic namque ille de fucato, & ementito splendore honorum, diuitiarum, & voluptatum oculos mortalium perstringente animósque dementante
Sap.4.12. Sapient. 4.12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*: quæsita nugacitatis voce quæcumq; in sæculo florent, & virtuti ac veris bonis officiunt, comprehendens. Et verò si vim vocis *nugacitas* presseris, & humanis rebus aptaueris, erunt ipsæ tibi stercora, erunt quisquiliæ; notanter verò erunt nugæ, siue ludrica puerilia. Quare obserua Græcè ibi esse
Græ. lect. φαυλότητος, quæ vox significat *vilitatem*, *ineptias*; propriissimè vero *paruitatem*: nam φαῦλος, vnde ea
Plato. vox deriuatur, est *paruus*; vt explicasse videtur Plato apud Diogenem Laërtium in eius vita, & quotquot de Pauli nomine agunt, obseruant. En ergo totius gloriæ pomparum mundi diffinitionem, quæ, qua bona, optimè conuertitur cum suo definito; vno paruitatis nomine comentam. En iustam, debitámque amatoribus sæculi appellationem, qua ipsorum superbiam commerito mastyge diuerberes; paruulorum scilicet, puerorum, infantiúmque cognomen. Equidem diuinam Sapientiam, quæ singulis rebus suum nomen, suum pretium imponit, sæculares homines, tam eos, qui in altissimis arcibus, & Regiis ædibus, aulísque Principum commorantur, quam qui in plateis, & compitis diuitiis, & facultatibus in immensum augendis inhiant, hac illos concione, siue admonitione allocutam fuisse ex Sapiente no-
Prou.1.22. uimus Prouerbior. 1. 22. *Vsque quo paruuli diligitis infantiam; & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam*, vbi infantiæ nomine *fortuna bona*, vt interpretatur Iansenius, siue *bona*
Iansen. *delectabilia*, vt explicant Lyra, & Hugo Cardinalis, in-
Nicol. de Lyra. telliguntur. Sed quonam loco hanc concionem
Hugo Card. habuerit, prius nosce: sic namque Salomon vers. 20.
Prou.1.20. *Sapientia foris prædicat: in plateis dat vocem suam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba sua*: pende singula, vt singulos auditorum numeres, *in plateis*, inquit, ecce ad mercatores, ad exercentes negotiationẽ, & ad eos, qui quoquomodo lucris student primum loquitur: subiicit,
LXX. *in capite turbarum*: pro quibus LXX. reponunt, *super summos muros, & in portis Dynastarum*: hoc est, Optimatum, Præfectorum, Magistratuum, Principum, qui potestate funguntur in ciuitate; & verò ...ræam vocem, quæ respondet *turbarum*, apud Chaldæum legunt alij *Arcium*; alij verò *Palatium*. En mixtos etiam cum Principibus, & summis viris sermones. Quòd si in his, delicatos etiam & luxui, ac voluptati deditos homines contentos esse velis, fideiussorem habebis ipsammet Dei sapientiam
Matth.11.8. apud Matthæum 11.8. dicentem: *Nónne qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt?* Quid, quòd Hebræum vocabulum, quod ad sonum, siue resonantiam, aut susurros plures referunt, etiam dicitur de sonitu instrumentorum, & canticorum musicorum: propriùs scilicet voluptuariorum, molliúmque character. Tandem quod ait, *in foribus portarum*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

vrbis: ad Iudices, & Magistratus omnino referendum est. quippè in vrbium portis iudicia olim exerceri solita planum fit ex Deuteronom. 17.2. & Ruth 4.1. ex illis Amos 5. 10. verbis, *odio habuerunt cor-* Deuter.17.2.
ripientem in porta: vt iam videris, nullum hominum Ruth 4.1.
genus, siue neminem è mortalibus his vel illis mun- Amos 5.10.
di pompis, aut voluptatibus deditis, siue sæcularibus curis distentis ab hac Sapientiæ concione, seu increpatione exemptum: & quod peculiarem habet epitasim, singulos proprio de nomine compellatos; quippè verbum Hebræum, pro quo noster posuit *clamitat*, signatè differt ab aliis verbis Hebræis, eiusdem significationis, quod illa clamationem tantùm, seu vociferationem significant absque rei nominatione; hoc verò peculiarem respectum ad personam, cum qua sermo fit, connotat. Ergo dum mundanos omnes alloquitur homines, dum increpat, dum amatorum sæculi insaniam traducit: paruulos illos, & infantes notanter appellat, quasi minuti animi, & exiguæ mentis, qui vilissimis, & minutissimis rebus ad instar puerorum contenti sint. Vnde quidem vt non leuis vis insit simili illi Senecæ orationi epist. 87. *Contra totius generis humani* Seneca.
opiniones mittenda vox erat. Infantis, erratis, stupetis ad superuacua: neminem æstimatis suo; multo tamen maiorem energiam, atque emphasim his verbis esse dixeris, quibus tam summos Principes Dynastas, Magistratus, Iudices, Duces, quàm ditissimos quosque, atque delicatissimos homines singillatim alloquens diuina Sapientia ait: *Vsque quo paruuli diligitis infantiam.* quippè ingentes aculeos plurimúmque acerbi risus hæc imago habet. Sic dixit Chrysost. hom. 11. de diuersis. *Sicut cùm videris pueros consti-* Chrysost.
tutos inter se Principe ludere, risum tenere non potes, ita & facito, cùm videris homines in terrenis delectari: immò hoc longè gratius, quippè hoc à puerili ætate magna cum simplicitate, & innocentia geritur. Sed illi ridiculi nihil stabile, ac subsistens habentis. Sic ille. Opportunissimè verò Gregor. Nyssen. hom. 1. in Ecclesiastem hunc in modum: *Omne studium, quod ver-* Greg. Nyss.
satur in iis, quæ ad vitam pertinent, est planè puerorum ludus in arena, in quo, quæ ex iis, quæ fiunt, capitur oblectatio, simul desinit cum studio, quod ponitur in iis, quæ facta sunt. Nam simul atque cœpit moueri arena, simul circumfluens, nullum relinquit vestigium eorum, quæ fuerant elaborata. Hoc est vita humana. Arena est ambitio, arena est potentia, arena diuitiæ, arena est quidquid est. Et in iis vanè laborantes infantiles animæ. Nec minus apposité eadémque arenæ imagine Seneca epist. 115. inquiens: *Tunc intelligere nobis licebit,* Seneca.
quàm contemnenda miremur, simillimi pueris quibus omne ludicrũ in pretio est. Quid ergo inter nos, & illos interest? vt Aristo ait, nisi quod nos circa tabulas, & statuas insanimus cariùs inepti: illos reperti in littore calculi leues, & aliquid habentes varietatis delectant, nos ingentium macula columnarum, siue ex Ægyptiis arenis, siue ex Africa solitudinibus aduecta. Hæc Seneca.

Nec alia quidem iis met Pauli verbis, in quibus 2.
sumus. mens. Etenim cum externis illis ornamentis, & anteactæ vitæ splendoribus recensitis: *circumcisus octauo die ex genere Israël, de tribu Beniamin: Hebræus ex Hebræis; secũdùm legem Pharisæus*; subiicit: *sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta, &c. & arbitror vt stercora*; quid aliud dicere voluit, quàm pueriles ineptias, quas ego vt paruulus, atque puellus olim magni faciebam, viri iam sensu apto hæc omnia reputaui; audi ipsummet se se sic disertissimè explicantem 1. ad Corinth. 13. 11. *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruu-* 1. ad Cor. 13. 11.
lus; sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quãdo autem factus sum vir, euacuaui quæ erant, paruuli.

 Pulchrè,

Pulchrè, *quando factus sum vir*; cùm nimirum diuina luce perfusus spiritualibus tantùm bonis inhærere, & conuersationem in cœlis habere cœpi: antea enim cogitationibus, sensu, verbis, cupiditatibus, atque affectibus in terrena propendentibus paruulus, atque infans eram. Quò placet aduocare egregia Gregor. Nazianzeni verba oratione 32. vbi grauiter ferens se à nonnullis, vt aliis facundiorem, Greg. Naz. siue nobiliorem celebrari, dolenter ait. *Senectutis me pudet, cùm aliorum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi:* ac si diceret, grauem quidem meis canis, maturæque ætati, meæ iniuriam inferunt, qui aliunde quàm à Christi obsequio æstimāt; sunt enim ea omnia pueriles nugæ, de quibus non viri, aut senes, sed pueri, & paruuli glorientur. Sed iis hæc ex S. Nilo in Ascetico tom. 5. Bibliothecæ veterum PP. quibus ad gustum Salomonis sæcularia studia in S. Nilus. sectatur, atque traducit, omnino aptanda sunt. *Quamdiu ludis puerilibus delectabimur? nondum virilem sensum accepimus? Quamdiu in agendo erimus infantibus imbeciliores? ab illis saltem discamus, ad præstantiora contendere. Nam ipsi ætatem mutantes mutant etiam in rebus ludicris voluntatem, abiiciúntque quam habent ad res ludicras propensionem. Nucibus, exempli gratia, & talis, & pila ludunt; his illi se ludis oblectant, & sibi honori ducunt, hæc comparare quoad prudentia sunt imperfecta; at cùm aliquis eorum in virum euaserit, ea abiicit, & ad gerendam Rempublicam omne studium confert: nos autem in infamia persistentes ludrica, & risu digna suscipimus, neglectisque melioribus prudentiam viris conuenientem sumere recusamus; & terrenis in rebus studium, ac delectationem nostram collocantes, risum mouemus his, qui natura duce rectè indicant.* Hæc omnia Nilus: quæ mirè inseruiunt Salomonis increpationi, *Vsque quo paruuli diligitis infantiam?*

3. Videris quidem hoc sæculum tam in Scripturis, quàm apud Patres, cum mari iustà similitudine componi. *Mare quippe* (inquit Gregor. Mag. libr. 5. in Greg. Mag. cap. 1. lib. 1. Regũ) *hoc sæculum designat, quia dum magna rerũ, & temporũ varietate impellitur, quasi ventis furentibus perturbatur.* Quòd si leui oculo maris imaginem aspexeris, forsan res humanas, potētiam, regnum, diuitias, voluptates magnũ quidpiam esse esse coniiciens, & ad illarum splendorem stupebis; quid enim aliud vastissima maris magnitudo? quid immensa ipsius profunditas? quid tot, tantæque ingurgire vasto innatantes belluæ? *illic reptilia quorum est numerus?* quid infiniti fluctus? siue placidè se se latissimè spargentes, siue minaci proceritate in cœlũ assurgentes, quasi bellũ ipsi inferre velint? quid, cùm subinde spumas maximas agendo vim illam tã præcipitē, támque incitatam in scopulos frangunt horribilis fragor siue fremitus circumquaque exauditur? commodiùs designabunt? At enim verò, Deo aliter visum est, qui hæc omnia ad infantiles sæculi infantias adumbrandas disertissimè retulit apud Iob Iob. 38. 9. cap. 38. 9. hunc in modum. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedēs? Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem. Notanter illud *pannis infantiæ*, vt moneamur, ingens hoc sæculum quantum, quantum esse videatur, ab infantulo pannis & fasciis obuoluto, & intra cunabula vagiente nihil differre: nam quæ illius videtur magnitudo, inanitas, & ventus est: pulchrè Seneca, Seneca. *Magnitudo soliditatem habet, tumor inflationem*; pulchriùs Nyssenus hom. 11. in Canticum terrenorum Nyssen. omnium vanitatem adstruens dixisset; *suam habent essentiam in eo, quod esse videantur, vt quæ neque sunt, quod existimantur, neque perpetuò permaneant in eo, quod existimantur, sed simul, & fieri videantur, & pereant*; subiicit: *instar fluctuum, qui in aquis assurgunt in verticem, & ad tempus motu ventorum inflati non habent firmam, ac stabilem tumoris duratione, vt qui cum breui momento temporis simul assurrexerint, rursus planam, & æquabilem ostendant maris superficiem, vt qui simul cum flatu defecerint.* En totam maris, siue sæculi magnitudinem; inanem videlicet tumorem, qui cũ flatu deficiat, & amatores suos paruulos, & infantes ostendat; scitè enim rursus Seneca lib. 3. natural. quæstion. *Magna ista, quia parui sumus credimus:* Seneca. *multis rebus non ex natura sua, sed ex humilitate nostra magnitudo est.* Rursus verò, quia nos pueri magna credimus, parua ipsa etiam sunt. Ita Chrysost. hom. 36. in 1. ad Corinth. 14. 20. premens ea Apostoli Chrysost. 1. ad Cor. 14. 20. verba: *Nolite pueri effici sensibus*; ait: *Parui enim pueri parua quidem hianti ore stupent, & mirantur, rerum autem valdè magnarum non tanta tenentur admiratione.*

Hinc Dauid Psalm. 130. 1. cùm modestiam suam, 4.
& animi demissionem testaretur, dicens: *Domine non* Psal. 130. 1.
est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me; addit quæsita locutione, *si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam*; &c. vbi cùm non sit dubium, quin phrasis illa, *exaltaui animam meam*, compendium sit, & summa præcedentium, *non est exaltatum cor meum, &c. neque ambulaui in magnis & mirabilibus*: obserua vim vocis Græcæ, pro qua Noster reposuit *exaltaui*; est enim ἀνεχαίω, quæ Græ. lect. propriè significat *spiritum siue flatum, quem puer vociferando emittit.* Vide iam ex Dauidis sensu quid cordis exaltatio, quid elatio oculorum, quid *magna, & mirabilia*: potentia scilicet, amplitudo, regius fastus, diuitiarum opulentia, & luxus sint; inanis scilicet, spiritus, siue flatus à puero vagiente, siue vociferante editus. Nec latuit id Ethnicum Valerium Maximum libr. 6. in fine dicentem: *Caduca, &* Valer. Max. *fragilia puerilibúsque crepundiis consentanea sunt ista, quæ vires, atque opes humanæ vocantur.* Sed do tibi præterea egregium fideiussorem huius cogitationis Philonem Hebræum in libro de Cherubim, qui magnum illum Alexandrum de totius orbis terrarum imperio gaudentem, sibique applaudentem, puerilem animi sui leuitatem patefecisse, sic docet: *nam & illum, aiunt, cùm vellet ex Europa bellum infer-* Philo. *re Asiæ, opportuno inter vtramque loco stantem lustratis aspectu circa se omnibus dixisse, & hæc, & hæc mea sunt, puerili, plebeiáque leuitate animi, non pro maiestate regia.* Hæc Philo; vt dicere videatur Alexandrum animam suam exaltantem, ambulantémque in magnis. & mirabilibus super se, à puero vagiente nihil differre.

Quòd si rem accuratè perpendere, atque dicto- 5.
rum rationem à priori, vt aiunt, inuestigare velis; totum hunc terrarum orbem intus, & in cute perlustra, atque metire, vt eius terminos cum animo ad Dei similitudinem facto, & æternæ felicitatis capaci componas siue vt ipsi illos ingeras: & ne defatigeris, adi Plinium, & Senecam hæc optimè expendentes. Et Plinius quidem lib. 2. cap. 68. titulus, *Quæ portio terræ habitetur?* nostro instituto Plin. opportunè ait: *Hæ tot portiones terræ, immò verò, vt multi tradiderunt, mundi punctus; neque enim est aliud terra in vniuersum. Hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hic honores gerimus: hic instauramus bella etiam ciuilia; mutuisque cædibus laxiorem facimus terram.* Scitè ad mortalium puerilitatem ostendendam, qui animum toto cœlo capacem ad mundi punctum deiiciunt, & in puncto gaudent, & extolluntur, & & de puncto, aut semipuncto digladiantur: sic sapienter

Chrysost. pienter dixit Chrysost. hom. 4. in epist. 1. ad Cor. ad fin. *Pueri quando latronem viderint egredientem, & quæ sunt intus auferentem, non solùm non prohibent, sed etiam arrident insidiatori. Sin autem calathulum, aut sistra abstuleris, aut aliquod aliud ludicrum, indignantur, & ægrè ferunt, se dilacerant, & solum pulsant; ita etiam Græci* (hi solùm Chrysostome?) *videntes diabolum paterna omnia sibi auferentem, & quibus sua vita continetur, rident, ad eum tamquam ad amicum accurrentes; si quisquam autem, aut possessionem, aut diuitias, aut puerile aliquid abstulerit, se discerpunt.* Ita ille. Sed iam Senecam de mundi terminis disserentem audi, sic enim illos ipse lib. 1. quæst. naturalium describit, ac irridet. Seneca. *Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni diuiditur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Vltra Istrum Dacus non exeat; Strumo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica, ac Romana disterminet: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pirenæus medium inter Gallias, & Hispanias iugum extollat: inter Ægyptum, & Æthiopias arenarum inculta vastitas iaceat.* & post modum. *Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis.* Ita ille. Cui innixus rationi alibi ad gustum Philonis paulo antè citati Alexandrum, Magni cognomem sibi vendicantem infelicem asseruit, quòd tam turpi mentis errore laboraret, vt non animaduerteret, neminem in paruo magnum esse posse: Idem. *Ita ait* (ait ille epist. 91.) *infelix ob hæc, quod intelligere debebat, falsum se gerere cognomen. Quis enim esse magnus in pusillo potest?* Apta id sæculi magnatibus, qui Alexandro, opinor, aliquanto minores terræ, scilicet, palmo potiti, & de cœlesti felicitate, nihil curantes, grandes se esse, & appellari volunt. Iam hos non tam cum pueris, quàm cum formicis priori loco componit idem Seneca hunc in modum. *Si quis formicis det intellectum hominis, nónne & illæ vnam aream in multas prouincias diuident? Cùm te in illa verè magna sustuleris; quoties videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquod agatur, equitem modo vlteriora explorantem modò a lateribus affusum, libebit dicere:*

It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est in angusto laborantium. Quid illis, & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Hæc Seneca. A quo forsan instructus ille improbè doctus Lucianus sese *in illa verè magna* sublatum, & terrena hæc, mortaléque omnes despectantem, confingens; formicas formicarúmq; negotia, & curas videre sibi visus est. Ita enim in Dialogo, Lucian. cui titulus: *Icaro Menipus*, siue, *Transcensor Nubium*, ille primùm ait: *Ego cùm expendens ea, quæ sunt in vita mortalium, protinus res omnes humanas reperissem ridiculas, humiles, instabiles, nempè opes, imperia, magistratus: contemptis his, atque horum studio, adiectóque animo ad ea, quæ verè sunt bona, conatus sum, ab his tenebris emicare, & ad vniuersi naturam suspicere. Etiam à terra volatu me sustollens è sublimi despiciens pusillam mihi quamdam videre videbar, ac rursus intentis oculis dubitare, vbinam essent tanti illi montes, ac tantum mare.* Deinde cùm ingés sibi ad res denuo cognoscendas lumen obortum fuisse dixisset, eóque omnes mortales, reges, magistratus, diuites, milites, agricolas fuisse contemplatum, illud non mediocrem sibi risum mouisse ait, quòd de agrorum finibus nonnullos contendentes vidisset, cùm vniuersam terram vix palmi spatium habere, sibi videretur; post hæc verò sic pergit. *Etenim is, qui inter mortales plurimum agri possideret, vix vnam ex Epicureis atomis colere mibi videbatur. Porrò si quem conspexissem auro superbientem, quòd annulos haberet octo, phialas quatuor, magnopere ridebam & hunc; nam Pangæum vniuersum vnà cum ipsis metallis vix erat magnitudinis mica; & vrbes sanè cum ipsis viris formicarum nidis maximè videbantur adsimiles.* Hæc & plura de sæculi amatoribus cum formicis compositis impius ille, quæ vide.

6\. Apto hîc opportuna tum Ecclesiastici, tum Pauli de Moyse verba. Sic enim prior c. 16. 23. *Qui minoratur corde cogitat stulta*: siue vt Græca habent, *cogitat inania.* Quod de rerum temporalium studio Glossa, Lyra, Dionysius, Iansenius, & cæteri interpretes accipiunt. Reddit verò eammet rationem Iansenius, quam nos persequimur, quòd temporalia omnia humano corde minora sint. Vnde preme accuratam sapientis locutionem: nec enim dixit; cui exiguum inest cor; nimirum nemini paruum, exiguúmve cor innatum siue à Creatore datum est, cùm omnes ad Dei similitudinem creati, ipsius capaces simus: vnde Ambr. in Psal. 118. octonar. 10. *Grande est cor à Deo creatum*, sed notanter: *Qui minoratur corde*, id est, qui grande cor à Deo creatum, vt cœlestibus inhæreat, diminuit, atque angustat temporalibus inhiando, quippè Seneca monitore in consolatione ad Heluiam cap. 9. *Angustus animus est, quem terrena delectant.* Sic dixit Regius Vates Psal. 143. 4. *Homo vanitati similis factus est*, sed quomodo vanitati similis factus, qui ad Dei similitudinem factus? Respondebo, quòd is, qui à Deo ad suam similitudinem magnus, & cœlestium capax factus est, sese per terrenorum amorem diminuens, atque angustans, & è homine puerum reddens, vanitati, & inanitati persimilem fecerit. Vnde ad id Psalmi Chrysostomus sic inquit: *Id autem considera in rebus ipsis, eos apud te cogitans, qui sunt authoritate præditi, qui magistratus gerunt, qui in carcerem coniiciunt, & flagris cædunt. Quid enim hi ab vmbra differunt, non solùm tempore mortis, sed etiam ante mortem? Res autem veræ sunt, postquam hinc excesserimus, vera tunc redditur ratio, vera erunt supplicia, & bona similiter. Quæ autem hic fiunt, sunt similia pueris ludentibus, qui cum hodie iudicant, cras iudicantur.* Hac certè ratione Sponsa à terrenis curis animum angustantibus ad regiam dignitatem à cœlesti sponso sic euocabatur Cantic. 4. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano; veni, coronaberis de capite Amana, &c.* vbi Venerab. Gillebert. serm 29. legit *Sarmana*: quam vocem dum ipse ita explicat, vt idem sit, ac *populus vanus*, vel *can u ns*, pulchrè hæc verba connectit cum illis Pauli de hominibus voluptuariis, & præ animi pusillitate libidinum sordibus addictis ad Ephesios 4. 19. *Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ*: hunc in modum. *Quid angustius illis, qui desperantes, semetipsos tradiderunt immunditiæ. Angustum enim est cor, quod finem votorum intra temporalis iucunditatis metas contrahit, nesciens spem ad æterna dilatare.*

7\. Vidisti quid sit, minorari corde? Audi iam, quid emphatica locutione de Mose dixerit Apostolus ad Hebræos 11. 24. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Fide reliquit Ægyptum, &c.* Pende illud, *grandis factus*; planè, quasi exigui animi, puerilisq; leuitatis prius fuerit, regiam Pharaonis, & Ægyptia regna adamasse, finem votorum intra temporalis iucunditatis metas contrahendo, ac proinde matura ætate, & virili sensu accedente ea omnia proculcare, & pro nihilo ducere debuisse: vt factis dixerit cum Apostolo, *Cùm essem paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Firmat hanc cogitationem

Margin notes (right): Eccles. 16. 23. Græca Lect. Glossa. Lyra. Dionys. Iansen. Ambros. Seneca. Ps. 143. 4. Chrysost. Cant. 4. 8. Gillebert. ad Ephes. 4. 19. ad Heb. 11. 24. 1. ad Cor. 13. 11.

gitationem idem Paulus, Chrysostomo interprete, cùm Timotheum epist. 2. cap. 2. 22. monet, *iuuenilia desideria fuge*; sic enim hæc capit Chrysost. vt quidquid ad luxum corporis, vel ad animi elationem, aut ad pecuniarum studium spectat, iuuenile desiderium sit, quasi ab animo exiguo, sensûque minuto, ac parum firmo dimanans. *Siue enim quis* (inquit) *iniuriosus sit, siue potentiæ studeat, siue pecuniarum, aut corporum amore teneatur, iuuenile desideriũ est, ac stolidum, cordisque nec dum satis constantis, sensûsque parum firmi, & qui non altis radicibus fixus sit, sed feratur leuis, ac vagus, certum documentum.* Applaudit sensu & verbis Seneca lib. de *Constantia Sapientis*, c. 12. sapienter negans, vllos in virtute profectus ab iis fieri, qui vel voluptatem pertinaciùs sectantur, vel auri, & argenti cupiditate, aut insana obtinendorum munerum ambitione laborant. Ita enim ille. *An quidquam isti profecerunt, quibus animi mala sunt, auctique in maius errores, qui à pueris magnitudine tantum, formâque corporum differunt: cæterùm non minus vagi, incertique voluptatem sine delectu appetentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti? Non ideo quidquam inter illos, puerósque interesse, quis dixerit, quòd illis talorum, nucúmque, & æris minuti auaritia est, his auri, argentique, & vrbium, quod illi inter ipsos magistratus gerunt, & prætextam, fasceśque ac tribunal imitantur, hi eadem in campo, & in curia ludunt: illi in litteribus arena congesta simulachra domuum excitant, hi ve magnum aliquod agentes in lapidibus, ac parietibus, & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta in periculum verterunt.* Vnde appositè concludit. *Ergo par pueris longiúsque progressis, sed in alia, maioráque error est.* Hactenus Seneca.

8. Hinc notantissimè Dauid Ps. 1. vers. 1. eum qui sæcularia bona, carnísque illecebras despexit, virũ appellauit, inquiens: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*: non obscurè innuens puerilem animum & infirmam eorum mentem esse, qui caducis rebus, & corporis voluptatibus adhærent; pulchrè id ad hæc verba expendente Basilio: nam dum animam vtraque bona ob oculos habentem, & perpendentem sic facit. *Hic carnis oblectationem aspicit, ibi disciplinam: hic ebrietatem, ibi ieiunium: hic intemperatiores risus, illic vberem lachrymarum copiam: hic saltationem, ibi preces ad Deum, ac vota: hic tibias, & musicam, ibi luctus; hic libidines, & amores, ibi virginitatem*, quòd ad præsentia respiciens voluptatem virtuti præferat ad puerilitatẽ sic paulo antè retulit. *Donec enim quilibet nostrûm puer est in hac vita voluptatem persequens nullam vitæ futuræ rationem, aut curam habet. Vir autem factus post intelligentiæ perfectionem quasi diuersam sibi in virtutem vitam videt, & accuratè animæ oculos vtrinque voluendo, quæ ad amborum pertinent proprietatem, diiudicat.* Quò retulit Venerab. Galfridus in allegoriis Gotfridi Tilmani in Isaïam illud quindecim annorum spatium Ezechiæ Regi simul cum ascensu in domum Domini sic promissum, *Ecce sanabi te: die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos*, 4. Reg. 20. 5. vt typus fuerit veræ vitæ, quæ cœlestibus bonis studet, & gaudet, secus quidem, ac hæc temporalis peccatis obnoxia, & terrenis bonis implicita. Sic namque ille. *Puto per annos quindecim non inconuenienter intelligi vitam illam beatam, quæ sola est intelligibilis ætas, & non tam tempus, sed æternitas. Puerilis est interim vita nostra, vt paruuli sapimus quotquot sumus: illa verò ætas beata, & æterna ipsa est dies tertia, qua ascensuri sumus in templum Domini sicut dictum est Ezechiæ.* Hæc ille. Nos ad alia.

2. ad Timoth. 2. 22. Chrysost. Seneca. Psal. 1. 1. Basilius. 4. Reg. 20. 5. Galfrid.

ADNOTATIO III.

Quisquilias, & nullius frugi terrena bona esse, quòd momentanea, & nullatenus constantia, atque subsistentia sint.

1. VRGEO inanitatem, vanitatem, & fallaciam sæcularium bonorũ ex momentanea ipsorum duratione, etenim vt *caduca sunt* (vti sapienter argumentatur Cyprianus epist. 2. ad Donatum) *quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem*; ita quæ caduca, & momentanea sunt, fucata sunt, fallacia, & mendacia sunt: vnde Paulus 1. ad Timotheum 6. 19. vt æternam vitam significaret, dixit, *veram vitam*: ac si dixeret, ideo vera, quia æternùm duratura est, ita ibi Ambrosio monente hunc in modum: *Æterna est enim, & ideo appellatur vera*: vt inde meritò inferas ea quæ perpetua, & permanentia non sunt, vera non esse, sed falsa, & mendacia. Quò optimè faciunt verba 1. ad Corinth. 7. 31. adnot. 1. num. 4. à nobis elucidata, quibus Paulus vt fidelium animos terrenis rebus adhærentes ab earum amore abduceret, eàm reddebat rationem. *Præterit enim figura huius mundi.* Nam dum ibi ex vi Græci verbi adstruximus, sensum esse, mundum intus inanem extrinseco nitore, ac specie amatores suos decipere, modò facile videas, cur Noster Vulgatus reposuerit, *Præterit*; nimirum quòd in eo etiam miserrimi homines singillatim decipiantur, quòd cùm sæculi bonis inhærentes rem solidam, subsistentem, & duraturam tenere se reputant, vix ad ipsorum manus peruenit, cùm ab illis dicto citiùs elabitur, ac proinde iure dixeris idem esse præterire, atque decipere, quòd cùm in opinatos præterit, decipiat. Ita omnino Gregorius Magnus in lib. 1. Regum c. 12. inquiẽs: *Vana sunt gaudia sæculi, quasi mansentia blandiuntur, sed amatores suos quò transeundo decipiunt.* Nec dissimiliter Seneca Pater lib. 2. controuersia 1. cùm dixisset: *Fragilis, & caduca felicitas est, & omnes fortunæ blandientis speciosus cum periculo nitor*, rationem reddens subiicit: *& sine causa sæpè finit, & sine ratione destituit. Vidi ego magni exercitus ducem sine comite fugientem, vidi ambitiosa turba clientium limina deserta sub domino rectore venalia.* Sic ille.

2. Eodem verò sensu, quo Paulus æternam vitam, *veram vitam* appellauit, Assertor noster apud Ioan. cap. 14. 2. de cœlestis beatitudinis præmiis disserens dixit, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, sed cur supernas sedes, & gaudia mansiones appellauit? Sanè vt quæsita locutione, & cœlestia gaudia, inde vera adstrueret, quia manentia, & perpetua sunt, & sæcularia bona mendacia & falsa comprobaret, quòd nullatenus permaneant, ac durẽt; id sic ad hæc verba obseruante S. Isidoro Pelusiota lib. 1. epist. 65. *Illic enim verè mansio est: nam præsens vita tentorium vile est, quòd simul atque compactum, & fixum est, omne eodem temporis puncto soluitur.* Benè eodem *temporis puncto*: nam *laus* siue *gaudium impiorum*, siue pauonum explicantium, & implicantium, expandentium, & subitò contrahentium pennarum splendorem *breuis est*, & *gaudium hypocritæ ad instar puncti*, Iob 20. 5. quæ verba Gregorius inibi tam de eodem temporis puncto, sub eo sensu, quo dicere consueuimus, in ictu oculi, quàm de puncto indiuisibili Mathematicorum nullas extensionis partes habente sic accipit. *In punctio stylus mox vt ponitur, leuatur, nec mora vlla agitur, vt per*

Cyprian. 1. ad Tim. 6. 19. Ambrosius. Gregor. Mag. Senec Pater. Ioan. 14. 2. Isid. Pel. Iob. 20. 5. Gregor. M.

expri

exprimendam lineam trahatur: sic hypocrita praesentis vitae gaudia cùm tangit, amittit. Pulchrè. Nec minus opportunè Chrysost. hom. 38. in epist. 1. ad Corinth. vbi vanitatem sæcularium bonorum ex momentanea illorum duratione sic conuincit. *Cogitemus opes nihil esse: nihil esse paupertatem: nihil despectum, honorem nihil: temporis puncto, & solis inter se verbis ista differre. Neque enim cùm depictos tabella diuites videmus, dignos admiratione putamus, vt nec mendicos isthic exaratos, & miseros.* Sic ille. Sed enim pergit vlteriùs, contendens potiùs pictos, quàm viuentes diuites in rerum natura consistere, cùm picti tabella vsque in centesimum annum perduret; homo verò in puncto temporis floreat & transeat: nam *homo, bulla.* Cui subnixus rationi Nazianzen. orat. 13. prospera vtentem fortuna admonebat, ne illico mœrorem abiiceret: quia *annus* (inquit) *vnus quatuor partes vehit, atque vnicum temporis momentum multas rerum mutationes.* Verissimè; nam ille Mimi versiculus è Sibyllæ foliis est.

Fortuna est vitrea, cum splendet, frangitur.

nec minus certum quod scripsit Seneca epist. 91. *Longam moram dedit malis properantibus, qui diem dixit, hora, momentúmque temporis euertendis imperiis suffecere.*

3. Sed & huc referas cum Agellio Regii Vatis verba adnot. 1. num. 1. expensa, *Vidi impium exaltatum, & eleuatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui, & non est inuentus locus eius,* Ps. 36. 35. vbi cùm à Dauide sub specie cedri procerae, & ramis densæ, & firmissimis radicibus innixæ, præclarus aliquis Dynasta, siue Princeps propinquis multis, & potentibus, gentéque benigneque stipatus, clientibus, atque seruitio fultus describitur, in temporis momento hæc omnia euanuisse, notanter asserit inquiens: *& transiui, & ecce non erat*, ac si diceret inquit Agellius: *non steti, nihil mora intercessit, nisi dum illam arborem transirem, tantum temporis spatij intercessit quoad ego transirem;* & ecce non erat: *ita vt penè in ipso momento transitus mei tanta firmitas, & pulchritudo periret.* Dixeris audisse hæc Senecam, cùm dicebat epist. 4. *Noli huic tranquillitati confidere: momento mare vertitur: eodem die vbi luserunt nauigia, sorbentur:* voluit enim dicere, sæpiùs vnicum temporis momentum magnas rerum, domorum, diuitiarum, & florentis fortunæ mutationes adferre, eúmque qui felicissimus & florentissimus videbatur, subita casus malignitate absorberi: sic siue idem Seneca, siue alter eiusdem nominis, & notæ dixit.

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Res Deus nostras celeri rotat as
Turbine versat.

Hæsit rotæ imagini Nazianzenus epist. ad Sophronium, atque ex illa citissimam celeritatem, & constantissimam rerum humanarum inconstantiam, & breuitatem sic optimè explicuit. *Vides, quæ sit conditio rerum nostrarum, vtque rota quadam negotiorum humanorum cursu circumagatur nunc his, nunc illis florentibus, ac marcentibus: dum nec prosperitas, neque aduersitas nobis constat, sed quàm ocyssimè in diuersum mutatur, ac transilit, vt auris, ac literis aqua inscriptis fidere liceat citius quàm humanæ felicitati.* Hæc Nazianzenus.

4. Quò quidem potissimum spectat illa tam diuina, quàm vulgaris Ecclesiastes locutio, atque paranesis, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* Ecclesiast. 1. 2. vt enim in seqq. adnotat. hæc verba peculiariùs à nobis sint examinanda: placet modò ex Rabbi Dauid, & peritioribus Hebræis adnotare germanam significationem Hebrææ vocis pro qua noster posuit, *Vanitas*, ea enim est, הֶבֶל *hebel*, quæ propriè significat halitum oris, quo nihil citiùs in auras euanescit, vnde Græci omnes trãslatores (demptis LXX. quorum lectionem subinde expendemus) teste Hieronymo in eum locum reposuerunt *ἀτμὸς ἀτμῶν, vapor vaporum,* subiicit Hieronym. *quòd nos possumus vaporem fumi, & auram tenuem, quæ citò resoluitur, appellare,* monente nos hac voce Salomone eam humanarum rerum breuitatem, fugacitatémque esse, vt vix ortæ, continuò desinant, idémque illis & ortus, & occasus principiũ sit. Ita Chrysost. hom. 1. in Genesim, *Talia (inquit) sunt humana, & carnalia: nondum rectè aduenerunt, & auolarunt,* ac si dicat, vix ore halitus prodit, cùm desinit, atque euanescit. Similiter Hieronym. premés ea Ezechiæ verba. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* Isaiæ 38. 15. hunc in modum *Nulla res longa mortalium est, omnisque felicitas sæculi dum tenetur, amittitur.* Benè *dum tenetur*, vix enim tenentis manus pertingit, cùm elabitur, ac defluit. Apto hîc LXX. lectionem, qui Græcè pro voce, *vanitas*, posuerunt: *ματαιότης*, quæ eam vanitatem adumbrat, quæ nos specie bonitatis, & falsa fructus spe decipit: vt eadem harum lectionum ad speciem dissidentium conciliatio fuerit, ac illa, quàm verbis Pauli ad Corinthios adhibuimus: nimirum, mundum ea amatoribus suis bona offerens, quæ sibi chara, & pretiosa tãquam cordis respiratio, & halitus esse videntur, illos, atrociter decipere: nam *gaudia sæculi* (vt dicebat Gregor.) *tamquam manentia blandiuntur, sed amatores suos citò transeundo decipiunt.* Quis enim non crederet, halitum quem mundus ab intus ore profert, veram, permanentémque futurum? At ea illius cõditio, & ingenium est, vt dum promit, dissipet & in aërem conuertat. En tibi sæculi bona: en illius gaudia, in quæ tanto impetu homines ruunt, & pro quibus tam pugnaciter, quàm inaniter contendũt. Audi Senecam epist. 74. pulchrè humanam felicitatem tot casibus & periculis, vt obtineatur, obnoxiam, adeptam verò nihil durantem venusta veterum ludorum imagine, in quibus missilia dona à Principe iaciebantur, vt subditi inferiùs raptim colligerent, sic ob oculos proponentem. *Hanc imaginem animo tuo propone. Ludos facere fortunam, & in hunc mortalium cœtum honores, diuitias, gratiam excutere, quorum alia inter diripientium manus scissa sunt, alia infida societate diuisa, alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant, prensa: ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt, quædam, quia nimis captabantur, amissa, & dum auidè rapiuntur, excussa sunt. Nulli verò etiam cui rapina feliciter cessit, rapti gaudium durauit in posterum.* Sic ille.

At enim hanc rerum, siue voluptatum sæculi instantaneam durationem ipsimet perditissimi illarum amatores, quorum is animus, ea insana mens erat. *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*: multo aptius, & viuaciori penicillo, siue volentes, siue inuiti descripserunt, cùm ad hæc bona, maláque gaudia rapienda, sic sese inuicem incitabant. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant. Non pertranseat nos flos temporis.* Sapient. 2. 8. Vides impactos illorum animis de nimia horum bonorũ breuitate stimulos? *antequam (inquiunt) marcescant;* sanè quasi iamiam marcescẽtes videant *non pertrãseat nos flos;* omnino quasi statim transiturus, & auolaturus. Sed enim ipsamet rosæ imago illis vsurpata satis abundè id ostendit. Quid enim rosa inter flores magis fluxum, atq; caducum? *Citò marcescunt rosæ* (ait Plutarch. lib. 3. Sympošion, c. 41.) *emittunt* 5.

namque

Chrysost. Nazian. Publius. Seneca. Agellius. Seneca. Senec. Tra. Nazian. Eccl. 1. 2. Rab. Dauid. Lect. Hebr. Hieronym. Chrysost. Isai. 38. 15. LXX. Hieronym. Gregorius. Seneca. Sap. 2. 8. Plutarch.

namque odoris fluxum: vnde ῥόδον *quasi fluens odor.*
Plinius. Basilius. Similiter Plinius lib. 21. cap. 6. *Nouissima rosa, eaque prima deficit*, sed multo opportuniùs Basil. homil. *de paradiso*, vbi cùm dixisset: *Florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit. Nam quotiescumque florem hunc videro, peccati mei admoneor, propter quod terra, vt spinas, & tribulos proferret condemnata est.* Subiicit, *Et hic quidem transitoria, ac breuis momenti vernorum florum gratia adhuc desiderantes destituit. Nondum enim ab eorum collectione domum reuersi sumus, & ecce in ipsis adhuc manibus constituti marcescunt.* Hæc Basil. Quibus valdè sunt affinia, quæ Virgil. siue quiuis alius bonæ notæ poëta cecinit,

Virgilius.

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Quàm longa vna dies, ætas tam longa rosarum,
Quas pubescentes cuncta senecta premit.

Audis? quid ipsimet sæculi amatores de suis bonis asserant? Vides quàm ad viuum ea adumbrent in rosa: quæ dum nascitur, consenescit, & quam pubescentem vltima ætas premit. Sed & illud opportunè isti amentes dixere. *Non prætereat nos flos temporis*; Lect. Græca. quippè Græcè pro *temporis* est ἀέρος *aëris*, verissimè agnoscentes quidquid floret in sæculo, siue potentia, siue opes, siue delitiæ fuerint, oris halitum esse, & aërem, qui quàm citissimè dissoluatur & euanescat, sic dicebat Seneca lib. 3. natural. quæst. in prooemio, Seneca. *Quanto satius? docere eos, qui sua permisere fortunæ; nihil stabile ab illa datum esse, eius omnia fluere aura mobilius*; & luculentiùs August. Aug. tractatu 7. in Ioan. *Lætitia sæculi vanitas est, cum magna expectatione speratur, vt veniat, & non potest teneri, cùm venerit. Iste dies, qui lætus est, cras vtique non erit. Transeunt omnia, euolant omnia, & sicut fumus vanescunt. Væ, qui amant talia.* En mundi coronas rosis, hoc est, aëre, fumóque consertas; apta illis ea, quæ Seneca confutans vulgi errorem credentis terreas quasdam exhalationes in modum coronæ consurgentes circa Lunam, & alia sydera consistere. sic scripsit lib. 1. natural. quæst. Seneca. cap. 2. *Nos autem non existimemus istas, siue areæ, siue coronæ sint, in vicinia syderum fieri. Plurimum enim absunt, quamuis cingere ea, & coronare videantur. Non longè à terra fit talis effigies, quam visus noster solita imbecillitate deceptus circa ipsum sydus putat positum.* Ergo nec nos existimemus, sublime aliquid & sydereum esse has rosarum coronas, quæ in sæcularium hominum capitibus florent, ac nitēt; visus certè noster solita imbecillitate deceptus ad earum aspectum caligat, at ipsæ vanæ sunt, & aëreæ, quæ quantociùs in auras dissipantur. *Væ, qui amant talia.* Sic quidem eos, quos hæ coronæ cingunt, monebat, deterrebátque Greg. Nazianzen. Gregor. Naz. orat. 32. *Qui exacerbant, non exaltentur in semetipsis, nec vmbram, aut somnium exsurgentium, aut auram perflantem, aut nauis vestigia aquis impressa tenentes, quidquam se habere existiment.* Ita Gregorius.

6. Sap. 2.8. Bibl Compl. Hieronym. Illud verò in præfatis verbis, *Coronemus nos rosis*, peculiarem in hanc rem emphasim, & maius pondus habet, quod Biblia Complutensis Græcè pro *rosis* posuit vocem κάλυξ quam Hieronymus in cap. 35. Isaiæ sic explicat, *tumens rosa, nec dum foliis dilatatis*: vnde ad verbum legeris, *Coronemus nos caliculis rosarum, siue clausa tumentéque rosa.* Sed cur, ô boni, tumente adhuc rosa, nec foliis dilatatis coronari vultis? quæ hæc festinatio? & immaturitas fuerit? Explicant quidem citissimam sæcularium Chrysost. bonorum celeritatem, quæ, vt dicebat Chrysost. *nondum rectè aduenerunt, & auolarunt*, nec tā fuisse, quàm nondum esse: nec ad manus peruenisse, dici Psal. 128.6. possint. Sic dixit Regius Vates Psal. 128. 6. *Fiant tamquam fœnum tectorum, quod prius quàm euellatur, exaruit*: vbi Theodoret. ex Græco fonte legit, *prius* Theodor. *quàm effloresceat, exaruit*: vt nimirum tanta celeritate exaruisse videatur, vt vix oculi florem deprehēdere potuerint. Sed enim his Sapientiæ verbis illa opportunissimè adnectes ex Ioele c. 1. 5. amatores sæculi sic irridente. *Vlulate omnes, qui bibitis vinum* Ioel. 1.5. *in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro*: vbi nō nemo dixerit, orationis structuram non benè hærere cum iis qui præsenti tempore bibere dicuntur, vinum iam tanquam præteritum periisse affirmet Vates. Certè dictionis series id videbatur exigere, vt vel ei, qui præsens bibens inducitur, perire erā dē præsenti tēpore vinū sic dicatur: Vlulate, qui bibitis vinū in dulcedine, quoniam perit ab ore vestro: vel dum vinū iā periisse enuntiatur, iis periisse qui illud ebiberunt. hunc in modum asseratur: Vlulate omnes qui bibistis vinum, quoniam periit, &c. Subsistit tamen Vatis locutio, ea tempora sibi ad speciē non cohærentia de industria coniungentis, vt ostēderet, tam fluxam, atque caducam bonorum sæculi conditionem, & inconstantiam esse, vt ante ortum iam occiderint. & antequam perueniant, auferantur. Id ad ea verba acutè adnotante Venerab. Stephano Canthuariensi in allegoriis Gotfridi Tilmani hunc in modum. Steph. Cant. *Signatius dixit* periit, *quàm dixisset* perit. *vel* peribit: *quia adeò est instantanea delectatio. vt potius dicenda sit præterita, quàm futura, licèt sit in præsenti.* Quod dixeris odoratum fuisse Gentilem Senecam in consolatione ad Polybium cap. 29. cùm ait, Seneca. *Citò enim nos omnes voluptas relinquit, quæ fluit, & transit, & penè antequam veniat auferatur.* Compone iam Sapientem voluptarios illos caliculis rosarum, siue rosa nondum aperta coronantem cum Ioële prænunciante voluptarum vinum ab ore bibentis iam periisse: vt tam ex vnius futuro, quàm ex alterius præterito videas eam bonorum sæculi breuitatem esse, vt nunquam præsentia conspiciantur, sed inter *fuit*, & *erit* tota illorum essentia, siue esse partiatur, quòd vix voluptas aduenerit, cùm dilabatur, & fluat. Audi Augustinum id Psal. 9. 11. *Sperent in te, qui nouerunt nomen tuū*, Augustin. sic prementem. *Ne sperent in rebus, quæ temporis volubilitate prætersiuunt, non habentes nisi, erit, & fuit: quoniam quod in illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum, & expectatur cum cupidine; amittitur autem cum dolore.* Ita August. Non ergo importunè pompis sæculi, & humanæ felicitati inter *fuit*, & *erit* suspensæ, siue partitæ illud aptaueris, quod nescio quis negotiorum sæculi irrisor canebat.

Hic fuit, hic fecit, pugnauit, vicit, amauit,
Composuit libros, gentes domuit, populósque subiecit.
Quid mihi cùm fuit, aut erit? Est valet vnum
Plus quàm mille fuit.

Quod si nosse velis, quod sit vnum illud *est*, quod valeat plus, quàm mille *fuit*, aut *erit*? Dixerim tibi illud omnino esse, quod Christi discipulis quidquid est in mundo reiicientibus, promittitur, Matthæi 5. 3. Matth. 5.3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnū cælorum. Est*, inquit Christus. quod & verè fit, verè stet, atque subsistat, & verè apud ipsos permaneat.

Quò sanè iuerit lamentabilis ille captiuorum ad 7.
Babilonis flumina cantus. Psalm. 137. 1. super flu- Psal. 137. 1.
mina Babylonis *illic sedimus, & fleuimus*, &c. quid enim Babylonia flumina, nisi sæcularia bona indesinenti impetu decurrentia, nulláque possidentibus data mora, vt illis perfruantur, per illorum manus perlabentia, & transeuntia significent? Audi ad id loci Hilarium. Hilarius. *Flent omnes, qui se captos in Babylone sentiunt, & sedent super flumina. Omnia enim sæculi,*

sæculi, & corporum opera modò fluminum sine aliqua cursus sui statione præterfluunt, currunt namque, & labuntur, & transeunt. Sed pergit Hilarius, & præterlabentium aquarum imagini hærens censum sic auget. *Quæ enim corporalis voluptas non præterita iam nulla est? quod terrenum gaudium non cum ipso furtiuo sensu præsentis fructus sui transit?* Pende illud, *non præterita iam est*; quòd si ad huius locutionis sensum pendeas, ambigens an demi debeat illa negatiua nō, vt planus sit sensus, voluptatem præteritam nullam iam esse: Respondebo, pulchrum te Hilarij acumen obtundere, & pro egregia sententia vulgatem obtendere. Quæ enim venustas: aut qui non otiosus sermo fuisset; dicere, voluptatem præteritam nullam esse. Singularis scilicet, is sensus esset: qui Hilario monitore egeret, cùm id nemo nesciat, nemo non videat. Ergo addit Hilarius, sæculi voluptatem, adhuc cùm præterita non est, nullam iam esse, quia vix accedit, cùm perfluit, & dilabitur, & cùm peruenit, dum in puncto indiuisibili pertingit, quia *gaudium hypocritæ ad instar puncti* non tam voluptatem habere, quàm voluptatem deserere dicendum est. Ingessit hanc cogitationem iis Iobi verbis Richardus Victorinus, elucidans illa Canticorum verba
Richard. cap. 3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?* vbi cùm deserto mundum comparans dixisset, *Desertum mundus vocatur, vel quia deseritur, & contemnitur, vel quia seipsum deserit, & in se deficit; quotidie enim cum tempore gaudia temporis transeunt, & quot dies aliquis accipit ad viuendum, tot ei amputantur viuendo, & gaudendo*; inde sic colligit: *& qui gaudio transitorio fruitur, non tam gaudere dicendus est, quàm gaudium deserere, quia gaudium eius transit, & deperit cum tempore, sicut scriptum est:* gaudium hypocritæ ad instar puncti. Hæc Richardus.

8. Hilar. Nec leuiori obseruatione dignum videtur, quod subiiciebat Hilarius, *quod terrenum gaudium non cum ipso furtiuo sensu præsentis fructus sui transit*: vbi pulchrè dicitur, *cum ipso furtiuo sensu præsentis fructus*, quòd voluptas toto impetu velut rapidissimus torrens decurrens, atque præteriens etiam præsentis fructus sensum surripiat. Audi sanctum Isidorum Pelusiotam id sic optimè explicantem lib.2.ep.137.
S.Isid.Pel. *Quemadmodum enim vehemens aquæ impetus certum sui sensum internosci, minimè sinit (sua quippe celeritate animaduersionem eripit) ad eumdem modum, ac fortasse etiam magis temporis impetus ad finem properans facilè quidem fluit: hominibus autem nihil perspicuum, ac fixum ostendens tamquam insomniorum vmbras relinquit.* Sic ille. Persimili sensu, eadémque elegantia Gregorius Nyssenus tractatu 1. in Psalm. cap. 4. ad
Psal.4.7. ea Vatis verba Psalmo 4.7. *Dedisti lætitiam in corde meo.* Sapienter obseruat, notanter Vatem de sæculi amatoribus statim subdidisse. *A fructu frumenti, & vini multiplicati sunt*, vt ostenderet corpoream oblectationem à vera cordis lætitia omnino esse seiunctam, quòd vt hæc firma & secura est, ita illa momento præterfluens somnio, aut spectris adsimilis
Nyssen. sit; sic enim Nyssenus. *Non enim est fruitionis illius, & voluptatis, quæ momento temporis fit, in hominum natura penu, vt delectationem illam asseruare, & recondere possint, quam omni ope comparare conantur, sed instar fallacium phantasmatum, cùm teneri à voluptatum amatoribus creditur, derepente euanescit, & in nihilum recidit.* Hæc Nyssenus. Ex quibus non incongrue huc reuoces ea Salomonis verba Ecclesiastes
Eccl.1.12. 1.12. *Ego Salomon fui Rex in Ierusalem*, quæ adnotatio.1. numero 5. de inanitate, & vacuitate temporalium rerum explicauimus; vt non ea ratione solùm, quòd inanes, sed etiam, quòd adeò breues, atque fugaces sint, vt vix manus attingant, quin cum ipso furtiuo sensu, tenentium manus eludentes dilabantur, dixerit ille: fuisse se, non esse Regem, quòd præteritum experiretur, præsens verò oblectationis tempus quasi minimè attrectans, siue apprehēdens non sentiret: ideo de elapso sibi Regno potius quàm de adstante potentia fidem facere: sic citato loco dicebat S. Isid. Pel. *Tempus partim iā auolauit, partim cùm adesse videatur, latet: partim cùm adhuc expectatur, præterit.* S.Isid.Pel.
Benè ergo is, quem quod præsens est, latet; & non ea solùm, quæ auolarunt, sed etiam quæ expectantur, iam præterisse nouit elapsis vndique bonis circumdatus dixerit, *Fui Rex*: non sum. Qui enim me habere, quod antequam aduenerit, præterit, affirmare possim?

Est verò huic rei peropportuna bona pars Psalmi 89. quæ mirandam sæcularium fugacitatem, & 9.
adeò momentaneam durationem, vt transisse potius quàm aduenisse sentiantur, apprimè & luculenter describit, sic enim primum versu 4. *Quoniam* Ps.89.v.4.5.
mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit; & custodia in nocte: deinde vers. 5. *Quæ pro nihilo habentur eorum anni erunt*: pergit vers. 6. *Manè sicut herba transeat; manè floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat.* Ex tandem vers. 9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus: anni nostri sicut aranea meditabantur.* Plures sanè & singulares sententiæ quas tantillum expendere, fuerit operæ pretium: & illud in primis, *tanquam dies hesterna, quæ præteriit*; pulchrè enim, & emphaticè Vates totam humanæ vitæ gloriam, felicitatem, pompas atque delitias non cum præsente die, quæ actu adest, & floret, sed cum hesterna quæ iam auolauit, composuit; manifestè asserens eum, *qui gaudio transitorio fruitur, non tam gaudere, quàm gaudium deseruisse, dici debere*: vt ad id loci sic pensitauit Agellius, *Non potuit autem breuitatem, vanitatémque vitæ nostræ melioribus, atque aptioribus verborum coloribus depingere, quàm cum hesterno die conferens. Nam si dixisset: Tanquam dies hodiernus; saltem aliquam licèt vmbram temporis retinere videremur; cùm autem dixit: Tanquam dies hesterna; ne ipsam quidem vmbram tenere non censuit.* Agell.
Auget verò rem Propheta subiiciens, *& custodia in nocte*; militarium enim excubiarum, quæ noctu, & in tenebris aguntur imagine superiorem sententiam, vt nimis liberalem, & quæ rebus humanis plus iusto dederit, corrigens, atque humanam felicitatem, quæ præ fugacitate vix sentitur in quaternas vigilias noctis, hoc est dolorum, afflictionis, & ærumnarū (id enim nox significat in Scripturis) sibi inuicem succedentes delinere: ac breuissimo, & instantaneo elapsæ diei gaudio in desinentis noctis vigilias, quæ præ molestia æternum durare videntur, adnexas esse, adstruens. Vnde subiicit, *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*; quæ in Hebræo sic legeris, *Fluere illos fecisti*; (siue, *inundasti eos*,) *somnus erunt*: vbi tum Lectio Hebr.
vitæ, & felicitatis fugacitas rapido fluminum fluxui, quæ cum impetu feruntur; siue inundationi, quæ non sensim, & data mora, sed adeò rapidè, & subitò res absorbet, vt nec vestigia earum videamus, notanter comparatur: ideo ait, *somnus erunt*: id est, euanescent hæc omnia velut somnia, quæ abstergefacto aufugiunt eúmque vacuum, & frustratum relinquunt: *citò enim nos omnis voluptas relinquit* (vt dicebat Seneca) *quæ fluit, & transit, & penè antequam veniat, aufertur*: tum etiam adstruitur; felicitatem somniari, Senec.
siue in somnis agi; molestias verò & sibi succedentes; catenósque labores ad vigilantes pertinere eósque occupare. A quo nō it, quod obseruauit S. Zeno Matt. serm.1. in Psal.130. vbi componens ea Dauidis verba: *Non est exaltatum cor meum, neque elati sunt* Ps.130.1.
oculi

1. Ioan. 2. 16. oculi mei; cum illis Ioannis epistola prima, capit. 2. 16. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ:* scitè ait, *oculorum peior est causa.* Sed quare peior ipsorum, quàm cordis causa fuerit? Respondet opportunè. S. Zen. M. *Quia cordis exaltatio nullos fructus inuenit: & oculorum extollentia de alto in aliud elata quidquid viderit mobilitate fugaci statim deperdit.* At, inquis, quo deterior, peiórque causa est, nonnullos ab oculis inuentos, libatósque fructus, quàm nullos à corde cõquisitos fuisse? Sanè, quòd cum ab oculis inuenti & primis, vt aiunt, labris, libati fructus, momentanei sint; non tam vsui, & oblectationi acquisiti, quàm cruciatui, & dolori amissi censentur: vix enim eorum delectatio percipitur; cùm *hesterna dies, quæ præteriit*, fit; cùm tamen de ipsorum amissione dolor, viuus fixúsque animo tota nocte hæreat, & duret.

10. Ps. 89. 6. Firmat hæc sequens Psalmi tractus: *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & transeat, vespere decidat, &c.* vbi notanter hominum vita atque felicitas cum herba perpetuæ morioni, & vicissitudini obnoxia, componitur: vt enim hæc vix frondibus pubescit, & rore aspersa viret, ac in caulem subinde assurgens floret; cum subita mutatione decidit; hoc est, incurnatur, florentémque, & erectam ceruicem inclinat, arescit, & perit; ita humana gloria tota in transitu est: immò verò præ nimia illius breuitate, & fugacitate illam prius transire, quàm florere, dixeris. Quare obserua, Vatem prius transitus illius, quàm florentis, aut crescentis status mentionem fecisse. *Manè* (inquit) *sicut herba transeat, manè floreat.* At quare non prius floruisse, quàm transisse dixeris? sed in primo manè transitum illi adscripsisti. Sanè, quod vt prius natura florere, quàm transire fuerit, at cùm florendi status subitaneus, & ad momentum sit; priùs quidem transitus; & amissio, ac de ea dolor, atque cruciatus, quàm floris viror, atque oblectatio sentitur. Vnde rursus aduerte, verbum, *floreat*, inter duo *transeat* à Propheta circumseptum. *Manè sicut herba transeat, manè floreat, & trãseat*, quòd vitæ flos, totus in transitu, & à transitu incipiens, & in transitu desinens, totus ipse transiens sit. Nec commentum id aut vanum omnino acumen reputes, cùm Hebrææ dictionis vis omnino adstipuletur. Hebr. lect. Certè Hebræum verbum חָלַף *halaph*, pro quo Noster posuit, *transeat*: à plerisque legitur, *augescet, adolescet, incrementum sumet, roborabitur*: & meritò quidem. Nam Iob 19. 7. à Hieronymo transfertur Iob. 9. 7. *virescit*: vt videris, Vulgatum interpretem sapienter iudicasse, vitorem, incrementum, & augmenta huius vitæ nullo commodiori modo, quàm transitus vocabulo explicare posse, rectéque à Zenone dictum pessimam oculorum causam, quòd eorum extollentia quidquid viderit, mobilitate fugaci statim deperdat. Nec ab hoc ire crediderim egregiam ilProu. 14. 13. lam Salomonis sententiam Prouerb. 14. 13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat:* vbi vt maximè adnotanda sit luctus atque mœroris cum humano gaudio connexio, illud signatè preme, extremam gaudij partem à luctu absorberi, quasi illud ad finem vsque currere nequeat, quin necessario à mœrore præoccupetur. Sed quare? Num quòd fortuna postquam nimium indulsit, fatigata in fine deQuintil. ficiat, vt inquit Quint. declam. 271. siue vt Iul. Cels. Iul. Cæs. lib. 10. quia quos plurimis beneficiis ornauit, ad duriorem casum reseruat? Non equidem omnino aberrraueris si sic existimes; ea siquidem illius conditio, & ingenium est, vt tanquam scorpius vltima sui parte percutiat, vt ex Sidonio Appollinari epist. 13. Sidon. Apol. lib. 2. inferiùs demonstrabimus, at enim si attendis, & fortunæ parcis, immò illam è cœlo tollis & à sapiente fingi sapienter arbitraris, commodiùs id ad ipsammet temporalium bonorum naturam tam celerrimè, decurrentium, & præteruolantium, vt priùs transisse, quàm adesse persentiantur, referre possis: animus siquidem gaudio pleno inhians, manibus illud retinere, ac remorari exoptat; at illud dum sensim inter manus effluit, & præterlabitur, nunquam integrè desinere, sed mancum, & interruptum esse videtur, ac proinde animum ad ipsum propendentem, & inhiantem miserrimè fallit, vacuúmque relinquit: porrò vacuas concupiti, nec adepti gaudij partes mœrore implere necesse est: Aristotele enim auctore, *concupiscens, nec adipiscens dolet.* Arist. Sed hæc omnia multò meliùs disces à Bernardo sermone *de nimia quadam fallacia præsentis vitæ*, præfata Salomonis verba ad rem nostram elucidante, & cœlestia gaudia ab his terrenis scitè discriminante, quòd illa non quid lætum, aut gloriosum, sed ipsamet lætitia, & gloria; hæc verò corruptibili, & caducæ materiæ admixta transeuntia, & in mœrorem desinentia sint. Audi. *Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in diuitiis, gaudent & in vitiis homines: sed luctus extrema occupat eius modi gaudiorum, quòd gaudium in materia conuertibili mutari necesse sit, re mutata.* Bernard. Adhibet pulchram imaginem: *Accenditur cereus, non purum lumen est, sed nocturna, siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fouetur, porrò deficiente materia etiam ipse deficiet: & vni illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus consumptum esse reperies: sicut ergo flamma illius nouissima fumus occupat, & caligo: sic lætitia læta rei in tristitiam commutatur.* Pulchrè, & verè, ipsomet tristitiæ fumo, qui breui lætitiæ lumini succedens, & extrema illius occupans, lachrymas à sæculi hominibus excutit, locupletissimo teste.

Iam illud à Vate tandem allatum: *Anni nostri sicut aranea meditabuntur*; omnino è re hac est: sed 2. Psalm. 89. 9. quod interprete egeat, nam lubricus locus, & inuolutissima sententia. Porrò Agellius, qui obseruat, tum in Hebreo araneæ imaginẽ non esse, sed simpliciter haberi. *Anni nostri tanquam si meditaretur*, vel *tanquam si meditarentur*: Hebr. lectio. tum in Scriptura meditari, siue meditationem tenuis vocis emissionem significare: vt Isaiæ 38. 14. *Meditabor vt columba*, hæc verAgell. Isa. 38. 14. ba sic primùm effert. *Anni nostri tanquam syllaba & vox vna prolata euanuerunt*: vel etiam, *Annos nostros euanescere fecimus; & vnica meditatione, & halitu oris effudimus, qui semel atque emissus ex ore fuerit, dissoluitur*: deinde ad gustum Vulgatæ lectionis sic accipienda putat: Anni nostri tanquam aranea, qua nihil tenuius, nihil tabidius, dissoluuntur. Alij autem araneæ imaginem ad illius telas eum humana vita, & felicitate compositas; vt eius inanitas, & fragilitas inde eluceat, malũt referre. Quod sic elucidat Gregorius Nyssenus tractatu 1. in Psal. cap. 7. *Vt enim te-* Greg. Nyss. *la aranea apparet quidem quoad connexa fuerit: at si quis manum admouerit, derepente contactu digitorum elabens euanescit; sic & humana vita superuacaneis, & non consistentibus studiis, tanquam aëreis quibusdam filis semper implicata contexit sibi non subsistentem telam, quam si quis firma cogitatione apprehendat, effugit contactum vana sedulitas, inque nihilum recidit. Omnia enim, quibus in hac vita mortalium cura destinentur, inanis quadam opinio sunt, nihilque subsistens, opinio est honor, dignitas, generis claritudo, superbia, elatio, diuitiæ, & his similia, quibus vita huius aranei inhiant.* Ego verò superiori Vatis sententiæ adhærens de nimia breuitate humanæ gloriæ, siue felicitatis tam subitò dilabentis, vt vix adesse percipiatur, araneæ imaginem capiendam crediderim. Nimirum ea de

aranea

aranea circumfertur parœmia apud Prouerbia Græca Vaticanæ Bibliothecæ centuria 1. Adagio 9. *Nescit aranea sobolem, quoadusque educet; nam educans moritur.* Quæ interprete Andrea Scottho innuere videtur; tum demum araneam se parentem agnoscere, cùm prolem educat, à qua exenteretur. Est ergo mens Prophetæ, ac si dixerit: *Humanas glorias, & felicitatem ad instar parentis araneæ esse*, quæ prius finiantur, quàm incipiant, & inter capientium manus dilabantur; nec solummodo verum esse, quod dicebat Bernard. *Sicut flamma nouissima fumus occupat, & cal go, sic lætitia rei lætæ in tristitiam commutatur.* Sed etiam ipsammet flammam à fumo incipere, & in fumum desinere.

Andr. Scoth.

Bernardus.

12. Iam tandem pro coronide tam huius quàm præcedentium adnotationum obserua, quanto animi, corporisque conatu, atque defatigatione vna ex parte hæ terrenarum rerum quisquiliæ, siue vmbræ præteruolantes ab hominibus diligantur, exquirantur: & toto nisu apprehendantur: ex alia verò, quam vacuos, atque frustratos possessores suos ipsæ iam adeptæ relinquant, quámque inutiles, & incassi labores pro illis suscipiantur: vt vel hinc egregia Oseę, & Ieremiæ testimonia ad speciem non leuiter diffidentia concilies. Sic enim prior, c. 2. 7. de infida plebe post illicitas voluptates, & sæculi delitias cæco, & temerario impetu currente: *& sequetur amatores suos, & nō apprehendet eos.* Hieremias verò de eodem populo iis mundi idolis pertinaciter adhærente Dominum sic loquentem facit, c. 8. 5. *Quare auersus est populus iste in Hierusalem auersione contentiosa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Ecce eandem plebem amatores suos, siue amata, concupitáque idola simul apprehendentem, & nō apprehendentem. Quòd si ambigas, quónam modo vtrúque de eodem tempore enunciatum valeat subsistere? Respondebo, eam sæcularium bonorum naturā esse, vt simul apprehendantur, & non apprehendantur, siue potiùs, vt non apprehendantur, cùm apprehenduntur, quòd cum ea mendacia caduca, & præteruolantia: & inter ipsas manus dilabētia sint: idem fuerit omnino, ea apprehendere, ac non apprehendere. Nititur sanè quis apprehendere, & toto impetu comprehendere principatum, potentiam, voluptates, & cætera huiusmodi: imò verò in hæc manus iniiciens reapse apprehendit, & comprehendit: sed enim cùm nihil solidum, nihil fixum, aut durans illis subsit; quantumuis hæc prenset, amplectatur, retineat, ea non valet apprehendere, quia nihil apud se inuenit; nihil retinet, non enim implebit manum suam, qui metet, aut sinum suum, qui manipulos colligit: subest quidem hæc vis illi locutioni, *Apprehenderunt mendacium*; ea siquidem indicat Vates, sæculares homines casso, & inutili labore in iis bonis conquirendis, & adipiscendis insudare, quòd ea falsa, ac nulla, siue mendacium, ventus, aut vmbra sint: ac proinde teneri, & non teneri; idémque omnino esse apprehendi, & non apprehendi. Ita quidem Chrysost. hom. *Quòd nemo læditur nisi à seipso*, dicebat: *Summa auiditate amplectuntur vmbras, & sequūtur ventos; hæc enim, quæ eis videntur sæculi, & carnis bona, è manibus eorum tamquam ventus, & vmbra fugiunt, & elabuntur.* Sic ille, ex venti, & vmbræ imagine satis dilucidè ostendens, quid sit, hæc apprehendere. Qua etiam mente Greg. Nazianz. orat. 43. Proceres, & sublimibus soliis insidentes sic admonebat. *Ne quid admireris, quod non permaneat; ne contemnas, quod certum, & stabile sit: ne quidquam arctiùs constringas, quod cum manibus tenetur effluit.* Hæc ille. Quæ eius Scholiastes Nizetas sic optimè expendit, atque diffundit. *Neque ea, quæ cùm tenentur, perfluunt, constringas, quasi ea retenturus. Quemadmodum enim fieri non potest, vt qui aquam manu cœperit, eam constringendo retineat (per medios enim digitos elabetur) eodem modo fluxa diuitiæ (si retinere tentes) effluent: ac propterea Dauid dicebat,* Diuitiæ si fluant, nolite cor apponere, Psalmo 61. 11. Ita Nizetas. Adstipulatur Augustinus tractatu 7. in Ioan. inquiens: *Lætitia sæculi vanitas est: cùm magna expectatione speratur, vt veniat, & non potest teneri cùm venerit. Ille dies, qui latus est, cras vtique non erit. Transeunt omnia, euolant omnia, & sicut fumus vanescunt. Væ qui amant talia.* Optimè.

Osé. 2. 7.

Ierem. 8. 5.

Chrysost.

Nazianzen.

Nizetas.

Psal. 61. 11.

August.

Adnotatio IV.

Sæculi bona, ideo fluxa & caduca esse, quòd in alieno solo siue in maledicta terra nata nullis innitantur radicibus.

1. Illud magna huius loci opportunitate inquires, nec minori, vt opinor, vtilitate noueris: quæ tantæ huius constantiæ, & fragilitatis humanarum rerum ratio, & causa sit: cur etiam Deus hæc, quæ ipsius dona esse alibi adstruximus, adeò fragilia, & minimè consistentia fecerit; siue facta, nobis tradiderit? & primæ quidem dubitationi abundè satisfaciebat Cyprianus, initio præcedentis adnotationis adductus cùm dicebat: *Caduca sunt, quæcumque furata sunt; nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatē*: at enim quoniam & huius rationis nouam forsam rationem petes, denuo ipsemet Pater alibi respondet, tantæ huius, tamque ineuitabilis sæcularium bonorum breuitatis, & ad durandum imbecillitatis peremptoriam rationem, causámque esse, quòd nullas habeāt radices in quibus hærere, atque inniti valeant. Sic enim ille libro de laude Martyrij. *Vacua enim sunt vniuersa, quæ cernimus, & quæ infirmis radicibus posita soliditatis suæ vim nequeāt sustinere.* Verissimè omnino, & Pauli locutioni *stercora*, siue *quisquilias*; siue, vt ex Cyrillo Alexand. *rudera*, lapidum videlicet frusta, siue testas confractas, & ruinarum, siue dirutorum ædificiorum materiam, siue *paleas* abscissas, vel frumenti excussas iam *aristas*, vt vocem σκύβαλον explicabat Theodoretus: hæc omnia appellantis, satis opportunè. Quò enim hæ imagines iuerint, nisi vt ostendant, mundi bona quæcumque illa fuerint, nulli firmo fundamento; nullis propriis radicibus, nulli natiuæ firmitati insistere: sed eam ipsorum naturam & conditionem esse, vt tamquam mobilis supellex, immò tamquam leues paleæ, aut aristæ huc illuc prout impulerit ventus circumferantur. Nec latuit hæc ratio; atque hæc eadem infirmarum radicum imago Ethnicos duos, Valerium, scilicet, Maximum, & M. Tullium. Quorum prior lib. 6. ad finem. *Caduca (inquit) & fragilia, puerilibúsque crepundiis consentanea sunt ista, quæ vires, atque opes humanæ vocantur. Affluunt subitò, repentè dilabuntur, nullo in loco, nulla in persona stabilibus, nixa radicibus consistunt.* Iam Cicero densum auget, & quas his bonis radices demit, virtuti omnino attribuit hunc in modum. *Omnia alia falsa, incerta sunt, caduca, mobilia, virtus est vna altissimis defixa radicibus.* En egregiū inter bona carnis, & spiritus, siue mundi, & virtutis ad Hispanę locutionis gustū, *bienes muebles*, & *bienes rayzes* appellantis, discrimen, quòd illa mobilia, & fugacia; hæc firma, & subsistentia sint; ea certissima ratione, quòd vna virtus altissimis sit

Cyprianus.

Cyr. Alex.

Theodor.

Val. Max.
M. Tull.

sit defixa radicibus; res autem sæculi infirmis, siue nullis radicibus positæ soliditatis suæ vim nequeant sustinere.

2. Ita quidem apud Ezechielem 8. 16. insignis impudentiæ, atque stultitiæ loco ponitur, nonnullos verendi aspectus, & magnæ auctoritatis viros tergo contra Dei templum verso ad ortum Solis adorare,
Ezech. 8.16. ramúmque naribus suis applicitum habere: *Ecce* (inquit) *in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis, &c. Et ecce applicant ramum ad nares suas.* Dum verò inter interpretes de huius loci explanatione non leuis, disceptatio est: multáque à multis, vel intellectu difficilia, vel dictu impura afferuntur; ego malim eandem his verbis expositionem
Ierem. 2. 13. adhibere, ac illis Ieremiæ 2.13. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ cõtinere non valent aquas:* sed obserua, Hebraïcæ voci *ramus*, responde-
Lectio Hebr. re vocem הזמורה *hazmorah*, quæ propriè signifi-
Num 13.24. cat palmitem abscissum; vt ex Numerorum 13. 24.
Ezech.15.2. *absciderunt palmitem*, & ex eodem Ezech. cap. 15.2. apparet, vt dum eorum stultitia reprehenditur. qui fonte aquæ viuæ, & vera vite relicta turbidarum cisternarum aquam, & abscissum palmitem concupiscunt, simul adstruatur; omnia, quæ in sæculo florent, ramusculos esse ab arbore abscissos, qui nullis radicibus subsistant, atque ideo quàm citissimè necessario arescant; sic dixit opportunè Seneca libro
Seneca de breuitate vitæ, cap 17. *Gaudia quoque eorum trepida sunt, non enim solidis causis innituntur, sed eadem, qua oriuntur vanitate turbantur.* Ita ille ibi. Et epistola. 98. *Fragilibus innititur, qui aduentitio latus est: exibit gaudium, quod intrauit.* Quæ sanè eadem esse videntur cum illis Salomonis præced. adnotat. à nobis latè expensis: *Extrema gaudij luctus occupat.* Prouerbiorum 14. 13. quòd, vt ibi dicebat Bernardus *gaudium in materia conuertibili mutari necesse sit remutata.* Nec enim id modò opportunè dictum à
Prou.14. 13. Bernardus. Velleio Paterculo libro 2. *Quis fortunæ mutationes? quis dubios rerum humanarum casus? quis non diuersa præsentibus, contrariáque expectatis, aut speret, aut timeat?* Sed illud certo certius est. quòd in Politicis admonuit Plutarchus, omnia fortunæ beneficia in luctum, & mœrorem veluti necessaria consecutione desinere. Sic etenim ille occasione Metiochi cuiusdam, qui omnia olim apud Athenienses valebat:
Plutarch. *Et tale fit, cuiusmodi fuit illud Athenis. Metiochus in ore omnium erat vulgo iactantium. Metiochus ducit copias: Metiochus vias curat; Metiochus exercet panarium: Metiochus farinam tractat: Metiochus præest omnibus: Metiochus ergo lugebit.* Preme hæc extremam, siue eam illatiuam, *ergo lugebit.* quæ præmissas necessario supponit: at quæ hæ nullæ aliæ quidem, nisi potentia, felicitas, florénsque fortuna: ab iis ergo ruina, & luctus necessaria ratione subinfertur: ac si illi Metiocho, & omnium sæculorum Metiochis; nam omnia tempora Metiochos ferunt; apertiùs dicatur: Ducat copias Metiochus, vias curet, omnia possit, omnia valeat, præsit omnibus; super omnium capita imponatur; immò & ascendat; nam si Metiochus ducit copias, vias curat, omnia potest, omnibus præest; ergo lugebit. Quare? quia gaudium in materia conuertibili, inani, atque caduca, & necessario defluente, ac deficiente, conuerti: & quod nullis innititur radicibus, frangi, atque decidere necesse est.

3. Vt vel hinc videris, tam ingratiis homines, & fortunam deam facere, cœlóque locare, quàm illam
Horat. desinenter arguere; sic dixit de illa Lyricus ludum insolentem pertinaciter ludere. Sic Plinius libro 2.
cap. 7. *Huic omnia expensa; omnia tribuuntur accepta, & in tota ratione mortalium sola vtramque paginam facit. Toto quippè mundo, & locis omnibus, omnibúsque oris, omnium vocibus fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur; sola laudatur, sola arguitur, & cum conuitiis colitur.* Nugæ ea omnia, quamuis enim de fortunæ malignitate, siue de suis æmulis, atque inimicis; siue de infida amicorum societate querantur amatores sæculi, quod ab honorum, dignitatum, regiæ gratiæ, siue etiam diuitiarum aureo atque felici statu deciderint; frustrà grauibus hisce querelis cœlum pulsare dicentur: nam si res optimè expendatur, nec à fortunæ malignitate, nec ab æmulorum artibus, sed ad ipsamet sæcularium bonorum fragilitate, & imbecillitate ipsorum casus, atque ruina prouenit: immortalis siquidem mortalium rerum mortalitas, certa fragilium fragilitas, inanium inanitas, & mobilitas, firma, & immobilis est. *Sine hoste partimur hostilia:* (inquit Seneca epistola 91.) *& cladis causas, si alia deficiunt, nimia sibi felicitas inuenit.* Et epistola. 92. *quæ domesticis steterant bellis, quæ externis regna, nullo impellente ruunt.* Ita planè Regius Vates Psalmo 128. 6. de peccatorum felicitate, *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquàm euellatur, exaruit*; non quòd sanctissimus Rex, & in sibi etiam infensissimos hostes mansuetissimus aliorum ruinam exoptaret; sed quod rerum sæculi vanitatem cognoscens, earum amatoribus: vt ad bonam frugem se reciperent, pio affectu prænunciaret. *Absit* (inquit ad ea verba sanctus Zeno Veron. Episcop. & M.) *vt istud Propheta precatus esse credatur, talia autem scientia elocutus est: cognitionis fuit sermo iste, non voti: simul vt peccatoribus horror irrueret, inanitatem fructuum suorum arescentium cognituris.* Sed preme appositam fœni tectorum imaginem, qua notanter vsus est Dauid, vt ostenderet, sæcularia bona nullo impellente ruere, sed seipsis arefieri, quia infirmis, aut nullis radicibus posita soliditatis suæ vim nequeũt sustinere. Etenim quamuis agri fœnũ fragile, atque caducũ sit, at cum in loco sibi connaturali nascatur, & adolescat, nõ nihil virium ab humore terræ quem fugit, habere dixeris; ac proinde euellentis manum vt arescat, sæpiùs expectat; at tectorũ fœnum ad instar est seminis illius, quod dum *cecidit in petram, natum aruit, quia non habebat humorem*, Lucæ 8. 6. nullis enim radicibus cõsistens euellente manu non eget, vt arefiat. Est hæc omnino natura mundanæ felicitatis, florentis fortunæ, & splendoris sæculi, atque omnium rerum illius, ac pomparum, quæ se ipsis deficiunt, & arefiunt, quin opus sit euellente, siue impellente manu; nam vt nulli extra hostes, nulla tempestas sit; eadem qua oriuntur vanitate turbantur, *non enim solidis causis innituntur.* Audi rursus ad hæc verba Zenonem, vbi cùm dixisset: *Verùm impij ædificationum fœnum sunt: inania enim seruerunt: inanes sunt, vacui sunt, inutiles sunt, inania enim, & inutilia sequuntur.* Sic sapienter exclamat, *O infelices labores & infructuosa carnis opera ædificiorum fœno comparata, & antequam euellantur arida, id est, ante ipsum inutilis ipsius messis tempus emortua!* Optimè id *emortua*: nullo videlicet succo interiùs animata ac proinde se ipsis arida, & decidentia.

Plinius. Seneca. Psal. 128. 6. S.Zen.M. Luc 8.6. S. Ze. M.

Applaudit Isaias cap. 14. 11. Babyloniũ Regem, 4.
tota priùs regnorum suorum fortuna subnixum, & Isa.14.11.
super altitudinem nubium conscendere ambiẽtem; subinde verò ex illo tã illustri fastigio ignominiosè, ac turpiter decidentem sic irridens: *Detracta est ad inferos superbia tua: cõcidit cadauer tuum.* Vbi iure ambi

ambigas, cur pristinæ gloriæ ablationem, & florentis fortunæ conuersionem delineans Vates, cadaueris casum, qui ibi non benè hærere videtur, immediatè adiunxerit. Sed occurrunt LXX. pro voce *cadauer* reponẽtes *lætitiam*, hunc in modum. *Descendit ad infernum gloria tua; multa lætitia tua*. Et verò quãuis illa varietas ad Hebrææ vocis ambiguum, quæ cum gemino *camez* scripta facit *cadauer*: cum gemino *segol* lætitiam, siue instrumentũ musicum, possis referre; ego potiùs crediderim LXX. lætitiam & splendorem Babylonij Regis, emphaticè cadauer intelligere, & appellare voluisse. Iam in hac locutione: *Concidit cadauer tuum*, hoc est, *lætitia tua*, obserua duo, alterum in verbo illo *concidit*, innui, Regis illius lætitiam, atque felicitatem se ipsa, & suo pondere corruisse, *concidit*, inquit, ac si dicat, nemo impulit, nemo lacessiuit, nemo prostrauit, sed ipsa propria mole procubuit. Sic Hieremias Thren. 5. 16. vt regni excidium, & miserrimam Reipublic. mutationem significaret, inquit. *Cecidit corona capitis nostri*: nulla immanissimorum hostium, qui tyrannicè coronãm eripuerant, facta mentione, sed ad humanarum rerum fragilitatem, & vanitatẽ potiùs adspiciens, *cecidit*, inquit, quasi se ipsa sua sponte, & natiuo pondere corruerit. Alterum; à LXX. simul cum Nostro interprete rationem huius perspicuè reddi, dum lætitia, siue felicitas cadauer appellatur: est enim, quod dicebat S. Zeno, *ante ipsum inutilis ipsius messis tempus emortua*. quasi hæc omnia mundi bona cadauer sint, animo vitalique spiritu quo animentur, destituta; ac proinde antequam impellentis, siue euellentis manus accedat, arescant, & corruant. Sic rursus fœni imaginem luculẽter illustrat Gregor. Magn lib. 16. Moral. cap. 15. *Iniquorum quippè potentia fœni floribus comparatur, quia nimirum carnalis gloria dum nitet, cadit, dum apud se extollitur, repentino interrupta fine terminatur: sic namque aurarum flatu in altum stipula rapitur, sed casu concito ad ima reuocatur: sic ad nubila fumus attollitur, sed repentè in nihilum tumescendo dissipatur*. Hæc Gregor.

5. Est etiam in hanc rem illustris Iobi locus cap. 24. vers. 24. vbi impiorũ felicitas sic describitur, simúlque traducitur: *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur*: vbi quamuis aristæ similitudo, quam Noster expressit, ad leuitatem, & mobilitatem humanæ prosperitatis exprimendã satis iusta, & apposita sit; opportuniùs tamẽ nostro instituto hæc sic extulerunt LXX. *Emarcuit sicut malua in æstu, aut sicut de stipula spica decidens sponte sua*; aut sicut alij vertunt, *& sicut spica à calamo sponte decidens*. Pende id *sponte decidens*; hoc est, suamet natura, & conditione id exigente; nam vt primum spica non incolumis modò; sed etiam erecta sublimis, & quasi victrix sursum tendat quasi cœlo telum illatura, at postmodum *sua sponte*, propriáque natura exigente arefacta languido collo est, & ceruicem inclinat. Quæ humanis bonis, potentiæ, gloriæ, altitudini, opibus, & regum gratiæ sic ex Seneca accommodes. *Cupiunt interim ex illo fastigio suo si tutò liceat descendere, nam vt nihil extra lacessat, aut quatiat, in se ipsam fortuna ruit*; aptiùs verò ex egregia Isidori Pelusiotæ imagine lib. 2. epist. 126. monente. *Temulentum est quodammodo inter mortales bonum, ac nemine etiam concutiente vix consistit*. Pulchrè *temulentum bonum*; non ea solùm ratione, quòd hominum mentes turbet, atque eos temulentos faciat, sui immemores, Deique oblitos, vt hunc in modum, inquit Seneca lib. de Prouidendia, cap. 4. *Cum omnia, quæ excesserunt modum, noceat; periculosissima felicitatis intemperantia est. Mouet cere-*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

brum, in vanas mentem imagines vocat; multum inter falsum, & verum media caliginis fundit; sed etiam significantissimè, quòd non secus ac ebrius, & temulentus homo, vt nutet labatur, & cadat, nulla exteriùs impellente, quatientéque manu opus habet, cùm ipsemet sui impos, nec constare sibi, ac subsistere valeat; ita terrena bona, vt nihil extra lacessat, aut quatiat, se ipsis, & sua sponte decidunt.

Quò etiam per allegoriam retulit Venerab. Drogo sermon. de Dominicæ Passionis Sacramento infelicis Absalonis se e prælio subducentis fugam, equíque quo vehebatur fallaciam, qui cum medio in cursus spatio inter cœlum, & terram suspensum, hostium telis confodiendum dereliquit. Sic enim 2. Regum. 18. 9. *Accidit autem, vt occurreret Absalõ, seruis Dauid sedens mulo: cùmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum, & terram mulus cui insederat, pertransiuit*. Ad quæ verba Drogo. *Pendet Absalon per comam capitis sui, & mulus, cui insidebat transiit, quia mundus transit, & concupiscentia eius*. Quo loco si exclamaueris cum Gentili Tullio lib. 3. de oratore: *O fallacem hominum spem, fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpè franguntur, & corruunt, & ante in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt*. Occurret tibi opportuniùs Seneca lib. 3. natural. quæstionũ in proœmio. *Quid exultas? Ista, quibus veheris in summum, nescis vbi te relictura sint: habent suum, non tuum finem*: ac si dicat, non ad tuum gustum, sed ad suum passum, & pro sibi innata fragilitate decurrunt, & ideo in medio cursus spatio fraguntur, & corruunt. O stultum si hæc tibi æternum duratura promittis; nec te ad illorum casus præparas, atque communis. Benè rursus Seneca lib. de vita beata. cap. 26. *Numquam imperator ita paci credit, vt non se præparet bello, quod etiam si non geritur, indictum est. Vos domus formosa tamquam nec ardere, nec ruere possit, insolentes: vos opes, tamquam periculum omne transcenderint, maioréfque sint, quàm quibus consumendis satis virium habeat fortuna, obstupefaciunt. Otiosi diuitiis luditis, nec prouidetis illarum periculum. Sicut barbari plerumque inclusi, & ignari machinarum, segnes laborem obsidentium spectant, nec quò illa pertineant, quæ ex longinquo instruuntur, intelligunt, Idem vobis euenit, marcetis in vestris rebus: nec cogitatis, quot casus vndique immineant, iam iamque pretiosa spolia laturi*. Hactenus ille.

Illud verò in imaginibus picæ decidentis *sponte sua* peculiari obseruatione dignissimum est, tunc signatè ceruicem inflectere cùm altius surrexit, & maiorem in modum excreuit, quasi maior illius sublimitas, atque maturitas casui proximior, atque [illegible]nior sit: vt inde appareat maiorem felicitatem instabiliorem esse; & quò res humanæ magis crescũt, & assurgunt, propiùs ad casum, & ruinam accedere. Cui cogitationi opportunum damus ex Daniele testimonium, cap. 8. vers. 8. vbi cùm de florentissima Alexandri Magni fortuna, qua totum sibi terrarum orbem subiugauerat, egisset Propheta, subiicit arcana locutione. *Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cùmque creuisset, fractum est cornu magnum*: quæ extrema verba ex Hebræo fonte ad verbum sic reddideris, *cùm ad summum peruenisset*, siue *cùm in suo esset robore*; vt dicere videatur: Mira omnino res, tunc cornu fractum fuisse, cùm maximum, & durissimum factum esset, atque humanis oculis indomabile, & insuperabile videtur, Sanè, ac si ipsamet fortitudine, atque duritie, imbecillitatis, & fragilitatis ratio oriretur. Ita quidẽ dixit Seneca citato loco de breuitate vitæ, c. 17. *Maxima quæque bona sollicita*

sollicita sunt: nec vlli fortuna minus benè, quàm optimæ creditur; & rursus: *Omne quod fortuitò venit instabile est. quò altiùs surrexit, vergit pronius in occasum*; & luculentiùs epistol. 91. *Fortuna inuenit periculα sua sine auctore. In ipsis voluptatibus causæ doloris* Idem. *oriuntur. Bellum in medià pace consurgit, & auxilia securitatis in metum transeunt. Ex amico inimicus; hostis ex socio: in subitas tempestates hibernisque maiores agitur æstiua tranquillitas, &c. Inuadit temperatissimos morbus; validissimos phthisis: innocentissimos pœna: secretissimos tumultus. Eligit aliquid noui casus, per quod velut oblitis vires suas ingerat.* Vnde citato cap. 26. de vita beatá sapientem ab stulto ex hoc animi sensu disiungit. *Vos tamquam aliquis vobis æternam possessionem diuitiarum promiserit, assuescitis illis, & cohæretis: sapiens tunc maximè paupertatem meditatur, cùm in mediis diuitiis constitit.* Hæc Seneca.

8. Capies hinc Oseam de excidio Regis Samariæ sic vaticinantem, cap. 10. 7. *Transire fecit Samaria* Osee 10. 7. *Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ*: vbi cùm Hebræa habeant, *Sic euanuit Rex Samariæ sicut spu-* Heb. lect. *ma super aquam*; meritò ambigas, cur noster Vulgatus, celerrimam hanc regis euersionem ipsi Samariæ imputet. Rebellauit ne illa in Regem? manus illi intulit? aut infesta fuit? Minimè quidē, immò verò idololatriæ regis turpiter cōsentiendo, vt inquit Ri- Ribera. bera, obsequentissimam illi se exhibuit & ad eius nutum se totam finxit, atque composuit, & florentissimam ditionem, ac dominatum illi fecit. At cur his artibus illum excidisse, & momentaneum illius imperium reddidisse dicatur? Facilis quidem ex dictis, & ad manum responsio est; eam nimiæ felicitatis naturam esse, vt sibi ipsi noceat, & quò altiùs surrexit, vergat proniùs in occasum: nam, vt scitè dicebat Seneca, *ista quibus vehimur in summum,* Seneca. *habent non quem non tenent finem*; vnde si solito celeriùs currant, atque festinent, citiùs necessaria ratione te relictura sunt. Sic dixit ille,

Lucan. *In se magna ruunt: lætis hunc Numina rebus*
Crescendi posuere modum.

Planè, vt qui decem omnino passus sit deambulaturus non dubium, quin quò grandioribus vestigiis pertexerit, eò citius, deambulationis spatium fuerit confecturus: ita quidem cùm lætis rebus crescendi modus sit positus, qui fortunæ feliciter currenti, quò celeriùs decurrat, calcar adhibuerit, exitium suum maturare & ad certum casum ruere, iure dicetur ipsa enim quem pronior comitatur, hunc velut fatigata priùs destituit. Sic dixit Quintilianus Quintilia. declamat. 271. *Fortuna solet fatigari, solet posteaquam nimirum indulsit, in fine deficere*, ita ibi; & hoc eodem sensu imbutus lib. 8. insti. orat. in proœmio, dum de insidiante sibi fortuna queritur, quòd filium optimæ indolis decem tantùm annos natum præripuerit, ab ipsa præstantia ingenij, & excellentioribus animi dotibus, quasi præproperis, & nimium festinantibus metuendi causas sumpsisse sic affirmat. *Iuro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes, numina doloris mei, has me in illos vidisse virtutes ingenij nō modo ad percipiendas disciplinas, quo nihil præstantius cognoui, plurima expertus, studiique iam tum non coacti (sciunt præceptores) sed probitatis, pietatis, humanitatis, liberalitatis: vt prorsus possit hic esse tanti fulminis metus*; subiicit statim rationem, in qua sumus: *Quod obseruatum ferè est, celeriùs occidere festinatam maturitatem, & esse nescio quam, quæ spes tantas decerpat, inuidiam, ne videlicet, vltra quàm hominī datum est, nostra prouehantur.* Hæc ille. Quòd si animum intendis, & Gregorium Magnum consulis, id sibi vult spumæ imago, quā vsurpauit Vates: tūc enim ipsa è aquis coalescit, ac produit, cùm ipsæ siue in præceps, siue pluuiarum inundatione rapidiùs, & vehementiùs decurrunt. Audi Gregorium lib. 16. Moralium, cap. 5. de sæcularium felicitate in medio spatio deficiente, *sic spumosæ aquarum bullæ in-* Greg. Magn. *choantibus pluuiis excitatæ ab intimis certatim prodeunt, sed eò celeriùs disruptæ depereunt, quò inflatæ citiùs extenduntur; cúmque excrescunt, vt appareant; crescendo peragunt, ne subsistant.*

Firmat hæc Dauid illis Psalm. 89. 5. verbis præ- 9.
cedenti adnotat n. 1. à nobis elucidatis: *Quæ pro ni-* Psal. 89. 5.
hilo habentur, eorum anni erunt; siue per histerologiā; eorum anni erunt sicut ea, quæ pro nihilo habentur; hoc est, præ fugacitate, & breuitate nihil æstimabuntur: sed obserua Hebræam lectionem, in qua tantæ celeritatis causa redditur eadem excrescentium, siue inundantium aquarum similitudine ad hunc modū: *Inundasti eos: somnia (vel somnus) erunt.* Heb. lect. Quibus in verbis benè expensis nū tam continetur comparatio fugacitatis vitæ cum flumine rapidæ, & cum impetu currente, quàm eiusdem inconstantiæ, & ruinæ ratio, & causa redditur, nimirum, quòd vt aquæ inundantes, bullas, & spumas leuiter efficiūt, quæ leuiùs euanescant; ita modum non seruante fortuna celeriùs deficit, & tanquam somnus fugit, eo modo quo dicebat Oseas, *Transire fecit Sa-* Osee 10. 7. *maria Regem suum sicut spumam ante faciem aquæ*; ita quidem Seneca arra ex optima valetudine, quæ in contrarium statim vergit, imagine magna felicitati magnam aduersitatem imminere sic dicebat. *Vt pe-* Seneca. *riculosa est secundùm Hippocratem summè bona corporis valetudo: ita rebus maximè prosperis, ac secūdis metuenda aduersa fortuna est.* Quo in loco benè aptaueris tam quæ de Ælio illo Seiano Tiberij tempore celebri, & omnibus sæculis ad noscendam de facie rerum humanarum fragilitatem, & inconstantiam celebrando, nimias opes, cumulatiores & eminentiores honores, maiorem potentiam in grauiorem, & celeriorem casum sibi parante; & altiùs conscendere festinante, vt proniùs vergeret in occasum sic scripsit Satyrographus satyr. 10.

Iuuenal. ——— *qui nimios optabat honores,*
Et nimias poscebat opes: numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

quam quæ de Magno Pompeio cui cùm tot ad fuere victoriæ, tot triumphi, quot erant oræ terrarum, ipsamet terra ad sepulturam defuit, hunc in modum dixit Velleius Parerculus lib. 2. *In tanto illo* Velle. Pa. *viro à se discordante fortuna, vt cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.*

Hinc quidem ab iis, qui pleno pectore sapiunt, & 10.
medioeritas appellatur aurea & *lenta felicitas* maxi- Horatius.
mè commendatur: immò verò prosperæ fortunæ modum, & limitem forte adhibendum, quasi plus fræno, quàm calcaribus opus habeat, sapienter admonent: sic idem ipse lyricus, qui auream appellauit mediocritatem indidem, post pauca, sic ait, lib. 2. Ode 10.

Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare. Sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

vt faucenti videlicet, & efferenti fortunæ modus imponatur, & dum ventus à puppi implet, contrahantur velamen certum naufragium nauis detur: sic egregiam cuiusdam prudentiam commendabat alter non minus disertus poëta inquiens,

Stat. li. 2. Thebaid. *Quamuisque ferentem*
Fortunam Virtute domas.

Velut præferocem, nimirū, & subsilientē equū, qui duro, & cohibenti fræno indigeat. Sed & Seneca hoc

hoc ipsum monitum non semel ingessit. Sic enim primum cùm amicum suum, vt à sæculi, & aulæ occupationibus exiret, & laqueos aut solueret, aut rumperet adhortatus, dixisset. *Interim quod primum est, impedire te noli: contentus esto negotiis, in qua descẽdisti, vel quod videri mauis, incidisti. Non est, quod ad vlteriora nitaris, aut perdes excusationem, & apparebit te non incidisse. Illa enim, quæ dici solent, falsa sunt: Non potui aliter. Quid si nollem? necesse erat.* Subiicit. *Nulli necesse est, felicitatem cursu sequi: est aliquid etiam si non repugnare, subsistere, nec instare fortunæ ferent.* Ita ibi. & lib. de tranquil. animi cum iis, qui altissimis sedibus potiuntur, & apud Principes plurimũ valẽt, siue omnia possunt, tãquam maximè miseris, & veluti crucibus suffixis miseraretur; simúlque admoneret, *vt iustitia, mansuetudine, humana lege, & benigna manu, multa adsequentes casus, quorum spe securiùs pendeant* (velut ex rupe, scilicet, aut præ rupto) præparare non desinant: hoc illis salubriter ingerit. *Nihil tamen æquè hos ab his animi fluctibus vindicauerit, quàm semper aliquem incrementis terminum figere: nec fortunæ arbitrium desinendi dare, sed se ipsos multo quidem citra extrema, hortentur consistere.* Scite, ne prope præcipitium euntes tandem decidãt, sed se se citra extremam lineam continentes, securi sint. Planè quasi summæ altitudini, & extremæ felicitati, velut prærupto, aut præcipitio certus casus, atque ruina hæreat. Vnde idem Philosophus disertissimè epist. 39. *Magni animi est* (inquit) *magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. Illa enim vtilia, vitaliáque sunt: at hæc eò quòd superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas. Sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fæcunditas.* Sic ille.

Seneca.

Idem.

II. Sed iam tot de fragilitate sæcularium bonorum testimoniis satiatus, tantæ huius imbecillitatis, & vanitatis rationem anxiè perquiris, præsertim cùm ab egregio artifice, & conditore, Deo Opt. Max. omnia creata, & effecta fuerint? Cui voto optimè satisfacit noster Apostolus hoc eodem capite, vers. 20. cùm vt seipsum cæterósque Christi discipulos, eam vitæ rationem agentes, vt similes sint hominibus spectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis: à sæcularium hominum terrenis rebus addictorum studiis, & scopo discriminatet, inquir, *Nostra autem conuersatio in cœlis est*: vbi (quod ad ea verba longiùs persequimur) Tertullian. & alij PP. ex Græco notanter legunt, *Municipatus noster in cœlis est*; vt innuat Paulus (de quo etiam nos ibi latiùs agimus) hominem ad Dei similitudinem efformatum non terrenam, sed cœlestem stirpem esse, quæ vt proprias radices in supernis habet, & solida inde gaudia, & firma bona accipit, sine fugit; ita ab eo natiuo solo ad hanc alienam sibi, & peregrinam, immò ob peccatum maledictioni obnoxiam terram transplantata firmas radices agere, aut diutiùs subsistere non possit; sed naturali sibi succo deficiente, *fiat sicut fœnum tectorum*, quod prius quàm euellatur, exaruit. Attigit hanc rationem Paschasius in Psalm. 44. vbi Psalmi titulum, qui iuxta Symmachũ, & alios est; *Pro floribus* explicans; sacratas Deo virgines, quæ terrenorum liliorum, siue florum dulcia blandimenta despexerant; sic alloquitur, atque demulcet. *Hæc ideo dilectissima fortiter fortis, quia sursum, vbi Christus Sponsus videtur, radicem cordis fixistis. Quoniam alia sunt rosa, quæ Christi sanguine intus pinguescunt, & rubricantur, vt semper floreant: alia quæ in terra radicantur, citò vt floreant, & postmodum arescant. Omnis quippè luxus præsentis vitæ vapor est, & spuma gaudij vani.* Hæc opportunissimè Paschasius, ac si dixerit; spi-

ad Phil. 3. 20

Tertullian.

Psal. 44. Symmach.

Paschas.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

ritualium bonorum, siue gaudiorum rosas, numquam deficere, siue marcescere, quod in connaturali, & germano loco defixæ, & pingui Christi sanguinis succo irrigatæ altissimas, atque firmissimas radices agant. Contra verò mundi flores, & bona non posse non, quàm citissimè arefieri, quod alieno, & maligno solo plantatæ quam debilibus, atque fragilibus radicibus innitantur, vti supra citatus dicebat Seneca. *Fragilibus innititur, qui aduentitio lætus est; exibit gaudium, quod intrauit.* Nec minus opportunè epistol. 23. vera virtutis gaudia, sæcularibus bonis, & oblectatiunculis longè anteferens hunc in modum. *Hæc quibus delectatur Vulgus tenuem habent, ac perfusoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret. Hoc de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est, & quò plus pateat, introrsus.* Sic ille. Seneca.

Hinc de impio florentissima fortuna gaudente, sibique omnimodis applaudente dicebat (vt sæpiùs vidimus) Vates Psalm. 36. vers. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum super cedros Libani*; vbi obserua Dauidem pro *super cedros Libani*, Hebraïce scripsisse כְּאֶזְרָח רַעֲנָן *cheezrah raganan*: sicut *indignam virentem*, vt ex imagine arboris in proprio, & naturali solo exortæ, nec aliunde aduectæ, ac proinde valentioris, atque firmioris ostendat, stultũ illum, dum nihil de cœlesti, & superna patria cogitabat, sed vt ciuem, ac municipem mundi se gerens profundiores, ac firmiores radices velut in patrio, ac germano solo ageret; ruinam suam quantocyus maturasse; quod nimirum toto cœlo aberrans, & propriam patriam ignorans, quò magis terrenis rebus hærebat, eò se se à naturali solo plus diuelleret, & eradicaret, ac debiliori fundamento fragilioribúsque radicibus inniteretur. Quòd si arborem hanc tamquam indigenam virentẽ, ramis, foliísque luxuriantem, & velut in patrio solo validas radices agentem videre velis, audi Christum Dominum apud Lucam, cap. 12. 17. vbi illam sic loquentem facit: *Quid faciam? quia non habeo, quo congregẽ fructus meos. Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ. Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Iam verò subitò, quin nihil moræ intercesserit eradicatam, siue excisam eam arborem audi: *Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Pẽde primum illud præsentis tẽporis verbum *repetunt*: quod notanter positũ est (vt benè obseruat ibi Maldon.) potius quàm futurum, quod ad speciem magis cõuenire videbatur, cùm res adhuc, de qua agebatur, futura esset: vt stulto cogitationes suas in longum tempus disponenti, velut radices in profundũ agenti, tam subitus casus proximúmque exitium opportune denuncietur, vt iã præsens esse videatur. Deinde eam huius excidij peremptoriam causam, atque rationẽ fuisse noueris, quòd cùm in alieno, & peregrino solo esset, sese tanquam arborem indigenam reputans radices vndequaque egerit. Audi Origenem homilia 12. in Ieremiam. *Animaduertis de mõtibus, & collibus descendentem? animaduertis consistentem extra petra foramen, quomodo etiam ea putet bona esse, quæ nulla sunt, dicens*: Dicam animæ meæ, habes multa bona reposita. *Frumentum, & vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur in maledicta terra, sed in cœlestibus regionibus: thesaurizauit sibi in terra, quia in terra esse thesauros arbitratus est.* Hæc Orig. Qui non modò adstruit terrenos fructus, ideo homini bona nõ esse, quòd sint velut excisus surculus in alienam

12.

Psal. 36. 36.

Luc. 12. 17.

Maldon.

Origen.

terram transplantatus, qui debilibus radicibus innixus facilè frangatur, sed aucto censu aliam subinde egregiam rationem tantæ eorum fructuum fragilitatis assignat, quòd nimirum in maledicta terra nascantur; & cum maledictione crescentes simul decrescere, & perire necesse sit. Sed hanc rationem cap. præced. vers. 25. adnot. 1. n. 9. nos etiam con-
Habac. 3. 14. fecimus ex verbis Habacuc 3. 14. *Maledixisti sceptris eius*. Vide ibi.

13. Hinc facilè occurres illi dubio, cur summus & perfectissimus rerum artifex hæc tam caduca, debilia, & corruptioni obnoxia bona construxerit?
Origenes. Nam id, vt dicebat Origenes, à terra maledictione percussa, atque damnata, quæ imperfectos & vacuos fructus edit, maximè prouenit. Quid, quod si animũ intendis, hæc homini non tam in præmium, quàm in pœnam sæpiùs à Deo dantur, vt ex pluribus Scripturæ testimoniis, notanter verò ex illis Salo-
Eccle. 2. 26 monis verbis Ecclesiast. 2. 26. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam; peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat & congreget*. adnotat. 6. latissimè persequemur. Et verò, vt id fuerit, illud certissimum est, temporalia bona ea potissimum ratione hominibus à Deo siue concedi, siue permitti, vt illorum inanitate, & vanitate omnino cognita ad bonam frugem sese ipsi recipiant, & ad vera, & æterna bona contendant, atque suspirent; sic ad ea
Olympio. verba Ecclesiastes id obseruante Olympidor. *Sciendum verò est, Deum hanc dedisse homini peccanti, & congreganti occupationem, non vt peccet quidem, ac congreget, sed magis vt contemplatione, ac tædio vanitatis mundanis in cognitionem veniat laboriosæ huius vitæ, desiderétque immortalem, ac iucundam vitam, quæ in futuro sæculo sanctis in præmium danda est*. Ita ille. Cui sanè rationi subnixus Bernard. in declamationibus; cùm de hominibus sæculi bonis addictis in circuitu ipsorum indesinenter ambulantibus dixis-
Bernard. set. *Inde est, quòd naturali quidem desiderio summum quiuis probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo requiem habiturus. Cæterùm erant miseri, non inuenientes viam, & vt scriptum est*, ambulant impij in circuitu: *dum minora quæque bona quærentes illud semper desiderant, quod sibi vicinius, nec dum videntur adepti*. Subiicit sapienter, & opportunè: *Atque vtinam, si fieri posset, cætera omnia obtinuisset vnus, idémque proculdubio, & ipsum, quod sibi solùm deesse videret, summum vtique bonum desiderio quæsiturus, quo cætera quoque semper expetit non adepta*. Tunc nimirum verum bonum ardentiùs optaret, atque concupisceret, cùm temporalia omnia internam animi sitim minimè explere, omnino cognosceret.

ADNOTATIO V.

Sæcularia bona pondus esse, non subsidium: & ad nihilum vltra valere; nisi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus.

1. EST & illa sæcularibus bonis explicandis, siue traducendis opportuna lectio, quam adhibebat Hieronymus
Hieron. pro *stercora* reponens *reiectamenta*; nã de mundo & eius pompis pulchrè, & sapienter dicere solebat ille heroïcæ sanctitatis vir
B. Franc. Borja. B. P. N. Franciscus de Borja, nulli omnino vsui esse, nisi vt relinqui, & contemni possent: & quidem peritis in arte credendum est: fuerat enim ipse Gandiæ Dux, fuerat Cathalumniæ Prorex: valuerat plurimum apud Imperatorem Carolum; nec tamen ex iis tam ingentibus, támque plendidis bonis per diuturnum temporis spatium habitis tantum solidæ lætitiæ, veríque gaudij, immò & honoris percepit; quantum accepisse nouimus, cùm ipsis nuncium misit: ad eum sanè modum, quo Hieronymus epist. 27. ad Eustochium in epitaphio
Paulæ aiebat: *Et hæc dicimus non quòd habentibus grandia sint, sed quòd contemnentibus mirabilia*. Et statim cùm dixisset. *Sæculi homines suspiciunt eos, qui his pollent, priuilegiis: nos laudamus, qui pro Saluatore ista despexerunt*. Subiicit, *& mirum in modum, quos habentes paruipendimus, si habere noluerint, prædicamus*. Habent ergo hæc bona suum vsum, valent, valent quidem, sed ad hoc valent, vt reiiciantur, & pessumdentur. Ita quidem amicum suum, vt illa protererent, atque conculcans ad veram felicitatem contenderet, hunc in modum supplex admonebat Seneca epist. 23. *Fac, oro te,* Seneca
Lucilli charissime, quod vnum te potest præstare felicem. Despice, & conculca ista, quæ extrinsecus splendent, quæ tibi promittuntur ab alio; ad verum bonum specta, & de tuo gaude. Ita ille.

Sunt quidem hæ sagittæ è Dei pharetra, qui Oseæ 2.
3. 1. ingratissimos filios Israël idolis sæculi adhærentes sugillans dicebat: *Diligit Dominus filios Is-* Osea. 3. 1.
raël; & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum: vbi, Hieronymo interprete, *vinacia* Hieron.
vuarum sunt inanes vuarum folliculi, qui vel in imis doliis, vel in prælis, siue torcularis fundo subsidunt; & à vinitore; si mens illi laua non sit, non modò tamquam quid vile & inutile, sed etiam, vt sordidum, & molestum reiiciuntur. En ergo descripta, immò essentialiter, vt aiunt, diffinita sæculi idola, quæ ad nihilum valent vltrà, nisi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus; ideo non *quisquilias* solùm dixeris, & res nullius frugi, sed etiam *reiectamenta*. Sic de mundo, atque eius pompis scitè, & breuiter dicebat Ambrosius lib. de fuga sæ-
culi, cap. 7. *Exinanit, cùm repleuerit; cùm exinaniuerit, replet; & hæc omnia inania, & vacua, in quibus nullus solidus est fructus*. Pende illud, *Exinanit cùm repleuerit*; quippè replet vinaciis vuarum, quæ non tantùm inania, atque inutilia sunt, sed etiam, quæ non nisi cũ magno fastidio possint sustineri: vt hinc videris eum, qui ad prudentiæ leges velit viuere, hæc à se quàm citissimè reiicere debere, vt qui illis repletus exinanitur, ipsis exinanitus repleatur. Quare rursus idem Ambros. lib. 1. officiorum. c. 9. cum aduersùs Gentilium Philosophorum iudicium, vitæ commoda, copias, opes, facultates inter vera bonа adnumerantium dixisset. *Nos autem nihil omnino nisi quod deceat, & honestum sit, futurorum magis, quàm præsentium metimur formula: nihilque vtile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam definimus; non quod ad delectationem præsentis*. Subdit huc intentus. *Nec aliqua commoda in facultatibus, & copiis opum constituimus, sed incommoda hæc putamus, si non reiiciantur, eaque oneri magis, cùm sint, æstimari, quàm dispendio, cùm erogantur*. Ergo vt importunè & stultè in imo, siue fundo pectoris hæc vuarum vinacia reconduntur, siue retinentur, ita opportunissimè inde reuelluntur, & pedibus proterenda dantur.

3. Hinc quidem Gregor. Nazianzen. oration. 2. de Theologia, dum varios Ethnicorum errores, mendacia, & conficta numina in aëre, ac in aquis, & in terra, ac subtus terram statuentium sapienter irrides pulchra illa sententia; *pernicioso vtique errore* Nazian.
labens: quid enim in omnibus rebus, quæ oculis cernũtur, excelsius, & diuinius est eo, à quo cernuntur, vt illud adoretur,

adoretur, hoc adoret? pergit; & quasi quadam accusationis præuaricatione, eorum ingenium maximè laudat, qui deos aliquot sub terra constituerunt. *Alios (inquit) sub terram abdiderunt, & hoc vnum satis consulte.* Sed qua ratione? num vt turpem suā inscitiam, & diuinorum ignorationem abscondederent? Vel vt turpia numina turpiter latitantia facerent? Non equidem ob hoc solum *satis consultè*; sed multo magis, vt sub terram inferentes, falsa, & vilissima idola, pedibus calcanda subiicerent, vel vt fætentia cadauera, quæ domi retineri non possunt,
Nazian. ad sepulturam darent: scitè ergò Nazianzen. *Hoc vnum satis consultè*, ac si diceret: Errando quidem, scopum collimarunt, & quod res planè est, statuerunt, dum charos sibi deos calcandos proposuere: ea siquidem hominis dignitas est, vt calcare hæc idola possit, ea ipsorum vilitas, vt calcari debeant. Applaudit Fulgentius epistol. 6. ad Theodorum Senatorem de conuersione à sæculo, cap. 2. sic illi
Fulgent. de libello mundi pompis misso gratulans. *Multum gaudeo, quòd iam sæcularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cùm eum diligeres, calcabaris. Nunc verò Consulatu proueheris, nunc felici triumpho certissimè sublimaris, non cui Popul. Roman. applaudat, sed cui Angelicus cætus adgaudeat.* Optima quidem illatio, Consulatum calcas, & consulatu proueheris, triumphos despicis, & triumpho sublimaris: perinde enim, id est, ac si dicatur. Nunc verè Consul, & plus quàm Consul es: nunc felicissimè, & certissimè triumphas, qui Consulatum, triumphos, & quidquid splendet in mundo, conculcasti, vt enim, cùm horum dilectione tenebaris illis subiectus, atque substratus te ipso minor eras, ita cùm hæc despiciens, pedibus subiecisti, & in ea tibi substrata ascendisti, maior quidem atque sublimior necessaria ratione affectus es. Nec alio, opinor, sensu dixit Seneca epistol. 80.
Seneca. *Nunquam maior est animus, quàm vbi aliena deposuit, & fecit sibi pacem.*

6. Sed & similem etiam in modum sæculi idolis, & pōpis aptaueris, quæ filiis Israel falsa idola adoraturis iam olim comminabatur Dominus Deute-
Deut. 29. 26. ronom. 29. 26. inquiens: *Seruierunt dijs alienis, & adorauerunt eos, quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi.* Quæ Chaldæus paraphrastes sic ex-
Lect. Chald. pressit: *Et seruierunt idolis populorum, & adorauerunt portenta, quæ nescierunt, & quæ non possunt benefacere eis.* Optimè, *quæ non possunt benefacere*, quia nulla illis potentia, nullum robur, nulla suorum cura, aut charitas est; sed emphaticè illud *adorauerunt portenta*: id est, deos non tantùm fictos, & mendaces, sed etiam sæuos, trucem frontem, & minacem vultum præferentes: quos vel seruorum loco habere, non mediocre fastidiū, aut leuis onus esset. Ita quidem iis, qui ex infidelitatis tenebris, & falsorum numinum seruitute ad Christianæ fidei lucem, ac veri Dei cultum emerserant, gratulabūdus dicebat Petrus Chrysologus serm. 57. de sym-
Pet. Chrysol. bolo. *In Deum vos hodie meritò confitemini credidisse: quando deos, deásque sexu dispares, numero confusos, turba populares, viles genere, fama turpes, impietate maximos, primos scelere, crimine singulares, ipsis etiam sepulchrorum suorum vultibus accusator, lætamini vos fugisse: quia miseria, doloris, & infirmitatis est, tantos, & tales habuisse, seruulos, quantos vos: & quales hactenus dominos pertulistis.* Pulchrè; *miseria, doloris, & infirmitatis est, tales habuisse seruulos*: ac si diceret; fuisset quidem importabile onus talia habere seruitia; nec nisi amens ea domi retineret; cùm ad animi quietem, & tranquillitatem omnino expelli, & reiici deberent. Quid ergo fuerit, non seruorum, sed dominorum loco eos habuisse? Felices ergo vos, qui tam miseram, & ærumnosam seruitutem, ac graue iugum effugistis, atque eos, qui vos tam impiè, & durè calcabant, feliciter calcatis. Hæc iam iis, qui veri, & vnici Dei seruituti omnino addicti mundum, & eius voluptates, à quibus captiui tenebantur, contempsere ex Tertulliano lib. de spectaculis, cap. 29. sic accommoda: *Quæ maior volup-* Tertul.
tas, quàm fastidium ipsius voluptatis? quàm sæculi totius contemptus? quàm vera libertas? quàm conscientia integra? quàm vita sufficiens? quàm mortis timor nullus? Quod calcas deos nationum? &c. Ita ille.

Et verò pro diuitiarum contemptu egregius Pauli locus est, 2. ad Corinthios 8. 15. si tamen illi interpretes adhibeas Chrysostomum ibi, & Ambrosium lib. 1. officiorum, cap. 30. sic enim Apostolus ad mutuum charitatis, & misericordiæ officium persoluendum discipulos monet: *Non enim vt aliis sit remissio,* 2. ad Cor. 8.
vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate in præsenti tem- 15.
pore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est, (Exodi 15. 18.) *Qui* Exod. 15. 18.
multum non abundauit, & qui modicum non minorauit. Quo in loco perdifficilè est, statuere hanc æqualitatem, quam non semel Paulus vrget; & tam in ea explicanda, quàm in aptanda ratione, qua ex imagine mannæ, quod ei, qui modicum, ac illi, qui multum colligebant, æquè supererat, vtitur Apostolus, variè distrahuntur interpretes. Et quidem, quod Anselmus, & alij Patres aiunt, æqualitatem à Pau- Anselmus.
lo in eo positam, vt qui in præsenti vita pauperum inopiam subleuant, ab iis in futuro accipiant compensationem; nec textui facilè aptaueris, nec huic æqualitati æquale, aut congruum est; cùm spiritualibus, & cœlestibus bonis, hæc temporalia, quæ misericorditer erogantur, minimè æqualia sint: quippè illa ingentes copias, & omnes vitæ huius thesauros longè superant. Iam quod alij anagogicè ad cœlestem beatitudinem referunt, in qua omnes sint æquales, multo minus opportunum videtur: nam nisi id capias de beatitudine obiectiua, dum omnes electi eundem Deum vident, atque eiu dulcissimo aspectu saturi redduntur: quod ad rem non est: nihil ad hanc æqualitatem explicandam inæqualius vsurpaueris, cùm in illa Dei visione, in qua est tota gloriæ merces plures sint pro ratione meritorum gradus; *stella enim ab stella differt in* 1. ad Cor. 15.
claritate, sic & resurrectio mortuorum, 1. ad Cor. 15. 41.
41. Ergo Chrysostomus, & ab eo Iustinianus, & alij Pauli scopo propiùs accedentes dicunt, in eo poni æqualitatem, quòd cum diuites abundent, & pauperes indigeant, si illi suis facultatibus horum indigentiæ opem tulerint, & necessaria vitæ suppeditauerint, æqualitas fiet, quia omnes æquè rebus necessariis perfruentur: nam *cùm omnes* (ait ille) Chrysost.
vnum ventrem impleamus, & vno tempore viuamus, & vnum corpus tegamus, nihil magis habet diues ex abundantia, neque ex paupertate minus habet pauper, sed vterque victum habet, & amictum, & in hoc sunt æquales. Quòd si obiicias, non æquè hinc æqualitatē adstrui, cùm diuites eleemosynas pauperibus dando non tantùm illis erogent, vt eos æquè sibi diuites reddant, occurrit Ambrosius præfatam expositionem inde elucidans, atque perficiens, quòd ea necessarij victus æqualitate supposita, quidquid opum superfluit, tàm habenti, quàm non habenti nihil fit. Audi illum. *Benè hortatur ad officium misericor-* Ambros.
diæ istud exemplum, quoniam & qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est, quidquid in hoc sæculo est: & qui exiguum habet, non minuit, quia nihil est, quod amittit. Claudit pulchrè *Res sine dispen-dio*

dio est, quæ tota dispendium est. Hæc Ambros. Possis verò cum Primasio ex manna imagine à Paulo adducta, eam cogitationem denuo firmare, quòd vt quidquid ex illo superaret, vermes procreabat, ita superfluæ diuitiæ asseruatæ, nec in pauperum vsus expensæ pungentibus curarum, & sollicitudinum aculeis animum stimulant, atque confodiunt; ac proinde diuitibus mutuum à pauperibus eleemosynam accipientibus officium persolui, dum curis manibus illos exonerant, & illarum partem in se transmittunt. Sic opportunè Seneca epist. 42. cùm dixisset: *Multa possum tibi ostendere, quæ acquisita, acceptáque libertatem nobis extorserunt: nostri essemus, si ista nostra non essent. Hæc ergo tecum ipse versa, non solùm vbi de incremento agetur, sed etiã vbi de iactura:* subficit. *Pecuniam minorem habebis, nempè & molestiam, gratiam minorem, nempe & inuidiam.* Nec aliter S. Maxim. homil. 2. in natali SS. Tauricorum MM. *Qui diuitias possident, sollicitudine cruciantur: nec ipsis enim benè est, qui recondito auro incubant, immò ipsis est grauius. Semper enim sunt anxij, mœsti, sollicit i, ne hoc seruus auferat, ne fur effodiat, &c.*

6. Ex præfata verò Pauli expositione duplicem quidem infelicis illius Absalonis errorem deprehendes, atq; coargues: Is enim primùm deauratam capillorum cæsariem magna alebat cura; sed cuínam vsui? Sanè, vt sibi oneri, ac fastidio, siue impedimento esset. Sic namque facer textus 2. Reg. 14.26. *Semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries.* Nec hæreas extrinsecùs capillis: sed ex illorũ imagine interiorum curarum, ac sollicitudinum fastidium, atque onus, quo infelix iuuenis regiæ dignitatis percupidus premebatur, contemplare: & ab Absalone ad ambitiosos omnes, ad omnes sublimioribus fastigiis insedentes, ad rerum humanarum dominos, ad ditissimos quosq; gradum facito; inest enim iis omnibus aurea, & pulcherrimè rutilãs cæsaries; qua nihil elegantius, nihil splendentius ad speciem dixeris: quòd si introrsum fueris intuitus, cognosces proculdubio tantum illi miseriarum, atque dolorum inesse, vt eius pondus, atque molestiam sustinere vix possint. Pulchrè Ambrosius lib. 3. Hexaëmeron cap. 12. *Nihil enim magis mentem onerat, quàm istius mundi sollicitudo, & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ.* Et paulo pòst. *His cupiditatibus etiam illos oneratos esse demonstrat, quibus ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam,* Matt. 11.28. Nec dissimiliter Seneca epist. 104. tranquillum, & liberum animum sic adornãs. *Deinde spernendæ opes: auctoramenta sunt seruitutum. Aurum, & argentum, & quidquid aliud felices domos onerat, relinquatur, Non potest gratis constare libertas.* Ita ibi, & lib. de tranquil. animi, cap. 10. *Nec inuideamus altiùs stantibus; quæ excelsa videntur, prærupta sunt. Multi quidem sunt, quibus necessario hærendum sit in fastigio suo, ex quo non possunt, nisi cadendo descendere: sed hoc ipso testentur, maximum onus suum esse, quod aliis grauet esse cogantur, nec subleuatos se, sed suffixos.* Quare idem Ambrosius epist. 1. sic premit ea Christi Domini verba ad Pharisæos in tributorum solutione ipsum tentantes: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari,* Matth. 22.21. vt sensus fuerit, illos ad persoluenda tributa signarè teneri, quia Cæsaris imaginem, hoc est, mundi bona, quæ mille sunt obnoxia tributi, atque pensionibus, apud se habebat; at Christum, & ipsius discipulos, quo mũdo nuncium remisissent, ab iis tributis omnino immunes esse, lætãq; ac liberã vitã viuere. Audi. *Vnde ait,* Reddite, *id est, vos, reddite,* quæ sũt Cæsaris *apud quos figura, & imago inuenitur Cæsaris. Illi ergo Hebræi pueri Ananias, Azarias, Misael, ille Daniel sapientior, qui non adorauerunt imaginẽ Regis; qui non receperunt eã, qui nihil de illa mensa Regis accipiebant, non tenebantur ad solutionẽ tributi. Nihil enim eorum quæ sub Rege terreno erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non soluunt tributum, quibus portio Deus est.* Sic ille ibi. Et eodem sensu serm. 8. in Psal. 118. de difficultatibus, laboribus, affectionibus, iis terrenis bonis admixtis, siue imbibitis, scitè, & breuiter ait: *Pendunt tributa maiora, quam fructus sunt.* Nutriat ergo quantumcumque volet Absalon, nutriant sæculares homines auratam, & splendentem temporalium bonorum comam, atque eius pulchritudine, & elegantia gaudere, fruique procurent, pendent quidem tributa maiora, quàm fructus sunt, nec nisi tondeantur, & *resectamenta* hæc resecauerint, quiescere, aut respirare vllo modo poterunt, quia grauabit eos cæsaries. Certè de Augusto Cæsare toti terrarum orbi leges, & fortunã dante, tot regnorum, prouinciarum, exercituum, triumphorum, opum, voluptatum, quot illi in capite capilli inerant, aurea, & speciosissima cæsarie grauatum nouimus, vt illum sibi leuissimum cogitarent diem, in quo illius pondus deponeret, tantámque magnitudinem exueret: id sic expendente Seneca lib. de breuitate vit. c. 5. *Diuus Augustus, qui dij plura, quàm vlli præstiterunt, non desijt quietem sibi precari, vacationem à Republica petere. Omnis eius sermo ad hoc semper reuolutus est, vt sibi separaret otium, &c. Qui omnia videbat ex se vno pendentia, qui hominibus, gentibúsque fortunam dabat, illum diem lætissimus cogitabat, quo magnitudinem suã exueret:* Sed quare? Nimirum, *quia grauabat eum cæsaries.* Pergit siquidem Senec. *Expertus erat, quãtum illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum occultarum sollicitudinem tegerent.* Et post pauca: *Itaque otium optabat, in huius spe, & cogitatione labores eius residebant: hoc votum erat eius qui voti compotes facere poterat.* Hæc ille. At quot fuerint? quot sunt? quot erunt, inquis? qui exutam hanc magnitudinis Augusti vestem libentissimè induerent, & auream resectam comam capiti suo insererent? infiniti opinor, quia *stultorum infinitus est numerus,* secus verò, siue Christi discipulus, siue sapiens quiuis, quamuis Gentilis fuerit. Quòd si diffidis, audi quid idem Seneca lib. 7. de beneficiis, cap. 9. de Demetrio sui æui Philosopho dixerit. *Demetrio, si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat donare, affirmauerim, repudiaturum, dicturúmque: Ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in altam fæcem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala?* Optimè: cur enim expeditus, & liber homo grauissimo ponderi ceruicem subderet? & molestas, quas alter sapienter euomuit fæces, resorberet?

Ergo *tondebatur* Absalon, & formosi capitis pondus reiiciebat. Sed en nouum subinde errorem; 7.
Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico, non deponens, videlicet, pondus, sed mutans: vt qui grauem sibi experiebatur capillorum cæsariem, non magis leuem subiret pecuniarum molestiam, atque onus. Accipe id ab Ambrosio lib. 10. epistol. 89. occasione felicis illius peccatricis, quæ capillis capitis sui pedes Christi tergebat; diuitiarum onus, nisi in pauperum leuamen expendantur, sic pendente. *Capilli velut in superfluis corporis æstimantur: iidem tamen si vngantur, bonum reddunt odorem, & ornamenta sunt capitis: si non vngantur oleo, ingrauant: ita sunt, & diuitiæ, oneri sunt si his vti nescias, si non aspergas his Christi odorem; si verò alas pauperes, laues eorum vulnera, illuuiémque deter*

detergas, tersisti vtique pedes Christi. Sic Ambrosius. Et penè eodem sensu Seneca in consolat. ad Heluiam cap. 11. *Lapides aurum, & argentum, & magni, leuatique mensarum orbes terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus, ac naturæ suæ memor, leuis ipse, & quandoque emissus fuerit, ad summa emicaturus.* Mutabat ergo, non reiiciebat molestum sibi onus imprudens Absalon, & hanc pro illa grauem, & ponderosam cæsariem resumebat. Ad quem sanè modum videris passim plures occupationum siue munerum, & dignitatum onera permutantes, & hinc illuc discedentes, velut ægrotum ab hoc in illud lectum, vt meliùs habeat, demutantes, quasi onus deponere possint, vti graphicè delineauit Lucretius libro 3. ad huhc modum.

Lucret.

——vt nunc plerumque videmus
Quid sibi quisque velit, nescire, & quærere semper
Commutare locum, quasi onus deponere possit.
Exit sæpè foras magnis ex ædibus ille,
Esse domi quem pertæsum est, subitóque reuertit:
Quippè foris nihilo melius, qui sentiat esse.
Currit agens mannos ad villam hic præcipitanter
Auxilium tectis quasi ferre ardentibus instet:
Oscitat ex templo, tetigit cum limina villæ,
Aut abit in somnum grauis, atque obliuia quærit,
Aut etiam properans vrbem petit, atque reuisit.
Hoc se quisque modo fugit, at, quod scilicet, vt fit
Effugere haud potis est, ingratis hæret, & angit.

Seneca. Sed & his Lucretij versibus hæret Seneca epist. 104. erroni huic loca, & occupationes transmutanti sic occurrens. *Quid prodest mare traiicere, & vrbes mutare? Si vis ista, quibus vrgeris effugere, non alibi sis oportet, sed alius.* Pergit opportuniùs Paulus. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum,* ad Hebræos 12. 1. hoc est, vt explicat Theophylact. *Terrestrium negotiorum sarcinam, & curas illis admixtas: nihil enim aliud sunt quàm vana sarcina:* ac si illi dicatur, nam nisi terrenorum sarcinam quę semper premit, deposueris, quiescere aut respirare non poteris. Ad quem modum Hieron. epist. 4. dicebat: *Si habes substantiam vende, & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es.* Sed & ipse Seneca, qui in diuitias velut in impedimenta, stylum toties strinxit, eas sibi ipsi velut graue onus infensas esse, & molestè incumbere coram Nerone testabatur, obnixius eum exorans, vt illarum à se pondus remoueret: sic enim ille apud Tacitũ lib. 14. Annalium, eum Principem affatus dicitur: *Vterque mensuram impleuimus: & tu quãtum Princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à Principe accipere. Cætera inuidiam augent, quæ quidem, vt omnia mortalia infra tuam magnitudinem iacent, sed mihi incumbunt. Mihi subueniendum est. Quomodo in militia, aut via fessus adminiculum orarem: ita in hoc itinere vitæ, senex, & leuissimis quoque curis impar, cùm opes meas vltra sustinere non possim, præsidium peto.*

ad Heb. 12. 1.
Theophyl.
Hieronym.
Seneca.
C.Tacit.

8. Hæc in vniuersum de terrenis rebus, & sæcularibus bonis ex Pauli ore reiectamenta appellãtis dicta sunt. Quod si Apostoli sensum omnino velis exprimere, id singillatim ad virtutẽ capessendam, & Christi vestigia premẽda locum habere dixeris; ait enim ille: *propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora (siue reiectamenta) vt Christum lucri faciam.* Quod perinde est, ac si dixerit, nam nisi hæc omnia impedimenta, siue onera reiecerim, vix aut ne vix quidẽ Christi sectator post illum currere, & totis manibus, vt cupio, apprehendere potero. Ita quidem repetitis vocibus Sunamitidem admonebat Sponsus Canticorum 6. 12. *Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Quid? Opus ne ei erat? illam conuersam ante se habere, vt ipsius faciem posset intueri? nonne ipse totus oculus, totus visus est, qui omnia æque à tergo, ac à fronte cognoscat? Ita quidem. Sed enim aliò hæc verba eunt, nimirum aliquid maculæ faciei illius subesse, quod illam à benigniori Sponsi aspectu defraudaret; ac si dixerit Sponsus, inquit Hugo Victorinus in eruditione Theologica, ex Miscell. 2. lib. 3. tit. 14. *Non potes me videre, nisi prius intueamur te. Nescio quid maculæ habes in facie turpis es, alienam imaginem portas. Munda ergo eam, vt intueamur te.* Sed quæ hæc aliena imago, quæ faciei Sponsæ candorem, & pulchritudinem obscuret, & diuinum aspectum impediat, siue retardet? Dixeris cum Bernardo nihil id aliud esse, quàm animæ ad caduca, & sæcularia bona conuersionem, ex qua ipsam terrenis studiis occupatam terga ad Deum vertere, & illius oculos declinare quodammodò necesse sit. Sic enim ille in Declamationibus. *Vis peruenire? incipe transilire. Alioquin prospexeris miser in desiderio terrenorum, & à summo bono eò longiùs inuenieris, quò te ampliùs dederis caducis rebus, & transitoriis appetendis. In circuitu siquidem ambulas, & quod propè erat in corde, & in ore tuo, si corde crederes, & ore confitereris, terga vertens declinas, & elongaris ab eo. Hinc est, quod vociferatur, dicens:* Conuertimini filij hominum, & *item,* Reuertere, reuertere Sunamitis; reuertere, reuertere, vt intueamur te. Hæc ille. Sic sanè fœminas deliciis impeditas, atque ornamentis occupatas martyrio perferendo ineptas, & incompositas pulchrè considerabat Tertul. lib. de cultu fœminar. cap. 13. ad hunc modum: *Discutiendæ enim sunt delitiæ, quarum mollitia, & fluxu fidei virtus effeminari potest. Cæterùm nescio an manus spathalio circumdari solita in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio an crus de periscelio innerũm se patiatur artari. Timeo ceruicem, ne margaritarum, & smaragdorum laqueis occupata locum spatæ non det.* Vnde sic concludit. *Simus expeditè ad omnem vim, nihil habentes, quod relinquere timeamus. Retinacula ista sũt spei nostræ. Proiiciamus ornamenta terrena, si cælestia optamus.* Ac si dicat voce Sponsi. *Reuertere, Reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te:* proiice abs te sæculi ornamenta, & facultates, vt diuino sis digna conspectu.

Cant. 6. 12.
Hug. Vict.
Bernard.
Tertul.

9. Iam & cælestis portæ, & viæ, quæ ad illam ducit angustiæ id ipsum apertè docent, atque demonstrant. Assertore dicente, *Arcta est via, quæ ducit ad vitam,* Matth. 7. 14. Cur verò illius angustias ob oculos iecerit, nisi vt inde admoneat, non aliter illac nos intraturos, nisi sæcularium rerum sarcina exoneratos, & terrenis impedimentis exutos? Hac certè ratione primum adolescenti illi, qui diuina se præcepta seruasse iactabat, signatè præscripsit, vt quæcumque haberet, diuenderet, & in pauperes distribueret, Matth. 19. 21. *vsque adeo enim* (inquit ad id loci S. Maximus hom. in solemnit. S. Michaëlis) *nuda virtus apta cælo est, vt quamuis sanctus aurum, vel diuitias possidens non possit esse perfectus. Talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad paradisum redire, qualis Adam fuerat de paradisi sublimitate deiectus. Nudus enim Adam incola paradisi fuit.* Deinde illo ob id monitũ contristato, & Christo terga vertente præfatam ipse de augustiis cælestis ianuæ sententiam cameli imagine per acus foramen intrare non valentis sic firmauit. *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Quam indidem Maximus hunc in modum sapienter illustrat. *Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus*

Matth. 7. 14.
Matth. 19. 21.
S. Maxim.
Matth. 19. 24.
S. Maxim.

tatus tanquam onustum, & impeditū animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul enim, vt se existimat peruenisse, sarcinam eius exigua porta non capiens repercusso limine retrorsum redire cogetur. Sed quare? Respondet Hilarius canon. 19. in Matth.

Hilarius. Graue onus innocentia subit incrementis opum occupata. Planè quasi illa diuitiarum sarcina aggrauet animam, & deprimat sensum multa, siue magnifica, & diuina cogitantem Sapient. 9. 15. quippe

Sap 9 15. Minut. Felix. in ipso viatico (sic Minutius Felix in Octauio pulchrè monet) breue iter vita non struitur, sed oneratur; vel quia magnus ad spiritualia dona accipienda occupet, atque impediat. Vnde August. serm 35. de tempor. hanc adolescentis amātis possessiones suas

Augustin. historiam pendens, inquit. Ait autem quidam ad Iesum, Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? vtique, qui dicebat, Quid boni faciam? vitam æternam desiderabat, sed plus amabat, quod tenebat. Vidit Dominus occupatas manus, dare vult, & non habet, vbi ponat. Occupatæ sunt manus accipientis m. Dicit enim sibi Dominus: Vade, vende omnia, da pauperibus, & pone illa in cælo, quia in terra impediunt. Hæc ille, & alia. Nec minus opportunè Bernard. in Declamationibus vbi cùm dixisset.

Bernard. Interim sanè fel ces liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur Dominum expediti. Arctissimum enim nos foramen expectat. Si quem sequimur, consequi volumus, per angustam contendamus ingredi portam, necesse est. Subdit. Quid tu camele gibbumquid tu pecuniose produxeris loculos tollis? Non sic impie, non sic ingredieris. Foramen acus huiusmodi sarcinas nō admittit. Consentanea sunt, quę habet Chrys. hom. 33. in epist. ad Hebræos, eos qui facultatibus augēdis studēt, ad hunc modū carpēs. Videt quot bonorū impe-

Chrysost. dimēta sunt diuitiæ, & tu quæris ditescere? Nā gaudes quòd sit cursū impedimentū. Adeo est angusta via, quæ ducit ad regnū: adeò lata sunt diuitiæ, molèque plenæ, ac tumore. Propterea dicit, Vende quæ habes, vt illa via te suscipiat. Cur cupis pecunias? Propterea eas tibi abstulit, vt te liberet à seruitute. Adijcit opportunā huic rei similitudinē. Non veri quoq; parentes, & legitimi cùm filius fuerit corruptus consuetudine alicuius meretricis, & ei sæpè admonitio non persuaserit, vt ab ea discedat, meretricem procul amandam, & exterminat. Talis est etiam copia pecuniæ. Hæc Chrysostomus.

10. Hinc equidem ingens illud inter antiquos scriptæ legis Patres; & Christi Apostolos, atque discipulos relucet discrimen, quòd illis ambulare, his verò currere, fuerit præscriptum, sic etenim Abrahamo Dominus suggerebat: Ambula coram me. Genes. 17. 1. & eadem locutione Salomoni 3. Reg 3.

Gen. 17. 1. 3. Reg. 3. 14. Deut. 8. 6. 14. Si ambulaueris in viis meis sicut ambulauit pater tuus. & toti similiter populo Deuteronom. 8. 6. Vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in

Deut. 10. 12 viis eius. & cap. 10. 12. Et nunc Israël quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deū

Zach. 3. 7. tuū, & ambules in viis eius. & Zach. 3. 7. Si in viis meis ambulaueris, & passim in veteri Testamento: at de Christi discipulis iam olim per prophetiā dicebatur

Cant. 1. 3. 2. ad Cor. 9. 26. 1. ad Cor. 9. 24. in Canticis c. 1. 3. Trahe me post te, curremus: de se verò Paulus 1. ad Corinth. 9. 26. Ego igitur sic curro: & indidem generali oratione, Qui in stadio currunt; & statim: sic currite, vt comprehendatis, 1. ad Corinth. 9. 24. Nimirum antiqui illi Patres terrenis bonis, & facultatibus abundabant, atque ideo graui sarcina pressi communi passu potius ambulare, quàm grandioribus vestigiis expeditè currere valebant. à Christi autem discipulis, qui & omnia relinquerant, & nudi nudum sequebantur, non solū ambulare, sed velocissimè post eum currere, exigēdum fuit; scitè id, atque eleganter expendēre Venerab. Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani ad ea Christi verba Ioan. 12. 32. Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum; hunc in modum: Ioan. 12. 32. Galfrid.

ambulabat communi gressu, sed mutatus ad cursum; tristitia præoccupatus est, qui mandata quidem seruauerat à iuuentute sua, sed consilium perfectionis de relinquendis omnibus non admisit. Currebant alacres, & expediti posito gibbo cameli; qui venditis omnibus pretia ante pedes Apostolorum in commune distribuenda ponebant. Hæc ille. Ita quidem sapienter dicebat Saluian. lib. 4. ad Eccl siam Catholicam, prope finem, Christianis pro incunabilis professionis suæ esse diuitiarum contemptum. Plerique enim eorum Saluian.

(inquit) habent quasi exordia, & quasi incunabula conuersionis suæ, vt prius quàm limen sanctæ professionis introeant, de propriis sibi facultatibus nihil relinquāt, secundum illud, scilicet Domini nostri dictum, Vende omnia bona tua, & da pauperibus, & veni sequere me. Et illi itaque secuturi vocantem Deum, prius vendunt omnia, quàm sequantur: diuitias enim onerum, atque impedimentorum loco esse ducentes, expeditos se non putant ad sequendum Deum, nisi omnia prius carnalium sarcinarum impedimenta proiecerint. Sic Saluianus. Hinc sanè Bernard. in Declamation. post citata nuper verba, cùm sibi diuitum nomine veterum patrum diuitias sic sibi obiecisset, Excusant ali- Bernard.

qui fortasse, dicentes: Abraham, Isaac, & Iacob, cæterique sancti nunquid non terrenas diuitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt, neque enim sumus patribus meliores. Post multa, quibus huic obiectioni occurrit, tandem concludit. Antiquorum sanè patrum diebus donec in terris videretur, & conuersaretur inter homines Dominus maiestatis, non erat Euangelica forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebamur, at vbi Verbum caro factum est, & habitauit in nobis iam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conuersationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque sequentes vestigio, non vlterius cum Patriarcha Iacob altero femore claudicemus. Ita ille.

Est verò præfatæ cogitationi illa persimilis, 11.

quam ex Ioanne Apocalypsis 14. 2. haud difficilè elicies: inibi enim primitiui Christi discipuli, qui mundi bona contempserant, super mare vitreum firmiter pedibus stantes inducuntur, ad hunc modum: Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, & Apoc. 14. 2.

eos, qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum habentes citharas Dei. Sed obserua ex P. Alcaçar egregiè Alcazar.

hæc verba pensitantem, allusionem in eo loco fieri ad clarissimum illud miraculum, quo Deus filios Israël per medium maris Rubri transuexit. At inquis quomodo hæc concinnant? cùm ad Israëlitici populi transitum maris vndæ, & fluctus diffugerint; vt expeditam, ac siccam gradienti populo viam præberent: hic verò à Ioanne maris aquæ diuisæ, aut fugientes non inducantur, sed fideles potiùs super ipsas firmis vestigiis stantes, atque gradientes viderit? Respondet tamen sapienter Alcazar; ad nouæ legis præstantiam, & spiritualium Israëlitarum, siue discipulorum Christi excellentiam id fore referendum; hi nimirum nudi, expediri, & sine terrenorum sarcina ambulantes, siue potiùs currentes, eleganter per ipsas maris vndas tanquam leuia corpora, gradientes, quin submergerentur, à Ioanne conspiciuntur: ad eum quidem modum, quo Petrus, qui dixerat: Ecce nos Matth. 19. 27.

relinquimus omnia, Matthæi 19. 27. fidenter per Matth. 14. 29.

maris aquas, earum superficiem firmiter calcans, ad Christum iuit. Matth. 14. 29. At verò carnalibus Israëlitis, vtpote diuitiis, & optimis spoliis, quæ ab

ab Ægyptiis retulerant onustis, maris vndas diffindi, vt in vlteriora littora euaderent, necesse fuit: terrenorum enim sarcina graues per aquarum summitatem minimè poterant vrgere vestigia. Sed id quidem priùs considerauit citato loco Bernardus his
Bernardus. verbis: *Postremò non multos legisse me recolo, aut non afflictos grauiter: aut non grauiter in ipsa sæculi huius prosperitate tentatos, fortè, & periclitatos. Nimirum longè aliud est in luto aquarum multarum diuisi fundo maris iter carpere terrena licitè possidendo: aliud ipsam quoque nouis gressibus vndam calcare omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogatiua hæc debebatur. Petro nouum iter, & noui typus itineris seruabatur.* Hæc Bernardus.

12\. Hinc notantissimè Paulus de iis, qui plus iusto
1\. ad Timoth. 6. 9. ditescere cupiunt, 1. ad Timotheum 6. 9. ait. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem:* vbi obserues, velim phrasim *emergendi*, siue, vt in Græco est, *in profundum mergendi:* qua humanam vitam non secus, ac maris transitum, siue naui veharis, siue natando transgredi velis, considerat Apostolus: & quidem huc intentus Seneca epistola 22. cùm Lucillo terrena contemnere, & animum curis inanibus exonerare suaderet, addidit, atque: *Sed si propter hoc*
Seneca. *tergiuersaris, vt circumspicias quantum feras tecum, & quàm magna pecunia instruas otium, nunquam exitum inuenies:* subdit. *Nemo cum sarcinis enatat.* Et statim: *Emerge ad meliorem vitam propitiis dijs.* Sed grauiùs, & opportuniùs Saluianus libro 2. ad Ecclesiam Ca-
Saluian. tholicam Pauli sententiam sic premit: *Ergo si diuitiæ interitum in se habent, euitemus opulentiam, ne in interitum corruamus: ampla, & locuples facultas perditionem inferre dicitur: refugienda est itaque ampla possessio, ne consequatur profunda perditio.* Sane, quasi quo amplior fuerit, profundiùs mergat, ac perdat: quippe diuitiæ onus bonæ mentis sunt (vt eas ap-
Seneca. pellauit Democritus cùm à se proiecit apud Senecam libro de prouidentia, capit. 6.) & vt crescunt, illam plus onerant, & deprimunt. Sic quidem dice-
Nazianzen. bat Nazianzenus oratione de Episcopis. *Nunc alius quidem pauper est: verùm erat aliquando tempus, quum diuitiis abundaret. Nimirum malebat exonerationem quasi nauis fieri, vt leuiùs, & expeditiùs nauigaret abiecto illo in pauperes onere.* Et eodem sensu sanctus Valerianus homilia tertia de arcta, & angusta via.
S. Valerianus. *Exoneremus ante omnia corda nostra impia contagione, vt fructus possimus nutrire iustitiæ: debet enim ex integro terrenis actibus abrenunciare, qui vult cœlestibus mandatis satisfacere. Nam sicut homo nunquam inuitus benè seruit: ita nec occupatus benè commendata custodit.* Tractauit verò id argumentum luculentissime sanctus Nilus in Ascetico: humanam enim vitam non cum tranquillo, & pacato mari: sed maxime turbulento, & rapidis vorticibus exitium vrgenti componens, ex illius imagine quàm sit necessarium, iis sarcinis animum exonerare, sic admonet.
S. Nilus. *Pecuniam, & omnia, quæ mentem demergunt, atque opprimunt, contemnamus: onus abiiciamus, vt nauis parumper subleuetur. Tempestate iactati abiiciamus, & magnam supellectilis partem, vt animus tanquam gubernator vndarum impetu queat sustinere; salutique consulere.* Et statim, cùm nauigantium similitudinem, qui sæuiente tempestate longè aduectas merces, & pretiosam supellectilem propriis manibus in mare proiiciunt, vt horum iactura saluti, & incolumitati consulant, proposuisset subiicit: *Cur idem non potest Dei timor, quod potest timor maris? illi caduca vita cupiditate aliarum rerum iacturam leuem putant: nos qui ad vitam æternam aspiramus, propter illam nihil, quamuis abiectum contemnimus, sed malumus simul cum onere perire, quàm illo proiecto seruari.* Concludit animosè, *Agite exuamus omnia.* O vtinam audias!

Ad ea verba, *Omnia existimo detrimentum.*

Adnotatio VI.

Terrena bona iacturam, pœnam, atque tormentum esse.

Monui in explicatione litteræ, Græcam vocem ζημία, pro qua Noster posuit *detrimentum*, non tantùm significare damnum, atque iacturam, sed etiam pœnam, mulctam, atque supplicium; quę sanè significatio terrenis bonis, & pompis sæculi mirè quadrat, adeò enim non sunt bona, adeò animum non explent, aut leuant, vt potiùs egregia mala, quæ illum torqueant, & crucient, esse videantur. Quod hac, & sequenti adnotatione demonstrare, est animus: & vt suo ordine res agatur modò tormentum illa, atque pœnam; postmodum mulctam, atque supplicium, quod nocentibus infligatur, esse adstruemus. Et præsenti quidem instituto illud est accommodatissimum, quod Ezechie- 1.
li à Domino in visione oblatum est, capit. 8. 10. Ezech. 8. 10.
reptilia nimirum, sordida, atque inuisa monstra, & execrabiles fœdorum animalium formas à senioribus Israëlitis adorata, diuinúmque illis honorem impensum. Audi: *Et ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et septuaginta viri de senioribus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua.* Quid miraris? ingentem animi paruitatem? an prauitatem? dum contempto Deo vero, vilissimas, & humi repentes creaturas magni illi viri adorare non erubescunt. Mihi quidem, vt verum fatear, insignem stoliditatem, & amentiam admirari libet, dum ea, quæ homines torquent atque excruciant, & exitiale virus indesinenter instillant, tanto in pretio, & honore ab illis habita contemplor. Ita inibi Theodoret. *Præter impietatem, in-* Theodor.
gens stultitia exuperantia, quid enim insanius iis, qui venenatorum serpentium, & rationis expertium iumentorum adorant imagines? illos enim, vt noxios, & insidiosos occidere consueuimus: hæc vt nobis seruirent, ac ministrarent Dominus attribuit. Nec id solùm ad falsorum Numinum cultores, sed etiam ad sæculares idololatras, qui Fortunam, deam facientes, cœlóque locantes, mundi honores, diuitias, & voluptates suspirant, magno iure retuleris. Quid enim hæ res fuerint, nisi venenati serpentes, & noxia, & insidiosa monstra, quæ sibi inseruientes torqueant: & veneno, ac rabie impleant? Audi Cyprianum aureo eloquentiæ flumine per hæc speciosa mala sic excurrentem epistola ad Donatum.
Quos honores putas esse? quos fasces? quam affluen- Cyprianus.
tiam in diuitiis? quam potentiam in castris? in Magistratu purpuræ speciem? in Principatu licentiæ potestatem? Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusa illecebrosa fallacia, instar quoddam veneni, vbi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi

fallendi sapore medicato poculum videtur esse, quod sumitur, vbi epota res est, pernicies hausta grassatur, verissimè, nec potest suprà. Ea quippè horum idolorum natura id ingenium est, vt pro cultu, & reuerentia, quem tam impensè illis sui cultores exhibent, lethale ipsa virus molestiarum, sollicitudinum, atque dolorum eis expuant, & in imos cordis recessus inferant.

2. Firmat hanc Cypriani cogitationem, & malorum blandientium occultum virus detegit pulchra imagine Salomō, dum felicissimos sæculi homines: eósque qui in aulis Principum degunt, & apud ipsos plurimum valent, cum stellionibus sic componit
Prou. 30. 28. Prouerbiorum 30. 28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regum.* Nam vt stellioni nihil tam simile, quàm aulicus; quippè ille fraudulentiæ, inuidiæ, & malignitatis, quæ aulicorum dotes sunt, egregius typus est, sic enim de dolo, siue fraudulentia
Vlpianus. Vlpianus in leg. 2. π. *Stellionatus*, respondit. *Stellionatum obiici posse his, qui aliquid dolo fecerint*; de in-
Plinius. uidentia verò Plinius lib 30. c. 10. inquiens: *nullum animal fraudulentius inuidere homini tradunt*; de vtraque verò peste Alciatus emblemate 49.
Alciatus.

Parua lacerta atris stellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras, & caua busta colit.
Inuidiæ prauique doli fert symbola pictus.

Ita aulicæ vitæ, & humanæ felicitatis, regúmque gratiæ, quæ tanti ab hominibus fit, pulchram, & appositam imaginem in seipso circumfert. Quid enim, si ad faciem siue ad externam inspexeris cutem, eo
Galfrid. illustrius, atque splendidius? *A stella* (inquit Venerab. Galfrid. ad id loci) *stellio nomen accepit, quòd natiua quadam pictura decoris velut aureis guttis rutilans illustretur*: pende tam in his verbis, & in stellionis pelle, quàm in Aulici, siue apud Principem omnia valentis persona omnia speciosa, splendidáque vocabula; nimirum stellam, decorem, aureas guttas, rutilantem illustrationem; quod, quid aptius, quàm cœlum diuinis luminibus collucens, atque splendens dixeris, nec minori quidē in pretio Principum, atque potentum felicitas habetur; minúsve quàm ipsummet cœlum, vbi summa quies, & beatitudo, siue omnium bonorum cumulus inuenitur, à minoribus suspicitur, & adoratur; at enim verò, si stellionem intus recognoscis, quàm aliud de illo iudicium tuleris! Sic enim vera ipsius natura ab
Hesychius. Hesychio lib. 3. in Leuiticum describitur: *Stellio nimis quidem paruulus, vel miserrimus, venenosus tamen est.* En tibi felicium istorum vitam, & statum viuaci penicillo depictū: paruuli, miserrimi, venenosi, siue veneno intus pleni; quin vlla ex *aureis* illis *guttis* sit, quæ sæuos miseriarum, & sollicitudinum fluctus in illorum pectora non diffundat, vt sub stellato illo & sereno ad speciem cœlo; veram, viuentémque gehennam iure esse dixeris: *Nam dici ne-*
Sid. Apol. *quit* (inquit Sidon. Appollinaris libro secundo, epistola 13.) *quantum per horas fert in hac vita miseriarum v ita felicium istorum (si tamen sic sunt pronunciandi, qui sibi hoc nomen, vt Sylla præsumunt) nimirum, qui supergressi ius, fásque commune, summam beatitudinem existimant, summam potestatem: hoc ipso satis miseriores, quòd parum intelligunt, inquietissimo subiacere se famulatui: nam sicut hominibus Reges; ita regibus dominandi desideria dominantur.* Applaudit his, eáque diffundit, immò ob oculos spectanda pro-
Cyprianus. ponit Cyprianus citato loco, inquiens: *An tu vel illos putas esse tutos? illos saltem inter honorum infulas, & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum circumstantium tela circumstant! Maior illis, quàm cæteris metus est; tam ille timere cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas. Quam securos non sinit esse subiectos, tam necesse est, non sit ipse securus.* O oraculum! foliúmque Sibyllæ! *Maior illis quam cæteris metus est*; maior sollicitudo, maior miseriarum cumulus, *miserrimus* quippè *stellio, & venenosus est*. Quo aduoces salsum Diogenis Cynici dicterium occasione litterarum, quas Rex Philippus ad Antipatrum etiam Regem per Athliam nuncium dedit: de quibus cum populi sollicitì, quid continerent: anxiè perquirerent ille ludens in lubrico nominis *Athlias* quod Græcè sonat miserum, multísque laboribus afflictum, respondit. *Athlius ab Athlio per Athliam ad* Diogenes.
Athlium, id est, *miser à misero ad miserum per miserum*; ac si diceret: Quid horum fortunæ inuidetis? eósve timetis? atque anxij eorum vota nosse cupitis; cùm ipsi vndequaque miseri, non nisi de miseriis agere, & in miseriis commercium habere possint? Ita rursus indidem Sidonius epistolam sic claudit.
Quapropter ad statum huiusmodi, Domine frater, nescio, an consilet, tendere beatos: patet certè miseros peruenire. Sidonius.

Sanè ex hac stellionum imagine meritò proba- 3.
bis, quod ad illam Regum historiam libro 3. cap. 18. 3. Reg. 18. 23
23. de duobus bobus, altero in Dei honorem, altero in obsequium falsi numinis Baal mactatis subtiliter considerauit Stephanus Cantuariensis in allegoriis Gotfridi Tilmani; habere Deum suam victimam, siue suos Martyres, habere etiam diabolum suos Martyres, suámque victimam. Ita enim illa Heliæ
verba: *Dentur nobis boues, & illi eligant sibi bouem* Steph. Cant.
vnum, & in frusta cædentes ponant supra ligna, &c. & ego faciam bouem alterum, & imponam super ligna, &c. ad allegoriam ipse refert. *Deus habet suam victimam; diabolus suam. Qui enim macerant se & labores sustinent, vt superiores efficiantur in hoc mundo, sunt bos interfectus à prophetis Baal: qui superior interpretatur. Qui verò pro Deo se mortificant sunt bos mactatus ab Helia: propheta Baal sunt diuites, & potentes huius mundi.* Scitè: sic enim hi potentes suos cultores tractant; sic sæculi idola cum iis, qui ipsis obsequuntur, se gerunt, *in frusta cædentes*, & supra ligna vrendos imponentes, vt iure illis aptaueris, quod de prophanis diis gentium, ferali ritu ab ipsis cultis dicebat Lactantius Firmianus libro 1. institu-
tionum, cap. 21. *O dementiam insanabilem! Quid illis* Lactantius.
isti dij amplius facere possent, si essent iratissimi, quàm faciunt propitij? cum suos cultores parricidiis inquinant; orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant. Sed inuersum martyrij modum in iis stellionibus, mundíque martyribus ab eo, qui in Christi, seu virtutis victimis conspicitur, obserua: hi enim sic exteriùs torquentur, duráque perferunt, vt mira interiùs suauitate reficiantur: ac proinde non tam pati, quàm oblectati, & gaudere dicendi sunt. Qua de re multis egimus ad cap. 2. vers. 1. adnotat. 6. & vers. 7. adnot. 3. attingam, quæ omnino ad rem sunt; sic quidem
dicebat Paulus 2. ad Corinthios 6. 10. *Quasi tristes,* 2. ad Cor. 6
semper autem gaudentes. vbi Theophylactus. *Videmur* 10.
mœsti esse: cæterum voluptas nobis est florida, viuax. Et de Martyribus Salomon Cantic. 2. 2. *Sicut lilium in-*
ter spinas, siue, vt habet lect. Chaldæa, *comparata sum* Chald. lectio
rosæ, quæ germinat inter spinas, à quibus perforantur, & rumpuntur folia eius. Quæ ob oculos habens Dominus arcano sermone de liliis dixit Matthæi 6. 28.
non laborant, neque nent: ad quæ verba sanctus Nilus Matt. 6. 28.
in Ascetico: *De animo perfecto dicitur*, lilium inter S. Nilus.
spinas: *hoc námque illum inter curas tranquillè degentem indicat: lilium enim, & in Euangelio quietum animum, & minimè sollicitum significant.* Non laborant (inquit Dominus) neque nent. Vnde de Martyre durissima supplicia perferente sic absolutè inquit Bern.
serm.

Bernard. serm. 61. in Cantic. *Stat Martyr tripudians, & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modò fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem.* At verò mundi, diabolique martyres, dum exteriùs gaudere, tripudiare, & triumphare videntur, summa intus tristitia, & mœstitudine indesinenter laborant, atque nent; & quot aureæ regiæ gratiæ guttæ, quot sæcularium bonorum stellæ insunt, tot spinas, & aculeos à quibus pungantur, & rumpantur habent: sic opportunè dicebat Seneca epist. 76. *Seneca.* *Hoc ergo vnum bonum est, quod non tantum perfectus animus, sed generosus quoque, & indolis bonæ sentit; cætera leuia sunt, mutabilia. Itaque sollicitè possidentur, etiam si fauente fortuna in vnum congesta sunt, dominis suis incumbunt grauia, & illos semper premunt; aliquando & elidunt.* Benè *incumbunt grauia*, benè *semper premunt*; benè *aliquando elidunt*; optimè verò, *etiam si fauente fortuna in vnum congesta sunt*: nam primùm scitè de iis, qui apud Principes omnia possunt, dictum est ab eodem *Idem.* Seneca epist. 36. *Non est, quod tibi isti persuadeant, eum esse felicem, qui à multis obsidetur: sic ad illum quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, & turbant*; & rectè quidem *obsidetur* à clientibus, salutatoribus, candidatis, qui illum non secus, ac vrbem, quæ obsessa omni telorum genere oppugnatur, precum, libellorum, & blanditiarum vi armati obsident; immò insidiantur: vnde non solùm exhauriri ipsum, sed & turbari, inquietari, & perpetuas subire molestias, assiduóque timore cruciari necesse est. Adhibet alibi locupletem huic rei testem Mecænatem illum inter Augusti aulicos principem, omnia apud ipsum valentem: qui in suæ felicitatis equuleo suspensus hanc veritatem fateri coactus est: sic namque Seneca epist. 19. *Seneca.* *Volo tibi hoc loco referre dictum Mecænatis, vera in ipso equuleo elocuti. Ipsa enim altitudo attonat summa: hoc voluit dicere: attonita habet summa.* Sic Seneca, vt dicere videatur Mecænas, altitudinem ipsam eos, qui illi insident, percutere, & velut tonitru quatere. Pulchrè autem dixit Seneca; hæc illum in ipso equuleo elocutum; *id est*, (inquit ibi Iustus Lipsius) *Iust. Lips.* *in dignitate, & Aula: vbi assidua tormenta.* Deinde certo certius est, quod de istis felicissimis dixit Gregor. Nazianz. orat. 34. quæ est 2. de Theologia. *Gregor. Nazianz.* *Quò magis in altum pedem ponit, eò magis vertigine laborat, & æstuat.* nam de eo, qui totum subegit mundum, & in cuius *conspectu siluit terra*, *1. Mach. 1. 3.* 1. Machab. 1. 3. eadem æstuandi locutione dixit Satyricus:

Iuuenal. *Æstuat infelix angusto in limine mundi.*

& de Maximo Imperatore ex vulgi sensu omnium felicissimo eadem vertiginis imagine vsurpata Sidonius Apollinaris præfata epistola. *Sidon. Apoll.* *Qui quamquam in arcem præfectoriam, patriciam, consularem, intrepidus ascenderat, eósque, quos gesserat magistratus, seu recurrentibus orbitis inexpletus iterauerat, cùm tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur, nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino*; vbi illud appositè dictum videas, *ad principalis apicis abruptum*; quòd quæ excelsa videntur, & vt suprema bonorum culmina inuidentur, & adorantur, prærupta sint, ex quibus nonnisi casus, ruinæ, & præcipitia obueniant: vnde inibi semper pauidos, ac trementes semper esse, nulla animi quiete, ac securitate, sed velut Prometheus ille ad saxum religatus, aquiláque, quæ eius cor perpetuò exederet, adhibita, necesse est. Audi rursus vtrumque disertum Scriptorem; Senecam, & Sidonium: sic enim prior epist. 94. de vero, fidóque amico, qui salutaria ingerat, sic loquens: *Ostendat ex constitutione vulgi beatos in isto inuidioso fastigio suo trementes, & attonitos, longéque aliam de se opinionem habentes, quam ab alijs habetur. Nam quæ ab alijs videntur excelsa, ipsis prærupta sunt; itaque exanimantur, & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps. Cogitant enim varios casus, & in sublimi maximè lubricos: tunc appetita formidant, & quæ & illos graues alijs reddit, grauior ipsis felicitas incumbit.* *Seneca.* Optimè, & ad viuum. Iam Sidonius præfatæ Maximi historiæ hærens. *Is nuncupatus Augustus, ac sub hac specie palatinis liminibus inclusus ante crepusculum ingemuit, quod ad vota peruenerat. Cúmque mole curarum pristinæ quietis tenere dimensum prohiberetur, veteris actuum regulæ legibus renunciauit, atque perspexit, pariter ire non posse negotium principis, & otium Senatoris.* *Sidonius.* Vides? aureas, & lucentes stellionum guttas; non stellas placidas, atque benignas esse: sed,

Sanguineum iubar exitiale cometæ.

præcipitium illis, & mortem pallido, & minaci vultu indesinenter indicens. Pergit certè Sidonius, & Principem illum perosum pondus imperij sæpiùs exclamasse solitum, affirmat; *felicem te, Damocles*, (ille, scilicet, Dionysij Siculi tyranni familiaris, qui quòd florentem eius fortunam inuideret, regiæ mensæ, cui filo ligatus ensis districtus, & suo pondere minax imminebat, accumbere coactus; multo fletu, & precibus inde absolutus, illa refugit celeritate diuitias, delitiásque regias, qua solent appeti) *qui non vno longius prandio regni necessitatem tolerauisti.* Hæc ille, & alia de Maximi huius casu, & præcipitio, quæ ad finem adnotationis opportuniùs dabimus.

Videris hæc egregiæ monita apud Oseam cap. 8. 6. vbi de idolis sæculi, corúmque cultoribus, sic ait. 4

Osea 8. 6. *Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Et verò quamuis hæc verba hoc versu adnotat. 1. num. 8. ad gustum plurium interpretum sic ceperimus, vt ex illis vanitas, atque inanitas rerum sæculi commonstretur, quasi ipsæ non magis protegere, & reficere, siue explere animum valeat, quàm tenuissimi, & fragilissimi telæ aranearum fili: at nunc tam ex Hebræa lectione, quàm ex sequentium verborum contextu aliò mens inclinat, vt nimirum non modò inania, & caduca, sed noxia, & exitialia hæc sæculi idola affirmet Vates. Porrò ex Hebræo pro *in aranearum telas*, commodè verteris *in scintillas*: *Hebr. lect.* atque inde hunc sensum conficies; Samariæ vitulum, siue mundi idola adeò non esse *in Deum protectorem*, vti de Deo nostro affirmat Vates. Psalm. 30. 3. vt potius sint *in scintillas* & incendium, quod miseros cultores vrat, & absumat; *Psal. 30. 3.* non secus, ac Babyloniæ fornacis, flamma, quæ eosdemmet, qui eam confouebant, combussit: *& incendit* (inquit) *quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis*, Daniel. 3. 48. *Daniel. 3. 48.* Sed accipe id à Gentili Seneca epist. 22. amicum suum sic admonente. *Seneca.* *Emerge ad meliorem vitam propitijs dijs; sed non sic, quomodo istis propitij sunt, quibus bono, ac benigno vultu mala magnifica tribuerunt; ab hoc vno excusati, quòd ista, quæ vrunt, quæ excruciant, optantibus data sunt.* Vides hæc sæculi bona, siue magnifica mala, *in scintillas*, quæ vrunt, & excruciant esse? & quid, rogo, ambitio? quid auri cupiditas? quid impuræ

voluptates suis amatoribus nisi scintillas sollicitudinum, dolorum, atque curarum, quibus eorum animi perpetuo æstu adurantur, siue vstulentur afferunt? Nec aliò, si attentiùs inspiciatur, ire dixeris Vulgati lectionem; *in aranearum telas*; si tamen memineris, araneam tela sua tanquam retibus miseras muscas implicare, atque irretire, vt ipsas torqueat, & exanimet. Applaudit Apostolus 1. ad Timoth. 6. 10. de iis qui diuites fieri cupiunt, vel, vt alij volunt, generaliter de omnibus, qui post concupiscentias suas eunt, inquiens: *inseruerunt se doloribus multis*, vel, vt in Græco, *transfixerunt se*, imagine sumpta ab spina, vel aculeo præduro carnem transfigente; ac si dicat, semetipsos tanquam miseræ, atque indociles muscæ, araneæ retibus adiungentes, multis doloribus, & sollicitudinibus compungentibus, & vrentibus animum, se inseruerunt: sic Anselmus spinarum similitudini hærens: *Qui enim multos dolores dixit, quasi nascentes ex hac radice punctiones, vel spinas innotuit, &c. Quoniam mens eorum assiduè pungitur spinis sollicitudinum, pro acquisitione, vel conseruatione diuitiarum, & multiplici labore corpus illorum atteritur.* Sic ille.

1. ad Timoth. 6. 10.

Anselm.

5. Sed iam & muscas aranearum telis irretitas, & vituli cultores scintillis adustos in socru illa Simonis magnis febribus æstuante apud Lucam cap. 4. 38. considera; sic enim ibi: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Quibus in verbis, supposita Ambrosij explicatione, quam nosti, vt ægra ista, imago fuerit animi immodicis diuersarum cupiditatum illecebris æstuantis; nam *febris nostra auaritia est: febris nostra libido est: febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est, &c.* artificiorum dicendi modum, quo vsus est Lucas obserua. Nec enim dixit habebat magnas febres, quemadmodum Hispana locutione dicimus, *tener calentura*; sed potiùs notanter, *tenebatur magnis febribus*: vt indicaret animum cupiditatibus obnoxium tum earum ardore, & scintillis incensum, & infeliciter vstulatum, eo modo quo magnus poëta de regina illa dicebat, *Vritur infelix Dido*: tum velut muscam araneæ retibus implicatum, & irretitum, quin sui compos sese expedire, & explicare valeat: id ac si Lucæ scholiastes esset, egregiè adnotante Seneca epist. 8. vbi cùm dixisset: *Rectum iter, quod serò cognoui, & lassus errando alijs monstro. Clamo: Vitate quæcumque vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum suspiciosi, prouidique subsistite. Et fera, & piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortuna putatis? insidiæ sunt.* Subiicit: *Quisquis nostrûm tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia deuitet: in quibus hoc quoque miserrimi fallimur; habere nos putamus, habemur.* Vide, ex hoc Scriptore, quid sit animum diuitiis, delitiis, ac cupiditatibus deditum, cuius typum socrus Simonis fert, teneri magnis febribus? capi, videlicet, tanquam infelix musca, & viscatis hisce bonis irretiri; nec ea habere, sed ab illis impeditum captiuúmque haberi. Sed pergit Seneca, & eandem febris imaginem, & ipsammet Lucæ locutionem sic profert, probátque epistol. 119. *Nam quod ad illos pertinet, apud quos falsò diuitiarum nomen inuasit occupata paupertas: sic diuitias habent, quomodo febrem habere dicimur, cùm illa nos habeat. E contrario dicere debemus: Febris illum tenet; eodem modo dicendum est: Diuitiæ illum tenent.* Benè ergo dixit Lucas; *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.* Nec hilum ab hac sententia ire dixeris illud Psalmi 91. 16. *Benè patientes erunt, vt annuncient.* Si tamen pluribus assentiaris Codicibus reponentibus, *Bona patientes erunt*: vt sensus fuerit, externa hæc mundi bona pœnam, febrémque esse, quæ nonnisi magno labore, atque dolore perferatur, nec ab eorum possessoribus haberi, sed tolerari, & ad patientiæ clypeum, potius quàm ad voluptatis sinum pertinere. Apta hæc omnibus mundi bonis, atque cupiditatibus, iuxta Ioan. gnomen epist. 1. cap. 2. 16. *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Nam de diuitiis sic dicebat August. serm. 110. de tempore. *Diuitiæ illæ quas putatis plenas esse delitiarum, pleniores sunt periculorum. Pauper erat, & securior dormiebat. Somnus facilis accedebat ad duram terram, quàm ad lectum inargentatum. Attendite curas diuitum & comparate securitati pauperum.* De potentia verò, & honoribus Cassiodor. lib. 6. epist. 12. *Interdum enim assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt potestates, dum imbecillitas humana citò solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, postea vitare velle sentitur.* Iam de voluptatibus, ac delitiis similiter Seneca lib. de vita beata cap. 14. *Cæterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet; cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri si deseruntur ab illa; miseriores si obruuntur: sicut deprehensi in mari Syrtico: modò in sicco relinquuntur; modò torrente vnda fluctuantur.* Ita ille. Sed quid ni etiam *bona patientes* dixeris delicatas fœminas? quæ, vt viris placeant, grauissima ornamentorum pondera molli corpusculo baiulare coguntur. *Vides* (inquit Bernard. epist. 113.) *auro, & argento, lapidibus pretiosis, & omni denique cultu regio non tam ornatas, quam oneratas?* audi ergo quid ea de re censeat Ambros. lib. 1. de Virginibus. *Hinc collum catena constringit; inde pedes compes includit. Nil refert, auro corpus oneretur, an ferro: si ceruix premitur, si grauatur incessus, nihil pretium iuuat: nisi quòd vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Quid interest? vtrum aliena sententia, an vestra vos damnet? Hinc vos etiam miserabiliores, quam qui iure publico damnantur, quod illi optant exui, vos ligari.* Sic Ambros. Et simili in eandem rem elegantia Tertull. lib. de habitu muliebri ad finem: *Vno lino decies sestertium inseritur: saltus, & insulas tenera ceruix fert: graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & sinistra per singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæ sunt vires ambitionis, tantarum vsurarum substantiam vno, & muliebri corpusculo baiulare.* Hæc Tertull. & ab eo consentanea Cyprian. lib. de bono pudicitiæ. Vt videris quàm grauis, & molestus etiam in ipsis iocis, & ornamentis mundus sit, vt non aliter ornet, nisi simul oneret, & torqueat: sic generali oratione de omnibus mundi bonis dicebat Seneca lib. 7. de benef. cap. 1. *Quibus torquetur vita, dum ornatur.*

Luc. 4. 38. — Ambros. — Seneca. — Seneca. — Psal. 91. 16. — 1. Ioan. 2. 16. — August. — Cassiod. — Seneca. — Bernard. — Ambros. — Tertull. — Cyprian. — Seneca.

6. Perstrinxit hæc omnia Paulus cùm ad Colos. 3. 9. ait: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*: hoc est, cum delitiarum, diuitiarum, & honorum desideriis, hi enim veteris hominis actus sunt. Sed obserua quomodo hæc legerit S. Cyrill. Alexand. lib. 3. in Isaiam oratio. 2. in fine: Sic enim ibi: *Exuentes veterem hominem cum perturbationibus, & cupiditatibus suis*: vbi pro vna eadémque re, actus veteris hominis, siue cupiditates, & perturbationes ponuntur, vt ad mentem Ambrosij dicentis: *febris nostra auaritia est; febris nostra libido est, &c.* tu etiam ex Paulo dixeris, perturbatio nostra auaritia est perturbatio nostra libido est, perturbatio nostra luxuria est, per

ad Coloss. 3. 9. — S. Cyrill. Alex.

perturbatio nostra ambitio est, perturbationes nostræ cupiditates sunt, perturbationes nostræ voluptates sunt. Sunt planè, sunt omninò: nec aliunde bella, & lites in nobis nisi ex concupiscentiis nostris, quæ militant in membris nostris: ita quidem de voluptate, quæ blandior, & mitior

S. Nilus. domina videtur; dixit S. Nilus in Ascetico: *Voluptas non est ex eorum numero, quæ stant, & quiescunt, sed ex eorum, quæ mouentur, & perturbationis sunt*

Nazianz. *plena.* Auget censum Nazianzenus; eámque voluptatis perturbationem ait; vt à rabido cane animum laniante non differat; sic enim ille oratione 2. *voluptatem rabidum, laniantémque canem.* Adstipulatur Pauli discipulus S. Hermas *mandato* 12. tom. 1. Bibliothecæ veter. PP. omnem cupiditatem, & horrendam rem appellans, & feram hunc

S. Herm. in modum: *Tolle à te omnem cupiditatem malam, & indue cupiditatem bonam, & sanctam. Horrenda est enim cupiditas mala, & difficilè mitigatur: horribilis est valdè, & fera, & sua feritate consumit homines.* Sed enim ad Pauli gustum opportunissimè cupiditatum perturbationem, perpetuámque sollicitudinem, ac molestiam ex ferarum imagine sic

Seneca. descripsit præfato loco Seneca: *Nam mala pro bonis petenti periculosum est assequi, vt feras cum labore, periculóque venamur, & captarum quoque illarum sollicita possessio est; sæpè enim laniant dominos: ita etiam habentes magnas voluptates in magnum malum euasere, captæque cepere. Quæ quo plures, maiorésque sunt, eò ille minor, ac plurium seruus est, quem vulgus felicem appellat.* Ita Seneca.

7. Sed ad Oseam, eò vnde digressi sumus, iam opportunè redeamus. Dixerat sub eo, quo dedimus sensu, *in aranearum telas erit vitulus Samariæ*; subiicit huius sententiæ rationem. *Quia ventum seminabunt, & turbinem metent*, Oseæ 8.7. ac

Oseæ 8.7. si dixerit; quoniam ea idolorum mundi conditio est, vt pro obsequio, & cultu, magno studio, & labore ipsis exhibito nouos illa labores, & molestias reddant: sed, dum Vates venti seminationem appellat sæcularium hominum curas, & studia pro terrenis rebus obtinendis: turbinem verò, mala atque molestias pro speratis, & concupitis bonis illata, metaphoræ elegantiam, qua maligna, atque exitialis horum bonorum natura apprimè describitur, diligenter obserua. Sanè vt is, qui ventum seminaret, hoc est, in terræ sinum, siue viscera inferret, nō alium inde fructum, quàm turbinis, & tempestatis meteret, atque colligeret; quippè ventus in terræ visceribus inclusus, vt erumpat, terram quatit, & circumquáque commouet, & ingentium etiam ædificiorum, & fastigiantium turrium ima fundamenta remouet, atque conuellit; ita omnino, qui vanas pro terrenis bonis, & impuris voluptatibus curas sæculo inserit, siue in terra seminat; præter æternas pœnas, quas in futuro sæculo luet, nihil hîc aliud, quàm ingentes animi tempestates, & angoris, sollicitudinis, atque mæstitiæ turbines, quibus atrociter iactetur, sibi colligit. Sic dicebat Sapiens:

Eccles. 7.1. *Noli facere mala, & non te apprehendent. Non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum*, Ecclesiast. 7.1. vbi tum ipsasmet delitias, & sæculi voluptates satellites, ac carnifices animum plectentes, ac verberantes in verbo *apprehendent* facit, tum sensu communi cum Osea multiplicatum è seminato vento turbinis, & molestiarum prouentum adstruit. Quæ omnia ex Maximi illius, è quieta, & priuata vita ad principatum tyrannicis artibus ascendentis exemplo, sic ipsamet turbinis retenta imagine firmat citato lo-

co Sidonius Apollin. *Denique require in supradicto viræ pristoris gratiam, potentiam, diuturnitatem; æquè diuerso principatus, paulo amplius quam bimestris originem, turbinem, finem; profecto inuenies, hominem beatiorem prius fuisse, quam beatissimus nominaretur.* Sidon. Apollin.

Generaliter verò de omnibus sæculi amatoribus, & voluptuariis hominibus Ambros. lib. de *Elia, & ieiunio*, cap. 19. ad ea verba Isaiæ 23. Ambros.

14. *Vlulate naues maris*; siue, vt ipse legit *Carthaginis*: hanc turbinis messem sic persequitur. *Horum igitur mercatorum semen in aqua, messis in fluctibus est, in aqua enim labores suos seminant, vt pericula metant.* Hæc & alia Ambros. Isai. 23.14.

Est verò in præfatis verbis Oseæ, quod in turbinis, siue voce, siue messe obserues: nam *turbo* non qualiscumque ventus est; sed rapidus, vehemens, vorticosus, qui siue terram, siue maria inuadit, omnia sternit, circumagit, & rapit. Estque is, qui Græcis dicitur δῖνος, qui conuoluens se, & actus in gyrum violentissimo impetu, quocumque incumbit. Quæ quidem omnia sæculi concupiscentiis, atq; rebus tam concinnè aptantur, vt ab illis potius quàm à mari, aliundéve turbines prognati videantur. Ita quidem de iis, qui cupiditatibus suis volentes, ac libentes obsecundant, dixit Salomon Sapientiæ 4.12. *Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum.* Sed exhauri singulas è Græco fonte voces: & primo, vt generalis sententia sit; scito pro *concupiscentiæ* esse ἐπιθυμίας, quod generale vocabulum est ad significandam auiditatem tam venerearum voluptatum, nec non cibi, & potus, quàm cæterorum bonorum, quibus dediti sumus, seu quorum nos inuadit cupiditas. Iam obserua pro inconstantia haberi ῥεμβασμὸς *circumrotatio, circumuolutio, circumuersio temeraria, vaga, & aberrans.* Tandem verbum μεταλλεύει, quod respondet Latino *transuertit*; venustissimam epitasim (præsertim ad ea, quæ adnotat. sequenti num. 3. de Adamo in peccati pœnam pellito orbis negotiis, vt metallo dato ex Tertulliano dicemus) habere videtur; propriè enim significat, metalla effodere, seu eruere. Ex quibus is opportunus elicitur sensus Cornelio Iansenio, & bonis aliis interpretibus probatus (an & opportunior sit, ibi Deo iuuante videro) miseros homines sæculi cupiditatibus illectos, atque irretitos, ab illis continuò circumrotari, & assidua defatigatione circumuolui, ad instar eorum, qui metalla effodientes continua circumrotatione franguntur, quòd inter perpetua desideria, & sollicitudines indesinẽter fluctuent. Qua sanè ratione terrenis rebus addicti cribrari, allidi, & perpetuo motu circumuolui sicut triticum in cribro dicuntur à S. Machario homil. 5. Nec ab hoc longiùs iuit Seneca in consolatione ad Polybium cap. 18. inquiens: *Omnia ista bona, quæ nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant; pecunia, dignitas, potentia, aliáque complura, ad quæ generis humani cœca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur; cum inuidia conspiciuntur, eósque ipsos, quos exornant, & premunt; plus minantur, quam prosunt. Lubrica, & incerta sunt, nunquam benè tenentur; nam vt nihil de tempore futuro timeatur; ipsa tamen magnæ felicitatis tutela solicita est.* Pulchrè omnia; sed illud valdè appositè dictum, *nunquam benè tenentur*: imagine ab anguilla, vel lubrica alia re desumpta, quæ quod nunquam benè prensari, totísque manibus, firmiter apprehendi queat, tenentem, solicitum, & anxium habet: pergit opportuniùs Seneca, & metaphora ad procellosi maris nauigationem translata subdit: *pendemus,* &

8.

Sapient. 4.12. Græc. lect. Iansen. S. Macar. Seneca. Seneca.

& fluctuamus, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus. Sic ille. Sibi verò omnino consimilis Salomon Ecclesiastes cap. 2. vers. 2. dicebat. *Risum putaui errorem.* Quare errorem? Nonne? vt alibi ex Philone vidimus: *Opifex est Deus boni risus.* Ita quidem, at Sapiens non de bono, sed de sæculari, & è mundi delitiis prouenientie risu loquitur: ideo eum, errorem appellat. Sed quod sensu? Sanè pro *errorem* Theodozion ibi legit, *circumlationem.* Hieronymus *amentiam.* Symmachus *tumultum*; vt dicere videatur Sapiens, mundi gaudia, atque delitias turbinis, tumultus, amentis circumrotationis, & indesinentis molestiæ plena esse: sic ea verba omnibus illorum translationibus conciliatis, explicante ibi Hieronymo: *Quomodo igitur ij, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, instabiles sunt, & in diuersa fluctuant; sic qui illo risu cachinnant, quem Dominus in Euangelio fletu dicit mutandum, errore sæculi raptantur, & turbine*; ventum, videlicet, seminantes, & turbinem metentes; dum à suis concupiscentiis in gyrum violentissimo impetu circumacti, & indesinenti circumlatione rotati sibimetipsi graues & infensi sunt. Qua de re signatissimè hæc scripsit Senec. libro de Tranquillitate animi, c. 2. *Inde peregrinationes suscipiuntur vagæ, & littora perer-rantur, & modò mari se, modò terra experitur semper præsentibus infesta leuitas. Nunc Campaniam petamus: iam delicata fastidio sunt; inculta videantur, Brutios, & Lucanos saltus persequamur; aliquid tamen inter deserta amœni requiratur, in quo luxuriosi oculi longo locorum horrentium squalore releuentur. Tarentum petatur, laudatúsque portus, & hyberna cœli mitioris, & tecta, vel antiquæ satis opulenta turbæ. Iam flectamus cursum ad vrbem, nimis diu à plausu, & fragore aures vacauerunt. Iuuat, & iam, & humano sanguine frui: aliud ex alio suscipitur, & spectacula spectaculis mutantur.* Iam inde proueniens tædium, atque molestiam vsque ad mortem vrgentem sic subinde ostendit: *Hoc quosdam erit ad mortem, quòd proposita semper mutando in eadem reuoluebantur, & non reliquerant nouitati locum. Fastidio illis cœpit esse vita, & ipse mundus, & subyt illud rabidarum delitiarum. Quousque eadem?* Hæc omnia Senecа: & eodem sensu Lyricus lib. 1. epist. 35.

—mea pugnat sententia secum
Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit,
Æstuat, & vitæ disconuenit ordine toto:
Diruit, ædificat, mutat, quadrata rotundis.

En humanarum rerum turbinem, & concupiscentiarum inconstantiam, seu circumrotationem; audi denuo ab Isaia Oseæ sententiæ verba omnino consentanea, cap. 59. 4. *Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitatem: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem; oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt; qui comederit de ouis eorum morietur, & quod confotum est, erumpet in regulum.* Nam hæc ad mundi amatores illius bonis pertinaciùs adhærentes pertinere, Origenes in Psalm. 3. & alij interpretes affirmant. Ergo ibi id primùm pende: *conceperunt laborem*: quod omnino respondet phrasi Oseæ, *Ventum seminabunt*, quid enim fuerit concipere? nisi inanibus curis, & studiis pro his bonis obtinendis, & fallaci simul spe illorum grauidari? Scitè autem hominem auidas spes corde concipientem, concipere laborem dixeris: ea enim siue desiderij, siue spei natura est, vt mille sint timoribus, anxietatibus, & suspicionibus obnoxia: quod ex spei descriptione ab Augustino facta benè colliges; De ea siquidem sic ille censebat, vt nescio quid esset, quod simul sit, & non sit: *Spes* (inquit ille serm. 29. de verbis Domini) *ouo comparatur; spes enim nondum peruenit ad rem: & ouum est aliquid, sed nondum est pullus.* Est ergo spes, & non est: siue est aliquid, & non est aliquid. Iam quauis illam ansam apprehendas, dolorem esse noueris: nam Aristotele auctore lib. 3. Ethnicorum, cap. 11. *Cupiens, & non adipiscens, dolet*; & verò quantumuis hoc spei ouo animum tuum fouere velis; lethalis tamen hærebit lateri timoris arundo, ne id tibi ouum frangatur; ne videlicet, à tua spe decidas: *In æquo est enim* (Senec. epist. 98.) *dolor amissæ rei, & timor amittendæ.* Sed do tibi tanto laboris tui calore, ac solicitudine, & fortunæ indulgentia ouum tuum confoueri, vt tandem ex eo pullum excludas. Iam ergo spes, facta est res. Quid inde? Subiicit Isaias: *Quod confotum est, erumpet in regulum*, pro quibus Symmachus, & S. Cyril. Alexand. legunt: *Quod conuolutum est, vbi fractum fuerit, aspis erit.* Theodozion verò: *Quod fotum est, erupit in aspidem.* Aquila: *Quod fotum est, in viperam diuisum est* En spei tuæ fructum. En oui tui pullum: & assidui laboris, atque sollicitudinis, qua illi incubasti fætum. Aspis, regulus, vipera: non ad corpus modò, sed ad cor, atque animum admota; vt lethale virus infundentes immaniter illum, atque atrociter discrucient. Sic initio huius adnotationis adductus Cyprianus dicebat. *Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia instar quoddam veneni: vbi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi, sapore medicato, poculum videtur esse, quod sumitur, vbi epota res est, pernicies hausta grassatur.* Nec minus eleganter sermone de ieiunio, & tentationibus Christi: vbi cùm occasione falsæ pollicitationis Christo à dæmone factæ: *Hæc omnia tibi dabo; si cadens adoraueris me*, Matth. 4. 9. homini ambitioso, ad omnia mundi bona auida cupiditate deuoranda inhianti dixisset: *Quid vltra cupide quæris? quid amplius auare desideras? nunquid, & sic poterit impleri ambitio tua, aut satiari potest fames tua, offa huius mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis vniuersa rerum massa intrusa?* Subiicit: *Peremptoria sunt hæc consilia, quæ tibi alia pollicentur, in quibus necesse est, aut vomitu, aut ruptis interire visceribus:* Opportunè; eadem veneni imagine retenta, quod qui hausit, aut quàm citissimè euomere, antequam venis concipiatur, aut lethali vi ipsa intrante vitalia, diris cruciatibus occumbere, necesse sit. Vt videas amatores sæculi, illius res, & bona ambientes nihil sibi vtilius agere, quàm (vt est in prouerbio) *alere viperam in sinu*: ventum seminare, & turbinem metere.

10. Applaudit Vates citatis sæpius in adnotationibus præcedentibus, verbis Psalm. 128. 1. *Fiant tanquam fœnum tectorum, quod prius quàm euellatur exaruit*; quæ de inanitate, & fallacia bonorum temporalium explicabat inibi adductus S. Zeno Veronens. M. Obserua verò ex Hebræo ad verbum sic hæc legi posse: *quod prius quàm euaginetur, siue ex vagina educatur*: vbi sæculi bona cum acuto gladio pulchra vagina contecto, qui inde nonnisi ad percutiendum, confodiendum, necémque inferendam educatur, non obscurè componuntur; vt sensus sit, eum qui mundi bona concupiscit, atque assequitur; rem nihilo meliorem, quàm ensem vagina eductum ad se feriendum, & interficiendum adinuenisse.

Margin notes: Eccles. 2. 2. — Philon. — Theodoz. — Hieron. — Symmach. — Hieron. — Seneca. — Horat. — Isai. 59. 4. — Origen. — August. — Aristot. — Seneca. — Symmac. — S. Cyrill. Alex. — Theodoz. — Aquila. — Cyprian. — Matth. 4. 9. — Psal. 128. 5. — Hebr. lectio.

ueniſſe. Ita ſcitè idemmet S. Zeno ſermone 1. de auaritia exclamans: *Benè: benè: cùm quis quærit aurum, inuenit gladium.* Et Seneca lib. 7. de benefic. cap. 10. *Video ferrum ex yſdem tenebris eſſe prolatum quibus aurum, & argentum: ne aut instrumentum in cædes mutuas deeſſet, aut pretium:* ac ſi nihil aliud fuerit aurum, & argentum è terra proferre, quàm gladium vagina educere; cùm ob illa cædes continuò ſint. Firmat hæc Anſelmus in id Pauli 1. ad Timotheum 6. 17. *In incerto diuitiarum*, inquiens: *Multi enim pauperes in iſtis ſæculi perturbationibus ſecuriores fuere. Multi autem propter ſuas diuitias quæſiti, & comprehenſi, atque cruciati, vel interfecti ſunt.* Qua ſanè ratione Chryſoſtomus homilia de diuitiis, & paupertate, tom. 5. diuitias homicidas appellauit hunc in modum: *Videtis diuitias? quas ſemper fugitiuas appellaui. non ſolùm fugitiuas, ſed etiam homicidas: nec enim habentes ſe deſerunt, ſed iugulant. Vbi quis eas colit, ibi maximè eum produnt.* Ita Chryſoſtomus.

S. Zeno M. — Seneca. — Anſelm. 1. ad Timoth. 6. 17. — Chryſoſt.

II. Nec ad diuitias tantùm, ſed ad omnia etiam ſæculi idola hæc refer: quæ eos qui ea maximè colunt, maximè produnt; atque à ſe longiùs projiciunt: Oſea cap. 8. 5. ſic atteſtante: *Proiectus eſt vitulus tuus Samaria.* Ad quæ verba benè monent Antiquiores Hebræi, & ab ipſis Arias Montanus, & alij verbum, *proiectus eſt*, in Hebræo, eſſe in actiua ſignificatione, ac proinde legendum eſſe cum Pagnino, *Dereliquit te vitulus tuus*: ſiue ſignificantiùs cum R. Abraham, *Proiecit te vitulus tuus ô Samaria, & abominatus eſt te:* egregia quidem, atque eleganti ſententia cum alluſione ad feri vituli, ſiue tauri præferocis ingenium; qui cæco impetu, quem ſibi proximiorem inuenit, proſternit, atque interficit, innuens Vates, ſæculi idola eoſmet, qui illa colunt, & adorant, à ſe longius projicere, & in caſum, mortémque proſternere, vixque eos vitulum ſuum, ſiue idolum, in baſi ſua ad cultum, & adorationem collocare, cùm ille vtroque illos cornu feriens in præcipitium dederit. Quam omnino ad rem Seneca epiſt. 8. de florenti magnorum virorum fortuna agens, inquit: *In præcipitia curſus iſte deducit: huius eminentis vitæ exitus, cadere eſt:* & eodem ſenſu epiſt. 110. *Quoties magna gratulatione excepta res gradum ſibi ſtruxit in præceps; & aliquem iam eminentem alleuauit etiam nunc tanquam ibi adhuc ſtaret, vnde tutò caderet.* Vis videre? oculos aperi, & illis pænè infiniti eminentes, & faſtigio impoſiti à vitulo ſuo proiecti, atque illiſi, ſeſe ſtatim ingerent; & de ſuo quidem Maximo Imperatore hæc tibi inquit Sidon. Apollinar. huic cogitationi peropportunus: *Nec feſellerunt futura mærentem; quod & exitus prodidit nouus celer, acerbus, quem cruentauit fortuna diu lenocinantis perfidus finis; quæ virum, vt ſcorpius vltima ſui parte percuſſit.* Ita Sidonius.

Oſea 8. 5. — Lect. Hebr. — Pagninus. R. Abrah. Arias Mont. — Seneca. — Sidon. Apollin.

Adnotatio VII.

Sæculi bona ſupplicium, & pœnam eſſe.

I. MIRE, & vtraque vocis ζημία ſignificatio, *tormentum*, videlicet, atque *ſupplicium* inter ſe connectuntur, & connexa temporalibus bonis ex Pauli ſententia aptantur. Certè ſi quæ diximus, vera ſunt; & mundi bona, magnifica, blandáque pernicies cenſeri debent; inde, tam quod Græca vox, qua vſus Paulus, ſignificet mulctam, ſiue ſupplicium, quam quòd res ipſa per ſe loquatur, tormenta, atque cruciatus, inflictum à iudice ſupplicium, & mulctam eſſe, optimo merito dixeris, terrena hæc bona in debitas peccatorum pœnas à Deo iudice, atque vltore nocentibus hominibus ſæpiùs dari. Pro qua quidem cogitatione plura ſunt, quæ fide iubeant, egregia Scripturæ monumenta: atque illud in primis ex Dei ore Ezechiel. 3. 20. *Sed & ſi conuerſus iuſtus a iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo; ipſe morietur.* Ezech. 3. 20. Difficilis locus; & vt dira offendiculi comminatio; ita ſenſui impedita, & ad quam facilè offendatur. Quid ergo ibi ſignificet *offendiculum?* L X X. quidem repoſuerunt *tormentum*. S. Hieronymus *ruinam*. Theodozion *infirmitatem*. En peccatori in iuſtiſſimam flagitij ſui pœnam, quod à Deo optimo Maximo defecerit, tormentum, ruinam, ſiue infirmitatem, hoc eſt, extremum mortis inflictum ſupplicium: *ipſe*, inquit, *morietur*. Sed quale hoc? Reſpondet Rabbi Dauid ex parentis ſui, Hebræorum doctiſſimi ſententia, hæc verba legenda, atque intelligenda ſic eſſe: *Proſperari eum faciam in omnibus vijs ſuis, in hoc ſæculo.* Ecce offendiculum, dirúmque peccatoris tormentum, ac pœnam; proſperitatem ſcilicet, huius ſæculi, honores, diuitias, & voluptates, ei in commeritum ſupplicium data, qui iudicia contempta, & proculcata ad iniquitatem ſe conuertit. Ita quidem, Auguſt. ſerm. 15. de diuerſis, dum ait: *Omnis terrena poſſeſſio ſupplicium eſt cupiditatis, vt in ipſis bonis cruciatur animus, cui viluit, qui tanta largitur.* Et Seneca epiſt. 110. *Non eſt quare cuiquam, quem pœna dignum putaueris, optes, vt infeſtos deos habeas: habet, inquam, etiam ſi videtur eorum cura, & fauore produci. Adhibe diligentiam, & intuere, quid ſint res noſtræ, non quid vocentur: & ſcies plura mala nobis contingere quàm accidere* (id eſt, plura nobis mala ex voto, & optato, quàm caſu, & fortuna euenire.) Nimirum mundi bona; egregia, & magnifica mala ſunt, quæ ab irato Deo ſæpiùs in pœnam dantur. Vbi illud obiter pende, Deum, quæ illius ſapientia eſt, vna fidelia duos parietes dealbare; nec ſolùm, infenſum ſibi hominem terrenarum rerum ſupplicio addicere, ſed ipſa etiam mundi bona inſigni pœna, atque dedecore plectere, dum ea peccatoribus fruenda tradit; id quod ſapienter hunc in modum obſeruauit idem Seneca lib. de Prouidentia cap. 5. *Nullo modo magis poteſt Deus concupita traducere, quàm ſi illa ad turpiſſimos defert, ab optimis abigit.* Pulchrè *traducere*, hoc eſt, contemptui, ac ludibrio exponere, tranſlatione facta ab iis, qui in publicum dedecus per fora, & theatra traducebantur. Hiſpanè dicimus: *Sacar a la verguença.* Ergo & malos his bonis, bona hæc malis poſſeſſoribus æquè plectit Deus. Sed reos iam ſupplicium perferentes videamus.

LXX. Hieron. Theodoz. — Rab. Dauid. — Auguſt. — Seneca. — Idem.

P. Anton. Velaſq. in epiſt. ad Philipp. tom. 2.

2\. Et primi quidem occurrunt, grauiſſimi duo peccatores, aliorum duces, & anteſignani; qui vel hac ratione maximam Dei iram ſunt commeriti, ſæcularium bonorum ſupplicio eò magis puniti, quò grauior ipſorum criminum offenſa fuit. Malus, videlicet, Angelus, & primus noſter parens Adam; læſæ diuinæ Maieſtatis vterque reus Prior ſiquidem, *Princeps mundi huius*, ab ipſomet Dei Verbo appellatur Ioann. 13. 31. & cap. 14. 30. & cap. 16. 11. Similiter, tam ipſe, quàm

Ioan. 13. 31. & c. 14. 30. & c. 16. 11.

quàm illius collegæ, eiusdémque cum ipso culpæ, ac pœnæ socij, *mundi rectores* dicuntur à Paulo ad Ephes. 6. 12. vbi Græcè habetur compositum vocabulum, κοσμοκράτορας, quod Theodoret. *mundi Principes*: Tertullianus lib. 5. contra Marc. cap. 18. *mundi tenentes*: Hilarius in Psalmos, *mundi potentes*: Vatablus, *mundi dominos*, transferunt: Et ipsemet quidem (quamuis is sponsor sit, qui sponsore egeat, vt est in prouerbio) pro hac re satis disertè fideiubet apud Lucam 4. 6. cùm enim ibi Christo Domino *omnia regna orbis terræ* ostendisset; sic audacter suggessit, *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa*: (quo autem sensu hæc, quæ ad dæmonis potestatem spectant, fuerint accipienda, vide apud Augustin. tractat. 51. in Ioan. & Anselm. ad dicta verba ad Ephesios; necnon apud Maldonat. in cap. 4. Matth.) Sed iam quo titulo? quáve ratione tantus mundi Principatus, támque excellens, & florentissima sæcularis potestatis fortuna, malo dæmoni competat? Respondet disertissimè Augustin. lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 14. in principio: *Rebus istis terrenis merito suæ peruersitatis præpositus, Magistratus huius sæculi à Domino dicitur*: Scitè, & opportunè *merito suæ peruersitatis*: id est, in commeritam suæ peruersitatis, & flagitij omnium flagitiosissimi pœnam, atque supplicium. Quasi hæc sit ratiocinatio, atque discursus; peccauit atrocissimè, rebellauit in Deum: & immane bellum turpissima audacia cœlo inferre molitus est; puniatur ergo seuerissima pœna; vim tormentorum maximam experiatur, subeat extremum, atque horribile supplicium. Quod tandem? fiat sæculi huius magistratus, & rebus terrenis præponatur: vt debitas tantæ impietatis pœnas luat. Nec ab hoc iuit Cyprianus sermon. *de ieiunio, & tentationibus Christi*: vbi, cùm premens, siue explicans præfata dæmonis verba dixisset: *Si de mundo visibili, id est, cœlo, & terra, & de his, quæ in eo aguntur, te iactas habere dominium; nec cœli, nec terræ tu conditor, nec Solem moues, nec cursum das syderibus, nec per te voluitur firmamentum*: statim, quam in hæc terrena potestatem habeat, quæ prauæ illius voluntatis insignis pœna sit; sic edisserit: *Huius inferioris mundi tua est scabies, languentis sunt vlcera; hæc scalpis, hæc impurus ablingis; si quid vitij est, si quid corruptelæ: tu cadaueribus assides; tu contrectas putredines, tu distemperas fæces, tu versas fœtores*: ac si dicat; tu mundi pompis, carnis voluptatibus, iniustis diuitiis præsides: hæc donas, hæc diuidis: his fæcibus, his fœtoribus, huic miseræ scabiei merito tuæ peruersitatis præpositus es. Accinit Theologorum doctrina ex Angelico Doctore, 1. part. quæst. 106. art. 2. ad 2. hausta; hunc dæmonum principatum sic asserens, atque distinguens, vt quemadmodum Lucifer omnibus aliis impuris spiritibus superior est, illisque dominatur, ita reliqui dæmones pro gradus dignitate, & prout scientia naturali præualent, aliis præsint, atque in eos dominatum habeant: vbi obserua, dæmones, quò aliis ordine, & gradu præstantiores sunt, eò nequiores, & immaniores esse; nam omne animi vitium, tanto conspectius, ac turpius proinde est; quanto maior, qui peccat, habetur; ergo vt nequitia præualent, & maiores sunt; ita, culpæ supplicio respondente maiorem dominatum, ac potestatem habent. Itáne? Sic planè omnibus in hanc sententiam Theologis conspirantibus. Igitur non omnino barbarum barbarorum hominum iudicium fuerit, qui, Tertulliano auctore, nocentes auro constringunt, & quò sceleratiores fuerint, grauiori, atque ditiori auri pondere onerant, sic enim ille libro de habitu muliebri, cap. 7. *Apud barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum; auro vinctos in ergastulis habent, & diuitijs malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Ad quem sanè modum dæmones, ac ipsorum ducem, quò nocentiores; locupletiori, siue florentiori in alios potestate vtentes conspicis.

3. Produco illum alterum reum Adamum, persimili supplicio addictum. Porrò in transgressionis suæ pœnam, è paradiso, id est, è simplicissima illa viuendi ratione, ad sæcularia bona tanquam ad metalla damnatus, inuitus geménsque ejicitur: sic namque Genesis 3. 23. & 24. *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est: eiecitque Adam.* preme extremum hoc verbum *eiecit*, quasi inuitum, & cum supplicio reluctantem; *quia eiici*, (inquit Seneca epist. 54.) *est, inde expelli, vnde inuitus recedas*: sed de supplicij ratione audi egregium Auctorum par Tertullianum, & Nazianzenum, sic enim prior lib. de pallio cap. 3. *ibidem, quod in nouo corpore indebitum adhuc pudori erat, protegere festinans ficulneis folijs interim circumdat; dehinc eum de originis loco exterminat, quippè deliquerat, pellitus orbi, vt metallo traditur*: egregiè, *pellitus orbi, vt metallo*: hoc est, (quod appositè firmat sensum verbis Salomonis *inconstantiâ concupiscentiæ transuertit sensum*: adnotat. præcedenti num. 7. exhibitum) ad orbis res; ad mundi bona, ad sæculi diuitias, atque delitias, ad effodiendum aurum, & argentum damnatus, non aliter quàm illi, qui ob ingentia flagitia ad pœnales metallorum operas condemnabantur. Diffundit hæc Nazianz. orat. in laudem Cæsarij, elucidans ea Ecclesiastis verba, cap. 1. 3. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, hunc in modum. *Omnia vidi (ait Ecclesiastes) humana omnia cogitatione peragraui; opes, delitias, potentiam, instabilem gloriam, sapientiam, quæ magis suffugit, quam teneatur, delitias iterum, sapientiam iterum, eadem sæpius reuoluens, ventris voluptates, hortos, famulorum greges, possessionum copiam, pincerna, vtriusque sexus, cantores, & cantatrices, arma, satellites, gentes ad genua procumbentes, collecta, tributa, regni supercilium, omnia denique tam ad vitæ vsum necessaria, quàm superflua: quibus reges omnes, qui ante me fuerunt superaui. Et quid post hæc omnia?* Omnia vanitas vanitatum, omnia vanitas, & præsumptio spiritus, *hoc est, inconsideratus quidam animi impetus, & distractio hominis ob veterem fortasse lapsum hac pœna mulctati.* Vides Adamum, in flagitij pœnam pellitum orbi, vt metallo datum? è purissima, scilicet, paradisi vita, vbi non aurum, non argentum, non curiosa supellex, non ea quibus insana hominum libido pretium fecit, sed aurea nuditas, copiosa frugalitas, natura suis ex se nascentibus bonis contenta florebat, in hunc terrarum orbem deuolutum, ad mala illius gaudia, falsáque bona perferenda damnatum. Nec latuit id gentilem Senecam, qui in consolatione ad Polybium cap. 28. hoc terrenarum rerum speciosa, sed fallaci voluptate delectantium supplicium sic disertissimè adstruit: *Si velis credere altius veritatem intuentibus; omnis vita supplicium est.* Reddit rationem, supplicij modum describens. *In hoc profundum, inquietúmque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modò alleuans nos subitis* incre-

ad Ephes. 6. 12. Græc. lect. Theodor. Tertull. Hilarius. Vatabl. Luc. 4. 6. August. Anselm. Maldon. August. Cyprian. S. Thom. Tertull. Genes. 3. 23. & 24. Seneca. Tertull. Nazianz. Eccles. 1. 3. Seneca.

incrementis, modò maioribus damnis deserens, assiduéque iactans, nunquam stabili consistimus loco. Hæc ille, & alia. Vt vel hinc iam mirari desinas, terrena hæc bona quantumuis magna, & splendida, & quæ in vnius tantùm sinum congerantur; humanum tamen animum nunquam explere, nec perfectam illi lætitiam, purámve voluptatem afferre. Quid enim fuerit mirandum? ea quæ in cruciatum à Deo vltore pœnas reposcente data sunt, læta, ac iucunda non esse, nec humanum pectus implere? Audi Ezechielem cap. 7. 19. vbi de argento, & auro, aliísque terrenis bonis in peccato-

Ezech. 7. 19. tum sinus ingestis agens sic ait: *Animam suam non saturabunt, & ventres eorum non implebuntur, quia scandalum iniquitatis eorum factum est.* Sed obserua

LXX. LXX. sic legere extrema verba, *Quia cruciatus iniquitatum illorum fuit*: vt sensus fuerit: Quî fieri possit, vt famem depellat, lætitiámve percipiat iis rebus animus, quæ illi in cruciatum, & pœnam singillatim irrogatæ sunt?

4. Iam non primum patentem modò, sed plures etiam ipsius tam in natura, quàm in peccatis filios, metallo datos ex Salomone accipe: sic nam-

Eccles. 2. 26. que ille Ecclesiastes 2. 26. *Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, vt addat, & congreget.* Quid? diuitias quidem, pretiosam supellectilem, & magnos honores: de his enim omnibus agit Sapiens. Vbi vides, iusto, & virtutibus conspicuo viro, in egregij studij, & probitatis præmium, non opes, aut honores, sed veram sapientiam, & ab ea perfectam, & permanentem animi lætitiam datam: in peccatoris verò sinum terrena bona non parcè, & strictè, sed largiùs effusa, atque irrogata. Sed iam am-

Salonius. bigis cum B. Salonio Vienensi ibi: *Si Deus peccatori homini dedit curam, & sollicitudinem superfluam habere: quid ergo ipse peccat, si curis superfluis, atque sollicitudine rerum temporalium affligitur?* Respondet tamen ipse ex Hieronymo in id loci: *Causa superfluæ curæ, atque malæ sollicitudinis non est in Deo; sed in illo, qui ante sponte sua peccauit; quia peccatis suis exigentibus promeruit, vt haberet curam superfluam, & sollicitudinem: & ideo quod ait.* Peccatori autem dedit curam superfluam: *intelligendum est, suis meritis exigentibus dari permisit, videlicet, quia peccator fuit.* Verissimè: vt hinc videris, quo in loco habeat Deus hæc sæculi bona tanto ardore, & studio concupita: quando ipsa peccatoribus in grauium scelerum vindictam, ac si temporalem illis gehennam irrogaret, iratus immittit. Sed vt singula verba signatissima huic instituto sint, & ideo peculiari obseruatione digna, illa solùm vrgeo, *peccatis suis exigentibus promeruit.* En terrenarum rerum pretium, pœnam, scilicet, peccatorum esse & carnificis, siue gehenæ vices gerere: peccatis nimirum exigentibus, & ad Deum iudicem clamantibus, tanquam iustam retributionem, atque vindictam; temporalia bona peccator promeruit. Ito ergo & magni ea facito, & suspirantibus votis, ac curis exopta, & in illorum ambitionem totus incumbe.

5. Sed do tibi iam, externa hæc bona signatè suspendij pœnam, esse, siue laqueum, qui peccatorum iugulum frangat, audi Paul. 1. ad Timoth.

1. ad Timoth. 6. 9. 6. 9. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum.* Preme illud, *in laqueum diaboli*, siue, vt legit Cyprian.

Cyprian. serm. 6. in orationem Dominicam, *in muscipulam diaboli.* Quòd si inquiras, quisnam hic laqueus diaboli, siue muscipula fuerit? respondebunt alij, superbiam, alij damnationem, alij ipsasmet diuitias, quæ appetuntur. Ego verò cum Dauidis, tum Salomonis vestigiis ac menti adhærens potiùs dixerim, laquei diaboli nomine, cætera sæculi bona, voluptates, delitias, & honores, quæ pecunia adquiri, siue coëmi solent, quæque peccatori, *ipsius peccatis exigentibus* in pœnam dantur, intelligenda esse. Vel audi Vatem regium Psalm. 140.

10. *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Vides simi- Psal. 140. 10.

lia verba? nam quid aliud diaboli retiaculum, nisi laqueus diaboli fuerit? Certè in id loci Hilarius retiaculum laqueum esse ait: iam verò illud voluptates, atque delitias, siue turpia vitiorum incentiua, eodem Hilario egregio interprete, si- Hilarius.

gnificat: pulchrè etenim ipse inter retiaculum, siue laqueum, & scandalum id in primis constituit discrimen, quòd *laqueus sit adhortatio voluptatum, & incentiuum appetitionis inhonestæ, quod modò laquei fallens capit, scandalum verò vxor irreligiosa, filius iniquus, & cætera deinceps domi nomina,* deinde in id retiaculum in priorum peccatorum pœnam impios incidere, ex Psaltis verbis sic statim adstruit. *Cadent autem peccatores; non tunc peccatores, cùm ceciderint effecti, sed cadentes ob id quia peccatores sunt, captioni retiaculi effecti, per id quòd peccatores sunt, opportuni.* Sic ille; ac si coniurans cum Salonio dixerit, *suis meritis exigentibus dari permisit, videlicet, quia peccator fuit.* Audi & Salomonem in libro Sapientiæ de omnibus sæculi bonis, atque blanditiis generaliter monens laqueum diaboli, siue muscipulam, vt legebat Cyprian. esse:

Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium: quæ quidem non modò de æterno animæ discrimine, quod inibi copiosiùs tractato, sed etiam de præsenti animi anxietate, & captiuitate, quæ homini libertatem tollit; & compedes sollicitudinum, & molestiarum injicit, capienda reor ad eum modum, quo præced. adnot. Sapient.

dicebat Senec. epist. 8. *Clamo. Vitate quæcumq; vulgo placent, quæ casus attribuit: ad omne fortuitum bonum suspiciosi pauidique subsistite. Et fera, & piscis spe aliqua oblectante decipitur. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt. Quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest ista viscata beneficia deuitet.* Vides laqueum, siue muscipulam, & insidias, quas sub munerum, & beneficiorum specie, humanæ securitati, & quieti fortuna tendit? Vides pœnam, atque supplicium, quo peccatori, *quia peccator fuit*, acriter Dominus plectit? Audi iam Cyprianum præfata epist. 2. hæc appositè, & eleganter confirmantem. *Non cibus securus, somnúsve contingit: suspirat ille in conuiuio, bibat licèt in gemma; & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma. Nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se ligatum teneri.* scitè id *speciosa supplicia* postmodum obseruandum, sed hoc pulcherrimè dictum, *Nec intelligit miser, &c. Quid enim miserius misero non miserante seipsum* vt dixit alicubi August. Quid infelicius? quàm illatum sibi supplicium non nosse: *Miserum te si hæc intelligis* (dicebat Antonio M. Tull.) *miseriorem si non intelligis.* Meritò quidem præfato in loco Sapientiæ Salomon *muscipulam* signatè *pedibus insipientium* aptauit, cum muribus potius quàm cum aliis animantibus insipiẽtes sæculi amatores componens, quòd mure nihil indocilius, nihil rudius sit. Sic enim Plin. lib. 10. cap. 45. huic interrogationi. *Quæ animalia nihil discant?* respondet: *è volucribus hirundines sunt indociles; è terrestribus mures;* Seneca. Cyprian August. M. Tull.

cum elephanti iussa faciant leones iugum subeant: in mari vituli, totque piscium genera mitescant. At enim pergere vlteriùs non dubitatio, & hosce terrenis rebus addictos, quamuis sapientissimi, & prudentissimi sibi videantur, muribus insipientiores, & stolidiores magno iure dixerim: illi enim in muscipula capti omnibus modis rimam quærunt, vt laqueo se subducant; at hi non modò laqueos suos, & compedes amant; quod insignis stultitiæ esse sic dixit Seneca: *Stulti est, compedes suas, quamuis aureas amare.* Sed illis se plus plus illaqueare, & irretire exoptant: ita ad Pauli verba in quibus sumus, dolenter exclamante Bernardo in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Heu quam paucos inuenimus, qui ab hoc, liberari laqueo exultent: quam multos, qui dolent, quòd parum sibi videntur irretiti, & adhuc quantum possunt, ipsi se inuolnere, & intricare laborant.* Cui sanè rationi innixus, Deum, ne crudelis videretur, excusabat Seneca epist. 22. quòd hæc tam exitialia bona hominibus contulisset, *ab hoc vno excusati quòd ista, quæ vrunt, quæ excruciant, optantibus data sunt.*

Plinius.

Seneca.

6. Sed quî inquis, id censeatur esse supplicium, quod optantibus, & applaudentibus datur? Respondeo ex Cretensium sensu, de quibus refert Valerius Maximus libro 7. cap. 2. iis quos oderant, imprecari solitos, vt noxiis animi affectionibus delectarentur: vnde subjicit, *Modesto voti genere efficacissimum vltionis euentum repererunt. Inutiliter enim aliquid concupiscere, & in eo perseueranter morari, exitio vicina dulcedo est.* Occurrit verò interrogationi directè Seneca libro 2. de beneficiis cap. 14. *Sunt quædam nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare, beneficium est. Æstimabimus itaque vtilitatem potius, quàm voluntatem petentium. Sæpè enim noxia concupiscimus, nec dispicere quam perniciosa sint licet, quia iudicium interpellat affectus: sed cùm subsedit cupiditas, detestamur perniciosos malorum munerum auctores.* Optimè, ac si dixerit cum Cyprian. miseros reos terrenis his rebus addictos præ noxij affectus obscuritate, ac tenebris nō intelligere speciosa se supplicia subire quòd infensum, iratúmque sibi Deum habeant, qui in peccatorum pœnam mala magnifica, siue mala munera tribuerit. Adiungit perbellas, & huic rei opportunas imagines Seneca: *Vt frigidam ægris negamus, & lugentibus, ac sibi iratis ferrum, aut amantibus quidquid contra se vsurus ardor petit: sic ea, quæ nocitura sunt, impensè, ac submissè nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus perseuerabimus non dare.* Et statim: *Exorari in perniciem rogantium, sæua bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, etiam inuitos, nolentésque seruare; ita rogantibus pestifera largiri, blandum, & affabile odium est, &c. Sine illum ira, quò non debebat, impellit; siue ambitionis calor abducit à tutis: non committam, vt possit, quandóque dicere:* Ille amando me occidit. *Sæpè nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota.* Hæc Seneca, Quæ nostro instituto facilè aptes; maximè si & Regium Vatem, & Paulum ob oculos habeas, Deum tunc peccatoribus iratissimum vindicem facientes, cùm ipsos in desideria cordis, & intimas animi affectiones abire, permittit; siue dimittit. Sic enim Dauid Psalm. 80. 12. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi; & dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.* Similiter Apostolus de mundi sapientibus, *qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, ad Romanos 1. 24. *Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum:* vbi si quæras, quid sit in desideria cordis dimitti: respondebo ægris nocituram frigidæ potionem, iratis ferrum, amantibus quidquid contra se vsurus ardor petit, sæua bonitate permittere. Quid enim seuerius? quid durius? Ita quidem Agellius ad id Psalmi, cùm Vatem cum Paulo composuisset; subiicit sapienter: *suis desiderijs traditi sunt; sed malo suo sibi, suæque voluntati permissi, ac pessima libertate donati, suis desiderijs nouo seruitutis genere sunt mancipati, & catenis desideriorum suorum longè miseriore seruitute deuincti.* Sanè in commeritam pœnam, atque supplicium, quod suis peccatis iure optimo debebatur.

Valer. Max.

Seneca.

Seneca.

Psal. 80. 12.

ad Rom. 1. 24.

Agellius.

7. Produco tibi denuò nouos reos hac capitali terrenarum rerum pœna, laqueóque damnatos: Caïnum in primis, & omnium mortalium infelicissimum Iudam proditorem Domini; priori siquidem ob turpissimi, atque immanissimi fratricidij crimen, quam credis fuisse irrogatam pœnam? Necísne? huic certè iam ipsemet quasi ex conuentione, & pro bono pacis sese lubens addicebat; sed enim quòd tantæ impietati dignam in se compensationem morte non referret, ei de industria ereptus est. Sic enim ipse ad Dominum: Genes. 4. 14. *Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Cui Dominus: *Nequaquam ita fiet.* Quale ei ergo infligitur supplicium? *Vagus & profugus* (inquit iudex) *eris super terram.* Quod ipsum sic subjisse refertur: *Egressúsque Cain a facie Domini habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden*: siue, vt lect. Tigurina, & alij reddunt, *ad Orientalem plagam delitiarum:* vbi vides, delitias, & externa bona loco pœnæ, eiúsque pœnæ, quæ mortem superet, esse: nec mirum; Seneca enim auctore epist. 47. experientiáque magistra, *ad rabiem cogunt venire delitiæ*; quippè perpetuæ instabilitatis, timoris, ac sollicitudinis plenæ sunt: vnde pro illis prolatæ sentētiæ, seu inflictæ pœnæ verbis: *Vagus, & profugus eris:* LXX. habent *gemens, & tremens eris*, quod non tam ad externum corporis tremorem, quàm ad internam animi cōsternationem, & fluctuationem, siue circumrotantem turbinem; canem laniantem, feras discerpentes, venenum aspidū ad rabiem, & mortem vrgens: quæ à delitiis & voluptatibus, vt iam vidimus naturali partu oriuntur, placet referre: id sic adnotante Hug. de S. Victor. ad ea verba in allegoriis Gotfrid. Tilman. *Vagus & profugus in terra homo propter peccatum suum a facie Domini proiectus ad intima illius lucē foras venit, eò quòd profundius ad terrena desideria mentem inclinat, quò magis supernorum dulcedinem, quorum iam gustum perdidit, incipit obliuisci; fitq; vagus, & profugus super terram. Vagus, scilicet, per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam.* Hæc ille: quibus adiunge illud Ierem. 31. 22. *Vsque quò delitiis dissolueris filia vaga?* non semel à nobis sub hoc sensu elucidatū: vide ad cap. 2. vers. 7. adnot. 10. nu. 6. Pergit verò Hugo his verbis: *Cor autem hominis, quod prius amori diuino affixum, stabile perstitit, & vnum amando vnam permásit, postquam per desideria terrena defluere cæpit, quasi in tot diuisum est, quot sunt ea, quæ concupiscit. Ecce morbus hominis: cor scilicet, inquietum, & fluctuans. Causa morbi, amor mundi, &c.* Sic Hugo: vbi & illatum Caïno supplicium, & pœnæ rationem, siue seueritatem; cor, scilicet, frustatim discissum, & minutatim laniatum; qui acerbissimus omnium cruciatus est; iam vides. Et verò ad huius supplicij grauitatem non ineptè retuleris cum Pagnino, Oleastro, & aliis, quæ iudici supplicium denuncianti Caïnus sic respondit:

Genes. 4. 14.

Lect. Tigur.

Seneca.

LXX.

Hugo Victor.

Ierem. 31. 22.

Ma

Genes.4.13. *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.*
Hebræa lect. Hi etenim auctores Hebræam vocem עון *auon,* quæ Latinæ *iniquitas* respondet; non tam peccatum, quàm peccati pœnam, & punitionem significare contendunt: vnde Pagninus sic vertit: *Maior est punitio mea, quam vt feram.* similiter Oleaster: *Maior est pœna iniquitatis, quam vt portare possim cum vita*; vt dicere videatur: Mitiùs mecum ageretur, si semel morti traderer, nec in carnificina desideriorum, & voluptatum, furentibus feris & rabidis canibus millies dilaniandus, & frustatim discerpendus darer.

Pagnin.
Oleast.

8. Sed iam ad Iudæ laqueum attende; nec de illo loquor, quo tandem strangulatus periit; sed de auaritiæ laqueo; cui sese paulatim ante innodauit, atque irretiuit: & verò dum PP. disquirunt; cur ei signatè potius quàm alij ex vndecim, loculi, siue marsupium adsumptus familiæ à Christo traditi fuerint? variásque huius rei rationes afferunt, illud videtur opportunius; indigniori, & imbecilliori temporalia, tanquam magis infima, siue minus digna ministeria fuisse commissa, siue etiam vt ei, qui *egrediebatur foras*, Psalm.40.7. hoc est, vt interpretatur de illo Ambros. ad id Psalmi, qui *de doctrina Christi recesserat, & instutiones eius reliquerat*; qui *egrediebatur de fide, egrediebatur de consilio, & numero Apostolorum, egrediebatur de gratia sanctificationis ad laqueum mortis*: post desideria sua abire, & cupiditatis laqueis implicari in pœnam corrupti animi permitteretur. Sed id accipe à Gregor. Magn. lib.15. Moral. cap.7. dilucidè rem hanc pertractante. Etenim cùm primum de Deo iudice dixisset: *Cunctis autem liquet, quòd in illa extrema requisitione examen publicum est facturus omnipotens Deus, vt alios ad tormenta deferat, alios ad participationem regni cœlestis admittat*; subinde notanter subiicit. *Sed hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstratur. Nam iustè, ac misericorditer singulorum corda, vel examinans, vel disponens, alios in exteriora respuit, alios ad ea, quæ sunt intrinsecus, trahit: hos accendit interna appetere; illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare: horum mentem ad superna erigit, illorum per superbiam in infimus desiderys mergit*: vbi obserues velim illa verba, *hoc nunc secreto iudicio quotidie agitur, quod tunc in publico demonstratur* Sed quid *nunc agitur*? quid *tunc* demonstrabitur? Sanè aduerbium *tunc* sic ille exposuerat, *alios ad tormenta deferat.* Cui sententiæ hæc in Gregorio monente, quod nunc agitur, respondet *alios in exteriora respuit*, nec non *illos pro voluptatibus suis deserit exteriora cogitare*; & illud in infimis *desiderys mergit*: vt dicere videatur Gregorius exteriora bona, infima desideria, & voluptates carnis, loco tormentorum futuri iudicij modò esse; quibus nunc secreto iudicio miseri amatores sæculi addicuntur. Iam hæc infelici Iudæ Gregorius sic post nondum aptat, latronem in cruce illi prælatum ostendens: *Occultus autem Iudex præsidens, & vtrorúmq; corda discernens, alterum pie statuit, alterum iustè confregit. Illum districtè exteriùs repulit; hunc introrsus misericorditer traxit.* Benè illud *exterius repulit*: ad externa, scilicet, pecuniæ ministeria in cupiditatis suæ pœnam, vt quod nu.4. ex Salomone dicebamus, *peccatori daret afflictionem, & curam superfluam vt addat & congreget*: hoc est, vt explicabat Salonius: *suis meritis exigentibus dari permisit, videlicet, quia peccator fuit.* En Iudam cupiditatis, & auaritiæ laqueo damnatum; & ab ipso inuisibiliter priùs indesinenter strangulatus, quàm exterioris suspendij pœna miserè periret: pulchrè siquidem Senec.

Psal.40.7.
Ambros.
Greg. Magn.
Salonius.

epist.115. *Nulla auaritia sine pœna est quamuis satis sit ipsa pœnarum. O quantum lachrymarum! ò quantum laborum exigit! Quam misera desideratis! quam misera partis est. Adiice quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quémque discruciant. Maiore tormēto pecunia possidetur, quam quæritur. Quantum damnis ingemiscunt, quæ & magna incidunt, & maiora videntur. Denique vt nihil illis fortuna detrahat; quidquid non acquiritur, damnum est.* Hæc ille Iudæ auaritiæ opportuna. Sed omnino ad rem Iudæ Sanctus Gaudent. Brixiensis serm.13. *de Natali contra auaritiam Iudæ*: vbi cùm dixisset, *Fraudator etiam, quia loculum tenens exportabat ea, quæ mittebantur ad vsus indigentium, sicut Euangelista conqueritur. Auarus quoque quoniam non satiabatur stipendia pauperum quotidie subtrahendo, sed & sepulturæ Christi pretium in propria ardebat lucra conuertere*; subiicit, *prædictorum facinorum conscientia strangulatus, mortem debitam laqueo sibimet intulit preparato.* Hæc Gaudentius.

Seneca.
S.Gaud.

Concludo, si tandem iudicem quendam iniquitatis suomet iudicio dira hac terrenorum pœna damnatum, & punitum ex Chrysostomo; (nec minor tantæ huius historiolæ nouitati testis congruebat;) ob oculos iecero. Is siquidem hom.30. ad populum hæc refert. *Volo quiddam apud antiquos gestum commemorare. Erat quidam locus thesaurum habens absconditum, cùm hoc nesciret dominus, locum alienauit. Qui emerat, cùm perfoderet, vt agrum plantaret, & excoleret, repositum inuenit thesaurum; cúmque venisset ad venditorem, vt thesaurum reciperet, cogebat; locum enim se dicebat emisse; non thesaurum. Vicissim ille respuebat donum, dicens: Locum vendidi; nec vllum in eo ius habeo. In quæstionem venerunt; vnus quidem dare volens, alter vero contendens, ne reciperet.* Audis nouam litem? aliámque omnino ab iis, quibus nostra fora, & tribunalia sunt plena? Rides aurei sæculi mores? veterémque simplicissimorum hominum candorem, & innocentiam? Num tibi stoliditas, fatuitásve id esse videtur? Ego sanè contrà censeo, ac nouos istos litigantes prudentissimos, & optimè sibi consulentes pronunciare, non dubitem: pro me præter Chrysostomum subinde producendum ipsismet Ethnicis iudicibus Seneca & Plinio egregiè fideiubentibus. Quid ni enim vterque, eaque de industria in imis terræ visceribus ardens hominum amator, Deus abdidit; eruere, & suis vsibus accommodere non timeret? *At me hercule* (inquit Seneca lib. de beneficiis, cap.10. *terra, quæ quidquid vtile futurum nobis erat, protulit; ista defodit, & mersit, & vt noxiys rebus, ac malo gentium in medium prodituris toto pondere incubuit.* Sic ille; & ab eo Plinius in proœmio libri 33. *Aurum, & argentum, & propter ista nunquam pacem agens ferrum, quasi malè nobis committeretur, natura abscondit.* Sed & eodem libro paulo antè id de Demetrio Philosopho dixerat Seneca, quod huic liti peropportunum est; eum nimirum illi de molestissimo terrenarum rerum pondere sensum inesse, vt dono ipsi omnia libenter oblata, constanter dubio procul fuisset repudiaturus: *Demetrio* (inquit) *si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere, sub lege certa, ne liceat donare affirmauerim, repudiaturum, dicturúmque: Ego verò me ad istud inextricabile pondus non alligo; nec in altam fæcem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala? quæ nec daturus quidem acciperem, quoniam multa video, quæ me donare non deceat.* Non ergo omnino imprudens, præfata lis, siue contentio fuerit,

9.
Chrysost.
Seneca.
Plinius.
Seneca.

rit, dum molestissimam sarcinam, & valdè periculosam supellectilem, alter in alterum reiicere volebat. Sed quis extitit rei exitus? Delata quidem ad arbitrum lis, atque contentio est, qui iudicandi munere non sine risu accepto, eum componendi litem excogitauit modum, quo vtrumque absolueret litigatorem, eorúmque animos sedaret; sibimet, videlicet, thesaurum de quo lis erat, adiudicans: *Dixit enim* (ait Chrysostomus,) *se quæstionem soluturum, & se possessorem futurum.* Nec ab hoc iudicandi modo pletique iudices, nisi ego atrociter erro, hodierna tempestate longius abirent. At enim verò atrociùs, & immaniùs ipsos erraturos, rei illius exitus demonstrauit. Nec enim suffragium pro se, vt ipse credidit, sed diram in suam salutem sententiam auarus iudex retorsit: subiicit namque Chrysost. *Cùmque sponte concessissent* (litigatores) *innumera postmodum mala sustinuit; & quod meritò ab eo illi discessissent, ipsa re didicit.* Sic Chrysostom. Exclamo cum Zenone adnotatione præcedenti adducto: *Benè. Benè: cum quis quærit aurum, inuenit gladium*, & quod inibi dicebat Anselmus rursus aduoco. *Multi propter suas diuitias quæsiti, & comprehensi, atque cruciati, vel interfecti sunt.*

Chrysost. | S. Zeno M. | Anselm.

Adnotatio VIII.

Temporalia bona, virtuti impedimentum, & æternum sæpè sæpius animæ detrimentum afferre.

1\. Vibrat adhuc in hac auribus meis illud Vlpiani Iurisconsulti responsum olim meditatum, & vt sonat acceptum in lege, *multi non notæ c. de liberis, & posthumis*; maiori verò instituto nunc aptandum: *Multi non nota causa exhæredant filios, nec vt illis obsint, sed vt eis consulant; vtputa impuberibus, eisque fideicommissam hæreditatem dant.* Id etenim occasione huius sententiæ Pauli, qua terrena omnia pro damnis ducit, & animæ detrimentum censet, ad externa hæc bona, siue temporalem sæculi hæreditatem opportunissimè transferas; quasi filios suos *non nota causa*, nec quod illis infensus obesse velit; immò verò quòd æternæ ipsorum saluti maximè consulat; sæpe sæpiùs Deus exhæredet, & terrenam substantiam, quàm parcissimè impertiat. Nimirum si verum excutias, copiosa sæcularium bonorum hæreditas, sæpiùs tanquam damnum, seu detrimentum plus obesse ad æternam vitam obtinendam, quàm prodesse solent. Quo quidem benè aduoces, quod adnotat. præced. de Deo in eum, qui à recto iustitiæ tramite deflectit, maximè irato dicebat Ezech. 3. 20. *Ponam coram eo offendiculum*, siue *ruinam*, vel *infirmitatem*: hoc est, *prosperari eum faciam in omnibus vijs suis in hoc sæculo:* non obscurè adstruens, humanam prosperitatem, & temporalium bonorum affluentia non mediocre virtuti impedimentum afferre, atque animæ laquei loco, atque ruinæ esse. Quod nec Gentilem Senecam latuit, epist. 87. dicentem. *Hic itaque conticescam quantum ad ista, quæ sine dubio talia diuitiauit futura, qualia nunc sunt, qui primus appellauit impedimenta.* Ita ille. Cui cogitationi omnino congruit, quod de Domino cœlestia, ac terrena dona suis diuidente, ac dispertiente, inquit Isaias c. 40. 12. *Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Verùm obserua hæc verba apud LXX. sic legi: *Quis mensus est manu aquam? & cœlum palmo, & omnem terram pugillo*; siue vt expressiùs habet Ambros. serm. 7. in Psalm. 118. *& vniuersam terram clausa manu:* vbi quàm alia cœlestium, siue spiritualium bonorum, à terrenorum mensura fit, facilè vides: nimirum Deus *cœlum palmo* aperta, scilicet, & extenta, ac distortis præ extensione digitis, ac neruis dextra; terram verò *pugillo*, siue *clausa*. & constricta *manu*; hoc est, temporalium rerum mediocritatem; immò verò paruitatem, &, vt sic dixerim, *minimum quod sic* suis impertitur, quòd hæc plurimum ad virtutem impedimenti afferre soleant. Ergo vt plus cœli liberaliter conferat, minus terræ misericorditer tribuit. Vnde Minutius Felix egregius Christianæ disciplinæ aduersùs Ethnicorum calumnias defensor, iis qui Christianis sæcularium bonorum inopiam exprobrabant, sic sapienter obuiam ibat in Octauio. *Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus noster, vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur.* Contraria quidem dæmoni mensurandi ratio, qui terram palmo, & extenta manu largitur, vt cœlum auferat, sic eius ingenium commonstrante Chrysost. hom. 14. in epist. ad Rom. *Ad præsentia inhiamus; nec diaboli astum intelligimus, qui per parua magnis nos priuat; qui largitur lutum, vt aurum rapiat, atque adeò vt cœlum eripiat, qui vmbram obiectat, vt a veritate deturbet qui in somnijs illudit (hoc enim sunt mundi diuitiæ) vt cùm dies illuxerit, omnium pauperrimos ostendat.* Sic Chrysost.

Ezech. 3. 20. | Seneca. | Isai. 40. 12. | LXX. | Ambros. | Minut. | Chrysost.

2\. Ita quidem videris in oratione Dominica, cùm de corporis subsidiis, atque iis omnibus, quæ vitæ humanæ pernecessaria sunt, à Deo petendis, à Domino monemur (si tamen ibi de pane corporali, vt explicat August. Basil. Chrysost. Auctor Imperf. Greg. Nyssen. & Theodot. apud Maldo nat. sermo est, de quo nos alibi) hæc omnia non alio quàm quotidiani panis nomine, ad hodiernum tantùm diem accipiendi notanter significari hoc modo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* Luc. 11. 3. ac si dicant, qui rectè orare nouerunt, de iis quę ad corpus spectant, quàm minimum sufficit; non splendida, non superuacanea, non delicata, non quæ in futurum spectant, sed parua quæque, exigua, dura, & quæ sustendandæ imbecillitati satis sint, petimus: *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus*, 1. ad Timot. 6. 8. nam quod amplius est, à malo est: sic ferè ad ea verba apud Matthæum Maldonatus, iis qui hanc expositionem explodunt, quasi indecēs videatur terrena ex Christi monitis à Deo petere, ad hunc modum occurrens. *Cum panem docet petere, non tam corporis, quàm animæ curam habet. Excindit enim maximum & vehementissimū affectum, ex quo maior peccatorum pars proficiscitur; & vt dicam breuiter, hac petitione docet ne peccata fiant; sequente quomodo facta remittantur.* Hęc ille. Optimè quidē omnia, & ad gustum S. Isidori Pelusiotæ lib. 2. epist. 281. nam cùm ipse hūc panem ad spiritualia dona retulisset, pręfatæ subinde expositioni de corporali pane modicè, & parcè sumēdo sese attemperans inquit: *Atq; vt etiam de quotidiano pane, qui ad tuendum & conseruandum corpus accommodus est, dictum esse demus; ipse quoque si modum spectes, spiritualis efficitur.* Scitè. Illud verò in Maldonato omnino ad rem: *hac petitione docet ne peccata fiant.* Quia videlicet nisi certi, ac breues temporalibus rebus limites ponantur, periculosum per illas iter, & ruinæ obnoxium instituitur.

August. | Basil. | Chrysost. | Auct. op. imperf. | Nyssen. | Theodor. | Luc. 11. 3. | 1. ad Timoth. 6. 8. | Maldon. | S. Isidor. Pelusiot.

Quem

Philo. *Quemadmodum enim* (Philo lib. de Abraham) *qui per lubricum incedunt, passim labuntur, fallente vestigio; ita qui per corporis, & externa bona ducunt animum, sæpius cadere, necesse est; quippè cum sint decliuia, ac lubrica.* Sic Philo. Ad quem sanè modum spiritualia à terrenis sic discriminabat Ambros. epist. 6. vt illa petere, ascendere, hæc appetere, descendere, immò cadere sit: *Sit gressus* (inquit) *ad superiora: quia melius est, ascendere, quam descendere: Denique sicut scriptum est, qui descendit in Ægyptum, cadit.* Ambros.

3. Enim verò id adeò verum dixeris, vt non incongruè etiam huic Dominicæ petitioni sic explicatæ, sequentem, qua debita nostra, hoc est, animæ lapsus, & crimina à Deo nobis donari petimus sic aptaueris, atque coniunxeris, quasi ismet quotidianus panis parcè, & de manu Domini acceptus non sine metu, & tremore edendus nobis fuerit, ne ipsi plus iusto addicti, atque saturati, tanquam pingues victimæ gladio destinemur. Id sic ad ea verba, *dimitte nobis peccata nostra*; acutè pensitante Tertulliano libro de oratione Dominica, cap. 7. *Consequens erat, vt obseruata Dei liberalitate etiam clementiam eius precaremur; Quid enim alimenta proderunt? si illis reputamur re vera quasi taurus ad victimam.* Et quidem rectè; Quid enim procliuius, quàm debitos temporalibus bonis, honoribus, supellectili, & alimentis sumendis præscriptos à Domino fines, vel re ipsa, vel affectu, & voto transilire; maximè cùm, auctore Chrysostomo homil. 22. in epist. ad Ephesios terrenis rebus diabolus sese inserere, ac immiscere soleat, vt illis tanquam ansis ad pertrahendum ad se hominem vtatur: sic namque ille, *Quænam est ergo præclara victoria? ex superabundantia eum conculcare, vt faciebat Paulus, res præsentes nihil esse existimans. Nos quoque eum imitemur, & studium ponamus, vt simus superiores, & nullam ei demus ansam, qua nos apprehendant. Diuitiæ dant ei ansam, pecunia, inanis gloria; & sæpè quidem eum erigunt, sæpè autem eum ferum reddunt, & immanem.* Sic Chrysostomus. Luc. 11. 4. Tertull. Chrysost.

4. Firmat hæc notissima de diuite epulone, & mendico Lazaro historia apud Lucam 16. 10. Ad quam si in ipso limine offendas, ambigens cur in tanta mali diuitis abundantia, splendido apparatu, & pompa, lautissimis epulis, pretioso vestitu, iusto viro, & egregiè Dei amico tam curta, siue angusta supellex in hac vita obtigerit, vt cuperet, *saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis*, vers. 21. Itáne? (inquis) salua diuina prouidentia, homo malus tam splendidus; vir iustus tam miserabilis extiterit? facilis, & ad manum ex superiùs dictis responsio est: eam mensuræ Dei conditionem, ac legem esse, vt suis cœlum palmo, terram clausa manu dimetiatur; & qui lautissimam illis mensam in cœlis præparat, hic nonnisi micas, quæ inter clausæ manus digitos præterlabuntur, dimittat; siue potiùs ideo terram, siue micas clausa manu illis impertiri, vt cœlum postea palmo mensuret, & regiæ mensæ accumbere faciat. Quod si denuo huiuscemodi partitionis, siue distributionis, tam seueræque educationis rationem exposcas, quasi Dei amici tam in hoc sæculo, quàm in futuro splendida vita maximè deceat, quin solis micis vesci opus sit: rursus tibi ex præfata panis quotidiani petitione respondebo, vtiliora & opportuniora saluti frusta, siue micas, quàm integrum panem esse: quòd *animus vt luxu soluitur* (vti dicebat Minutius Felix) *ita frugalitate firmatur*; ac proinde cùm Deus clausa manu terrena suis bona diuidit, non misericordem tantummodo, sed iustum sese illis exhibere, cùm in ipsorum rectitudinis præmium virtutis impedimenta ab ipsis remoueat. Id quod egregiis hisce verbis docuit Dionysius Areopagita libro de diuinis nominibus, cap. 8. *Vt verum dixerim, hoc magis est iustitiæ proprium, nequaquam emollire, atque eneruare optimorum quorumque masculum sensum largitione carnalium, sed illos in præclaro, inflexibilique statu solidare; eisque cùm sint eiusmodi secundum merita reddere.* Sic Dionysius: vbi pende primùm egregia illa verba, *emollire, atque eneruare masculum sensum*: quibus sæcularium bonorum natura optimè explicatur, nimirum robustum, virilem, & ad superiora adnitentem animum delinire, infringere, & è masculo muliebrem reddere. Sic disertissimè Seneca lib. de Prouidentia, cap. 4. *Fugite delitias, fugite eneruantem felicitatem, qua animi permadescunt; nisi aliquid interuenit, quòd humanæ sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti.* Benè *eneruantem felicitatem*; benè *animi permadescunt*: sicuti etiam de Amore dixit Comicus in Mostellaria, *Is vsque in pectus permanauit, permadefecit cor meum*: quòd quemadmodum dura humore soluuntur, aut remittunt: ita masculus, & fortis animus externis his bonis madidus, iners, fluxus & nullius frugi reddatur: sic rursus de Mecænate illo excelsi animi, alti, ac limati ingenij viro; secunda fortuna eneruatum, discinctúmque redditum dixit Seneca epist. 19. *Ingeniosus vir ille fuit, magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, nisi illum eneruasset felicitas, immò castrasset*; & epist. 92. *Habuit grande, & virile ingenium, nisi illud ipse discinxisset*: siue vt Codex Grutteri habet, *secunda discinxissent*. Deinde in verbis Dionysij preme illa, *magis est iustitiæ proprium*; quæ à contrario eorum, qui à recto virtutis tramite recedunt, euentu magis perspicua redduntur: nimirum, vt adnotat. præced. num. 1. vidimus, Deus iis, qui à iustitia recedunt, infensus, positurum coram eis offendiculum, hoc est, terrena bona, florentémque fortunam in prauitatis ipsorum pœnam minatur, Ezech. 3. 20. Sed enim ibi pro *offendiculum* Theodozion legebat *infirmitatem*: quasi temporalia bona fluxum, & infirmum animum antea fortem, & constantem faciant; & hoc quidem homini à Deo iusto & irato in pœnam prouenire. Minut. Fel. Dionys. Areopag. Seneca. Plautus. Seneca. Ezech. 3. 20. Theodoz.

Illud verò in præfata de infelice diuite, & beato paupere historia opportuniùs ambigas; qua ratione? quibúsve de causis alter cœlesti beatitudini, alter æternis flammis fuerit addictus? Quænam, rogo, de paupere recensentur virtutes? Similiter, quæ de diuite referuntur vitia? num latio, adulter, sicariúsve dicitur? Quid ergo dignum morte, eáque æterna, nisi diuitem extitisse de eo asseritur? Quid eximium de paupere, nisi pauperem fuisse prædicatur? Respondemus, ita quidem rem se habere, nec aliud singillatim de diuite dici, nisi diuitem, & delitiosum fuisse, qui splendidè epularetur, & delicatè vestiretur; vt de paupere nonnisi paupertate grauatum: at enim iuxta præfatam Minutij regulam, *Animus vt luxu soluitur; ita frugalitate firmatur*: ex his ignis, & plura diuitis vitia, & egregiæ pauperis virtutis indicari: etenim in hoc periculoso, perpetuóque certamine, in quo *aduersarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, 1. Petr. 5. 8. id est, omni modo, omníque telorum genere tanquam obsessam 5. Minut. 1. Pet. 5. 8.

cessam vrbem oppugnare, & expugnare conatur; diuitem tanquam ciuitatem absque muris omnibus criminum telis peruium, & vulnerabilem se præbuisse: contrà pauperem cunctis aduersarij machinis impenetrabilem extitisse, & iure, & bonis fideiussoribus datis dixeris: sic namque Chrysostom. hom. 13. in Acta, *Diues nihil aliud esse videtur, quam ciuitas quædam absque muris in agro sita*: hoc est, omnibus aduersarij machinis, & telis exposita. Cui cogitationi mirè consonat S.P.N. Ignatius in sua nobis regula præscribens: *Paupertas vt murus religionis firmus diligenda, & in sua puritate conseruanda est quantum diuina gratia aspirante fieri poterit.* Sic ille part. 6. const. cap. 2. Benè *firmus murus*; qui inimici tela, ictúsq; repellat: qui enim diaboli iaculis pauperis animus è terra suspensus, & cœlestibus diuitiis inhærés vulneretur? Sed ad rem audi Hilarium in Psal. 122. fine, pro diuite iustissimè damnato, & Lazaro mendico in cœlum asserto, sic sapientissimè causam dicenté: *Testis nobis est, & pauper in Abrahæ sinu quiescens, & diues perustus in pœna. Ille enim in aggestu fimi ante diuitis ianuam fame tabidus, vlcerum sanie defluens sederat, canibus vulnera dissoluta lingentibus. Sed hæc erat militia corporis, hæc aduersum sæculum pugna; interiùs tamen anima eius per fidem inuulnerabilis, & ad omne telum voluptatis, ac vitia inuia, & idcircò ab Angelis post carnis dissolutionem beata in sinum Abrahæ fertur.* Sic de paupere, Hilar. pergit, contrariam diuitis viam insistens: *ille verò, cui omnis erat vestitus in purpura, cui totius ciuitatis nobilitas graui dominatu subdita famulabatur, cui aëris, terræ, maris copia in vsum conuiuij congerebatur; vni ventri, eius officijs elementorum omnium seruientibus, qui huic pauperi ianuam clauserat, micas de mensa excidentes negauerat, tanquam contumeliam suam occursum eius exprobrauerat: excedens hoc malè vsu erat corpore, impenetrabili à sanctis chao separatur, omni pœnarum ministerio excipitur, dolet, vexatur, amburitur, &c.* Hæc Hilarius, quibus nihil aptius, nihil magis appositè potuit dici: obserua illud, *Hæc erat militia corporis*: & illud *inuulnerabilis, & ad omne telum voluptatis ac vitia in via*; quibus æquè pauperem ornauit, & diuitem onerauit: nam vt hic ad spiritualis militiæ leges, & aduersùs diaboli tela paupertate, & rerum omnium indigentia egregiè compositus, ita ille diuitiarum, & delitiarum copia non modò inermis, atque discinctus; sed animo eneruatus, & madefactus, & velut perpetua ebrietate sopitus ad omne voluptatis, ac vitiorum telum peruius, & penetrabilis erat. A quo quidem nec latum vnguem deflexisse videtur ille, qui dixit:

Prima peregrinos obscena pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles: quid enim Venus ebria curat?

6. Hinc quidem Magister vitæ beatitudinis viam à diuitiarum contemptu, & renunciatione exorsus est; primo in loco ponens, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, Matth. 5. 3. Lucæ 6. 20. Quasi hic primus conscendendæ scalæ gradus, nimirum eodem Domino monitore: *Non potestis Deo seruire, & mammonæ*, Matth. 6. 24. ita ad ea verba Ambros. lib. 5. in Lucam: *nec potest quisquam meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus emergendi non habet facultatem.* Et S. Cromatius *de octo beatitudinibus*, in prooemio: *Non fit mare tranquillum, nisi materiam incendij, spinarúmque sarmenta detraxeris: sic nec animus erit mitis, & quietus, nisi ea quæ exuscitant, & inflammant, fuerint abdicata.* Sic ille. Vnde quidem aduersùs diuites, vel ex eo solùm, quòd diuites sint; sic intonat apud Lucam paulò pòst idemmet Dominus: *Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis*, Luc. 6. 24. Sed quare? Audi rursus Ambros. lib. 2. officiorum, cap. 5. *Sed & illa, quæ videntur bona, diuitias, satietatem, lætitiam expertem doloris detrimento esse ad fructum beatitudinis Dominico declaratum iudicio liquet, cùm dicitur:* Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis, & illis qui rident, quia lugebunt. *Sic ergo adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis, aut externa bona: sed etiam dispendio sunt.* Ita ille. Huic porrò rationi adeò confidebat, & innitebatur S. Xistus lib. *de diuitijs*, vt eos, qui terrenis facultatibus plus æquo addicti, ne ipsas iuxta Christi monitum ipso in limine Christianæ professionis relinquerent, hanc excusationem obtendebant: *Præceptorum prius genera implenda sunt, & ab omnium iniquitatum, flagitiorúmque inquinamentis animus expurgandus, & sic diuitiarum substantia distrahenda*; eo modo occurrerit, vt non dubitauerit affirmare, eam argumentationem æquè in peccatorum, ac in diuitiarum defensionem adinuentam, & formatam fuisse quòd hæc ab illis vix diuelli queant, cùm virtutibus, & legi Dei adimplendæ nō leue negotium facessant. Sic enim ille: *O argumentum tam pro diuitijs, quàm pro peccatis pariter inuentum. Nam cùm dicatur tum demum vnicuique spernendas esse diuitias, cùm omnia præceptorum mandata seruauerit; & perdifficile sit, diuitem vniuersa legis iussa complere, ita fiet, vt nec mandatorum plenitudinem diuitiarum necessitatibus, curisque arcentibus impleat; & dum quod est difficillimum expectat, nec diuitias aliquando contemnat.* Sic Xistus. Auget censum Saluianus lib. 2. ad Ecclesiam; nec contentus existimasse affines peccatis esse diuitias, illa quasi germanum, & naturalem ipsarum partum sic efficit. *Præsertim cùm in diuitijs, quæ per se sufficiunt ad reatum, secundum illud Domini dictum:* Væ vobis diuites: *etiam alia ipsi diuiti peccatorum genera non desint, quæ in ipso diuitiarum sinu, atque matrice quasi naturali quodam fomite pullularint.* Hæc Saluianus. Quæ non perinde fuerint accipienda, quasi diuitiæ ex se ipsis malæ, & peccatis obnoxiæ fuerint; sed quòd, vt dicebat Ambros. sic adminiculo ad virtutem non sunt, vt etiam dispendio sint, siue quòd ipsarum amor, atque cupiditas velut sinus, & matrix censeatur, à quo plura peccata prouenire soleant, iuxta illud Apostoli: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.*

Hinc arcano sermone Dominus Genes. 1. 9. 7.
dicebat: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida*; quæ postea sic ipsemet explicuit Luc. 12. 35. *Sint lumbi vestri præcincti.* Quid enim aliud fuerit inferiores aquas in vnum, & definitum locum congregari, quàm discipulorum Christi lumbos altè præcingi? siue animum sese à temporalium rerum amore continere? Certè cùm de aquis superioribus óptimè disserens, Hugo Victorinus ad ea Genesis verba in allegoriis Gotfridi Tilmani dixisset. *Hoc mirum videtur, quòd aquæ, quæ sub cœlo sunt, congregantur in loco vno, & illæ, quæ sunt super cœlum, non congregantur, sed relinquuntur diffusa, atque expansæ, quasi quæ coarctari nolint, vel colligi.* Quid

ad Rom. 5.5. *Quid putas hoc sibi vult? nisi quòd* charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis? *Et istæ sunt supercœlestes aquæ. Quia* adhuc, *inquit Apostolus*, excellentiorem viam vobis demonstro, 1. ad Corinth. 12. 31. (1. ad Cor. 12. 31.) *Iam videmus, quare aquæ istæ non debuerunt colligi, & in vnum coarctari; quoniam charitas amplificanda est semper, & dilatanda*: de aquis inferioribus hæc opportunè subiicit. *Quæ autem sunt sub cœlo, congregandæ sunt, & constringendæ in locum vnum, quoniam affectus animæ inferior, nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere*: hoc est, si per terrena bona affectus diffluant, siue superfluant; animæ terra, siue hortus paulatim arefieri, atque etiam syluescere necesse est. Adstipulatur huic cogitationi, immò eam perficit Bernard. serm. 32. ex paruis, dum locum in quem hæ aquæ constringendæ sunt, sic designat, atque definit, vt certos illi vndique terminos assignet, strictisque limitibus circumscribat.
Bernard. Sic etenim ibi: *Vsque hodie in ciuibus Babylonis aquarum effusio, id est, confusio cogitationum terram facit inanem, & vacuam. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio vniuersa, nullum ex ea sperare est, fructum salutis. Diuidantur ergo aquæ ab aquis, quatenus anima quoque, vt dignum est, partem sibi vendicet solicitudinis, & meditationis. Sanè inferiores certis limitibus coërceantur, certis contineantur alueis, necessitatis terminos non excedant, proinde superiores copiosiùs dilatentur.* Sic Bernard. Iam Christi monitum de lumbis præcingendis, Augustino, & Tertulliano interpretibus, id omnino sonat; nam præcingi iubemur, inquit Augustinus lib. 2. qq.
August. Euangel. cap. 25. *Propter continentiam ab amore rerum sæcularium.* Similiter Tertullianus lib. 4.
Tertul. contra Marc. cap. 29. *Succingere debemus lumbos: id est, expeditì esse ab impedimentis laciniosæ vitæ, & implicitæ.* Optimè; quòd terrenarum rerum possessio ad instar tunicæ longæ, quæ ambulantis pedes implicat, & offendiculo est, virtutem impediat, animúmque ad peccata illiciat. Qua de re
S. Nilus. sic scitè loquutus est S. Nilus in Ascetico: *Vt enim tunica corporis quadrans magnitudini vtilitatem affert, & ornamentum: quæ autem vndique circumfluit, & pedibus implicatur, & humi trahitur, præterquam quod turpis est, agenti est impedimento, sic possessio, corporis necessitate maior, & ad virtutem tendentes impedit, & valde vituperatur ab ijs, qui naturam hominis rectè metiuntur.* Ita Nilus.

8. Erat quidem Israëlitica plebs Deo dilecta, quòd egregiis ipsi placeret moribus; eaque de causa insignibus ab ipso beneficiis cohonestata
Deut. 32. 3. est: sic namque Moyses Deuteron. 32. 13. *Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, & sugeret mel de petra, oleúmque de saxo durissimo: butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, &c.* quibus verbis enucleatiùs reponit Chaldæus Para-
Chald. phrastes. *Collocauit eos super fortitudinem terræ, cibauit eos præda inimicorum suorum, & dedit eis prædam potentium vrbium, & substantias habitantium in ciuitatibus fortissimis. Dedit eis prædam regum ipsarum, & dominatorum, earum cum diuitijs principum eorum, & possessionis eorum, cum præda exercitus eorum, & castrorum eorum.* At, quæ (malum) terrenarum, & prædiuitis supellectilis natura est, hac temporalium bonorum copia, dilectus, Deóque gratus populus ab excelso sanctitatis culmine in id perfidæ ingratitudinis barathrum corruit, vt aduersùs Deum insurrexerit, atque arma sumpserit: sic namque statim Propheta, *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum [illegible], & recessit à Deo salutari suo.* Quæ idemmet Chaldæus sic expressit: *Et diues factus est Israel, & recalcitrauit, properatúsque & confortatus possedit substantiam, & reliquit cultum Dei.* Chald. Ad quæ verba facilè obserues, quàm sint affinia diuitiis, & opulentiæ peccata; vt veluti naturali consecutione *incrassatus*, siue *diues* recalcitrasse dicatur, non secus ac equus nimis benè, & abundè pastus, nec labori assuetus ferus euadit, & recalcitrare discit. *Mentior* (inquit Tertullianus lib. de ieiuniis) *si non Dominus obliuionem sui exprobrans Israeli causam plenitudini deputat: incrassatus est dilectus, & pinguefactus.* Tertull. Sed enim in verbis *incrassatus*, & *impinguatus*, eam diuitiarum, & rerum sæculi conditionem obserues, quòd mentem obscurent, & animo nebulas, siue tenebras offundant. Vnde statim Tertullianus adspiciens ad illud Isaiæ 6. 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius* Isa. 6. 10.
claude: vbi LXX. habent, *Incrassatum est cor populi huius, & auribus suis grauiter audierunt, & oculos* LXX.
suos compresserunt. Sic disertissimè ait: *Per illas scilicet* (diuitias) *incrassatum erat cor populi, ne oculos videret, & auribus audiret, & corde conijceret.* Ab hac verò animi, & mentis obscuratione, quæ mala, quæ noxiæ affectiones, quæ peccatorum lues non proueniat? Audi Dauidem de hominibus sæculo addictis, & secunda fortuna vtentibus Psalm. 72. 7. dicentem: *Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis*: siue, vt ex Hebræo alij legunt, *in picturas cordis*; in depicta, scilicet, & somniata bona, siue in vera, eáque exitiosissima mala: sed enim ibi pro hisce tenebris à corde diuitiis incrassato prouenientibus egregia est Forsteri ex Hebræo translatio, quæ habet, *egressus est præ pinguedine oculus eorum*: à quo non abit lectio Hieronym. *processerunt a pinguedine oculi eorum* vt sensus sit, rerum temporalium copia mentem, atque rationem adeò obscurari; vt Dei timore posthabito in turpissimas cordis affectiones homines currant. At enim Vulgatus compendio vsus ipsimet sæcularium bonorum adipi iniquitatem attribuit, quasi naturalis ipsius partus sit. (Psalm. 72. 7. — Hebr. lect. — Forster. — Hieron.)

Hinc notanter de rerum temporalium splendore, & pompa Salomon Sapient. 4. 12. ait: *Fascinatio nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia*: vbi appositè nugacibus, ac falsis hisce bonis tribuit oculos fascinantes, qui verum animi sensum ludificent, incantent, atque euertant; *ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*, Isaiæ 5. 20. vt pulchritudine virtutis, cælestiúmque rerum obscurata in picturas, siue imaginationes, aut phantasias cordis, noxias videlicet affectiones, atque peccata homines antea probi, & *sine malitia*, temerarij ruant. Quò sanè videtur adspexisse Venerabilis Drogo serm. de Dominicæ Passionis Sacramento de graui animæ discrimine, quod rebus terrenis inest, sic cum Deo agens. *Quam citò clauditur oculus, ne te videat; collabitur pes noster in hoc mare magnū, & spatiosum manibus; vbi sunt reptilia, quorum non est numerus quæ somniorum suorum phātasijs intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris; inde non facilis ad superiora reditus.* Benè: *Quam citò clauditur oculus, collabitur pes*: quia egresso præ pinguedine oculo transitur in affectum cordis. Sed ò rem miserrimam, omninóque miserandam! somniorum phantasiis fascinari, & vera bona cum falsis, & exitialibus commutare. Clamet ergo iure 9. Sap. 4. 12. Isa. 5. 20. Drogo.

Ad Gal. 3. 1. Paulus ad Galat. 3. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati; ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus:* siue, vt doctè legunt, atque explicant nonnulli *Erasm.* cum Erasmo. *Quis vos incantauit, & oculis aspectu malefico veluti præstigio imposuit, vt quod coram cernatis, non videatis, & quod non est, id vos videre putetis?* Occurratque Apostolo Salomon ad nugacitatem mundi bona id omnino referens: ea enim virtutis splendorem obscurant, & fascino ludificante hominum sensus euertunt, & in peccata infeliciter pertrahunt. Accinit, quod de fascino ab Scriptoribus frequenter traditur; in eo nimirum illius malignitatem signatè elucere, quod fascinati collum in terram deprimat, atque deiiciat. Quòd si huius typum videre velis, audi quid de muliere spiritum infirmitatis habente dixerit Lu*Luc. 13. 11.* cas cap. 13. 11. *Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere:* à terrenis, videlicet, rebus fascinata, & in peccatorum infima depressa. Ita Ambrosius lib. 2. Hexaëmer. cap. 3. vbi *Ambros.* cùm dixisset: *Nihil enim mentem magis onerat, quam istius mundi solicitudo, & cupiditas, vel pecuniæ, vel potentiæ.* subiicit: *Quod tibi demonstratur in Euangelio, cùm legis, quia illa mulier quæ habebat spiritum infirmitatis, inclinata erat, ut sursum respicere non posset. Curuata enim erat anima eius, quæ inclinabatur ad terrena compendia, & cœlestem gratiam non videbat.* Sic Ambrosius. Certè de auro in hanc *Chrysolog.* rem sic philosophatur Chrysologus serm. 27. *Nascitur in terra profunda, sectatur ipsa montium fundamenta, pérque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit naturam, cœlestes animos ad inferna deponit; obscurat sensus semper, alta mentium in terra demergit.* Hæc Chrysolog.

10\. Iam si à typo, & vmbra, ad res, siue ad personas venire malis, cogita mulieres propriæ, & na*Baruch 6. 8.* tiuæ *infirmitatis spiritum* habentes; amantes, scilicet, *ornamenta sua*, Baruch 6. 8. & illorum pondere oneratas, atque curuatas, vti eleganter de*Ambros.* scribebat Ambrosius adnotat. 6. adductus, num. 5. ad fin. & de externo corporis habitu interiorem animi curuationem, & in peccata propensionem non omnino abs re elicies. Equidem cùm Tertullian. lib. de habitu muliebri cap. 2. muliebria ornamenta, & fucatæ pulchritudinis artes à malis, & desertoribus Angelis aduenta, & prouulgata sic *Tertul.* adstruxisset. *Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes plerasque non bene reuelatas sæculo multo magis imperito prodidissent (si quidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires prouulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationem designauerant) propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt; lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia artantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, & illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur,* hæc omnia fœminis non nisi ad animarum perniciem à dæmonibus impiis muneratoribus donata fuisse; ex ipsorum natura, & ingenio sic optimè infert. *Hæc qualia sint, interim iam ex Doctorum suorum qualitate, & conditione pronunciari potest, quòd nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei, desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare.* Concludit: *Si doctrinæ dicendæ sint; mali Magistri malè docuerint, necesse est.* Pulchrè: nam hic maximè illud aduoces,

——Timeo Danaos, & dona ferentes. *Virg. 2. Æn.*

quid enim dæmones nisi ea, quæ ad peccatum alliciunt, donare velint? quid nisi technas, fraudes, laqueos, atque viscata beneficia diri, & perfidi hostes hominibus obiiciant? *Mihi latronis* (ait Sidonius Apollinaris lib. 5. epistol. 13.) *& beneficia suspecta sunt.* *Sidonius.* Subiicit statim opportunè Tertullianus (quamuis importunus in errore; *Tertul.* qui plures è veteribus occupauit eos, qui Genes. 6. 4. dicuntur *filij Dei*, qui *filias hominum* *Genes. 6. 4.* adamarunt, fuisse veros Angelos, qui ea de causa ceciderint, & damnati sunt.) *Enim verò, qui vtique interdum cogitabant; vnde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta cælum suspirabant; illud ipsum bonum naturalis decoris, vt causam mali sic remunerauerunt, ne eis profuisset felicitas sua, sed vt deuecta de simplicitate, & sinceritate, vnà cum ipsis in offensam Dei peruenerint. Certi erant, omnem, & gloriam, & ambitionem, & affectionem per carnem placendi, Deo displicere.* Vides hæc dæmonis dona has adscitij decoris, & additi splendoris artes, hæc tam pulchra, & pretiosa ornamenta, mundi pompam, gloriam, ambitionem acerbissimi hostis insidias, & insani pectoris ad vindictam anhelantis vota esse; vt ea illecebra simplices, & sinceras animas à cœlesti conuersatione in Dei offensam, æternámque damnationem pertrahat. Pergit igitur salubriter monens Tertullian. *Hi sunt nempè Angeli, quos iudicaturi sumus:* *Tertull.* *hi sunt Angeli quibus in lauacro renunciamus, hæc sunt vtique per quæ ab homine iudicari meruerunt. Quid ergo faciunt apud iudices suos res reorum? Quod est commercium damnaturis cum damnandis? Opinor, quod Christo, & Beliæ. Qua constantia tribunal illud ascendemus, decreturi aduersus eos, quorum munere appetimus? Et postmodum, Nisi ergo hinc iam præiudicauerimus, res eorum prædamnando, quas in illis tunc damnaturi sumus; illi potius nos iudicabunt, atque damnabunt* Grande ergo pomparum, & bonorum mundi priuilegium, atque censura, quæ homines dæmonibus trahunt, cósque è iudicibus reos, & de damnatoribus nequam Angelorum, damnandos à dæmonibus faciunt.

Ergo Oraculum est, quod dicebat adnotat. 11.
præcedenti, num. 5. adductus Salomon Sapientiæ 14. 11. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ* *Sap. 14. 11.* *sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium;* dæmonis, videlicet, manu improbè docta per illas hominibus laqueos instruente, vt vel voluptatis suauitate, vel diuitiarum lucris, vel honorum fastigio lenocinantibus, illi à recto iustitiæ tramite in peccata deflectant, ac prolabantur: nam *sicut pisces* *Eccl. 9. 12.* *capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo:* inquit enim Sapiens Ecclesiastes 9. 12. At quo pacto pisces capiuntur hamo; & aues laqueo comprehenduntur; Respondet Seneca epistola 8. *& fe-* *Seneca.* *ra, & piscis aliqua spe obiectante decipitur.* & quò suauior hamus, & auidiùs deuoratus, eò exitialius, & ineuitabilius nocet: eodem igitur modo mundanarum rerum hamis, siue laqueis capiuntur homines: *laqueus in auro* (inquit Am- *Ambros.* brosius libro de bono mortis, cap. 5.) *viscum est in argento, nexus in prædio; clauus in amore. Dum aurum petimus, strangulamur, dum argentum quærimus, in visco eius hæremus, dum prædium inuadimus, alligamur. Quid in vanum quærimus lucrum pretiosæ animæ detrimentum?* Sic Ambrosius. Iam verò quomodo hos laqueos instituat, simúlque abscondat diabolus, nosce ex Basilio

Magno

Basil. Magno homil. cui titulus, *Non adhærendum esse rebus sæcularibus:* vbi hæc sic graphicè depingit, *Per nostram insipientiam diabolus contra nos victoriam molitur: vias insidiosè obsidere solet: in loca conuallibus profundis interrupta, aut humorum densitate obscuriora sese abdit; ne à viatoribus præuideatur; ita ex inopinato illos adoritur; ne quisquam eius laqueos periculosos videre priùs queat, quàm in illos incidat, videlicet mundanarum oblectationum vmbris sese insinuans, improuisos nobis perditionis laqueos substernit*, vel Dauidẽ intuere, qui à Bersabe pulchritudinem anhelans *hamum peccati deuorauit*,

Theodor. 2.Reg.11.2. vt opportunè inquit Theodoretus in quæst.16.in 2. Regum cap.11.2. vel Augustinum in confessionibus audi, sic cum Domino colloquentem.

August. *Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam: sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur laqueus concupiscentiæ:* vel tandem ex Magno Gregorio absolutissimè, & opportunissimè hæc docente disce; sic enim muscipulam à deceptore instructam ostendit lib. 14. Moralium

Gregor. Mag. cap.7. *Sæpè proponuntur animo cum culpa honores diuitiæ, salus, & vita temporalis, quæ mens infirma dum quasi escam videt, & decipulam non videt, pro esca, quam videns appetit, in culpa constringitur, quæ non videtur.* Optimè: vnde hinc Basilius sic monet:

Basil. *Oportet itaque nos animi oculos perpetuò vigiles circumquaque deducere, & quidquid iucundum apparet, mox suspectum habere, & prætercurrere, etiam si aurum copiosè propositum videatur.* ita Basilius ad gustum Senecæ superiùs clamantis: *Vitate quæ vulgo placent, quæ casus tribuit, ad omne fortuitum bonum suspiciosi, pauidique subsistite. Munera ista fortunæ putatis? insidiæ sunt.*

12. Hinc videris, quod iudicium ferre debeas de iis, qui temporalibus bonis, honoribus diuitiis, & voluptatibus omnimodo abundant, & perfruuntur. Nec enim de iis, si rectè iudices, aliter censebis, quàm de misellis auibus, siue pisciculis, qui oblectante escæ spe decepti fallacem hamum deuorarunt: inest enim iis sæculi bonis peccati hamus, sub voluptatis dulcedine delitescens, & in extremam animæ perniciem instructus. Falsa ergo & in sana fuerit, stultorum sententia; de quibus

Psal 72.11. Vates Psalm. 72. 11. *& dixerunt quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso.* Sed quam ob causam tam impiè, tam stultè de Deo sentis; subiiciunt: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias.* Quid ergo? feliciores ne inde iudicabis? Cense ergo meliorem auiculæ, siue piscis sortem postquam fallacem cibum, cui hamus erat adiunctus, alacres caprarunt. Ita Ambros. ad

Ambros. hæc verba libro 3. de interpellatione, cap. 6. *Fortior videns rides; incautus traducitur, & mouetur.* Benè *fortior rides*, qui nouit cum esca hamũ deuoratum. Nec aliud fuerit Augustini de sæcularibus bonis iudicium, lib. de Agone Christiano, cap. 7.

August. tom.3. inquiens: *Hoc enim appetunt, quod perniciosè diligitur, & quod eis facilè auferri potest; & hoc sibi auferunt inuicem quando se persequuntur; & ideo cruciantur, quibus auferuntur temporalia, quia diligunt ea, illi autem, qui auferunt, gaudent: sed talis lætitia cæcitas est, & summa miseria; ipsa enim magis implicat animam, & ad maiora tormenta perducit:* ac si dicat Augustinus. Vide cæcitatem & insaniam amatorum mundi, qui tamquam Græci de Helena, de hamo, & laqueo animæ deuorando certant, atque alii ab aliis tamquam egregiam prædam è manibus extorquent; vt ipsi deuorent, atque capiantur. Sed seipsum sic statim euoluit, &

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

explicat Augustinus. *Nam gaudet, & piscis, quando hamum non videns escam deuorat; sed cùm piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primò, deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur; sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant; hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur. Veniet tempus, vt sentiant, quanta tormenta cum auiditate deuorauerint.* Hæc Augustinus. August. Adsimilis à Gregorio Nysseno tractat. 1. in Psalmos cap. 8. muscæ aranearum telis irretita appicta imago ad hunc modum. *Vani etenim, &* Nyssen. *fatui remisso, & languenti volatu (qui muscarum instar res huius vitæ tenues, & exiles circumlambunt) implicantur, & illigantur, quasi retibus quibusdam huiusmodi filiorum circumiectu; deliciis inquam, honoribus, gloria, variisque cupiditatibus velut quibusquam araneorum texturis inuoluuntur; præda, & esca facti illi feræ, quæ per talia venationem instituere solet.* Sic ille.

Adnotatio IX.

Altitudinem, atque potentiam sæpe animæ peremptoriam, sæpe sæpius periculosam esse.

Dixi in expositione literæ emphaticam amplificationem inesse Græcis I. Græc. litt. voculis ἀλλὰ μενοῦνγε, id est, *quinimò.* vel *quinetiam*; vt generali oratione obrestetur Apostolus, omnia sæculi bona, siue quidquid in mundo floret, & splendet, consultissima ratione pro magno dispendio, & detrimento, animum ad Christum lucrifaciendum impediente à se haberi. Quod quidem, vt in omnibus sæculi bonis, quod adnotatione præcedenti iam vidimus, maximè verum sit: at in potentia, & honoribus signatissimè locum habet; ideo Apostolus citato ibi loco ad Roman. 8. 38. cùm omnia enumerasset, quæ alium animum ab eo, qui Pauli esset, à charitate Dei poterant remouere; altitudinis singillatim meminit, inquiens; *neque altitudo, neque profundum, nec creatura alia* ad Roman. 8. *poterit nos separare à charitate Dei, &c.* Quare 38. seorsim huic rei peculiarem adnotationem dare visum est.

Et vt rem à primis mundi incunabulis exordiamur: audi quid de illo sanctissimo Henoch, tam à Moyse, quàm à Paulo ad nostri institutionem dicatur: sic enim prior Genes. 5. 24. *Ambu-* Genes. 5. 24. *lauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Quid autem significet illud, *non apparuit*, exprimunt LXX. reponentes: *Et placuit Enoch* LXX. *Deo; & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus.* Sed magis dilucidè Apostolus ad Hebr. 11. 5. inquiens: *Fide Henoch translatus est, ne videret mor-* ad Heb 11. 5. *tem, & non inueniebatur; quia transtulit illum Deus: ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo.* Pende id, *& non inueniebatur*, ex vi verbi, *inuenio*; de quo aliàs monuimus, indicare rem priùs quæsitam, iuxta illud poëtæ,

Tu non inuenta, reperta es:

ergo dum Henoch non inueniebatur, ab aliis proculdubio quærebatur: sed, à quibus? & ad quid rogo, quærebatur? Sanè ab vniuerso hominum cœtu eum sibi in Regem & summum Imperatorem ob vitæ probitatem, & eximia merita sibi

 deli

deligente, vt his verbis affirmat Genebrard. lib. 1. *Genebr.* Chronologiæ: *Non apparuit vtique tanquam requisitus ad supremum officium.* Iam verò, cur homo egregriæ sanctitatis translatus est à Deo, ne princeps crearetur? Respondet Paulus: *ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo*, ac si diceret, transtulit eum, & ab hominum manibus purpuram illi iniicientium extorsit, quia illi vnicè *Chrysost.* charus erat. Ita ibi Chrysostom. aiens: *Quomodo fide translatus fuit Enoch? Quoniam translationis causa fuit, quod Deo placuerit.* Rem augent verba Ge- *Genes. 5. 24.* nesis, *Ambulauit Henoch cum Deo*: ex Hebræa, & *Chaldæa & Hebr. lect.* Chaldæa translatione: hæc enim sic habet, *seruiuit in veritate coram Deo iudice*; ex Hebræo verò ad verbum, legas; *& ambulauit Deum iudicē* (est enim *Hebr. lect.* Hebræa vox, *Elohim*, id est. *iudex*, aut *iudices*) hoc est, ambulauit, & contendit Deum iudicem gratum sibi habere: vnde non immeritò dixeris Henoch suo quodammodo iure, & meritis à Deo iudice obtinuisse, vt hinc eum transferret. Sed rursus: Qua ratione optimus Deus, atque integerrimus iudex hominem sibi vnicè dilectum, & regios honores omnino merentem, non solùm beneuolentia, sed iuris etiam, & iustitiæ ratione ductus regni splendore priuauit? vis nosse? Audi Salomonem plenissimè, ac disertissimè huic interrogationi satisfacientem Sapientiæ 4. 12. *Sap. 4. 12.* vbi cùm de Henoch, (vt explicant Ambros. orat. de obitu Sa- *Ambros. Bernard. Cyprian. Abulens. Iansen. Pereyra. M. del Rio.* tyri ante med. & in Psalm. 45. Bernard. serm. 3. de Ascensione, Cyprian. lib. 3. testim. 58. Abulensis in cap. 5. Genes. quæst. 5. Iansenius in eum Sapientiæ locum. Pereyra in Genes. tom. 1. lib. 7. quæst. 1. Oleaster, & Martin. del Rio ad præfata Genesis verba, & alij non pauci) dixisset. *Placens Deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est*; (quæ verba quantum consonent *LXX.* verbis Genesis iuxta versionem LXX. facilè videre est:) hanc eius translationis rationem subiicit. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius: fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.* Audis causam? Ne videlicet, qui in priuata vita integer, & rectus *ambulauit cum Deo*, princeps factus corrumperetur, & à Dei obsequio discederet; vbi simul obserua in illis verbis, *ne malitia mutaret intellectum eius, &c.* quantam ille ex regio munere mutationem timeretur suscepturus; nimirum & moribus, & animo, & ipsomet intellectu, & sensibus mutandus, & corrumpendus, & alius omnino à se ipso futurus timebatur, siue videbatur. Adeóne honores mutant mores? atque ij quidem honores, qui non temerè, & malis artibus vsurpati, sed optimo iure adepti, atque ei, qui illos minimè ambiebat, nec de ipsis cogitabat, oblati sunt? Ita omnino: nec enim solummodo Oraculum est, hoc *Ambros.* Ambrosij monitum, lib. 1. offic. cap. 39. *Gloriæ quoque caueat appetentiam, quæ frequenter nocuit immoderatiùs appetita, semper autem vsurpata.* Sed æquè etiam est certum, quod ex Christi exemplo oblatam sibi à dæmone mundanam gloriam respuen- *Matth. 4. 10. Cyprian.* tis Matth. 4. 10. sapienter obseruauit Cyprianus, adeò esse lubricam culminis, & honorum naturam, vt adhuc cum vltrò in hominis sinum sese insinuat, periculosissima sit: enim ille serm. de ieiunio, & tentationibus Christi: *vt pateat nobis, quòd sicut peremptoria est altitudo quæsita, ita periculosissima est oblata.* Ita ille.

2. *Sapient. 4.* Pergit Salomon, & paulo pòst versu 14. subdit: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum*, obserua accuratissimum dicendi modum, *de medio iniquitatum*, hoc est, de statu iniquitatibus valde obnoxio, quem peccata circumdent, obsideant, & quasi tueantur, ne quis inde facilè possit euadere, quin iniquitates eum tangant, & perdant, eadem penè periphrasi qua de aula Pharaonis, & regni illius hæreditaria successione dixit Paulus ad Hebr. cap. 10. 25. *temporalis peccati habere iucunditatem*, *ad Hebr. 10. 25.* vide quæ dixi ad cap. 1. vers. 10. adnotat. 2. num. 6. Ergo bonum Henoch de regiæ dignitatis periculo non aliter properauit Deus educere, ac de incendio vrbis, & de ardore prælij: *Transtulit eum Dominus*, inquit Paulus: vbi lectio Syriaca habet *estanni*, quod, vt *Lect. Syriac.* bene ibi aduertit Cornelius, idem est, ac mutari in meliorem sortem, & statum. At, quæ hæc melior regno sors? qui felicior status? scimus tam ex perpetua Ecclesiæ traditione, & persuasione omnium fidelium mentibus sic infixa, vt de ea nefas sit dubitare, vt aduertit Augustinus *August. Arethas. M. del Rio.* lib. 2. de gratia Christi contra Pelagianos, & Arethas in cap. 11. Apocalyps. quam ex vnanimi PP. consensione, quos sigillatim enumerat Martinus del Rio in cap. 5. Genes. num. 2. asseruari modò in paradiso (siue is germanus ille, & manu Dei consitus; siue alius amœnus, & salubris hortus sit, quod non est huius loci discutere) & ad finem mundi, dum homines ab Anti-Christo deceptos ad viam reuocat; ab eo fore immaniter trucidandum. En regno feliciorem melioremque sortem: en Deum benignissimè amicum suum tractantem, & velut ipso iure ad ei vndequaque consulendum adactum, cùm nimirum illum ex eorum manibus, qui regni splendorem illi deferebant, extorquens, in carnificum manus, qui ipsum sæuissimè dilacerent, transfert. A qua cogitatione non longiùs it Bernardus in epistola 236. ad Curiam Roma- *Bernard.* nam, cùm ab ipsa Abbas S. Anastasij, qui eiusdem Bernardi alumnus, summus Ecclesiæ Pontifex Eugenius III. renunciatus est; ipsum etenim non secus, ac illum, qui descendebat ab Hierusalem in Iericho in latronum manus incidisse conqueritur. Nam cùm primùm dixisset: *Parcat vo- Luc 10. 30.* *bis Dominus. Quid fecistis? sepultum hominem, reuocastis ad homines fugitantem curas, & turbas, curis denuo implicuistis, & immiscuistis turbis. Fecistis nouissimum primum, & ecce nouissima illius periculosiora prioribus. Crucifixus mundo per vos reuixit mundo, & qui elegerat, abiectus esse in domo Dei sui, ipsum vos in Dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis? Cur pauperis hominis, & mendici, & compuncti corde iudicium perturbastis?* subiicit: *Currebat bene: quid vobis visum est, sepire vias eius, auertere semitas, gressus inuoluere? Quasi descenderet de Hierusalem, & non magis ascenderet de Hiericho sic incidit in latrones; & qui se diaboli manibus, carnis illecebris, & gloriæ sæculi potenter excusserat, non valuit effugere manus vestras.* Hæc magna emphasi Bernardus. Pende illa: *Ecce nouissima illius periculosiora prioribus*; & hæc, *qui se diaboli manibus potenter excusserat*; & vtraque inter se confer. Certè, si attendis, non obscurè videtur innuere perinde quodammodo fuisse in electorum manus, ac in manus diaboli incidisse: vt videris, quàm amicè, quámque benignè Deus cum eo se gesserit; quem vt eriperet è manibus eorum, qui ipsum ad regni fastigium quærebant, in sæuientis Anti-Christi manus non secus ac in ferocissimi leonis vngues transferre non dubitauit.

Latuit.

3. Latuit ne id Sponsam, cùm ipsam his toties repetitis vocibus cœlestis euocabat Sponsus Cant. Cant.4.8. 4. 8. *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni.* Vbi ex iis, quæ ad cap. 2. vers. 8. adnotat. 4. tota, præsertim num. 8. diximus de promptissima Sponsæ erga Deum obedientia, quæ ad primam Sponsi vocem hac, illac ferri, immò ad ipsius nutum, & leuissimam quamque eius voluntatis insinuationem inuolare solebat, non potiùs non statim ambigere, cur modò ad ipsam adducendam, siue pertrahendam triplici voce, siue vocatione opus fuerit. *Veni* (inquit) *de Libano: veni: veni.* Is ne Sponsæ in obsequando mos? Is filiorum Dei character sit? Certè de suis ipse ouibus notanter Ioan.10.27. dicebat: *Oues meæ vocem meam audiunt*, Ioan. 10. 27. quasi vna tantùm voce ad Christi mandata exequenda illæ egeãt: & apud Zachariam cap. 10. 8. aucto censu, nec integra quidem voce, sed leui Zach.10.8. sibilo illis opus esse sic inquit. *Sibilabo eis & congregabo eos, quia redemi eos.* Ad quæ verba sic ait Stephan. Canthuariens. in allegoriis Gotfridi Tilman. Steph.Cant. *Quasi solo sibilo opus sit, non prædicationis tuba.* Quomodo ergo hoc in loco non semel, sed tripliciter repetito *veni* obsequentissimus Sponsæ animus indiguit; vt non tam sponte ipsa venire, quàm renitens thrahi, adducique videatur; Vis scire: audi quid sponsus cùm vocabit, subiecerit: *Veni coronaberis.* Nimirum ad coronam & ad regij splendoris, & prælationis fastigium euocata non contumaciter, sed prudenter venire metuit, quæ lapsus periculum non ignorat. Ita ad hæc verba id obseruante Venerabil. Gilleberto serm. 29. in Cant. Gilleber. *Vide si non morosè egreditur de Libano, quæ totiens vocatur; mora tamen hæc non est contumaciæ, sed cautelæ. Quis enim à contemplationis candore, à quietis internæ, & puritatis sereno libens discedit? Cui non erit molestum, vel ad momentum de loco deliciarum secedere? forsitan inspirata in discipulis lucra blandiuntur? Optanda quidem lucra, sed metuendus est lapsus. Suspecta mihi sunt lucra quorum incertus est prouentus, vicinum propriæ periculum salutis, certum internæ suauitatis damnum. Quid mirum si moretur venire? cum & molestum sit, de Libano discedere; & metuendum sit ad montes illos barbaros, & bestiales accedere?* Hæc Gillebert. ex persona Sponsæ. Quam sanè audisse dixeris Gregorium Magnum hunc timorem, atque suspicionem suo exemplo firmantem, dum hos cum Petro Diacono sermones miscebat lib. 1. Dialogorum Gregor. Mag. in principio. *Mæror Petre, quem quotidie patior, & semper mihi per vsum vetus est, & semper per augmentum nouus. Infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere meminit, qualis aliquando in monasterio fuit, quomodo ei labentia subtecta erant, quantum rebus omnibus, quæ voluuntur, eminebat, quod nulla nisi cœlestia cogitare consueuerat, &c. At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, & post tam pulchram quietis suæ speciem terreni actus puluere fœdatur. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus quatior; atque in naui mentis, tempestatis valida procellis illidor.* Hæc & alia ibi Gregorius. Sed quod præfato loco ex hac Sponsæ cunctatione addat Gillebert. Gillebert. minimè fuerit prætermittendum. Ait ergo. *Et forsitan Sponsæ mora festinationem nostram suggillat, & arguit qui nimis prompti, & parum prouidi vires nostras minus pensantes festinamus ingredi in labores prælationis, in sollicitudinum molestias, & materiam lapsus; nec expectantes, vel semel vocari, vltrò nobis ipsi honorem sumimus, vocationem, vel præuenientes, vel arte procurantes.* Sic ille.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Assonant quidem præfatæ cognitioni ea Domini ad discipulos verba: *Nolite timere pusillus* 4. *grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, Lucæ 12. 32. Luc.12.32. Inest enim non mediocris emphasis illis verbis, *nolite timere.* Ambigas quidem, quid hæc sibi velint? siue, cur dicturus Dominus, complacuisse cœlesti Patri dare discipulis cœlorum regnum, præmiserit, *nolite timere*: quo enim pacto, vtraque verba, & sententiæ inuicem hæreant, & assuantur? Certè orationis series potiùs videbatur exigere, vt dixisset Dominus, nolite diffidere, seu nolite tristes esse: at dicere, *nolite timere*, quia adepturi estis regnum; quò eat? Respondet acutè Chrysologus, eò ire, vt discipulorum animos sedatos, & quietos ad regni vocem, & nomen audiendum Magister redderet: quasi ij qui regnorum, & honorum pericula, atque discrimina optimè nossent, ad primam regni mentionem necessaria forent ratione turbandi, & repentino horrore concutiendi. Ideo notanter id à Domino præmissum, ac sic illorum animos præmuniens dixerit. Rem vobis securam, & nulli obnoxiam discrimini sum dicturus: estote bono animo, nec enim de terreno regno, ad cuius nomen horretis, sed de cœlesti sermo mihi futurus est. Sed audi Chrysologum sermone 23. hæc pulchrè diffundentem ad hunc modum: *Prouidenter autem cœpit Dominus dicendo*, Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Chrysolog. *Promissionem regni sine timore, seruilis status audire non sufficit, quia qui libertate vix dignus est, capere non valet insulas principatus. Dominus ergo seruorum mentes tali voce confirmat, ne eos repentinus promissi regni prosternat auditus. Regnum velle seruum, crimen est; adire periculum, temeritas non timere.* Hæc Chrysologus. Quibus valde consentanea sunt, quæ de iusto, & sapiente viro sic scripsit S. Laurentius Iustinianus sermone de Eucharistia. *Nouit quidem periculum præsidendi, eloquio dicente* S. Laur. Iust. *diuino*: Iudicium durissimum fiet in iis, quæ præsunt. Sapient.6. *Nouit, inquam, insuper ratem propriam, humanam conditionem, elationis iacturam, humilitatis gratiam, ipsiusque fastigium. Sciens igitur, quoniam ante ruinam exaltatur cor, & abominabilis est Deo omnis mente sublimis, magnopere honore refugit cathedram, alijs imperare formidat.* Ita ille.

Quò sanè opportunè sub arcana significatione retuleris eam diaboli tentationem, cùm Chri- 5. stum Dominum prioris gulæ tentationis victorem, & triumphatorem grauiori telo adorsus, *Assumpsit in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi; & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum*, Matthæi 4. 5. Matth.4.5. Certè in ciuitate sancta, & in pinnaculo templi; duo appositè consideres: alterum egregiæ sanctitatis typum hæc esse; nam & ciuitas per antonomasiam dicebatur sancta: & nulla ipsius tam sancta, atque sacrata pars, ac templum erat: ad hæc pinnaculum, locus erat totius templi altissimus, illiúsque fastigium: alterum, summos honores, atque fastigiorum culmina in pinnaculo significari, tum ex altitudine ipsa, tum vel maximè, quia vt Remig. Remig. & Paschasius ad id loci obseruant, *sedes Doctorum* Paschas. *super pinnam templi erigebatur, vt exinde quasi in eminentiori positus loco Doctor ad populum loqueretur.* Iam dum audis dæmonem dicentem, *mitte te deorsum*; quid ipse de altitudinis, & supremarum dignitatum, honorúmque discrimine,

atque periculis ad expugnandos animos sibi promittat considera; quippe ab ipso sanctitatis culmine, siue ab ipsamet altissimæ perfectionis idea, eum qui principatum susceperit, deturbandum, & deorsum in turpissimorum facinorum barathrum præcipitandum, sibi omnino pollicetur. Ita ad hunc locum Paschas. primum inquiens.

Paschas. *Hinc quoque ducit eum ad altiora, & vsque super fastigium templi; vt ex hoc daretur indicium, ad quid eleuet vnumquemque, quem deorsum præcipitare desiderat.* & post pauca: *Nonnullos quidem in sua inflationis aura etiam ad honores erigit indebitos. Nonnullos verò rectè prælatos, vt corruant, & se vitys immittant, indefessus hortatur.* Pende illud, *rectè prælatos*, vt videris, non satis esse, recto tramite ad principatum, & prælaturam peruenisse, cùm ipsa fastigij altitudo lubrica, & periculosa sit. Sed id luculentiùs monuit Cyprianus serm.

Cyprian. *de ieiunio, & tentationibus Christi*, his verbis: *Solent viris virtutum huiusmodi præstigia se offerre, & testimonium religionis conscientia perhibente, cùm ab alijs digni honoribus iudicentur, facilè acquiescunt, & tam proprio, quam alieno fascinati iudicio a rectitudine corruunt, euersáque cathedra mentis, humo fractis ceruicibus colliduntur, repentéque, & subitò, quod multis erat partum sudoribus ambitione irruente obliteratum est, & turbinis huius impetu auulsum est, quidquid antiqua religionis labor meruerat.* Sic ille Optimè altitudinis periculum, immò verò præcipitium describens, à qua quod multis erat partum sudoribus tristi casu obliteratur.

6. Iam id graphicè depictum habes in Saule, à regio culmine fascinatio, & à rectitudinis fastigio infelicissimè deiecto. Quis enim ipse ante principatum fuerit, sic ex ipsomet sacro

1.Reg.10.23. cloquio monemur. 1. Regum 10. 23. *Stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum. Certè videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Quod equidem non tam ad egregiam corporis staturam, & proceritatem, quàm ad animi candorem, & rectitudinem omnino accommodes ex iis, quæ antecedenti cap. de eodem sic dixerat sacer Scriptor

1.Reg.9.2. 1. Regum 9. 2. *Erat ei filius vocabulo Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo: ab humero, & sursum eminebat super omnem populum.* quæ egregia animi ornamenta, eximiásque virtutes denotare, Gregorius Magnus, & Abulensis

Greg.Magn. Abulens. inibi obseruant. At enim princeps factus, qualis rogo bonus hic, & electus, & quo melior nullus erat, euasit? malus, inuidus, crudelis, & quo vix peior, alius fuerit. Quid enim eo malignius, qui egregio benefactori suo Dauidi malum perpetuò rependit? Et *quem oportebat, vt saluatorem, & benefactorem agnoscere*

Chrysost. (vt inquit Chrysostomus homil. 46. in Genes.) *eum interficere quærebat.* Quid illo crudelius? qui in Abimelec Sacerdotem eo nomine infensus, quod Dauidi esurienti pauculos panes dederit, ipsum & totam sacerdotalem familiam, qui numero fuerunt octoaginta quinque, sacrilego ferro obtruncari iussit, 1.Reg. 15.17. Vides bonum, & electum hominem euersa cathedra mentis, vt dicebat Cyprian. humo fractis ceruicibus collisum? principatúmq; repentè, & subitò egregias virtutes, quas ille multis sudoribus parauerat & parturierat, obliterasse, & turbinis huius impetu euulsum esse quidquid antiquæ religionis labor meruerat? Illud tamen hac in re maiorem tibi admirationem moueat, eam à dignitate, & regio culmine Saulis animum, mutationem suscepisse, vt ipsummet ingenium, atque naturam, quam licèt *expellas furca, tamen vsque recurret*, exuisse videatur. Nam quid ipso antequam principatus habenas sumeret, modestius, atque submissius? Certè & se omnium minimum existimabat, & ad regium splendorem adeò horrebat, vt in abditissimum locum sese coniiciens, eousque absconditus delituerit, donec diuina inuestigante manu à populo ad sceptrum extraheretur: vnde sic ad ipsum Samuel locutus dicitur, 1. Regum 15. 17. *Cum* 1. Reg. 15. 17.
paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es. Postea verò quàm regnum occupauit, vidisti ne aliquem elatiorem, superbiorem, ambitiosiorem? Quam ardenti enim studio à Samuele efflagitabat vt illum coram populo honoraret? 1. Regum 15. 30. Quanto claritudinis, 1. Reg. 15. 30.
gloriosæque famæ ardore post relatam de Agag victoriam, Dei gloriæ, qui ea in acie dux fuerat, omnino oblitus, erexit sibi fornicem triumphalem, 1. Regum 15. 12. Quàm vehementer 1. Reg. 15. 12.
commotus, atque iratus fuit? immò verò ad rabiem, & furorem insaniuit, quòd eo audiente puellæ psaltriæ triumphale carmen Dauidis canentes militarem illius gloriam sic efferrent, vt sui nominis splendori tantisper officere viderentur: 1. Regum 18.8. Nónne huius hominis na- 1.Reg 18.8.
turam omnino commutatam, cúmque alium ab eo qui priùs exstiterat, iure dixeris? Ecce ergo fastigij regij vires, siue virus, à quo tanta mutatio orta est, egregiè id expendente Gregorius Magnus 1. part. pastor. cap. 3. vbi cùm dixisset:
Nam plerumque aduersitatis magisterio sub disciplina Gregor.
cor premitur, quòd si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur; subiicit: *Sic Saul, qui indignū se priùs considerans fugerat, mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit; honorari namq; coram populo cupiens, dum reprehendi publicè voluit, ipsum, qui in regem se vnxerat, abscidit.* Ita ibi, & 2. part. cap. 6. in eamdem sententiam: *Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excreuit; per humilitatem quippè prælatus est, per superbiam reprobatus; Domino attestante, qui ait,* Nónne cùm esses paruulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israël? *Paruulum se prius in suis oculis viderat, sed fultus temporali potentia, iam se paruulum non videbat. Cæterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat.* Vnde hypothesi ad thesim reuocata, sic generaliter loquitur. *Plerumque ergo dum ex subiectorum affluentia animus inflatur, in luxum superbiæ ipso fastigio lenocinante corrumpitur.* Hæc Gregorius. Pulchrè illud, *fastigio lenocinante*; hoc enim vanitatem, tumorem, & elationem ingenerat; animúmque grandiores spiritus insumendos, & præ se cæteros despiciendos, nullúmque gloriæ imponendum modum demulcet, ac lenocinantur.

Nec mihi obieceris, id in reprobo homine, & 7.
cui Deus tandem maximè fuit infensus, non habere magnam admirationem: nam ex alio electo, optimóque viro tibi pugnaciter obstitero, dum illum iisdem vestigiis egregiam indolem, atque naturam fastigio lenocinante corrupisse, ad oculum demonstro: de Dauide quidem loquor, cui adeò ingenita, innata, & propria mansuetudo, vt ab hac quasi de facie cognosceretur; non enim erga amicos solùm, & eos, qui de se bene merebantur, sed erga infensissimos sibi hostes mitissimum, & benignissimum se præbuit; sanè dirum hostem

hostem Saulem, qui ipsum ad necem conquirebat, dum in speleunca inermem, imparatúmque inuenit, adeò non interfecit, aut læsit, vt quod oram, siue minutula fila chamydis absciderit, ingenti subinde dolore, ac pœnitudine correptus
1.Reg.24.6. fuerit: sic enim 1.Reg.24.6. *Post hæc percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul.* Quare hanc vnicam mansuetudinis virtutẽ Deo, ad ipsum placandum, & promerendum, sic ipse
Psal.131.1. proponebat Psal.131.1. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Sed hunc Dauidem mitem, atque mansuetum, alium à Dauide postea regnante fuisse, inde videris, quòd non leuia tunc crudelitatis. & feritatis signa dederit: nam præterquam quòd de Ammonitis illud tam dirum & vsque ad id tempus nunquam forsan auditum supplicium sumpsit, quod Regum historia sic
2.Reg.12.31. narrat: *Populum quoque eius adducens serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisítque cultris, & traduxit in typo laterum; sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon*, 2.Reg.12.31. ad quæ verba P.Sanchez obseruat, non nisi obcæcatum luxuriæ peccato; in quod infeliciter lapsus est, sese tam horribile monstrum efformare potuisse: ille qui priuatus Sauli toties pepercit, & illatas sibi iniurias noluit vlcisci, regno potitus; fastigióque lenocinante bonum Vriam, & multos è sociis cum illo ingratiis occidit, & perire de industria iussit. Quod ad hanc rem sic rursus obserua-
Gregor. Mag. uit Greg. Magn. præfato loco 1. part. pastoralis, cap.3. *Sic Dauid auctoris sui iudicio penè in cunctis actibus placens, mox vt pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factúsque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuit eneruiter fluxus. Et qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque nece postea didicit sine obstaculo retractationis anhelare. Prius quidem ferire deprehensum persecutorem noluit; & post cum damno desudantis exercitus etiam deuotum militem exstinxit.* Sic ille.

8. Videtur quidem ipsum Dauidem prophetico id instinctu fuisse odoratum, cùm Amalecitæ illi nuncium mortis Saul afferenti tam seuerum, & acerbum vindicem se se præbuit, vt cui gratiæ pro nuncio debebantur, mortem rependerit, ipso etenim Dauidem sic demulcente; *tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc*, ipse illum sic excepisse dicitur. *Vocánsque Dauid vnum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, &*
1.Reg.1.15. *mortuus est*, 2.Reg.1.15. Quo in loco quis non miretur? & durum, atque agreste facinus non dixerit? ei, qui non modò iucundum nuncium, sed ipsummet regium Saulis diadema ab eius capite detractum Dauidi afferebat, atque ipsum quodammodo in regem inaugurabat; nulla data mora necem inferre? Siccine Reges iis, de quibus bene merentur gratias reddunt? Talia præmia grandioribus debentur obsequiis? Benè Sapiens, *Multi præstiterunt molestiam ijs, qui se adiuuerunt*,
Eccl.29.4.& 9. Eccles.29.4.& vers.9. *Pro honore & beneficio reddet illi contumeliam*; & vt de Dauide dicam verbis
Cor.Tac. Cornel.Tacit.lib.12.Annalium: *Suo ne an seruitij ingenio? dum adipiscerentur dominationes, multa charitate, & maiore odio postquam adepti sunt*: siue quòd, vt dixit nescio quis, *odisse, quàm soluisse vilius constat*: siue potiùs, quòd Seneca epistola 19.
Martial. Senec. *leue æs alienum debitorem facit, graue inimicum.*
Cor.Tac. Nimirum vt idem Tacit. inquit lib.4.Annal. *Beneficia eousque læta sunt, dum videntur exsolui posse: vbi multum ante venere pro gratia odium redditur:* dum homines præsertim reges aliis obnoxios, & oppigneratos, atque adstrictos se se videre, grauiter ferunt. At enim, horum nihil Dauidem premit; sed à mitissimo ipsius ingenio, vel iustitiæ ratio, vel digna insipienti dono remuneratio cruentum illud iudicium extorsit. Et quidem cum Amalecita illo sic agere potuit, vt seruum nequam tamquam dirum insidiatorem, & infestum hostem talia munera afferentem ex ipsius ore illum condemnaret. Quid enim ipse de Saule enunciauerit, audi: *Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me, quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima in me est*, 2.Reg.1.9. Sed obserua in lect.Tigurin.hæc sic efferri. *Insiste mihi quæso, & trucida me; apprehendit enim me corona: enim verò adhuc tota anima mea in me est*: vbi vides pro illis verbis, *quoniam tenent me angustiæ*: hoc est, animi angoribus ipsa morte multo horribilioribus torqueor, atque discrucior; reponi hæc *apprehendit me corona*: quasi in felicissimum illum Principem regia tunc dignitas maximè premeret, funestissimaque recordatio fastigij, quo lenocinante is, qui eximiæ probitatis antea fuerat, in dira flagitia lapsus est, grauissimè oneraret. Eum ergo, qui Dauidi pro egregio munere, coronam ad peccata primum lenocinantem; subinde verò in mortis articulo regium animum prementem, & diris cruciatibus velut furiis incendentem, quid ni ipse ferali gladio è viuis tolleret Gentiles Demetrius apud Senecam lib.7.de benefic.cap.9.ei, qui opulentum ipsi imperium tradere vellet, cum stomacho dicturus inducebatur. *Ego vero me ad istud* Senec. *inextricabile pondus non allige, nec in altam facem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala?* & fidelis Dauid ad coronæ munus, qua lenocinante grauia foret peccata perpetraturus, præsagienti animo non horreret? & tale munus afferentem aliorum iam criminum reum, non plecteret?

Concludam, si ex Gregorio Magno loco paulo antè indicato, Assertoris nostri ad crucem sponte, & per proprios pedes properantis, atque currentis; regij verò culminis honores, cùm ipsi ab hominibus deferrenrur, ad nostri institutionem constanter recusantis, & aufugientis, exemplum proposuero: sic enim Ioannes cap.6.15. *Iesus ergo cùm cognouisset, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Et ad hæc verba Gregor.2.part.pastoralis, cap.3. *Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is, qui hos nimirum regeret, quos ipse crearat? sed quia idcircò in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret; verùm etiam per conuersationem doceret, exemplum se se sequentibus prabens, rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum sponte peruenit oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt; vt membra eius videlicet discerent, fauores mundi fugere, terrores minimè timere pro veritate aduersa diligere, prosperare formidando declinare; quia & ista sæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In istis se animus erigit: in illis autem, etiam quando se erexerat, sternit. In istis homo se obliuiscitur; in illis verò ad sui memoriam nolens etiam, coactúsque reuocatur. In istis sæpè, & ante acta bona depereunt, in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur.* Hactenus Gregor. A quo alia alterius Gregorij obseruatio subsistit: nimirum, vt Aaron ad Sacerdotij culmen promptus accesserit; at Moysen principatus fastigio vehementiùs repugnasse; sic enim Nazianzen.in Apologetico agens de iis, qui ad sublimè munus vocati, partim

Marginalia (right column): 2.Reg.1.9. Lec.Tig. — 9. — Ioan.6.15. — Greg.Mag.

alacri animo vocationi paruerunt, partim oblatæ gratiæ moram iniecere. *Illi quippe ministerij magnitudinem extimuerunt, hi contra, vocantis ope confisi paruerunt. Aaron promptus erat, Moyses autem repugnabat.* Sed cur Moyses præ Aarone repugnabat? Sanè quia, & egregium Christi typum præferebat, & in Regia Pharaonis aula educatus magna animæ discrimina, quæ fastigiis adhærent, optimè nouerat: vtramque rationem sic insinuante Paulo ad Hebræos 11.24. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.*

Nazianz.

ad Hebr. 11. 24.

Ad ea verba, *Arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.*

ADNOTATIO X.

Oculos Christi pulchritudini, & cælestibus bonis assuetos vix adhæc terrena se se conuertere posse.

1\. IN nonam rationem, cur Paulus mundana omnia reputet stercora, quòd nimirum in Christi pulchritudinē defixerit obtutū, & amator factus fuerit formæ illius: sub hoc sensu promete hæc verba Basil. hom. 11. in Ps. 44. ad id, *speciosus forma præ filiis hominum*, hunc in modum Symmachus legit: Pulchritudine pulcher es præ filiis hominum. *Is Christus Dominus est cælestibus bonis plenus, qui autem promotus est ad diuinum amorem huius pulchritudinis, cætera omnia, quæ eatenus diligebantur, turpia esse conspiciuntur, & reiectitia. Unde, vt vidit Paulus hunc speciosum forma, & eum dilexit omnia duxit vt stercora, vt Christum lucrifaceret.* Sic ille. Explicat quidem hæc Salomon dum de hac diuina Sapientia agens, tum quàm illi antiquum fuerit, eius pulchritudine capi, atque illam ardenter amare, sic aperit: *Hanc amaui, & exquisiui a iuuentute mea, & quæsiui Sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius*, cap. 8. 2. tum etiam, quantum præ ipsa, pretiosa quæque viluerint, his verbis inquit; *quoniam omne aurum in cōparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*, cap. 7. 9. vnde infert: *Super salutem, & speciem dilexi illam & proposui pro luce habere illam.* Quam quidem lucis imaginem, bifariam possis accipere. Vno modo (quod in expositione literæ numero 9. attigimus,) vt velit sapiens vnam sibi sapientiam, atque virtutem prælucere, & in pretio haberi, cætera omnia obscura, & inuisa esse, quibus nihil lucis, vtilitatis, videlicet, aut commodi vsus subsit, cui cogitationi benè hæret tam illa, *tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*, quàm hæc nostra, *arbitror vt stercora*: luti enim, & stercoris similitudo, non tantùm extremam vilitatem, sed etiam turpitudinem, eáque, quæ præ fœditate auersamur, portendit: præsertim si Græcam vocem πηλὸς, quæ luto respondet, consideres; propriè enim significat cænum, vel fimum graue olentem: vt hac locutione vterque indicet Sapiens quàm vnicè, quámque vehementer vera Sapientia Christus, & eius bona sibi placeant, quando præ illius comparatione turpia omnia, & reiectitia conspiciuntur. Altero, vt non longè ab iis quæ cap. 1. versu 10. in expositione literæ numero 4. diximus, lucem pro ipso lucis vsu, & munere capiens Salomon, affirmet; ex Sapientiæ pulchritudine quasi Solis iubare, aut face in noctis tenebris præeunte res alias quasi de facie cognoscere; vt nimirum lutum, & stercora, omnia alia esse animaduertat: eo modo quo in Græca Pauli lectione non habetur, ἡγοῦμαι vt stercora, sed ἡγοῦμαι σκύβαλα esse; quasi re ipsa stercora sint, stercoráque ei qui illuminatos cordis oculos habet, esse videantur.

Psal. 44. Basil. Symmac.

Cap. 8. 2.

Sap. 7. 9. & 10.

Græc. Lect.

2\. Et verò iuxta hunc posteriorem sensum, qui nostro instituto videtur opportunior, non inuenustam huic sensui, atque cogitationi allegoriam instituas ex boni illius Tobiæ olim hirundinum stercoribus occæcati, subinde verò piscis felle curati, & perfectæ oculorum sanitati restituti historia: *Contigit autem* (inquit sacer Scriptor) *vt ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Transfer hæc ad Paulum, antequam Christo nomen daret; transfer & ad mundi amatores. *in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes*, 2. Corinthiorum 4. 4. sæcularia enim idola, & res mundi honores, voluptates, diuitiæ atque potentia (vt modò inquit Paulus reapse stercora sunt, quæ hominum oculos, ne ad vera bona aspiciant & attendant miserè excæcant. Quod & Salomon etiam confirmat verbis non semel hisce adnotationibus à nobis inculcatis: *fascinatio nugacitatis obscurat bona*. Sapientiæ 4. 12. vbi Grecè & pro *nugacitatis* est, φαυλότητος, *vilitatis*; & pro bona τὰ καλὰ, id est, ea, quæ *pulchra, & formosa* sunt; vt humanam imbecillitatem doleas, quæ à vilitate, & stercore illuditur, ne veram pulchritudinem, & decorem cognoscat, siue vt bonum, malum, & malum, bonum; pulchrum, deforme; & deforme pulchrum appellet, & stercori, cæno, & vilitati, vero bono contempto, pretium faciat. Iam, quid quæso Tobiæ stercoribus excæcato visum, lucémque restituit? Profectò fel piscis cuiusdam, quo ex præscripto Angeli Raphaëlis, qui Dei medicinam significat, cæci oculi inuncti fuerunt. Audi diuinum eloquium: *Sumens Tobias de felle piscis liniuit oculos patris sui. & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius, quasi membrana oui egredi*: vel, vt lectio LXX. siue Græcus Codex habet, *desquamatæ sunt ab angulis oculorum eius albugines*, Tobiæ 11. 13. Sed quis rogo piscis hic fuit, cæcis oculis adeò salutaris? Rectè, vt opinor, coniecit Franc. Vallesius in Philosophia sacra cap. 42. non alium fuisse, quàm Callionymum, qui ad inueteratas albugines extergendas, & exacuendam oculorum aciem à Galeno lib. 10. de simplicium medicamentorū facultatibus, cap. 12. Plinio libro 7. cap. 32. nec non ab Æliano libro 13. cap. 4. & aliis maximè celebratur. Sed obserua, aliud etiam, idque singulare nomen Græcè pisci huic subesse, vt inibi inquit Plinius, nempè *Vranoscopus*: hoc est, *spectator cœli*: quòd inter omnes pisces insignem in capite oculum habeat, quo aquis, minimè immersus, sed marinis fluctibus superior; cœlum spectet, & contempletur. En iam Dei medicinam, facilem quidem, sed efficacissimam ad exacuendam oculorum aciem; & stercora sæcularium bonorum cognoscenda: in Christum nimirum, & in cœlestia bona defigere obtutum. Nihil enim hac medicina potentius, atque efficacius vt, mundana omnia, quam

Tob. 3. 10.

2. ad Cor. 4. 4.

Sap. 4. 12. Græc. lect.

Tob. 11. 13.

LXX.

Vallesi.

Galen.

Plin. Ælian.

quamtumuis splendere lippientibus, siue cæcis oculis videantur, stercora, & cœnum reapse esse, appareat: sed Greg. Magn. & Chrysost. hac de re audi: sic prior, homil. 11. in Euangelia. *Qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfectè cognouerit, ea, quæ in terris amauerat, libenter cuncta relinquit; in comparatione eius vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit, deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie.* subiicit rationem. *Quia sola pretiosæ margaritæ claritas refulget in mente.* Similiter Chrysost. homil. 66. in Ioan. *Dulcis* (inquit) *præsens vita est, & multis plena voluptatibus, non tamen omnibus; sed ijs, qui illi sunt affixi. Quòd si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, & nullius pretij esse existimabit.* Sic PP.

Greg. Mag. | Chrysost.

3. Apta hæc iam Paulo sæcularibus olim rebus, & Iudaicæ superstitionis fastu excæcato. Confidebat ille quidem in carne; proficiebat *in Iudaismo supra multos coætaneos*, ad Galat. 1. 14. Iactabat se de tribu Benjamin, Hebræum, ex Hebræis, secundùm legem Pharisæum; magnos & eximios honores, & supremam cathedram sibi pollicebatur; hæc summa bona credebat, Christum verò omnino ignorabat. At cùm eius pulchritudo illius animæ affulsit, cætera omnia, quæ diligebat, turpia esse conspexit, & reiectitia: &, vt dicebat Basil. *vt vidit hunc speciosum forma, & eum dilexit, omnia duxit vt stercora, vt Christum lucrifaceret:* sed vt præfata allegoria vndique subsistat, & Paulus olim cæcus, & ex Christi pulchritudine oculatus, & veræ luci restitutus, in Tobia Vranoscopi felle curato, omnino repræsentetur: vide quomodo, vt de hoc in Græco Codice dicebatur: *desquamata sunt ab angulis oculorum eius albugines;* ita de Paulo cùm primùm ei diuina Christi lux affulsit, dixerit Lucas; *& ceciderunt ab oculis eius tamquam squamma, & visum recepit;* super maris enim vndas erigens caput, diuinus Vranoscopus, siue cœli spectator factus est, atque inde noxias piscis, aquis olim immersi squammas abiiciens mundana omnia stercora esse animaduertit, & visum recepit. Vnde sic postea ipse: *non contemplantibus*, inquit, *nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna*, 2. Corinth. 4. 18. ac si dixerit, Iam è mundi fluctibus, & tenebris ad veram lucem emersimus; iam cœli spectatores facti ad sæcularia hæc minimè deflectimus obtutum. Sed Paulo, quàm similem dixeris egregium alium Vranoscopum; nempè S. P. N. Ignatium; de quo Petrus de Ribadenyera in eius vita refert, solitum tempestis noctibus editum domus locum, vt contemplationi opportunum conscendere; atque ibi dum cœlum attentiùs intueretur, largissimo lachrymarum imbre profuso dicere solitum. *Heu quam sordet terra cùm cœlum aspicio*, vt dicere videatur omnia præ Christo, & eius bonis stercora reputo; omnia mihi, vt cœnum præ cœlestis beatitudinis contemplatione sordent. Nec dubium, quin similes etiam voces ederes, quisquis modò dulcem præsentem vitam, & multis plenam voluptatibus æstimas: si ad modum cæci Tobiæ cœlestium bonorum contemplationem sustinuisses, saltem quasi dimidiam ferè horam: *affulgens enim eius, qui est cognitio* (sic Philo lib. de temulentia) *nihil non illustrat, vt etiam ea, quæ sunt per se splendidissima, collatione hac obscurentur; proinde cum falsò nominatis diis, nunquam certum, verúmque comparari sustinuisset si eum verè cognouisset*, At (malùm) totus in terram prospectans, & immundus piscis squammas habens in oculis; insanæ illius reginæ more,

ad Gal. 1. 14. | Basil. | Act. 9. 18. | 1. Cor. 4. 18. | P. Ribaden. | Philo.

—— *tadet cœli conuexa tueri.*

Certè, *non est possibile* (inquit Chrysostom. homil. in Genes.) *vt qui solida, & immobilia bona ament momentanea hæc, & quæ antea quam appareant, marcescunt, concupiscant: nam saucius amore diuino, & qui futurorum desiderio tenetur, aliis oculis videt præsentium statum, & videt, quod omnis præsens vita figura est, & deceptio, & à somniis nihil differt.* Hæc Chrysost.

Virg. 4. Æneid. | Chrysost.

Hinc notanter Ecclesiastes cap. 2. 14. ait: *Sapientis oculi in capite: stultus in tenebris ambulat.* Sed quid fuerit sapientem in capite oculos habere? quasi ipse solùm ibi oculos habeat, atque inde ab stulto discriminetur, cùm æquè huic, ac illi oculos in capite locatos videamus? Respondent PP. id sic omnino capiendum, vt ex animi oculis sursum, & cœlestia aspicientibus, non verò obtutu in hæc externa vergente, hominis sapientia maximè eluceat, fit enim inde, vt terrena, & sæcularia despiciat, & ad ea vix oculos conuertat. Sic Basilius homil. 10. in Hexaëmeron. inquiens: *Cuiúsnam oculi non sunt in capite? at qui hic* in capite, *id est, vt ea contemplentur, quæ in sublimi sunt. Nam qui non ad bona sublimi sunt, sed quæ in terra respectat; is vtique desigit, detrahítque oculos in terram.* Nec alio sensu Hieronym. ibi quamuis ly *caput* non subiectiuè, vt aiunt, sed obiectiuè, in quod acies oculorum dirigatur, sic capiat. *Qui in perfectum virum peruenerit, & meruerit, vt caput ipsius Christus sit, oculos suos semper habebit ad Christum, & eos in sublime eleuans; nunquam de inferioribus cogitabit.* Optima sanè consecutio, oculos in Christum, siue in sublimia bona defigere, & de inferioribus nunquam cogitare. Quis enim tam imprudens, vt ab illo speciosissimo decore, & pulcherrima luce, in hæc stercora cogitationem, & animum diuertat. Audi Nyssenum homilia 5. in Ecclesiasten, ea verba atque sententiam opportunissimè Paulo aptantem: etenim cùm de eo primùm dixisset. *Eius enim prudentia, & sapientia versabatur in nullo eorum, quorum studio hic tenemur. Dicit itaque*, Nos stulti propter Christum, *perinde ac si diceret. Nos cæci in iis, quæ pertinent ad hanc, quæ deorsum agitur, vitam, propterea quòd sursum aspicimus, & oculos habemus in capite, &c.* Subiicit post nonnulla. *Quis autem non existimasset, eum esse miserabilem, cum videns in vinculis, & plagis per probrum affici, & naue fracta esse in profundis fluctibus maris, & cum vinculis circumferri? Sed tamen, & si talis esset inter homines, non auertit tamen oculos quominus eos semper haberet in capite, dicens*, Quis nos separabit à charitate Christi, quæ est in Christo Iesu? afflictio, an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? *Quod perinde est, ac si diceret. Quis meos oculos effodiet à capite, & transferet ad id quod conculcatur, & est terrestre?* Nimirum ei, cui diuina pulchritudo illuxerat, non poterant non terrena omnia adeò sordere, vt in illa nullatenus diuerteret obtutum.

4. | Eccl. 2. 14. | Basil. | Hieron. | Nyssen. | ad Rom. 8. 35.

Prænuntiabatur sanè Paulus in Sponsa, dum tota oculorum acie in cœlestem Sponsum defixa dicebat: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*, Canticorum 1. 15. quæ verba Origenes homilia 3. ait, *Nunc autem primum videtur attentius inspexisse Sponsi sui pulchritudinem, & considerasse illis oculis, qui columbæ dicti sunt decus, ac speciem Verbi Dei.* Sed rogo, quid magnum fuerit? Sponsam post tam diuturni temporis cum cœlesti 5.

Cant. 1. 15. | Origen.

lesti Sponso consociationem; nunc primùm illius decorem, & pulchritudinem cognoscere? vbi nam oculos antea habuit? in capite? an in calcaneo? vt aiunt. Adeò ne dubia, & quasi sub luce maligna erat eius forma, atque species, vt simplicissimæ columbæ oculos desideraret? nec alij quiuis, etiam si illi corui fuerint, illam videre, & dignoscere valerent? Seneca quidem contra censet, qui de virtutis pulchritudine agens, scitè, & verè dixit lib. 4. de benefic. cap. 17. *Maximum hoc habemus naturæ meritum, quod virtutis in omnium animos lumen suum præmittit; etiam, qui non sequuntur illam, vident.* Et quidem meritò, quomodo enim eum, qui oculos habeat, lux possit latere? Quid ergo sibi vult Sponsa cùm ait. *Ecce tu pulcher es dilecte mi*; dixerim quidem, vt non quamcumque, aut vulgarem, sed peculiarem, & accuratam hanc Sponsæ cognitionem esse: ita eximiam, & egregiam eam pulchritudinis Sponsi commendationem censeri debere, nimirum, quæ ipsum sic pulchrum, ac decorum faciat; vt omnino neget, aliquid aliud esse præter ipsum, quod decorum, aut pulchrum sit: vt perinde fuerit, ac dicat: Nunc primum ô Sponse ex attenta tui consideratione cognoui, te vnicè pulchrum, te solum decorum, ac speciosum; alia verò omnia stercora, & reiectamenta esse, quæ oculi nolint, nequeántque inspicere. Ita id pensitante Gregor. Nyssen. homil. 4. in Cant. *Ex quo enim nihil aliud mihi videtur esse pulchrum, sed auersatus sum omnia, quæ antea reputabantur in bonis, ac pulchris: non amplius mihi aberrat de bono iudicium, vt aliquid aliud existimem præter te esse bonum, ac pulchrum, non vllum honorem humanum, non gloriam, non splendorem mundanum, non potentiam*; subiicit rationem. *Hæc enim ijs, qui aspiciunt ad sensum, boni quidem specie sunt illata, sed non sunt id, quod putantur. Quemadmodum enim fuerit pulchrum, quod nullo modo consistit? Nam quod in mundo est honoratum, suam habet essentiam in sola existimatione eorum, qui esse existimant. Tu autem verè pulcher, non solum pulcher, sed ipsa boni essentia; semper talis es omnino id quod es, nec in tempore florens, nec in tempore rursum florem abiiciens.* En quid sibi velit simplicissimus animi obtutus, cùm ait, *Ecce tu pulcher es*: ac si cum Hieronym. epist 4. ad Rusticum de Sponsa dixeris, *Oculis aspicientibus Christum non dignabatur aliud aspicere.*

Seneca. Nyssen.

6. Est verò ille huic rei signatissimus locus apud Dauidem Psalm. 118. vers. 123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ*: si tamen à frequentiori interpretum expositione deficias: ij enim sic hæc accipiunt, quasi ex iugi, ac intentissima auxilij expectatione, siue desiderio, Vatis oculi extabuerint. *Posuit* (inquit Theodoret.) *hoc verbum* defecerunt) *vt intensum ostenderet desiderium*: sed interior opinor, Prophetæ mens, isque videtur subesse sensus, quem præfata Hieronymi verba præferunt; vt oculis aspicientibus Christum non dignaretur aliud aspicere: sanè quasi Christi pulchritudine oculi capti, ad alia videnda defecerint, & quasi inutiles, ac cæci facti sint. Dabo tibi statim egregium par Patrum pro hac explicatione fideiubentium. Modò vide similem M. Varronis locutionem à qua accurata hæc Vulgati elocutio lucem accipit; ait ille: *Nam qui ad illum sunt ingressi integris oculis, omnes sunt strabi facti.* Porrò *strabum fieri* appellabant veteres cùm quis alicuius rei percupidus subitò fiebat: quod meritò opponit Varro oculorum integritati, quasi qui rei cuiuspiam pulchritudine captus est, ad alia videnda integros, seu sanos, aut sui iuris oculos non habeat; id verò quid aliud, quàm oculos defecisse, & ab vsu suo cessasse, siue munus suum perfecisse, esse dixeris: Pulchrè ergo Dauid, egregius diuinæ Christi pulchritudinis amator, inquit, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*: ac si dicat, conspecta Christi specie, atque decore, non habere iam oculos, vt alia videam: sed audi Patres: & sic primum loquitur Hilar. ibi: *Propheta animæ suæ oculos in Dei salutare defixit, & de salutari, quid intelli oporteat: sæpè tractauimus: eum, scilicet esse Iesum, qui* saluum faciet populum suum à peccatis. *Alij igitur oculos suos in desideria sæcularia occupantibus, & in voluptates rerum præsentium tendentibus, Propheta in Dei salutare defixus est.* Pergit Ambrosius post similia verba rationem sic reddens, *in eo enim, quem diligimus, totis oculis occupamur, nec quidquam aliud videre delectat.* Addiderim: nec ad alia illos detorquere possumus. Sic sapienter dicebat Philo præfato lib. de temulentia; *Si verè nosses eum qui est, non crederes, vllum alium esse Deum, &c. Sicut enim Sol ex ortu suo stellas abscondit, tanto suo splendore perfusis nostris oculis: ita quoties anima oculi sincero, puro, fulgidissimóque Luciferi Dei sensibili splendore irradiantur, nihil aliud possunt inspicere.* Illustrat hæc Cyprianus oratione de Christi Natiuitate, in humili illo tecto, in quo Dei filius in præsepio reclinatus iacebat, opportunè considerans, nulla inibi spectantium oculos desiderare potuisse aulæa, quibus parietes obtegerentur, quòd illis necessaria ratione otiosa, & inuisa fuissent futura: cùm in vnius pueri Dei speciem ita essent defixi, vt aliam in partem deflecti, aut detorqueri minimè possent. Sic namque Cyprianus: *Ornamenta quæ deerant, etiam si adessent, non haberent oculos inspectores, quia præsentia paruuli sic eorum, qui aderant, Ioseph, & si quis fortè alius ibi erat, oculos occuparat, sic illuminauerat animos, sic corda illexerat, vt in hoc summo bono omnium bonorum vnita collectio videretur; nec opus esset, euagari, & mendicare per partes, quod simul in se vno fidelibus omnipotens infantia præsentabat.* Hæc Cyprianus.

Ps. 118. 125. Theodor. Varro. Hilarius. Matth. 1. 21. Ambros. Philo. Cyprian.

Commodè verò præfatis Dauidis verbis, *oculi mei defecerunt in salutare tuum*, adiungas, illa 7.
eiusdem Psalmi vers. 85. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Sed obserua vetus Psalterium, nec non Augustinum, & Prosperum pro *fabulationes* habere *delectationes*. Nimirum, vt mundi oblectationes perinde sint, ac fabulationes, mendacia, atque deliramenta. Sed cui? Numquid mundi amatoribus? Minimè, ipsi enim delectationes, & gaudia appellant, & pro veris delectationibus, & gaudiis habentes, non mediocres labores suscipiunt, nec leues sumptus faciunt, vt ea consequantur, & obtineant. Cui ergo nugæ, & fabulationes fuerint? Respondet Vates *Mihi*. Vt ex vtraque lectione is resultet sensus, ac si dixerit Dauid: Ea omnia, quæ mundus magni facit, mihi fabulationes sunt, quippè cui, dum in salutare Dei totos oculos occupatos habeo, quidquid mundus magni facit fabula mihi, & somnia sunt, ad quæ minimè attendo, nec curo. Equidem id veræ Sapientiæ proprium esse dicebat Plato, vt homini inanium antea rerum cupido aliam omnino mentem inderet, vt quæ magna priùs esse credebat, postea leuidensia, & nulli pretij duceret. sic enim ille in Sophista, *Necesse est eos, qui hæc audiuerunt*

Ps. 118. 85. August. Prosper. Plato.

cum

cùm adoleuerint, & res ipsas cominus considerauerint, & veris iam animis res manifestè attrectare coacti, pristinas opiniones abycere, atque ita commutare, vt exigua videamur, quæ magna; facilia, quæ difficilia, & singula passim sermonibus concepta Phantasmata actionum progressibus in contraria verti cogantur. Hæc ille. Quæ homini diuina contemplanti, & in virtutis pulchritudinem obtutum defigenti omnino aptaueris; inde enim terrena contemnere, & pro nihilo habere sic edifcit, vt, nec ad illa oculos conuertat quasi inania spectra, & (si velis ludere in Platonis verbis) vana phantasmata sint. Ad quem modum

August. Augustin. conc. 3. in Psalm. 36. 20. ea Vatis verba

Psal. 36. 20. de hominibus potentissimis in sæculo, *Deficientes, quemadmodum fumus deficient*, cum illis: *Transiui, & ecce non erat*, opportunè componens, inquit: *Sed cùm transieris attende post te; post te enim fumus, si ante te Deus.* Voluit dicere: si ante te sit Deus; id est, si in eum defixis oculis intuearis, omnia hæc humana fumus tibi, & vmbræ erunt.

8. Inest quidem iis, quæ diximus acutissimus stimulus, ad eos, qui iam olim à Deo ad eius pulchritudinem cognoscendam illuminati, & in altissimo religionis statu, vt ipsi omnino famulentur suscepti, sæcularibus bonis, siue potiùs fabulationibus, ac nugis rursus inhiant. Quid enim turpius, quàm cum iudicio insanire? aut in mero meridie cæcutire? Sic de Israëlitis post idola abeúntibus magna emphasi querimoniam adornabat Oseas cap. 3. 1. hunc in modum. *Diligit*

Osea 3. 1. *Dominus filios Israël, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacia vuarum*, vbi signatè ingratos hos, nomine filiorum Israël appellauit: nam cùm *Israël* interpretetur *videns Deum*, inde querelæ vis, atque aculeus maximè subsistit; quòd qui Deum iam vidissent, & quasi de facie cognoscerent, atque inde, sæcularia bona, stercora, quisquilias; & inanes vuarum folliculos certa ratione esse scirent; ab eximia illa Dei pulchritudine in has sæculi quisquilias oculos deflecterent. Ita quidem apud eundem Vatem cap. 10. 10. de supplicio huic culpæ atrocitati respon-

Osea 10. 10. dente dicebat Dominus: *Iuxta desiderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi, cùm corripientur propter duas iniquitates suas.* Sed iure ibi cum PP. ambigas; cur duarum iniquitatum singillarim meminerit? nam si de idololatria accipias, vt ex tota illa prophetia accipiendum videtur; numerum auges, cùm non duo, sed vnum peccatum id fuerit; si verò ad peccatorum numerum in indiuiduo velis referre, numerum minuis; nec enim vnum, aut duo, sed plusquam sexcenta hæc fuerint; & alibi, quidem peccata puniturus Dominus, illorum numerum ali-

Amos 1. 3. ter statuebat Amos 1. 3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quartum non conuertam eum*; siue, vt Hebræa lectio habet, *non parcam ei.* & statim, *super tribus sceleribus Gazæ, & super quartum non conuertam eum*; & inibi eadem locutionis serie sæpiùs. Quæ hæc ergo duæ iniquitates

Cyrill. Alex. Hieron. Rupert. Theophyl. fuerint? Respondent Cyrill. Alexand. Hieron. Rupertus, & Theophylactus. Ideo idololatriam duas iniquitates appellari, quòd verus Deus ab Israëlitis iam cognitus, & iudicio probatus, ob inania, & mendacissima idola contemneretur. Audi Rupertum. *In quauis alia gente, quæ Deum non nosset, vnum peccatum erat; cùm videlicet malum per ignorantiam eligitur pro bono: at in populo, in quo notus erat Deus, duplex peccatum est; alterum, Deum notum non colere; alterum pro eo, siue contra eum colere deos falsos.* Hæc Rupert. Et similia Hieronymus; eam expositionem ex iis Iere-

Ierem. 2. 13. miæ verbis cap. 2. 13. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas; cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquam.* Optimè, confirmans: Apta hæc religiosis viris, & animis illuminatis, & Deum cognoscentibus; duplicis enim criminis rei esse videntur, cùm ad deos alienos respiciunt, & sæculi bona concupiscunt, quippè qui diuina pulchritudine cognita, cùm ei omnino inhærere, nec hilum ab ipsius contemplatione, & amore diuelli deberent, ipsi (heu) ab illa oculos, & animum in sæculi nænias auocant, & conuertunt. Ouidium sapienter, & acutè castigabat Seneca Seneca. lib. 3. natural. quæstionum, cap. 27. quod orbis diluuio præ rei magnitudine depicto, graui illo carmine,

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto. Ouid.

tantum ingenij impetum, & materiæ maiestatem ad pueriles ineptias deduxerit, subdens:

Nat lupus inter oues, fuluos vehit vnda leones. Ouid.

quasi ingentem animi paruitatem sapiat, deuorato orbe terrarum lasciuire: Addit insuper. *Dixit ingentia, & tantæ confusionis imaginem cepit, cùm dixit:*

Expatiata ruunt per apertos flumina campos.
—Pressaque labant cum gurgite turres.

Magnificè hoc, si non curauit, quid oues, & lupi faciant. Natari autem in diluuio, & in illa rapina potest? aut non eodem impetu, pecus omne, quo raptum erat, mersum est? Concepisti imaginem, quantam debebas obrutis omnibus terris, cœlo ipso in terram ruente. Perfer. Scies quid deceat, si cogitaueris orbem terrarum natare. Quod quidem iis, qui Dei pulchritudine conspecta, & cœlestibus bonis pro illorum maiestate olim cognitis, & expensis; tam excelsæ subinde cognitionis, impetum ad pueriles terrenarum rerum ineptias transferunt, placet accommodare. Quæ enim animi prauitas, siue paruitas hæc fuerit? deuorato orbe terrarum siue præ Dei amore, vt nonnisi, quæ sursum sunt, sapiamus, quæ sursum sunt, quæramus, contempto, & conculcato iam mundo pueriliter lasciuire? quid oues, quid lupi faciant: hoc est, inanes, & nullius momenti res curantes, & quærentes. Concepisti imaginem, quantam debebas obrutis omnibus terris. Perfer; scies, quid deceat, cum, qui virtutis pulchritudinem contemplatus, amator factus est formæ illius.

Ar enim multo efficaciùs, multóque opportuniùs præpostera hæc studia accusaueris ex Paulo 9.
persimili argumentatione Galatas arguente hunc in modum, cap. 4. 2. *Cum essemus paruuli, sub* ad Gal. 4. 2. *elementis mundi eramus seruientes. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dij, seruiebatis. Nunc autem cùm cognoueritis Deum, immò cogniti sitis à Deo; quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuo seruire vultis?* Efficax quidem, & aculeata ratiocinatio; obserua aculeos: primum in illa interrogatione, *Quomodo conuertimini iterum?* Ea enim emphaticè vsus est Apostolus, vt indicet rem maximè absurdam, & quæ de hominibus, qui rationis compotes sint, vix credi possint. Quis enim vero Deo, eiúsque diuitiis, & bonis cognitis à cœlo in cœnum, ab auro, & margaritis in stercora, atque quisquilias à vera, & splendenti pulchritudine, in fœda & turpia obiecta, nisi amens omnino sit, oculos, atque animum depri

deprimat, atque deiiciat? Deinde pende cum Hieronymo in eum locum accuratam sermonis structuram. Etenim vt priùs cùm elemẽtorum mundi meminit Paulus, non appellauit illa infirma, & egena; ita subinde cum infirma, & egena ab eo dicta sunt, nullam mundi mentionem fecit, sed notanter subticuit nomen mundi. Sic namque Hieronym. *Eadem autem elementa, quæ nunc infirma, & egena appellauit, superius tantum mundi elementa posuit; & vbi elementa mundi dicta sunt, ibi non est auditum*, infirma, & egena: *hic rursus, vbi infirma vocata sunt*, mundi, *vt supra diximus, nomen est tacitum.* Sed quæ huius ratio fuerit? Res quidem ipsa per se loquitur. Sanè, quòd priùs *ignorantes Deum* iis, qui natura dij non erant, inseruirent Galatæ: vnde non adeò fuerit mirandum, mundi elementa ab ipsis non infirma, & egena, sed fortia, & opulenta reputata fuisse. Nam, vt vt iam citatus dicebat Chrysostom. homil. 66. in Ioan. *Dulcis præsens vita est, & multis plena voluptatibus, non tamen omnibus, sed iis, qui illi sunt affixi*; postmodum verò cùm Deum cognouissent, atque ab eius pulchritudine, inanitatem, & vanitatem mundi didicissent, non poterant non infirma, & egena eius elementa, siue bona ipsis videri: etenim (vt subiiciebat ibi Chrysostom.) *Si quis in cœlum suspexerit, & quæ ibi præclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, & nullius pretij esse existimabit.* Vtere ergo Pauli argumentatione, ad sæcularium ineptiarum amorem, & leuiora studia in religiosis hominibus carpendum. Dicitóque illis: *Cum cognoueritis Deum, immo & cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* Nec dubitaueritis ad Pauli gustum Galatas præcedenti capite fascinatos, ac proinde paruulos appellantis, ipsa eius verba illis obiicere: *O insensati, quis vos fascinauit? non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est.* Sed iis hæc opportunè adiunxeris ex S. Nilo in Ascetico: *Quemadmodum turpe est, virum ætate prouectum in cinere, aut puluere considentem, puerilia describere, ita turpe, immo longè turpius est, eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse soliciti, in rerum terrenarum puluere volutari, & studiorum turpitudine professionis suæ fœdare professionem.* Hæc ille.

Hieron. — *Chrysost.* — *ad Gal 3.1.* — *S. Nilus.*

10. Subest iis Pauli verbis, *ad infirma, & egena elementa conuertimini*: iis, qui in religionis statu claustrorúmque secessu Deo famulantur, ad eum modum aptaris, hic etiam stimulus; vt dum Deo omnino non adhærent, sed mundi rebus, & ineptiis pueriliter addicuntur, ipsismet sæcularibus hominibus leuiores quodammodo, & insipientiores sint. Sæculi enim amatores, & in sæculo degentes elementa mundi, quæ, vt ex Paulo obseruabat Hieronymus, non infirma, & egena dicuntur, amplexantur, & retinent; religiosi verò infirmis quidem, & egenis elementis infeliciter inhærent. Nimirum mundi idola, quibus sæculares inseruiunt, & si re vera quisquiliæ, & reiectamenta sint, vt iam vidimus: sed si cum deiculis, & reculis religiosorum hominum comparentur, non adeò infirma, & egena, sed quibus non nihil virium, & substantiæ sit, esse dixeris: nónne aliquid est, prædiuitem, præpotentem, delitiis, & voluptatibus potientem esse? at enim verò, nostra idola, siue elementa infirma, egena, siue *mendica* (vt legit Tertullian. lib. 5. contra Marcion.) quibus nihil substantiæ, nihil virium, nihil decoris, nihil solidæ voluptatis subsit; sed meræ nugæ, & vuarum vinacia, siue inanes vuarum folliculi iam exhausti, & emuncti, aliorúmque pedibus protriti, omni ex parte sunt; quas enim diuitias? quàm splendidam supellectilem? quas constantes voluptates? quem honorem magnum, siue egregium? etiam si diligẽtiùs, quæsieris, possis in claustris inuenire? Sed vt hæc cogitatio pleniùs subsistat, reuoca in memoriam, quod de falsis diis ab idololatris subtus terram abditis dicebat Nazianzenus oration. 2. de Theologia: adnotat. 5. numer. 3. adductus; *alios sub terram abdiderunt: hoc vnum satis consultè*, atque id religiosis viris mundo, eiúsque pompis nuntium mittentibus; dum ipsi hæc idola, homines, diuitias, & corporis voluptates, quæ mundus magni facit, & colit, satis consultè sub terram abdiderunt, siue ad sepulturam terræ mandarunt, etiam accommoda. At corporis imaginem, tum antequam sepeliatur; tum etiam postquam diu terræ deditum è sepulchro rursus extrahitur, examinare, opus habes. Sanè viuo corpori suum robur, viuax motus, egregius decor, fortia membra, & acres vires insunt; at cùm sepulturæ datum, post elapsum aliquod tempus è tumulo cadauer effoditur, quid ipso inanius, vilius, fœdius, horribilius excogitari valeat? quippè quidquid vigebat in viribus, lucebat in facie, florebat in membris omnino consumptum, in puluerem euanuit: nec aliud quidpiam, nisi aridorum ossium, sine cute, sine carne, sine neruis fœtida, & disiuncta congeries è pristina illa pulchritudine remansit. En ergo viuaci penicillo ea omnia depicta, quæ tepidi, & illegitimi religiosi præter Deum amplexantur, & colunt. Certè vt ipsi religionem ingredientes mundi idola satis consultè subtus terram abdiderunt; ita postmodum egregium illum ardorem remittentes, & à cœlesti pulchritudine animum auocantes, sepulta idola insipientissimè effodiunt; nam pro viuo & vegeto corpore, fœtidum, & inane cadauer: pro veris, inquam, honoribus, pro gloria, pro diuitiis, pro voluptatibus, à se relictis, atque sepultis non nisi inanes rerum vmbras, infirma, & egena, elementa inueniunt. Quo enim aptiori nomine appellaueris quidquid sæcularia hæc bona in religionum claustris sapit, quàm inanium vmbrarum, infirmorúmque, ac fœtentium cadauerum? nam & nihil, id est, & malè olet. Hoc sanè stimulo discipulos sic pungebat in Ascetico S. Nilus. *Nos verò charissimi, qui studio virtutis incitati vitæ mundi, cupiditatibúsque renunciauimus, nobísque Christum sequendum proposuimus, quid rursum sæculi vitiis implicamur? & quæ benè destruximus, malè reædificamus.* Scitè, ac si dicat: Amplas & splendidas politorum lapidum domus honorificè euertimus, & demoliti sumus; & lutea modò, viliáque tuguria ignaue, & cum dedecore construemus? sed sic se plusplus Nilus statim explicat. *Nos autem cùm re aliqua indigemus, abiecta animi fortitudine more canum, qui cauda motu blandiore, ossa, eaque sæpè etiam sine carne, ac micas proiicientibus adulantur, ad diuites accurrimus, &c.* Vides, post quæ currant, qui olim splendida mundi idola satis consultè subtus terram abdiderunt? Nempè post ossa, eaque sæpè sine carne, siue post micas, quæ cadunt de mensa sæcularium hominum.

Tertul. — *Nazian.* — *S. Nilus.*

Equidem, cùm malus dæmon hatum micarum, siue næniarum armis religiosos viros oppugnaturus aggreditur, meritò dixeris, ipsum timidè, & rubore affectum accedere, quasi eum, telorum 11.

imbel

imbellium, nulliúsque momenti quibus viros professione, & virtute grandes adoritur, maximè pudeat: ad eum sanè modum, quo Christum Dominū in deserto tentaturus dubius, & animi pendens, sibíque ipsi diffidens, quòd solida tentationis arma, vt olim in paradiso adinuenit, ibi ad manum non habens ad lapides confugere illi opus fuerit; sic inducitur ab Ambr. ser. 35. de ieiunio Domini. *O misera Satana, & extrema congressio! Diabolus in deserto, tentationis solida arma non inuenit. Deest illi de paradiso amænitas arborum. Deest illi consiliatrix Eua, deest illi, pomorum speciosa deceptio; & quia non inuenit cibum, quem offerret esurienti: postulat in cibum saxa mutari. Vndique exclusus, vndique defraudatus, ad pauimenta se confert.* Hæc Ambrosius nostro instituto satis opportuna: etenim Religionum claustra, eorúmque viuendi ratio, cum arido, & horrenti deserto, vbi solida tentationis arma dæmon non inueniat, iusta similitudine componuntur: deest siquidem illis de paradiso amænitas arborum, deest consiliatrix Eua, deest pomorum speciosa deceptio, deest nimirum religionis statui sæcularium bonorum, & voluptatum amænitas, deest honorum, & diuitiarum speciosa deceptio: nihil inibi solidæ, ac veræ amænitatis, ac iucunditatis, nisi quod in mera virtutis professione, ac Christi cruce quæritur, sicut in paradiso, siue in sæculo inuenitur. Quò igitur tentator vndique exclusus, vndique defraudatus nisi ad pauimentum se conferat; vt inde non aliud, quàm lapides, aridas scilicet, & ieiunas voluptates, siue inanes honores, quibus nihil succi, nihil substátiæ subsit, religiosis offerat. *O misera Satana, & extrema congressio!* & eo quidem miseriorem dixeris, quo plures in ea victos, & à perfectionis culmine prostratos videamus. Nónne hos, fatuas virgines appellaueris? de quibus Matth. 25. 2. Quòd si hac occasione quæsieris, cur fatuitatis, potius quàm improbitatis arguantur? & ob fatuitatem ab Sponsi amplexibus, & consortio separentur, cùm sola peccata sint, quæ hominem à Deo diuidant, Isaiæ 59. 2. fatuitas verò ad imprudentiam, siue stultitiam, vel cerebri imminutionem referatur. Respondet Chrysostomus non defuisse illis quidem prauitatem animi: sed eam nequitiam habuisse quæ cum insigni stultitia, & fatuitate coniuncta fuerit, quippè quæ cùm virgines exstiterint, ac proinde in grauiore, acrioréque bello quod cum castitate geritur, victores euaserint, in leniori minoríque certamine muliebriter cesserint, ac superatæ sint: sic enim ille homilia 29. in Matth. *Idcircò fatuas appellauit, quia maiori certamine superato, in minori totum perdiderunt.* Euenit id certè religiosis viris, qui maiori honorum, diuitiarum, & voluptatum certamine superato, in minori, quod cum inani gloriola, & aliis minutis dolis ineunt, perfectionis palmam infeliciter perdunt. Subdit Chrysostomus. *Quanto cum inferiore luctantur, eo minus venia digna sunt, si vincantur.* Quòd si hæ sibi virgines inaniter adulari velint, quasi maiora saltem certamina, quod plures alij non præstiterint, fortiter superarint: ad eum omnino modum, illis occurram, ac iis, qui Ethnicos alioqin continentes, & temperatos laudabant, quòd cùm Gentiles essent, his tamen virtutibus non caruissent, obuiam ibat Augustinus, eorum rationem in illos sic retorquens libro 16. de ciuitate Dei, cap. 36. *Sed continens infidelis homo, non solùm minus laudandus est; quia se continet, dum non credat, verùm etiam multo magis vituperandus, quia non credit, cùm se continet.* Certè qui magnas mundi cupiditates, & pompas reliquit, & minoribus subinde implicatur, & splendidas domus euertens, luteas postea erigit, acriori quodam-

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

modo censura, potius quàm laude dignus videtur; quia cū maiora certamina superauerit, minora vincere nescierit: nam quanto cum inferiore luctatur, eo minus venia dignus est, si vincatur.

Adhæc illa: fatuas has virgines ratio denuo grauat, quæ nostri instituti à quo tantisper deflexímus, proprior est: nempe, non ignorantes Deum, sed cùm illum cognouerunt, immò & cogniti sint à Deo ad infima, & egena elementa, quibus denuo seruire velint, sese conuertisse: à diuinæ videlicet pulchritudinis contemplatione, & suauissimis cœlestis Sponsi amplexibus, ad inanium vmbrarum, & vilissimarum rerum amorem, animi imperum auocasse quod quidem peculiarem Sponso iniuriam inferre videtur. Sic de Israël, de iis scilicet, qui Deum vident, & peculiari illius cognitione illustrati sunt, grauiter conquerebatur Oseas capit 9. 1. inquiens. *Noli lætari Israël, noli exultare sicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo: dilexisti mercedē super omnes areas tritici.* Sed quam quæso vim habeat illa ratio? *Quia fornicatus es à Deo tuo*, vt Israël non lætetur sicut aliæ gentes: nónne, & illæ à Deo recedunt, cùm peccant? Respondent Hieronymus, & Rupertus, illud his verbis constituere Prophetam discrimen inter Israëlis, & Gentilium peccata, quòd gentes, vt meretrices, & innuptæ; peculiaribus scilicet Dei donis non ita ornatæ, neque ad pietatem instructæ, peccarent: Israël verò, vt legitima Sponsa, quæ à Deo legem, & mysteriorum cognitionem acceperat, egregiísque beneficiis erat illi adstricta, ab ipso tanquam adultera à suo Sponso aberraret: nec ex veri boni ignoratione, vt gentes, quæ Deum, eiúsque pulchritudinem ignorantes, peccant: sed sciens, & prudens terrenarum rerum nugis inescata legitimum Sponsum desereret. Quod sanè vt illius peccatum grauius reddebat, & inexcusabilius, ita omnem ei lætandi aditum intercludebat. Quomodo enim lætaretur vxor adultera, quæ zelotypum virum habens extrema ab illo mala necessaria ratione timere debebat? Audi Rupertum: *Aliter (inquit) iudicatur adultera, quæ fornicando recedit à viro suo, atque aliter meretrix, quæ nulli fidem dederat, neque vnquam astricta fuit vinculo coniugali. Tu virum Deum sortita fueras, & tali marito dormisti cum altero viro.* Similiter Hieronymus. *Ne gaudeas (inquit) ne læteris, nec putes talem esse, vt sunt cæteræ nationes: aliter enim nesciens Deum, aliter punitur recedens à Deo.* Quia seruus, qui scit voluntatem domini, & non facit eam, vapulabit multis. Benè quidem, nec abs re nostra hæc dicuntur; simpliciùs tamen, & opportuniùs, vt opinor, hæc subsistent, si Sponsæ imaginem fidem Deo non seruantis ad magni cuiusdam Principis vxorem inter profusæ libidinis meretrices non secus, ac ipsas turpiter gaudentem retuleris; ad eum sanè modum, quo Roma olim tulit impudicissimam Messalinam Claudij Cæsaris vxorem, quæ noctu Imperiali domo, & lecto relictis in lupanari cum procacissimis meretricibus sese omnibus peruulgabat.

——dormire virum cum senserat vxor,
Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos,
Linquebat comite ancilla non amplius vna,
Et nigrum flauo crinem abscondente galero
Intrauit calidum veteri centone lupanar:
Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit.

Et postea:

Obscurisque genis turpis, fumóque lucernæ
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

Proh facinus! Ergo vt huic turpissimo monstro, iure

Ii dice

Marginalia: Matth. 4. 3. — Ambros. — Isa. 59. 2. — Chrysost. — August. — 12. — Ose 9. 1. — Rupert. — Hieron. — Luc. 12. 47. — Iuuenal.

diceretur: Non pudet te cum vilissimis istis meretricibus luxuriari. Eadem ne tui, & illarum ratio est? iis certè nihil est maius nec alium sibi ditiorē quæstum possunt promittere: at tu, cuius Sponsus, Imperator, cuius domus, totus terrarum orbis est, ad has miseri gaudij, & infelicis quæstus fæces potes aspicere? Ita Israëli, animæ scilicet Deo desponsatæ meliori iure obiiciatur. *Noli lætari Israël: noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo.* Hoc est: noli tantam tuæ dignitati, & fastigio tuo inferre iniuriam, vt ab ipso in miserrimum, & exiguæ sortis statum te præcipitans ad vilium animarum morem gaudeas. Cui sententiæ optimè sequens adhæret: *Dilexisti mercedem super omnes areas tritici:* quæ sensum communem habet cum illa Satyrici,

Excepit blanda intrantes, atque æra poposcit:

ac si illi cœlestis Sponsi nomine dicatur: O infelix, quæ turpem, ac vilissimam amatorum mercedem omnibus areis tritici. hoc est, immensæ abundantiæ domus Dei, magnæque dulcedinis multitudini, quam ipse iis, qui eum timent, præparatam habent, præponis.

Æn. 4. Virgil. *heu regni, rerúmque oblite tuarum.*

Chrysol. Pulchrè Chrysologus sermone 163. *Degener nimis animus; mens tota seruilis est, quæ coquorum afflatus, squalores culinæ, hesterno horrore fætentia perquirat obsonia, cui ingiter regius deseruit, atq; adiacet apparatus.*

Ad ea verba, *Omnia detrimentum feci.*

Adnotatio XI.

Non eum sapientem, aut illuminatum censendum, qui mundi bona verbis lacessit, quisquilias appellat; sed illum, qui reapse eorum iacturam, aut detrimentum facit.

I. IAm tandem harū adnotationū, quibus sæcularium bonorum vanitatē insectati sumus claudat agmen, ea, quæ tā ex Latina lectione horum verborum: *Omnia*

Lectio Græca. *detrimentum feci*, quàm ex Græca, *Omnia pro damnis duxisse* prodit cogitatio, quā in explicatione litteræ obseruauimus; nimirū eum solummodo censeri ab erroribus mundi liberum, & ipsius fallaciis minimè implicitū, qui sæculū reapse derelinquit, & terrena bona pedibus conculcat, & proterit. Nec enim is sęculi pompas, ac voluptates, pro damnis ducere, & vt quisquilias, & reiectamenta habere cēsendus est, qui hæc verbis indesinenter lacerans, atque viruperans, animo fouet, & manibus retinet, sed qui ad Pauli morem omniū iacturā, & detrimentum facit. Quid enim frequentius fuerit, quàm fortunam maledicentiae ab hominibus carpi, & vellicari cæcā, temerariam, & libidinosam, ac seruorū suorum negligētem dominam, quæ præmiis, & pœnis erret, passim dici? cùm tamē ab iisdemmet, qui ipsam tam grauiter vituperant, cœlo ipso locetur: & tanquā dea colatur, & adoretur: vt non semel ex his Plin. verbis lib. 2. c. 7.

Plinius monuisse me memini. *Toto quippè mundo, & locis omnibus, omnibúsque horis, omniū vocibus fortuna sola inuocatur, vna nominatur, vna accusatur, vna agitur rea, vna cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cū conuitiis colitur.* Pulchrè, & verè: æquè enim homine fortunā, & sæcularia bona laudāt, & arguūt; reā agunt, & dominā sustinent; conuitiantur, & colunt; ad eum sanè modum quo superstitiosi idolorū cultores, Viduum, & inter deos venerabātur; & vt exitialē, damnáque cultoribus suis inferentē, ab vrbe remouebāt: vt scitè meminit, & irrisit Cypr. in lib. de idolorum vanitate, inquiens. *Qui quasi feralis, & funebris inter* Cyprian.
muros non habetur, sed foris collocatur: & nihilominus quia exortis factus damnatur potius Romana religione, quàm colitur: ac si dicat, O pectora cæca! Quid colitis, quē damnatis? cur damnatis, quē colitis: aut colite, aut damnate. Porrò id ipsum fortunæ cultoribus; quorū quidem *infinitus est numerus*, Eccl. 1. 15 meritò dixeris; Quid vna ex parte fortunæ bona passim Eccl. 1. 15.
accusatis, & pro damnis ducitis? ex alia verò mordicus retinetis, & ad alia denuo accipiēda pertinaciter contenditis, & iter præcipitatis? Sic sanè Bern. lib. 3. *de consideratione*; admirabundus exclamabat. *O ambitio, ambientiū crux, quomodo omnes torques, omnibus* Bernard.
places! Nihil acriùs cruciat, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius. Benè *omnes torques, & omnibus places*; quòd ipsi semper querantur, infensa sibi bonorum culmina, & ab illis plura molestiarum, & laborum tela sibi esse; & tamen ab ipsis nunquam sese extricare valeant.

2. Descripsit elegātissimè Ezech. c. 27. à v. 1. celeberrimæ vrbis Tyri opes, potentiā, atque splendorē sub Ezech. 27. 1
nauis imagine, qua nihil ornatius, aut instructius posset excogitari, vt dum ab ea gloria, & ambitioso fastu statim cecidisse inquit, eo maior, & grauior ruina videretur, quo illustrior fuerat prior cōditio, maiúsque subinde fortunę cōuersio. Et verò in eo grauissimo vrbis, siue nauis casu, atque naufragio ipsosmet maris gubernatores, & nautas è nauibus in terram descendentes, & tanto misericordię sensu de illius calamitate tactos, & de maris discrimine, ac tēporalium rerū incertitudine, & fragilitate admonitos, vt tū præ vi doloris in clamores, & gemitus prorumperent, tum præ graui pœnitudine consumpti inaniter tēporis in sæcularium rerum negotiatione puluerem capitibus suis iacerent; & cinere subinde conspersi ciliciis accingerentur, sic inducit Vates. *Et* Ezec. 27. 29
descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum; nautæ, & vniuersi gubernatores maris in terra stabunt, & eiulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè, & superiacent puluerē capitibus suis, & cinere cōspergentur, radent super te caluitium, & accingētur ciliciis, & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo, & assument super te carmen lugubre, & plangent te. Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? Quæ in exitu negotiationum tuarum implesti populos multos, in multitudine diuitiarum tuarum, & populorū tuorum ditasti Reges terræ? Nunc contrita es à mari, in profundum aquarum opes tuæ, &c. Audisti verba plena lucis, atque sapientię? vidisti homines de certissima rerum humanarū incertitudine, & constantissima inconstātia magis illuminatos, atque instructos? Quid enim aliud hæ voces sonent, quàm si dixissent? O summā maris huius, in quo sumus, inconstantiā, atque incertitudinem! O breuissimam, & aura leuiorem sæculi gloriam! O inanes contentiones nostras, quæ in medio spatio semper franguntur! Quis modò marinis huius vitæ fluctibus fidat? Quis tā durum pectus, & cui æs triplex subsit, iam habeat, qui placidam truci cōmittat pelago ratē? Sed iam à tanta luce, tantáque sapientia, ac cognitione quid speras? Cogitas ne, hos homines tam illuminatos, tantáque cogitatione imbutos, & dolore affectos aliā morum mutationē suscepturos? & procul à maris nauigatione, à vitæ humanæ, atque profanæ negotiis, ab aulæve frequētia ituros? Erras quidem, & vehementer erras; sapienter enim de sapientia dixit Bern. ser. 23. in Cant. *Sol non* Bernardus.
omnes, quibus lucet, calefacit; sic sapientia multos quos docet,

docet, quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Sanè, si attendis, hæc omnia ab illis dicebantur, qui se denuo mari committere, & illius discrimina, ac tempestates iterum, atque iterum experiri cogitabant. Quod eleganter innuisse videtur Vates illis verbis, *& descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum.* nam in Hebræo, vt vertit Paginus, sic habetur, *& descendēt de nauibus suis omnes tenentes remum:* pende hæc *tenentes remum*, hoc est, non abiecto, seu deposito è manibus remo; sed firmiter ab omnibus retento, vt nouas subinde nauigationes susciperent. Ita ne? Quid ergo maris casus, atque discrimina improbè accusas, qui bis naufragium facere cogitas? Quid nobis florentissimæ vrbis Tyri ruinam, & pulcherrimæ nauis iacturam, & calamitatem in exemplum subinde ob oculos ponis, qui remum manibus tenes? & rursus de nauigatione deliberas. Abiice de manibus remum sapiens, & illumina te homo: abrumpe multiplicem negotiationum, & ambitionis tuæ filium, qui de ambitionis, & fortunę fallaciis tot verba facis, nobisque obtrudis. Benè quidem Sapiens: *Qui nauigant mare, enarrent pericula eius, & audientes auribus nostris admirabimur*, Ecclesiast. 43. 26. Sed quid admirabimur? *pericula*: non opinor, sed eos, qui post pericula toties experta, & enarrata, vt nos à mari deterreant, *nauigant mare*; nec enim dixit Sapiens. Qui mare nauigant; sed qui modò post tēpestates post naufragia, post casus *nauigant*. Dixeris hæc omnia odoratum Gentilem Senecam epistola 115. vbi cùm dixisset. *Vtinam, qui diuitias appetunt, cum diuitibus deliberarent. Vtinam honores petituri, cum ambitiosis, & summum adeptis dignitatis statum: profectò vota mutassent* (deterriti quidem à maris periculis, quæ illi narraturi sunt:) subiicit opportunissime, *(cùm interim illi noua suscipiant, quæ priora damnauerant*: ac si dicat, cùm interim, dum pericula referunt, remum firmiter apprehensum manibus teneant; secundæ nauigationi, & nouis ambitionis votis sese accingentes.

Heb. lect. | Eccl. 43. 26. | Seneca.

3. Præferunt egregium horum typum insipientissimi illi Ægyptij, qui cùm toties à Deo flagellati, quod Israeliticum populum retinerent, obdurato animo ei semper obstitissent, tandem ob illorum primogenita occisa, Deo manus dantes, nihil sibi vtilius, nihil salubrius fore existimarunt, quàm si Israelitas tot suppliciorum causam abire permitterent. Quare, non modò illos admonebant integrum sibi iam esse, proficisci, cùm vellent, sed summis ab ipsis precibus efflagitabant, vt exitum suum quantocyus maturarent? *Vrgebántque Ægyptij populum de terra exire velociter*, Exod. 12. 33. Iam verò si scire velis quónam modo tam vtile, ac salubre consilium executioni mandarint, audi Salomonem Sapientiæ 19. 3. sic id describentem. *Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem insipientiæ, & quos rogantes proiecerant, hos tamquam fugitiuos persequebantur.* Quibus in verbis duo velim obserues, alterum, cur dixerit Salomon, *inter manus habentes luctum*: opportuniùs enim dixisse videatur, in oculis habentes luctum, seu lachrymas; hæ enim non manibus, sed oculis hærent, & ab iis diffluunt. Dicunt nonnulli, lachrymam copiam, quæ ad manus vsque decurrerent, easque madefacerent, eo dicendi modo significari. Sed si sua vis illi aduerbio *adhuc* reddatur, eò inclinat mens Salomonis, vt occurato, siue figurato dicendi modo lachrymas oculis ipsorum plorantium præsentes faciat; nam quæ nobis in manibus, & multo magis, quæ inter manus sunt, plus valent ad suggerēdum nobis aliquid, siue in memoriam reuocandum, quàm quæ in oculis, aut inter ipsosmet oculos habemus; ac si dicat, ad ipsarummet lachrymarum præsentiam, hoc est, dum sibi maximè expediens, & vtile consilium manibus ipsis tractarēt; tantæ luci rebelles, de suimet excidio, hoc est, de persequendis Hebræis toto iterum pectore cogitabant: cui obseruationi altera optimè adhæret, nimirum Bibliam Complutensem pro *assumpserunt*; iuxta Græci verbi proprietatem legere, *auulserunt*: vt indicet Salomon, Ægyptios mentibus suis vim intulisse, quò id consilium persequendi Hebræos post tam certum, & longū diuinæ prouidentiæ circa illos experimentum, sibi persuaderent. At enim, cùm auellere sit, vi à loco abstrahere, siue violenter abiungere, dę opportunitate huius verbi hîc meritò ambigas: ait siquidem Salomon, *aliam sibi auulserunt cogitationem insipientiæ*. nam ex quo, inquis, loco eam auulserunt, siue abiunxerunt? Respondeo ex ipsomet luctu, quem illi inter manus habebant, qui saniora suggerebat consilia, & insanæ illi cogitationi omnino obsistebat, quasi à luce tenebras per vim vellent abstrahere, & veritatem in iniustitiam detinentes aduersùs rationis lumen, propriæque mētis iudicium exitialiter deliberare eligerent; aliò ergo lachrymæ, ac luctus, qui inter manus erat, aliò ipsæmet manus, & opera ibant: non secus ac Gentilis ille Burrhus iuuētæ Neronis rector, qui, dū eousque is Princeps insaniuit, vt tamquam histrio in scena, & citharam pulsarit, & ad scenicæ artis leges cecinerit, à Cornelio Tacito id alumni sui propudium mœrente pectore, ore laudans inducitur; sic enim ille lib 14. Annalium de Nerone: *ipse scenam inscendit, multa cura temans citharam, & præmeditans assistentibus familiaribus, accesserat cohors militum, cēturiones, tribunique, & mærens Burrhus, ac laudans*; quippè mærebat tacitus tantam eius Principis insaniā, quem ipse seueritate morum olim aliter instituisset, sed quod Aulicorum ingenium est, infami adulatione propudiosam cantus harmoniam laudabat, & à mærente pectore assentorias laudes auellebat. Sed ô bone, si mæres, cur laudas? si laudas, cur mæres? Sic planè plures videris, qui sæculi vanitatem optimè cognoscant, & sibi semper infensum experti, fortunæ malignitatem accusare, atque fastidire non desinant: & tamen ipsos ab eius obsequio, & seruitute nunquam valebis abstrahere. Pulchrè Hieronym. in prologo lib. 8. in Ezechielem. *Mundus cadit, & ceruix erecta non flectitur*. ac si dicat: Frustrat amatores suos mundus, vel quia à se repellit, vel quia ipse perit; omnia enim, quæ in eo heri florebant, hodie marcent, & ad interitum ruunt: nec tamen illi, quod vident oculis, quod manibus tractant, in animum demittunt, vt ab ipsius fallaciis, & tumultu se extricent; sed vix potiùs infelicem alicuius negotij exitum habuerunt, cùm nouas subinde alterius spes concipiunt, & fouent, quin à falsæ huius hederæ amplexu diuelli vnquam queant.

Exod. 12. 33. | Sap. 19. 3. | Bib. Complu. | Cor. Tac. | Hieron.

In hos certè signatè inuehebatur Regius Vates Psalm. 4. 3. inquiens: *Filij hominum vsque quò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Pende quæsitam locutionem, *diligitis vanitatem*, quæ ad faciē sibi non constare videtur: vna etenim ex parte verbum *diligo* ad amorem, qui ex iudicio, siue ratione oritur; vt alibi vidimus, referri solet; ex alia verò sæcularia bona, quæ diligi dicuntur, vana, & mendacia appellantur: quo ergo modo hic diligendi modus, his bonis hæreat, & aptetur? Sanè, quòd ea dilectio ab iis impendatur, quos cum iudicio, & ratione insanirē, & aliò mente, atque iudicio, aliò manibus, & pedibus ire libet. Sic Gregor. Nyssenus ad hæc verba tractatu i. In Psalmos cap. 4. inquiens: *Pronunciat corde graues, qui mendacium, &* 4.

Psal. 4. 3. | Nyssen.

vanitatem à veritate quidem internoſcunt: ſed tamen diligunt id quod non ſubſiſtit, neglecto eo quod permanet, quódque omni amore dignum eſt: ſolam enim ſanctitatem dixit verè eſſe admirandam. Preme illa: *Vanitatem à veritate quidem internoſcunt, ſed tamen diligunt:* id eſt, non cæcutiunt, non errant, ſed amant ergo; ſanus eorum eſt animus, vt meliorare, ac cæcutire, atque probare & deteriora ſequi, gaudeant, videre, atque probare. Ab hoc quidem non videtur ire alia eiuſdem Pſaltis locutio Pſal. 39. 5. vbi de eo, qui vni Deo fidit, & in ipſo omnes ſuas ſpes collocatas habet, ſic ait Dauid: *Beatus vir, cuius eſt nomē Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.* Quod

Pſal. 39. 5. ſi dubites, quæ ſint iſtæ inſaniæ falſæ? quaſi aliæ ſint, quæ veræ ſint, & aliquod inter vtraſque poſſit aſſignari diſcrimen. Reſpondebo: Si inter veram, & falſam inſaniam ex Vatis mente diſtinguere oportet; vt illam appellas inſaniā veram, quæ homini lumen mentis omnino adimit, & velut œſtro perculſum ad furiati animi motus rapit: ita hanc dixeris inſaniam falſam, cùm quis rationis compos, & cum iudicio deſipit, ſiue inſanire gaudet: non aliter ac apud Lyricum, is qui affectæ mentis vitio ſcenæ ſe continuò adeſſe comœdiſq. audire iactabat, cùm amicorum cura, & medicorum curatione ſanitati fuiſſet reſtitutus, ac ſe ſe ſomniatæ ſcenæ tripudiis fraudatum videret, ſanus factus multo inſanior redditus aiebat:

Horat.

—— —— pol me occidiſtis amici,
Non ſeruaſtis ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim menti gratiſſimus error.

Ad quem ſanè modum falſa, ſed peiori quidem inſania ereptos exiſtimabis eos, qui meliora videntes, atque probantes, peiora ac deteriora ſequuntur, qui mundi videlicet vanitatem cognoſcentes, eum diligunt, & mœrentes laudant, & cùm de aulæ, ſiue curiæ tumultu indeſinenter querantur; inquietas tamen ambitionis ſuæ curas ab animo numquam prohibeant.

5. Nec abs re dixeris inſanorum iſtorum antiſtitem Regem Amaſiam, qui cum Idumæis bellum intuliſſet, eóſque ad internetionem debellaſſet: inſaniſſimo conſilio ipſorum idola victóſque penates, in Numina ſibi conſtituit, & populo ſuo adoranda propoſuit. Cui Dominus tantum facinus peculiari hoc aculeo per Prophetā exprobrauit. *Cur adoraſti deos, qui non liberauerunt populum ſuum de manu tua?* 2. Paralipom. 25. 14. vbi obſerua, multo acriores alias querimonias, grauioréſque rationes fuiſſe à Deo optimo prætermiſſas, quas iure poſſet obiicere: contemptum ſcilicet Numen, læſam diuinam Maieſtatem, ſummámque impij animi ingratitudinem, qui diuinis beneficiis, egregiiſque ope Dei patris victoriis, in illius offenſam abuteretur: eáque ſolùm ratione de induſtria vſum, vt inſipientis, & inſani regis animum pungeret, & neceſſaria argumentatione cōcluderet: ac ſi illi obiiceret: Cur iis monſtris, quibus bellum intuliſti, modò honorem defers? Cur ipſoſmet deos à te captos & victos, in Numina, quę te protegant, inſipiēter aſſumis? Quid victis fidis? Quid ab iis ſperas, quos ad opem ſuis ferendam elumbes, & infirmos expertus es? Apto hîc non diſſimilem ratiocinationem, qua Romanus Martyr iniquum iudicem ad Iouis adorationem ipſum vrgentem ſic reuincebat apud Prudentium.

2. Paral. 25. 14.

Pruden.

Sed cedò magni limen amplectar Iouis,
Qui ſi citetur legibus veſtris reus
Laqueis minacis implicatus Iuliæ
Lucet ſeueram victus, & Scantiniam
Te cognitore dignus ire in carcerem.

vt dicere videatur: Non te pudet, eum vt Numen colere, méque ad ipſius venerationem vrgere, qui ob turpia flagitia, & fœdiſſimas libidines, in quibus ambidexter fuit, te iudice, & cognitore in carcerem, & ad vltimum ſupplicium erat iturus. Quibus ſanè aculeis illos ſtimules, qui mundi idola, quæ vana & inutilia ad opem cultoribus ſuis afferenda millies experti ſunt; ac proinde ipſiſmet iudicibus, & cognitoribus digna, quæ irrideantur, & conculcentur, pertinaciter diligunt, nec ab ipſorum obſequio volunt recedere.

At, quid, inquis, huius ratio fuerit, vt homines reclamante iudicio inſanire, & à ſe ipſis diſcordantes fortunam laudare, & reprehendere, ſiue conuitiis colere velint? Duplex quidem mihi huius ſuccurrit ratio: altera, quòd iis ſæculi idolis non omnino, ſiue non ex animo inſenſi, & irati ſint, nec fortunam perpetuò auaram, & immitem ſibi polliceantur. Sic ſcitè dicebat Seneca ep. 22. *Facilè eſt mi Lucilli occupationes euadere, ſi occupationum pretia contempſeris. Ab his ergo inuiti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant, ipſas execrantur.* Subiicit non inuenuſtam imaginem: *Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur, id eſt, ſi verum affectum eorum inſpicias, non oderunt, ſed litigant:* ac ſi ex amicarum imagine, cum quibus quotidiana iurgia, & diuortia ob repulſas, & acerba ipſarum ingenia habere amatores ſolent, dixerit Seneca, eos qui ſe nobis humanarum rerum deſpectores, & munerum fortunæ contemptores iactant, non hæc odiſſe, atque contemnere, aut ab eorum complexu diuelli velle, quàm queri, iraſci, & litigare, quòd parcè, & rarò hæc illis obtingant, quòd eos ſæpius à ſe repellant, quòd numquam ipſorum animum impleant; aliquando quidem pleniùs obuentura, & familiariùs ſecum actura, totúmque impletura ſinum, & manus ſperantes. Certè ſi ſæculi amatores verè, & ex animo illud contemnerent; nec in illius gratiam aliquando obuenturos; ſiue plurimum apud ipſum valituros crederent: auſim affirmare, illud eos tandem derelicturos, & conculcaturos fore. nam quæ contemnimus, facilè derelinquimus: & quæ non derelinquimus, vereor, à nobis non contemni. Didici hanc rationem à bono illo iudice Samuele, cùm à populo mutata gubernationis forma à ſede curuli depoſitus, atque reiectus, ſuam ipſe omnibus innocentiam, atque integritatem probatam, teſtatámque faciens, dicebat: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum: ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiuſquam munus accepi, & contemnā illud hodie, reſtituámque vobis,* 1 Reg. 12. 3. obſerua illa, *contemnam illud hodie.* Sed quid opus fuit, inquis, id addere: Nónne ſatis erat dicere, *ſi de manu cuiuſquam munus accepi, reſtituam vobis?* Equidem adeò non ſuperfluit ea aſſeueratio, vt egregium potius monitum, quod ſimul futuræ reſtitutionis fidem audientibus faceret, cōtinere videatur: innuit enim iis verbis Samuel: Ad hoc, vt homo rem aliquam ſibi adhærentem abiiciat, opus quidem eſſe, vt eam tamquam inutilem, ſiue exitioſam apud ſe priùs contemnat, & quantumuis ad ſpeciem vtilis, atque iucunda appareat: ſibi tamen hîc & nunc, ſiue omnibus circumſtantiis ſpectatis (vt aiunt) minimè expedire, iudice: aliter, ſi dubia mente ad reſtituendam rem accedat & blandis oculis eam intueatur: & vt hinc inutilem, ita illinc vtilem, vt hinc detrimento, ita illinc vſui futuram conſideret; numquam proculdubio à ſe abiiciet, atque reſtituet. *Contemnam*, inquit, *illud* tamquam ad nullam partem vtile horrebo, tamquam mihi omnino pernicioſum, & interitum allaturum: & dum contempſero, non dubium, quin *reſtituam.* Vides quid ſit in cauſa?

Margin notes, right column: 6. (beside "At, quid, inquis…"); Seneca. (beside "tur. Sic ſcitè dicebat Seneca…"); 1. Reg. 12. 3. (beside "Loquimini de me coram Domino…").

causa? cur homines fortunam, aulam, curiam conuiuiis colát, & cum iudicio insanientes vanitatem diligant; siue mundi bona vituperantes retineant, & optent. Nimirum ipsi hæc non omni ex parte contemnunt, nec tanquam omnino inutilia sibi ac perniciosa aspiciunt; sed de illis tanquam de amica querűtur, id est, si verum affectum eorũ inspicias, non oderunt, sed litigant, & vt vna ex parte pro damnis ducant, ex alia spem melioris fortunæ in illis locant. Quo etiam opportunus dicebat idem
Seneca. Seneca lib. de *breuitate vitæ*, cap. 6. *Superuacuum est, commemorare plures: qui cum alijs felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimoniũ dixerunt, perosi omnem actum annorum suorum. Sed his querelis nec alios mutauerunt, nec se ipsos. Nam cùm verba erumperent, affectus ad consuetudinem relabebantur.* Hæc ille.

7. Iam alteram rationem confice ex iis verbis Salomonis Prouerb. 17. 16. *Quid prodest stulto habere diuitias, cùm sapientiam emere non possit:* quæ in expositione literæ nu. 3. de eo explicuimus, qui temporalium rerum contemptu cœlestis regni palmam, siue spiritualem perfectionem emere non audet; vt ille, qui Christum interrogans, *Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* ab ipsoq; audiens: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo:* ad hanc vocem terga vertens, *abijt tristis, erat enim habens multas possessiones,* Matth. 19. 16. & 22. explicuimus. Eandem autem viam modò insistentes, & allatas ibi translationes etiã aduocantes, ad eum, qui tam inanitatem rerum sæcularium, quàm cœlestium bonorum thesaurum cognoscentes *veritatem Dei in iniustitia detinent*, ad Rom. 1. 18. hæc omnino referẽda censemus: eò enim signatè eunt Hebraica, Græcáque lectiones. Sic namq; Pagnin. *Ut quid est pretium in manu stulti? vt emat sapientiã, & cor non est ei?* Similiter Tigurina, *qui nec pectus habet;* & eodem ductu LXX. *acquirere enim sapientiam excors non poterit.* Pende illa; *cor non est: nec pectus habet: excors non poterit:* quæ non obscurè indicant, agi de homine, & naturali, & supernaturali luce perfuso, atque ipso vsu, & experientia edocto; siue adacto ad terrena omnia contemnenda, vt vera, & æterna bona sibi cõparet, qui cùm pretiũ iam in manu habeat, pro cœlesti thesauro enumeraturus, iam iamq; daturus; præsentium tamen dulcedine captus, ad ea à se abiiciẽda, nec pectus, nec cor habeat: nam *cum verba erumperent*, vt dicebat Seneca, *affectus ad consuetudinem relabebantur*; noxio scilicet visibilium amore præualente, obtundentéque rationis aculeos, & veræ lucis stimulos; immò verò contra ipsos calcitrante. Quòd sic sapienter explicuit Bernard. serm. 6. de Ascensione. *Omnes enim, ni fallor, quæ sursum sunt, quærimus intellectu, fide, & iudicio rationis; sed non æquè forsan sapimus omnes, quæ sursum sunt, tanquam infescati ijs, quæ sunt super terram violento quodam præiudicio affectionis.* & paulo antè. *Intelligunt pariter bona, quæ faciant, sed non pariter diligunt intellecta:* scitè illud, *violento quodam præiudicio affectionis:* hoc est, aduersùs rationis iudicium, præiudicante affectione, atque huic suggestioni infelici homine ignaue succumbente. Nec minus opportunè id videtur explicare Seneca verbis à nobis superiùs datis epistolæ 21. vbi Lucillum à publicis negotiis sese extricare cunctantem sic pungit: *Melius probas honesta, quam sequeris; vides, vbi sit posita felicitas, sed ad illam peruenire non audes. Quid sit autem, quod te impediat, quia parum ipse despicis, dicã. Magna hæc esse existimas, quæ relicturus es: & cùm proposuisti tibi illam felicitatẽ, ad quam transiturus es, retinet te huius vitæ, à qua recessurus es fulgor, tamquam in sordida, & obscura casurum. Erras mi Lucilli, ex hac vita ad illam ascenditur.* Optimè quidem: sed in quem, rogo, diriguntur hæc tela; à Seneca in Lucillum? an à Seneca in Senecam? ipse sanè in se verũ testimonium dixit; & suis se iaculis transfodit. Cur enim ipse cùm Christi Euangelium, & fidem audi-nerit, ipsam non suscepit? Cur Paulo familiari, & ab ipso edoctus, eius discipulus non fuit? sed post idola superstitiosè cucurrit? Porro, quòd melius probabat honesta, quàm sequebatur; videbat, vbi posita esset felicitas, sed ad illam peruenire non audebat. Quid autem fuerit, quod illud impedierit. quia parum ipse despexit, dicam. Magna hæc esse existimauit, quæ relicturus erat, & cùm proposuit sibi illam felicitatem, ad quam transiturus erat, retinuit illum eius vitæ à qua recessurus erat fulgor, tamquam in sordida, & obscura casurum. Accipe hæc omnia ab Augustino lib. 6. de Ciuitat. Dei, cap. 10. Senecam carpente, quòd reclamante conscientia, idola quæ vituperabat coleret; ne ab illustri Senatoris ordine, egregiáque existimatione, quam de eo populus habebat, decideret: sic namque Augustin. *Sed iste, quem Philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia illustris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat, quod culpabat, adorabat: quia videlicet magnum aliquod Philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo; sed propter leges ciuium, moresque hominum non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo: eò damnabilius, quòd ea, quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum populus veraciter agere existimaret. Scenicus autẽ ludendo potius delectaret, quàm fallendo deciperet.* Vides quomodo ipsum retinebat; vitæ à qua recessurus erat fulgor, tamquam in sordida, & obscura casurum? Sed erras mi Seneca, ex has vita ad illam ascenditur.

Margin notes: Prou. 17. 16. — Matt. 19. 16. & 22. — ad Rom. 1. 18. — Lect. Tigur. Pagninus. LXX. — Seneca. — Bernard. — Seneca. — August.

VERSVS IX.

Ut inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.

Sensus est vt Iudaïcis cæremoniis repudiatis comperiar in Christo quasi viuum membrum in suo corpore & quasi palmes in vite, non contentus mea iustitia, id est, quæ à meis viribus naturalibus prouenit, seu iustitia, quæ ex lege est, hoc est, ex sola cognitione legis sine auxilio gratiæ, quatenus mera lex est scripta, siue naturalis similis aliis legibus, & non complectitur fidem Christi, nec gratiam; sed ea potiùs iustitia præditus, quæ est Christi fide dimanat, & tamquam radix à trunco pullulat, quæque à Deo Patre luminum à quo omne donum est, diuinitus tribuitur. Sed percurramus singula. 1.

Vt inueniar.

ID est, vt sim: Hebraïsmo Paulo familiari, vt Galat. 2. 17. *Inuenti sumus, & ipsi peccatores*, & ad Roman 7. 10. *Inuentum est mihi ad mortem*, nimirũ, quia de Deo loquitur, à quo talis inuentri quis dicitur, qualis verè est, quod secus accidit homini, qui 2.

Margin notes: ad Gal. 2. 17. — ad Rõ 7. 10.

alios sæpiùs inuenit ab iis, qui secundùm veritatem ex-stunt, quod plures Curios simulent, & bacchanalia bibant, de quo alibi.

Meam iustitiam.

3. Millies obseruaui proprium hæreticorum characterem, esse audaciam, cum inscitia, & oscitantia coniunctam. Nihilque ab ipsis magis esse alienum, quàm accuratam sacrarum litterarum tractationem; quippè qui in ipsis explicandis plus ad sonum vocum, quàm ad sensum rei, aduersus Tertulliani præceptum, se exercent. Duo ad minus in hoc versu egregia huius obseruationis occurrunt exempla. Nam primò quod Paulus dixerit, *non habens meam iustitiam, quæ in lege est*, auidè ipsi arripiũt ad tollendam omnem iustitiam inhærentem, qua homo formaliter iustus fit, & quæ ex diuinæ legis obseruatione censeatur, illam tantùm ex his verbis iustitiam statuentes, quæ in Christo formaliter inhæreat, atque extrinsecus nobis afficta, seu, vt ipsi loquuntur, imputata sit. At enim, id non cæcutire modò, sed extra chorũ etiam saltare est. Nec enim Paulo, cùm dicit *meam*, aut nostram *iustitiam*, de ea sermo est, quæ in nobis inhæreat, vel non inhæreat, sed de ea quæ à nobis, hoc est, à nostris viribus proueniat. Quam ideo etiam appellat *iustitiam ex lege*, prout condistinguitur à iustitia *ex fide Christi*, quia hæc nobis ab eius gratia aduenit: illa verò, cognitioni legis innititur per solas naturæ vires obseruandæ. Id cuius mediocriter docto, & in Paulinis locutionibus exercitato, hoc est, homini non hæretico, extra omnem dubitationem est. vide
ad Rom. 10. 3 ad Roman. 10. 3. *Ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere iustitiæ Dei non sunt subiecti* (hoc est, non subdiderunt se) vbi postmodum latè sub hoc sensu disserit Apostolus, de iustitia, quæ ex lege est, & de ea quæ ex fide est; similiter ea-
ad Rom. 9. 30 dem epistola cap. 9. 30. *Gentes quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israël autem sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus*: id est, tamquam iustitiam per semetipsos operantes, non verò credentes Deum in illis operari; ita August. lib. de spiritu, & litera, c. 39. & lib. 3. contra duas epistol. Pelag. cap. 7. inquiens:
August. *Intelligendum est igitur, iustitiam legis non impleri, secundum iustitiam, quæ in lege est, vel ex lege, id est, secundum iustitiam hominis: sed secundum iustitiam, quæ est in spiritu gratiæ, quod planiùs, & breuiùs, ita dici potest, iustitiam legis Dei non impleri cùm lex iubet, & homo quasi suis viribus facit, sed cùm spiritus adiuuat, & hominis non libera, sed Dei gratia liberata voluntas facit.* Sic Augustinus. Vide eum rursus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 12.

Sed illam quæ ex fide est Christi.

4. EN alterum scopulum, ad quem impingunt hæretici ex his verbis contendentes solam fidẽ iustificare, vt hinc dæmonibus aliquanto peiores se esse ostendant. Dæmones enim, & credunt, & contremiscunt, Iacobi 2. 19. hi verò solùm credere contenti sunt, de qua re Saluian. lib. 4. de Proui-
Iacob. 2. 19. dent. sic scitè ait, *subiungi autem ad pudorem & condemnationem horum peccatorum non credere solum dæmones Dei nomen, sed etiam timere, & contremiscere, hoc est dicere. Quid tibi blandiris, ò homo quisquis es, credulitate, quæ sine timore atque obsequio Dei nulla est? Aliquid plus dæmones habent. Tu enim vnam rem habes tantummodo, illi duas: tu credulitatem habes, non habes timorem, illi credulitatem habent pariter, & timorem.* Ita ille.

Sed vt id solum, quod proprium huius loci est 5.
tangam, eadem prorsus ignoratione scopi, ac sensus Pauli, qua priùs peccant hæretici: ille enim dum iustitiam ex fide Christi adstruit prout condistinguitur à iustitia ex lege aliò respexit, quam vt doceret solam fidem iustificare, ne sibi omnino contrarius esset, qui ad Rom. 12. 3. disertissimè monuit, ad Rom. 12. 3
factores legis iustificabuntur. Appellat ergo, iustitiam ex fide, qua in Christum creditur, eodemmet sensu, quo appellaret iustitiam Christianam, quæ prout à gratia Christi ortum ducit, opponitur iustitiæ legali: huc enim it mens Pauli, & series sermonis. Iam si Christianam iustitiam, aut iustitiam à Christi gratia dimanantem, Christianam iustitiam dixisset Paulus. Quis dubitasset, illam complecti præceptorum obseruationem? cùm toties huius in Scripturis mentio fiat. Quòd si hæretici verbis hærere malint, quàm sensui, dicam & ego, aliud esse iustitiam ex fide Christi, aliud solam fidem iustificare, aut esse iustitiam. Nam, huic propositioni, iustitia quæ est ex fide Christi, is opportunissimus subest sensus, vt innuatur, iustitiam ex fide tanquam à radice oriri, vel illi tamquam fundamento inniti; sine etiam explicari potest, iustitiam ex fide, id est, ex cõformitate cum regula fidei. Addo alios etiam sensus valdè accommodatos huic locutioni, dari ab Au- August.
gustino, nimirum fidem impetrare iustitiam, atque initium illius esse: necnon per fidem cognosci, non aliunde nobis iustitiam obtingere, quàm ex vi meritorum Iesu Christi, vide Augustinum lib. de prædestinatione Sanctorum, c. 7. & epist. 106.

Ad hæc: in sequentibus verbis, *quæ ex Deo est iu-* 6.
stitia in fide, benè perpensis, is hæreticorum sensus labefactatur à Paulo. Nam vt Vulgatus candidè expresserit Græcam expositionem ἐπὶ, reponens *in*, non minus opportunè eam vertas *super*, vti & ipse-
met Vulgatus legit ad Ephesios 2. 20. *superædificati* ad Ephes. 2. 20.
super fundamentum Apostolorum, &c. vt dicat Paulus, *quæ ex Deo est iustitia super fidem*: hoc est, quæ fidei vt fundamento superponitur per charitatem, & bona opera, qui loquendi modus, Patribus, & catholicis familiarissimus est. Nec contentus ero, hæreticis respondisse, nisi etiam obiter, aliud Pauli testimonium, quo ipsi ad hunc errorem confirmandũ mirificè delectantur, ab ipsorum manibus clarè, & dilucidè extorqueam, sic enim camelus cornua desiderans, aures etiam amisisse fertur: sed ad rem.

Explicantur hæc Pauli verba, *iustus ex fide viuit*, ad Roman. 1. 17. & ad Galat. 3. 11. & ad Hebræos 10. 38.

DE horum verborum explicatione multi mul- 7.
ta dicunt, præsertim nostri sæculi interpretes, & ij, qui de controuersiis fidei aduersùs hæreticos scripserunt, quòd ipsi hinc adstruant, solam fidem iustitiam, præstare & si verum fateor, non pauca sunt, quæ in huius locutionis sensu ego etiam aliquando euolui, & excogitaui. Sed plane ipsimet Paulo primùm iuxta ea, quæ modò
dixi, necnon Ioanni cap. 3. 36. eam expositio- Ioan. 3. 36
nem debeo, quam in Hieronymo postmodum inueniam omnino certam censeo. Ego enim sic existimo, idem hîc atque ibi Paulo institutum, & sententiam esse, ac proinde verbum illud

illud *viuit* non confungendum cum præcedentibus. vt alij interpretes accipiunt, sed seorsum accipiendum, vt sensus sit, *qui iustus est ex fide*, hic *viuit*; nimirum vt quemadmodum iuxta sensum superiùs à nobis datum, Paulus frequenter distinguit duplicem iustitiam: vnam *ex fide Christi*; alteram non ex fide Christi, sed *ex lege*, ita distinguat duplicem iustum: vnum ex fide, alterum non ex fide; & de priori affirmet vita spirituali viuere; de posteriori verò, neutiquam viuere. En nostram explicandi rationem, quam in locum ad Galatas sic
Hieronym. breuiter attigit Hieronymus. *Potest & præsens testimonium, sic legi.* Quia iustus ex fide, *vt deinceps inferatur*, viuet. Ita ille.

8. Et verò, vt id planum fiat, prius quàm Abacuc testimonium, à quo Paulus hanc locutionem desumpsit, expendam. libet cum iis, quæ nuper diximus, componere locum epist. ad Galat. vbi hanc
ad Gal. 3. 11. sententiam. sic interserit Apostolus vers. 11. *Quoniam autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit: lex autem non est ex fide.* Quod fuit dicere. Veterem legem ope gratiæ destitutam ex se non potuisse tribuere iustitiam, vnde hanc non nisi ex fide Christi contigisse.
Chrysost. Ita ibi Chrysostomus his verbis: *Hoc enim non solùm ostendit ex fide iustificationem esse; verùm etiam fieri non posse, vt per legem contingat salus.* Hæc ille. Quæ dubio procul sensum habent communē cum iis Pauli verbis, quæ elucidamus, *vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi.* Quare obserua quid toto illo cap. 3. à num. 2. dixerit Apostolus, sic enim ibi:
ad Gal. 3. 2. *ex operibus legis Spiritum sanctum accepistis, nam ex auditu fidei?* quasi dicat minimè ex operibus legis, sed ex fide, quæ auditione verbi cæpta est, sancti Spiritus gratiam, & dona percepistis. Vnde subdit: *sic stulti estis, vt cùm Spiritu cæperitis, nunc carne consummemini:* id est, adeóne amentes estis, vt qui fide Spiritus diuini præsidiis fulti Euangelicæ doctrinæ obsequium, & manus præstitistis, nunc circumcisione, & carnalibus legis cæremoniis iam abolitis, & antiquatis, perfici moliamini? Idem ferè ait, vers. 5. & 7. *Cognoscite*, inquit, *quia qui ex*
Vers. 5. & 7. *fide sunt, hi sunt filij Abrahæ, prouidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes: igitur, qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham: Quicumque enim* (subaudi solummodo iusti) *ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*; ex quibus præfatam sententiam sic infert. *Quoniam autem in lege* (subaudi sola) *nemo iustificatur apud Deum* (suple & si aliàs habeat iustitiam moralem) *manifestum est: quia iustus ex fide viuit.* Hæc Paulus. Apud quem vides seorsum poni; esse *iustos ex fide*, *iustificari ex fide*; quod opponit illi membro, *esse iustos ex lege*, vel *ex operibus legis* tantùm; & seorsum illa verba. *Hi sunt filij Abrahæ: ij benedicentur cum fideli Abraham, hi viuent*, & vers. 21. *si data esset lex, quæ posset*
Vers. 21. *set iustificare, verè ex lege esset iustitia*, & vers. 26. *Filij Dei estis per fidem.* Quæ omnia vt apparent eodem eunt.

9. Hæc quia clariora, & manifestiora, quippè quæ re & vocibus ipsis cum verbis, quæ explicamus, concurrunt, primo loco posui: venio nunc ad lo-
Abacuc. 2. 4. cum Abacuc, ex quo Paulus hanc locutionem deprompsit, necnon ad Ioannis verba, quæ ad eum etiam alludunt; sic ergo Vates cap. 2. 4. *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso; iustus autem in fide sua viuet.* Sic Propheta, ad cuius loci marginem in omnibus Bibliis, tamquam omnino similes appinguntur tres præfati Pauli loci, & ante eos hic Ioannis 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Ergo iuxta Ioan. 3. 36.
Ioannem sensus Prophetæ is erit, quem modò dedimus, nempè, *iustus ex fide*, id est, is, cuius iustitia non est tantùm *ex lege* scripta, vel naturali (quæ solummodo est iustitia moralis,) sed ex *fide*, id est, ex conformitate cum regula fidei, is, *viuet*, subaudi vita spirituali animæ, quia ea iustitia est supernalis, & diuina proueniens formaliter à gratia gratum faciente, vt à præcipua forma, vel vita æterna; nimirum si permanserit in ea iustitia. Confirmatur is exponendi modus ex priori hemistichio Abacuc, *qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso*, quæ Ioann. sic exponit loco citato, *qui incredulus est, non videbit vitam.* Ecce Propheta, & Ioannes è diametro opponunt verbo *viuet* illa verba, *non erit recta anima eius in semetipso*, vel *non videbit vitam.* Tum sic: ista verba, *non erit recta anima eius in semetipso*, vel *non videbit vitam*, seorsum, ac separatim à præcedentibus sunt legenda, vt liquet: ergo & verbum *viuet*: igitur sensus est: Incredulo incredulum esse, satis est, ad hoc vt non habeat vitam, at, vt quis vitam habeat, non satis est iustum quacunque iustitia, conformi cuicunque regulæ rationis, vel legis esse, sed necesse est, vt sit iustus *ex fide*, id est, iustitia, quæ vt à radice oritur ex fide, vel illi, vt fundamento innititur, & eius regulæ conformis est.

10. Adde locum ad Hebræos 10. 38. vbi cùm dixisset Paulus, *iustus meus ex fide viuit*. subiecit citans, ad Heb. 10. 38.
& explicans verba Abacuc, vt omnes fatetur, *quod si subtraxerit se* (id est, si fuerit incredulus. vt dixit Propheta) *non placebit animæ meæ*: in qua periodo membra sibi consonantia, sunt illa, *iustus ex fide*: & *subtrahens se*, siue *incredulus*, ex vna parte: ex alia verò, *viuet*, & *non placebit animæ meæ*, vt vers. 39. *Non sumus subtractionis filij in perditione*, id est, nō sumus increduli, quos sequetur perditio, sed filij fidei in acquisitionem animæ: id est, sumus iusti ex fide, ideo viuemus. Nec omittam hæc verba, prout ibi à Paulo citantur, *iustus meus ex fide viuit*, in lectione Syriaca sic exprimi: *iustus ex fide mei ipsius viuet*, Lect. Syriaca.
vbi ne pronomen *meus* videatur omissum, censendū est fuisse cōniunctum cum illis verbis *ex fide*, dum ait: *iustus ex fide meiipsius*, ac proinde Syrum intellexisse, seorsum accipiendum illud verbum *viuet*.

Vnde in primis apparet, eundem sensum in verbis Prophetæ esse, si legas cum Hebræo, & Vulgato, *in fide sua*, cui lectioni proxima est versio Sym- 11.
machi apud Hieronymum ibi, *iustus per fidem propriam suam viuet*, necnon Aquilæ, & Theodozionis apud Hieronymum: *ex fide eius*, nam vt ly *eius* Symma. Hieronym. Aquila. Theodor.
anceps sit, tamen cùm sub Dei persona hæc dicantur, potiùs videtur ad hominem referēdum esse, ac si cum LXX. & Cypriano lib. 1. contra Iudæos, c. 5. LXX.
iustus ex fide mea, viuet, eadem nāque est fides Dei, Cyprian.
id est, quā Deus tradit, quæq; à Deo vt donū aduenit, ac fides hominis Christiani, qua ipse credit Deo, quæ nimirū, sua dicitur, sub eo sensu, quo aliæ virtutes supernaturales spes, & charitas, suæ, id est, hominis esse dicuntur, prout ab illo gratia Dei excitato, & adiuto exerceantur, & in eius anima recipiuntur. Sic Paulus hoc loco cùm dixisset, *non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est Christi Iesu*, subdit, *quæ ex Deo est iustitia in fide.* Quare dum Paulus omisit pronomem *sua*, vel *mea*, non est abusus Prophetæ testimonio, vt aliqui volunt, sed vtrumque potiùs tacendo expressit; nam cùm fidem generatim dixit, & fidem Dei, hoc est, quæ à Deo: & Abacuc. Lect. Heb.

& fidem hominis, qua ipse Deo credit, intellexisse visus est. Similiter quod Abacuc dicat *iustus in fide*. Paulus autem aliquando dicit, *iustus ex fide*, aliquando *in fide*, aliquando *per fidem*, non te moueat, aut turbet nam sensus idem est, & vox Hebræa ב beth, quæ in Abacuc est pro *in*, ea omnia significat, & quidem sapienter translata est per *in*, *per*, & *ex*, vt significetur fidem esse fundamentum, medium, & radicem iustitiæ.

12. Quòd autem Hæretici ex hoc loco eruere contendunt, hominem sola fide iustificari, ineptissimũ est, & ipsi literæ expresse repugnat. nam particulæ illæ *in*, & *ex* non sonant causam formalem, & particula *per* accipi debet in subiecta materia, vt *in*, & *ex*, quòd explicatio sint eorundem verborum Prophetæ Abacuc. Itaque sicut cognitio naturalis est quasi radix omnium actuum appetitiuarum, & executiuarum potentiarum, qui naturales similiter sunt: ita fides supernaturalis est etiam radix supernaturalium actuum voluntatis, & potentiarum executiuarum, & in eo sensu iustitia, vt comprehendit omnes actus virtutum supernaturalium, dicitur esse *ex fide*, id est ex cognitione supernaturali.

13. Obiiciat non nemo ex Catholicis aduersùs hũc exponendi modum præfatum sensum Prophetæ verbis aptatum, non videri literalem, cùm ibi de liberatione Iudæorum, qui captiui tenebantur à Nabuchodonosor, & de exspectatione eius beneficij, illi populo à Deo conferendi agatur, vt plures expositores interpretantur. Respondeo magis esse, vt credamus in primis Paulo, qui de fide in Christũ disertè intelligit Prophetam: deinde Hieronymo ibi, & Eusebio lib. 6. demonstrationum Euang. cap. 14. & iis, qui meliùs sentiunt, tangit enim Iudaica Prophetia Christiana respiciens (vt loquitur August.) & ea quidem *omnia in figura contingebant illis*: vnde sub typo Cyri, & liberationis è captiuitate nec non sub illa fide, & confidentia in Deum auxiliatorem, tamquam nucleus in nuce, redemptio Israël, & fides Christi venturi delitescebat, vt in apparatu ad libros sacros agens de sensu litterali è Prophetarum vaticiniis eruendo, copiosiùs tracto.

Hieronym. Euseb.

August.

14. Obiiciat deinde Concil. Tridentinum sess. 6. cap. 8. dum sic ait; *Cum Apostolus dicit iustificari hominem per fidem*, vbi Concilium videtur supponere, Paulum coniunxisse illa duo *ex fide*, vel *per fidem viuet*; nam quod Paulus dixit verbo *viuere*, dixit Tridentinum verbo *iustificari*; respondeo minimè verò, sed potiùs Tridentinum, quod Paulus dixit, *iustum ex fide*, ait, *iustificatum per fidem*, nec verba aliud conuincunt, vt consideranti patebit.

Conc. Trid.

15. Desinant ergo hæretici Scripturæ locutiones, quas nec ipsi intelligunt, nec accuratè exquirere curant, nobis obiicere: sed studeant potiùs iuxta Christi monitum Ioan. 5. 39. scrutari scripturas, profunda scilicet meditatione illas discutere (vt interpretatur ibi Chrysostomus) vt eas perfectè valeant intelligere, non verò leuiter, & perfusoriè legere, vt inde decipiantur, & decipiant. Sed verum dico, & prædico vobis Amici: *nisi credideritis, non intelligetis.*

Ioan. 5. 39. Chrysost.

VERSUS X.

Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius: configuratus morti eius.

BIFARIAM hic versus potest accipi. Primò, vt à præcedentibus dependeat, altiúsque series orationis decurrat; dum hæc verba illis hærent, *propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora vt Christum lucrifaciam*, iis quę immediatè sequuntur: *Et inueniar in illo non habẽs meam iustitiam, &c.* per parenthesim dispunctis, vt sit connexio, & sensus; Apostolum Iudaismum, & quæ in ipso speciosa erant deseruisse, vt Christum cognosceret; pleniúsque sciret, quanta ea sint, quæ ad eius gloriam, & salutem quæ humano generi ab eius passione proficiscitur, spectant, quasi hæc exteriorum rerum iactura non leuiter ad Christi cognitionem conducat. Alterum, vt immediatè cõiungantur cum præcedentibus, *quæ ex Deo est iustitia in fide*, vt sit sensus: iustitiam ex fide, & in fide, de qua immediatè egerat, eam esse, qua cognoscitur Christus, & virtus Resurrectionis eius, nec non & societas Passionem ipsius. 1.

Ad cognoscendum illum.

EAdem sunt hæc verba cum illis versus 8. *Propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei*: vide ibi dicta num. 4. & seqq. Sed S. Thomæ cõmentarius, quia egregius, & pulchra eruditione refertus, minimè omittendus est. Sic enim ipse: *Fructus est cognitio eius, & virtus resurrectionis eius & societas sanctorum eius. Et de huiusmodi secundùm duplicem cognitionem potest dupliciter agi. Uno modo exponendo de cognitione viæ; & sic oportet tria cognoscere de eo. Primo eius personam, quòd est verus Deus. Et ideo dicit*, Ad cognoscendum illum, Ioan. 14. 9. tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me. *Secundo gloriam resurrectionis eius, vnde dicit*: Et virtutem resurrectionis eius: *id est, resurrectionem virtuosam factam propria virtute. Tertiò qualiter eum imitentur, ibi*: Et societatem, *scilicet, vt ei sociemur in passione.* 1. Pet. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. *Secundò de cognitione experimentali, & incipit à posteriori, quod est vltimum in exsecutione, & primum in intentione. Primum est agnitio Dei per essentiam ad quam ducit fides, Hierem.* 31. 34. omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum, dicit Dominus, *& ideo dicit* ad cognoscendum illum. *Secundò, quia non solùm anima glorificatur, sed ex hoc etiam corpus erit gloriosum: ideo dicit*, & virtutem resurrectionis eius, *scilicet, ex qua resurgemus*, 1. Corin. 15. 14. Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra. *Tertiò societatem, quia per experientiam habebimus, quantum valeat societas passionis eius.* 1. Corin. 1. 9. Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri. Hactenus Angelicus Doctor: quibus nihil luculentiùs, nihil sapientiùs dici potuit. 2.

S. Thomas.

Ioan. 14. 9.

1. Pet. 2. 21.

Ierem. 31. 34.

1 ad Cor. 15. 14.

1. Cor. 1. 9.

Et virtutem resurrectionis eius.

DE qua loquitur resurrectione? de ea ne, cùm ipse propria virtute à mortuis resurrexit: an de 3.

de illa, qua mortui omnes ab ipſo tandem ad immortalitatem excitandi ſunt: S. Thomæ, & aliis non paucis prius placuit, quòd frequens, ac familiare Paulo & aliis Apoſtolis ſit, hunc vbique articulum ſingillatim, & in ſpecie exprimere, etiam quãdo alios in genere ſolùm proponunt; quoniam ab eius fide reliquorum pænè omnium fides pendere videatur: immò, vt benè inquit Lorinus in Acta ad
Lorin. cap. 1. verſ. 8. hæc quaſi Apoſtoli quædam diffinitio cenſeri poteſt, teſtem eſſe Reſurrectionis Chriſti. Sed contradicit Chryſoſtom. eo nixus fundamento, quòd nulla ratiocinatione potuiſſet à Paulo Chriſti reſurrectio comprehendi. *Quæ*, inquit, *vnquã ratiocinatio reſurrectionem nobis demonſtrabit?* Huic tamen rationi nõ difficilè quiuis obuiam eat, affirmando Paulum non loqui de cognitione Reſurrectionis Chriſti per humanas ratiocinationes, & argumenta, ſed de ea, quæ ex fide, & in fide habetur.

4. Plures tamen malunt Paulum accipere de Reſurrectione iuſtorum, quæ Chriſti Reſurrectionẽ
Iuſtinian. Cornel. Eſtius. imitatur. Ita Iuſtinianus, Cornelius, & Eſtius. Addunt idcircò id Paulum commemoraſſe, quòd paulo ante dixerit, ſe Phariſæum eſſe. Et verò vt Phariſæi nihil frequentius, quàm Reſurrectionem aduersùs Sadducæos profitebantur, ita omnino ignorabant Chriſti Reſurrectionem, noſtræ ad immortalem vitam reſurrectionis cauſam eſſe. Et quidem hæc explicatio Pauli verbis videtur congruentior. Nec enim dixit, ad cognoſcendam Reſurrectionẽ eius, ſed potiùs; *ad cognoſcendum virtutem Reſurre-*
Lect. Græca. *ctionis eius*: vbi Græcè pro *virtutem*, eſt δύναμιν, vim, potentiam, efficaeitatem, ac ſi dicat, vt cognoſcam quanta Reſurrectionis eius ſit vis, quando ipſa noſtræ Reſurrectionis, & gloriæ cauſa exemplaris eſt:
Primaſ. ita Primaſius. *Vt cognoſcam perfectè beneficium, & vim Reſurrectionis illius; quia ideo reſurrexit, vt nos*
Theodor. *ſimiliter reſurgamus.* Similiter Theodoretus. *Vt cognoſcam per fidem eſſe vniuerſorum Deum, & effectorem, & noſtram ſuſcepiſſe naturam, vt noſtram ſalutem procuraret, & corpus, quod accepit, reſurrexiſſe, dum hoc agit, vt ſim communis omnium hominum Reſurrectio. Virtutem enim, ſeu potentiam Reſurrectionis ſcopum, ac inſtitutum reſurrectionis appellauit.* Hæc ille.

5. Enim verò, hæc non tam de corporum, quàm de animarum in nouam, & ſpiritualem vitam reſurrectione accepta non minus probabilia, & Pauli menti hoc in loco, ſiue aliis eiuſdem Apoſtoli verbis æquè opportuna erunt. Sic enim ipſe ſæpiùs mortis, & Reſurrectionis Chriſti munia, ſiue de illis locutiones partitus eſt, vt remiſſionem peccatorum, morti; iuſtificationem verò noſtram, ſiue nouitatem vitæ, reſurrectioni attribuat: ſic enim ad
ad Roma 4. 25. Roman. 4. 25. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Et eadem
ad Rom. 6. 4. epiſt. c. 6. 4. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortẽ, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quæ ſanè verba cum iis, in quibus ſumus, collata ſeſe mutuò vtraque exponunt: atque huius quidem expoſitionis auctorem habemus S. Remigium Remenſem Antiſtitẽ, cuius in epiſtolas Pauli commentarij ad manus meas modò peruenerunt, qui cum alluſione ad verba ad Rom. hæc ſic expo-
S. Remig. ſuit. *Quæ eſt virtus reſurrectionis? vt ſicut Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, & iam non moritur, ita nos moriamur in fonte baptiſmatis peccato, & reſurgamus ad vitam, & ſemper in nouitate vitæ ambulemus. Et hæc virtus per fidem cognoſcitur.* Hęc Remigius. Quibus omnino conſentanea ſunt, quæ ad id Rom. 4. 25. *traditus eſt propter delicta noſtra: reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, hunc in modum ſcripſit ad Rom. 4. 25.
Anſelm. Traditus eſt *in mortem, at nos poſſemus mori delictis noſtris, &* reſurrexit, *vt nos in virtutum honeſtatem reſurgeremus iuſti. Etenim mors ipſius ſignificat interitum veteris vitæ noſtræ; reſurrectio autem gratiam nouæ conuerſationis. Traditus eſt in manus perſequentium propter delicta noſtra tollenda, ne nos propter illa traderemur in manus dæmonum cruciandi, & per mortem iure diaboli deſtructo*, reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, *id eſt, vt nos iuſtificando ſuſcitaret à morte animæ, quatenus iuſtè viueremus, quod aliter non poteramus.* Similiter S. Thomas inibi dilucidè, & ad ſcholæ leges id euoluens, poſt plura verò hæc ſubiicit: *Sed quia effectus habet aliqualiter* S. Thomas. *ſimilitudinem cauſæ, mortem Chriſti, qua extincta eſt in eo mortalis vita, dicit eſſe cauſam extinctionis peccatorum noſtrorum, reſurrectionem autem eius, qua rediit ad nouam vitam gloriæ, dicit eſſe cauſam iuſtificationis noſtræ, per quam redimus ad nouitatem iuſtitiæ.* Hæc B. Thomas. En virtutem Reſurrectionis Ieſu Chriſti. Nec hic ſenſus à præcedenti re ipſa diſtat, cùm reſurrectio animæ ad vitam ſpiritualem, neceſſariò debeat præcedere, ad illam reſurrectionem corporum ad vitam: & quotieſcumque de hac extrema reſurrectione ſermo fit, ſpiritualis illa ſubintelligi etiam debeat. Quomodo enim corpore reſurgat ad vitam æternam, qui priùs non ſurrexit animo ad vitam ſpiritualem?

Societatem paſſionum illius.

SOcietatem, Græcè κοινωνίαν *communionem, communicationem*: paſſionum παθημάτων, *afflictionum,* 6.
perpeſſionum. Vnde duplicem reddo explicationem. Prima eſt, ac ſi dicat Paulus, vt cognoſcam etiam quomodo particeps, & cohæres ſio meritorum, atque ſatisfactionis, qua Chriſtus Deum placatum, & amicum nobis reddidit mortem obeundo. Non quòd Apoſtolus excludat ſatisfactionem, & merita, quæ reſpondent aliis etiam Chriſti actionibus, quæ, quia Zeandricæ, hoc eſt, Dei viriles nobis maximè ſalutares exſtiterunt, ſed quia ſingillatim voluit exprimere perpeſſiones, & afflictiones, præſertim paſſionem mortis, quòd inde ex peculiari Deo decreto noſtra ſatisfactio, iuſtitia, & merita dependeant. Deinde, is poteſt ſubeſſe ſenſus, vt perfectam ſcientiam aſſequar ſocietatis paſſionum eius, hoc eſt, quantum pondus meritorum, ſiue etiã dignitatis, & gaudij mihi inſit, dum pro Chriſto, & propter Chriſtum patior, ipſúmque tam in pœna, quàm in cauſa patiendi ſocium, ac conſortem habeo. Vnde tam de ſcientia ſpeculatiua, quàm practica loqui videtur Paulus, ita Theophylactus. *Perſecutiones tolerando, & preſſuras malorum, quæ per-* Theoph. *peſſus eſt Chriſtus, participes & ipſi efficimur.* Theodoretus. *Studium etiam adhibeo, vt ſim eius perpeſſio-* Theodor. *num ſocius.* Primaſius. *Si enim compatimur, & conuiuemus.* Primaſ. Anſelmus. *Quia noſtra reſurrectio eſt virtus,* Anſelm. *& efficacia reſurrectionis eius, & in hac vita facit haberi ſocietatem paſſionum eius, vt & nos patiamur aduerſa quæque pro eo.* Similiter Remigius: *Quia niſi* Remig. *fidem haberemus, nequaquam paſſionem eius imitaremur. Debemus autem imitari illam ponendo animas noſtras pro illo, ſi neceſſitas fuerit, vel etiam in nobis ipſis debemus mortificare vitia, & peccata.* Sed omnibus præiuit Chryſoſt. hæc cum præcedentibus ita connectens. *Ex fide enim fit, vt rerum moleſtarum coire* Chryſoſt. *ſocietatem velimus. Niſi enim credamus, neque etiam incommoda libebit ſubire, niſi credamus fore, vt vnà ſubeuntes ſimul etiam regnemus, nullo pacto adſubeunda*

cunda incommoda adducemur. Hinc verò in nostri temporis hæreticos soli fidei innitentes, vt eã quæ bonis operibus, & laborum tolerantiæ promittitur palmam, ipsi otio, & luxui dediti obtineant, hæc spicula mittit. *Vides, non nudam requiri fidem, sed cũ operibus constantiam? Is enim potissimum credit resurrexisse Christum, qui similiter se periculis exponit, qui ei se in perpessionibus socium præbet.* Sanè si id ita se habet, hæretici nõ credunt resurrexisse Christum. Hac de re plura nos ad vers. 8. cap. 1. in adnotationibus, vide illa.

Configuratus morti eius.

7. Ambros. Erasm. Græcè συμμορφούμενος, quod quia præsentis temporis participium est, Ambrosianus sic expressit *conformans me.* Erasmus verò, *dum conformis fio*; opportuniùs, *si tamen conformis fio*: vt nexa præcedentibus verbis sententia dicat, vt cognoscam communionem passionum eius, in quam deuenio, & quæ mihi contingit, dum ad eius me mortis similitudinem effingo, atque ad eam vitæ rationem me compono, vt Christi mortem imitari, & exprimere contendam. Ita omnes PP. & interpretes, & si in hac similitudine explicanda non nihil differãt: Chrysost. enim ad probra, & contumelias cæteráque dura, & aduersa, quæ Paulus ab infidelibus pro Christi nomine perferebat, sic refert: *Configuratus, inquit, morti eius, id est, particeps. Etenim quemadmodum ille ab hominibus malè acceptus est: ita & ego: propterea dixit* configuratus: *& rursus alibi,* Ad impleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea; *id est, vexationes, & calamitates huiusmodi, reddunt imaginem quandam illius mortis.* Similiter Theophylact. *Nam quemadmodum Christus pro nobis mortalibus perpessus est mortem, sic ipse pro Christo vincula, & carcerem tulerim.* A quo non abit S. Tomas, inquiens: *Ostendit quomodo velit imitari, & inuenire in eo per tolerantiam passionis, &c. Dicit ergo inueniar, non solùm habens iustitiam, sed* configuratus morti eius, *vt patiatur propter iustitiam, & veritatem, sicut Paulus Galat. vlt.* Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Ita S. Thom. Inferunt quidem hinc Chrysost. & Theophylact. maximè lætandum, & gloriandum nobis esse in laboribus, & aduersitatibus, quæ pro Christo sustinentur quandoquidem hæc nos illi similes, & conformes reddunt. *Quamobrem* (inquit Chrysost.) *& vexationes, & incommoda, & angustiæ tantum abest, vt nos perturbare debeant, vt potiùs inde lætandum sit, quòd per has conformes reddimur morti eius; perinde ac si diceret, ad illius similitudinem fingimur: quod & alibi inquit ita scribens.* Mortificationem Domini Iesu in corpore circumferentes. *Et id verò ex magna fide fit. Non enim solùm resurrexisse credimus, sed etiã post resurrectionem habere magnam potentiam Propterea eadem via iter facimus, qua ille, id est, hac etiam ex parte fratres illius efficimur; perinde ac si diceret. Ex hac re efficimur Christi quidam.* Subdit emphaticè. *En quanta est ærumnarum dignitas.* Nec minorem epitasim habere crediderim, quod post præfata verba sic adiecit Theophylact. *Vnde vel eiusmodi passionibus Christiani nos reddimur.* Nam vt maximũ, & inæstimabile bonum est ex laborum perpessione Christos quodammodò fieri, ita ingens, & immensum malum erit, nos Christianos non esse, aut non fieri. quòd passiones, & labores ad Christi imitationem non sustineamus.

Chrysost. ad Colos. 1. 24. Theoph. S. Thom. ad Gal. 6. 17. Chrysost. 2. ad Cor. 4. 10. Theoph.

8. Porrò alij PP. generaliùs loqui videntur, hanc conformationem cum morte Christi de ipsius imitatione, quæ tam ex propria affectuum, & concupiscentiarum abnegatione, & voluntaria afflictionum, & laborum susceptione; quàm ex tribulationibus, siue damnis, ac malis, quæ ab aliis inferuntur, consurgit. Ita Theodoret. & Remigius. Quorum prior: *Studium autem adhibeo, vt sim eius perpessionum socius, & salutarem eius mortem imiter.* Remigius verò. *Configuratus sum morti eius, id est, imitator mortis eius, & passionum illius.* Vtrumque autẽ coniunxisse videtur Anselmus dum ait: *& configurationem mortis eius, vt moriamur sicut ipse, si opus est; vel moriamur semel vitiis, sicut ipse carne mortuus est semel.* Et verò mortis Christi imaginem, & similitudinem ad perfectam anteactæ vitæ pœnitentiam, qua peccatis morimur, frequentiùs Paulus refert, vt ad Roman. 6. 3. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*, nimirum vt ad similitudinem mortis ipsius, moriamur peccato, vt inquit August. in Enchirid. cap. sic inquiens. *Quicumque baptizantur, in Christi mortem baptizantur, vt videlicet moriantur peccato, atque ita similes fiant Christo mortuo.* nec aliter Gregorius Nyssenus in oratione *in baptismum Christi*, his verbis aduersùs hostis incursus armari nos debere, sic admonens. *Verùm vbi senserimus eius incursus, conuenit Apostolicum dictum nobismet ipsis subiicere.* Quicumque in Christum baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. *Quòd si conformes mortis facti sumus, mortuum prorsus deinceps in nobis peccatum est lancea baptismatis, sicut ille scortator à Phinceso Zelote, qui studio & amore Dei flagrabat, expulsum.* Hæc & plura ibi Nyssenus. Sed pergit indidem Paulus eandem imaginem mortis Christi multis versans, & vrgens hunc in modum. *Si enim complantati sumus similitudinis mortis eius, simul & resurrectionis erimus. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato, qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato: si autem mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.* Et post pauca: *Ita & vos existimate; vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo.* quæ omnia in adnotationibus expendemus. Sed modò ad rem Pauli hoc in loco, audi quomodo hæc elucidet Ambrosius lib. de fuga sæculi c. vltimo. *Etenim cùm vetus ille homo noster affixus est cruci, destructum est peccatum, obtusus aculeus, vacuata culpa, vt vlteriùs seruire flagitiis desinamus. Abiit enim vetus homo in nobis, sed noua est creatura habens in se similitudinem Christi, cuius mortis similitudine consepulti, imaginem vitæ eius assumpsimus; alas gratiæ spiritualis accepimus.* Hæc Ambros. Benè ergo Paulum cùm configuratum morti Christi se facit, de perfecta prioris vitæ pœnitentia, egregiáque carnis, & sanguinis cæterarúmque cupiditatum abnegatione, capies; quasi ex Christi cognitione conformis eius morti factus veterem hominem in crucem egerit; & alas gratiæ spiritualis assumens nouus homo, in paradisum conscenderit. Quàm aptè verò in morte Christi, seu in Christo crucifixo vera, & perfectè facta pœnitentia adumbretur, adnotationes spectat.

Theod. Remig. Anselm. ad Rom. 6. 3. Augustin. Nyssenus. Num. 25. 8. ad Rom. 5. 6. Ambros.

Ad

Ad ea verba, *Ad cognoscendum illum.*

Adnotatio I.

Christi scientiam ex mundi contemptu, & affectionum abnegatione, maximè excrescere.

1. Configvratvm morti Christi: hoc est, peccatis, & mundi concupiscētiis mortuum hoc in loco Paulus se esse dicit: sicut & præcedentibus versibus omnium rerum quibus antea præditus erat, detrimentum, iacturámque fecisse, *ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, &c.* quia nimirum, vt ad vers. 8. dicebat Primas. *tunc erit apud homines eminens Christi scientia, quando fuerit ab eis propter Christum mundus contemptus:* ex terrenarum rerum abiectione, & carnalium affectionum abnegatione egregia Christi scientia, & cœlestium mysteriorum cognitione consurgente. Enim verò *possibile quidem* (monet Cassianus libro 5. cap. 18.) *integritatem sine scientiæ gratia reperiri: impossibile verò scientiam spiritualem sine integritatis castimonia possideri.* Quid? interiores ne oculi ab effectibus pendent? intellectúsve perspicacitas, cuius munus est voluntatem aliàs cæcam ducere, eique lumen inferre, ab ipsius actionibus claritatem accipiet? Ita quidem. Nam *sicut Sol Oriens totum cœlum radiis illustrat* (inquit Philo libro de plantatione Noë) *eodem modo etiam virtutes habent suos radios, quibus in mentem penetrando totam eam reddunt lucidissimam.* Quò quidem per allegoriam scitè retulit Venerab. Drogo de Dominicæ Passionis Sacram. illud Michea ad Israël monitum, cap. 1. 16. *Decaluare, & tondere super filios delitiarum tuarum: dilata caluitium tuum sicut Aquila;* vt quemadmodum Aquila dum pennas exuit veteres, suam renouat iuuentutem, & vehementiùs volat acutiúsque Solem intuetur: ita anima, vt maiore diuinæ cognitionis luce fruatur, veterem hominem exuat, & ea quæ mundi sunt, abiiciat: sic enim ille. *Aquila decaluata perspicuo sole fruitur, sic anima caluities quanto dilatatur, tanto se priùs in eam vera lux infundit: qui autem sibi comam nutriunt, cæcitatis, & grauitatis sibi damnationem adquirunt. Propterea lucis huius beatā visionem perdidit Absalon, quia grauabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur.* Hæc Drogo. Cui omnino consentit Seneca dum amicum suum ad externa bona proiicienda, vt inde sapiat, sic adhortatur epistola 2. *Proiice abs te omnia ista, si sapis, immò vt sapias.*

2. Hinc Dominus accurata locutione monet: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,* Lucæ 12. 25. & lumbos quidem præcinctos, *continentiam ab amore rerum sæcularium,* ex Augustino, siue expeditum cursum *ab impedimentis laqueosa vita, & implicita:* ex Tertulliano significare diximus vers. 8. adnotatio 8. num. 7. Sed cur priori loco lumbos præcingere, quàm lucernas accendere præscripserit Dominus? Nónne prius fuerit lucernam accenderet, vt ad eius lucem lumbi præcingantur? Sin minus ij in tenebris, & temerè præcingēdi erūt. Minimè quidem; nam à lumbis rectè præcinctis, lucernæ lux aduenit, sic inibi id adnotante Theophylacto. *Notandum quòd primò iubetur lumbos præcingi, secundò lucernas ardere. Nam primò quidem est operatio, deinde speculatio.* Quam ad rem opportunè dixit Origenes homilia 11. in Genesim. *Maior enim ad sapientiam sensibus nostris capacitas inest, cùm mortificatio Christi circumfertur in corpore nostro mortali.* Et quidem rectissimè: nam *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem,* Sap. 9. 15. Quo sensu Seneca Marciā in consolat. c. 24. sic alloquebatur. *Hæc quæ vides ossa circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultúmque & ministras manus, & cætera quibus inuoluti sumus, vincula animorum, tenebræque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur à veris, & suis in falsa coniectus.* Ergo quantū corpori detraxeris, quātū te à carnis societate expedieris, quantū legi, quæ in membris est, restiteris: tanto capaciorem sapientiæ locum feceris, ipsáque sensibus tuis magis dilucidè irradiabit. Applaudit his pulchra hac sententia Plato, *in conuiuio,* sub Alcibiadis persona: *tunc vel maximè oculus mentis acutè cernere incipit, cùm primùm deflorescit corporis oculus:* quasi interiores, & exteriores oculi admodum cœlestium fratrum Castoris videlicet, & Pollucis, quorum altero oriente, alter occidit, & è contra, se habeant: corporis enim oculis florentibus, corpore scilicet, & carne præualente, animi oculi deflorescunt, atque caligant: at cùm corpori mortificatio Christi infertur, mentis oculi acutè cernere incipiunt. Quò sanè faciunt, quæ eundemmet Platonem occasione egregiæ alterius sententiæ laudans, sic dixit Clemen. Alexandrin. lib. 2. Stromatum. *Plato hæc dixit siue concurrens cum diuina legis doctrina: solent enim magnæ naturæ, & ab affectibus vacuæ sagaciter collimare, & tāgere veritatem.* Benè *ab affectibus vacuæ,* quòd hi mentem obumbrent, & obscurent Gentili Plutarcho apud Stobæum sermone 64. dicente: *Solem sæpè nubes obumbrant, rationē affectus:* sed quæ Philo in libro de profugis huc intentus scripsit, opportunissima sunt. *Nónne vides (inquit) Solem ipsum aliud Orientem, aliud Occidentem efficere: post exortum eius illustrantur in terris omnia, in cœlo verò celantur, è diuerso post eius Occasum Sydera quidem promicant, terrestria verò cuncta obteguntur vmbris superuenientibus: ad eundem modum res nostræ se habent, quoties sensuum splendor tamquam Sol oritur, tunc scientiæ re vera cœlestes occultantur, quoties autem ad Occasum accedit, tunc fulgentissima virtutum Stella se proferunt, quando etiam mens ipsa re nulla velante fit sensibilis.* Hactenus Philo.

3. Egregiam, & dilucidam pulchritudinis Sponsi cognitionem, quæ Spōsæ de nouo illuxerit, illa eius verba præ se ferre Canticorum 1. 15. *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus,* ad vers. 8. adnotatio. 10. admonuimus. Sed vnde rogo, hæc oculorum perspicacia, qua in cœlestem Sponsum irrepercussa pupilla intendit, atque eius speciem, atque decorem quasi de facie noscit: illi aduenit? Id sanè ex Sponsi verbis, quæ ipsi immediatè dixerat, facilè est coniicere, sic enim ille: *Ecce tu pulchra es: oculi tui columbarum.* Sed duo hîc nosse oportet: alterum, cur perspicacem animæ oculum, acutéque cernentem, non cum aquilæ, cuius acutissimus obtutus, & ad contuendum Solem audacissima pupilla, sed cum columbæ oculis Sapiens composuerit? alterum, esto columbæ oculi aptiores ad videndum sint, quare dixerit Sponsus, *oculi tui columbarum,* & non columbæ, quod aptius, & frequentius imagini esse videbatur? & primæ quidem interrogationi inde satis fecero, quòd in columba candor, & simplicitas, ac affectuum vacuitas significetur; vt ad hunc locum inquit Gregorius Nyssenus homilia 4. in Cantica his verbis: *Quoniam ergo, qui amplius non aspicit ad carnem, & sanguinem, ad vitā aspicis spiritualem, & sicut dicit Apostolus, viuificans spiritu ambulans, & corporis*

Primas. — Cassianus. — Philo. — Michea 1.16. — Drogo. — Seneca. — Luc. 12.35. — August. — Tertull. — Theoph. — Origen. — Sapien. 9.15. — Seneca. — Plato. — Clem. Alex. — Plutarch. — Philo. — Cantic. 1.15. — Cantic. 1.14. — Nyssenus.

ris affectiones spiritu mortificans totus effectus spiritualis,non animalis,neque carnalis.Hac de causa fertur testimonium de anima liberata a corporali affectione,quod habeat speciem columba in oculis, hoc est, quod character vita spiritualis illustretur perspicaciter animi facultate. Sanè quasi non illico, quòd aquila sis magno mentis acumine,& perspicacitate præditus; *ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius*; hoc est, ad diuina mysteria penetranda adeò fueris idoneus,ac si minori ingenio à corporalibus affectionibus liberatus columbæ oculos in Sponsum defixeris.Sed quare? Respondet acutè ibidem Nyssenus secundæ etiam difficultati à nobis propositæ æquè occurrens, peculiare id columbæ oculis inesse, vt speculi vicem gerant, & eorum quæ aspiciunt imagines in se excitant: atque ex hac similitudine nos admoneri,animam ob temporalium rerum cōtemptum,& carnalium affectionum abnegationem,columbæ oculos habentem, dum in cœlestem Sponsum, qui prima, & candidissima columba est,intendit;illius pulchritudinem in oculorum simplicitate velut in terso,& puro speculo excipere; ac proinde non columbæ tantùm, sed columbarum oculos habere; dum in propriis oculorum pupillis. diuinam etiam columbam illos sic illuminantem, & cœlesti splendore illustrantem,vt non suis,sed diuini Spiritus oculis res intueatur, iam præfert. Audi Nyssenū pulcherrimè hæc omnia diffundentem: *Quod quidem mihi videtur hunc sensum indicare, quandoquidem in columbis cernuntur facies eorum,qui fixis intuentur oculis.Dicunt enim ij,qui sunt præditi scientia, huiusmodi rerum naturalium,quod simulachrorum incursiones excipiens,qua exeunt ex rebus aspectabilibus,ita visum in operationem deducit oculus.Hac de causa laus oculorum pulchritudinis est forma columba,qua apparet in eorum pupillis. In quod enim defixerit oculos,eius in se suscipit similitudinem*; & post nonnulla hæc subiicit. *Quoniam ergo purus factus est eius oculus capax characteris columbæ, propterea in eam etiam cadit, vt contempletur Sponsi pulchritudinem. Nunc enim primum virgo in Sponsi formam intendit oculos, quoniam Sponsum habebat in oculis.* Nemo enim potest dicere Dominum Iesum,inquit,nisi Spiritu sancto,1.ad Corinth. 12.3.Hactenus ex Nysseno. Preme illud. *Quoniam purus factus est eius oculus capax characteris columbæ*: necnon, & id, *Nunc primùm in Sponsi formam intendit oculos, quoniam Sponsum habebat in oculis*; quibus omnino adstruit, diuinam lucem in animam ob illius puritatem, atque candorem sese infundere; non secus, ac limpidissimo speculo tota intuentium facies conspiciendam se donat. Applaudit Nysseno frater eius, & quidem germanus, Basilius epistola 64. eandem speculi imaginem ad hanc rem sic vsurpans. *Neque speculum, si pollutum sit, imaginum poterit impressiones recipere,neque anima sacularibus occupata curis, & carnalis sensus affectionibus obtenebrata, illuminationis Spiritus sancti capax esse valebit.*Sic Basilius,& eodem ductu S.Theoph.Patriarcha Antiochenus lib.1.ad Autolycum contra Christianæ religionis calumniatores, cum Ethnico sic disceptans.*Vt speculum splendidū,sic hominis animum purum,& mundum esse oportet. Si rubigo inuaserit speculum, quòd hoc patitur, idem & tibi accidit, vbi peccatum te occupauerit. Talis, vt dicam quod sentio,Deum cernere nequaquam valebit* Hæc & alia postea afferenda Theophilus. Nec minus opportuna,minúsve elegans fuerit pictoris imago:qua ad eandem cogitationem exprimendam vsus est sanctus Macharius homilia 30. hunc in modum: *Si ex aduersosita sit facies Regis intendens in ipsum pictorem,facilè,pulchréque imaginem depingit ad viuum: sin autem vultum auertat, nequit pingere; quia fixis oculis pingentem non intuetur: ita pictor insignis Christus credentibus ei, fixéque prorsus intendentibus in eum confestim ad imaginem suam depingit hominem cælestem. Si quis ergo spretis omnibus non obnixè intueatur illum, nequaquam Dominus suo ipsius lumine pinget imaginem suam. Quapropter oportet nos, qui credimus, & diligimus illum, & abiectis omnibus attendimus illi, immotis oculis eum intueri, vt suam ipsius imaginem cælestem pingat, & insculpat animis nostris.* Sic Macharius. Nec latuit idem Gentilem Plotinum, qui animum ad diuinam lucem accipiendam non aliter affectionibus vacuum; ac materiam primam omnibus formis nudam; sic adstruit Enneade 7. libro 9. cap.7. *Oportere nos enimam ab omnibus rebus externis separare tanquam à sarcinis, & obstaculis, vt possit à Deo illustrari; sicut enim oportet, materiam primam omnibus formis esse vacuam,vt ita figuras omnium rerum possit recipere, ita oportet animam hominis esse informem; vt à Deo informari commode possit.* Hæc Plotinus.

4. Hinc de cœlestibus spiritibus inquit Vates Psalmo 102. 20. *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute,facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius*:vbi non leue negotium facessit interpretibus illa structura sermonis, *facientes verbum ad audiendam vocem*:in eumque interpretandi modum omnes conspirant, vt per transpositionum dicta capiantur;ac si dicatur,audientes vocem ad faciendum verbum: alioqui inquiunt,quomodo faciant verbum, vt audiant vocem? At enim verò, potiùs crediderim hæc simplicissimè vt sonant,fore capienda, atque inde egregiam sententiam,& sensum multo sublimiorem resultare: nimirum supernæ mentes notantes dicuntur, facere verbum Dei, & iussa ipsius summa alacritate exequi, vt exinde vocem Dei denuo audire mereantur;quasi ex obedientia,& præceptorum custodia,Dei vox,atque voluntas meliùs subinde audiatur, & cognoscatur: ac nouis diuinæ lucis radiis mentes illuminentur. Dixit siquidem sapienter Gregorius Nazianzenus oratione 40.in S.Baptisma. *Ac quidem Deus summum,& inaccessibile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminans, hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus,eo se magis contemplandum nobis prabens, quo accuratius animos purgauerimus; eo rursus magis amandum,quo magis contemplati fuerimus,eo denique magis cognoscendum, quo magis amauerimus.* Sic Gregorius. Benè ergo dicitur, supernos Spiritus Dei verbum facere, vt rursus ipsius vocem audiant. Firmat quidem hanc expositionem alter Gregorius homil. 23. in Euangelia scitè obseruans, duos illos discipulos euntes in Emaus;quamuis multa ex Christi ore in itinere accepissent, quæ ipsum quasi de facie agnoscendum darent; minimè tamen eum cognouisse, donec ipsum ad prandium inuitantes egregia charitatis opera quæ ipsis facis instar fuere, exercuerint. Audi illum *Mensam igitur ponunt,panes,cibósque offerunt, & Deum,quem in Scripturæ sacra expositione nō cognouerunt, in panis fractione cognoscunt. Audiendo ergo pracepta Dei illuminati non sunt, faciendo illuminati sunt, quia scriptum est*, Non auditores iusti sunt apud Deum,sed factores legis iustificabuntur. *Qui ergo vult audita intelligere, festinet ea, qua iam audire potuit,opere implere:ecce Dominus non est cognitus, dum loqueretur,& dignatus est cognosci,dum pascitur.* Hæc Gregorius.

5. Quòd si cœlestes Spiritus facientes verbum Dei ad audiendam vocem ipsius videre velis, adi Ezechielem id tibi commonstrantem. Enim verò,cùm mystica

Nyssenus. 1. Cor. 12.3. Nyssen. Basilius. Theoph. S.Macharius. Plotinus. Psal.102.20. Nazianzen. Luc. 24.31. Ad Rom. 2.13.

mystica illa animalia, supernos scilicet Cherubinos cap. 1. descripsit, non alis tantùm ad volandum instructos, sed manibus etiam ad operandum simul præditos fecit: sed quo ordine? audi: *& manus hominis sub pinnis eorum*, Ezechiel. 1. 8. vt argumento fuerit à manibus ad pennas, à recta scilicet operandi Ezechiel 1. 8. ratione, ad cœlestium mysteriorum cognitionem conscendi, eo modo, quo Nazianz. oratione de statu Episcopali, & dogmate ad finem hunc in modum Nazianzen. admonebat. *Cautiter ascende, per puritatem fabrices, quod purum est. Vis Theologus aliquando euadere, ac Deitate dignus? leges serua, per mandata gradere, actio enim speculationis est fundamentum.* Vides, à manibus ad pennas ascendi? & actionem speculationis fundamentum esse. Tolle ergo bona opera, & speculatio dubio procul ruet. Qua de re sic alibi rursus Nazianzen. Greg Nazianzen. *Nam cùm tota Philosophia in duas partes, hoc est, in contemplationem, & actionem diuisa sit (quarum altera vt sublimior, ita difficilior; altera humilior quidem, & abiectior, cæterùm fructuosior) apud nos vtraque alterius ope, & adiumento floret, vt enim contemplationem ad cœlestium rerum studium comitem asciscimus: ita vicissim actio nobis ad contemplationem gradus, & velut scala est*; subiicit: *Neque enim fieri potest, vt sapientiæ compotes sint, qui sapienter nòn vixerint.* Subest certè is aculeus iis Domini verbis apud Isaïam cap. 58. 2. de inobediente, & peccatrice ple- Isaias 58. 2. be, quæ abdita Dei arcana nosse volebat. *Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit.* Pende illud. *quasi gens, quæ iustitiam fecerit*: vbi tacitè innuitur, ei, qui quæ à Deo accepit, mandata seruauerit, non nihil iuris esse, vt ipsius mysteria norit, diuinæque scientiæ particeps sit. Quare pulchram hæc verba emphasim, neque sine aliquo ironiæ gustu illi admixtæ habent: ac si dixerit Dominus. Scilicet ipsi iusti sunt, & præcepta mea egregiè custodiũt, vt eo nomine mecum suboffensi expostulent, quòd meas ipsis vias non aperiam, nec consiliorum profunda detegam. Ita ne ipsi purgatum pectus afferunt, vt diuinæ lucis radios valeat excipere? Nec hilum à seipso discordauit Dei Verbum post plura temporis spatia cum eodem popu- Ioann 7. 1. & 17. lo sic colloquens. *Mea doctrina, non est mea, sed eius, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrùm ex Deo sit*, Ioan. 7. 16. & 17. Sanè quasi obedientiæ, & executionis præceptorum Dei, propria sit merces, peculiaris cognitio, & illustratio intellectus, à qua improbi, ac inobedientes exsortes sunt. Quam ad rem disertissimè dice- Ps. 118. 104. bat Dauid Psalm. 118. 104. *A mandatis tuis intellexi*: ac si diceret cum Nazianzeno, dum legem Dei seruo, Theologus euado, & per mandata egregiè custodita ad scientiam, & intellectum gradior; sic hæc verba explicantibus Hieronymo, & Bernardo, quorum prior epistola 16. ad Principiam, cap. 2. de Hieron. sanctissima Marcella agens, sic ait: *Meditationem legis non in replicando, quæ scripta sunt, vt Iudæorum existimant Pharisæi, sed in opere intelligens; iuxta Prophetæ verba dicentis*, A mandatis tuis intellexi: *vt postquam mandata complesset, tunc se sciret mereri intelli-* Bernardus. *gentiam Scripturarum.* Bernardus verò sermone 28. in Cantica: *Quid* (inquit) *intendis oculum? aurem para. Videre desideras Christum? oportet te prius audire eum. Clamantẽ denique Deum*, Adam vbi es? *non videbam iam peccator, audiebam tamen, sed* [illegible] *aspectũ restituet, si pius, si vigil, si fidelis præcesserit. Fides purgabit, quem turbauit impietas, & quẽ inobedientia clausit, aperuit obedientia. Denique à mandatis tuis intellexi, inquit, quòd intellectum reddat obseruatio mandatorum, quem tulit transgressio.* Hæc Bernardus.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Subiicit verò post ea verba Vates: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; & alibi: *Præceptum Domini* 6.
lucidum, illuminans oculos, Psalm. 18. 9. & à parente Ps. 118. 105. Psalm. 18. 9. edoctus Salomon Prouerbiorum 6. 23. *Mandatum* Prouer. 6. 23. (inquit) *lucerna est, & lex lux*: quod à mandatorum custodia, peculiari cognitionis lumine mens perfundatur, & interiores oculi noua luce illustrentur. Sed dum vterque sapiens, diuina præcepta, cum lucerna, siue face in noctis tenebris prælucente composuerunt: non obscurè innuunt, quod libro de plantatione Noë dixit Philo: *tenebricosa, vespertina, no-* Philo. *cturnáque res est insipientia, splendida verò, fulgida, & verè orientalis Prudentia*: nec satis esse ad diuina mysteria assequenda magnum ingenij acumen, insignémque litteraturam, absque vitæ probitate afferre. Nam nisi hæc adsit à qua eæ animi dotes lucem accipiant, omnia tenebricosa, vespertina, & nocturna erunt. Sic ad Coloss. 1. 10. dicebat Paulus. *Vt am-* ad Colos. 1. 10. *buletis dignè Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei*: vbi scientiæ augmentum ex vitæ probitate, & bonis operibus oriri, vides: vt ad id loci sic obseruauit Theophylactus (*Contemplare autem, qui suprà, eos cognitione* Theoph. *dixerit, indigere, ad hoc vt dignè obambularent Deo, nunc rursus exigit ab eis, vt crescant in operibus bonis, vt simul etiam Deum agnoscant; vtrũque enim vtriusque est constitutiuum.* At enim sanctitatem palmam referre, & Dei mysteria sic tandem pernoscere, vt ea quasi manu comprehendere videatur: sic facilè ex eodem Paulo colliges Ad Ephes. 3. 17. dicente: *In charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehen-* ad Eph. 3. 17 *dere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Quo in loco, latitudinem, longitudinem, & profundum ad penitissimam scientiam, & eximiam, ac singularem mysteriorum cognitionem referenda esse, auctor est Dionysius Dionysius. libro de diuinis Nominibus, c. 9. Iam ad hanc abditissimarum rerum notitiam quid sit, quod mentem manuducat, & illustret, pende: *In charitate* (inquit) *radicati, & fundati.* Charitas ergo, siue præceptorum Dei obseruatio (quod idem omnino est Ioann. 14. 21. & Sapientia 6. 19.) facem intellectui præfert, eique tanto splendore affulget, vt ipsum certo quodam modo cœlestium rerum, ac mysteriorum cõprehensorem reddere videatur: vel audi Bernard. libro de considerat. ad Eugenium, hæc Pauli verba sic elucidantem. *Res vna, effectus multiplex, operatio-* Bernard. *nésque diuersæ: & illa vna res est longitudo propter æternitatem; latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem; profunditas propter sapientiam. Nouimus hæc? num ideo arbitramur, nos comprehendisse? non ea, disputatio comprehendit, sed sanctitas, si quomodo tamen cõprehendi potest quod incomprehensibile est: at nisi posset, non dixisset Apostolus*; vt comprehendamus cum omnibus sanctis. *Sancti igitur comprehendunt.* Hęc Bern. non quidem de ea comprehensione, de qua Theologi in scholis loquuntur; sed de eximia quadam diuinorum cognitione, quam charitas pariat, sensu commodo accipienda. Pende illud, *non ea, disputatio comprehendit, sed sanctitas*: quod perinde est, ac si dicat Bernardus: Disputatio, & humana subtilitas discurrere, & velut plumbeis mucronibus digladiari norunt: sed enim compages attingere, atque secare, siue mysteria pernoscere, non valent; id enim ad sanctitatem omnino spectat. Consentit Augustinus in Manuali, cap. 20. inquiens: *Qui vult habere noti-* August. *tiam Dei, amet.* Sed quare? Quídve commune fuerit charitati, & mysteriorum cognitioni? Nónne vnaquæque animæ potentia proprium, & peculiare obiectum, in quod feratur, habet? Amat ne intellectus? Minimè. Cur ergo charitas intelliget? Respondet

Basilius. opportunè Basil. homil. cuĩ titulus, *Quod sine diuina*
virtute & gratia resistere Satanæ non possimus; ad hûc
modum: *Hic ignis trabem illam, quæ intus est in oculo*
nostro comburens, mundam constituit mentis aciem, vt
recepta natiua perspicuitate admiranda Dei opera cõ-
Ps. 118. 18. *tinuè videat*, *iuxta eum*, *qui dixit*, Reuela oculos
meos, & considerabo mirabilia de lege tua, Psal-
mo 118. 18.

7. En constantem, opportunámque rationem à Ba-
silio redditam; cur charitas comprehendat, sitque
lucidum præceptum Dei, & illuminans oculos. Hęc
nimirum trabem illam, quæ intus in oculis est, cõ-
burunt, mundámque reddunt mentis aciem: quip-
pe affectus, concupiscentiæ, atque peccata mentem
perturbant, & intellectum obscurant. Sic enim
Sapiens de iusto immaturo exitu sublato: *Raptus*
Sap. 4. 11. *est*, *ne malitia mutaret intellectum eius*, *& ne fictio*
deciperet animam illius, Sapient. 4. 11. Benè qui
dem, *ne fictio deciperet*. Sed cur dixit, *ne malitia*
mutaret intellectum? Is ne à prauo, an verò à falso
mutatur? atque corrumpitur? Sanè, si attendis,
non minus pugnat cum intellectu prauitas, atque
malitia, quàm error, & falsitas. Nam vt hæc illum
directè vitient, atque corrumpant: illa quidem ip-
sum æquè obscurant, ac impediunt, quominùs ve-
rum assequatur, & attingat. Quo sensu de virtu-
Seneca. te dicebat Seneca epistola 115. *Nemo non amore*
eius arderet, si nobis illam videre contingeret. Nunc au-
tem multa obstrigilant, & aciem nostram, aut splendore
nimio repercutiunt, aut obscurò retinent. Vis id oculis
videre? audi quid de Eua ad infelix illud pomum
adspiciente dixerit Moyses. *Vidit igitur mulier, quòd*
Genes. 3. 6. *bonum esset lignum ad vescendum*, *& pulchrum oculis*,
aspectúque delectabile, Genes. 3. 6. Sed quónam mo-
do? quibúsve oculis videre potuit, bonum esse lignũ
ad vescendum? cùm omne illi malum, & miseria-
rum cumulus subesset: turbatis nimirum, & caligã-
tibus iam præ affectu, & concupiscentia oculis; mu-
tatóque intellectu, res, aliàs, ac erant ostendente, at-
que repræsentante, vt ad hunc locum adnotat Basi-
lius Seleuciensis oratione 3. in Adamum his verbis:
Basil. Seleu. *Priùs equidem videbat*, *sed adspectum expurgauerat*
affectibus, & propter puritatem ratio in seruitutem mi-
nimè duci poterat. Anima verò passionum vinculis im-
pedita cum oculo malum communicauit; qualia namque
sunt animæ consilia talis, & corporis motus. Scitè illud,
cum oculo malum communicauit: id est, affectus tene-
bras illi offudit; vt rem aliam ab ea, quæ reapse erat,
cerneres, ac si diceret cum Seneca lib. 2. de benefic.
Seneca. cap. 14. *Sæpè enim noxia concupiscimus*, *nec dispice-*
re, quàm perniciosa sint, licent. quia iudicium interpel-
lat affectus, Vel opportuniùs cum Ambrosio libro de
Ambros. bono mortis, cap. 9. *Errat oculus, vbi errat affectus.*
Ad quem quidem modum de scipso dolenter dice-
Psal. 6. 8. bat Dauid Psal. 6. 8. *Turbatus est à furore oculus meus*;
siue, vt legit ex Hebræo Pagninus: *Caligauit præ ira*
Pagninus. *oculus meus*: ac si diceret, corrupit quidem furor,
siue ira oculorum meorum aciem, nec res, quales
ipsæ sunt, videre valeo. Obiecta enim affectus mei
trabs, visum impedit, & obscurat. Fuerit quidem
eius loci egregius hic commentarius ex Gregor.
Nazianzen. Nazianz. orat. 14. quæ est 3. de pace: *Quin etiam*
pulchrum illum sublimium virorum florem, hoc est, pal-
lorem, *aut compositam*, *& quietam loquendi rationem*,
aut incessus grauitatem cum mansuetudine coniunctam,
heri Philosophiam, hodie inanis gloriæ studium appella-
mus; *atque eandem aduersùs malos spiritus, aut morbos*
potentiam nunc Iesu, nunc Beelzebub adscribimus, *&*
iniqua rerum harum regula, *hoc est*, *contentione*, *at-*
que iracundia vtimur. Subiicit appositam, & venu-
stas imagines Theologus: *Et quemadmodum eadem*
terra sanis quidem, *ac minimè læsis fixa*, *& stabilis est*,
iis autem, qui circumaguntur, ac vertigine laborant, mo-
uetur, nimirum aspicientium vitio ad rem aspectã trãs-
eunte: *aut si mauis quemadmodum idem columnarum*
interuallum his, qui propriùs, maius: iis autem, qui lon-
giùs remoti sunt, minus videtur, aëre nempè ob intersti-
tium velut surrepto, ac visu, ea, quæ crassiora sunt, con-
nectente: ad eundem nos quoque modum ob inimicitiam
facilè decipimur; nec de iisdem rebus eadem amantes, &
non amantes iudicamus. Sic Greg. Cui opportunè sub- Seneca.
scribit Seneca epist. 3. vbi cùm dixisset. *Omnia cum*
amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam creden-
dum est, ante amicitiam iudicandum. Subdit: *Isti verò*
præposterè officia permiscent, *qui contra præcepta Theo-*
phrasti, *cùm amauerint*, *iudicant*, *& non amant*, *cùm*
iudicauerint: affectu videlicet iudicium interpellan-
te, ne quod reapse melius est, videat.

Cruci affigebant Dei Filium impij persecutores, 8.
cùm has ipse pro illis ad Patrem preces fundebat,
Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt: Luc.
23. 34. Ad quæ verba sic acutè perquirit Aug. in lib.
qq. veteris, ac noui Testamenti, q. 67. to. 4. *Quid est*, Luc. 23. 34
quod in cruce positus Saluator ait? Ignosce illis, non
enim sciunt, quod faciunt. *Si enim nesciunt*; *quid est*, August.
quod ignoscitur; *maximè cùm dicat Rex Abimelec ad*
Deum, Nunquid gentem ignorantem perdes? Gen. Genes. 20. 4.
20. 4. At enim ipse statim respondet: Non omnem
ignorantem à pœna, esse immunè, sed eum tantùm,
qui à quo disceret, non inuenit. *Istis antẽ hoc ignosci*
petit, qui habentes, à quo discerent, operam non dederũt.
Benè. Sed opportuniùs Vener. Arnold. Abb. tract. de
septem verbis Domini in cruce, cap. siue tract. 5. huius Arnold.
ignorationis culpam, seu malitiam eo refert, quòd à
peccato fumosas menti exhalationes mittente totus
intellectuum candor denigraretur, eiúsque acies
occæcaretur. Sic enim ille primum: *Nec tamen licèt*
tanti criminis molem Mediatoris auctoritas elimaret,
obstinatio illius infidelitatis ex se excusabilis erat: nec
habebat quid opponeret destituta ratione mẽs, & animus
ad vera prospicienda caligans; cui rectissima species ve-
ritatis (ad instar remi, qui in aqua dimissus curui, præ-
fractique similitudinem reddit) aliter intelligebatur,
quàm erat; *& cùm esset præ oculis res ipsa*, *nulláque in-*
teriectio impediret, *ex se in transuersum intuens*, *strabus*
ludificabatur aspectus. Et post nonnulla: *Hæc erat illa* Isai. 6. 10.
animi crassitudo, quam Isaias populo Iudæorum impro-
perat, *per quam in hanc hebetudinem venerant*, vt vi-
dentes non viderent, & audientes non audirent,
quia exasperantes animos dignum erat in propriis sensi-
bus confundi, *& qui abutebantur iustitiæ documentis*,
& veritatis radios abhorrebant, abdicati à natura, &
gratiæ luce in cæcitate sua tabescerent, & haberent intra
se fumosas exhalationes, *quæ totum candorem intelle-*
ctuum, & sensuum denigrarent. Sic ille.

Aderant in maris littore Petrus, & Ioannes; & 9.
cùm sese illis æquè conspiciendum Dominus dedit,
à Ioanne quidem solummodo est cognitus: sic enim
Ioan. 21. 7. *Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat* Ioan. 21. 7.
Iesus, *Petro*: *Dominus est*. At cur ille, qui antea
acutissimè Christum intueri, & introspicere sole-
bat, modò non prius quàm à Ioanne manu dedu-
ctus fuerit, ipsum cognouit? Planè, quia pristinæ
negationis nebulæ illius oculos obscurauerant, ne
tanta perspicacitate, ac Ioannes intueretur: id sic ob-
seruante [illegible]rysologo sermone 78. *Quæ res illam* Chrysologus.
Petri sic [illegible]uerat mentem, *vt ab alio audiret Domi-*
num, *qui cæteris consueuerat nunciare*. *Vbi est illud*
prius singulare: Tu es Christus Filius Dei viui.
Vbi est? in domo aufugerat Caiphæ Principis Iu-
dæorum: *tardiùs Dominum suum videbat*, *qui vo-*
cem facile ancillæ susurrantis audiuit, Ita ille. Ad
quem

quem sanè modum columbæ, hoc est, simplicis animæ oculis obseruauit Nyssenus hom. :. in Cant. in vltimis verbis, humilitate veluti quodam palpebrarum ambitu munitos esse, *ne trabs arrogantiæ in pupilla puritatem illapsa visui sit impedimento.* Porrò Græcus Theocritus Idyl. 8. dum singulis rebus metuendum malum præscribit, arboribus tẽpestatem, aquis cænum, auibus laqueum, feris agrestibus retia; viro autem, amoris affectionem assignat; quasi ea ipsi laqueus, tempestas, retia, ac denique cænum sit, quo mẽtis claritas obscuretur. A quo non abit Tertull. lib. de pudicitia, c. 7. impuram turpitudinis affectionem, hominis animum adeò obtenebrare, & obscurare affirmans, vt ad ipsum illuminandum tota Solis lãcea necessaria fuerit. *Mœchiæ verò, & fornicationis,* inquit, *non drachma, sed talentum, quibus exquirendis non lucerna spiculo lumine, sed totius Solis lancea opus est.* Hinc M. Tull. de aruspicũ responsis Clodium sororculæ amore captum sic pungebat: *An tibi luminis abesset cæcitas, plus quàm libidinis? ne id quidem sentis? conniuentes illos oculos abaui tui, magis optandos fuisse, quàm hos flagrantes sororis?* scitè, quòd hi multo magis infirmi, ac cæcutientes. Nam vt idem met Cicero in Catone de voluptate dixit: *Rationi est inimica, impedit consilium, mentis præstringit oculos.* Vel Epicurum, ipsam scilicet voluptatis officinam considera, qui cùm semel oculos ad cœlestia direxit, & Solem contemplatus metiri voluit, immensum illius orbem pedalem fecit: sic referente, & irridente Tertul. lib. 2. ad Nationes, c. 4. *Sed Epicurus, qui dixerat: Quæ super nos sunt, nihil ad nos, cùm & ipse cœlum inspicere desiderat. Solis orbem pedalem deprehendit.* Nec nimis miranda fuerit tam stulta voluptuarij hominis metiendi ratio; quippè, qui proprio pede cælestia metiebatur. Quid enim magnum, & excelsum, siue quod pedale non esset in cælo inueniret? qui & animo à cælestibus tam longè aberat, vt diceret, *quæ super nos nihil ad nos:* & totis oculis in terrenas voluptates prospiciebat. Certè vt homini cuius in cœlo animus; terrena omnia punctus in diuisibilis videntur: ita iis, qui terrena sapiunt, immensa Solis rota, pedalis est.

Nyssen. Theocri. Tertull. M. Tull. Cicero. Tertull.

10. Benè ergo dicebat Bernard *Non ea, disputatio comprehendit, sed sanctitas;* quia hæc vna est, auctore Basilio, quæ trabem illam, quæ intus in oculos est, comburit: vt clarè, ac dilucidè intueri possit. Videas id quidem in Iacob egregiè adumbratum, dum duplex à Deo nomen sortitus est; alterum *Iacob*, quod supplantare, hoc est, affectiones subigere, & proculcare, sonat; alterum *Israël*, id est, *Deum videns:* cœlestia scilicet mysteria acutè cernens. At enim, non prius illustre hoc videntis Deum nomen accepit, quàm prioris nominis munia adimpleuerit, & cum carnis affectionibus, & concupiscentiis viriliter luctatus fuerit. Id pulchrè adnotante Philone libro de nominum mutatione hunc in modum. *Accidit quoque vt Iacobi nomem mutaretur in Israëlem, nec abs re. Cur ita? Iacob quidem est, qui impetit calcibus,* supplantator; *Israël verò vocatur*, Deum videns *quare supplantatoris opus est, qui virtutem colit, affectionis bases quibus insidet, & si quidquam firmum, ac stabile in ipsis est, mouere concutere, ac diruere. Istud porrò non sine contentione, & labore consueuit fieri, &c. Verum Deum videntis proprium est, è sacro certamine non egredi prius quàm retulerit coronam, sed ob adeptam victoriam, præmia tollere. Quænam autem floridior, aptiórve corona victori animo nectì posset, quàm illa, per quam ea, quæ sunt, acutè videre valeat?* Subiicit: *Præclarum igitur animo virtuti operam danti præmium proponitur, vt oculatus fiat ad*

Bernard. Philo.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

perspicuam eius perceptionem, quod solum contemplatione dignum est. Retulit hæc ad accuratæ ratiocinationis calculos Sanctus Thomas in commentario huius epistolæ ad ea capitis primi verba versu 9. *Et hoc oro vt charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu;* obseruans ideo à Paulo scientiam cum charitate fuisse coniunctam, quòd ab ea potissimum oriatur. Reddit verò rationem ad hunc modũ. *Quia qui habet habitum si rectus est habitus, sequitur inde rectum iudicium de iis quæ pertinẽt ad illum habitum: si verò corruptus falsum.* Is ergo Israël siue Deum videns fuerit, qui affectiones calcibus impetens; rectum acquisierit habitum, à quo rectum etiam sequatur iudicium. Vnde quidem S. Theoph. præfato lib. 1. ad Autolycũ cum ex persona Ethnici Deum videre, siue cognoscere cupientis, dixisset. *Age ergo, ostende mihi Deum tuum;* ipse sic respondet: *Age ergo, ostende mihi hominem tuum: fac te hominem esse cognoscam, & quis meus sit Deus, demonstrare non morabor. Animi tui oculos præbe videntes: nam Deus non ab omnibus videtur; verùm illi soli eius aspectu frui possunt, quibus datũ est, iis nempè, qui animi oculos offerunt non clausos, sed apertos. Omnibus quidem sunt oculi, at quorumdam adeò sunt obscurati, vt solis lucem intueri nequeant. Cæterùm non propterea solares radij fulgore carent, quòd à cæcis non videntur, immò se ipsos, & suos oculos potius culpent cæci. Pari ratione, ô homo, animi tui oculis offusa est caligo, cuius causam nullam aliam, quàm tua scelera, & peccata dicito.* Et post nõnulla superiùs iam adducta pergit. *Si itaque desideras, vt Deum meum tibi ob oculos ponã primum peto, temetipsum mihi ostendas, vt sciam, sis ne adulter, scortator, fur, raptor, spoliator, &c. His, qui prædictis criminibus sunt innexi, nequaquam apparet Deus, nisi priùs ab omni inquinamento se repurgarint. Hæc omnia tenebras oculis tuis inducunt, non secus, ac humor aliquis in oculos exteriores influat, qui obstat, quominus Solis lucem diligentiùs contemplari queant. Haud dissimili ratione, ô homo impietas tua te occæcat, quò fit, vt nequeas Deum videre.* Hactenus Theophilus. Possis hæc etiam dæmoni opportunè aptare; ipsũ enim, & si oculis acutissimè cernentibus polleat, nec semel cũ Deo apud Iob confabulari inducatur, Iob. 1. 7. & c. 2. 2. diuinam tamen faciem videre non posse, certo certius est. At quis rogo, siue aheneus, siue adamantinus murus interiectus obstat, quominus in Dei faciem, corui illius oculus irrumpat? Indicat id sanè Isaïas cùm Deum in throno gloriæ suæ considentem faciens, ab alis Seraphinorum Augustissimam ipsius faciem velari affirmat: *Vidi Dominum (inquit) sedentem super solium excelsum, & eleuatum, &c. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, &c.* Isaïæ 6. 1. Sed enim cùm hæc arcanam significationem habeant; quid rogo duæ illæ alæ dæmonis oculos à Dei facie arcentes, ac remouentes significant? Respondet Bernardus ad hæc verba in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Quibus verò verò putamus aliis hoc caput Seraphim velant, vt nulla sua subtilitate naturæ nequam oculus in illam queat irrũpere veri luminis claritatem? Duabus, ni fallor, alis: sua videlicet ipsorum gloria, & felicitatis.* Quod si subinde ambigas, quomodo hæc gloriæ, atque felicitatis cœlestium spirituum alæ dæmonis visum, ne diuinam faciem intueri possit, impediant? Tantus ne illis splendor est, vt eius oculos præstingant? aut si hoc illi à splendore telum; nõnne ipsamet inaccessibilis diuina lux pupillarum audaciam grauiùs reuerberabit? Occurrit rursus Bernardus, & dæmonis oculos non tam à splendore extrinsecus illos verberante, quàm à proprio inuidiæ telo

S. Thom. S. Theoph. Iob. 1. 7. & c. 2. 2. Isaia 6. 1. Bernard.

 compungi,

compungi,& obscurari, ne in Seraphinorum feli-
citatem valeant intendere, sic pulchrè inquit *Quæ-*
ris quemadmodum? Audi. Quoties enim sursum airi-
git aciem, in Angelicam statim felicitatem, & gloriam
malignus offendit, & offundit oculum pessimus hu-
mor, liuor proprius, vt penetrare vltrà non possit. Quis
enim tã grauis pluritus oculi, quàm inuidia? Hæc Ber.

12. Hinc quidem Scribis,& Pharisæis, Christi disci-
pulos arguentibus, quòd non lauarent manus,cùm
panem manducabant, Matth. 15.2. sic occurrebat
Matth. 15.2. Hieronym. in id loci. *Manus, id est, opera, non cor-*
Hieron. *poris vtique, sed animæ lauanda sunt, vt fiat in illis ver-*
bum Dei. At quid manibus,& verbo Dei in illis fa-
ciendo? Manibus ne verbum fit? & non potiùs men-
te, aut ore? Planè sæcularia verba, siue disciplinæ
mente,& ore perficiūtur: at Dei verba cœlestisque
Sapientia, non in intellectu, sed in manibus lotis
quidem à peccato,& mundis à carnis affectionibus
fit, vel Prophetam Aggæum dicentem ausculta cap.
Aggæi 1.1. 1.vers.1. *Factum est Verbum Domini in manu Aggæi,*
quod à peccato munda, & à terrenis sordibus lota
fuerit. Accinit denuo Regius Vates Ps.118.1. per-
fecti viri beatitudinem, atque felicitatem sic descri-
Psal. 118.1. bens: *Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Do-*
mini: Beati, qui scrutantur testimonia eius, &c. vbi vi-
des Dei verba,& testimonia in manibus lotis,& im-
maculatis facta. Quid enim fuerit vitæ puritatem in
illis verbis: *Beati immaculati in via* priùs ponere &
deinceps testimoniorum scrutationis meminisse, nisi
notanter admonere. lauandas omnino affectionum
manus, vt fiat in illis Verbum Dei? Audi Ambros.
Ambros. serm.1 in hæc verba. *Quam pulcher ordo, quàm ple-*
nus doctrinæ, & gratiæ: non priùs, qui scrutantur te-
stimonia eius dixit. *Potuit enim conuenire secundùm li-*
teram: sed priùs, Beati immaculati in via. *Ante enim*
vita, quàm doctrina quærenda est, &c. quia improbitate
cæcatur mentis oculus, & caligante sibi iniquitate myste-
ria profunda inuenire non potest. Primùm ergo exercē-
da est vitæ militia, corrigendi mores. Cùm hæc instituē-
rimus ad cursum debitum, vt sit offensionis correctio, pu-
ritatis gratia, tunc ad studia percipiendæ cognitionis
veniamus suo ordine, & via. Hæc Ambros. quæ statim
Oseæ 10.12. adducto hoc Oseæ testimonio c. 10. 12. *Seminate*
vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, &c. quod
LXX. ipse LXX. secutus, legit: *Seminate vobis ad iustitiam,*
vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen
cognitionis: sic optimè firmat. *Non priùs illuminate, sed*
seminate: nec solum seminate priùs ad iustitiam, *sed etiã*
vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, *& sic* illumina-
te lumen cognitionis, *vt perfectio non solùm consitis,*
sed etiã receptis fructibus approbetur. In primo quoque
Psalmo hunc ordinem tenuit, vt in via ambulãdum do-
ceret, priùs, & tunc in lege meditandum. Sic ille. Nec
ab hoc it, quòd in illis verbis Isaïæ 6.1. in anno, quo
Isai. 6. 1. mortuus *est Ozias, vidi Dominum*, per allegoriã ad-
notauit Grego. ho.14. in Ezech. signatè tunc Deum
à Vate visum dici, cùm Ozias, elatus scilicet Rex,
Greg. Magn. mortuus est. *Quia cùm mundi huius elatio* (inquit il-
le) à desiderio mentis occiditur; tunc ipsa mens Dei
gloriam contemplatur: sic etiam Seneca præfata
epi. 115. cùm de virtute dixisset, neminem non il-
lius amore arsurum si illam videre contigeret; sed
enim multa esse, quæ mentis nostræ aciē obscurēt:
Seneca. subiicit. *Sed quemadmodum visus oculorũ, quibusdam*
medicamentis acui solet, & repurgari, & nos si aciem
animi liberare impedimentis voluerimus, poterimus
perspicere virtutem etiam obrutam corpore, etiam pau-
pertate opposita, & humilitate, & infamia obiacentibus.
Cernemus, inquam, pulchritudinem illam, quamuis sor-
dido obtectam. Rursus æquè malitiam, & ærumnosi ani-
mi veternũ suspiciens; quamuis multus circa, diuitiarum
radiantium splendor impediat, & intuentem hinc hono-
rum, illinc magnarum potestatum falsa lux verberet.
Hæc Seneca.

Huc illud mirificè facit quod ad mutuam chari- 13.
tatem nos vrgens, sic monet Ioan. epist. 1. c. 4. n. 20.
Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum 1. Ioan. 4. 20.
oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum,
quem vidit: Deum, quem non vidit, quomodo potest dili-
gere? At enim de huius ratiocinationis efficacitate
iure ambigas, atque illam forsan sic eludere, siue re-
torquere contendes: immò verò, quia hominem vi-
deo, illum non diligo; nam dum ipsum eminus co-
gnosco,& manibus tracto, multis ipsum imperfe-
ctionibus, & miseriis obnoxium intueor, quæ ab
eius dilectione me auocant: Deum verò quomodo
non amem quem summè bonum,& si à me non vi-
deatur, esse scio. Subsistit tamen Ioannis argumen-
tatio, sic formata ab Aug. tract. 17. in Ioan. vt eatenus
nequeat quis Deum diligere, proximum non dili-
gens, quatenus ex proximi dilectione ad videndum
Deum mentis oculus purgatur; alias obtenebratus,
& infectus: ac si dicat Ioannes, Qui non diligit fra-
trem suum, quomodo Deũ queat diligere, cùm ocu-
lum, quo in illum intueatur, non habeat, sic enim
August. *Dei dilectio prior est ordine præcipiendi, proxi-* August.
mi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim,
qui tibi præciperet dilectionē istam in duobus præceptis,
priùs tibi commendaret proximum, & postea Deum; sed
priùs Deũ, postea proximũ. Tu autē, quia Deũ non vides,
diligendo proximum promereris, quem videas: diligendo
proximũ purgas oculũ ad videndum Deum euidenter,
Ioanne dicente: Si fratrem, quem vides, non diligis,
Deũ quem non vides, quomodo diligere poteris; sic
August. Et verò pro hac cogitatione tam ipsemet
Ioannes, quàm Apostolus fideiubent: sic enim ille
epist. 1. c. 2. 11. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est,* 1. Ioan. 2. 11.
& in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ
obcæcauerunt oculos eius, Paulus verò ad Hebræos 12.
14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam,*
sine qua nemo videbit Deũ. Sed quare sine pace nemo
videbit Deum? Quia nimirũ in tenebris est, & non
habebit oculos, quibus videat, sic hæc explicante
Anselmo ibi hunc in modum. *Nam vnde videamus* ad Heb. 12. 14.
Deũ, non habebimus, si contēdendo, in nobis oculũ extin-
xerimus. Quàm stulti essent duo, volentes videre Solem
oriturũ; si contenderent inter se, qua parte oriturus esset,
& quomodo videri posset, & nata inter se controuersia
litigarent, litigando se cæderent; cædendo oculos suos ex-
tinguerent, vt illius ortum videre non possent? Igitur, vt
Deum videre possimus, fide corda mundemus, charitate
sanemus, pace firmemus. Hæc Anselmus.

Hæc egregia Ambrosij ratione ad ea omnia, quę 15.
hucusque diximus etiam opportuna optimè confir-
mes: ipse enim, vt animi puritatem ad videndum
Deum, & eius mysteria percipienda omnino ne-
cessarium esse adstruat; in eo vim facit, quod vi-
sum à vidente dissonare non debeat, sed eiusdem
cùm illo rationis esse: (quod quidem ad Philoso-
phiæ numeros facilè tu possis aptare) sic enim ille
libro de Isaac,& anima cap. vltimo: *Assuescamus ocu-* Ambros.
los nostros videre, quæ dilucida, & clara sunt, spectare
vultum continentiæ, & temperantiæ, omnésque virtutes,
in quibus nihil scabrum, nihil obscurum, & tortuosum
sit, & seipsum spectet quis, & conscientiam suam, illum
oculum mundet, ne quid sordidum habeat. Quod enim
videtur, non debet dissonare ab eo, qui videt. Quoniam
conformes nos Deus voluit esse imagini filij sui. Sic ille.
Benè ergo sine pace, & charitate nemo Deum vi-
det; quia Deus pax, *& charitas est*; & quod vi- 1. Ioan. 4. 16.
detur, non debet dissonare ab eo, qui videt. Sed
& id ad cæteras etiam virtutes, sine quibus Deus
videri

videri non possit, sic statim extendit Ambrosius, *Ipsum est bonum quod quærimus, solum bonum. Nemo enim bonus, nisi vnus Deus. Hic est oculus, qui magnum illum, & verum decorem intuetur. Solem nisi sanus, & vehemens oculus non aspicit, nec bonum potest videre nisi anima bona. Fiat ergo bonus, qui vult videre Dominum, & quod est bonum. Huius boni similes simus, & secundùm id operemur, quæ bona sunt.* Hæc Ambros. Nos ad alia.

Ad ea verba, *Configuratus morti eius.*

ADNOTATIO II.

Perfectam pœnitentiam à sui accusatione, & integra peccatorum confessione, incipere.

I. CONFIGVRATVM morti Christi in perfecta, quam egit, pœnitentia optimo iure dixeris Paulum, dum egregius sui accusator, & anteactæ vitæ criminum magnus buccinator exstitit: quid enim summum mortis Christi dedecus, quo *cum sceleratis reputatus est*. Isaiæ 53. 12. (Isaiæ 53. 12.) adeò æmuletur ac ignominia, & infamia, qua se se toties Apostolus notabat; blasphemum se, & contumeliosum, dirúmque Christi persecutorem prædicans, quasi bono redemptori ignominiarum pretium, quibus moriens fuit appetitus, ipse fideliter persolueret: peccatorum suorum infamiam sponte aperiens, & perferens: vt perfectam pœnitentiam auspicaretur. Quid, quòd peccatorum confessio, quæ præ rubore ad instar mortis est, cruentum sacrificium, & victima censetur: sic enim ad fideles, qui à sæculi vanitate, & peccatorum turpitudine recedentes sub Christianis temporibus ad Deum verum reuersuri erant, dicebat Oseas cap. 14. 3. (Osea 14. 3.) *Tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Sed qui sunt hi labiorum vituli? aut quis vidit cum vitulis labia coniuncta? Accipiunt frequenter interpretes de Dei laudibus ab animo grato profectis, quæ accepti, & iucundi sacrificij vicem obtinent. At enim, vitulorum imago, qui sacrificalem cultum ad aras patiuntur, aliquid proculdubio designat, quod cruciatum, atque dolorem offerenti inferat; id quod diuinas laudes canenti non benè conuenit. Ergo vitulos labiorum, ad peccatorum confessionem, quæ dum faciem rubore suffundit, velut cultro adhibito pœnitentis profundit sanguinem, opportunè referas cum Burgensi (Burgens.) ab ipsismet Hebraïcis expositoribus hanc interpretationem accipiente: sic enim R. Dauid. (R. Dauid.) *Loco vitulorum reddemus coram te confessionem labiorum nostrorum, id est, factum per labia nostra, quia magis placent verba, & sermones pœnitentiæ, & conuersionis. Si quidem sacrificia nihil prosunt sine confessione iniquitatis.* Ita ille, bonis, præsertim P. Gaspari Sanchez, qui mihi multorum loco est probatus, accuratéque elucidatus. Est igitur hæc veræ, & perfectæ pœnitentiæ lex, siue conditio, vt ipse, quò absoluaris, priùs te damnes: nam si te ipsum absoluis, & bonum simulas, nec peccatum confiteris, omnino damnaberis. Aliter quidem ac in forensibus iudiciis, vti ipsis Magistratibus sic dicebat Sidonus Apollinaris (Sidon. Apol.) libro 4. epistol. 14. *Nam vt is, qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur: ita nobiscum qui eadem Deo fuerit confessus, absoluitur.* Magna quidem linguæ in vtramque partem vis, atque efficacitas, quæ vno verbo, siue dicto, siue omisso, æternam beatitudinem, aut æternam damnationem, & pœnam pariat. Benè omnino Sapiens, *Mors, & vita in manibus linguæ*, Prouerbiorum 18. 21. (Prou. 18. 21.) ipsa nimirum peccata confitente vitam; ipsa abscondente mortem affert: illustrat id egregia imagine Iacobus Apostolus cap. 3. 4. (Iacob. 3. 4.) *Ecce & naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.* Quod ad rem nostram sic conuerto: est quidem vita nostra non secus, ac naues in medio mari mille ventorum flatibus, & incursibus expositæ, at enim, vt hæ non à ventis, sed à modico timone hac illa prout gubernator vult circumferuntur: &, vt inquit Aristoteles (Aristote.) libro de communi animalium motu, *timone paululum immutato, magna fit proræ mutatio*: ita & vita nostra non tam à tentationibus, & peccatis in damnationem impetitur, quàm à modico linguæ gubernaculo: nam *lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat*; æternam scilicet beatitudinem, æternam infelicitatem à confessione peccatorum, siue à negatione adornans; hoc quippè timone paululum immutato magna fit proræ mutatio: in cœlum videlicet, siue in gehennam prora directa: vbi obserua non dictum magna puppis, sed proræ, quæ longiùs à timone distat, fit mutatio: vt videris linguæ efficaciam, atque potentiam, quæ tam distantem, tam excelsámque rem, salutem scilicet perpetuam valeat efficere.

Vis videre vitam in manibus linguæ vno tantùm verbo æternam salutem aucupantis? Audi Dauidem de grauissimis adulterij, & homicidij facinoribus à Nathan Dei nomine admonitum humili confessione dicentem. *Peccaui Domino*, 2. Regum 12, 13. Addidit ampliùs: Nec ista quidem fecit? aut promisit ingentia in Dei obsequium opera? Nihil tunc omnino. Quid ergo inde? statim Dei vices gerens Nathan: *Dominus quoque* (inquit) *transtulit peccatum tuum à te. Non morieris.* (2. Reg. 12. 13.) En mortis æternæ antea reum maximis animi turbinibus, ac fluctibus in miserrimum naufragium euntem, & ad gehennæ scopulos appellentem; timonem subinde linguæ paululum immutantem versa in paradisum prora saluam, & incolumem nauim in portu collocasse. Pulchrè omnino hac de re Eucherius (Eucher.) Lugdunensis. *Velox confessio velociter medicina. Facto peccauit, verbo pœnituit: annuit Deus, & sanitas rediit.* Rem exaggerat Augustinus (August.) homilia 41. inquiens. *Dauid grauiter increpatus est; post comminationes Dei terribiles exclamauit, dicens, Peccaui, & mox audiuit,* Dominus abstulit peccatum tuum. *Tantum valent tres syllabæ: tres syllabæ sunt*, Peccaui: *sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cœlum.* Hæc Augustinus. Quæ pulchrè etiam diffundit Ambrosius in Psalm. 36. 5. premens ea Vatis verba, *Reuela Domino viam tuam*: vbi cùm dixisset: *Quia natura hominum prona peccato velut quoddam menti nostræ velamen obducit: ne nostra Domino peccata fateamur, qui potest vulnera nostra sanare, vt erubescat quis ore proprio postulare medicinam, ne coram hominibus sua prodantur opprobria*, subiicit, *Reuela*, inquit, *ad Dominum viam tuam: hoc est, aperi viam tuam, noli abscondere sicut abscondebat Caïn, qui latere cupiebat:* Omnis enim, qui malè agit, odit lucem. *Reuelabat Dauid viam suam, qui ait*, Dico ego opera mea regi. Sic Ambrosius. Reuelabat etiam bono

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

patri malus & prodigus filius, qui non tantùm corpore, sed ore etiam lamentabundus confitebatur. *Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Lucæ 15.21. (Luc. 15. 21.) Ad quas sanè voces non lento passu, sed currens cum amplexibus, & venia occurrit ille; quippe, *Tantum releuat* (inquit (Tertull.) hac de re Tertullian. libro de Pœnit. c. 8.) *confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat.* Ita ille.

3. Vis videre mortem manibus linguæ, vno tantùm verbo omisso animæ illatam? infelicem ergo illum, qui in regias nuptias sine veste nuptiali, absque cultu scilicet, & splendore regio, temerario ausu introiuit; velim consideres: Rege enim ipsum hunc in modum conueniente: *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* siue, vt habet Syriaca (Lect. Syr.) translatio: *Socie mi, quomodo huc ingressus es, non habens vestimenta conuiualia?* Matth. 22. 12. ipsum infe-(Matth. 22. 12) liciter obmutuisse sic dicitur: *At ille obmutuit.* Quid tum? *Tunc dixit Rex ministris, ligatis manibus, & pedibus mittite eũ in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Sed quam ob causam tantam iram, tantáque supplicia commeruit? Num quòd vestem nuptialem non habuerit? Non opinor; quippè, & si inurbanus, & delicto obnoxius; amicus tamen, & socius à Rege vocabatur, quasi bonus princeps mali, inurbanique conuiuæ amicitiam, & societatem ambiret. Quare ergo in tenebras exteriores missus est? Sanè quod Rege eum non secus, ac Dauidem criminis arguente, vt ille admonitus peccatum fateretur atque illud tam efficax, & salutare verbum proferret, *Peccaui*; ipse præ malo pudore sermonem compresserit, noxiúmque linguę iniecerit frænum. Ideo post illa verba, *At ille obmutuit,* notáter dicitur: *Tunc dixit Rex ministris*: ob prauum videlicet silentium, noxiúmque pudorem quo peccati confessionem recusauit. Acut id hunc in modum adnotante Venerabili Galfrido in allegoriis Gotfridi Tilmani in cap. 22. Matthæi. (Galfrid.) *Sed consideranda est dignatio huius Regis & maiestas etiam incomprehensibilis, & dignatio amabilis, & indignatio valde terribilis. Maiestas, qua penetrat omnia, vniuersa discernit. Dignatio, qua ante iudicium ad pœnitentiam prouocat, dum misericorditer conuenit, quem reum inuenit. Indignatio, qua eundem tacentem tenebris addicit, & supplicijs.* Hæc ille, quæ statim sic luculentiùs diffundit, & nostris formandis moribus aptat: *Et nunc charissimi multos hodie conuenit Rex ingrediens, aut per hominum linguas, aut per sacras Scripturas, aut per suggestiones internas. Quotiens enim homini peccata sua indicat, qui ipsius promissa sperat, idem est, ac si dicat:* Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? *Sanè propter Sacramenta amicum vocat, cuius propter peccata habitum culpat. Tunc ait Rex ministris:* Ligatis manibus, & pedibus, &c. *Tunc videlicet, non vbi ille sine nuptiali veste intrauit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri.* Hæc Galfridus: vt hinc meritò exclames cum Bernardo epi-(Bernard.) stola 185. *O verecundia expers rationis inimica salutis, totius ignara honoris, & honestatis!* Pulchrè *expers rationis.* Quid enim à ratione magis alienum, quàm ægritudinis, sordium, & peccati non pudere; salutis verò, munditiæ, & bonæ mentis pudorem habere? Pulchrè *inimica salutis*, quæ hominem tam facilè vno verbo salutem coëmentem æternam, ingratiis, frustráque interficit. O hominem væcordem, & stultum, qui fumum ignominiæ fugiens in tenebras exteriores, & ignem æternum ruisti. Ita quidem Plutarchus de vitiosa verecundia agens proprio ea de re libro, opportunè ait. (Plutar.) *Persæpe fumum ignominiæ fugientes in ignem ruimus.* Quid quæso diceret, si nosset; sempiternis hunc flammis fuisse addictum, quòd vitioso pudore oppressus fumum ignominiæ diffugerit.

Sed perge, & rursus vitam, & mortem in manibus linguæ vide. 4. Peccauit quidem immaniter primus parens cibum vetitum edens peccauit, & atrocius Caïn bono fratri diram necem inferens. exiit singillatim singulis obuiam Dominus: & Adæ sanè, inquit, *Adam vbi es?* Genes. 3. 9. Caïno verò simi-(Gen. 3. 9.) liter, *Vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. 9. (Gen. 4. 9.) Quid? locum vbi Adam, & Abel essent, siue facinus ab vtroque perpetratum ignorabat Dominus? Ita sibi persuasus nobis obiiciebat infanissimus Marcion, quem hac ironia Tertullianus confutabat, siue traducebat lib. 2. cont. Marc. cap. 25. (Tertull.) *Speculatorem vineæ, vel horti tui lupus, aut furunculus non latet, Deum puto de sublimioribus oculatiorem aliquid subiecti præterire non posse.* Quid ergo illis interrogationibus intendebat Dominus? nisi vt eos, qui peccati conscientia delitescebant, in sui conspectum euocaret; vt vita, siue morte in manibus linguæ ipsorum positis, prout peccata confiterentur, siue negarent; aut veniam obtinerent, aut damnationem subirent: sic id inibi non sine acri in Marcionem morsu pensitante Tertulliano: *Stulte, qui tantum argumentum diuinæ Maiestatis, & humanæ instructionis vanum agis. Interrogabat Deus quasi incertus, & hinc liberi arbitrij probans hominem in causa, aut negationis, aut confessionis, vt daret ei locum sponte confitendi delictũ, & hoc nomine releuandi: sicut de Caïn sciscitatur: Vbinam frater eius, quasi non tam vociferatum à terra sanguinem Abelis audisset: sed vt ille haberet potestatem ex eadem arbitrij potestate sponte negandi delicti, & hoc nomine grauandi, atque ita nobis conderentur exempla confitendorum potius delictorum, quàm negandorum, vt iam tunc initiaretur Euangelica doctrina.* Ex ore tuo iustificaberis, & ex ore tuo condemnaberis, Matth. (Matth. 12. 37.) 12. 37. Dixeris conspectos à Dauide primos hosce copeccatores, & de criminibus Deo aperiendis, & cõfitendis admonitos illis in verbis Psal. 35. 5. (Psal. 35. 5.) *Reuela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem*; prout pulchrè inibi ab Ambrosio explicantur hunc in modum. (Ambros.) *Hoc solo versiculo qualis esse debeas declarauit. Quis enim reuelat viam suam, nisi qui Deo occultorum suorum arbitrio interna sui pectoris confitetur? Bene ait,* reuela: *hoc est, aperi conscientiam tuam, ne eam sæculi istius graues vmbra, vel carnis. Prorumpentia semina si fuerint obumbrata tenuantur. Soli obiecta pinguescunt. Quid de seminibus loquor? ipsas arbusculas quominus se in altum subiiciãt, vmbra siluestris intercipit, & prohibet brachia ramosa diffundere.* At enim salutari huic monito non æquè omnes obedierunt: nam vt parentes peccatum suum quamuis non sine aliqua excusationum vmbra Deo aperierunt; ita illorum filius fratricidij flagitium omnino denegauit: vnde pro confessionis diuersitate, diuersa in reos prolata sententia est. Quid enim Adæ Dominus? *Maledicta terra in opere tuo*, Genes. 3. 17. (Genes. 3. 17.) Quid verò Gaïno? *Maledictus eris super terram*, Genes. 4. 11. (Genes. 4. 11.) Eum videlicet, qui peccati virus expuerat, maledictione eximens, in hunc autem, qui absconsum in penetrali cordis crimen fouebat, diram inferens maledictionem. Audi rursus indidem Tertullianum: (Tertull.) *Ideóque nec maledixit ipsum Adam, nec Euam, vt restitutionis candidatos, vt confessione releuatos. Caïn verò, & maledixit, & cupidum morte luere delictum mori interim vetuit, vt præter admissum, etiam negationis exemplo oneratum.* Hæc Tertullian. vbi illud, *confessione releuatos*; & id, *negationis exemplo oneratum*, ad ingens animi

animi leuamen, & tranquillitatem, quæ homini peccata sua integrè confitenti aduenit, nec non ad grauissimum pondus, atque cruciatum, quo ij, qui vitioso pudore correpti malè confitentur, assiduè afficiuntur. non abs re referas.

5. Accinit huic cogitationi illustris Oseæ locus cap. 10. 13. vbi tam de peccatis, quàm de eorum supplicio sic inquit Vates: *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis.* Et verò duo ibi adnotant omnes interpretes; alterum, *arare impietatem* esse idem, ac seminare; siue quòd seminatio finis sit arationis: siue quia semen nunquam à vomere secernitur, qui iacta semina occat, & tegit: alterum, iniquitatem ibi poni pro pœna iniquitatis, phrasi in Scriptura vsitatissima. Sed enim non satis explicant quid fuerit arare, siue seminare iniquitatē: cui certus supplicij fructus responderit. Quod quidem mirum in modum expresserunt LXX. reponentes, *Quid reticuistis impietatem, & iniquitates eius vindemiastis?* pulchrè reticentiam per seminationem, qua semen in terra tegitur, explicantes, & vtiliter nobis aperientes ab ea peccati negatione non secus ac à semine terræ mandato naturali partu fructus oritur, certissimum supplicium pullulare. Quòd nisi peccata in confessione detegantur, nullus remedio locus. aut salutis spes sit. En pudoris tui fructum, en reticentiæ mercedem: sciitè Tertull lib. de Pœnitent. c. 10. *Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeòne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est, damnatum latere, quam palam absolui?* O præposteram, & infelicem verecundiam! O miserandos pudoris scopulos! *Rogo ergo vos* (exclamat S. Pacianus Barcinonens. Episcopus in paræнesi ad pœnitentiam) *per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam, &c. Peccator timebit? peccator erubescet? perpetuam vitam præsenti pudori mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta subducet? & habet aliquid, quod in illo erubescat, qui Dominum læsit.* Optimè. Sed & in hac sementis iacti imagine, peccatorum reticentiæ aptata, velim obserues, quàm sit infelix hoc velamen, siue silentium, quod vice versa necessaria ratione seipsum prodit, & manifestat, nō secus ac semen terræ mandatum, quod aliter quidem ac aliæ res, quæ in terra absconditæ, inibi perpetuò consepultæ iacent, suo tempore nascitur, & è terræ visceribus erumpens manifestatur. Etenim crimina, quæ vni tantùm homini præ pudore modò celas, eo ipso quòd celaueris, postmodum in Dei iudicio, vniuerso terrarum orbi, cunctisque supernis spiritibus summo cum dedecore, & ignominia manifestanda, & de facie noscenda proponenda sunt; illo insuper probro superaddito, adeò vecordem, ignauum & infelicem te fuisse, vt non puduerit inquinari, ablui verò, & mundari puduerit. Vnde salubriter monebat Augustin. lib. 2. de visitat infir c. 5. *Melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsa denotatum tabescere.* Nec in alio solùm sæculo, sed in hoc etiam sæpe sæpiùs nouimus, peccata in confessione tecta, siue negata nō modò æternum animæ interitum, sed extremam etiam ignominiam, & confusionem tegentibus attulisse; Deo iudice, prauum illum pudorem, & silentium sic vlciscente, vt ipsæmet damnatæ animę, cùm pudorem abiecisse nihil prodesset, suamet celata crimina publica, & manifesta aliis fecerint. Qua de re tot suppetunt exempla, vt illis paginas opplere facilè fuerit. Pro iis verò omnibus sic opportunè fideiubet Ambros. præfato loco in Psalm. 36. *Premit igitur se intra hominem conscientia, cum latere non possit, & tamdiu differt, quoad vulnus efferueat, vt iam non fidei salubritate, sed immedicabili atrocitate vlceris detegatur.* Rectè illud, *cùm latere non possit.* Etenim vt aiebat Oseas, peccata reticere, idem ac ea seminasse est, iam commissum terræ semen, non potest non foras erumpere; ac proinde, vt peccata Deo in confessione aperire, ea in perpetuum celare est; ita illa abscondere, toti orbi cum ignominia, & sempiterna infamia manifesta facere, necessaria ratione erit. Vide tuas celandi, & tegendi artes. Vide quàm sapienter dixerit Philo: *Non est felix nequitia, quia dum celari cupit, deprehenditur.*

Osee. 10. 13. — LXX. — Tertul. — S. Pacian. — Ambrof. — Ambros. — Philo.

Hæc ob oculos habuisse videtur Ecclesiasticus cap. 4 vbi in hoc vitioso pudore insectando, totus est. 6. Sic enim primum vers. 4. 24. *Pro anima tua non confundaris dicere verum: est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam:* hoc est, in re animæ, cùm de æterna huius salute, siue iactura agitur, quæ fuerit dementia eum, qui peccando bonum pudorem abiecit, noxio postea pudore suffundi. Pulchrè de hoc Tertull. præfato cap. 10. de Pœnitent. inquit: *Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro.* Vnde ipsūmet pudorem hac ratione veluti conuictum, homini ad illum perdendum, atque abiiciendum loquētem facit: *ipse hominem quodammodo exhortatur. Ne me respexeris, dicens, Pro te mihi melius est perire*, vt dicere videatur: Quis mihi fuerit vsus, te pereunte incolumen manere? *Melior est modica amaritudo in faucibus* (Augustin. lib. de decem chordis) *quàm æternus cruciatus in visceribus.* Pergit Sapiens, *Nec retineas* verbum in tempore salutis. Quæ verba sic opportunè expressit lectio Tigurina. *Salutiferam occasionem nactus, ne comprimas sermonem.* Benè *salutiferam occasionem nactus*, is qui vitam in manibus linguæ peccata confessurus habet, qui pretio verborum salutem valet mercari æternam: qui animæ vulnera intus feruentia linguæ remedio curare potest; immò & salubriter in posterum tegere ne immedicabili atrocitate, vt dicebat Ambr. postea detegantur. Vide ergo quid agas: *Ne comprimas sermonē*; egressurū scilicet cū eo malū ne retineas. sciitè Bernard. ad milites tēpli c. 12. *Quod si quispiam cōfiteri cōpungitur, id quoq; vnde cōpungitur talis pudor peccatū adducit, & gloriam de conscientia perdit: quando malum, quod ex profundo cordis compunctio conatur expellere, pudor ineptus obstructo labiorum ostio non permittit exire.* Firmat dicta eleganti rursus imagine Sapiens, subiiciēs vers. 31. *Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subiicias te omni homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, & ne coneris contra ictum fluuij.* hæc enim omnia tam Græci Codices, quàm Biblia Regia, & lectio Tigurina sic transponunt, vt hæc illis de abiiciendo in confessione pudore sententia subsit hunc in modum: *Non confundaris confiteri peccata tua; nec contra cursum fluminis contendas.* Similiter Iansen. *Ne confundaris confiteri peccata tua, & ne vi cohibeas cursum fluminis.* Ac si inde moneat, extremæ dementiæ esse, peccatum præ pudore occultare velle, & contra cursum salutis, frustrà niti: immò verò, & contra ipsummet rerum naturalium cursum: nam cùm confusio, & rubor peccato necessaria ratione connexa, atque coniuncta sint; hæc euadere conari, frustrà erit: sic S. Climacus apud Anastas. Nicenum. quæst. 7. in Scripturam tom. 1. Biblioth. vet. PP. monebat. *Ne fallaris ô fili, & obedi Domino, tua peccata magistro enuncia: nam absque pudore non poteris liberari à pudore: Aperi, aperi medico tuum vulnus:* vnde Adæ sese

Eccl. 4. 24. — Tertul. — August. — Eccl. 4. 28. — Lect. Tig. — Ambrosius. — Bernard. — Eccl. 4. 31. — Lect. Tig. — S. Climac.

sese abscondenti, nuditatémque suam contegenti sapienter insultabat Bernard. hunc in modum in allegoriis Gotfridi Tilmani ad cap. 3. Genes. *Friuolum nimis tegmen quæris anima misera, prorsus inutile tegmentum folia sunt ista, quæ consuis. Operiunt, sed non calefaciunt. Celant vulnera, sed non sanant. An verò diu tegere poterunt? Absit. Fluent certè, & effluent folia: ad primum radium Solis siccabuntur, & dispergetea flatus tenuis auræ.* Nihil enim occultum, quod non reueletur, & absconditum, quod non sciatur. *Nudi astabunt ante tribunal Christi, vt audiant vocem iudicij, qui ad vocem consilij aures obturauere.* Hæc Bernardus. (Bernard.)

7. Ergo ad saluberrimum Pœnitentiæ Sacramentum vide, vt accedas. Est quidem egregium salutis vitæque pharmacum; sed iis tantùm, qui illud fideliter, & pro dignitate tractant, nec peccata sua abscondunt, aut dimidiatè confitentur; aliter enim miserrimum in ipso portu naufragium facies. Sic quidem videris Ioanni Apocalypsis 4. 6. sub maris vitrei imagine, vt optimè explicat Carthusianus probatus P. Alcazari ostensum: *Et in conspectu sedis* (inquit ille) *tamquam mare vitreum simile crystallo*: vbi pulchrè confessionis Sacramentum, non nisi cum ipso mari, ad fiduciam nostram erigendam componitur; vt diuinæ gratiæ in eo effusæ copiam, & affluentiam ad contaminatissimas quasuis conscientias emundandas, & abluendas noueris, quippè ibi Christus Dei virtus cum toto sanguinis sui pretio vadem, ac fideiussorem Patri pro peccatoris criminibus non secus, ac in cruce sese offert. Ita quidem Venerab. Arnoldus Abbas in tractatu de verbo Domini in cruce, *Pater ignosce illis*, cùm de mira Passionis Christi virtute, atque efficacia dixisset: *pro captiuo suo Vadem fidelem Liberator se posuit: tantâque auctoritate firmatum est huius indulgentiæ priuilegium, vt in ipsius Christi crucifixi membrana proprio sanguine conscripta sint illius absolutionis litteræ, manéatque infixum vsque hodie sigillum plagæ lateris, quam semper oculis Patris exhibet præsentia Saluatoris*; statim ad placidum hoc, atque immensum Confessionis mare hæc sic refert: *Perennem igitur huius gratiæ hereditatem Testator noster transmittit ad posteros, & originalis mali præcisa radice, licèt recrudescat peccatum in multis, generalitas tamen in illa ita abrasa est, vt ad expiationem eorum, quæ quotidie admittuntur, non iterum Christum crucifigi oporteat, sed vnum confessionis ad omnia crimina sufficit lauacrum, & ad omnia flagitia vna pœnitentiæ sufficit hostia.* At enim magna emphasi hoc confessionis mare *vitreum* dicitur. nam dum vitro nihil fragilius inuenitur; inde quanta vigilantia, & circumspectione, quàm fideliter, & verè ad huius Sacramenti susceptionem debeamus accedere, signatè monemur, nam vt facilè vitreũ vas manibus elapsum frangitur, ita tibi vitreum hoc mare nisi fideliter, & integrè omnia peccata tua confitearis, inter manus frangetur, quin aqua gratiæ munderis, immò potius inuenias maledictionem pro maledictione. (Apoc. 4. 6. Carthusian. Alcazar.) (Arnold.)

8. Si inquiras, cur tam exactè, atque accuratè integra peccatorum confessio quin aliquod scienter occultetur facienda sit? facilè respondebo ad indispensabile Christi præceptum id fore referendum. Sed enim si aliquam huius rei rationem velis inuestigare, dixerim, magno iure peccatum detegi, & aperiri, præscribi quod non aliter perfecto odio haberi censeatur, nam quod amamus, retinemus, & accurato silentio apud nos premimus, quæ nihili facimus, aperimus, atque traducimus. Sic notanter dicebat S. Iob. 31. 33. *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam*; vbi phrasim illam *in sinu meo*, benè referas ac amorem, & charitatem rei, vt Ioan. 1. 18 *vnigenitus filius, qui est in sinu Patris*, & Deuteron. 28. 54. *vxori, quæ cubat in sinu tuo*, & 3. Reg. 3 20. *collocauit in sinu suo*: indicans sapiens vir ex amore erga peccatum illius reticentiam & occultationem maximè prouenire. Vnde Tertull. lib. de Pœnitentia c. 8. cùm perfectæ pœnitentiæ semitam, illique adnexam veniam ex filij prodigi exemplo hunc in modum demonstrasset. *Is ergo te filium suum, & si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redieris, recipiet, quia redisti: magisque de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur. Sed si pœniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum compares, si porcos, immundum relinquas pecus, si patrē repetas vel offensum. Deliqui, dicens, Pater, nec dignus ero vocari tuus.* Subiicit opportunè. *Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat.* Reddit rationem: *Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio cōtumacia.* Sed preme quæsitam satisfactionis phrasim, quæ vt dilucidis testimoniis ibi ostendit Cerda omnino est è re pœnitentiæ, cùm quis significat, aliquid *factum nolle*, & delicti veniam humilibus officiis petit, ac promeretur: vt dicat Tertullian. delicti confessionem ab eo procedere, quē peccasse pœnitet, & satisfacere delectat, illum verò peccata abscondere, qui peruicax, & contumax in illis durare vult. Nec alia Ioanni Climaco mens præfato loco, dum ait. *Vulnera, quæ ducuntur in triumphum, non proficiunt in peius, sed curabuntur. Nihil enim tantam vim aduersùs nos dat dæmonibus, & cogitationibus, quàm si ea non enunciata pascantur in corde. Anima autem, quæ meditatur confessionem, tamquam à fræno ab ipsa continetur, ne peccet. Nam quæ non enunciantur, tamquam in tenebris, securè de cætero fiunt.* Ita ille. Hinc quidem Hieronymus in epist. ad Marcellam de hæreticis pœnitentiam negantibus, & è medio tollentibus verissimè dixit, peiora quàm nos peccare, quòd peccata sua confiteri erubescerent, sic enim ipse: *Illi ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores, nos quotidie legimus.* Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem, *Ezechiel.* 33. 11. Numquid qui cadit, non resurget? *Ieremiæ* 8. 4. & conuertimini ad me filij conuertentes, & ego curabo contritiones vestras, *Ieremiæ* 3. 22. *Rigidi autem sunt, non quò & ipsi peiora non peccent; sed hoc inter illos, & nos interest, quòd illi erubescunt confiteri peccata quasi iusti: nos dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.* Benè quidem *peiora peccant*, qui erubescunt confiteri. nam quæ non enunciantur tāquam in tenebris, securè de cætero fiunt, & à confessionis fræno non coërcita liberiùs, ac laxiùs pascuntur in corde. (Iob. 31. 33.) (Ioan. 1. 18. Deut. 28. 54. 3. Reg. 3. 20. Tertul.) (Cerda.) (S. Climac.) (Hieronym.) (Ezech. 33. 11 Ierem. 8. 4. Ierem. 3. 21.)

Quam equidem ad rem peculiari est obseruatione dignum, quantam curam in recensenda cupiditatum, & studiorum suorum vanitate, pœnitens Salomon adhibuerit, quámque signatè anteactæ vitæ errata prioribus Ecclesiastes capitibus enumerauerit, vbi animũ ardenter in carnis concupiscentias præcipitatum, omnésque sensus, & facultates in vnam voluptuariam vitam intendentes ostendit. Sed quorsum hoc? Nónne satis fuisset, peccatis sese obnoxium strictim affirmasse, quin regiam maiestatem tam accurata accusatione traduceret, vel in tot vanitatibus singillatim recensendis tempus inaniter terere videretur? Minimè quidem. Etenim, qui perfectam pœnitentiam, & constantem corruptæ vitæ emendationem cogitabat, prudēter quæsitam illam, & exactam erratorum omnium cōfessionem faciebat, vt ipsam ad se deinceps in officio continendum 9.

nendum, tamquam per vigilem, & seuerum pædagogum assumeret: vt scitè obseruauit Gregorius Nyssenus hom. 3. in Ecclesiasten, vbi cùm dixisset. *Videtur enim pudor esse valida, & potens armatura ad effugienda peccata, pudor qui est insitus in hominibus; qui ideo, vt puto, est nobis à Deo inditus, vt eiusmodi animi affectio sit nobis auersio à deterioribus*, & post nonnulla. *Sed & pudor sequens delicti reprehensionem, per se sufficit ad castigandum eum, qui peccat, ne rursus in similia incidas.* hæc opportunissimè subiicit. *Si autem hæc ita se habent, &c. honestum est existimare, esse proprium Ecclesiæ documentum se per peccatorum confessionem, & enunciationem rectè gerere. Per hoc enim licèt suam animam armare armis pudoris. Quomodo enim si quis ob immoderatam ingluuiem quosdam humores concoctu difficiles in se collegerit; & deinde cum inflammatione laboraret corpus, cauterio, & sectione curatus fuerit, morbum veluti quemdam pædagogum, habet ad cauendam in posterum intemperantiam, vt qui cauterij cicatricem videat in corpore; ita qui per occultorum enunciationem se ipsum veluti proscripserit, memoriam affectus, quem verecundia mouit, habet pro pædagogo ad vitam deinde agendam.* Hæc & alia Gregorius Nyssenus ibi.

Nyssenus.

ADNOTATIO III.

Eam, perfectam pœnitentiam censeri, qua peccatis omnino morimur, nobisque peccata moriuntur.

I. EGREGIAM epitasim habet, ad explicandam anteactæ vitæ pœnitentiam verissimè, & exactissimè factã, dixisse Paulum, configuratum morti Christi sese reddidisse. Nam, vt in expositione literæ vidimus, mortis imago perfectũ pœnitentẽ adumbrat, ac ostendit. Quòd nimirum peccata non ex parte, sed omnino extinguere debeamus, nec vllam deinceps cum illis communionem habere; vnde Nyssenus post verba inibi adducta, hæc opportunus habet: *Mortuus corpora non amat, mortuus non capitur diuitiis, mortuus non calumniatur, mortuus non mentitur, non rapit ea, quæ ad se non pertinent, non conuitiatur sibi obuiam facto: aliã vitæ regulam, aliam morum instituti normam: didici res mundanas contemnere, terrena prætercurrere, & ad cœlestia festinare, quemadmodum etiam Paulus palàm, & disertè testatur, quò mundus sibi, & ipse mundo crucifixus esset.* Sic dixit idem Paulus ad Roman. 6. 11. *Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato; viuentes autem Deo:* id est, vt quod attinet ad peccandi facultatem, quasi verè mortui simus; in iustitiæ verò opera omnes vires, & actiones nostras conuertamus: quasi ex pœnitentiæ lege ad vitalem mortem misericorditer damnemur. Diffudit, & elucidauit hæc elegantissimè S. Zeno Veronen. Episcop. & M. ferm. 7. ad Neophytos post baptismum inquiens: *O liberatoris nostri profunda prouidentia! O præstantia singularis! O dulcis sententia! O damnatio necessaria! In semetipso homo iugulatur, vt viuat; percussor non videtur, percussoris non cernitur gladius, percussi non hiat vulnus, non defluit sanguis exspirantis, non palpitat corpus, non decolor color est. Ipse est, & tamen non est ipse. Vetus quidem videtur domicilium. Sed nouus inquilinus exsultat mutatione morum, natiuitatis suæ nobilitatem incredulis, variis virtutibus probaturus.* Pulchrè illud, *ipse est, & tamen non est ipse:* quòd peccato mortuus, non sit is, qui antea erat: cùm tamen reapse idem ipse, Deo iam viuens, sit.

Nyssenus.

ad Rom. 6. 11

2. Sic rursus Apostolus eodem cap. 6. ad Roman. num. 4. inquit. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus:* vbi primò obserua, non contentum Paulum, si peccatis mortuos nos faceret, consepelire etiam, ac tumulo inferre voluisse. Quod quidem Hilario auctore canone 33. in Matth. in linteo illo. Petro per visionem ostenso, *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.* Actuum 10. 12. adumbratur: ille enim linteus, siue sudarium (vt legit S. Cyril. Alexand. lib. 4. de adoration. in spiritu, & lib. 9 contra Iulianum) sindonem, qua sacratissimum Christi corpus à Ioseph ad sepulturam inuolutum fuit, præfigurabat, vt quotquot peccatores ad bonam frugẽ se recipiunt, peccato omnino mortuos, & cum Christo eadem sindone (ô egregiam pœnitentiæ dignitatem!) inuolutos se existiment, vt sicut ipse è sepulchro ad nouam, & immortalem vitam prodiit, ita illi *in nouitate vitæ* iam ambulent. Sed audi Hilarium. *Hic munda sindone corpus inuoluit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuersorum animantium genera summissa. Ex quo fortè non superfluè intelligitur, sub lintei huius nomine cõsepeliri Christo Ecclesiam.* Addit verò supra mortem plusculum energiæ hæc sepulturæ imago, vt illa Pauli verba, *consepulti cum illo in mortem*, non obscurè indicant. Sic enim peccato mortuos non vult Apostolus, vt simul consepeliamur: sic verò sepultos, vt rursum moriamur. At quid hæc sibi volunt? (inquis) nónne satis erat peccatis mori, quin sepeliremur? Equidẽ, non quamcumque mortem peccatis inferendam præscribit Apostolus, sed eam, quæ longior, & viua quodammodo sit. Porrò vt sepulchrum cadauer sibi traditum, sic exinanit, atque exedit, & carne, neruis, atque intimis medullis spoliat, ac nudat, vt ipsum denuo necare, & conficere videatur, ita eam pœnitendi rationem & normam assignat, quæ peccata indefinenter interficiat, & perpetuum cum illis, & irreconciliabile bellum gerat: eorum occasiones, radices fibras præcidens, omnésque carnis concupiscentias è quibus peccata reuiuiscere, & pullulare solent seueris legibus coërcens, & frænans. Vnde Chrysost. in hæc verba homil. 8. ait: *Corpus quidem ipsum viuens, ac manens mortuum esse vult. Nam hoc demum signum est, Christum nos habere; spiritúmque in nobis esse, quam corpora quidem nostra ab iis corporibus nihil differunt, quæ tumulis recondita iacent.* Luculentiùs Ambr. serm. 51. inquiens. Consepulti sumus, *sicut ait Apostolus*, per Baptismũ in mortem, *Baptismus igitur Christi nobis est sepultura, in quo peccatis morimur, criminibus sepelimur, & veteris hominis conscientia resoluta in alteram natiuitatem rediuiua infantia reparamur.* Benẽ *conscientia resoluta*, velit cadaueris carne iam exesa, & in puluerem redacta. Et statim. *Magna igitur sepultura huius est gratia, in qua nobis, & vtilis* (lego *vitalis*, vt tam Pauli imago, quàm elegantia Ambrosij subsistant) *mors infertur, & vita vtilior* (lego *vita*) *condonatur. Magna, inquam, huius gratia sepulturæ, quæ & purificat peccatorem, & viuificat morientẽ.* Sic Ambr.

ad Rom. 6. 4.

Actuum 10. 12.

S. Cyril. Alexand.

Hilarius.

Chrysost.

Ambros.

3. Ad has quidem pœnitentiæ leges composita dicebat Sponsa Cantic. 5. 3. *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* vbi si nosse velis, quæ illa fuerit tunica, ab Sponsa exuta? Occurrũt Paulus, & Thadæus, significatissimè id aperientes: hic enim quasi indice hæc verba ostenderit in Canonica sua versu 23. inquit. *Odientes & eam quæ carnalis est maculatam tunicam.* Paulus verò eodem quo Sponsa verbo ait, *Expoliantes*

Cant. 5. 3.

Thadæus.

Vers. 23.

ad Colos. 3. 9.

tes vos veterem hominem cum actibus suis, ad Colossens. 3. 9. vel si mauis refer sub eodem sensu hanc tunicam cum Gregorio Nysseno ad hæc verba homil. 11. & Ambros. lib. *de Isaac, & anima*, cap. 6. ad emortuas illas pelliceas tunicas, quibus peccatrix primorum parentum caro induta fuit in paradiso Genes. 3, 21. sic enim Ambros. *Exuit tunicam pelliceam, quam acceperunt Adam, & Eua post culpā, tunicam corruptelæ, tunicam passionum.* Similiter Nyssenus. *Fecit (inquit) quæ audiuit, vt quæ exuerit pelliceam illam tunicam, quam induit post peccatum, & à pedibus abluerit terrenas illas sordes, quibus erat inquinata, vt quæ à vita, quam degerat in paradiso, reuersa esset in terram, quoniam audiuit.* Terra es, & in terra reuerteris. *Propterea aditum aperuit verbo ad animam diducto cordis velo, hoc est carne. Carnem dico, veterem hominem intelligo, quem vt exuant, ac deponant, hortatur diuinus ille Apostolus, omnes qui verbi lauacro sunt abluturi sordes pedum animæ.* Sed iam, vt vides quàm perfecta, quámque consummata hæc Sponsæ pœnitentia, & pristinatum sordium emundatio fuerit, obserua Hebræū verbū פשטתי pasat, pro quo Noster posuit *expoliaui*, quod præterquam, quòd peculiarem vim, atque impetum pœnitentiæ perficiendæ opportunum includit, propriè significat *excoriare*, vt Leuitici 1. 6. *detractâque pelle hostiæ*: siue, vt Pagninus hoc verbum reddit, *& excoriabit holocaustum*: & eodem ductu LXX. *& decoriantes holocaustoma.* Ergo cùm hic ad verbum summa proprietate vertas, *excoriaui me tunica mea*, sensus est: Sponsam tanta vi, tantóque impetu criminum pœnitentiam, & emendationem arripere, vt veterem hominem non tam exuat; quàm excoriet, & peccati maculatam tunicam ad viuum resecet; omnes concupiscentias, & ad peccatum ingressus, & egressus radicitus amputans; siue ipsammet carnis cutem, ne illi forte aliqua peccati sordes adhæreat, violenter detrahés. Cui cogitationi opportunè loquitur Bernar serm. 9. in Cant. hunc in modum. *De quibusdam dicitur: operti sunt iniquitate & impietate sua, vt non facilè euoluere, & explicari ab illa se possint, & vt amplius dicam, quasi cute quadam, sic aliqua praua operti, & inuoluti sunt consuetudine vitiorum, vt illam dediscere, & desuescere, non tā spoliari sit, quàm excoriari: in cuius rei indicium fortè institutio legis continet, hostiæ pellem abstrahi.* Sic ibi; & serm. 18. in Cant. *Abscindatur ferro acutè compunctionis vlcus inueteratæ consuetudinis*; sed illud fuerit opportunissimum, quod sub egregij Martyris persona, quem ferreis vngulis ferox tyrannus dilacerabat. Sic elegantissimè inquit Leo Imperator homil. 9. ex exemplari nouiter excusso: *Extenuate carnis molem, & quasi tunicam, quam peccatum crassam effecit. Abradatur his instrumentis malitia, quæ diuino operi immerito nocuit. Nunc dum ossa carne nudantur, tunica illa, quæ ab initio induti eramus, nobis denuo præparetur. Nunc beata illa constitutio, & habitudo, quam per voluptatem amisimus, in hac, quæ vobis videtur, tormentorum acerbitate nobis restituitur.* Hæc ibi. Disce iam quisquis peccati seruus fuisti; disce pœnitere; disce peccatis mori, nec externā superficiem pœnitentis assumere, sed id peccatis bellū, eā carni vim inferre, vt non tā spoliari, quàm excoriati. sit. Cōsepelire per pœnitentiā *cum Christo in mortem*; vt illa nō secus, ac sepulchrū carnem, peccata, peccatique cōcupiscentias, ac fibras exedat, atq; cōsumat.

Genes. 3. 21. Ambrosius. Nyssenus. Lect. Hebræa. Leui. 1. 6. Pagnin. LXX. Bernard. Psal. 72. 6. Leo Imper.

4. Ita omnino præfato ad Romanos loco Paulus, cùm ait: *Hoc scientes, quia vetus noster homo simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* Pende hæc extrema, *corpus peccati.* Quid? habétne corpus peccatum? Sunt illi membra, & artus? Loquitur sanè figurato sermone Apostolus, sed disertissimè, atque plenissimè, vel quia corporis nomine phrasi Hebræa, robur viresque peccati quibus hominem sibi subiicit, & aduersus virtutem pugnat, intelligit, vel quia ipsummet peccatum toti hominis corpori implicitum, & agglutinatum considerat. Vult ergo peccatum omnino destrui, & ab animo, immo & ab ipso corpore euelli, omnésque illius vires, conatus, atq; appetitiones infringi, eneruari, & euacuari. Ita ibi OEcumenius, inquiés: *Christus non ex parte, sed integer est crucifixus, vt nos ex toto moriamur peccato.* Et eodē modo Ambr. lib. 1. officiorū, c. 37. *Moriatur caro nostra, aut in ea omnis culpa moriatur, & quasi ex mortuis viuentes resurgamus operibus, ac moribus.* At enim Tertull. lib. de resurrectione carnis c. 47. dum hæc verba sic legit, atque explicat, *vt euacuetur corpus delinquentiæ per emēdationem vitæ*, iis statim illa, quæ non multo pòst scripsit Paulus: *Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato*, adiungens, sic tandem concludit: *Ita per totam hanc sensuum seriem ab iniustitia, & delinquentia mēbra nostra diuellens, & iustitiæ, & sanctimoniæ adiungens*: preme eum dicendi modum, *membra nostra diuellens*, vt magno impetu, & vi peccatū, & peccati illecebras à membris, & sensibus nostris auellamus; funditus illud extrahentes, quin aliquid ex illo supersit. Cui sententiæ persimilis est illa Gentilis Senecæ epist. 51. monentis. *Satis diu cum Baijs litigauimus, nunquam satis cum vitiis, quæ, oro te mi Lucilli persequere sine modo, sine fine, nam illis quoque nec finis est, nec modus. Proijce quæcumque cor tuum laniāt; quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis reuellendum erat.* Sic ille animosè, & ad rem Pauli, vt ab animo, & à membris peccatū, & quidquid ad peccandum illicit extrahantur, & auellantur, nec tam exuamur maculata tunica, quàm excoriemur; vt mole peccati consumpta ossa carne nudata, Dei obsequio præparata, & opportuna fiamus. Enim verò, qui à peccatis recedentes sese diuino obsequio mācipātur, ossium aridorum imagine sic describuntur ab Ezechiele c. 37. 4. *Ossa arida audite verbum Domini*: in quem locum Venerab. Galfrid. in allegoriis Gotfridi Tilmani cùm dixisset: *Ossa nos oportet esse, non longa: & ossa quidem arida, quæ nec noxio humore putrescant, nec lenta teneritudine in fragmenta dissoluātur.* subiicit: *Ossa arida sunt viri religiosi, qui carne pariter, & cute deposita, nihil carnale sapiunt, nihil de claritate transitoria quærunt, ita quidem humore, præsertim voluptatum vacui, vt maneant semper interna virtutis firmitate robusti.* Sic ille.

OEcumen. Ambros. Tertul. Seneca. Ezech. 37. 4. Galfrid.

Dixeris allusum hunc ab Ecclesiastico cap. 7. 33. admonente: *Propurgate eum brachiis.* Obscura sanè locutio, sed opportuna. Quid enim existimas esse, sese cum brachiis pœnitentem propurgare: nisi toto conatu, totis viribus, toto animo pœnitentiam assumere, vt se ipsum à peccato omnino vindicet, atque illud è cordis fundo conetur extrahere. Sanè, si attendis imaginē includunt hæc verba rei luto, & sordibus inquinatæ, quæ purganda, & emundanda sit. quæ quidem peccatis, & peccatori perbellè quadrat, sic enim dixit Saluian. lib. 1. ad Ecclesiam: *Vnde admoneo cùm omnes, tum præcipuè eos quos grauium delictorum terror exagitat, & in quibus infelicior conscientia peccatorum pœnalium recordatione suspirat, primùm, vt licet lapsi sint, non commorentur in lapsu, nec in volutabris suis sordentium suum more versentur, qui cum æstuantes aluos cœno immerserint, nequaquam sordidis voluptatibus satisfaciunt, nisi tota penitus luto membra conuoluant.* Ergo cùm aliquid luto commaculatum purgatur, aut summi tantum digiti, aut ipsæ etiam manus, aut tandem tota bra

5. Eccl. 7. 33. Saluian. ad Rom. 6. 5.

brachia, in quæ tota corporis moles incumbit, totúsque eius impetus erumpit, prout vel rei necessitas exigit, vel magis minúsve perfectè mandanda est, adhiberi solent. Quid ergo ait Sapiens: summis ne digitis? vnáve, aut altera manu, peccati sordes eluendas, lutúmque detergendum admonet? Audi: *Propurga te cum brachiis*, inquit: ac si dicat, non quæuis purgatio, sed ea quæ totis viribus, toto animo fiat quæque non purgatio, sed propurgatio sit; exactissima, scilicet. & perfectissima, in quam totus animus incumbat, quæ peccatum, & peccati corpus destruat, animúmque ab ipso omnino vindicent. Quam ad rem, vide, vt opportunè fuerit loquutus Gregor. Nazianz. orat. 40. cùm ait: *Porrò non fucanda est purgatio sed imprimenda: tibique hoc agendum, vt plenè, ac perfectè splendescas, non vt leuiter, ac in superficie illinare, vt oratio non peccata tantùm obducat, sed ab his omnibus omnino te vindicet.* Optimè, nec potest supra: *Non est* (inquit) *fucanda purgatio, sed imprimenda*: non scilicet *agenda verbis, sed actu*, vt dicebat Ambrosius: non ad externum tantùm habitum, sed ad animi mutationem, & omnimodam peccati euacuationem referenda, *non leuiter, & in superficie* facienda, sed animo altissimè inferenda, vt peccati sordibus vndequaque reuulsis, in alium virum Dei gratia *plenè, & perfectè* splendentem muteris. *An quisquam* (monet Ambr. lib. 2. de pœnit. c. 10.) *illam pœnitentiam putat, vbi acquirenda ambitio dignitatis? vbi vini effusio? &c. Renunciandum sæculo est: somno ipsi minus indulgendum, quam natura postulat, interpellandus est gemitibus; interrumpendus est suspiriis sequestrandus orationibus: viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui; seipsum sibi homo abneget, & totus mutetur.* En quid sit cum brachiis propurgari. Ei quidem, qui à peccatis hoc modo per pœnitentiam se emundat, benè aptaueris, quæ de sanctissima Deipara inquit Lucas, cap. 2. 22. *Impleti sunt dies purgationis Mariæ*, quippe, qui ad veræ pœnitentiæ leges, ac numeros animum suum purgare nouit. Audi quid ad hæc verba tam de iis, qui verè pœnitent, quàm de illis, qui nesciunt, siue nolunt perfectè purgari scripserit Venerab. Vuerricus Abbas hunc in modum. *O quàm felix est, de quo dici potest:* Impleti sunt dies purgationis eius: *vt iam nihil ei adhuc supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam, & sistant eum Domino. Talis nimirum erat Simeon ille senex, tam desiderabilis, quàm plenus desideriis, &c. Verùm nos fratres, dies, qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus, nolimus, implemus. Sed væ, si dies implentur, & purgatio minimè impletur, vt postea necesse sit, illo nos igne purgari, quo nihil pœnaliùs potest in hac vita, vel acriùs cogitari.* Hæc Vuerricus.

Nazianzen.

Ambros.

Luc. 2. 22.

Vuerric.

6. Sed ille huic rei signatissimus Paulus est, ad Colossens. 2. 20. *Mortui estis cum Christo ab elementis mundi huius.* Pulchrè, *ab elementis mundi huius.* Quid? terræ ne, aëri, aquæ, & igni mortui erant Colossenses? Non opinor. Quî enim in mundo sine elementis mundi esse, siue subsistere possent? Quæ ergo mundi elementa intelligit Apostolus? Referunt nonnulli ad Iudaïcas cæremonias: alij ad fallacem Ethnicorum philosophiam. Melius tamen & Pauli sensui, nostróque instituto opportuniùs Ambrosius, Theophylactus, & Primasius ibi, de pristinis peccatis, seu de vita delitiis, & ambitioni dedita hæc accipiunt; sic enim Ambrosius: *Moritur autem his, quibus subiectus erat per errorem.* Similiter Theophylactus. *Per Baptismum Christo commorientes, vitæ omni superiori commortui estis.* Primasius verò omnino ad rem: *Elementa* (inquit) *huius mundi possunt diffiniri, auaritia, & ambitio honorum, & cætera mundana.* Iam accuratam Pauli locutionem obserua. Nec enim

ad Colos. 2. 20.

Ambrosius.

Theoph.

Primas.

mortuos dixit esse peccatis; sed mundi, siue peccatorum elementis; rem quidem augens, & veræ, ac consummatæ pœnitentiæ partes omnino explicans. Etenim cùm elementa, vel prima rerum initia, quibus singulæ res constant; vel prima litterarum rudimenta, siue singulæ litteræ, aut syllabæ, è quibus voces, & dictiones coalescunt, sint: eos, qui perfectam egerant pœnitentiam, non tantùm peccatis ipsis, sed primis etiam peccatorum elementis. siue initiis minutis scilicet sordibus, leuissimísque peccandi occasionibus, aut radicibus, è quibus tādem peccata pullulant, mortuos ipsos effecit. De patre quidem filios ad auaritiam, & turpitudinem filios suos instituente dicebat Satyricus:

Sunt quædam vitiorum elementa, his protinus illos Iuuen. Sat. 14
Imbuit, & minimas cogit edíscere sordes.

Vt nimirum minimis primùm sordibus, & primis vitiorum elementis imbuti, ad omne postmodum scelus animum proiicerent; contrà verò Paulus adeò nos à peccatis alienos, ipsísque mortuos vult esse vt minimas etiam cogat dediscere sordes, & quod Gentilis ipse Horatius dixit,

Eradenda sunt praua cupidinis elementa. Horat.

Vt nihil peccati reliquum sit in animo, nec vna illius syllaba, litteráve, aut ansula maneat, vnde rursus incipere, aut reuiuiscere posit: immò verò ipsis mundi elementis, auaritiæ, ambitioni, & voluptatibus, quæ primæ peccatorum causæ, atque radices esse noscuntur, emori omnino monet vt *in nouitate vitæ ambulemus*; aliis videlicet elementis iis oppositis constantes. Quo proculdubio sensu verus pœnitens Dauid quæsita locutione dicebat: *Cor mundum crea in me Deus.* Psalmo 50. 12. Benè *crea*, non autem fac: vt nihil antiqui cordis habeat, aut ex pristinis mundi elementis educatur: sed nouis iustitiæ, & sanctitatis elementis de nouo formetur. His mirè concinit ab Israëlitis sub Samuële pœnitentia, & ad Deum in toto corde facta conuersio, peculiari effusæ aquæ signo comprobata, 1. Reg 6. 7 Etenim cùm ipsos sic priùs compellasset, siue adiurasset Samuël: *Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli*: illique libenter præstaturos pollicerentur: *Conuenerūt in Maspha, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini.* Sed quid, inquis, siue ad Deum placandum, siue ad detestanda peccata, siue etiam ad internum animi dolorem manifestandum, effusa aqua conducat? Sumunt hæc metaphoricè Gregorius & alij de lachrymarum imbre, qui ab intimo corde Dei amore liquefacto difflueret: Chald. verò apud Glos. de animorum simplicitate, atque candore nihil simulante, sed omnia crimina, & concupiscentias patefaciente: *Ita effuderunt* (inquit) *corda sua coram Domino, ac si aquam funderent: nihil eos simulasse, sed prorsus omnes suas cupiditates patefecisse.* Simpliciùs verò, & accommodatiùs, de aqua naturali accipientes, ad perfectæ & constantis pœnitentiæ, signum sic retulere Glos. & Rabban. *vt sicut aqua effusa non redit, sic nec ipsi redirent ad idololatriam.* Nec multo aliter P. Sanchez, Caiet. & alij dum de perfecta pœnitentię munditie, & animo omnino mutato capiunt, sic illis præeunte Rabbi Leui apud Glos. *Aqua effusa signum fuit mutati propositi; velle se posthac mundos esse, & nihil super futurum idololatriæ.* Sed cur, rogo, ad animum à peccatis verè, ac perfectè mundatum designandum inter omnes liquores aqua assumpta fuit? Respondet P. Sanchez, quòd alij liquores, vt maximè cupias, studeásque, non ita effundantur è vaso, vt nō in illo aliquid adhæreat; aqua verò effusa nihil sui relinquat in vase, nec saporem, nec odorem, quod sanè egregium

Psal. 50. 12.

1. Reg. 6. 7.

Gregorius.

Chaldæus.

Glossa.

Rabbanus.

P. Sanchez.

Caietanus.

R. Leui.

P. Sanchez.

egregium symbolum est animi verè pœnitentis, qui nihil apud se retinet vitæ, cuius illum pudet, pœnitétque, sed tam à se omne peccatum proiicit, & falsorum numinum, quæ antea coluerat, memoriam execratur, vt non minus ab animo hæc excedant: quàm aqua, cùm è vase, in quo concludebatur, effunditur, cuius neque sapor manet vllus, neque odor. Optimè quidem, & omnino ad gustum Richardi Victorini similia Threnor. verba, cap. 2. 19. *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui*, sic elucidantis. *Cæteri liquores cùm effunduntur, vel quadam pinguedine superlinita, vel sapore infecta vasa relinquunt. Sola aqua sic effunditur, vt mundities vasis nullis eius reliquiis maculetur. Qui ergo peccata sua confitentes, aliqua vel negligentia, vel erubescētiæ causa effundere timent, quasi in vasa cordis spissi liquoris reliquias retinent; qui verò peccatum omnino, sed non peccandi affectum eiiciunt, in vase saporem noxium adhuc seruant*. Sic ille in allegoriis Gotfrid. Tilmani. Et verò hæc non modò mutatum propositum, sed etiam constantem, & duraturam pœnitentiam arguunt & pollicentur: nam, vt sapienter admonet Basilius, qui post pœnitentiam ad peccata redit, non obscurè ostendit, peccatum non omnino extirpasse, & tanquam aquam profudisse, crasisséque prauæ cupiditatis prima elementa: ideo à peccati sapore, siue odore rursum attractum fuisse. Sic enim ille, in regul. intertogatione 289. *Quòd qui semel pœnitentiam egerit, denuo idem peccatum commiserit, hoc argumento est, illum primam causam peccati illius funditus non extirpasse, à qua velut à quadam radice alia eiusdem generis pullulare necesse sit*. Diffundit id, & illustrat statim pulchra hac imagine. *Nam quemadmodum si quis relicta radice ramos arboris alicuius velit excisos, nihilominus radix manens alios similes protendit: sic quoniam peccata sunt quædam, quæ nascendi principium in seipsis non habent, sed aliunde originem ducunt, necesse est prorsus, si quis esse liber ab illis velit, is, vt causas primas peccatorum illorum stirpitus tollat. Veluti contentio, & inuidia non ex seipsis nascuntur, sed à radice appetitus gloriæ pullulant: qui enim humanam gloriam pluris facit, is ex æmulatione ei obtrectat, quem in gloria esse animaduertit, aut à quo in ea superari se videt, inuidet: quocirca, qui semel seipsum in inuidia, contentionisve condemnarit, is si in eadem ipsa denuo vitia relapsus sit, vtique intelligat, graui se, ac penitus insito cupiditatis gloriæ morbo, principe illo et inuidia, æmulationisve causa laborare*. Hæc Basilius: ac si dixerit, hunc peccatis mortuum videri, at reapse peccatorum elementis minimè mortuum esse, nec illa tanquam aquam profudisse. Vnde ad Basilij mentem Ambrosius libro de fuga sæculi cap. 9 cùm dixisset. *Fugiamus sicut Loth, Sodomitana crimina amplius quam supplicia formidans*, sic admonet: *Benè fugis, si cor tuum non intuetur peccatorum consilia, & cogitationes eorum. Benè fugis, si oculus tuus fugiat calices, & phialas, ne fiat liuidus dum moratur in vino; si oculus tuus aliena declinet, & lingua tua veritatem custodiat. Benè fugis, si non respondeas imprudenti ad imprudentiam illius. Benè fugis, si auferas gressum pedum tuorum ex ore insipientium; citò enim malis ducibus erratur*. Sic Ambr vt dicere videatur: Benè fugis peccatum, si peccati elementa fugis, & ab illius colore, odore, & sapore animum mundas.

Richardus. Thren. 2. 19.

Basilius.

Ambrosius.

7. Persimilis est apud Isaïam sententia cap. 27. 9. de peccatis per pœnitentiam auferendis, primùm inquiens, *Et iste omnis fructus, vt auferatur peccatū eius*: quod ad Passionis Christi fructum, siue ad ipsius in cruce iamiam morituri testamentum, vltimámque nobis denunciatam voluntatem possis accommodare ex Paulo, hæc verba ad Roman. 11. 27. sub eius persona (vt Hieron. in Isa. & Chrysost. in Paulum obseruant) sic efferentis: *& hoc illis testamētum à me, cum abstulero peccata eorum*: hæc statim subiicit, vt moneat, quo modo de peccatis vera sit agenda pœnitētia. *Cum posuerit omnes lapides altaris: sicut lapides cineris allisos, non stabunt lucι, & delubra*; siue, vt vertit lectio Tigur. *ut non resurgant luci, & imagines*: vbi cùm de peccatis, siue idolis à nobis in pretio habitis, & adoratis sub altaris, phrasi agat, non fuit contentus dicere, prophanas hasce falsi numinis aras euertendas, ac destruendas fore, nisi singillatim adhortaretur, ipsos subinde euersi altaris lapides etiam comminui, & in cinerem redigi debere, ne rursus reuiuiscant. Sanè & cinis à Plin. lib. 37. cap. 27. *res damnaea, & nulla* appellatur, & ab Esdra lib. 2. cap. 4. 2. vt exprimatur id quod nullo pacto fieri queat, dicitur. *Numquid ædificare poterunt lapides de aceruis pulueris, qui combusti sunt?* Ergo inquit Isaïas, eam perfectam pœnitentiam censeri, quæ peccata sic delere, & destruere conatur, vt nihil omnino illorum supersit, sed ab animo ita excedunt, vt nullus illorum sapor, odor, color, siue vestigium maneat: secus verò, firmam, & stabilem non esse. Inest quidem hæc vis illi sermonis structuræ *cùm posuerit, &c. non stabunt luci*: ac si dixerit, tunc non stabunt peccata, siue non resurgent cùm allisa, & cōminuta fuerit, sicut lapides combusti, & in cinerem, ac fauillam redacti. Enim verò, quòd ad has pœnitentiæ leges sese Sponsa composuerat, maculatam peccati tunicam exuens confidenter illico aiebat, *quomodo induar illa*: quasi ad peccata semel abolita, siue ex vi pœnitentiæ oblita, redire iam minimè posset. Sic ea verba explicante Ambrosio libro 3. de Virginibus hunc in modum: *Vide anima Deo deuota, quid dicat*. Quomodo induam illam? *sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat, quomodo etiam, si velit, rursus possit induere*. Quomodo? *ait hoc est, quæ verecundia? quo pudore? quæ postremò memoria? Consuetudo enim boni vsum prauitatis veteris amisit*. Sic Ambrosius. At enim hoc in loco tristis illa meum animum cogitatio subit: aliter omnino à pluribus peccatoribus, præsertim ex illorum numero, qui nonnisi. Quadragesimæ tempore peccata confiteri solent pœnitentiam agi: nam. vt multi sunt, qui tunc peccatorum ex corde pœniteant; alij quidem falsorum numinum aras non omnino euertunt, aut in cinerem redigunt; sed illas potiùs contegunt, & abscondunt: egregium Ecclesiæ morem, & luctum sacro Passionis tempore altaria velantis, & obtegentis. vt in Paschalibus festis rursus detegat, peruersè imitantes; vt enim ad faciem dolere de peccatis videatur, ea minimè oderunt, sed ob temporis opportunitatē dolere, & pœnitere simulant, Paschæ tempore ad ipsa denuo reuersuri. *Taliter fermè omnia agunt* (inquit Salu. Massil. lib. 4. de Prouid.) *vt eos non tam putes, antea pœnitentiam criminum egisse, quàm postea ipsius pœnitentiæ pœnitere: nec tā prius pœnituisse, quod male vixerint, quàm postea, quòd se promiserint, benè victuros*. In hos quidem hæ duæ minæ ab Oraculo intorquentur Deut. 27. 15. *Maledictus homo, qui facit sculptile, & conflatile, ponitque illud in abscondito*. Non enim sufficit idola abscondere, siue velare, sed illa conterere, atque comminuere necesse est. At inquis. Nónne etiam bonus Iacob idola Laban subtus terram defodisse dicitur? sic enim Genes. 35. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, at ille infodit ea subter terebinthum*. Ita quidem. Sed enim non perinde hoc fuerit, ac in abscondito ponere; immò verò, qui idola defodit, perfectam pœnitentiam ad

ad Rom. 11. 27.

Tygur. editio.

Plinius.

2. Esdr. 4. 2.

Cantic. 5. 3.

Ambros.

Saluianus.

Deut. 27. 15.

Genes. 35. 4.

adumbrasse videtur. Quid enim id fuerit, nisi peccata consepelire, *in mortem, vt destruatur corpus peccati?* Audi ea de re S. Nilum in Ascet. *Illud enim laudabile* (de egregio Iacob facinore, loquitur) *hoc vitiosum, & execrandum.* Maledictus, *inquit*, qui ponit idola in abscondito. *Neque enim idem est, in terra defodere in perpetuum, & in abscondito ponere. Nam quod in terra defossum est, & a sensu remotum, tempore ipso deletur etiam ex memoria. At quod in abscondito positum est, eos fortasse, qui foris sunt, latet, sed cum ab eo, qui posuit assidue cernatur, memoriam sui renouat, & circumfert. Omnis enim turpis cogitatio, quæ in animo figitur, sculptile est absconditum, quod pudor vetat in medium proferre. Periculosum igitur est, ponere simulachrum in abscondito.* Hæc Nilus.

S. Nilus.

Videris sanè, hos veros, & falsos pœnitentes in Dauide, & Saule adumbratos: vtroque enim post agnitum peccatum dicēte, *Peccaui*, 1. Reg. 15. 24. & 2. Reg. 12. 13. solus Dauid, audire à Domino meruit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris*; sed quare? Quia sub eadem nimirum voce, & sub iisdem externis pœnitētiæ signis, dissimilis intus animus erat, dum Dauid cor contritum, & humiliatum Domino præbens prophanas amati, veneratiq; idoli aras funditus euertit: Saul verò de altari tantùm velando, & obtegendo curauit. Sic August. lib. 22. contra Faust. cap. 67. *Cur autem Saul per Samuelem correptus, cum diceret etiā ipse*, Peccaui; *non meruit audire, quod audiuit Dauid, quod ei Dominus ignouisset? Num personarū acceptio est apud Deum? Absit: sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod diuinus oculus discernebat.* Hæc August. Adsimilis est Ambrosij obseruatio in impio Rege Achab, cilicio, & sacco ad pœnitentiæ leges extrinsecus contecto: sic enim 3. Reg. 21. 27. *Operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite*; sed num ibi aliquid de cordis contritione, aut mutatione additur? Minimè quidem, iis quippe exterioribus pœnitentiæ signis peccata, & idola sua interiùs abscondebat, atque fouebat. Sed audi Ambros. in Psalm. 37. *in ipso* (inquit) *perfido Achab gemitus inuenisset gratiam, nisi manens inuidia cumulasset offensam. Non enim perfunctorius gemitus prædicatur, sed qui habet conuersionem*: si conuersus ingemuerit, saluus erit. Sic ille.

1. Reg. 15. 24. & 2. Reg. 12. 13.

August.

3 Reg. 21. 27.

Ambros.

8. Nec hinc discessero, quin ostendam tibi in Dauidis pœnitentia lapides altaris, sicut lapides cineris allisos. Sic enim ipse de bello, quod pristinis peccatis indesinēter inferre moliebatur. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.* Psal. 17. 38. In quæ verba August. *Persequar* (inquit) *affectus carnales meos; nec ab eis comprehendar, sed comprehendam illos, vt absumantur.* Pende ea, *Confringam illos, nec poterunt stare*, quæ eadem sunt cum illis Isaiæ, *cum posuit lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci, & delubra.* Sed enim, vt videris, quàm verè, quā perfectè pristinos affectus carnales fuerit persecutus, atq; confregerit, ne deinceps stare possent; aduoca huc quàm virili, ac forti animo Bethleemiticæ aquæ desideriū fregerit. Etenim, qui eam tantopere prius concupiuit inquiens: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam*, 2. Reg. 23. 15. cùm statim ad eius nutum præstantissimi exercitus duces per viam tot hostium millibus impeditam cæco impetu irrumpētes, & quasi per proprios pedes ad mortem euntes, *hauserunt aquam*,

Psal. 17. 38. August.

2. Reg. 23. 15.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

eique attulerunt, *ille noluit bibere, sed libauit eam, Domino.* Sed cur noluit eam bibere aquam, in qua haurienda tantum erat impendij positum. Sanè, quòd in illius desiderio aliquem pristinæ concupiscentiæ gustum, nonnihilque saporis, siue odoris, aut coloris affectus carnalis agnouerit: quod quidem illis in verbis, *Desiderauerit ergo Dauid*, ex Hebræi verbi terminatione non difficilè elicias, nec enim ibi positum est in terminatione masculina *vaieaab*: sed in fæminina *vateeaū*: quasi hoc desiderium nonnihil delicati, siue effæminati animi ad suauia propendentis, habuerit. Ergo, qui opere exsequi volebat, quod dixerat, *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos*. hoc est, *nec ab eis comprehendar, sed comprehendam, vt absumantur*: vbi prioris concupiscentiæ elementa cognouit; ipsa omnino sibi esse abradenda, putauit ne vllus illius sapor, gustúsve denuo adhæreret: hæc ad id loci sic considerante Angelomo. *Cuncti nouimus, quod Dauid concupiscentiæ mucrone transfixus alienam coniugem appetiuit, & abstulit, cuius culpam digna verbera sunt secuta, & malum, quod perpetrauit, per pœnitentiæ lamenta correxit. Qui cum longè post contra ostium sederet, aquam bibere ex eorum cisterna, ex desiderio voluit. Sed vir flagellis eruditus semetipsum protinus cum periculo militum aquam desiderasse, reprehendit; eámque Domino fundens libauit, &c. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem, nequaquam timuit; post etiam quia aquam concupierat, expauit.* Optimè, *expauit*: veritus, ne primo illo concupiscētiæ gustu inescatus in grauiora discrimina prolaberetur: siue etiam *expauit*; aliquem adhuc pristini appetitus saporem, siue odorem sibi inesse, nec omnia prauæ cupidinis elementa erasisse.

Angel.

ADNOTATIO IV.

Non subitaneam, sed multi temporis, & laboris pœnitentiam esse debere, nec abluendum solummodo animum, sed etiam curandum.

SED & ipse modus, siue genus mortis, quam Dei Filius subire voluit, egregiè nos ad veram pœnitentiam instituit: vt morti ipsius configurari, perfectè pænitere sit. Et verò dū mortis genus, & passionem ipsius memoramus, statim dubitas, cur Passionem mille verberum, spinarum, contumeliarum, & amaritudinum suppliciis abnoxiam, simúlq; acerbissimam, æquè ac lentissimam crucis mortem elegerit, qui vno ictu obtruncatus, aut à montis supercilio deiectus, in nostri redemptionem, atq; salutem mortalitatem potuit explere? Vis nosse? audi Paul. 2. ad Cor. 5. 21. *Qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: sed quid est, *peccatum fecit*? Sanè (Ambrosio auctore) peccatoris personam criminum pœnis obnoxij, siue ipsius peccati abluendi figuram gessisse. Etenim ipse in posteriori Apologia de Dauid cap. vlt. cùm dixisset: *Hoc ad eas referendum videtur, quas Deus in carne suscepit iniurias, quia ieiunauit, quia esuriuit, quia fleuit, quia vapulauit, quia crucifixus est, quia mortuus, quia sepultus est. Hæc enim carnis, non diuinitatis insignia sunt.* Subiicit, *Et necessarium fuit, vt ærumnarum multitudinem miserationum multitudo depelleret. Non enim sua peccata delebat, qui peccatum nullum fecerat; sed quia peccatum factus est, nostra erant delenda peccata.* Nimirum, vt quemadmodum

1.

2. ad Cor. 5. 21.

Ambros.

suo nos ipse sanguine misericorditer redimebat; ita & suo exemplo peccata delere, & perfectam illorum pænitentiam nos facere salubriter doceret; ærumnarum multitudinem miserationum multitudine, pœnarum, scilicet & tormentorum multitudine depellens, & peccatum modis omnibus plectens, ac crucians, immò corpus peccati euacuans, & singulis membris peculiares cruciatus, pœnásque assignans. Quò quidem dixeris aspexisse Paulum, dum & hic *configuratum morti eius* se esse inquit, & ad Coloss. 1.24. notanter ait: ad Col. 1.24. *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea*: hoc est, confingo me ad similitudinem Christi cruci confixi, vt per labores, & opera pœnitentiæ, peccatum in carne mea ad illius morem & similitudinem plectens, crucique configens, Christi satisfactionem mihi applicem, viuúmque ipsius membrum capiti adsimile inueniar. Quid enim aliud Christi passionibus infinita virtute, & meritis pollentibus, nisi nostra imitatio deesse possit? Vnde opportunè Saluian. Christi fidem tanquã iudicem, qui peccatorem in crucem agit, vt ibi seuerè, & atrociter cruciet, quo indulgentiam obtinere mereatur, sic inducit lib. 1. ad Ecclesiam prope finem. Saluianus. *Crucibus denique diuersarum ærumnarum reum in suo corpore hominem iudex fidei seueritas subiugabit, vt indulgentiam scilicet absolutionis æternæ præsentis pœnæ ambitione mereatur.*

2. Nec aliò ire videtur, quòd de veteri homine in crucem agendo, sic præced. adnot. monebat idem Paulus ad Rom. 6.6. ad Rom. 6.6. *Vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati*; id enim ad pænitentiam non perfunctoriè, aut festinanter, sed paulatim, & debitis momentis, & numeris conficiendam, vt peccati membra dignis castigationibus, & pœnis addicantur, omnino referendũ videtur. Ita quidem Ambros. dum virginem infeliciter lapsam ad pœnitentiã adhortaretur, sic veterẽ in illa hominem in crucem agebat, vt singula membra singulis affigeret crucibus hũc in modũ: Ambros. *Pœnitentia ergo non verbis agenda est, sed & actu. In primis omnis cura vitæ huius interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lachrymas, qui masculum simpliciter non aspexerunt. Pallescat facies, quæ quondam viruit impudice. Denique totum corpus incuria maceretur: cinere aspersum, & opertum cilicio perhorrescat, quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò sit liquescens sicut cera, ieiuniis inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucientur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem malo cessit imperio.* Hæc Ambros. in exhortatione ad Virginem lapsam cap. 8. Ad quem sanè modum Gregor. Magnus hom. 33. in Euangelia Greg Magn. beatam illam mulierem, *quæ fuerat in ciuitate peccatrix* Lucæ 7.38. corpus peccati destrumentem; Luc. 7.38. ad illa verba: *Attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat*; sic considerat. *Liquet, quòd illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum sibi pro odore carnis adhibuit. Quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat. Ore superba dixerat, sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta.* Nec ab hoc quidem pœnitentiæ præscripto discessit Dauid, regio licèt culmine cõstitutus; immò non contentus, vt perfectè pœniteret, regem exuere; veterem etiam hominem exuit, crucique suffixit, vt optimè contemplatur Saluianus Massil. lib. 2. de gubernat. vbi cùm dixisset: Saluian. *Agnoscit reus culpam, humiliatur, compungitur; confitetur, luget, pœnitet; gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur.* subiicit, *cultu, & corde mutatur; totum regem cum ornatibus suis abiicit; prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* Ita Saluianus. En veræ pœnitentiæ habitum, quæ veterem hominem non tam subitò & semel obtruncet, quàm multis ictibus sensim, & paulatim in cruce enecet, numquam pœnis contenta, numquam lachrymis satiata, vt vel nominis sui munus impleat. *Pœnitentia enim* (inquit Stephan. Canthuar. Steph. Canth. in allegor. Gotfrid in cap. 5. Iosue) *dicitur pœna tenax.* Vnde rursus Saluian. lib. 4. ad Ecclesiam, vt peccatores grauibus criminibus obnoxios pœnitentiam doceat, sanctos perfectósque viros minima etiam peccata grauiter, & diuturnis pœnis plectentes in exemplum sic adducit: *Sed si quis vult ex peccatoribus scire, quam grauiter censenda à Deo sint magna crimina, discat, qualiter in semetipsis puniant sancti etiam leuia peccata: conscij, scilicet ex Dei ipsius arctis futuri examinis, ac per Domini sui verba, etiam iudicia rimantes: & ideo semper in Dei opere semper in compunctione, semper in cruce positi: beati, qui cùm omnium misereantur, sibi nunquam penitus ignoscunt: in nullo sibi parcentes, sed totos se admodum Deo impendentes: & ideo in futuro iudicio digni præmio, quia hic apud se iugiter in reatu.* Sic ille. Preme illa, *Semper in Dei opere, semper in compunctione, semper in cruce*: hoc est, diuturnam, siue perpetuam peccato mortem inferentes, & sese Christi morti indesinenter configurantes.

3. Etenim verò totam pœnitentiæ rem à nullo opinor Doctore melius disces, quàm à Regio Vate: de quo pulchrè Hieron. epist. 30. Hieron. *Qui prius me docuerat virtutibus, quomodo stans non caderem: docuit me per pœnitentiam; quomodo cadens resurgerem.* Is siquidem adhuc postquam illam Dei nomine à Nathan indulgentiæ plenam vocem acceperat, *Dominus transtulit peccatum tuum a te*, 2. Regum 12. 13. 2. Reg. 12.13. Sic secum pœnitentiam meditabatur Psalm. 37. 18. Psal 37.18. *Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Et, vt singula verba huic rei peropportuna sint, pendo solùm extrema hæc, *& cogitabo pro peccato meo*: obseruans pro *cogitabo*, Græcè esse μεριμνήσω, quod propriè significat, angi, cruciari, curisque animum sollicitari, ac diuidi: Græc. Lect. vt indicet Vates; *de propitiato peccato*, non sine metu, & magna sollicitudine esse. Sed quò hæc solicitudo, & angor eat? Aperit quidem optimè Augustinus ibi, qui dum legit: August. *Curam geram pro peccato meo*; sic explicat: *id est, de die in diem plangam, & faciam omnia, quæ facienda sunt ad abluendum, & sanandum peccatum meum.* Quibus in verbis, omnibus numeris absoluta pœnitentia indicatur: etenim, tum diuturnus dolor, ac mœror, ad abluendum peccatum, tum omnimoda cura, atque sollicitudo ad sanãdum vulnus, quæ duo vera exigit pœnitentia, ei adscribuntur.

Sed

Sed qua occasione hæc cogitauerit Dauid, & quàm exactè fuerit exquutus, operæpretium fuerit videre: & de occasione quidem opportuniùs subinde agemus, cùm illius curam & sollicitudinem pro sanando vulnere obseruauerimus, Modò doloris grauitatem, & diuturnitatem consideremus: & de illo sic ipse Psal. 6. 7. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo:* vbi ad vim lachrymarum declarandam Hebræa mirè faciunt: nam ibi pro *laboraui in gemitu meo*, est, *fatigatus sum gemendo, & suspirando*, & pro *singulas noctes*, habetur *totas noctes*, & randem illa, *stratum meum rigabo:* bene trãstuleris, *mergam, siue natare faciam*; propriissimè verò, *putrescere faciam*, siue *dissoluam lachrymis stratum meum.* En veræ pœnitentiæ faciem, en iustum perfectúmque dolendi modum, vbi nullus doloris, siue in grauitate, siue in assiduitate, & diuturnitate modus est: *Quod iam olim admissum fuerat peccatum* (inquit ad hæc verba Chrysost. hom. 32. in ep. ad Hebr.) *post tot annos, post tot generationes, tamquam quod recens accidisset, deflebat.* Sanè quod non perfunctorius gemitus, vt dicebat præced. adnot. Ambros. nec breuiter, & festinanter arrepta conuersio, sed fermentata, & magno temporis spatio concocta, largissimóque fletu madida requiratur.

Psalm 6. 7. — Hebr. lect. — Chrysost.

4. Ad hunc sanè modum peccatricem ciuitatem; singulásque eius animas ad pœnitentiam vrgebat Ierem. Thren. 2. 18. inquiens, *Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi: & non taceat pupilla oculi tui:* vbi vno ex capite ad doloris magnitudinẽ significãdam, torrentis imaginẽ ex alto, sese cum impetu præcipitantis assumit; ex alio, quòd torrens celeriùs soleat pertransire; signatè addit, *per diem, & noctem*, ne videlicet, pœnæ magnitudini, opportuna diuturnitas, & perseuerentia desit, vt ibi hunc in modum considerat Richard. de S. Victor. in allegor. Gotfrid. *Quasi dicat: Qui te multum peccasse consideras, necesse est, vt nec in magnitudine, nec in diuturnitate doloris tibi parcas.* Deduc quasi torrentem lachrymas, &c. *Torrens cum magno impetu decurrit, sed quo vehementiùs defluit, tanto citiùs pertransit. Sed quia inchoare bonum, parum prodest, nisi perseueranter teneatur, rectè subiungitur;* per diem, & noctem. Optimè Nec fuerit minus opportunum, quòd vt pœnitentiam intima, & delicata quæque tollentem, atque cruciantem adstruat, circa sequentia verba sic subiicit. *Pupilla non solum marginem oculorum, sed ipsum visionis radium procella lachrymarum irrumpens obtenebret, vt dum id etiam quod tenerũ est affligitur, citiùs ad misericordiam pietas iudicis moueatur.* Cui sanè longæ pœnitentiæ moræ, & diuturnitati opportunè dixit Chrysostomus, pœnitentem non debere irasci, sed conteri. Audi illum præfato loco in epistol. ad Hebræos sic monentem. *Eum, qui agit pœnitentiam non oportet irasci, neque efferari, sed tamquam condemnatum conteri, tamquam qui non habeat fiduciam, tamquam in quem lata sit sententia, tamquam qui debeat à sola salutis esse misericordia, tamquam qui in benefactorem apparuerit immemor, & ingratus, tamquam reprobum, & dignum suppliciys innumerabilibus.* At enim, cur non irascatur peccator; cur in sua crimina ingenti ira non efferueat, atque æstuet? maximè cùm iram aduersùs peccata sic armauerit Psaltes, Psalm. 4. 5. *Irascimini, & nolite peccare.* Crediderim, idcircò id monitum à Chrysostomo vt pœnitentiam non subitam, & cum festinatione præreptam, æquè adstruat, que dimissam, sed assiduam, multúmque durantem adstruat. Ira enim, furor breuis est: leuissimúsque affectus non iudicio, sed impetu incipiens; ideo medio sæpe in itinere deficit, *habet enim* (sic Seneca lib. 1. de ira, cap. 14.) *non solidum robur, sed vanum tumorem, violentísque principys vtitur: non aliter, quam qui a terra venti surgunt, & fluminibus, paludibúsque concepti sine pertinacia vehementes sunt. Incipit magno impetu, deinde deficit ante tempus fatigata.* Ideo sapienter ait, eum, qui pœnitentiam agit, conteri potius, quàm irasci oportere, ne lachrymarum torrens, quo vehementiùs defluit, eò citiùs pertranseat, sed deducat *quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem,* nec *taceat pupilla oculi sui.* Nec aliud sibi vult Vates cùm ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Quid enim iræ meminerit, non tam ad peccata iam commissa, quàm ad ea, quæ animum quò ipsum expugnent, aggrediuntur, referri debet. Nam vt admisso iam peccato ingens dolor & diuturna contritio, meritò respondet: ita ipsi obuenienti rapidus iræ impetus iusto consilio obuiam ibit: nam, vt alibi ex Fabiano Philosopho monuimus; *aduersùs cupiditates non subtilitate, sed impetu pugnandum est.* Quare statim de pœnitentia propter commissa iam peccata agenda, subdit Dauid: *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini,* hoc est, ob occulta etiam, & interiora peccata animos vestros multum, diúque compungite, & acri dolore velut clauo transfigite.

Thren. 2. 18. — Richard. — Chrysost. — Psalm 4. 5. — Chrysost. — Seneca. — Fabian.

Sed & indidem Chrysostomus, Petrum verè, & salubriter pœnitentem; Iudam verò inutili, immò noxia pœnitentia functum, in exemplum sic adhibet: *Vis videre exactam & absolutam pœnitentiam? Audi pœnitentiam Petri post negationem. Nam quæ ab eo gesta sunt, narrans Euangelista.* Egressus, *inquit*, foras, fleuit amarè. *Propterea ei etiam remissum fuit huiusmodi peccatum, quoniam quomodo oportuit egit pœnitentiam. Pœnitentiam quoque egit Iudas, sed malè. Nam se suffocauit:* vbi si attendis, inde potissimum Petri pœnitentia commendatur, quòd assidua, ac diuturna fuerit, deducens ipse, *quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem:* quin taceret aliquando pupilla oculi eius; *fleuit amarè*, inquit Matthæus, & Marcus, notanter, *cœpit flere*; quasi luctum, & planctum tum toto animi studio, & ex professo susceperit: tum in eo perpetuò durauerit. Qui enim ipsum cœpisse flere, inquit, nusquam à fletu cessasse, aut planctum absoluisse, affirmauit: vnde rursus ibi Chrysostomus: *fleuit amarè, & alia quæ fletum sunt consecuta fecit similia. Quid enim fecit? se postea coniecit in pericula innumerabilia, & per multa ostendit magnam animi sui virtutem, & constantiam.* Contrà verò Iudæ pœnitentia, cui aliàs nec dirus dolor, nec malæ partæ pecuniæ restitutio, nec sceleris confessio defuit, ideo non modò inutilis, sed etiam exitiosa, atque excerabilis fuit, quòd ipsam non tam ratione & iudicio compunctus, intimóque animi sensu contritus, quàm impetu iratus, & efferatus festinanter arripuerit. Scitè enim de ipso dixit Leo Pontifex sermone 11. de Passione: *A quo intellectu alienatus impius traditor insurrexit in se non iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis.* Bene *non iudicio*; sed *furore*; nec dolore, sed ira, ac efferato impetu, & turbulento animo ad pœnitentiam accedens. Ita de eo rursus Paschasius lib. 12. in Matthæum in illud, *Pœnitentia ductus*, inquit. *Nec tamen ita prænimio mœroro, & confusionis*

5. — Chrysost. — Matt. 26. 75. — Marc. 14. 72. — Chrysost. — S. Leo. — Matth. 27. 3. — Paschas.

suæ immanitate pœnitentiæ modum tenere potuit, qui mox laqueo se suspendit. Fecit enim diabolus, qui eum prius persuaserat arte sua, vt pœniteret forte non ad veniam, sed eum amplius, vt impelleret in ruinam. Retulit ei ante oculos mentis immanissimum scelus, quod gessit, non vt ex consilio veri ad clementissimum Dominum, & medicum animarum recurreret, sed vt ex perturbatione diræ mentis in peius veniret. En Iudam dum nimia celeritate pœnitentiam suscipit, ex perturbatione mentis in peius deuenientem. Quod equidem ex Cypriano iis apres velim, qui cùm non nisi semel in anno conteantur, nulla tunc data mora, vt sedato animo peccata in memoriam reuocent, & reuocata plangant; ac de iis, vt decet, doleant, sed temerè, & festinanter ad pœnitentiæ Sacramentum accedunt.
Cyprian. Sic enim ille lib. 3. epistol. 16. *Potens est diuina misericordia medelam dare; dum tamen non putent, properè, nec incautè aliquid, & festinanter gerendum, ne sitemere pax vsurpetur, diuinæ indignationis offensa grauius prouocetur.* Et verò præfata Iudæ imago iis signatè quadrat, ipsum enim auaritiæ luceris occupatum semel ad pœnitentiam accessisse legimus: vnde hac ratione à Venerabili Drogone Hostiens. in sermone de Dominicæ Passionis Sacramento, necnon ab Hugone in allegoriis Gotfrid. ad lib. 2. Regum cap. 14. cum Absalone non nisi semel in anno capitis cæsariem detondente opportunè componitur. Sic enim Drogo:
Drogo. *Ecce Absalon: Ecce Iudas: Ecce corpus Satanæ. Sed quomodo comam nutriebat?* Fur erat, & loculos habebat: *ista eum cæsaries grauabat, & semel in anno tonsus, quando semel retulit triginta argenteos*, & proiecit eos in templo, *quos ponderauit ducentis siclis, qui numerus immundorum est; & hoc pondere publico, non pondere sanctuarij*, pœnitentia *enim* ductus *peccatum suum valde ponderauit.* Peccaui tradens sanguinem iustum. *Singula verba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere sanctuarij, quia plus erubuit infamiam, quam conscientiam, plus suam nequitiam, quam Dei misericordiam ponderauit. Audi pondus san-*
Psalm. 50.5. *ctuarij.* Peccaui, malum coram te feci; dele iniquitatem meam: *hinc iniquitatem meam agnosco, illinc misericordiam tuam magnam attendo, miserere*
Genes. 4.13. *mei Deus. Audi & pondus publicum.* Maior est (*ait Cain*) iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Hæc Drogo. & similia Hugo. Quibus subiicit:
Hugo. *Si sciret iustitiam ponderis, id est, pretium sanguinis, non ad laqueum curreret, sed ad crucem Domini humilis properaret.* Pergit præfato loco Leo Ponti-
S. Leo. fex: *Sed maligno cordi, nunc furtis fraudium deditο, nunc parricidialibus commerciis occupato, nihil vnquam documentorum misericordiæ Saluatoris insederat; nec piis acceptaueras auribus Domini ver-*
Matth. 9. *ba dicentis*, Non veni vocare iustos, sed peccatores.

6. Redeo ad Dauidem post dimissum sibi pecca-
Psalm. 50.3. tum rursus clamantem, *Dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & peccato meo munda me*, Psalm. 50.3. vbi pro *amplius laua me*,
Hieron. Hieronym. legit, *multum laua me.* Pagninus verò,
Pagnin. *plurimum laua me.* Augustinus *magis, ac magis la-*
August. *ua me.* Sed quorsum tantus luctus, tam iterataque illius purgatio, necnon tam tenax illius memoria, siue recordatio? Nónne, peccatore pœnitente, eique semel data venia, peccatorum ipsius
Ezech. 18.22. Deus obliuiscitur? *Si impius egerit pœnitentiam* (inquit Dominus Ezechiel. 18. 22.) *ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Respondet quidem ipsemet Dominus, sic sese explicans Isai. 43.
25. *Ego sum: ego sum, qui deleo iniquitates tuas* Isai. 43.25.
propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, vt iudicemur simul. Sed obserua apud LXX. sic hæc legi: *Tu verò me-* LXX.
mento, & iudicemur; ac si dicat, si vis, vt omnium ego peccatorum tuorum obliuiscar, tu illa memorare, & ob oculos ad ea deflenda defer. Ita citata homil. ad Hebr. Chrysostomus, *Eum qui agit pœnitentiam, nunquam non oportet suum prodere peccatum, sed Deum quidem rogare, vt ne eius meminerit. Si nos eius meminerimus, Deus eius obliuiscetur.* & sermone de pœnitent. tom. 5. sic premit hæc Isaiæ verba, *Vides?* ego nunquam memorabor, *inquit. Hoc misericordiæ fuerit: tu autem memor esto, vt emendationis capias argumentum. Hæc vt audiuit Paulus, quòd Deus peccatorum non sit memor, ipse continuo memor fuit, sic dicens:* Non sum dignus, qui vocer Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam, 1. ad Corinth. 15. Christus Iesus venit in mundum, vt saluet peccatores, quorum ego sum primus, *Condonata fuerant peccata à Deo, sed memoria peccatorum condonatorum non euanuit apud Paulum, & ea quæ Dominus deleuit, illa ipse diuulgauit.* Hæc & alia ibi Chrysostomus. Ex quo pœnitētiæ Pauli exemplo sic ratiocinatur Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia, cap. 13.
Si Apostolus etiam peccata per baptismum dimissa con- August.
tinue plorat, nobis etiam super fundamentum Apostolorum positis, quia præter plorare restat? quid nisi semper dolere in vita? vbi enim dolor finitur, quid relinquitur de venia? tamdiu gaudeat, & speret de venia, quamdiu sustentatur à pœnitentia. Et statim: *Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, si contigerit, semper doleat, & non satis est, quòd doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse, doleat.* Ecce iudicium, quod & tibi facere, præscribit Dominus, & ipse apud Isaiam tecum subire non renuit. Qua enim lege omnia peccata perpetuæ obliuioni à se fore mandāda apud Ezechielem pollicebatur Dominus? Nimirum, *si impius egerit pœnitentiam, & fecerit iudicium, iustitiam:* si peccata videlicet tamquam iudex in iudicium detulerit, & de illis supplicium ac vindictam indesinenter sumpserit: vnde apud Isaiam, *Tu verò memento, & iudicemur*: ac si dicat, si vobis illa ob oculos habentibus ego ipsorum meminero, venite arguite me.

Hæc omnino subsistent, si noueris, peccatoris 7.
pœnitentiam suis momentis à Deo probari, & ad seuerum examen, & calculos vocari. Sapienter enim in primis hac de re dixit Tertullian. lib. de pœnitentia cap. 6. *Hoc enim pretio* (perfectæ scilicet pœnitentiæ, & ad amussim peractæ) *Dominus* Tertul.
veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo, qui venditant priùs nummum, quo paciscuntur, examinant, ne scalptus, ne verasus, ne adulter: etiam Dominum credimus, pœnitentiæ probationem priùs inire: tantam nobis mercedem, perennis scilicet vitæ concessurum. Habet ergo suum Codicem Deus vtraque pagina constantem; in quarum altera peccatoris crimina, in altera ipsius lachrymæ pro illis profusæ è regione conscriptæ sint, vt collatis, subductisque calculis, rationes conficiantur: sed ne nostrum id inuentum videatur, audi Dauidem hunc librum vtraque instructum pagina adornantem; sic enim primùm Psalm. 89. 8. *Posuisti iniqui-* Psalm. 89.8.
tates nostras in conspectu tuo: deinde de pœnitentiæ, ac

Psalm.55.9. ac lachrymarum pagina, Psalm.55.9. *Posuisti lacrhymas meas in conspectu tuo.* Obserua verò pro *Neuiens.* his verbis, Hebraicè ex Neuiensis, & Pagnini *Pagnin.* translatione esse: *Posuisti lachrymas meas in libro tuo.* Similiter *Campens.* Campensem legere, *posuisti lachrymas meas in rationibus tuis.* Vides vtramque paginam sese mutuò respicientem? vt iniquitates in Dei libro, & rationibus conscriptæ, lachrymis paulatim diluantur, ac deleantur, donec pariter subductis calculis ratio constet. Firmat id Augustinus lib.6.cont.Iulian.cap.8. adhuc dimisso pec- *August.* cato monens, reatum culpæ manere, *donec remittantur in occultis legibus. Dei quæ conscripta sunt quodammodo in mentibus Angelorum.* Nec ab his exempla eunt: vel adi Hermem Pauli discipulum *similitudine* 7. tom.5. Bibliothecæ veterum PP. vbi dum Deus ab ipso pro domo sua multis tribulationibus afflicta oratus dicitur: Deum illi respondisse fertur: non frustrà, sed in peccatorum pœnam eas illos homines tribulationes premere; *S. Herm.* cùmque ipse subiecisset: *Ego scio totus præcordijs eos agere pœnitentiam:* sic tandem Dominus locutus est, *Numquid ergo protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt pœnitentiam? Non proinde continuò: sed oportet eum, qui agit pœnitentiam, affligere animam suam, & humilem animo se præstare in omni negotio, & vexationes multas, variásque perferre.* Ecce quomodo conferantur, & supputentur calculi, nec ingratiis Dauidem post salutarem illam vocem, Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te: non morietis: sese totum lachrymis, & pœnitentiæ operibus dedisse. Sic enim dicebat Saluian. Massiliens. lib.2. de gubernatione, *Psalm.50.2.* *totum Regem cum ornatibus suis abijcit, prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur:* offerens nimirum Deo hæc luctus, & pœnitentiæ opera, vt ipse in libro, & rationibus suis peccatorum lituras delendas pone- *Saluian.* ret. Ideóque dicebat: *Dele iniquitatem meam: Amplius laua me*, sic premente hæc verba Vene- *Vrb. Pont.* rabili Vrbano Pontifice in Metaphrasi, *Domine, qui non despicis gemitus contritorum, tu nosti, quòd sicut super deletas literas, quædam ex ipsa litera remanet turpitudo, per quam adhuc perpendi possint ipsa deletarum vestigia, & significatio literarum, nisi ipsa litera, & litura penitus eradantur; ita & deleta a te iniquitas in anima mea quandam deformitatem reliquit, per quam à te, qui solus es inspector cordium, & conscius secretorum, & ab illo, qui est animarum improbus accusator, potest adhuc perpendi, quanta fuit iniquitas mea, nisi post deletionem, a te amplius abluatur; & ideo peto humiliter:* Amplius laua me; *& ita perfectè laua, qui imperfectionis opera non nouisti, vt in me peccati vestigium non relinquas.* Hactenus Vrbanus. Vt vel hinc videris, quàm imperiti, siue idiotæ pœnitentes ij simus, qui cùm totam peccatorum paginam diuini Codicis oppleuerimus, de illa lachrymis delenda, & lituris paulatim eradendis, nec hilum cogitamus, sic nos pungente, siue describente Gregor. Nysseno homil. de pœniten- *Nyssen.* tia. *Nos autem verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil laboris, studiíque præstamus, sed eadem viuendi consuetudine vtimur, quæ prius vtebamur, quàm peccata confitendo detestaremur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis victu, cultúmque splendor. Somno vsque ad satietatem indulgemus, negotijs, & occupationibus animo sedulitatis obliuionem inijcimus, pœnitentiæ nomen inane dumtaxat, & nullis expressum factis retinemus.* Neq mitiùs S. Pacianus Barcinonensis Episcopus in Parænesi *de pœnitentia*; vbi cùm Regem Nabuchodonosorem grauissima, & diuturna pœnitentia functum sic eleganter descripsisset. *Rex ille Babylo-* *S. Pacian.* *nius Exomologesim desertus operatur, & septuenni squalore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa cæsaries, & barbarus horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes aquilas mentiuntur, cùm fœnum in morem bouis edere, pallentium ruminatori herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat ipsa illa mala tractationis calamitate felicem.* subiicit: *Quid dicitis pœnitentes? vbi est vestra carnis interitus? An quòd in ipsa pœnitentia lautiores semper inceditis conuiuio facti, balneis expoliti, veste compositi?* Hæc & multo plura Pacianus ibi.

Sed iam ad alteram pœnitentiæ partem, quæ versatur in curando, & sanando peccato veniamus; dicebat siquidem ex persona Dauidis Augustinus: *De die in diem plangam, & faciam omnia* *August.* *quæ facienda sunt ad abluendum, & sanandum peccatum meum*, quòd non satis fuerit illud abluere, nisi simul etiam vulneri medicinam indesinenter adhibueris, donec omnino sanetur, immò & ipsamet illius cicatrix obducatur. Vnde inibi statim Augustinus explicans quid ex mente Dauid sit, curam gerere pro peccato, ait: *Ne* *August.* *securus sis, cum confessus fueris peccatum, sed semper curam gere pro vulnere tuo, & vt sanetur semper nitere, semper intende, semper studiosè, & sedulò age, vt sanes peccatum: hoc est curam gerere.* Explicat illustri imagine Chrysostomus homil. 80. ad populum Antiochenum his verbis: *Nec enim ad sanitatem nobis satis est, sagittam tan-* *Chrysost.* *tùm extraxisse, verùm & medicamenta vulneri sunt imponenda.* Optimè: est quidem peccatum lethalis arundo, quod animæ graue vulnus infligat: idcircò pœnitenti non satis fuerit sagittam extraxisse peccatum per confessionem expellendo, nisi inflictum etiam vulnus spiritualibus pharmacis mederi, & curare studeat. Audi Richard. de Sanct. Victore ad ea Ioannis apud Matthæum *Richard.* 3.2. verba, *Pœnitentiam agite*, hæc breuiter ad- *Matth.3.2.* monentem: *In pœnitentia tria sunt, dolor, custodia futuri, satisfactio delicti. Dolor culpam placat, satisfactio vitium sanat: custodia sanitatem seruat. In hac fructus pœnitentiæ constat. Sit autem dolor plenus, custodia perfecta, satisfactio condigna.* Non ergo tota pœnitentiæ ratio ex dolore tantùm, nec ab illo omnis animæ sanitas restituitur: immò verò tunc (inquit Bernardus tractatu *de vita solitaria ad fratres de monte Dei*) *ægrum se* *Bernard.* *sciat, & vacet circa causarias partes ægritudinis suæ. Si non interrumpitur quies, remedia continuata citò proficient, & sanatus animus ab alienationibus, vel captiuitatibus, & tentationibus suis, totus in Deo suus efficietur. Cura eget, & non modica, non inquinata, sed infecta natura. Incumbat ergo immobiliter valetudinario suo (sic enim solent appellare medici valetudinum curandarum officinam) & remedij suscepti prosequatur vsum vsque ad sanitatis experimentum.* Sic Bernard. Pende illa: *Sanatus à captiuitatibus, alienationibus, & tentationibus suis*; hæc enim omnia non vno temporis momēto, sed paulatim, & per diuturna temporis spatia curanda, & sananda sunt, vel ad illorum saltem sanitatem perpetua lucta, & congruis remediis adhibitis indesinenter enitendum. Quo quidem sensu ipsemet gentilis Plutarchus lib. *Quomodo sentias te in* *Plutarch.* *virtute proficere*; dicebat: *Non vt Cæneus subitò ex muliere factus est vir, optando tantùm; sic repente* ex

8.

ex improbo viro probus euadit quisquam, vt cubitum abeat stultus surgat sapiens.

9. Hæc certè diuinæ medicinæ ratio: hic Dei vulnera nostra curantis mos: sic de ipso dicente Osea cap. 6. 2. *Venite, reuertamur ad Dominum, quia ipse cœpit, & sanabit nos; percutiet, & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum.* Quibus verbis hanc in Deo medendi, & curandi rationem, siue cum nobis pœnitentiæ, & conuersionis ad Deum modum adstruit Propheta, qui non subitò ac festinanter; sed lentè, & per longa temporis interualla ad medicæ artis leges peragatur; sic inibi monente in primis Hieronymo. *Artis medicorum est, grauia vulnera longo curare tempore; & per dolorem reddere sanitatem.* Quò retulit Venerab. Galfrid. in allegoriis Gotfridi Tilman. eam locutionem: *cœpit, & sanabit nos*: (quamuis à Germana lectione, & sensu deflectat) inquiens: *Quare incipit Dominus, & non continuò sanat; subest enim ei cùm voluerit posse, sed cooperatorem expetit, & expectat, vt cooperetur quisque ei in suam, & proximi sanitatem:* vt nimirum peccati curatio non repentè fiat, sed incipiatur, perficiatur, & ad finem congruis spatiis perducatur, quod equidem *curandi* verbum, Græcè præsertim spectatum optimè confirmat; vt hunc in modum obseruauit Hieronym. *Pro eo, quod nos diximus*, curabit: *omnes similiter transtulerunt μοτώσει, propriè autem μοτὰ appellantur linteola, quæ inseruntur vulneribus, vt putridas carnes comedant, & extrahant purulentias.* Vides? spiritualia vulnera lineis filis ad medicinæ leges admotis, vt saniem, paulatim exsugant, à Deo curari? nam vt potens sit diuina misericordia (vt dicebat Cyprianus) medelam dare, nihil tamen, quod ad animæ sanitatem spectat, properè, incautè, aut festinanter gerendum censet: monétque peccatorem à vitiis recenter conuersum, vt quod aiebat Bernard. *Ægrum se sciat, & vacet circa causarias partes ægritudinis suæ*; vt per pœnitentiæ opera, & earum virtutum exercitationem, quæ vitiis, quibus antea fuit irretitus, contrariæ sunt; curetur, sanetúrque animus à captiuitatibus, alienationibus, & tentationibus suis. Vnde indidem Bernard. sic opportunissimè admonet: *hoc semper sit negotium nostrum, vt perfectè consummetur in nobis, quod dicit Apostolus animalibus, & incipientibus*: Humanum (inquit) dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. *Audiat hoc attentiùs amicum corporis sui mancipium, animalis homo, qui iam incipit corpus suum subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea, quæ Dei sunt, percipienda, & ad exuendam fide seruitutis necessitatem, & carnis suæ dominantem consuetudinem, vt se accingat, necessitatem faciens sibi contra necessitatem, & consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formet contra affectum, donec pleniùs mereatur accipere delectationem contra delectationem.* Hæc Bernardus. Et eodem modo Ambrosius sermon. 2. in Psalm. 118. ad ea Vatis verba. *In quo corrigit adolescentior viam suam*; his verbis. *Ei autem, qui post decursa iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum. Stimulant enim peccata sua; exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & vsus erroris instabilem facit. Luctandum est diu huiusmodi viro, vt abolefaciat inueterata, atque diuturna.* Sic ille. Optimè quidem, *luctandum diu*; vt egregiæ virtutum actiones velut admoti linei fili putridas vitiorum, siue malæ consuetudinis carnes comedant, & extrahant putulentias.

Adstipulantur his ea, quæ sequuntur in Oseam: *Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius*: notanter enim viuificationem non post vnum, sed post duos dies collectiuè posuit; ad eum modum, quo Dominus apud Lucam 13. 32. dixit. *Ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor*: quod quamuis primus dies ad pœnitentiam, siue dæmonum expulsionem; secundus ad iustitiæ opera referri debeant; at quia hæc eadem virtutum exercitatio sanitatis perfectio est, pœnitentiæ pars optimo merito censetur, optimè sub hoc sensu hæc accipiente Venerabili Sthephano Cantuariensi in allegor. Gotfrid. in Oseam, vbi cum duos hos dies explicans dixisset: *Primus istorum dierum est status pœnitentiæ; secundus perfectionis, siue iustitiæ, &c. Hos tres dies designauit Dominus in Euangelio, cùm ait*: Ecce ego hodie, & cras dæmonia eiicio, & sanitates perficio, & tertia die consummar: *Dæmonia eyciuntur in statu pœnitentiæ, sanitates perficiuntur in statu iustitiæ, &c.* Subiicit: *Et nota quòd hic, & in Euangelio duo primi dies coniunguntur ad notandum, quòd quantumcumque in præsenti iustus sit aliquis, tamen indiget pœnitentia*, hoc est cura, & lucta aduersùs peccati vulnus, ne reuiuiscat, siue recrudescat. Hinc equidem in Osea postea verba, hæc Dei nomine subiiciuntur; *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciam tibi Iuda? Misericordia vestra tanquam nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens*: ac si Medici personam gerens dixerit. Quid tibi faciam, aut quónam modo perfectæ sanitati te restituam? qui si & me vtaris medico, locum tamen non facis, vt debitam curationem adhibeam, dum subita conuersione ad me reuersus, quæ velut nubes matutina, aut ros citò pertransiens ad momentum durat, nullam deinceps pro peccato curam geris, nec vlla vulneribus medicamenta adhibes, equidem *nullus medicus ægrotos in transitu curat.* Ecce iam occasionem, qua tanto animi sensu, vt num. 3. vidimus dixit Dauid, *cogitabo*, siue *curam geram pro peccato meo*: hoc est, vt explicabat Augustin. *de die in diem plangam, & faciam omnia quæ facienda sunt ad abluendum, & sanandum peccatum meum*: nimirum, sanum se, & perfectè valentem reputauerat, & à cura, & custodia supersederat, atque idcirco vulnera non omnino perfectè curata nouam animo ægritudinem attulerunt. Hac quippe ratione paulo antè dixerat: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ.* Etenim, *cicatrices computrescere* (inquit inibi Gregorius Magnus) *est, ex peccatorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpa in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, & tandem per opus miserum quasi effuso fœtore corrumpi*, quæ Lyranus explicat de peccato numerationis populi, in quod post peccata adulterij, & homicidij perpetrata inciderit Dauid, sed diffundit hæc Hugo Victorinus in annotat. in Psalmos, cap. 46. vbi cùm primùm opportunè monuisset, quatuor hominum classes esse: quosdam videlicet graui animæ peccato nunquam vulneratos; alios, qui post inflicta vulnera, sanitati perfectè sunt restituti, eorum cicatrice omnino obducti, hoc est, absque affectu peccati, & sine reatu eiusdem; tertios pœnitentes, deserentes quidem peccatum, sed à reatu non plenè per satisfactionem purgatos; in quibus quasi quædam

Osee 6. 2. — Hieron. — Galfrid. — Hieronym. — Cyprian. — Bernard. — ad Roman. 6. 19. — Ambros. — 10. — Luc. 13. 32. — Steph. Cant. — Osee 6. 3. — Senec. ep. 50. — Aug. Ps. 37. 6. — Greg. Mag. — Lyra. — Hug. Victor.

quædam signa vulnerum permanserint; vltimos: ægros, & peccatis actu obnoxios, in quibus ipsa adhuc vulnera ferueant, nec medicas manus pati sustineant; subiicit, capienda hæc Dauidis verba esse de eo, qui pœnitere cœperit; peccatúmque voluntate deseruerit; sed de reatu peccati omnino sanando, & praui affectus cicatrice curanda, & obducenda, vt ad perfectam sanitatem potuerit peruenire, nec multum, nec diu curauerit. Sed iam preme quæso rationem quam reddit Vates; cur putruerint, & corruptæ illius cicatrices fuerint: ait enim, *A facie insipientia mea*. Quæ bifariam interpretor: vno modò, vt pristini peccati facies illum læserit, dum ipse securus in illam intendere non timuerit; siue ad ipsius præsentiam nimium sibi fidens aduersùs Medicinæ consilia

Seneca. non exhorruerit, *Adiicit enim remediis medicina consilium* (inquit Seneca epist. 93.) *oculos quoque ægros medicus non tantum curat, sed etiam monet. Non est, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo lumini: à tenebris primò ad vmbrosa procede; deinde plus aude, & paulatim claram lucem pati assuesce.* Sic ille. Altero, cum Gregorio Magno ibi, vt insipientem sese appellet, quòd de propitiato peccato fuerit sine metu, & de eo indesinenter curando, & sanando curam non egerit.

Greg.Magn. *Quare autem hoc sibi* (inquit Gregor.) *ostendit, cùm ait*, A facie insipientiæ meæ. *Sicut summa prudentia est, aliquem post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere; ita miserabilis insipientia est, in istius vitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo negligentiæ, vulnus iam sanatum computruit; quia dum per studium vigilantiæ mens ingrata sibi in posterum prouidere noluerit, miserabilius ea, quæ prius abdicauerat, mala committit.* Hæc Gregor.

11. Hinc certè edoctus Vates, cum Deo rursus

Ps.119.29. colloquens dicebat. *Viam iniquitatis amoue à me, & lege tua miserere mei*, Psal. 118.29. Pende hæc; *lege tua miserere mei*: quæ tantisper deflectere videntur ab illis, quæ cùm in priora peccata lapsus

Psal.50.1. est, orabat, inquiens: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*; aliud enim est, secundùm magnam misericordiam; aliud secundùm legis præscriptum misereri. Sanè quasi his verbis de perfecta sanitate non leuibus remediis, & facilibus medicamentis adhibitis sed ad seueras Medicæ artis leges, atque præcepta recipienda cogitet, nec misericordiam sibi oscitanti, & negligenti; siue de vulnere suo nō cogitāti, impendi

Origen. Agel. velit. Sic Origenes apud Agellium inquiens. *Id verò persimile est, ac si dicatur medico. Medicina ratione me ad salutem reuoca; etiam si sectione sit opus, & vstione, aut alio quouis remedio, quod molestum sit*: vt dicere videatur Vates: Expertus sum misericordiam misericorditer impensam; expertus sum sanitatem leuioribus remediis restitutam, & quia inde securior, & negligentior, quàm par eram, sum factus; nolo iam ad benigniora misericordiæ indultæ, sed ad seueriora medicinæ præscripta curari, vt solidam, & duraturam sanitatem obti-

Ambros. neam. Ita ibi Ambros. sermon. 4. aiens: *Citò enim refricatur vulnus, quod sanatum lege medicinæ non fuerit: immò etiam seriorem curatio sentit profectum. Exigit ergo medicinæ ratio, vt aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustrà medicinæ manus adhibentur ad vulnera.* Opportunè, *putrefacta recidantur*; optimè verò, & opportunissimè illud, *humor inutilis decoquatur*: vt cura videlicet, & curatione; (quemadmodum aiebat Bernardus) necessitatem sibi faciat contra necessitatem, & consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formet contra affectum. Retulit huc subtiliter Pauli verba ad Roman. 6.15. *Peccauimus, quia* ad Rom.6.15.

non sumus sub lege, sed sub gratia. Petrus Chrysolo- Chrysol.

gus (quamuis ea ad vulgarium concionatorum gustum tantisper distorqueat) inquiens: *ac si diceret. Fratres, peccauimus, quia in cura non permansimus iam sanati: peccauimus, quia ignem, ferrum, medicamenta reliquimus iam curati. Infelix æger, qui post curam non vult curare tormentum. Et quid plura fratres? Nunquam curat, qui infirmantis quærit, & expectat arbitrium.* Benè ergo dicebat Dauid; *lege tua miserere mei*: & appositè huic cogitationi Bernard. præfacto tractatu ad fratres de monte Dei.

Bernard. *Quod si Medicus quasi clementior fuerit vt quasi vnguentis, & emplastris lenioribus omnia voluerit curare; tu age pro temetipso, & remedij fortioris, & celerioris auidus sanitatis ferrum require, cauterium exposce.* Concinit S. Zenonis Veronen. Episcopi & M. monitum in sermone de *præcepto, Attende tibi*:

S Zen.Veron. illud post alia sic vrgens, Attende tibi, *id est, vt si quando fortè deliqueris, secundum magnitudinem delicti etiam remedij, & emendationis cura pensatur. Grande alicui peccatum, & graue commissum est, grandi sine dubio confessione indiget; pœnitentia multis, & amaris lachrymis intentis, pernoctatis vigilijs, iugibus, continuatisque ieiuniis.* Et statim: *Leuius est delictum; par commissi sit, & similis pœnitentia. Tantum* attende tibi, *vt intelligas, & agnoscas, & sanitatem animæ, & langorem. Multi enim dum sibi non attendunt, ægritudines graues, & insanabiles pati se nesciunt, & nec hoc quidem sentiunt, quòd ægrotant. Propter quod magna est præcepti huius vtilitas: per quod ægris cura suggeritur sanitatis, & perfectionis demonstratur integritas.* Hæc sanctus Martyr: iam ad alia.

VERSVS XI.

Si commodo occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis.

NON loquitur de resurrectione vtcumque, sed de resurrectione ad vitam, quæ Christi imitationi, & dolorum ac Passionum eius similitudini respondet, vt *socij passionum*, 1.

sint etiam & consolationis, 2. ad Corinth. 1.7. conregnantes cum illo, qui compassi sunt, 2. ad Ti-

moth. 2.12. Ergo inquit, *Conformatus morti eius*, 2.ad Cor.1.7.

vt hac ratione beatam illam iustorum resurre- 2.ad Tim.2.

ctionem possim peruenire. Sed expendenda singula, vt maius huic sententiæ pondus, nouáque subinde vis accedat.

Si quomodo.

GRæcè *εἴ πως, si quà*, vti legit Tertull. lib. de 2.

Resurrection. carn. cap. 22. ac si dicat, si via Græc Lect.

& ratione aliqua. Expressiùs: vt hac vna via, & ra- Theoph.

tione ad resurrectionem vitæ perueniam. Vnde

Theophylactus post Chrysostom. *Attende huius* Tertul.

veri modestiam, qui cùm tam optimè multa gessisset, fuissetque supra cœlos sublatus, quasi resurrectione hac indignum se indicat: si quomodo (*inquit*) occurram, *Nondum enim ait, confido. Tanta huic humilitas erat.*

Ll 4 Sic

Sic ille. Sed tam pro huius loci elucidatione, quàm pro ea Pauli modestia velut de facie agnoscenda, pende obsecro quid dixerit 1. ad Corinth. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar:* vbi pro illis verbis, *ne fortè*: Græcè est μή πως, *ne quomodo*. Compone vtraque verba in eamdem sententiam aptè concurrentia, *Castigo*, inquit ibi, *corpus meum, ne quomodo reprobus efficiar*, hîc verò, Conformem me morti Christi reddo, vt hoc vno modo saluus fiam: vt hæc Pauli mens fuerit. Ideo castigo corpus, quia si aliqua ratione reprobandus sum, hæc vna proculdubio erit, quòd illud non castigauerim: similiter, ideo conformor morti Christi; quia si aliqua via ad gloriosã iustorum resurrectionem deueniendum mihi est, hac planè ineundum est iter, ac si dicat: si castigo corpus meum & cruci affigo, saluor: si non castigo, non saluor. Ostendunt quidem hæ locutiones satis dilucidè Paulum *cum metu & tremore* suam salutem operari, vt discipulos suos admonebat cap. 2. v. 12. Eant nunc Nouatores, & vt Paulo sanctiores, & si Deo placet, sapientiores, & in diuinis litteris plusplus exercitati, certo certius suam sibi beatitudinem spondeant, respondeant. Quid ni faciant, qui totos dies, totas noctes in afflictatione & castigatione corporum consumunt? O cæcas mentes!

1. ad Cor. 9. 27.

Occurram.

3. GRæcè καταντήσω, quod Erasmus vertit, *peringam*, propriè significat, *euado, deuenio*; & verò Græci ad exprimendum Latinum verbum, *occurro* non vtuntur eo verbo, sed hoc ἀπαντάω, quæ acceptio ex eo confirmari videtur, quòd statim subiiciat *non quòd iam acceperim*, vbi Græcè, & Syriacè est *apprehenderim*, aptè sibi vtroque verbo respondente. Iuxta Vulgatum verò sensus est, vt hoc modo obuiam eam Christo ad præmia iustis reddenda è cœlis aduenienti. Ita Anselmus. Si quomodo *contingat, tum ex Dei misericordia, tum ex meo merito, vt* occurram *Christo gaudens in iudicio, quod sanctorum est tantum.* Vbi duo sunt obseruatu dignissima. Alterum iuxta ea, quæ diximus cap. 1. v. 11. ad ea verba, *in diem Christi*, Christum Dominum in die iudicij, ex primaria, vt aiunt, intentione, non tam vt puniat, quàm vt præmia suis conferat, fore venturum, id enim innuit is dicendi modus, *Occurram*, sicut 1. ad Thessalonicenses 4. 17. *rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra*, vt Christo præmia collaturo venienti, & ea de causa è cœlo descendenti obuiam electi eant. Sic etiam Virgines præmia consecuturæ Sponso lætissimas gloriæ nuptias æternum celebraturo exiisse obuiam dicuntur, Matthæi 25. 1. Alterum pulchrè dici, eos, qui conformati, & configurati fuere in similitudinem mortis Christi, ipsi olim crucifixo, modò autem glorioso triumphatori beatitudinis spolia diuidenti obuiam ire: siue potiùs Christum ad suscipiendum eos, qui sibi similes adueniunt, ad reformandum corpus humile, atque configurandum corpori claritatis suæ gratanter occurrere. Sic namque hoc eodem cap. vers. 21. dixit Paulus. *Vnde etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* In quæ verba Chrysostomus moraliter digressus premens aduerbium *vnde*, sic ait. *Atque hoc etiam est benignitatis suæ. Non illuc nos trahit, & cùm nos receperis, discedit: sed rursus ipse ad nos venit, atque in hoc magnum nobis honorem habet. Nam si ad nos cùm inimici eramus venis, multo magis nunc cùm amici facti sumus. Non hoc Angelis committit, neque seruis. Sed ipse in nubibus veniet vocans nos in regiam suam.* Ita Chrysost.

Græc. Lect. — Lect. Syriac. — Anselm. — 1. ad Thes. 4. 17. — Matth. 25. 1. — Chrysost.

Ad resurrectionem.

GRæcè non est ἀνάστασιν, id est, *resurrectionem*: sed ἐξανάστασιν *exsurrectionem*: vnde Theophylactus non sine allusione ad vim Græcæ vocis ait. *Velim equidem resurrectionem hoc loco eam intelligas, quæ & cum gloria sit, futura, & in aërem subleuet. Sunt namque omnes resurrecturi, haud tamen in nube omnes sublevabuntur, sed in terris iudicis aduentum opperientur. Sancti verò tollentur in aëra obuiam Domino processuri.* Similiter Remigius: *Occurram ad resurrectionem, subaudi electorum, ista resurrectio non erit omnium resurgentium, sed tantummodo electorum, quia licèt omnes in momento resurgant iusti, & impij in die iudicij, soli tamen iusti occurrent Domino in aëra deportati ab Angelis, sicut alibi idem Apostolus dicit*, Rapiemur obuiam Christo in aëra: *impij verò manebunt in terra, quousque percipiant illam terribilem sententiam iudicis*, ite maledicti in ignem æternum. Hæc Remigius. 4.

Græc. Lect. — Theoph. — Remig.

Ex tota Pauli sententia illud omnino cum Anselmo colligas; non aliter nos Dominicæ Resurrectionis comparticipes fieri, nisi ad eius imaginem, & similitudinem mortis conformemur; cùm ideo Christus pro nobis passus fuerit, vt sequamur vestigia eius, Ita enim Anselm. *Hæc Apostolus idcircò se ita egisse, vel agere commemorat, vt illi similiter exemplo eius omnes legis carnales ritus contemnant, & per iustitiam fidei, atque societatem passionis Christi festinent ad regna cælorum.* Nec aliam, opinor, doctrinam tam frequenter, támque dilucidè à Paulo pertractatam inueneris. Sed cùm ea de re alibi nos fusiùs egerimus, satis fuerit modo vnum, aut alterum ipsius testimonium in medium afferre. Et ille quidem locus, vt nemini non obuius, ita egregius est ad Roman. 8. 17. *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Vbi à filiorum conditione liquidum ad cœlestem hæreditatem ius deducit, quæ verò sit filiorum conditio indidem explicat, dum ait: *Si tamen compatimur*; pro quibus Græcè habetur, *si quidem compatimur*, ex qua lectione tota sententia cohærentiùs subsistit; ac si dicat, vera quidem, ac solida existimatione in filiorum Dei numero nos computamus: si quidem Christi vestigijs inhæremus, dum tam tribulationes, quàm virtutis labores ad eius exemplum sustinemus. Nec minorem emphasim habet lectio Vulgata, quæ sub conditione rem posuit, ac si diceret; reapse filij Dei, itidéque ad eius æternæ hæreditatis vocati sumus; ea tamen lege atque conditione, vt vna cum illo hîc patiamur, qui vnà cum illo gloriam illic assecuturi sumus. Vnde egregiè Leo Pontifex serm. 9. de Quadrasim. *Secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ Passionis.* 5.

Anselm. — ad Rom. 8. 17. — Græc. Lect. — S. Leo.

Quare cum his verbis ad Romanos hæretici nituntur, iustorum merita conuellere quasi ipsis opus non habeant, cùm hæreditario iure tamquam filij æternam vitam sint accepturi, præter ea quibus ipsorum argutationes facilè opprimunt orthodoxi; ad manum est, quòd respondeas, nimirum 6.

nimirum promitti nobis regnum tamquam filijs, si tamen filij; iuréque hæreditario vitam beatam nos petere, si tamen eiusdem hæreditatis onera, legatáque à testatore fidei nostræ commissa pendamus. Nec enim alio modo à Christo nobis dispositum (hoc est, testamento relictum) regnum, quã vt ipsimet disposuit Pater Lucę 22.29. de quo [Luc. 22.29.] vide à nobis plena manu data ad cap. 6. vers. 6. adnotat. 4. num. 7. Adde verò Zachar. 4. 7. Chri- [Zachar. 4. 7.] stum appellari lapidem primarium, siue lapidem hæreditatis: sic enim Vates, *& educet lapidem primarium.* L X X. *lapidem hæreditatis*: quæ expli- [LXX. Chald.] cans Chaldæus vertit, *emerget Christus*, sed obserua ideo Christum primarium lapidem dici, quòd *in ipso omnis ædificatio constructa crescat in templum Dei*, ad Ephes. 2. 21. id est, quòd ad eius amussim [ad Eph. 2. 21.] & normam iusti tamquam lapides viui superædificentur; id enim significat tum illa præpositio *in*, dum ait Paulus *in quo omnis ædificatio*, tum vox *constructa*, quæ à Hieronymo ex Græco fron- [Hieronym. Ambros. Eras.] te vertitur *compaginata*, ab Ambros. *compacta*; ab Erasmo, *coagmentata*: & si eius vim velis exhaurire magis propriè transferas, *congruente*, *& apta proportionum ratione constructa*, *& concinnata.* Vt appareat illam structuram in Dei templum, hoc est, in cœlestem beatitudinem crescere, quæ primario lapidi cohæret, & ad eius normã coagmentatur & concinnatur; dum *conformis redditur imagini eius*, ad Roman. 8. 29. *complantatur similitudini mortis eius*, ad Roman. 6. 5. siue, vt hoc in loco, [ad Roman. 8. 29. ad Rom. 6. 5.] *configuratur morti eius.* Ergo, vt *lapidi hæreditatis* cæteri lapides cohærent, eius cohæredes rectâ ratione fiunt: non autem cohærent aliterve compaginantur, quàm per laborum, & tribulationum structuram; Ecclesia (Paschasio interprete lib. 3. in Threnos) dicente. *Tantum in me vertit, & con-* [Paschas. Thren. 3. 3.] *uertit manum suam tota die*, Thren. 3. vers. 3. Sic enim ille. *Et hoc est dicere*, vertit manum suam, *omnia limando, cædendo, ac feriendo sic producere, vt possint in structura conuenire; &* conuertit: *ab his cessando cum iustificatos suis instaurat locis, & coaptat mansionibus à sæculo præparatis. Quorum itaque sanctorum structura vna est, vna & compago membrorum, vna vox, vnusque ploratus: Et ideo Christo, Ecclesiæ sic coaptatur corpus, vt vnus sit integer Christus.* Hæc opportunè Paschasius. Quibus non abs re, quamuis variata imagine adiunxeris, quæ de salute, quæ non aliunde quàm per crucis iter nobis obuenit, scripsit Ambrosius, siue Maximus, sermon. 55. qui est *de cruce Christi*: vbi allata [Ambros.] Vlyssis fabulosa historia, qui decennio marinis erroribus iactatus, cùm illum in quendam locum cursus nauigij detulisset, in quo Sirenarum crudelis cantus dulci varietate resonabat, atque illuc aduenientes sic blanda modulatione mulcebat, vt non tam spectaculum voluptatis caperent, quàm naufragium salutis incurrerent, ipse inserta cera auribus sociorum se ipsum ad arborem nauigij religasse dicitur, quo & illi carerent perniciosa auditus illecebra, & seipsum immani discrimini subducerent, id Christi cruci, & imitationi sic sapienter accommodat. *Ex quo enim Christus Dominus religatus in cruce est, ex eo nos mundi illecebrosa discrimina velut clausa aure trãsimus. Nec pernicioso enim sæculi detinemur auditu, nec cursũ melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptati. Crucis enim arbor non solùm religatũ sibi hominẽ patriæ repræsentat, sed etiam socios circa se positos virtutis suæ vmbra custodit.* Subiicit acutè in bono latrone exemplum: *Qui vtique latro diu oberrans, ac naufragus aliter ad patriam paradisi de qua primus homo exierat redire non poterat nisi fuisset arbore religatus.* Hæc Ambros.

7. Hinc facilè videri, Christi crucem, siue configurationem cum morte ipsius, regiam ad Resurrectionem vitæ, viam esse, & quodammodo causam nostræ beatitudinis physicam, vt aiunt, & efficientem. Porrò cap. 1. huius epistolæ vers. 26. agens de laboribus, & afflictionibus, quibus Ethnici Ecclesiam diuexabant; dixit Apostolus: *Et in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo*: vbi [ad Philip. 1. 28. Græc. Lect.] cùm Græcè pro *causa sit* ἔνδειξις, id est, argumentum, siue indicium; vt dicat Paulus, non leue esse salutis indicium tribulationes pro Christo perpeti; mirum est, quàm firmiter id sibi in animus induxerit Vulgatus, dum pro indicio, aut argumento reposuit causam, quasi tribulationes, & labores æternam salutem physicè, & efficienter perficiant. A quo sanè ire non dixeris Iobum, cùm ait: *Putredini dixi, Pater meus es soror mea, &* [Iob 17. 14.] *mater mea vermibus*, Iob 17. 14. nam, vt hæc de futuris sepulchri vermibus capiant Origenes, & [Origen. Olymp.] alij, at acutè Olympiodorus ad eos vermes refert, qui ex laboriosissima lepra, qua afficiebatur, iugiter scaturiebant; vt sensus sit, tribulationes, & labores à patientissimo illo viro loco parentum haberi, qui cœlestem in illo vitam, & æternam beatitudinem ingenerarent, ad quem quidem modum 2. ad Corinth. 4. 16. dicebat Apostolus, *licèt is foris est, homo noster corrumpatur: interior ta-* [2 ad Cor. 4. 16.] *men renouatur de die in diem.* hoc est, vt explicat Ambros. ibi. *Pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate caro corrumpitur; sed anima spe futuri renouatur.* [Ambros.] Quò per allegoriam retulit Paschas. lib. 1. in Matth. quod dicitur de Rebecca, quam ipse patientiæ imaginem præ se ferre ait; natam videlicet in Mesopotamia; *quia Mesopotamia fluminibus cir-* [Paschas.] *cumdatur, vt inter tentationes, & tribulationum procellas, multis angustiarum iniurijs erudita; sciat de conceptu spei Deo filios procreare.* Sed hæc ad adnotationes pertinent.

Ad ea verba, *Si quomodo occurram.*

ADNOTATIO I.

Vt à pœnitentia, & laborum perpessione magno iure æternæ salutis spes concipitur; ita non leuiter de eorum salute fuerit timendum, qui morti Christi siue per sui abnegationem, siue per tribulationes, & labores non configurantur.

1. FIRMISSIMVM bonæ spei fulcimentum, tribulationes, & labores fecit Paulus, cùm ad Romanos c. 5. 2. inquit: *Per quem habemus accessum* [ad Rom. 5. 2.] *per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Preme hæc, *gloriamur in tribulationibus*: & circa illa quidem primò Anselmi commentarium. *Tribula-* [Anselm.] *tiones quibus patientia fidelium probatur, non solùm eas debemus intelligere, quæ extrinsecus accidunt, id est, de damnis, vel languoribus, vel ex quolibet corporis cruciatu; sed eas etiam, quas intus sibi faciunt, aut perferunt, dum in requie positi, semetipsos affligunt,* &

& atterunt obsistendo voluptatibus suis, refrænando libidinem, & quæ ad bonum continentiæ pertinent, faciendo. Deinde iure ambigas cur cum tribulationibus gloriationem coniunxerit? cùm satis fuisset tribulationi adiungere patientiam, eo modo quo 1. ad Corinth. 4. 12. dixit: *persecutionem patimur, & sustinemus.* Sed respondet Bernardus, omnino debuisse Paulum eadem gloriationis phrasi vti, qua immediatè dixerat, gloriari se in spe gloriæ filiorum Dei: quòd hæc ab illa non differat, sed vna, & eadem gloriatio, siue maior gloriationis in spe filiorum Dei, explicatio sit: sic enim ille sermon. 17. in Psalm. Qui habitat. *Manifestè advertere est in his verbis. Cum præmisisset Apostolus, gloriari in spe: non aliud aliquid, sed amplius eum addidisse, dicendo:* non solùm autem, sed & *gloriari in tribulationibus: non enim altera gloriatio commendatur, sed additur: vbi spes gloriæ, vbi ipsa spei gloriatio requiratur: si quidem in tribulatione spes gloriæ: immò & in ipsa tribulatione gloria continetur. sicut spes fructus in semine, sicut & ipse fructus in semine est:* Hæc illc. Ergo vt glorieris in spe gloriæ filiorum Dei; en gloriæ viam, nimirum tribulationes prauorum affectuum abnegationem, cupiditatum fugam, & dum in iis te exercens gloriatus fueris, in spe gloriæ filiorum Dei æquè gloriaris: hæc enim in illis tamquam in semine fructus continetur. Vis videre? audi Psalmistam dicentem. *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos,* Psalm. 125. 6. Sed enim tam hæc Vatis, quàm illa Apostoli verba vidisse dixeris Gentilem Plinium, cum in Panegyrico ad Traianum inquit. *Habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex secundis aduersa nascantur: occultat vtrorumque semina Deus, & plerumque bonorum, malorumque causæ sub diuersa specie latent:* latet ergo in tribulatione, & laborum, qui virtuti insunt, perpessione, filiorum Dei gloria; ideo iure cœlestem hæreditatem speret, qui per labores, & pœnitentiam, ac virtutum opera configuratur morti Christi. Ita Hernosto Episcopo aduersa valetudine afflicto; allatis iis Pauli verbis: *tribulatio patientiam operatur;* scribebat Anselmus. *Vnde proculdubio cognoscitur, quia tanto affectu est in tribulatione gaudendum, quanto conatu est per spem, & operis perfectionem ad filiorum hæreditatem nitendum.*

1. ad Cor. 4. 12. — Bernard. — Psal. 125. 6. — Plinius. — Hernost. Anselm.

2\. Egerat quidem amicè Dominus cum Ecclesia tamquam cum amantissima Sponsa apud Oseam promiserat, ad cor ipsi locuturum deliniendum, scilicet blanditiis eius animum, soluendos eius sensus dandos illi patronos, & tutelares, qui ipsius bono maximè inuigilarent: at enim quasi hinc firmas salutis suæ spes concipere non posset; subiicit daturum se illi: *Vallem Achor: ad aperiendam spem,* Oseæ 2. 15. Sed obserua primò, *Achor* sonare tribulationem, siue conturbationem, aut afflictionem; ideóque ab interpretibus pro imagine tribulationum, & laborum sumi, Deinde pro illis verbis, *ad aperiendam spem:* Symmachum, & Pagninum ex Hebræo legere, *In hostium spei:* vt sensus fuerit, nõ antea spei ostium homini aperiri, quàm ipse tribulationes preferre, vel cruci Christi per pœnitentiam se configere, mortíque ipsius configurari incipiat. Ad quem sanè modum videtur dixisse Dauid Psalm. 59. 10. *Moab olla spei meæ;* etenim dum pænè infinitas situ literales, siue mysticas interpretationes his verbis PP. & interpretes afferunt; ego illis hunc sensum reddo, vt, quòd & Moab regio esset Dauidi maximè infensa; cum qua ipse continuas luctas, & periculosa certamina indesinenter haberet; & ollæ imago ad significandos labores in Scriptura assumi soleat (vt Ierem. 1. 13. & Ezechiel. 11. 3. & cap. 7. 11. & cap. 24. 3. & 6.) ea ipse ratione Moab spei suæ ollam appellet, quasi assiduitate laborum, quos causa illius gentis tolerabat, salutis suæ spem velut in olla, seu culinatio vase concoqueret, atque perficeret, vt quæ ante laborum, & afflictionum perpessionem, cruda, & imperfecta spes esset, laboribus ipsis concocta, & esui apta, siue (eadem pænè imagine) matura, & tempestiua redderetur. Firmat hæc Hieronym. in Psalm. 133. obseruans, tunc primùm Iacob scalam cœlos pertingentem ostensam, id est, aditum ei ad cœlos factum; siue ostium spei apertum cum paternæ domus quiete, & deliciis relictis, ærumnis, & laboribus exagitatus est. Audi illum. *Iacobo eo tempore, quo fugiebat in Mesopotamia fratrem suum, venit ad Luzam, & ibi posuit lapidem ad caput: sub capite ipsius lapis erat Christus: numquam sibi posuit lapidem ad caput, nisi eo tempore, quando persecutorem fugit. Quamdiu erat in domo patris sui, & habebat refrigeria carnis, non habebat lapidem ad caput. Recessit de domo nudus: recessit in virga, & statim in ipsa nocte inuenit lapidem, & posuit ad caput suum. Qui talem habebat puluillum, in quo refrigerabatur, videte visionem eius.* Vidit (inquit) scalam pertingentem ad cœlum. Sic Hieronym.

Osee 2. 15. — Symmac. Pagnin. — Psal. 59. 10. — Ierem 1. 13. Ezech. 11. 3. — Hieron.

3\. Hac sanè ratione, electorum illa vox ex Threnorum 3. vers. 3. *Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam tota die;* & paulo pòst v. 12. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam:* quasi tribulationibus, & laborum perpessione electi à reprobis discernantur. Quare ad priora verba preme aduerbium illud taxatiuum *tantùm;* eo enim innuitur, ad electos solummodo spectare tribulationes perferre, quòd super illos clementer manum beneficentiæ suæ conuertat Dominus, quos priùs flagellandos suscipiens, se veram in eos manum vertit: subtiliter hæc considerante inibi Paschasio. Enim verò cùm priùs dixisset: *Quæ mirum vox æquè ad caput, & ad membra refertur, quoniam qui* volunt piè viuere in Christo, omnes persecutionem patiuntur. *Et ideo totius corporis vox est:* Tantùm in me vertit, & conuertit manum suam: cúmque statim, quid *vertere,* quid *conuertere manum* sit, sic explicasset: *Vertit quidem ad castigandum manum suam: quia* flagellat, & corripit omnem filium, quem recipit, *& conuertit clementer, vt misereatur eius, quem paterno affectu coangustat multis tribulationum pressuris:* hæc ad electos tantummodo pertinere, quasi hinc à reprobis discriminentur, ex particula *tantùm,* hunc in modum infert. *Vertit enim Deus manum suam tota die; tantùm vt supra membra eius, quæ colliguntur in virum perfectum, & mensuram plenitudinis Christi, vt ea excruciet, emendet, & corrigat, in præsentiarum dum viuitur, & conuertit parcendo, auxiliando in futuro, vt misereatur. Cæterum, hi nullo Dei tanguntur verbere, quibus* non est respectus morti eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur; ideo tenuit eos superbia, Psalm. 72. 5. Hæc Paschas. Quæ à Gregorio sic præstricta videas lib. 26. Moral. cap. 18. *Nostrum est hic flagella percipere, quibus seruator de æternitate gaudes;* & post nonnulla. *Eant ergo nunc reprobi, & voluptatum suarum desideria inulta iniquitate consumment, atque eo temporalia flagella non sentiant, quò æterna eos supplicia spectant.* Ita ille. Sanè si (quod ad præcedentis versus verba, *configuratus*

Thren. 3. 3. — Paschas. — 2. ad Tim. 3. — Psalm. 72. 5. Gregor.

ratus motus eius) dicebat Theophyl. Theoph. *Eiusmodi passionibus Christiani nos reddimus*, cum qui ab huiusmodi passionibus longiùs it, Christianum non dixeris.

4. Iam his quidem posteriora Threnorum verba optimè hærent, quid enim fuerit quasi signum sagittis Dei positum esse? nisi tribulationibus, vel laboribus, qui pro virtute suscipiuntur, exponi, nec corpus, aut animum ab illis retrahere? Audi Paschasium ibi. Paschas. *Habet enim ex hoc arcu iudiciorum Dei Christus alias immittere sagittas ad perimendum vitia, & peccata; alias vero ad vulnerandas animas amore charitatis. Inter quæ nimirū omnia anima constituta est, quasi signum ad sagittam, vt hinc suscipiat vulnera charitatis; illinc repellat omnia iacula inimici, quatenus suis triumphet de hostibus, & victrix cum corona accipiat paradisum.* Vnde scitè à Hieronym. ibi componitur hic locus cum illo 1. ad Thessalon. 3. 3. 1. Thes. 3. 3. *Vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus*; quasi hæc sit Christianorum vita, vt quasi signum ad sagittam laboribus, & omnigenæ tribulationi sint expositi. Audi Hieronymum: Hieronym. *Qui enim in hac vita assiduè mala tolerat, velut in signo positus, ictus suscipit ferientis. Vnde & prædicator egregius, cum persecutionum mala toleraret, atque sub persecutione aduersariorum gemeret, teneram discipulorum mentem de suis afflictionibus consolans ait:* ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus; *ac si eis apertè dicat: Quid in hoc tempore vulnera nostra miramini: qui si æterna gaudia quærimus, huc ad hoc venimus, vt feriamur?* ac si diceret ex Paulo, Hieronym. hæc nostra vocatio, atque disciplina est. Sed ad hæc, primùm pende illud Apostoli, *nemo moueatur*, quod relatum ad eum, qui in signum ad sagittam est positus, pulchrum sensum habet, vt moneat Paulus, firmos nos, & inmotos, & velut ad palum alligatos in virtutis stadio, siue in tribulationis esse debere, ne timidè, & ignauè corpus huc, illuc versantes sagittarum ictum subterfugere videamur. Deinde in verbis Hieremiæ obserua inscriptam illis Hebræam litteram *Daleth*, quæ significat *ostium*, vt argumento sit, ex sagittarum ictibus cœleste nobis ostium aperiri, atque ideo necesse esse, vt *nemo moueatur*; ne ostium amittat. Altè hæc in animo defixa erant Sancto Iob qui decidentes à vulneribus vermes in pristinum locum vnde decidebant, rursus collocabat, & restituebat; id sic excogitante Tertulliano lib. de Patientia cap. 14. vnde ille hauserit; an ab aliquibus vetustis libris? an à proprij ingenij viuacitate, non laboro. Tertul.) *Quid? ridebat Deus: dissecabatur Malus, quum Iob immundam vlceris sui redundantiam, magna æquanimitate distringeret, cum erumpentes bestiolas inde in easdem specus, & pastus foraminosæ carnis ludendo reuocaret.* Planè, quòd sagittis Dei in signum positus nullatenus vellet moueri, ne ab ostio dimoueretur: nimirum ferales illos vermes exteriorem hominem corrumpentes, & atrociter deuastantes, non solùm, vt fulgentes, ac pretiosas margaritas, quibus splendidè ornaretur, sed etiam vt egregia salutis suæ pignora aspiciebat, tótque cœlestis beatitudinis obsides, quot calamitatis, ac tribulationis ministri essent, habere se putabat. Quo circa, qui gloriæ pignora auidè indesinenter ambibat, nullum corporis sui carnificem amittere patiebatur.

5. Adsimilis Regio Vati mens Psalm. 65. 8. felicem gloriæ suæ spem, qua reficiebatur, sic manifestam facienti. Psalm. 65. 8. *Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.* Ad quæ verba pulchrè adnotauit Agellius, ea locutione, *posuit animam meam ad vitam*, non obscurè innui, Agel. Dauidis animam intra ipsammet vitam, velut in loco aliquo tuto vbi seruaretur, reconditam, & collocatam esse; vt ipsa vita, tamquam vas, aut sacculus, in quo anima sit proposita, inducatur: ad eum modum, quo ipsamet Dauidi comis, & vrbana Abigail feliciter ominata dicebat. *Erit anima domini mei quasi custodita in fasciculo viuentium, porro anima inimicorum tuorum rotabitur quasi impetu, & circulo fundæ*, 1. Regum 25. 29. 1. Reg. 25. 29. Hac verò dicendi forma non tam crediderim aspexisse Vatem ad diuinam Prouidentiam temporalis vitæ conseruatricem, quàm ad peculiarem Dei curam de æterna Dauidis, & electorum omnium salute; eo sensu, quo dixit ipsemet Dei filius. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me Patris, quod dedit mihi non perdam ex eo*, Ioannes 6. 39. & cap. 10. 28. Ioan. 6. 39. Ioan. 10. 28. *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea*, & cap. 18. 9. *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Quare hæc verba sic optimè transtulit Chaldæus. *Qui numerauit, (seu recensuit) animam nostram in vita sæculi venturi.* Sed qua quæso via, atque ratione tam firmas, támque egregias suæ salutis spes concepit Vates, vt iam in libro vitæ sese scriptum recensitúmque quodammodo intueretur? Subiicit ipse. *Quoniam probasti nos Deus; igne nos examinasti sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra:* ac si dixerit, non leuibus, aut fallacibus indiciis ad bene sperandum permouemur, si quidem, & virtutis laboribus, & variis tribulationibus probati, & examinati à Deo sumus. Sed ô beatos labores! ô iucundissimas afflictiones, quibus tam fortunata ac felix spes comparatur! exclamo cum S. Prospero, epigrammate vltimo.

S. Prosp.

Quid ne igitur tanta pro spe tolerare recusem?
Aut quid erit, quod me separet a Domino?
Ignem adhibe; rimare manu mea viscera tortor
Effugiunt pœnas membra soluta tuas.
Si mucrone pares, ceruicem abscindere lictor
Impauidum inuenient, mors cita, pœna breuis.

Accinunt ipsamet Abigail verba per transennam adducta. *Erit anima domini mei quasi custodita in fasciculo viuentium; porrò anima inimicorum tuorum rotabitur quasi circulo, & impetu fundæ.* Enim verò hæc, eos qui futuræ vitæ asseruati sunt; in fasciculo colligatos, intra virtutis scilicet metas consistentes, & laboribus astrictos: reprobos autem à funda licentiùs euagantes, hoc est, desideriis voluptatibus suis dimissos pulchrè considerat; vt hunc in modum Rabanus, & Eucherius apud Glossam obseruarunt. Raban. Eucher. *Pulcherrima comparatione statum iustorum, & reproborum discreuit: horum quippe animas appellat viuentes, illorum spirituali morte occupatas. hos fasciculis, illos lapidis fundæ assimilat, fasciculus enim astringitur, vt conseruetur: lapis in funda ponitur, vt abiiciatur: sic enim electi pressuris tribulationum constringuntur, vt his admoniti arctiùs ad inuicem mutua charitate nectantur, & adunati per manus Redemptoris in perpetuum conseruentur. Reprobi quanto latius voluptatibus suis dimittuntur; tanto longiùs à diuina visionis gloria proiiciuntur;* ipsi enim de manu Dei repulsi sunt. Hæc illi. Ad quem sanè modum aiebat Lactantius lib. Lactant. de ira Dei. Fugitiuos, & abdicatos liberè viuere, eos verò, qui sub disciplina patris, strictiùs, & frugaliùs.

Ita

Ezech. 9. 5. Itaque idem apud Ezechielem cap. 9. 5. dum ferocissimi lictores, diuinæ iustitiæ vindices ad sumendas vrbe Hierosolymitana pœnas mittuntur, hæc illis nocendi, seu puniendi forma præscribitur. *Percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite vsque ad internecionem, omnem autem super quem videritis Thau, ne occidatis*, vbi in tam generali humani generis deuastatione, ij solùm immunes reseruari vides, qui pœnitentiæ, & crucis charactere insigniuntur: id enim portendit litera *Thau*. Nam si primum, ad literæ figuram, quam olim habebat, & sub figura contentam significationem, aspicias, crucis illi imago inerat, vt vetustiores Patres ad hæc verba mouent, sic enim præter Tertullianum lib. aduersùs Iudæos. & lib. 3. cont. Marc. Hieronymum & Seuerum ibi. Ambrosium lib. 1. de Abrah. cap. 3. Clementem Alexandrin. libro 6. Strom. Isidorum in lib. Iudicum, inquit Origenes homilia 8. in Ezechielem: *Illi tantùm sospites reseruantur, quos Thau littera, id est, crucis pictura signauerat.* Nec ideo tantùm sospites putes, quòd crucis pictura extrinsecus fuerint consignati, sed potiùs, quòd Christi cruci confixi mortique ipsius configurati ad resurrectionem, quæ est ex mortuis, occurrant, vnde itidem Isidorus sic ait: *Quoniam sequentes Dominum, tantò acrius crucem tollunt, quantò acrius sese edomant, & erga proximos suos charitatis compassione cruciantur, vnde per Ezechielem dicitur:* Signa Thau super frontes virorum dolentium. Hæc Isidorus. Quòd si præter figuræ *Thau* speculationem ad litteræ vim & ordinem te conuertas, Hebræi apud Origenem testantur: *Repræsentare eos, qui perfectam scientiam diuinæ legis habent, atque ex scientiam sensum præuaricationum.* Quod quidem ex ipsamet huius litteræ significatione sic elicuit Ambrosius. *Vltima littera* Thau, *quæ Latina interpretatione significat* errauit, *alia interpretatio habet*, consummauit; *vbi autem error est, culpa signatur. Hic ergo est profectus finis vt etiam culpa sit; sed vide quid interpretetur.* Errauit, *inquit, non errat; errasse præteriti est temporis, errare præsentis. Qui* errauit, *desinit errare, & veterem condemnat errorem. De eo enim dicitur*, errauit, *qui in eo errore iam non sit. Errare enim permanentis in vitio est, errasse corrigentis est lapsus.* Sic ille. Gementes ergo, & fructus pœnitentiæ dignos agentes, siue morti Christi configurati ab interitu sospites reseruantur, qui verò hoc crucis, & pœnitentiæ charactere non discernuntur, suppliciis addicuntur æternis.

Tertul. Hieronym. Seuer. Ambros. Cle. Alex. Isidor. Origen. Ambros.

7. Et verò sub hoc sensu placet modo accipere ea Christi verba apud Ioannem cap. 12. 31. *Nunc iudicium est mundi.* Nam in iis primò, est aduertere, Græcè pro iudicium esse κρίσιν, quod vocabulum tam ad forum, quàm ad rem medicam pertinet. Critici enim dies à medicis vocantur iidem, ac decretorij, in quibus de ægritudinibus ratione ferri iudicium potest. Ergo, vt anceps eius vocis apud Ioannem significatio est, dum ab aliis in bonam partem pro absolutione, & liberatione; ab aliis in malam pro condemnatione, & punitione mundi, hoc est, studiorum mundi, & morum sæcularium accipitur: ego cum Ruperto pro discrimine inter prædestinatos, ac reprobos capiendum reor. Quare cùm eodem Ruperto obserua, hæc verba coniungenda esse cum vers. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*, cui sermonis contextui, aptè quadrat medica illa significatio, *crisis*, vt nimirum ab hoc amore, siue odio erga studia mundi, & omne, quod est in eo, concupiscentiam scilicet carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. 1. Ioan. 2. de salute hominum tanquam de ægritudine rectà ratione indicante ferri possit iudicium. Sed age modò, & in hunc sensum sexti, & septimi diei naturam, qui inter criticos, siue decretorios principes, ac primi sunt, ex Medicorum placitis persequamur. Et de iis quidem sic eleganter loquitur Galen. lib. 1. de diebus decretoriis cap. 2. *Mihi equidem frequenter in mentem venit septimi diei naturam consideranti regi assimilare, sexti verò tyranno, ille siquidem clementior, velut benignus aliquis princeps ei, quem iudicandum suscipit, vel partem supplicij adimit, vel victoria illustrat: hic è contra pernicie gaudet, & salute dolet, quæritque vbi animum impleat, & continua punitione exerceat.* Hæc ille; quæ mirificè præfatæ sententiæ conueniunt. Nam dies sextus ad huius sæculi res, & studia; septimus verò ad spiritualia, & cœlestia bona refertur. De quo præter plura alibi offerenda, audi Origenem tractatu 3. in Matth. & Hieronymum epistola 140. Prior enim versans ea verba Matth. 17. 1. *Post sex dies assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos*, sic ait: *Non in vanum post sex dies; quoniam enim in sex diebus perfecti numeri totus factus est visibilis mundus, ideò arbitror eum, qui transcendit omnes mundi res, considerans iam, non quæ videntur, sed quæ non videntur, ille potest ascendere super montem excelsum, & videre transfigurationem ipsius.* Ita ille. Similiter Hieronym. *Quæ enim supergressa sunt sex dies mundi, & futura regna suspirant, regina appellantur, de qua dictum est Psal. 44.* Adstitit regina à dextris tuis. Adde Philonem lib. 1. allegoriarum, sexti, & septimi numeri significationem sic explicans. *Mortalia senario metiens, beata verò & fœlicia septenario.* Iam ad rem. Nunc crisis est mundi, nunc de lethali ægritudine mundanorum hominum, qui malo amore amant animam suam, hoc est, vitam suam, carnem suam, concupiscentias suas, iudicium fertur; sextus enim dies, quem illi tantopere colunt, dirus illis tyrannus est, *qui pernicie gaudet, & salute dolet quæritque, vbi animum impleat, & continua punitione exerceat.* Aliter quidem septimus temporalia transcendens (vt inquit Origen. & sex mundi dies supergressus, vt aiebat Hieronym.) hic enim vt benignus princeps, quem iudicandum suscepit, victoria, atque corona illustrat, vnde ex Hieronymo reginæ appellantur. Audin sexti, & septimi diei crisin? Ferro igitur iudicium de eo, qui configuratus morti Christi odit animam suam in hoc mundo; ferto etiam de illo, qui amat, & nutrit eam, vt videas, quam scitè ad id loci dixerit August. tract. 51. in Ioan. *Magna, & mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, vt pereat; odium, ne pereat. Si malè amaueris, tum odisti: si benè oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.* Sic ille.

Ioan. 12. 31. Ioan. 12. 24. Galen. Origenes. Matth. 17. 1. Hieron. Philo. August.

Quòd si meministi eorum, quæ initio ex Bernard. & Plinio dicebamus ad illa Pauli verba, *gloriamur in tribulationibus*: benè iis aptaueris ea eiusdem Apostoli verba ad Galat. 6. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne metent corruptionem*: nimirum quòd vt secunda ex aduersis, ita aduersa ex 8.

Bernard. ad Gal. 6. 8.

secundis

secundis nascuntur, quia videlicet, *occultat vtrumque semina Deus, & malorum causa sub diuersa specie latent.* Ergo, qui animam suam, immò verò, & carnem suam vera dilectione prosequuntur, non seminant in carne, sed potius eunt *flentes, mittentes semina sua*; qui verò & animam, & carnem suam oderunt, in carne seminant, corruptionem, interitum, & ignem æternum. Differit hac de re copiosè & eleganter Bernar. serm. 10. in Psal. *Qui habitat.* E multis decerpo hæc. *Diligat anima carnem tuam, sed multo magis suam ipsius animam seruet. Amet Adam Euam suam, sed sic amet, vt voci eius plus obediat, quàm diuinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, vt videlicet, cui interim caues à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis*: obserua illud, *ne ipsi quidem* (carni) *expedit sic amari*: quòd *hic amor exitium est peccatrisque magistro.* Ita quidé dixit Sapiens Prouerbiorum 11. 17. *Benè facit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abycit.* Sed obserua, prius hemistichium sic in nonnullis Codicibus (teste Rodolpho) legi: *Qui ablactat animam suam, vir misericors est.* Cui lectioni cócinit Hebræum verbú גמל *gamal*; quod inter alia significat *ablactare*: posteriora autem sic efferunt LXX. *perdit autem suum ipsius corpus immisericors.* Iam quid fuerit, animam ablactare, nisi sensu dato illam odisse? à noxijs scilicet voluptatibus, & sæculi amore abstrahendo: frugalitérque & seuerè tractando. Eum verò, qui sic se gesserit; egregiam sibimetipsi misericordiam præstare, inquit Sapiens; qui secus faxit, crudelem, & ditum sui ipsiusmet corporis esse carnificem. Vnde rursus Bernar. post superiùs adducta verba, versans id Psalmo 2. *Apprehendite disciplinam*, hæc subijcit: *Sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. Quo modo dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra; non parcitis carni vestræ. Esto: non parcimus semini; in quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renouari, & multiplicari imago, quàm in horreo putrefieri. Heu* computruerunt iumenta in stercore suo. *Sic vos parcitis carni vestræ? simus nos crudeles interim parcendo; at vos planè parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe, videritis vos ipsi, quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futurum.* Hæc Bernard. vide illum etiam serm. 6. de aduentu.

(Marginalia: Bernardus. — Prou. 11. 17. — Rodolph. Lectio Hebr. — LXX. — Bernard.)

9. Simile omnino iudicium ferebat Eliphaz apud Iob cap. 5. 3. ex critico felicitatis die, in quo peccatorem diuitem florenté, & in sua opinione vndequaque beatum sub imagine arboris proceræ magnitudinis, & fructibus luxuriantis considerauit his verbis: *Vidi stultum firma radice* (LXX. *radices agentem*) *& maledixi pulchritudini eius.* Sed vnde quæso tibi ad maledicendú alteri siue ad execrandum ius? Sanè in fonte Hebræo pro *maledixi*, est verbum קבב *Kabab*, quod propriè significat *malè ominari*: vnde eadem est sententia, ac si diceretur; dum stultum florentem, nullisque laboribus obnoxium vidi, malum equidem omen de eius salute accepi, & tantam frondium amœnitatem; támque ambitiosam fructuum luxuriem diuinæ indignationis securi deuotam esse conieci. Sed quare? Equidem quòd malorum causæ sub diuersa specie pateant: nec alio quàm ad victimam pingues hostiæ ire videantur: sic primùm conspecta amatorum sæculi felicitate dicebat Ieremiæ c. 12. 1. *Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agũt? Plantasti eos, & radicem miserunt; proficiunt, & faciunt fructum*: ac si dicat: omnia ipsorum cumulantur ex votis, nihílque ad felicitatem reliqui esse

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

(Marginalia: Iob. 5. 3. LXX. — LXX. — Ierem. 12. 1.)

videtur: sed statim nodum sic soluit: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis*: vbi illud *congrega*, non ad imprecationem, sed ad prædictionem referri debet, vt interpretes obseruant: vt sensus sit: video quidem hos dulci rerum successu fortunatè frui, & sæculi bonis saginari, quòd sicut greges, qui in pascuis opimis, & quasi in sagina sunt destinentur macello, ita felicissimi quos nihil triste tangit, & quibus corporis summa cura, virtutis summa incuria est, ad gladium segregati sint. Sic Augustinus epistola 5. *Sed peruersa, & aduersa mortalium felices res humanas putant. cùm tectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum: cùm theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum, cùm gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ deridentur, cùm ex his, quæ diuitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria non habent pauperes. Hæc si Deus pollere permittat, indignatur grauiùs. Hæc si Deus impunita dimittat, tunc punit infestiùs.* Sic ille.

(Marginalia: Augusti.)

Quòd si mali huius ominis experimentum, siue 10.
exemplum videre velis, notissimam diuitis auari historiam apud Lucam 16. 19. primùm perlege. Deinde cum Bernardo in declamation. ad verba Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*: animaduerte, nullius mortiferi criminis singillatim argui, præterquàm quòd florenti vtens fortuna summa illi corporis cura esset, & in eo totus hæreret. Audi Bernardum: *diuitem illum, cuius Saluator meminit in Euangelio, in nullo horum audio accusari.* Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, *si crudelitatis arguitur, quòd substantiam mundi habens, & videns fratrem suum egere, clauserit viscera sua ab eo, quando hæc diuiti deest*, & paucis interiectis; *Sed ad tremendum Abrahæ iudicium veniamus; non enim Abrahæ, sed Dei sententia est*, Memento (*inquit*) Fili, quod recepisti bona in vita tua, Lazarus similiter mala, *verum vtrumque est, non potest omnino negari. Fer sententiam, quia paucis expressa totius negotij summa est; ille bona, iste mala recepit. Quid modo?* Nunc autem (*inquit*) hic consolatur; tu verò cruciaris. *Expergiscimini ebrij, & flete.* Terribilis Deus in iudiciis super filios hominum. *Heccine cruciatuum causa tota, quòd in hoc sæculo bona recepit? Ipsa planè.* Sed quamobrem? Reddit rationem Bernardus. *Neque enim ad hoc nos de paradiso voluptatis animaduersio diuina eiecisse videtur, vt alterum sibi hîc paradisum adinuentio humana pararet.* Hæc, & multo plura ibi Bernardus, quæ lector non omittat. hæc similia ego appingam ex Chrysostomo sermone 121. *Numquid* (inquit) *per se tantùm diuitiæ, per se tantùm criminosæ sunt? aut sola, & per se penes Deum damnanda sunt vestes? & tantum per se punienda sunt epulæ, vt non solùm careant præmio bonorum, sed omnium malorum ferant, & mereantur exitium? aut ita per se probata est, & sanctificata mendicitas, vt vlcera tum sacrata, vt Angelicis manibus Abrahæ sancti rapiantur ad gremium?*

(Marginalia: Luc. 16. 19. — Bernardus. — Bernardus.)

Hinc quidem aliquando Chrysologi, & Ber- 11.
nardi vestigia premens, in hunc sensum è suggesto conatus sum inuenire discrimen inter auari huius diuitis, & mulieris fortis; hoc est, animæ Deo gratæ, habitum, atque vestigium: cùm tamen vnus, atque idem vtriusque esse videatur; vt enim de diuite inquit Lucas 16. vers. 19. *Induebatur purpura, & bysso*, ita de muliere forti Salomon Prouerbiorum 31. vers. 22. *Byssus, & purpura indumentum eius*, & verò vt ad faciem idem sit, purpura, & bysso, ac bysso, & purpura indui; magnum tamen, si modus vestium introspiciatur,

(Marginalia: Luc. 16. 19. — Prou. 31. 22.)

Mm inter

intercedit discrimen. Non enim parum refert, vtra harum vestis priùs indui affirmetur, cùm vnaquæque arcanum sensum habeat. Sanè byssus vt linum est candidum, atque pertenue; ita, vt hunc candorem, & subtilitatem adipiscatur, penè infinitis cruciatibus est primùm obnoxium. Sic enim Plinius Plinius. libro 19. cap. 1. *Virga, ex quibus fit, merguntur in aquā Solibus tepefactam, pondere aliquo depressa; iterúmque inuersa, vt prius Sole siccantur, mox arefacta in saxo tunduntur stupario malleo.* Et statim: *pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Iterū deinde in filo politur, illisum crebro in silice ex aqua, textúmque rursus tunditur clauis.* Hæc Plinius. Subdit eleganter: *Semper iniuria melius.* Quare, vt obseruant Origen. Isychius. Beda. Origenes in Exod. Isychius in Leuiticum, & Beda in id loci Prouerbiorum, typus est carnis ieiuniis, vigiliis, necnon diuinis meditationibus maceratæ, siue etiam ærumnis atque doloribus confectæ. Purpura verò Regij iam olim splendoris, & florentis felicitatis speciem præ se fert. Vide Apocalyps. 17. Apocal. 17. 4. 4. vbi de meretrice Babylonia dicitur: *& mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, &* Ezech. 27. 7. *lapide pretioso, & margaritis.* Et Ezechiel. 27. 7. necnon Plinius. Plinium libro 9. cap. 36 insaniæ & luxuriæ notam illi tacitè inurentem. Ecce tibi in bysso cruciatus, & calamitates: in purpura felicitatem, ac regium splendorem. Nunc scito eam à Deo iustam, certamque esse legem sancitam, vt vtraque byssi, & purpuræ vestis in hac, & in futura vita homini obtingant, eo tamen ordine atque discrimine, vt qui pro huius vitæ tempore, alteram se ex his vestibus induerit, alteram sibi in futuro sæculo æternum præparatam inueniat. Nimirum, vt cui modò byssus sit indumentum, hoc est, pœnitentiæ operibus se dederit cruciatúsque, & corporis afflictiones ad modum byssi sustinuerit, purpura subinde, id est, regia felicitate, cœlestique gloria æternum induatur; sicuti de beatis dicitur Apocalylypsi. 21. 24. *&* Apoc. 21. 24. *Reges terra afferent gloriam suam, & honorem in illam.* Idcircò de muliere forti byssum priusquàm purpuram induisse dicitur, *byssus, & purpura indumentum eius*; ac si diceretur, induit se primum bysso in hac vita, vt in futura purpura gloriæ indueretur. Quod equidem mendico etiam Lazaro obtigit; iacebat Luc. 16. 20. enim bysso in hac vita vestitus; hoc est, *vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat.* At enim verò in fu- Luc. 16. 22. tura regia illi successit purpura; nam *factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Qui verò è contra, purpuream primùm vestem sibi induerit, bona scilicet in hac vita receperit, & omnes curas in corporis poluptatem abiecerit, postea bysso æternum vestiatur, hoc est, æternos gehennæ cruciatus, & tormenta sustineat. Sic omnino, sic diuiti illi euenit, de quo Lucas. *Induebatur purpura, & bysso*, primùm videlicet purpura deliciarum; deinde bysso tormentorum. Nam *mortuus est diues, & sepultus est in inferno*, & dum Lazarus modò in æterno felicissimæ beatitudinis refrigerio est: ipse velut byssus feruidæ Solis rotæ, diuinæ, inquam, iræ expositus, & diris flammis cruciatus, iam immenso pondere depressus, iam in saxo contusus, & ferreis hamis excarnificatus omnia tormentorum genera experitur, aquæ guttulam exposcens, quam numquam accipere Bernardus. merebitur. Ecce quod dicebat Bernardus. *Haccine cruciatuum causa tota, quòd in hoc sæculo bona recepit? ita planè.* Ad quem modum Hilarius in Psal- Hilar. mo 122. premens verba Abraham: *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala,* (inquit) *Fit alterna conuersio, & demutatur lætitia in mœrorem; & mœror in gaudium.* Sed eleganter Augustinus sermone 212. de tempore. *Suc-* August. *cessit ignis purpuræ, & bysso ea tunica arcebat, qua se spoliare non poterat:* ac si diceret: nequibat, vt antea pro temporum varietate, siue opportunitate vestem mutare; sed ardenti tunica æternum indutum esse, qui molli, & subtili olim in æstu vsus fuit. Insultat eodem modo Chrysologus sermone 122. *Quid est diues? Ab æstu byssus non defendit? Pur-* Chrysol. *purea non resistit inferno? Remanserunt ista; deseruerunt ista, & ipse nunc nudus sudas, qui aliquando insultabas æstibus nuda subtilitate vestitus.* Hinc equidem salubriter indidem concludit Bernardus. *Quid dicemus ad hæc si talis finis, & tale iudicium, vt extrema gaudij luctus occupet? nunquid non præferenda sunt in hoc sæculo mala bonis?* ac si dicat. Nónne ad morem mulieris fortis, hoc est, animæ diuina sapientia præditæ prius de bysso, quàm de purpura temporaliter induenda cogitare oportet, ne postea post breuem purpuram æterna byssi, siue cruciatum vestis succedat. Sic ipsemet Bernardus clamabat, & exclamabat, *Hìc vre, hìc crucia,* Bernardus. *vt in æternum parcas.*

Sunt autem huic instituto valdè opportuna illa 12.
Christi verba Matthæi 24. 19. *Væ prægnantibus, &* Matt. 24. 19. *nutrientibus in illa die*; si tamen cum illis componas hæc eiusdem Assertoris Ioannis 19. 20. *Mu-* Ioan. 19. 20. *lier, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit, iam non meminit pressuræ propter gaudium.* Nam dum Patres Hilarius, Hieronymus, Hilarius. Hieron. Chrysost. Euthymius. Beda. Theophylact. Auct. imperf. Chrysostomus, & Euthymius, Beda, Theophylactus, & Auctor imperfecti apud Maldonatum priora verba ideo dicta putant, quòd de fuga à ventura ira Christus loqueretur, vt statim subiungit. *Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbato,* eáque ratione malam prægnantium, & nutrientium causam futuram esse, quòd illæ vteri, hæ lactentium infantium onere grauatæ diffugere nequeant: meritò quis ambigat, cur non potiùs claudos, & ægrotos, qui ad fugam multo minus sunt expediti, Christus nominauerit? Cui dubio scitè respondet idem Maldonatus, ideo prægnantium, & nutrientium potissimum factam fuisse mentionem, quòd hæ in maximis delitiis, maximéque senem curæ versentur. Additque. *Solent enim in maxima* Maldonatus. *securitate nuptiis, ac liberis operam dare, quasi dicat, Væ illis, qui in maximis delitiis, & securitate versabuntur, & eùm calamitas inuaserit, fugere non poterunt.* Hæc ille; quæ si de fuga spirituali à percutienti gladio eorum diuinæ iustitiæ satellitum, de quibus paulo antè ex Ezechiele differebamus, intelligat, à nobis est; mutuámque sibi lucem hæc, & illius loci explicatio præstant. Sin autem de materiali fuga loquatur, rursus dubitabo, cur inter mulieres prægnantes, & nutrientes, parturientium mentionem, quarum vt infirmiores vires, ita multo màius, ac robustius impedimentum, quod moram inferat, Christus prætermiserit? Ergo arcanum iis verbis sensum esse crediderim, comcunémque cum eo, qui illis inest Lucæ 6. 24. & Luc. 6. 24. 25. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram; væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Quæ à Christo immediatè subiecta sunt illis. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis:* vt sermo sit de iis, qui pœnitentiam, ac laborem subterfugientes, ad prægnantium, & lactentium morem genio, & variis desideriis ita indulgeant, vt nullam delicatæ vitæ rationem, ac modum prætermittant. Nosti enim,

enim, quàm sint prægnantes, & nutrientes ab omni labore, & legitimis oneribus immunes, eousque quidem, vt prægnantes adhuc, cùm graue aliquod flagitium commiserint, à quæstionibus, donec pepererint, ipsismet fauentibus legibus eximantur. Vide legem prægnantem, ff. de pœnis. Opponit igitur huic prægnantium atque lactentium imagini illam parturientis mulieris Dominus apud Ioannem; vt hæc propter dolores, & diram viscerum commotionem typus eorum sit, qui Christi imagini conformes euadunt. Vti hæc omnia eleganter elucidauit Ambrosius in Psalm. 47. vbi sub hoc sensu capiens id Vatis, *dolores vt parturientis* sic ait. *Sunt enim ibi dolores acerbi, & graues, id est, in Ecclesia; in illa ciuitate regis, magni sunt dolores, sicut parturientis, donec formetur Christus in nobis. Testificatur & Dominus Ioan. 16. graues esse dolores parturientis, cùm dicit*, Mulier cùm parturit, tristitiam habet, quia venit dies eius; cùm autem peperit, iam non meminit tristitiæ propter gaudium. *Magnus ergo labor, vt aliquis sibi Christum adquirat, &c. Gaudium Christus est, ipse est & puer, quem parturit, qui in vtero mentis suæ accepit spiritum salutis*. Et paucis in hanc etiam sententiam interiectis, nec non præfatis verbis. *Væ prægnantibus*, & in hunc sensum adductis: subiicit: *ibi sunt dolores, vt parturientis. Dolor est vt parturias; dolor est, vt enutrias, ideoque plerique grauiter conteruntur, sicut versiculus signat, qui secutus est*, In spiritu vehementi conteres naues Tharsis. *Nam dum ad perfectionem fidei desiderant Dei famuli peruenire, commacerent corpus suum castigando seuerius, & redigendo in ministerium seruitutis, ne reprobemur, qui fuerant iam probati. Hoc autem faciunt in spiritu valido, atque vehementi: est enim spiritus consilij, atque virtutis, vt nimia abstinentia dissoluant corpus suum, quo omnes eius euacuent voluptates*. Hæc Ambros.

Ambros.

13. Est hic, si attendis, scopus, & summa Psalmi 72. Nam cùm primùm Regius Propheta ingenuè fateretur, pænè fuisse, vt lapsaret, cùm vna ex parte, impios in hac vita laboris omnino expertes felices, ac florentes, & quibus omnia exanimi sententia euenirent; ex alia verò iustos, & in Deum pios mille ærumnis afflictos, & vndique calamitatibus oppressos videret (id enim sibi volunt illa verba de florenti peccatorum fortuna. *Mei autem pænè moti sunt pedes, pænè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum, videns, quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, &c. transierunt in affectum cordis*: sicut, & hæc de afflictionibus iustorum, *& dixi ergo, sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die, &c.* Tandem sedatũ sibi fuisse animum affirmat, cùm rem æqua lance pendens, fidóque sanctuarij pondere librans, nouissimos tam iustorum, quàm impiorum considerauit euentus. *Existimabam* (inquit) *vt cognoscerem hoc labor est ante me donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum*; nimirum dum Lazarus in hac vita vlceribus plenus, summo post mortem eum honore, & cœlesti pompa ab Angelis in sinum Abrahæ defertur; diues verò purpura indutus detruditur in gehennam sempiternis suppliciis cruciandus; subdit deinde Vates hanc ei considerationẽ animos addidisse, vt deinceps non secus ac humile iumentum Deo se sisteret cuius tribulationũ oneri subiectum. Ab hoc non it egregia Augustini dissertatio de titulo Psal. 53. *Intellectus ipsi Dauid, cum venerunt Ziphæi, & dixerunt ad Saul. Nonne Dauid absconditus est apud nos?* Vbi sic Augustin. *Si*

Psal.72.2.

Psal.53. in titulo.

August.

* P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom.2.

quæramus qui interpretantur Ziphæi, inuenimus florentes: florentes ergo nescio, qui erant inimici sancto Dauid florentes latenti? inueniamus hîc primò Dauid latentẽ, & inueniemus ei aduersarios florentes. Attenae Dauid latentem. Mortui enim estis (*dicit Apostolus membris Christi,*) & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Isti ergo latentes, quando erunt florentes?* Cùm Christus (*inquit*) apparuerit vita vestra, tunc & vos cum illo apparebitis in gloria. *Quando erunt isti florentes, tunc erunt illi Ziphæi arescentes, cui namque flori illorum comparetur gloria, attendite.* Omnis caro fœnũ & omnis honor carnis vt flos fœni. *Quis finis?* fœnum aruit, & flos decidit, *vbi tunc erit Dauid? vide quid sequitur*; verbum autem Domini manet in æternum. Ita August nus; & post pauca. *Hi sunt Ziphæi inimici Dauid, florentes in sæculo; hos aliquando attendunt etiam filij lucis infirmi, & nutant eis pedes, cùm viderint malos felicitate florere, & dicunt apud seipsos: Quid mihi prodest innocentia, & tu Ziphæus vis esse? florent in sæculo, arescent in iudicio, & post ariditatem in ignem æternum mittentur.*

Ad Colos.3. 3.& 4.

Isai.4.6.&7

14. Adiungo Oseæ, & Amos vaticin a Ziphæis istis, siue florentibus apprimè congruentia. Sic namque Oseas cap. 4. 16. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel, nunc pascet eos Dominus quasi agnos in latitudine*; vbi pende primò Pagninum pro illo aduerbio *lasciuiens* reddidisse *peruersa*. Deinde obserua, Israëlem non alterius criminis, quàm lasciuiæ sub vaccæ similitudine argui. Dices & parum ne malũ lasciuia est. Audi me, vt enim non inficiabor tibi, parum malum lasciuiam esse; at vnum monendus es, aliud à luxuria, siue turpitudine lasciuis esse, vt Basilius locuples testis est in regulis interrogat. 67. vbi cum distinctione facta inter immunditiam, & lasciuiam sic interrogasset: *Quid est immunditia, & quid ἀσέλγεια, siue lasciuia?* circa hoc vltimum ita respondet: *Aselgia, quæ sit, videtur mihi Salomon exprimere, qui suauem illam, & doloris exortem appellauit, ita vt ἀσέλγεια affectio sit non habens, vel non ferens athleticum laborem.* Sic ille. En delictum Israëlis; en lasciuiæ, siue delicatæ vitæ noxam, & offensam. Vide iam pœnam atque supplicium. *Nunc* (subdit Vates) *pascet eos Dominus quasi agnos in latitudine.* Quod fuit dicere, saginabit eos ad victimam, & rectè quidem. Nam vaccæ lasciuienti, & iugum detrectanti meritò ceruix conciditur, vt ex his Psal. 128. 4. verbis: *Dominus iustus iustus, concidit ceruices peccatorum*: & commentario quem illis adhibet S. Zeno Veron M. iam alibi ostendi, dum enim ipse perquirit, cur ceruici potius quàm capiti, aut pectori gladius immineat, scitè respondit, ideo ceruices signatè concidi, vt commeritum illis supplicium infligi innuatur, quod iugum Christi depulerint. Quò etiam trahit illud Isaï. 4. 16. *Filiæ Sion ambulauerunt extento collo* hunc in modum. *Propheta filiabus Sion exprobrat, quòd alta ceruice incedant; ceruice scilicet iugum dedignante.* Hinc sapienter exclamat Bernard. citato loco. *Quid tantopere præsentem fugitis iram, flagellum timetis, declinatis virgam? Et quidem in hac die vestra, quæ ad pacem vobis, sed si cognouissetis & vos. Mutatis enim, non effugitis pœnitentiam. Misera sanè, & extrema plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum.* Hæc Bernardus. Adsimilis. & quasi vterina Amos sententia cap. 4. & 6. sic priori loco inquiens. *Audite verbum vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ*, vbi pro *vaccæ pingues*. Hieronymus & Symmachus legit, *boues saginatæ.* Posteriori verò. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in mõte Samariæ, optimates, capita populorũ, ingredientes põpaticè domus Israël, qui dormitis in lectis eburneis*

Osee 4.16.

Basil.

Psal.128.4.

Isai.4.16.

Bernard.

Amos 4.1. & c.6.1. Hieron. Symmach.

& lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulam de medio armenti. Qui cantis ad vocem psalterij sicut Dauid, putauerunt se habere vasa cantici: bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph, &c. Vtrobique enim, vt lasciuiam, & luxum purpurati vulgi, & vrbanæ turbæ graphicè descripsit, ita certum horum interitum singillatim prænunciauit. Quid enim fuerit; Vatem hos purpuratos diuites, pingues vaccas appellasse? quàm certum gladium, & interitum luxui, & delicatæ vitæ imminentem prædixisse. Num vacca iugum excutiens, & saginæ, ac ventri vacans, aliò quàm ad macellum, & mortem per proprios pedes it? *Loquutur ad Principes Israël* (inquit Hieronym.) *& optimates quosque, qui delitiis, ac rapinis vacabant, vt audiant sermonem Dei: & non aratores boues, sed vaccas pingues de armento se esse nouerint siue quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertillissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi, & esui præparatos*, vt nouerint, qui *curam carnis faciunt in desideriis*; & *in delicijs* enutriunt *corda* aduersùs Pauli, & Iacobi monita ad Rom. 13. 14. Iacob. 5. 5. rem nihilo sibi meliorem, aut vtiliorem facere, quàm semetipsos velut pingues hostias ad victimam saginare. Ad quem etiam modum posteriori loco de illis, qui dormiunt in lectis eburneis, & lasciuiunt in stratis suis, dicebat idem Vates: *Qui separati estis in diem malum*: siue, vt habent LXX. *Venientes in diem malum*: ac si diceret, qui occisioni destinati estis, siue vosmetipsos destinatis: *Mutatis enim, non effugitis pœnitentiam* (vt dicebat Bernardus. Vt verò alia possem pro huius loci commentario appingere, illud mihi opportunissimum videtur ad mentem Prophetæ exprimendam, quod Gentilis Seneca hoc sensu imbutus dicebat libro de Prouid. cap. 4. *Hos itaque Deus quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet; eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis seruat. Erratis enim si quem putatis exceptum, veniet ad illum diu felicem sua portio.* Hæc ille: & statim sumpta imagine ab arena, in qua neci damnati, ex occasione, ad proximum diem differebantur, subiicit: *Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est.* Sed de his hactenus.

Hieron. — ad Rom. 13. 14. — Iac. 5. 5. — LXX. — Bernard. — Seneca.

VERSVS XII. XIII. & XIV.

Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu.

Fratres ego me nō arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens me ipsum.

Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.

VNA pænè iis versibus sententia, ideo non membratim diuidenda, sed vno haustu capienda, & semel explicanda. 1.
Dixerat se iam omnia reliquisse, ac Christi similitudinem in se ipso quoad fieri possit, exprimere curare, vt hac fidei iustitia subnixus ad gloriosam Resurrectionem perueniret. Nunc verò ne Christianæ humilitatis fines egressus, aut aliquanto magnificentiùs à se hæc dicta viderentur: quòd inde in eius laudem poterant Philippenses subinferre, ipse per occupationem retundit, dicens, Neque ideo eum me esse credo, qui iustitiæ perfectionem consummauerim, & pedem iam in meta habere videar, sed qui adhuc in stadio sim, sectérque iustitiam, siue Christum apprehendere, ea ratione, & modo, quo ab ipso comprehensus sum. Et verò non contentus id semel affirmasse, iterum, atque iterum, nec sine emphatica allocutione sic inculcare videtur animum attende, aurésque ad ea quæ dico erigite, semel ergo, atque iterum affirmo, me adhuc in stadio esse, nec arbitrari eam assecutum perfectionem, cui nihil desit, sed vnum agere vt præteritorum operum oblitus ad maiora indesinenter, & perfectiora, quanta maxima possim diligentia, & conatu, enitar, vt oculis semper animóque in omnimodæ perfectionis scopum, defixis ad cœlestis regni palmam obtinendam contendam. Hæc omnino Pauli mens; sed iam ad singula.

Non quòd iam acceperim.

EGregiè vsurpat pariter, atque versat stadiodromi siue currentis in stadio metaphoram, quam 2.
eruditè interpretes, præsertim Iustinianus illustrant. Hac autem accipiendi, siue apprehendendi (vt legit Ambrosius propriùs ad Græcum verbum ἔλαβον) phrasi, non significat Apostolus se vitam beatam, siue beatorum perfectionem, nondum esse assequutum, vt Anselmus, & ante illum Augustinus serm. 5. de verbis Apostoli, & prior omnium Tertullianus libro de Resurrectione, cap. 24. interpretantur: vt quid enim rem audientium oculis patentissimam ipse frustrà asseuerasset? sed nec verbum *accipiendi* ad Deum refert, quòd ab eo perseuerantiæ donum eo vsque non acceperit, vt explicauit Iustinianus, verùm ex certaminis similitudine ait, nondum metam attigisse, siue perfectionis palmam accepisse, vt breuiter attigit Primas. inquiens. *Non quòd iam acceperim perfectionem, quia finis nondum aduenit*; & obiter, sed scitè Bernard. ad fratres de monte Dei, dum eos sic alloquitur, *ab omnibus autem vobis perfectio exigitur licèt non vniformis, sed si incipis, incipe perfectè; si iam in profectu es, & hoc ipso iam perfectè age: si autem perfectionis aliquid attigisti, te ipsum in temetipso metire, & dic cum Apostolo*, Non quòd iam acceperim. Ita Bernard. Quam sanè expositionem manifestè adstruunt sequentia, *si quomodo comprehendam, & non arbitror comprehendisse*, vbi in fonte est idē verbum καταλάβω compositum à superiori, licèt ideo plusculum sub eodem sensu significationem augeat. Ideo Vulgatus, vt fidus interpres priùs posuit *accipere*, vt suam vim redderet verbo compositio; similis est verborum structura, 1. ad Corinth. 9. 12. *Multi quidem currunt, sed vnus accipit brauium, sic currite vt comprehendatis.* Quamuis vt vtrobique sumat Apostolum brauium pro æternæ beatitudinis præmio, ibi potius quàm hîc coniungat cum eo vocabulo verba *accipio*, & *comprehendo*. Nam hoc loco paululū variata similitudine *accipere*, & *comprehendere* ad per

Iustinia. — Ambros. — Anselm. — August. — Tertull. — Iustinian. — Primas. — Bernar. — 1. ad Cor. 9. 12.

perfectionem & consummatā iustitiam, quam velut aufugientem persequatur: & apprehendat, retulit: nisi eo loco ad Corinth. cum Bernardo pro brauio intelligas Christum, quem hîc etiam conatur accipere, & comprehendere. Vt paulò inferiùs ex Patribus videbimus.

3. Huc etiam inclinare videntur, ancipiti tamen dicendi modo, Chrysostomus & Græci, vt enim de apprehensione brauij hunc locum explicent, at brauij nomine, non tam cœlestem retributionem, quàm perfectionis culmen, ad quod ea sequitur, intelligunt: sic enim Chrysost. hæc cum superioribus Chrysost. coniungit. *Dixi me credere in eum, & virtuti resurrectionis eius, & socium me esse passionum suarum, &c. Veruntamen post hæc omnia nondum penitus confido, quod alibi dixit,* Qui existimat stare, videat ne cadat. *Et rursus,* timeo ne cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Vnde ita explicat hunc locum.

Aut iam perfectus sim.

4. MAior est præcedentis orationis explicatio, nec particula illa *aut* accipienda, vt distinctionem inferat, sed vt antecedentia exponat, ideo sub eodem sensu sumenda est, ac *siue*, vel *&*, vt exponit Hieronymus libr. 1. aduersùs Pelagianos, vbi cùm Hieron. citasset hæc verba, inquit. *Dixit se nondum comprehendisse, & nequaquam esse perfectum, sed instar sagittari ab signum iacula dirigere,* vnde vtraque verba sub vna, eadémque sententia sic interpretatur Ambrosius. Ambros. *Quoniam in tota epistola gauaere se testatur in eis, & laudat obedientiam eorum, & fidem, ne fortè quasi homines inflatione, eò quòd iam digni essent, extollerentur, nunc per suam personam adhuc deesse sibi ad iustificationem implendam aperta voce declarat, vt contendant addere in operibus bonis. Si enim hic, qui tanta praditus dignitate, adhuc deesse sibi ad perfectionem confitetur, quanto magis hi intelligerent elaborandum sibi esse, vt iustificationum merita adipiscerentur?* Hæc Ambrosius. Vnde apparet non collimasse scopum Primasium, atque Remigium, qui eius sententiæ nouitate, qua Paulus perfectum se esse negat, deterriti de perfectione beatitudinis Primas. hæc acceperunt. Sic enim prior: *Adhuc de hac perfectione, & de tali resurrectione de me incertus sum, quia est perfectio alia post hanc vitam, illud perfectum de quo dicit ad Corinthios,* Dum venerit quod perfectum est. *Et alibi,* donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum, *& reliqua: quia in hoc mundo positus veram perfectionem nullus habet. Quia ipse dixit:* Videmus nunc per speculum, *& reliqua,* Perfectus sim. *Quantum ad perfectionem, qua in hac vita haberi potest à sanctis perfectus fuit; quantum verò ad illam perfectionem pertinet, qua erit post resurrectionem, imperfectus. Et ideo hic quandam imperfectam perfectionem habuisse intelligendus est; quia per fidem, non per speciem, & per speculum, non facie ad faciem videbat.* Et eodem Remigius hunc in modum. Remig. *Quantum ad sapientiam illam pertinet, qua mortalibus hominibus datur, beatus Apostolus sapientissimus hominum erat, qui tunc temporis in carne morabantur. Quantum verò ad illam perfectionem pertinet, quam percepturi sunt Sancti post generalem resurrectionem, imperfectissimus erat, quia nunc videmus in ænigmate, tunc autem videbimus Deum sicuti est.* Sic Remigius.

5. Eadem ergo omnino sententia inest huic, ac sequentis versus hemistichio. *Ego me non arbitror comprehendisse.* Quod sic explicat Chrysost. Chrysost. *Quod autem inquit, hoc est, nondum omnem me apprehendisse virtutem puto; ita de cursore dici solet, nondum apprehendit. Nondum, inquit Paulus, totum confeci.* Vtraque autem verba egregiè illustrat Bernardus lib. 2. de considerat. ad Eugenium, cap. 7. ad hunc modum. *Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat.* Bernard. *Quid si Summus Pontifex sis? Numquid, quia Summus Pontifex, ideo summus? Infimum moris esse, si summum putas. Quis summus? cui addi non potest. Grauiter erras, si te illum existimas, absit, &c.* Et post pauca. *Alias nisi te ad summum velim non putare summum, aut velle putari antequam sis. Nam quomodo proficis, si iam sufficis tibi. Non sit proinde tibi, aut pigrum vestigare quod desit; aut fateri quod desit, verecundum. Loquere & tu voce antecessoris tui.* Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, *& rursum,* Ego me non arbitror comprehendisse. *Hæc scientia Sanctorum, hæc longè ab illa, quæ inflat.* Hæc Bernardus. Quibus adiunge illa Senecæ lib. de tranquillit. animi, cap. 1. *Puto multos potuisse ad sapientiam peruenire,* Seneca. *nisi putassent se peruenisse; nisi quædam in se dissimulassent, quædam apertis oculis transiluissent; non enim est quòd nos magis aliena iudices adulatione perire, quam nostra.* Hæc Seneca. In quem locum bonus Scholiastes Iustus Lipsius præter verba, quæ affert ex Bione, & Fabio, quorum primus dixit *opinionem,* Bion. Fabius. *profectus impedimentum, seu incisionem esse;* alter verò, *Magnos quoque profectus frequenter perdit arrogans de se persuasio:* Hæc pulchrè addit de suo, quæ nolui prætermittere. *Ego tecum, ô Annæe, quot experimenta* Iust. Lips. *cœpi in iuuentute huius δοκησισοφίας, vt Plato appellat, & quum primum pedem in via posuerunt, visi eum habere in meta.*

Sequor autem.

PLus plus quod antea dixerat, explicat: ac si 6.
dicat: inquit Anselmus: *Non quòd iam* Anselm. *acceperim quod peto, aut iam perfectus sim, vt nihil mihi desit. Non dico, sufficit quod egi, sed semper aliquid addo; semper ambulo, semper proficio, semper sequor quod comprehendere laboro.* Benè, & omnino ad rem. Nec aliò id S. Thomæ, & aliorum expositio: *Sequor* S. Thom. *Christum,* nam cùm Christus iustitia, atque sanctitas, siue perfectio sit, idem fuerit iustitiæ indesinenter insistere, ac Christum sequi, siue ad Christum sequendum, siue imitandum contendere, ac nouos in virtute profectus subinde facere. De quo statim occasione Moysis à Deo enixè flagitantis, vt faciem ipsi suam ostenderet, opportunè redibit sermo. Modò, quò maius sententiæ Pauli pondus accedat, vim Græci verbi, pro quo Noster posuit, *sequor*, premere est operæ pretium.

Est id quidem διώκω, quo non vtcumque sequi, 7.
sed auidè, & studiosè insectari, siue persequi, significat, ita S. Diadochus Photiensis Episcop. de perfectione spirituali, cap. 80. legit, *studiosè persequor;* S. Diado. atque ideo semper sumitur, tamquam verbum fugæ contrarium: vnde is fuerit germanus Pauli sensus, ac si dicat; Adeò non accepi, aut perfectus sum adhuc post quantumlibet profectum, velut fugientem à me iustitiam cursu indesinenter persequar, ne mihi è manibus elabatur. Quo etiam verbo vsus est, 1. ad Timoth. 6. 11. & 2. ad Timoth. 2. 22. 1 ad Tim. 6. 11. & 2. ad Tim. 2. 22. idcircò vtrobique noster interpretes reposuit, *sectare iustitiam,* & eodem modo 1. ad Corinth. 14. 1. *Sectamini charitatem.* 1. ad Cor. 14. 1. Præter hæc verò testimonia similis huic est Prouerbiorum 15. 9. *Qui sequitur iustitiam diligetur ab ea,* Prou. 15. 9. vbi Tigurina verbum, *sector,* LXX. *persequor* habent. LXX. Lect. Tig. Sententiam verò sic explicat Iansenius, *vt intelligamus, non segniter iustitia insistendum, sed grauiter ad eam obtinendam*

elaborandum, vt à qua per carnis illecebram ita semper retrahamur, vt facilè è manibus elabatur, nisi velut fugientem toto conatu insequamur. Sic & Dauid dicit, Inquire pacem, & persequere eam. Hæc ille. Nonnulla ex his obseruarunt Græci, & Anselm. sic enim

Chrysost. Chrysostomus, *& non dixit, curro, sed sequor, ac meritò; nam qui apud Græcos dicitur διώκων, id est; qui sectatur; nostis quantam contentionem insectando adhibeat; neminem intuetur, omnes, quicumque cursum illius interrumpunt, magno impetu propellit; & mentem, & oculos, & vires, & animum, & corpus contrahit, solum brauium spectans, præter ea nihil.* Similia

Theophy. habet Theophylactus iis subiiciens: *Debemus igitur omni nisu, & sine interpellatione vlla ad Christum contendere.* Reddit hanc etiam significationem Latino verbo, *sequor*, Hilarius, sequentium verborum vi

Hilar. subnixus: sic enim ille in Psalm. 2. *Sic & Beatus Paulus currit vt apprehendat, dicens,* Sequor autem, vt apprehendam, in quo & apprehensus sum. *Non lento gradu properat, neque otioso sequitur pro cursu: apprehensurum enim sequitur.* Et statim. *Et satis quidem dixisse videretur, si consecuturus sequeretur, sed vim & ipse afferre optat, & apprehendere properat, & modo exempli corporalis inuadere.* Hæc Hilarius.

8\. Egregium quidem monitum quo ad indefessum virtutis studium, atque profectum à Paulo stimulamur. Nam dum sequi, siue sectari se iustitiam dixit, Christianam disciplinam, cursum, seu viam, quam semper absque defatigatione debeamus insistere ad vlteriora progredientes, ostendit, satis quidem ad mentem Lucæ Actuum 9. 2. vbi occasione eiusdem Pauli; siue tunc Sauli in Christi discipulos sæuientes, Ecclesiam viæ nomine appellauit, in-

Act 9.2. quiens, *vt si quos inuenisset huius viæ viros, ac mulie-*

Genes. 49. *res*: vt ad ea Genes. verba c. 49. *ne irascamini in via*, hunc in modum obseruauit Tertullian. lib. de Ora-

Tertull. tione cap 10. *Via enim via cognominatur disciplina nostra.* Propria videlicet illius nota, & charactere; quòd id inter alia, signatissimum inter nostram Religionem, & prophanas superstitiones intercedat discrimen, quòd illæ quouis bono, siue boni specie contentæ sint. Christi verò disciplina adeò virtuti studeat, & ad quotidianos in ea profectus faciendos enitatur, vt in quocumque virtutis gradu hærere, pro vitio ducat, sic id monente Gregor. Nazianz.

Nazian. oration. 1. aduers. Iulianum ad finem. *Atque vt hoc demum eos fucatis suis præceptis vitium reprimere, quo tandem modo ad virtutis, & doctrinæ nostræ gradum peruenerint, qui non in virtute proficere, nec ex veteribus subinde nouos effici, sed eodem situ hærere, in vitio ponimus?* Hæc ille. Et quidem meritò. *Quale est enim*

Tertullian. (inquit Tertullian. lib. de veland. virg. cap 1.) *vt diabolo semper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere desistierit.*

9\. Ita quidem discipulos suos Dominus ad oram maris Tiberiadis consistens pueros appellauit, in-

Ioan. 21. 5. quiens: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Ioã. 21. 5. & ab ipso idem Ioannes edoctus fideles omnes, etiam pueros cognominauit. Vbi enim epistol. 1.

1\. Ioan. 2. 18. cap. 2. 18. habemus, *Filioli nouissima hora est*, August.

August. & alij legunt: *Pueri, &c.* At, quæ, inquis, hæc Christianorum appellatio fuerit? Nónne genti sanctæ,

1\. Petr. 2. 9. & regali Sacerdotio, (1. Petr. 2. 9.) senum seu virorum potius, quàm puerorum appellatio quadret? Præsertim cùm iusti nonnisi cum cedris, quæ summæ altitudinis arbores sunt, componi soleant; *sicut cedrus Libani* (inquit de iusto Dauid Psal. 91.

Psal. 91. 13. 13.) *multiplicabitur*. Quid, quòd, si attendis, Episcopi, aliíque Ecclesiæ ministri, quos Dominus in Apostolis pueros appellauit, à Petro seniores compellantur epist. 1. cap. 5. 1. *Seniores* (inquit) *qui in vobis sunt obsecro consenior, & testis Christi passionum.* Quid iam iidem & paruuli, & cedri, & pueri & senes erunt? Reclamat quidem natura, & si ad mores aspicias, peior inde causa redditur, oraculo conclamante, *quoniam puer centum annorum morietur*, Isaïæ 65. 20. Isai. 65. 20. Sed facilè ab his nodis sese extricat Augustin. sciens, puerorum nomine fideles omnes quantumuis morum excellẽtia præditi sint, ad virtutis stadium sine intermissione, aut defatigatione indesinenter percurrendum; nouósque progressus in dies faciendos, vrgeri, stimularique; ad eum modum, quo conditio siue status non stat, sine consistit, sed continuò crescit, & quotidianis momentis in proceriorem staturam consurgit: sic enim tract. 3. in epistol. Ioan. tom. 9. *In hac lectione pueros alloquitur, vt festinent crescere, quia nouissima* August. *hora est. Ætas corporis non est in voluntate; ita nullus secundum carnem crescit, quando vult, sicut nullus quando vult nascitur. Vbi natiuitas in voluntate est, & incrementum in voluntate est; ergo si vult, crescit; si non vult, decrescit. Quid est crescere? proficere. Quid est decrescere? deficere. Quisquis nouit natum esse, vt audiat, quia puer est, infans auidè inhiet vberibus matris, & citò crescit.* Hæc ibi, & alia. Vnde rursus sermone 16. de verbis Apostoli dicebat. *Vnusquisque iam in ipsa iustificatione constitutus accepto* Idem. *Spiritu sancto proficiens de die in diem videat vbi sit, accedat, proficiat, & crescat, donec consummetur.* En Christi discipulos tum annis & virtutibus senes, siue seniores, tum pueros crescendi, & proficiendi studio. Cui cogitationi mirè applaudit cedrorum imago: nam de illis sic inquit Aponius lib. 3. commentar. in Cantica. *Natura cedrorum semper cresce-* Aponius. *re fertur: neque aliquando finitur in senectam ire.* Iustus ergo sicut cedrus Libani multiplicabitur, quod quantumuis senex ætate, & meritis sit, numquam sinatur in senectam ire, sed semper crescat, atque proficiat.

Et verò, vt naturæ sit omnino consentaneum, 10. puerum corpore, & statura crescere; multo magis naturale fuerit, ac Christianæ disciplinæ proprium, nouos quotidie in virtute profectus facere. Vis videre? Audi Lucam de ipsomet perfectionis exemplari, nobis ad imitandum proposito dicentem, *Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines*, Lucæ 2. vers. vltimo, ad quæ verba obserua Luc. 2. vlt. primum Gregor. Nazianz. commentarium in Catena S. Thomæ. *Dicitur autem* (inquit ille) *secundùm* Nazian. *humanitatem proficere: non quòd ipsa suscipiat augmentum, quæ ab initio fuit perfecta, sed ex eo quod paulatim manifestabatur*: deinde aduerte sermonis structuram, *proficiebat sapientia, & ætate*: prius nimirum sapientiæ, quàm ætatis profectum ponente Luca; cùm tamen narrationis ordo & locutionis series primùm ætatis, quàm sapientiæ incrementum adstruere efflagitaret, vt inde nimirum moneremur, quamuis humanæ vitæ naturale videatur corpus per horas, & dies augmentum capere; esse tamen multo magis proprium & naturale vitæ spirituali, vt animus sapientia, & virtute crescat, cùm nobilior animæ animus, quàm corpori sit. Nam vt anima corpus vegetatur, & crescit; ita animus ipsomet diuino Spiritu animatur, & alitur, vt proficiat, & crescat donec consummetur. Ita omnino Tertullianus lib. de *veland. virginibus*, c. 1. vbi cùm in Tertull. hanc rem in alio vsus argumento dixisset: *Quale est enim, vt diabolo semper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei aut cessauerit, aut proficere destiterit*; postmodum ait. *Quæ est ergo*

Para

Paracliti administratio, nisi hac, quòd disciplina dirigitur? quòd Scriptura reuelantur? quòd intellectus reformatur? quòd ad meliora proficitur? Sanè quasi ad meliora profectus, siue in virtutibus progressus diuinum Spiritum inhabitantem in cordibus nostris, nobisque vitam,& spiritum dãtibus arguant Ergo, *vt is genius,ea est istius vitæ conditio* (sic Basilius epist. ad Chilonem) [Basilius.] *vt nunquam contenta acceptis spe alatur continenti,& secura præteritorum inhiet futuris:* ita fortiori ratione is supernaturalis vitæ genius esse debet,vt eorum, quæ retro sunt obliti,ad vlteriora indesinenter curramus. Quale est enim vt diabolo semper operante, & adiiciente quotidie ad iniquitatis ingenia,siue etiam puerili corpore in dies crescente animus quotidie non crescat? & opus Dei proficere destiterit?

11. Sic notanter Dominus ostium se discipulis suis fecit, per quod ingrederentur, & egrederentur, [Ioan.10.9.] Ioan.10.9. *Ego* (inquit) *sum ostium,per me si quis introierit,saluabitur, & ingredietur,& egredietur.* Sed hîc iure dubites, quomodo per Christum ingredi, æquè ac egredi, subsistere possit, cùm ingredi,& egredi opponantur? Certè si per Christum salubriter ingrederis,ab eo noxiè egredieris, atq; recedes: nam ab eo ad quem ibis? Referunt has locutiones [August.] Augustinus, & alij ad duas vitas contemplatiuam, & actiuam; vt per contemplationem intra seipsos spirituales viri ingrediantur, per actionem verò à seipsis egrediantur ad proximorum salutem; sed opportuniùs,opinor,ad perpetuum proficiendi studium,& continuam bonorum operum exercitationem reuocauit hæc [Nyssenus.] Gregor.Nyssenus homil.12.in Cantica, componens hæc Christi verba cum illis [Cant.5.6.] Cantic.5.6. de cœlesti Sponso, *at ille declinauerat, atque transierat. Anima mea liquefacta est*: pro quibus ipse legit. *Anima mea egressa est ad sermonem eius*; ad hunc modum: *O felicem illam egressionem,quam egreditur anima sermonem sequuta.* Dominus custodiet ingressum tuum, & egressionem tuam, *inquiet Propheta. Nimirum re vera hæc illa est, quæ dignis à Deo custoditur, egressio pariter, & ingressio. Nam egressio ex eo in quo sumus, ingressio est ad bona supra nos posita. Hanc igitur egressionem egressa est anima, Verbo vsa duce,quod dixit,* Ego sum & via,& ostium, si quis per me ingrediatur, is & ingredietur, & egredietur: *ita vt nunquam nec ingrediendi,nec egrediendi finem faciat,sed desinat,vbi proficiendo superiora est ingressus, & semper extra illa versetur, quæ fuerint à se comprehensa.* Optimè, quasi incessanter, & irrequieto motu Christi vestigia premat,& illa circa quæ versatur obliuiscens ad vlteriora semper tendat.

12. Adhibet statim Nyssenus Moysen in exemplum, nouis virtutis profectibus incessanter, & insatiabiliter inhiantem,quíque dum maiorem se in Dei obsequio quotidie agnoscebat, vlteriora subinde expeteret,ipsámque Dei faciem contueri,ardẽter desideraret. Audi illum elegantissimè hæc diffundentem,& oculis ipsis subijcientẽ. [Nyssenus.] *Sic olim Moysen quoque facies illa Domini desiderata præterijt: sic eiusdẽ legislatoris anima semper extra id progrediebatur in quo erat,sequendo Verbum præcedens. Quis enim ignorat gradus illos, quos conscendit Moyses, qui semper maior reddebatur, & nunquam proficiendi amplius finem faciebat? Maior factus est initio cum Ægyptiorum regno sublimius opprobrium Christi duceret; ac Dei cum populo affligi mallet, quàm temporariam peccati fruitionem habere. Rursum maior factus est, cum Ægyptio Hebræum affligente hominem alienum à natione sua morte mulctat, Israëliticum propugnans, &c. Rursum maior seipso fit, cùm longo tempore per commentationẽ, in solitudine vitam hominibus ignotam ageret, deinde ab igne, qui erat in rubo, illustratur. Secundùm hoc præter lucis radios oculis perceptos etiam auditis ipsius fulgore quodam perfunditur.* Et post nonnulla. *Nihilominus vir tantus,ac talis,qui tantis rebus interfuerat & vsque adeò in sublime ad Deum penetrauerat, insatiabiliter ampliora concupiscit, ac suppliciter petit, vt Deum facie possit intueri. At qui iam ante testata fuerat Scriptura, factam ei fuisse copiã conuersationis cum Deo de facie ad faciem. Nihilominus neque id quod colloqueretur cum Deo quasi amicus cum amico, neque familiariter cum eo conuersaretur, inhibere cupiditatẽ eius poterat, vt vlteriora non expeteret.* Si gratiam (*inquit*) inueni coram te, patefacito mihi te ipsum ita vt cognoscere te possim, Exod. 33.13. [Exod.33.13.] Vides insatiabilem proficiendi, & ad vlteriora progrediendi cupiditatem? Iam Deum eodem ductu cum Moyse se gerentem, nouósque illi stimulos ad maiores in virtutis studio profectus denuo faciendos, illi addentem audi: *Ecce est locus apud me,& stabis super petram. Cúmque transibit gloria mea,ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec transeam; tollámque manum meam,& videbis posteriora mea.* Etenim si ambigas, cur egregio illi viro faciem Dei videre desideranti,non facies,sed posteriora ostendantur: respondebo,immò verò dum ei diuina facies obuersa est, & Verbum Dei pertransiens tergum conspiciendum dedit,suã illi ostendit faciem: nimirum hæc non conspicitur,cùm immoti ante illam è regione consistimus, sed cùm Deum à tergo sequimur,& ab incepto diuini obsequij itinere non desistimus, quin ad vlteriora indesinenter progrediamur. Sic id inibi adnotãte Nysseno. [Nyssenus.] *Et is,qui gratiam hanc ipsi facturum se pollicetur, vti rogatus erat: (cùm quidẽ diceret, Noui te supra omnes) præterit cum diuino loco in petra, manu diuina tectum: ita vt vix post transitum posteriora Dei conspiceret. Quibus verbis vt equidem arbitror, docemur eum qui videre Deũ cupiat, desiderij compotem fieri semper sequendo,& diuinæ faciei contemplatio est ad Deum nunquam interrupta progressio, quæ tum demum nobis præclarè succedit, cùm Verbum à tergo sequimur.* Hæc Nyssenus. Quæ omnino Paulo aptes dicenti, *Sequor autem:* Christum etenim in iustitiæ, ac perfectionis studio indesinenter sequebatur.

Sed enim præfatæ viæ imagini, cum qua Christiana disciplina componitur, immò illius potiùs nomini, & appellationi plura sunt in veteri, & in nouo Testamento quæ concinant; nam de Christi discipulis sic vaticinatus est Isaias c.2.3. *Et ibunt populi multi,& dicent: Venite,& ascendamus ad montem Domini,& ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* 13. [Isai.2.3.] Quæ videntur postea expressisse tum Dominus Ioan.15.16. discipulos suos sic locutus: [Ioan.15.16.] *Ego elegi vos,& posui vos, vt eatis,& fructum afferatis*: tum etiã Paulus ad Ephesios 2.10 cùm inquit. *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis,quæ præparauit Dominus, vt in ipsis ambulemus*, [ad Ephes.2.10.] sed vt hæc Pauli verba ad c.1.vers.11. adnotat.1.copiosiùs elucidauimus, nec est, cur iis quæ ibi diximus, modò addamus, ita Christi verba premere,& cum Isaiæ verbis componere,opportunum erit. *Elegi vos* (inquit) *vt eatis.* En quod dicebat Tertull. [Tertul.] *Alias enim via cognominatur disciplina nostra*: vt discipulum Christi esse, idem sit,ac ire: siue vt ait Paulus,sequi,sectari,proficere, & fructum indesinenter afferre,ita quidem de Baptistæ parentibus notanter dixit Lucas c.1.6. [Luc.1.6.] *Erant iusti ambo incedentes in omnibus iustificationibus Domini*,vbi iustitia,siue virtus per continuum atque indefessum cursum explicatur: ideo ait, *erant iusti*

incedentes, id est, quia incedentes, siue quòd semper incederent, quin tantisper consisterent: vt id ea verba sic obseruat Chrysolog. serm. 91. *Incedentes dixit vt eos ostenderet cucurrisse virtutibus, non stetisse: & ambulasse in via iustitiæ, non sedisse, nec remansisse in itinere mandatorũ, sed ad mandatorũ plenitudinem peruenisse.* Quo sanè spiritu, ac sēsu imbutus filiis suis hæc præscripsit S. P. N. Ignatius in Sũmario constit. reg. 22. *At veras solidásque virtutes consequendas insistant, siue plures adsint visitationes spirituales, siue pauciores; curent verò semper in via diuini seruitij progressum facere*: ac si dicat: Videte fratres vocationem vestram, ideo enim vos Dominus elegit, *vt eatis*, & fructum afferatis. Sed preme deinde quàm indefinita, nullisque conclusa limitibus sit hæc Christi locutio, *vt eatis*; dum enim nihil aliud addidit, ostendit, semper eundum, semper ambulandum, semper progrediendum; nunquam sistendũ, nunquam à cursu & profectu cessandum, nunquã virtutis studium intermittendum: *vt eatis*, inquit. Quamdiu? Sanè quamdiu vita suppeditet; nam vita via est: ita quidē de sapientiæ, siue virtutis amatoribus dixit Ecclesiasticus cap. 15. 8. *Viri veraces inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei*. Quid est *successum habebunt*? Non deficient à cursu, non fatigabuntur, pergent proficient, sic reddit, atque explicat hæc lectio Tigurina, quæ habet. *Viri veraces frequentabunt hanc, & vsque ad inspectionem Dei proficient*. Firmat hæc optimè S. Fulgentius epist. 4. ad Probam *de oratione*, cap. 3 sic admonens: *Sicut autem, qui ad patriam tendit, donec perueniat, semper habet, vbi ambulet: sic etiam nos quamdiu in hoc mortali corpore constituti perigrinamur à Domino, præsens vita nobis est via, in qua semper habemus, vbi possimus proficere, donec Deo perducente ad illã valeamus beatæ immortalitatis æternam patriam peruenire*. Vrget hæc plusculum Ambrosius in Psal. 1. ad ea verba, *in via peccatorum non stetit*, non aliter contentus, nisi cùm ipsa temporis velocitate in virtutis stadio percurrendo certauerimus. Quod si id fieri posse diffidas, quòd te necessario somno occupato, tempus non quiescat, sed volet, occurrit Ambrosius, & corpore dormiente animum vigilare debere præscribit. Sic enim ille. *Nam sicut in nauibus dormientes ventis aguntur in portus, & si nullus quiescentibus sensus est nauigandi, tamen cursus eos vrget ad finem, & impellit ignaros; sic vitæ nostræ spatio defluente ad proprium vnusquisque finem cursu latente deducitur. Vnde dicitur*, Surge, qui dormis. *Tu enim dormis, & tempus tuum ambulat, & vide, ne dum diu dormis, prætereat tempus, ideo & si dormis, cor tuum vigilet, cor tuum non feriatur. Si cor otiosum non sit, non sunt otiosa tempora tua. In via est ô homo, ambula vt peruenias, nec te nox in via occupet, ne consumatur dies vitæ antequam progressum virtutis acceleres*. Hæc Ambrosius.

14\. Eadem quidem vis inest præfatis Isaiæ verbis, *Venite ascendamus ad montem Domini, &c.* nam præter indefessam semitarum ambulationem, quam memorat, tum montis imago, tum ascendendi phrasis huc eunt. Quid enim montis celsitudo, quã perfectionis apicem designet? Certè baptizandarum gentium mysterium, summo ipsarum pastori Petro non humi, aut in infimo loco, sed cùm ad altiorem domus partem conscenderet; hac signatè de causa ostensum est, Actuum 10. 9. vt conscensus ad superiora, siue & ad altiores perfectionis gradus pro nota & charactere eorum, qui Christo erãt credituri, daretur, sic id adnotante Ambrosio epistola 12. *Quid de Petro dicam? qui ad horam sextam ascendens ad superiora, baptizandarum gentium cognouit mysteria. Ergo sancti ascendunt, flagitiosi ad vitia descendunt, sancti in montibus, criminosi in vallibus*, Deus enim montium est (3. Regum 20. 28.) *& non Deus vallium*. Sic Ambrosius. Quo omnino sensu dixit Regius Vates Psalm. 83. 6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit*, vbi pro *ascensiones* in fonte Hebræo est vox מסלות *missalot*, propriè *semitas altas, id est, charismata meliora* (1. ac Corinth. 12. 31.) quæ sic explicat Euthymius, *à sensibilibus ad intellectualia, à peioribus ad meliora, sunt enim istæ ascensiones bonæ quædam cogitationes, per quas veluti per scalam ad alta & diuina dona conscendimus*. Vis scalam videre? adi Genesim 28. 12. & ibi scalam à terra cœlos pertingentem, & Angelos per illam incessanter ascendentes Iacobo in somnis ostensam audies: eámque sic tibi elucidabit S. Zeno Veronens. serm. de somnio Iacob. *Ascendentes sunt iusti, qui probis moribus per gradus diuinorum obseruantiæ præceptorum, quotidie spiritualis itineris gloria feruntur in cœlum*. Quem etiam sensum Moysi semper proficienti, & ad vlteriora perfectionis fastigia festinanti, sic aptauit Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis. *Quapropter magnus ille Moyses, cùm semel per scalam, in qua Deus innixus erat, vt Iacob dicit, ascendere cœpisset, nunquam stetit, nunquam terminum motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascendebat, neque enim deficere vnquam potest altior gradus*. Vbi illud etiam obiter obserua, notanter Deum innixum scalæ dici, vt quod aiebat Dauid, *cuius est auxilium abs te*, ascendentes, siue proficientes peculiaribus gratiæ suæ auxiliis adiuuet, sub quo sensu cœpit Ambrosius in Psalm. 47. illud Isaiæ 43. 2. *cùm transieris per aquam, tecum ero*; ac si dicat Dominus, non stãtes, aut sedentes, sed transeuntes, ac incedentes adiuuo. *Meritò dicitur ei* (ait Ambrosius) si transeas aquam tecum sum. *Cum transeunte est Deus, non cum desistente*. Sic ille, sed de diuini obsequij via indesinenter insistenda iterum ad vers. 15. redibit sermo.

Si quomodo comprehendam.

NOn laboro, Græcè & in nõnullis veteribus Codicibus, & apud Remigiũ deesse illud *quomodo*: cùm sensus idē sit & tam hæc, quàm illa locutio Pauli modestiam in ea subdubitatione, & sui diffidentia sapiat; quamuis nostra lectio plusculum hæc explicet. Sed quid rogo, comprehensurus Paulus sequitur? Retulit id Primasius ad dignum Apostolici muneris administrationem, hunc in modum. *Si comprehendam meritum Apostolatus, in quo Apostolatu à Christo sum comprehensus*. 15.

16\. Verùm indubitatio affirmat Paulus, id se comprehendere eniti, quod priùs non accepisse dixerat, perfectionem scilicet vitæ, ac diuinæ cognitionis, siue sapientiæ, quæ in omnimoda puritate, & consummata iustitia censetur: ita Chrysostomus, inquiens: *Adhuc mihi vita in certamine versatur, adhuc à meta longè absum, adhuc à brauiis disto, adhuc curro, adhuc sequor*. Similiter Anselmus iam adductus, dum ait, *Semper sequor quod comprehendere laboro*. Clarius Remigius: *Si comprehendam, subaudi perfectionem*. Nec alium ab hoc sensum reddit his verbis S. Diadochus Photicens. Episcopus cap. 8. de perfectione spirituali, vbi cùm aduersùs nonnullos, qui perperàm intelligebant id Ioannis cap. 1. 5. *& tenebræ eam non comprehenderunt*; benè adstruxisset, non fore capienda ea verba de Satana; Christi diuinitatem non comprehendente, sed de iis potiùs hominibus, qui etsi egregia Christi signa atque

Margin notes (left column): Chrysolo. — S. Ignatius. — Eccl. 15. 8. — Lect. Tig. — S. Fulgent. — Ambros. — Ambros. — ad Eph. 5. 14. — Actuum 10. 9.

Margin notes (right column): 3. Reg. 20. 28 — Psalm. 83. 6. — 1. ad Cor. 12. 31. — Gen. 28. 12. — S. Zeno M. — Nyssenus. — Isai. 43. 2. — Ambros. — Primas. — Chrysolo. — Anselmus. — Remig. — Diadoc. — Ioan. 1. 5.

atque virtutes vidissent, propter errorum tamen siue vitiorum tenebras, ipsorum animis offusas ad lumen cognitionis eius accedere noluerunt; hæc subiicit. *Ait autem Apostolus Paulus interpretans illud*, non comprehenderunt, *Non quòd acceperim iam, aut iam perfectus sim; persequor autem vt comprehendam.* Ex quibus apparet, Diadochum sic accipere hæc verba, vt sit sensus. Paulum sequi, siue persequi, vt Christum comprehendam, hoc est, vt intus apud se recipiat, eique toto animo inhæreat; quod idem fuerit, ac ad perfectionem velis, remisque contendere. Iam vim verbi, *comprehendo*, siue *apprehendo*, optimè expressit Hilarius illis verbis.
Hilarius. *Non lento gradu properat, neque otioso sequitur procursu, apprehensurus enim sequitur:* quæ statim plus explicat, subdens. *Et satis quidem dixisse videretur, si consecuturus sequeretur, sed vim & ipse afferre optat, & apprehendere properat, & modo exempli corporalis inuadere.* Ad quem sanè modum huc intentus
Bernard. dicebat Bernard. epist. 254. *Et quid prodest, Christum sequi, si non contingat consequi? sic currite vt comprehendatis.* Et post pauca: *Quòd si Deo currente tu gradum sistis, non Christo appropians, sed te magis elongas.* Ita Bernard.

17. Inest verò his verbis de Christi apprehensione, siue comprehensione acceptis singularis venustas, præsertim si conferantur cum illis Salomonis, Pro-
Prou 15. 19. LXX. uerb. 15. 19. *Qui sequitur iustitiam* (siue vt LXX. habent, *persequitur:*) *diligetur ab eo* quæ num. 7. adduximus. Nam primum iuxta eam persequendi imaginem, illud innui videtur, aliter in spirituali, ac in corporali insectatione, siue persecutione se rem habere: vt enim in hac odiosum, & inuisum est, cursu ab aliquo fatigari, ita in spirituali stadio Christus vehementer optat, vt eum insequamur, siue persequamur, atque illum maiori amore prosequitur, qui ipsum, vt totis manibus comprehendat, grandiori impetu persequitur: ideò dixit Sapiens. *Qui persequitur iustitiam, diligetur ab eo.* Deinde hæc ostendunt, Christum, siue etiam iustitiam, aut perfectionem à nobis quodammodo fugere, siue, dum ad sui imitationem quæ velocem cursum, magnúmque animi alacritatem exigit, nos ipse excitat, *pertransit enim, teste Scriptura* (inquit Ber-
Actuum 10. 38. nard. citato loco) *benefaciendo, & sanando omnes: pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lentu gradu, sed* exultauit vt gigas ad currendam vias. *Porrò currentem non apprehendet qui & ipse pariter non currit:* siue dum Christiana perfectio sui studiosos per longa virtutum itinera euocat; quod magis subinde elucidabitur.

18. Tam verò ex vi verbi *sequor*, siue *sector*, quàm ex phrasi apprehendendi, siue comprehendendi, ardens id, atque diuturnum studium, quod ad assequendum Christum exigebat Bernard. mirè confirmatur. Sanè perfecta & duratura virtus signatè exigit, tùm vt magno animo, totísque nisibus suscipiatur; tùm etiam vt eius studiosi ad vlteriora (vt vidimus.) semper tendant: ne si à proficiendo cessauerint, deficiant, aut si lento gradu Christum sequantur, non consequantur. Et verò eam alacritatem, atque feruorem, qui in verbo *sector*, innuitur, satis dilucidè expressit Dominus Lucæ 13. 24.
Luc. 13 24. inquiens. *Contendite intrare per angustam portam.* Obserua accuratissimum dicendi modum, *contendite*: nec enim fuit contentus Dominus admonere, *intrate*: nisi etiam præmiserit, peculiari contentione, & impetu nobis opus esse, vt ianua nos posset excipere. Sed quare? Num armati milites ad virtutis fores consistunt, vt intrantes submoueant, atque repellant? Vel tanta proborum hominum frequentia est, vt ianua multitudine obtuatur, & intrantes stipatis corporibus, nec ipsi se capiant? Minimè quidem. nam vna ex parte ipsa virtus hominibus sese vltro offert, atque insinuat, ex alia verò tam paucos sectatores, & studiosos habet, vt totos dies portæ aditus pateat, paucissimis illac ingredientibus. Cur ergo inquit Dominus, *contendite*? Sane quòd via virtutis non procliuis, sed ardua sit; corporeis illecebris, & mundi rebus semper ex aduerso obstantibus, & probos gressus impedientibus Gregorio Magno hæc Christi verba sic premente
Gregor. Mag. lib. 32. Moral. cap. 28. *Dicturus angusta portæ introitum, præmisit* contendite, *quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam animus semper ad ima reuocatur.* Pulchrè, ac si ex illius similitudine, qui aduersùs fluuij cursum nauem dirigit, cui, ne ab vnda decurrente retro abripiatur, toto impetu est adnitendum: moneat, magno nobis ardore & vehementi studio in virtutem esse incumbendum, ne à carnis blanditiis, atque concupiscentiis, quæ perpetuum cum spiritu bellum gerunt, retro abripiamur, sed eam imaginem sic expressit
Hieronym. Hieronymus lib. 3. aduers. Pelaginos. *Quòd si paululum se remiserit, quomodo qui aduerso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur: sic humana conditio, si paululum se remiserit, discit fragilitatem suam.*
Seneca. Applaudit Seneca epist. 71. vbi cùm dixisset: *Imperfecta necesse est labent, & modò prodant, modò sublabantur*, subiicit, *sublabentur autem nisi ire, perseuerauerint. Si quidquam ex studio, & fideli intentione laxauerint, retro eundum est.* Sic ille.

19. Firmat hæc miserandus Adæ lapsus: quem dum tecum mente peruolüis, magno iure ambigas, quî fieri potuerit, vt homo sapientissimus, totque à Deo muneribus cumulatus, ab ipsius obsequio deflexerit. Quæ (inquis) fuit causa illum tam potenter impellens, vt nullo interiùs hoste aduersùs rationis præscriptum insurgente, nec iniqua lege membrorum dominante, quàm citissimè deceerit? quod telum tam fortè? tam atrox extiterit, à quo fortissimus miles æquè infeliciter, ac subitò prosternetur?
Bernard. At enim facilè iis occurret Bernard. serm. 2. de S. Andrea, eum, qui tibi tam egregius ac fortis miles videbatur, nec belli grauitate, aut diuturnitate superatum, nec oneris mole oppressum, sed feruoris, siue feruentis charitatis defectu contabuisse, atque periisse, sic affirmans. *Neque aliquam in seruando mandato visus est pati difficultatem, sed quia bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit, feruorem*: quo nimirum vndam mundi, siue tentationem extrinsecus quatientem vinceret. Hic etiam, (ni fallor.) vxor Loth in salis statuam
Genes. 19. 26. conuersa respicit, Genes. 19. 26. Ipsa siquidem, si Philoni credis, non solùm quod retro respexerit, sed etiam quòd animo oculos sequente Sodomam redamauerit, grauissimum illud supplicium com-
Philon. meruit: sic enim ille lib. 2. Allegoriarum. *Loth, vxor in saxum versa est propter adamata Sodoma.* Et quidem, vt ab aspectu nimis curioso, atque moroso noxius amor, & concupiscentia prodiere: ita exitiosus is aspectus à lento, & ignauo gradu, quo diffugiebat, ortus est: etenim non modò è Sodoma exire, sed etiam nec in itinere stare, remorarive, sic ei à Deo fuerat præscriptum Genes. 19. 17.
Genes. 19. 27 *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* Iam, verò ipsam tardiori gressu, & passibus non æquis virum fuisse secutam, inde constat, quòd Loth in vrbem Segor incolumi ingresso, ipsa in Sodomiticæ regionis planitie commeritas subierit pœnas vt expendenti

denti textum constabit: *vbi verò non currere* (sic inquit Bernard. præfata epist. 253.) *ibi deficere incipis.* Nec aliter Hieronym. siue auctor epist. ad Demetriadem: *Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus, at vbi cœperimus stare descendimus.* Quibus adnecte quæ dicebat Ambrosius epist. 12. *Væ iis qui descendunt in Ægyptum: qui descendunt, cadunt.* Vnde indidem de vxore Loth Philo lib. 2. Allegoriarum ait. *Multis animabus pœnitentiam expetentibus non concessit Deus, sed illæ tamquam æstu refluo abreptæ sunt retrorsum, quemadmodum & vxor Loth*, &c. Ad quem modum Origenes homil. 8. in Exod. animam sub sponsæ imagine ad legitimum virum redeuntis sic monebat. *At vbi parum à viro tuo diuerteris oculos, statim necesse est memoriam fieri priorum.* Hæc ille & alia.

Bernard. Hieronym. Ambros. Philon. Origen.

20. Sectatur ergo, siue persequitur iustitiam Paulus, vt comprehendat, & vehementi studio, atque conatui diuturnitatem etiam, & perpetuum cursum adiicit; minimè dubius aliter non fore comprehensurum: quòd qui indesinenter non proficiat, deficere nec esse sit: nec alia de causa à seruo nequam commissum talentum auferatur, quàm quòd de illius profectu siue de vsuris subinde elucrandis non egerit: sed hæc omnia accipe à Hieronymo lib. 2. aduersùs Iouinianum sic ea obseruante. *Quòd autem Dominus non sit contentus his, quæ habemus, sed semper maiora desiderat, ipse demonstrat, dicens:* Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem illam, *quod quidem & Paulus Apostolum sciens præteritorum obliuiscitur, & ad ea quæ antè sunt, se extendit, id est, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicatè gratiam, quàm accepit; sed auarus negotiator renouatur de die in diem. & decrescere se putat, nisi semper creuerit.* Adstipulantur huic doctrinæ vnanimi consensione PP. signatè verò Bernard. & Leo Pontifex. Quorum prior epist. 91. ait. *Vbi incipis non esse melior, ibi desinis esse bonus.* Similiter Leo serm. 8. de Passione inquiens. *Qui non proficit deficit, & qui nihil adquirit, non nihil perdit.* Nec aliter Hieronymus siue Auctor epist. ad Demetriadem: qui post plura in hanc rem ait. *Optimè quæsita custodies, si semper inquiras. Damnum parata sentient, si parare cessaueris.* Consentanea inuenies apud Augustinum serm. 15. de verb. Apostoli, & sermon. 79. Gregorium lib. 1. Moral. cap. 20. Leonem sermon. 2. de Quadrages. & Bernardum epist. 341.

Luc. 19. 23. Bernard. S. Leo. Hieronym. Augustin. Greg. Ma.

21. Sed & hunc sensum subesse dixeris primis verbis Psalmo 118, *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ad quæ, si dubites, quomodo viatores, siue ambulantes, felices ac beatos Vates prædicauerit, repugnante Ecclesiastico cap. 11. 30. dum ait: *Ante mortem non laudes hominem quemquam: tamquam si diceret* (inquit S. Maximus homil. 59. *Lauda post vitam, magnifica post consummationem:* ad manum est responsio ex Hieronymo, Psaltem sic inibi capiente vt dixerit. *Beati qui perseuerant in lege Domini:* quod equidem idem fuerit, ac laudare post vitam & beatificare post consummationem. At, quæ inquis hæc explicatio fuerit. quæ aliam verbis significationes reddit? Num idem fuerit ambulare, ac perseuerare? Ita quidem: is enim perseuerat, qui ambulat; & indesinenter ambulare, perseuerare est: nec perseuerabis nisi ambulaueris. Nam *qui antequam ad Deum peruenit, stetit* (sic P. Maldonatus, quem inter bonos, & grandes auctores magno iure nominamus, in cap. 5. Matth. num. 17. *non stetit, sed cecidit.*

Psalm. 18. 1. Eccl. 11. 30. S. Maxim. Hieronym. Mald.

His mire concinunt, quæ Seneca, & Plutarchus tradidere: hic enim in libro. *Quemadmodum sentias se in virtute proficere*, cùm plura in hanc rem monita dedisset, subiicit. *Cæterum inconstantiæ, & tarditates Philosophorum non tantùm remoras faciunt sicut in itinere progressus, sed etiam regressus; quod semper cedenti immineat vitiositas, facitque ea transuersum abripiat. Nam planetas tradunt Mathematici, vbi est procursus eorum adstrictus consistere, in Philosophando verò non est sustinentis interuallum, aut statio progressionis. Cæterum quia nunquam non aliquas habent notiones natura ipsa, quemadmodum in trutina fieri solet, iam propensa ad id quod est melius inclinari, modò labi in deterius.* Sic ille. Similiter epist. 72. *Non multum refert, vtrùm omnitas Philosophiam, an intermittas; non enim vbi interrupta est manet, sed eorum more, quæ intenta dissiliunt, vsque ad initia sua recurrit, quod à continuatione discessit.* Sic ibi. & epistola septuagesima prima. *Nemo profectum ibi inuenit, vbi reliquerat. Instemus itaque, atque perseueremus, plus quàm profligauimus, restat.* Nec longiùs ab hoc iuerit, quod aliò respiciens sic dixit Velleius Paterculculus libro primo historiarum Romanarum prope finem. *Natura, quod summo studio petitum est, ascendit in summum; difficilisque in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest, recedit.*

Plutarch. Seneca.

22. Huc etiam opportunè reuoces Salomonis parænesim Prou. 3. vers. 3. *Misericordia, & veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui.* Sed obserua primum nonnullos pro *misericordia*, reponere ex originibus *gratia*; alios verò, & melioris quidem notæ auctores misericordiæ & veritatis phrasi totum virtutum chorum, quarum misericordia. & veritas duces sint, intelligere. Deinde notatu est dignus is dicendi modus, *non te deserant*? etenim cum his verbis indubitato à sapiente monearis, ne à virtutum actionibus, & exercitatione abstineas; meritò quispiam ambigat, cur dixerit *non te illæ deserant*; & non potiùs, ne tu illas deseras, aliàs non tu, sed ille admoneri censeantur? sanè, vt duplicata sententia ad continuum virtutum studium, & exercitationem nos Salomon vrgeret, innuens, tunc omnino hominem à virtutibus deseri, cùm ipse ab earum incremento, & profectu cessat, & manum à tabula submonet: ideò notanter addidit, *circumda eas gutturi tuo*: hoc est, tamquam torquem assiduè gesta, volue, & circumuolue; & statim: *liga eas in tabulis cordis tui*: id est, cordi, vt rem valde charam, siue vt ab eo vitam, & robur indesinenter hauriant, & crescant, infige. A quo non abit lectio Hieronymi in cap. 2. Abacuch: *Super latitudinem cordis tui*: vt totum videlicet animum occupent, nec vllis terminis circumscribantur. Ergo monet Salomon, eum qui in virtutibus non proficit, deficere: nec remoras facere, sed etiam regressus, quòd in virtutis studio non sit statio progressionis: vbi deest procursus, retro eundum est. Ita quidem videtur intellexisse hunc locum Chrysostomus homil. 1. in hanc epistolam, inquiens *Neque verò dixit, ipsas ne deseras, sed, ne deserant te, ostendens nos esse, qui illarum egeamus, non ipsas nostri, docénsque nihil nobis non faciendum esse, vt illas apud nos retineamus.* Concinit Lucas dum Actuum 11, 13. de Barnaba ait, *Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino*: pro quibus Lectio Syriaca habet, *Efflagitabat ab eis, vt toto corde suo adhærerent Domino*: vbi vides phrasim adhærendi Domino, quæ dubio procul significat spiritualem profectum, siue proficiẽdi studium, pro

Prouer. 3. 3. Hieronym. Chrysost. Actuum 11 13. Lect. Syr.

per

perseuerantia, & duratione in bono notanter poni, quòd is solùm in diuino obsequio durare, & permanere soleat, qui per indefessum proficiendi studium, atque conatum Domino adhæret. Concludo iam, cum Bernardo sermone 49. in Cantica monente. Bernard. *Ergo non ambulantem, sed sedentem à mortis tenebris comprehendi periculum est. Et quis sedens, nisi qui non curat proficere? Id caueto: & si morte praeoccupatus fueris, in refrigerio eris. Dices Deo*, imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo *nihilominus (inquit)* omnes scribentur, Psal. 13. 16. Psalmo 138. 16. *Qui omnes? Profectò qui desiderio proficiendi inueniuntur: sequitur enim*, Dies formabuntur, & nemo in eis, *subaudis peribit. Dies proficientes intellige, qui si morte praeoccupati fuerint, in eo quod eis deest, perficiendi sunt.* Formabuntur, & nemo in eis *informis relinquetur*, Hactenus Bernardus.

In quo, & comprehensus sum à Christo.

22. Lectio Graeca. GRæcè pro *in quo*, est ἐφ' ᾧ; in qua particula legenda, & explicãda variant interpretes. Chrysostomus, & Græci capiunt pro *siquidem*, siue *quandoquidem*; ad quem modum ex Latinis etiam nonnulli ad id cap. 5. ad Romanos. ad Roman. 5. *In quo omnes peccauerunt*, reddunt *quatenus*. Vnde sic explicat Chrysostomus hæc verba. *Eram, inquit, ex perditorum numero? demergebar, pereundum mihi omnino erat, comprehendit me, ac tenuit Deus. Nam & ipse nos sectatus est fugientes, ipsum magno cum studio, propter ea hac omnia illi accepta refert.* Addit statim Chrysostomus. *His enim verbis*, comprehensus sum, *& studium Dei demonstrauit nos comprehendere volentis, & nostrum longinquum recessum, atque errationem, nosque omnino ab illo refugisse ostendit.* Ita ille. Luculentiùs Theophylactus Theoph. qui cùm superiora explicans dixisset, *Adhuc in agone sum, & decerto: adhuc, inquam, insector, si liceat forsitan mihi, & brauium, & finem comprehendere*; subiungit ad hæc verba. *Mòxque arguens, ex debito se id agere, infert huiusmodi*, Quoniam, & à Christo comprehensus sum, *hoc est, ipsum me, qui olim ex numero perditorum existerem, & eorum, quibus fuisset salutis spes omnis sublata: insectatus est Christus, comprehenditque se fugientem, & retraxit: obstringor itaque & ipse tandiu hunc persequi, quoad comprehensum detineam.* Eumdem ferè sensum his verbis reddidit Remigius. Remigius, quamuis in expositione vocum *in quo* à Græcis maximè dissideat; eas ad Christum sic referens, vt in ipso, siue in ipsius redemptione comprehensus ad vitam fuerit. Ita enim ille: in quo & comprehensus sum: *ab ipso in redemptione passionis eius*, in quo & comprehensus sum. *Omnes electi prædestinati ad vitam æternam in passione Domini sunt comprehensi, quia per illam sunt redempti non solùm qui post resurrectionem eius saluandi erant, & purgandi per Baptismum, sed etiam omnes iusti, qui præcesserunt eius aduentum.* Hæc Remigius. Post quæ, hanc statim mouet dubitationem. *Sed dicet aliquis; si ergo comprehensus sum in eius Passione, id est, redemptus, & in baptismate purgatus, quare non habeo modo in præsenti perfectionem fidei sapientiæ, atque iustitiæ?* Respondet verò. *Quia Baptismi renouationem polluisti malè viuendo, non poteris illam perfectionem habere, quousque iterum mundatus per pœnitentiam venias ad illum, qui te Baptismo mundauit.* Sic Remigius. Remigius. Anselm. Aliter quidem Anselmus: qui sic capit ly *in quo*, vt priùs subintelligatur *ad eum modum*, siue *in eo modo, in quo?* vnde hunc iis verbis adhibet sensum: *id est, perfectè teneam illum in eo modo*, in quo sum comprehensus à Christo, *id est, vt videam ipsum Christum, sicut ipse me videt, & cognoscam eum perfectè, sicut ab eo cognitus sum, vt sicut ipse plenariè me videt, & cognoscit, ita ego plenariè modo humano eum cognoscam.* Sic Anselmus: subdit alium similem sensum, siue eumdem aliquanto explicatiùs ad hunc modum. Vel *comprehendam eum in quo comprehensus sum ab eo; id est, vt videam eum in ea claritate, in qua mihi apparuit in via, quando me comprehendit: Ideò enim* sequor *Præuenit me iustitia eius, sequatur enim mea.* Hactenus ex Anselmo. Ad cuius gustum plures etiam loquuntur.

Tandem Ambrosius, Oecumenius, Primasius, sanctus Thomas, & alij, quibus, & Lectio Syriaca, & Hilarius præfato loco in Psalmum 2. præiuerunt, malunt capere id *in quo*, vt perinde sit, ac *ad quod*, quamuis in sensu toti sententiæ reddendo non nihil discrepent. Sic namque Syra translatio. *Sed curro, vt fortassis assequar id propter quod me est assecutus Iesus.* Sed quid id fuerit Primasius ad meritum Apostolatus retulit; à quo non longè it Ambrosius, inquiens. *Dum enim errore, æstu mentis fluctuaret de via Domini diffidens, misericordia Dei quasi fugientem gratiam Christi comprehendit eum in via euntem ad conturbandam, & affligendam Ecclesiam; ad hoc vt donum Dei addisceret, & gratiam, quam refutabat, & sciret pro hac etiam mori lucrum esse, &c. Ad hoc enim comprehensus est, id est, à præsentia Dei requisitus, inuentus est, & didicit mysterium Christi, vt in omni vita augmentum faciens meritorum comprehendat destinatum præmium, promeritus eum, quem didicit, sui causa occisum* Sic ille. Complexus est hæc omnia Hilarius, plusculum acuminis addens hunc in modum *Scit autem se eo ipso iam esse, quod apprehendere properat apprehensum; si enim nos per corporalem naturam Deus natura sua discidentes homo genitus apprehendit, factus ipse quod sumus, nostrum est ad apprehendendum nunc id, quod est ipse, contendere, vt in eam gloriam, in quam naturam corporea huius corruptionis exemit festinatio nostra se nasceat: atque ita apprehendimus id, in quo sumus apprehensi, si naturam Dei consequamur Deo ante naturam humanam consequente.* Hæc Hilarius. Quæ vt fusiùs, siue subobscuriùs dicta hunc sensum habere videntur, Deû ideo hominem factum, vt nos diuinæ naturæ, quam peccando amiseramus, participes efficeret, atque idcirco enti nos debere, tanta festinatione ad perfectionem currere, eòque conatu Dei imitationem arripere, vt ad eum modum videamur eum apprehendere, & in ipsum velut transformari, ad quem nos ab ipso sumus apprehensi, dum ipse similis nobis factus est. Quæ fuit etiam locutio Nazianz. oratione 40. dicentis. Nazianzen. *Simus sicut Christus, quoniam ipse sicut nos: efficiamur dij propter ipsum quoniam ipse propter nos factus est homo.* Quo placet reuocare quæ in hæc Pauli verba scripsit Hieronymus libro aduersùs Pelagianos hunc in modum. *Dicit se nondum comprehendisse, & nequaquam esse perfectum, sed instar sagittarij ad signum iacula dirigere, & asserit præteritorum se semper obliuisci, & ad priora semper extendi, per quæ docet præterita negligenda, & futura cauienda, vt quod hodie perfectum putauit, cras imperfectum fuisse conuincat. Atque ita per singulos gradus, dum numquam in statione, sed semper in cursu est, imperfectum doceat, quod homines putabamus esse perfectum, solámque perfectionem, & veram iustitiã Dei tantùm virtutibus coaptandam.* Hieron. Hæc Hieronymus: quibus Hilarij mentem pulchrè explicat, non aliũ Christianæ perfectioni terminum figẽs, nisi cùm per quotidiana incrementa ipsisímet Christi virtutibus coaptari festinat. Sed id alibi copiosiùs tracto. Nunc moneo, vt aliæ expositiones probabiles

24. Ambros. Oecum. Primasius. S.Thom. Lect Syriaca. Hilarius.

babiles sint, posteriorem hanc menti, ac instituto Pauli aptiùs congruere, præclarioremque sententiam, ac sensum continere. Et, si aduertis, non est infrequens in Scriptura, propositionem *in* cum
ad Cor. 15. 54. ablatiuo poni, pro accusatiuo. Vt, *absorpta est mors in victoria*, 1. ad Corinthios 15. 54. vbi pro *in victoria* Augustinus passim legit, in victoriam, & interpretes explicant ad victoriam.

25. August. Quòd si velis vno ex capite cum Anselmo, cuius paulo antè meminimus, id *in quo* accipere pro *eo modo*, siue *ad eum modum, in quo*, & ex alio huic postremæ expositioni inhærere ille inde se prodit sensus, ac si summæ perfectionis anxius Paulus dixerit tanta festinatione, & auiditate iustitiam, Christúmque sector: si fortè valeam eo modo illum apprehendere, quo ab ipso fui comprehensus: vt videlicet tam firmiter in eum manus iniiciam, tam fortitérque retineam, quàm ab illo manus in me sunt iniectæ, & fortissimè retentus sum: nimirum ipse me ab eo aberrantem, & fugientem sic vndique constrinxit, sic retinuit, vt ab eius manibus non potuerim elabi. Hispanè quem firmissimè quis
Ioan. 10. 28. retinet significanti locutione dicitur, *Asiole por buen lado*. Quò referre possis Christi verba de suis à se ouibus asseruatis, & apprehensis, Ioann. 10.
Seneca. 28. *Non rapiet eas quisquam de manu mea*. Hæc magis explicantur ex opposito dicendi modo, quo Seneca epistola quadragesima secunda agens de quodam leui, & infido amico sic vsus est, *Meministi, cum quemdam affirmares esse in tua potestate dixisse me, volaticum esse, ac leuem, & te non pedem eius tenere, sed pennam? Mentitus sum, pluma tenebatur, quam remisit, & fugit*. Ita ille, non mediocri argutia rem exaggerans. Nam vt penna minus pede sit, at pluma multo minus penna, hæc enim firmior, & in alis solum, illa in toto corpore sparsa, & quæ leuissimo nisu euellatur.

Ego me non arbitror comprehendisse.

26. Bernard. VIde dicta in id, *Aut iam perfectus sim*, & adi Bernard. epistola 253. ab illis verbis hæc explicantibus: *Nunquam vir iustus arbitratur se comprehendisse*. Qui verò cum Clement. Alexand li-
Clem. Alex. bro 1. Pædag. cap. 6. referre malit ad cognitionem, quasi adhuc eius perfectionem Paulus non comprehenderit, legat Macharium seniorem homilia 8. tomo 2. Bibl. vet. Patr. vbi inter alia hæc habet. *Alia quadam hora perinde, ac filius Regis confidit Filio Dei tanquam Patri, & aperiuntur ei fores, per quas ingreditur intro in multas mansiones, & quanto magis penetrat, denuo aperiuntur ei iuxta proportionem supra centum mansiones aliæ centum; túmque ditescit. Et quanto locupletior euadit, rursum alio mirabilia recentiora demonstrantur ei*. Hæc ille. Iam verò his Apostoli verbis innixus S. Nilus in Ascetico in eos, qui exili, vel nulla doctrinæ, & spiritus supellectile spirituales aliorum magistri subitò euadunt, sapienter inuehitur:
S. Nilus. *Nulla ars sine tempore. discitur, & sine præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus. Medicæ facultatis imperitus opus medicum non attingit. Deprehendetur enim hic non solum nullam ægrotantibus opem ferre, verùm etiam grauiorem ipsis morbum efficere: ille verò agrum incultum, ac sterilem reddere. Solam religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam, cum sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri. Et quod Paulus ait:* nondum se comprehendisse; *isti se planè cognitum, atque perspectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire. Ideo ipsorum ratio contemnitur, ipsi ab omnibus irridentur*. Pergit multis: vide ibi.

Vnum autem.

SVspensa locutio, quam Anselmus, & Prima- 27.
sius sic extulerunt. *Vnum est necessarium*, & singillatim Anselmus ad cœlestem beatitudinem hunc in modum reuocat, *Multa habeo, sed vnum nondum apprehendi. Porrò vnum necessarium, vnam petij à Domino, hanc requiram, & quæ est illa*: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Ipsum est vnum, quod nondum apprehendi, & in quantum mihi hoc deest, in tantum nondum perfectus, sum, quia nondum æqualis Angelis*. Ita ille. Sed multo melius à Chrysostomo, & interpretibus frequentiùs sic exponitur. Vnum ago, hoc vnum curo, in vnam rem sum totus intentus. *Hoc vnum specto*, Chrysost.
inquit Chrysostomus *vt assiduè proficiam, id etiam vobis faciendum est*: Similiter Theophylactus, *Vnum nunc molior, & circa vnum illud enitor, vt sem-* Theoph.
per proficiam. Diffundit hæc eleganter Bernardus sermone 49 in Cantic. in hunc in modum. *Ambula-* Bernard.
re proficere est. Ambulabat Apostolus, qui dicebat: Non arbitror me comprehendisse; *& deinde*. Vnum autem, quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ antè sunt me extendo. *Quid est, vnum autem? vnum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem. Quid illud?* Quæ retrò sunt, videlicet obliuiscens ad ea quæ antè sunt, me extendo. *Magna fiducia, quòd magnum electionis vas se perfectum abnuens profectum fatetur*. Sic Bern. Quòd si mauis præcedentibus annectere, hic erit sensus, quamuis me non arbitror perfectionis apicem comprehendisse, eo vsque tamen perfectionis progressus sum, vt vnũ, (supple tantùm tractem, agam, habeam ante oculos, vel paulo aliter. Id vnum comprehendi, me nõdum comprehendisse, sed opus mihi esse præteritorum obliuisci, & noua alacritate, & promptitudine perfectionis iter peragere, vt sapiat hæc locutio Pauli illam Gentilis Socratis. *Hoc vnum scio, me nihil scire*. Sanè Apostolus aposiopesi exaggerauit, tum quam eius vnius negotij tantùm curam haberet, quámque primo in loco id quæreret, tum quàm altè hæc de statu, & natura perfectionis opinio sibi animo insedisset. Nec contemnendus Brunonis commentarius. *Persequor* vnum, *id est, rem vnam, de quo vno ille clamabat*, vnam petij à Domino, hanc requiram, Psalm. 26. 4. *vnum sequitur, qui in eadem operatione boni semper est. Duo sequitur, qui modò bonum, modo malum operatur*. Sic ille.

Quæ retrò sunt obliuiscens.

QVæ hæc sunt, quæ paulo retrò sunt? Prima- 28.
sius (quamuis potiorem subinde explicationem afferat) de veteris legis cæremonijs, atque institutionibus accipi posse censet. Nec multo aliter Augustinus in Psalm. 89. Bernard. serm. 6. in de- August.
dicatione templi, & Cassian. collat. 1. cap. 5. dum Bernardus. Cassian.
de anteactæ vitæ peccatis capiunt. Fauet dicendi modus; nam peccata retrò relinqui dicuntur: sic Ecclesiastici 17. 21. dicitur, *Conuertere ad Domi-* Eccl. 17. 21.
num, & relinque peccata tua; vbi Græcè habetur, Lectio Græca.
Retro relinque. Remigius verò, S. Thomas, Bruno, Remigius. S. Thom.
& Anselmus de temporalibus bonis, & mundi Bruno.
pompis à Paulo contemptis, atque relictis expli- Anselm.
cant. Sic enim Remigius. *Quæ sunt illa, quæ retro sunt? Omnia temporalia, & transitoria, prædia, diuitiæ, & commoda præsentis vitæ, quæ ideo*

dicuntur

dicuntur esse retro, quia cùm ab hac vita transierimus per mortem carnis, omnia post nos relinquemus. Ad quem modum alij PP. loquuntur. Atenim nescio quanta opportunitate hæc omnia dicantur; nam cùm Paulus in stadiodromi, siue cursoris metaphora persistat, è re ipsius minimè fuerit, eorum facere mentionem, quæ extra cursum, siue etiam contra cursum Christiani viatoris sunt.

29\. *Chrysost. Theophyl. Ambros. Anselm. Hieron. Basil.* Scopum quidem Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, & Anselmus non quiescens (de more) in vna solùm expositione, Hieronymus in epist. ad Celantiam, & ante omnes Basilius omnino collimarunt, qui ad egregia opera, & labores eousque à Paulo exantlatos retulerunt, vt ipse eorum omnium adeò obliuiscatur, ac si ab eo nunquam peracta forent, quò maiori alacritate virtutis stadium indesinenter percurrat, non secus ac stadiodromus, qui medio in cursu, quod eatenus spatium peregerit minimè considerat, sed in id quod peragendum superest, totos oculos intendit. Ita egregiè Basilius in Epistola ad Chionem. *Quocirca necesse sit, vt in percurrendo vitæ istius singularis stadio, quod semel tanta cum alacritate ingressus es, alacriores quotidie tibi ipsi, atque acriores addas aculeos, constantissimè herens officio. Huc te suo inuitat exemplo Paulus inter luctæ spiritualis athletas agonistes longè eximius, qui cùm acquiescere nollet tot alioqui officijs vitæ retroactæ, sed vlteriore, & quotidiana virtutum accessione progredi, ad hunc loquitur modum*; Eorum quæ retrò sunt, obliuiscens, ad ea, quæ priora sunt, me extendens. Hæc Basilius. *Ambros.* Similiter Ambrosius. *Hoc est, quod supra dixit, quia ideò laborare significat, vt quotidie in melius proficiat, semper extendens se ad potiora, vt illa, quæ retro acta sunt obliuiscens, meliora sectetur, non quia mala sunt, sed quia parua sunt ad meritum collocandum; in melius autem proficiendum, vt ad destinatum celeste premium occurratur.* Hæc Ambrosius. *Theophyl.* Eodem modo Theophylact. *Præteritarum verè virtutum nihil reminiscor, nec memoria repeto bene facta, retrorsúmque, & post tergum illa relinquo. Ita vt nullam de cætero habeam rectè factorum recordationem.* Subjicit post similia verba Chrysostomus. *Nam & cursor non quot spatia confecerit, cogitat, sed quot adhuc restent; ita & nos non quantum in virtute progressi sumus, cogitemus, sed quantum adhuc progrediendum restat.* Ita ille, benè statim pendens, non dixisse Paulum, non cogito, aut non memini, sed quod maius pondus habet, *obliuiscens. Tunc enim* (inquit) *valde vehementes sumus, & omnem animi impetum in id quod restat coniecimus, cùm præterita obliuioni mandauimus.*

Ad ea verò, quæ sunt priora.

30\. *Lect. Syriac. Erasm. Vatabl.* Syrus, Vatabl. Erasmus, & alij vertunt, *quæ à fronte sunt*; id est, quæ ante oculos habeo. Nec loquitur de cælestibus bonis, vt aliqui capiunt, sed de spatiis perfectionis, quæ cursu non peregerit: ita Theophyl. *Theophyl.* *Sic enim persequor, quæ ante me sunt, vt semper existimem hæc mihi ad perfectionem deesse, & quousque tandem capta peregero, à cursu nunquam desistam.* Quò etiam allusit Gregor. Nyssen. lib. de vita Moysis, paululum licèt immutatis vocibus, sic inquiens. *Nyssen.* *Attrahit enim ad se natura ipsius boni omnes, qui ad pulchritudinis eius radios sanis possint oculis respicere: ita fit, vt cælestium desiderio semper ad maiora (vt Apostolus ait) consurgat, ac semper ad altiora peruolet.* Ita Nyssen. similiter alij PP.

Sed quare nondum habita merita, *priora* appellauit, cùm potiùs posteriora aliis sint? Respondet acutè B. Bruno; *B. Bruno.* ideò hæc quæ tempore posteriora sunt, priora ab Apostolo appellari, quia vtilitate potiora, & priora sunt, quippè ab illis ipsamet prioris temporis merita, aliàs peritura, & cassura dependent. Sic enim ille: *Priora, id est, potiora; quia æterna, vel ad ea merita, quæ sunt priora vtilitate, & posteriora præcedentibus tempore. Ideò vltima, priora, quia præcedentia irrita essent, nisi sequerentur ista, quæ faciunt vim illis habere.* Optimè, quia qui non proficit, deficit: vt pluribus suprà monuimus.

Extendens me ipsum.

QVò altius in huius sententiæ, & sensus Pauli penetralia descenderis incomparabilem animi eius alacritatem, ac spiritus feruorem, necnon eximiam elegantiam, & acumen magis admireris, paritérque suspicias: insunt sanè ea omnia huic versui, præsertim his verbis, *extendens me ipsum*, Græcè ἐπεκτεινόμενος, quod frigidius vertit Erasmus, *Enitens, contendens, annitens*: *Erasm.* propriè est enim, vt Chrysostomus, & Græci Patres *Chrysost.* obseruant, *exporrigens, protendens, in longum extendens, seu producens.* Hispanè significanter *Abalanzandome.* Vnde ex cursoris imagine, qui adeò se totum ad anteriora protendit, præsertim dum metæ vicinus est, vt pedes ipsos indesinenter currentes corpore, & manibus præuertat, is est sensus: in hoc spirituali certamine, atque cursu omnes vires meas exero; neruósque contendo, & animi, corporísque conatu totus feror: dicas Hispanè, *No me huelga vn cabello.* Vnde apparet non esse litteralem huius loci explicationem, quæ adhibetur ab August. tractatu 4. in 1. epist. Ioan. *August.* cùm ait: *Tota vita Christiani boni, sanctum desiderium est: quod autem desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficeris, vt cùm venerit, quod videas, implearis; sicut enim si velles implere aliquem sinum, & nosti quàm magnum est, quod dabitur; extendis sinum vel sacci, vel vtris, & extendendo facis capaciorem, &c. Videte Paulum extendentem sinum, vt capere posset, quod venturum est*; ait enim, quæ retro oblitus, in ea, quæ antè sunt extentus, &c. *Hæc est vita nostra, vt desiderando exerceamur.* Ita Augustinus, à quo Anselmus, & Sanctus Thom. similiter exposuere, *extendens desiderio me ipsum.* *Anselm. S.Thom.* Meliùs ergo locutionis vim explicauit Chrysostomus ad indefessum proficiendi conatum sic referens. *Chrysost.* *Is enim extendere se dicitur, qui pedes licèt currentes reliquo corpore anteuertere studet, séque inclinat in anteriora, manúsque protendit, vt aliquanto etiam plus spatij faciat; id verò ex multo animi impetu, & magno ardore fit. Qui currit, oportet, tanto cum studio, tanto cum impetu, non autem remissè*; & paucis interiectis. *Quotidie ille moriebatur, quotidie bene merebatur, nulla erat occasio, nullum tempus in quo non aliqua illi ad cursum accessio fieret, non volebat capere, sed rapere. Ita enim fas est capere.* Similia inuenies apud alios Græcos. Est etiam & in eadem sententia Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 6. elucidans illa Domini verba apud Lucam cap. 7. 32. *Luca 7.32.* *Cantauimus vobis, & non saltastis*, & cum istis sic componens. *Non ergo illa delitiarum comes, atque luxuriæ saltatio prædicatur, sed quâ vnusquisque corpus attollat impiorum; nec humi pigra iacere membra, vel tardis sinat torpere vestigijs. Saltabat spiritualiter Paulus, cùm se pro nobis extenderet, & posteriora obliuiscens, priora appetens,*

contenderet ad brauium Christi. Hæc Ambrosius.

32. Ambros. Idem. Sed & illud hic maximopere notandum, quòd idem Ambrosius lib. 7. in Lucam prope finem vrgens hæc Pauli verba monuit: eius, nimirum conditionis æternæ salutis negotium esse, in quod omnes neruos contendere, siue manibus, pedibúsque conari (vt aiunt) debeamus. Sic enim ille periculosam illorum cogitationem confutans, qui ad extremam vitæ horam, baptismum, siue etiam pœnitentiam differunt. *Neque enim omnibus reposita est corona iustitiæ, sed ei qui potest dicere,* Certamen bonum certaui. *Quod ideo non prætermittendum arbitratus sum, quia scio quosdam dicere, quod ad mortem sibi lauacri gratiam, vel pænitentiam reseruent. Primùm, qui scis, an nocte proxima tua te anima reposcatur? Deinde, cur putas otioso tibi omnia posse deferri? Pone, vnam gratiam, vnam esse mercedem: diuersum tamen brauium victoriæ est. Ad quod se non frustrà Paulus extendit, qui post mercedem gratiæ, brauium tamen vt apprehenderet, sequebatur; quia sciebat etsi par esset merces gratiæ, palmam tamen esse paucorum.* Hæc Ambrosius, ibi & epist. 7. *ergo sapiens extendit manus suas, stultus autem contrauit.*

Hieron. Adstipulatur his Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouin. coniungens hæc Pauli verba cum illis seruo nequam per contumeliam dictis Lucæ 19. 23.

Luc. 19. 23. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris exegissem illam*, hunc in modum: *Quòd autem Dominus non his contentus sit, quæ habemus, sed semper maiora desideret, ipse demonstrat, dicens:* Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, &c. *Quod quidem & Paulus Apostolus sciens præteritorum obliuiscitur, & ad ea, quæ antè sunt, se extendit. Id est, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicatè gratiam, sed auarus negotiator renouatur de die in diem, & decrescere se putat, nisi semper creuerit.* Hæc Hieronymus. Nec omittenda quæ auctor Epistolæ ad Demetriadem apud Hieronym. tom. 9. non bonus bene scripsit.

Auct. Epist. ad Demetr. *Si Beatus Paulus vas electionis, qui ita Christum induerat, vt diceret,* Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus: *adhuc tamen se extendit, adhuc crescit, & proficit; quid nos facere debemus, quibus optandum est, vt in fine nostro Pauli principio comparemur.* Sic ille.

33. Possis verò in Paulo sese ipsum extendente, vt Christum comprehendat, Euangelicæ legis perfectionem non incommodè considerare, quippe

Matth. 5. 17. Matthæi 5. 17. dicebat Dominus: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* quæ verba sic elucidauit

Irenæus. Irenæus lib. 4. cap. 27. *Dominus naturalia legis, per quæ homo iustificatur, non dissoluit, sed extendit,* sublimiora videlicet perfectionis monita & excellentiorem viam discipulis suis ostendens: vnde quidem Paulus è veteris legis sub modio inclusæ angustiis emergens, & ad Christianæ professionis perfectionem adnitens, pulchrè semetipsum extendens, & in longum protendens inducitur: quò Christum comprehendere, siue ad Christianæ disciplinæ apicem pertingere posset.

Ad destinatum persequor.

34. Græc. lect. Tertull. August. Psal. 38. Cyprian. Cassian. Erasm. VT varia huius loci lectio, ita & multiplex expositio, Græcè quidem ita, κατὰ σκοπόν, quod Syrus transtulit, *decurro ad metam.* Tertull. lib. de Resurrect. car. cap. 23. *secundum scopum.* August. in Psal. 38. & serm. 1. de diuers. cap. 6. *secundùm intentionem.* Cyprian. siue Auctor lib. de singul. Cler. *ad regulam sequor.* Cassian. collar. 1. cap. 5. *secundum destinationem,* Erasmus *pro signo.* Vnde primo possis explicare cum August. & Cassiano, ac si dicat Apostolus: secundùm hoc animi propositum ad brauium contendo. Secundò cum Cypriano: Non curro in incertum, nec salto extra chorum, sed iuxta legitimas currendi, & certandi regulas, dum vires exerens, neruósque contendens meipsum extendo. Quasi eadem sententia cum illa sit, *ego igitur sic curro, non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans,* &c. 1. ad Corinth. 9. 26. 1. ad Corint. 9. 26. Tandem simpliciùs iuxta vulgatum, & Græcos ac Syriacos codices; Ad scopum mihi præfixum, videlicet perfectionis apicem, remis, velísque contendo. Video quidem nonnihil huic expositioni obstrepere tum Græcam propositionem κατὰ quæ potius significat *secundum*, tum etiam vocem *scopus*, quæ non videtur esse ad rem, cùm Paulus cursoris, non sagittarij imaginem persequatur; est enim scopus præfixum signum, ad quod collimant, & tela dirigunt sagittarij. Verùm quod attinet ad particulam κατὰ respondeo, vt id ita frequentiùs fit, at cùm ponitur cum accusatiuo, accipi sæpiùs solet pro εἰς, vel ἐπὶ. Sic Homerus Iliad. π. inquiens, *in eos irruebatur, in pectus percussit, in clypeum impegit* vtitur κατὰ pro *in.* Homer. De significatione verò, & vi vocis *scopus* non est, quod digladiemur; tum quòd nihil referat, Apostolum paululum immutasse metaphoram, siue etiã duabus imaginibus cursoris, & sagittarij vsum fuisse; tum vel maximè, quòd scopus generalis vox sit, & ad sagittarij signum, & ad cursoris metam significandum, vti supponit Syriacus. Quomodocumque sumpseris magnum ex hac phrasi præcedenti sententiæ ad egregiam animi contentionem significandam, accedit pondus: vnde his verbis scitè opposuit Olympiodorus in Ecclesiastem Olymp. ea illius libri cap. 10. 3. *in via stultus ambulans,* hunc Eccles. 10. 3. in modum: *In hac vita, quam verè viam dixeris stultus perambulans cùm ad sinistram cor habeat, semper cessat, ac posterior inuenitur, in vacuum enim pergit, nequaquam sibi proposito supernæ vocationis brauio; in anteriora itaque sese non extendit, nec properat ad finem; sed quamuis ad hæc ipsa pergere videatur, medio in cursu deficiet, omnia imperfectè, & sine ratione cogitans, & aggrediens. Quod si ipsam adeat viam iustificationum, vel vt verius dicam, adire se simulet, hoc est, diuinorum obseruantiam mandatorum, quia tamen illius mens flectitur ad sinistram, cessabit prorsus, atque deficiet, neque quid præceptum sit, intelligat, neque operetur iuxta legislatoris voluntatem.* Hæc ille, tam his, quàm sequentibus verbis opportuna.

Ad brauium.

VT nonnulli illa verba, *non acceperim,* &c. de brauio cœlestis beatitudinis exponebant; sic 35. Tertull. è contra Tertullianus hæc ad brauium perfectionis retulit lib. de resurrect. car. cap. 23. cùm hæc verba sic legit; *secundum scopum persequor ad palmam incriminationis*, vt hæc superna vocatio eadem sit cum illa, de qua 1. ad Timoth. 4. 7. dixit Paulus, *Nō enim vocauit nos Deus in immunditiam,* 1. ad Timoth. 4. 7. *sed in sanctificationem.* Verùm enim verò vt illa, de perfectionis meta, ita hæc de brauio beatitudinis legitime certanti, atque currenti debito, accipienda sunt, vt ex serie orationis, & imaginis, quam persequimur, apparet, ita cum Chrysostomo Patres, & interpretes. *Quódnam* (inquit ille) *brauium* Chrysost. *est? non ramus palmæ. Sed quid? regnum cœlorum, requies sempiterna, gloria cum Christo. hæreditas, fraternitas, innumerabilia bona, quæ verbis exponi non possunt. Palmæ illius pulchritudinem explicare nefas est:*

solus

solus ille nouit, qui obtinet, & quid accepturus est: non est aurum, non ex lapidibus constat, multo istis est pretiosius. Aurum præ illo lutum est: lapides pretiosi præ illa pulchritudine lateres sunt. Ita Chrysostomus.

36. Græc. lect. Ad hæc brauium propriè est *præmium certaminis.* Est enim vox Græca, quæ etiam significat *sceptrum regium*, quod apprimè quadrat præmio cœlesti; regnant enim cum Christo omnes Sancti, ad hæc; βραβεὺς βραβεῖον est iudex certaminis, qui præmia decertantibus distribuit, quod munus ad fortiorem, & præstantiorem dubio procul spectabat. Forsan hinc Hispanè dicitur *Brauo*, & *brauonear*, qui iam potest esse iudex certaminis, siue qui brauium est adeptus, vel etiam; quia qui palæstram ingreditur, pompaticè incedit, minaci vultu aliis metum incutere studens.

Supernæ vocationis in Christo Iesu.

37. ID est, ad quod non Principis alicuius, aut Reipub. vocatione, sed diuina, & superna gratia vocamur meritis Iesu Christi. Paulo aliter Anselmus id *supernæ vocationis*, & Chrysostomus hæc *in Christo Iesu* explicant. Nam Anselmus ad præmium in supernis dandum ea verba reuocat, Chrysostomus hæc sic capit, ac si dicatur. Per Christum vires mihi ad hoc tribuuntur. Dicuntur hæc omnia opportunè. Nec minus appositus est B.Brunonis commentarius sic hæc diffundentis. *Brauium dico vocationis Dei; ad quod accipiendum vocat me Deus* vocationis *dico* supernæ; *id est, in supernis cœlorum habendæ.* In Christo Iesu, *distributore huius brauij suis certatoribus*; subjicit verò statim, *In his verbis, & certitudinem, & commendationem rei, quam exspectat, inserit. Per* destinatum, *& vocationis certitudinem per* supernæ *&* Dei, *&* in Christo Iesu *dignitatem eius rei significat.* Hæc ille.

(Anselm. — Chrysost. — Bruno.)

Ad ea verba: *Quæ retrò sunt obliuiscens.*

Adnotatio I.

Non aliter animum à præteritorum criminum illecebris securum reddi, nisi illas obliuione obtriuerit.

1. DEMVS hoc in primis Augustini & aliorum PP. quos in expositione litteræ adduximus, auctoritati; demus, & opportunitati verborum, & dum Paulus affirmat se quæ retro sunt obliuisci, ad perfectam ipsius pænitentiam, qua mundi rebus, atq; iis omnibus, quæ ad peccatum pelliciunt, tam seuerè nuncium remisit, vt ab ipsa memoria exsulare coëgerit, reuocemus. Optimè siquidem S.Cyril. Alex. lib. de adoratione in spiritu, cùm sic amicū fuisset allocutus. *Profectò amice ærumnosissimum est, iterum velle laborare eo morbo, à quo per virtutem Dei semel erepti sunt*, quàm sit noxia vel ipsa peccatorum memoria ita monet. *Mundana vita lubrica; atque adeò vel periculosum respicere in illam, & solam memoriam delictorum habere*, quippe animo illecebrosas voluptates cogitante, atque voluente, etiam si externi aculei desint, memoria præualet, & exitio est: vti de immiti Tiberio ex assidua iniuriarum recordatione iras acuente dicebat Corn. Tacit. lib. 4. Annal. *sed in animo reuoluente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat.* Vnde Bernard. lib. *de vita solitaria* ad fratres de Monte Dei, qui mūdo nuncium remiserant, hunc in modum hortabatur. *Exclude etiam ab oculis exterioribus quod desueuisti videre; ab interioribus quod amare; quia nihil tam facile recrudescit, quàm amor, & maximè in tenerioribus, & recentioribus animis.* Pulchrè *recrudescit*: imagine à vulnere nondum perfectè curato sumpta, quod leuissima de causa in peius vergit.

(S. Cyrill. Alex. — Corn. Tacit. — Bernard.)

Est hæc natura peccatis, vt mortua atque extincta lethalē adhuc vim habeant; sic de illis monente Salomone, *in nouissimo mordebit vt coluber, & vt regulus venena effundet*, Prouerb. 23. 36. vbi si ambigas, cur peccato, vt colubro mordente, venena tanquam regulus diffundere dicatur? nónne (inquis) aptius fuerit, tunc virus emittere cùm mordet, siue cùm virus diffundit, mordere? & vel colubrum esse, vel regulum? Respondebo, colubri morsum ad peccati ictum, animam interficiētis referri; at veneni diffusionem regulo notanter attribui; quod hic inter omnia lethalia animantia, etiam extinctus noceat, & exitialem vim habeat: de ipso etenim Solinus cap. 30. cùm dixisset, *extinguit herbas, necat arbores; ipsas etiā corrumpit auras, ita vt in aëra nulla alitum impune transuolet infectum spiritu pestilenti*; subjicit, *vis tamenne defuncto quidem deest*: nimirum extincto iam peccato atque defuncto; nisi obliuione obteratur, sua vis ad nocendum inest. Quò ire dixeris Ecclesiastici monitum cap. 5. num. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*; sed quare propitiatum iam, atq; dimissum crimen metum tibi incutiat? Num Deum daræ semel veniæ pænitebit? aut iniuriam nonnisi ex parte condonasse censebitur? Absit. Cur ergo nec de propitiato peccato eris sine metu? sanè quia peccatū sicut regulus, cui ne defuncto quidem sua vis deest, venena diffundit. Ita quidem post extinctum, lachrimisque deletum peccatum signatè dicebat Regius Vates Psal. 17. 24. *Obseruabo me ab iniquitate mea*; obserua & tu eum dicendi modum *obseruabo me*; sanè quasi à regulo etiam post mortem virus diffundente: quod vel ipsius libidinis memoria refricata animum perturbat. Audi Basilium in constit. monasticis c. 4. *Non elaborandum* (inquit) *in moderandis animi motionibus, & corporis affectionibus tantùm, sed quoad fieri possit, ab earum etiam rerum congressu longissimè fugiendum est cum primis, quæcumque in conspectum nostrum adducta refricata libidinum memoria consilium, rationisque vim nobis perturbant, atque confundunt, bellaque, & sollicitos in animo angores cient.* Hæc Basilius. 2.

(Prou. 23. 36. — Solinus. — Eccles. 5. v. 5. — Psal. 17. 24. — Basil.)

Sed vide regulum extinctum, & venena diffundentē. Abstulit à domesticis suis adamata idola Iacob, extorsit etiam ab illorum manibus inaures; atque hæc sub terebintho consepeliuit Genes. 35. 4. *Dederunt* (inquit) *Iacob deos, quos habebant, & inaures. at ille infodit ea subter terebinthum.* Quid iam meliùs, & accuratiùs in pænitentia perficienda valeas considerare? Non enim abscondit idola, sed infodit, & ad sepulturam dedit: vt ad vers. 10. adnot. 3. num. 7. obseruauimus. Ad hæc, non contentus ea consepeliisse, inaures etiam terræ mandauit; vt ipsas pænitentium aures ab idolorum quæ antea amauerant, laudibus defenderet, & communirent; ne videlicet ab illorum memoria ad ipsorum amorem rursus allicerentur: sic id considerante B.Brunone in allegoriis Gotfridi Tilman. ad cap. 35. Genes. *Iacob autem & deos, & inaures terræ infodit, vt & mortui intelligantur, & ad homi* 3.

(Genes. 35. 4. — Bruno.)

homines decipiendos vlterius non appareant. Sed quare inaures cum eis infodit, nisi vt nemo vlterius in eorum memoria aures hominū sollicitare præsumat? sunt enim inaures aurium ornamenta, pro quibus auditus intelligitur: aures enim, quæ non audiunt, ornatæ non sunt. Sic igitur Iacob domesticorum suorum aures circumcidens ad eorum laudes audiendas surdas, & sine auditu esse volebat. Similiter Ambros. lib. 2. de Iacob. cap. 7. inquiens: *Sed cur sub terebintho? Certè genus istud infructuosum est. Ibi ergo sunt dij gentiū, vbi nullus est fructus. Ibi inaures gentilium infodiuntur, quas dederunt Iacob, vt iam nouam linguam audire assuescant veterem perfidiæ sonum nesciant; obsurdescant aures eorum sacrilegio, & mundētur ad gratiam.* Ita Ambros. Timendum ne iam tibi ab hoc regulo, extincto, atque sepulto fuerit? ita quidē; adhuc enim infossum, atque sepultum post plura subinde sæcula virus suum diffundebat, & pessimos illos senes qui Susanam deperibant, in facinus flagitiosissimum pertraxit, & castissimam fœminam nec animum, nec aures vllo illi modo commodantem ad turpitudinem pellicere, vehementiùs moliebatur; vt scitè indidem obseruauit Ambrosius hæc post præfata verba subjiciens: *Non immeritò ibi Sanctus Daniel falsum aduersus Susannam testimonium deprehendit* (scito in pluribus Codicibus, vbi ad interrogationem Daniel: *sub qua arbore vidisti eos?* malus senex respondit: *sub schyno* haberi; *sub arbore terebinthi: ibi enim volebat adhuc radices suas locare perfidia, sed latere non potuit, quia à prophetico spiritu deprehensa est. Congruus autē error presbyterij veræ confessionis, vt ibi contaminatam disceret castitatē: vbi gentium defossa simulachra sunt. Sed veritas Ecclesiæ non detexit perfidiam, sed abscondit, & aures gentilitatis obstruxit.* Hæc Ambros. pende id, *ibi volebat adhuc*; & illud: *ibi contaminatam disceret castitatē, vbi gentium defossa simulachra sunt:* vt videris, quàm efficax, atque exitiale peccati virus sit: dum *adhuc*, extinctum scilicet, & post tot temporis spatia castitatem contaminare valuerit. Firmat eam cogitationē ipsemet huius causæ iudex Daniel pessimum illum senem sic arguētem, atque damnātem *Inueterate dierum malorum nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs*: vt dicere videatur, pullulat hoc flagitium à pristinorū criminum radice, quam perfectæ pœnitentiæ falce non amputasti. Sic hæc bene premente Cypriano lib. de pudicitia, *Hanc ex senioribus duo cœperant deperire, nihil memores diuini timoris, sed nec sua annis iam marcescentis ætatis. Ita illos in flagrantia suæ iuuentutis incēdia rediuiua libidinis flamma reuocabat:* nempè, aduersùs ætatem, aduersùs naturam, aduersùs canorum & muneris reuerentiam dirum reguli etiam extincti virus præualuit.

Ambros.

Dan. 13. 54.

Ambros.

Dan. 13. 52.

Cyprian.

4. Hinc illa Dei post primorum parentum peccatum sollicita prouidentia, vt ipsos à paradiso excluderet: *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, eiecitque Adam*, Genes. 3. 23. vbi obserues velim verbum *eiecit*, quod ipsos inuitos, & reluctantes exiisse indicat, vt alibi monuisse me memini ex Seneca epist. 54. dicēte: *Nunquam eijcitur sapiens, quia eijci est inde expelli, vnde inuitus recedas.* Sed quare illos pœnitentia functos, peccatúmque suum acriter flentes nō modò emittere, sed etiam ejicere opus fuit? sanè, vt ab arboris noxiè amatæ conspectu, omnino arcerentur; ab ea enim rursus visa nouum subinde discrimen, atque periculum timendum fuit, sic id notante S. Ioan. Climaco de fuga inanis vitæ, gradu 3. *Solent diu sopita vitia reuiuiscere, Eua a paradiso inuita exsulat. Rursus enim ad concupiscendū inobedientiæ lignum pertracta fuisset.* Quò intētus prouerbiali locutione dixit Gregor. Nazianz. orat. de se ipso. *Carbones ipsi molestiam nobis inferunt, etiam si flammam ipsam effugerimus.* In est siquidem carboni sopita vis ignis, quæ facillimè excitatur, & reuiuiscit. *Nā quo quis laborant, a vitijs desinere* (inquit Hilar. in hanc rem ea Psal. 136. verba: *Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos verba cantionum*: acutè premēs) *& eorum, quæ impiè gesserunt, obliuisci volūt, incentiuo tamē consuetudinis ægrè desinētis agitamur.* &

Gen. 3. 23.

Seneca.

S. Climaco.

Vt penè extinctum cinerem, si sulfure tangas
Viuet, & ex minimo maximus ignis erit,
Sic nisi vitabis, quidquid renocabit amorem,
Flamma redardescet, quomodo nulla fuit.

Ouid. lib. 2. de Remed.

Præfert egregiam doctrinæ huius imaginem, immò pulchram ei lucem, ac splendorē reddit, ignis ille apud Machabæorū libros ab Hebræis Sacerdotibus in alto puteo defossus, & à loci assuetudine in aquam crassam conuersus; post plura verò sæcula fulgenti Soli expositus, illico vehementer accensus. Sed vt his plenam fidem feceris, accipe ea ab scriptore sacro, 2. Machab. 1. 19. sic fusiùs referente, *Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri, Sacerdotes, qui tūc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari occultè absconderunt in valle, vbi erat puteus altus, & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita vt ignotus esset locus. Cum autē præterijssent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias a Rege Persiæ: nepotes Sacerdotum illorum, qui abscōderant, misit ad requirendum ignem, & sicut narrauerunt nobis, non inuenerunt ignem, sed aquam crassam. Et iussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erant superposita. Vtque hoc factum est, & tempus affuit quo sol refulsit, qui priùs erat in nubilo, accensus est ignis magnus; ita vt omnes mirarentur.* Equidem hoc tam illustre portentum sese quotidie nostris oculis ingerit: quot enim vidimus, quot nouimus, qui post repudij libellum prophano amori missum, post ingeminatas voces,

2. Mach. c. 1. 19. & seq.

Apagesis amor, tuas res tibi habe
Amor, mihi amicus nefuas vnquam.

Plaut. in Trinum. act. 2. scen. 2.

Vt omnino dixeris animi ignem conuersum iam fuisse in aquam crassam; ad primum tamen orientis Solis conspectum, extinctum cinerem redarsisse, & ex crassa illa aqua eam expressam flammam, quomodo nulla fuit. Nimirum,

Quamuis Pœni pulchra Leones
Vincula gestent, manibúsque datas
Captent escas, metuántque trucem
Soliti verbera ferre magistrum?
Sic cruor horrida tinxerit ora,
Resides olim redeunt, animi
Fremitúque graui meminere sui
Laxant nodis colla solutis.

Boëtius de consol.

5. Vexat sæpiùs miserum hominis animum malus dæmon; at ipse non semel grauissimum eius iugum felici sorte excutiens, ab ipsius tyrannide liberatur, exit tunc dirus carnifex, & ne à cædibus, & malis inferendis tantisper vacet, *perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui*, Lucæ 11. 24. Sed quare, inquis, ferus hic animum iam culpa mundatum, à quo pulsus est, domum suam appellare audet? *Reuertar*, inquit, *in domum meam.* Quomodo tuam? nam si tua est, nondum ab ea exiisti; si verò ab illa eiectus fuisti, vt re vera ita est, egregiè mentiris dum illam, tuam esse iactas. Respondet tacitè Toletus ibi dum ait, *Perpende conatum, & studium dæmonis ad nocendum hominibus, & quantum sibi promittat in eo, quos semel subiecit*: ac si dicat; dæmonem, eum

Lucæ 11. 24.

Toletus.

eum quem sibi aliquando subiecit, & prauæ cupiditatis calore succendit; quamuis ab ipsius iugo sese subinde exemerit, si tamen aliquã noxij ignis apud se scintillulam habere, vel libidinum memoriam refricare cognoscat, (hæc enim vacanti animo nunquam desunt,) pro re sua, & propria supellectile computare; nam ad primum Solis conspectum aquam illam crassam ignem rursus concepturam sperat: vt hinc videris, quantum illi, qui vitio semel succubuit, is præstet, qui nunquam prostratus est; hunc enim virum dæmon aggredi, & oppugnare audet, illũ verò tam facile denuo superaturum credit, vt suum iam appellet: vnde quidem notãter dicebat Ieremias Threnor.
Thren.3.27. cap.3.27. *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se*; id est, securus, & hilaris quiescet (id enim est in Scriptura tacere: nam Hebræum verbum æquè vtrumq; significat: silere & quiescere) quòd integritate, & innocentia aptiorem se & expeditorem diuinis mãdatis exsequendis reddiderit, & facilius Dei iugum experiatur; cùm tamen è contra, qui vitiis semel animum imbuit, se infra se dejiciat, dum peccãdi assuetudine pronior sit, atque procliuior ad peccata, in quæ quauis data occasione facilè pertrahitur: vt egregiè adno-
Hilarius. Psal.118.9. tauit Hilarius ad ea Vatis verba Psalm.118.9. *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos*: vbi in hanc rem pulchrè expatiatus dixisset. *Omni quidem ætati optabile est, ex his corporis sui vitiis ad innocentiæ studium transferri, quia & sera scilicet emẽdatio vtilis sit obliuione vitiorum. Sed placiturum Deo virum Propheta conformans non expectat post longam, ac diuturnam criminum consuetudinem doctrina Dei, & præceptis timoris institui, sed rudes à peccatis annos, & ætatem adhuc criminum nesciam vult non modò studiis aliquando innocentiæ, sed etiã ipsa adolescentiæ consuetudine imbui. Difficile est ab vsitatis desinere, difficile est a familiaribus abstrahi. Magnum in se consuetudo habet vinculum: & idcirco optimus ille fuerit cultor, quem non modò delictorum remissio sine crimine constituerit, sed ipsa illa præstiterit vitiorum ignorantia innocentem*; subjicit. *Nouit Ieremias Propheta ætatis huius beatitudinem dicens*: Bonum est iuueni viro, cùm fert iugum graue in iuuentute sua; sedebit singulariter, & tacebit, &c. *Vult eum Christi seruum, quem ne ipsa quidem præteritorum criminum recordatio polluat. Nam in his, qui iam prouectioris ætatis crediderunt, inest quidem per donum gratiæ præteritorum indulgentia, sed non abest per conscientiæ naturam gestorum recordatio.* Hactenus Hilarius.

6. Is ergo solum à vitiis liber, atque immunis iure censebitur, qui vel ipsis nunquam fuit vexatus, vel ea tam perfectè reliquerit, vt ad Pauli morẽ, *& retrò* dimiserit, & ipsorum omnino oblitus fuerit. Quò it ea tam exacta pænitentiæ Dauidis ratio, (cuius suprà meminimus) Psal.6.7. expressa,
Psal.6.7. *Lachrymis meis stratũ meum rigabo*, vbi obseruare placet; pro *lectum* Hebraicè esse vocẽ מטה *mitthat*: quæ accipi solet pro loco idololatriæ dicato, vbi
Lect.Hebr. idololatræ cum falsis suis idolis scortantur, & cubant; similiter pro verbo *rigabo* esse *sachach*, quod lauare, siue mergere significat, vt indicaret, non aliter securè ad lectũ, in quo Bethsabee pro idolo habitam, Deo vero prætulit, accedere iam posse, quin illud vi lachrymarum priùs exactissimè lauasset, immò immergi, & innatare fecisset, quasi omnes peccati reliquias extincturus, ne aliquam ab illis contagionem susciperet, vt ibi obseruauit Nissenus tractatu 1. in Psal. sub Vatis persona, inquiens: *Lachrymarum flumine eluam ex peccato constratum lectum meum*. Adeò quidem elapsum timebat peccatum, & ab iniquitate sua se obseruabat. Nyssen.
Hinc quidem videris, quàm aliter vxori Loth, ac bono Abraham ad Sodomæ conspectum euenerit, hic siquidem innoxiè, & sine vllo discrimine diuino incendio conflagratam vrbem sic cõtemplatus dicitur Genes.19.28. *Intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius*; Gen.19.28.
mulier verò vt leui oculo illam adspexit, adamauit: & insani amoris pænas dedit, dicente Philone lib.2. allegoriarum: *Vxor Loth in saxum versa est propter adamata Sodoma*. Philon.
Nimirum hæc cùm pessimæ vrbis incola, & delictorum ipsius particeps fuisset, ab iniquitate sua, siue ab iis omnibus, quæ illius memoriam refricare poterant, sese obseruare, & custodire debuerat, ne præteritorum criminum recordatione, & amore pollueretur: ideò illi signatè fuit à Domino præscriptum, *Salua animam tuam, noli respicere post tergum.*

Obseruaui ad vers.12. præced.cap. adnot.12. num.3. eam Domini apud Iob cap.41.12. de Leuiathan, siue dæmone locutionem. *Halitus eius prunas ardere facit*: quasi eos, qui cupiditatibus incensi temerario ausu in peccandi occasiones se conjiciunt, facili negotio, & leui flatu dæmon in peccata dejiciat, atque proturbet: nunc moneo LXX. inibi pro *prunas* legere *carbones*: egregia ad rem nostram sententia monentes, facillime vitia sopita reuiuiscere, nõ secus ac carbones, qui multò facilius quàm ligna aut alia fomẽta incenduntur, quod ab igne iam pridem possessi, ex ipsius reliquiis, siue qualitatibus nescio quam cum illo affinitatem habeant: ideò sapienter dicebat suprà citatus Nazianzenus. *Carbones ipsi molestiam nobis inferunt, etiam si flammam ipsam effugerimus*, quod ex peccati igne nescio quæ maneant in animo fauillæ, quæ nisi multo lachrymarum imbre opprimantur, leui dęmonis flatu reignescant. Sanè huc intentus Vulgatus non sine emphasi pro *carbones* reposuit *prunas*, non ea solùm ratione, quòd, vt inibi bene obseruat P. Sanchez, sæpiùs in Scriptura res non ab eo quod habet, sed ab eo, quod habitura est, nomen assumat, vt eodem libro cap. 22.6. *nudos spoliasti vestibus*; cùm reapse qui spoliantur, nudi tunc non sint, sed cùm illis vestes detrahuntur: sed etiam, quòd ij carbones tam citò, leuissimóque flatu reaccendi soleant, vt ipsos leuiter exsufflaturus dæmon pro prunis computet, siue prunas iam videat. 7.
LXX.
Naziang.
P.Sanch.
Iob.22.6.

Ad ea verba: *Ad ea verò, quæ sunt priora extendens me ipsum.*

ADNOTATIO II.

Ad perfectam pænitentiam pertinere, virtutibus incumbere, & in via salutis alacriter currere.

CHRISTI quidem benignitate, atque sapientia digna illa vox fuit: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pænitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pænitentia*, Lucæ 15.7. Sed dum peccatorum animos ad bonã frugem se recipientium demulcet, iustos quodammodo temnere videtur; cur enim maius gaudium, festiuiór- 1.
Lucæ 15.7.

que lætitia de peccatoris pænitentia, quàm de iusti innocentia apud Angelos æquissimos rerum pensitatores agatur? Quid namque fuerit pænitere, nisi peccato proculcato iustitiam obtinuisse? at quidem hanc non violatam, sed illæsam, ac florentem iusti retinuerunt, non ergo minori festiuitate, & gaudio digna censenda in illis sit. Facile tamen occurras huic dubitationi ex Gregor. Magn. homil. 34. in Euang. non de cuiusuis peccatoris conuersione, & de iustitia cuiusuis iusti hæc capiens: num de illius peccatoris pænitentia, qui segniter, ad Deum reuertitur, & denuo in peccato est relapsurus, vel iustitiam, ac Dei obsequium tam tepidè susceptutus, vt vix constet, atque subsistat, celebrius in cœlo gaudium, maioremque festiuitatem *quam supra nonaginta nouem iustis*, futuram credis? Quo enim illis melior is sit, vt illustriorem gaudij materiam dederit? Ergo de eo, qui ad Pauli morem sæculi vanitatem, atque peccata sic relinquit, vt totum se Deo, & iustitiæ mancipet, *ad ea quæ sunt priora extendens* se ipsum, omni videlicet conatu virtutibus incumbens, egregium id gaudium, atque festiuitas capienda fuerint. Audi Gregorium. *Considerandum nobis est* (inquit) *cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quam de stantibus iustis in cælo gaudium esse fateatur. Vnde hoc nisi quod ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, tantóque sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt*, &c. *At contrà nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, seséque in magnis virtutibus exercent, cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrant desiderio, ad supernam patriam anhelant, & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant.* Illustrat hæc statim pulchris his imaginibus. *Maius ergo de peccatore conuerso, quàm de stante iusto gaudium fit in cælo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam ampliùs terram amat, quæ post spinas, vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit.* Hactenus Gregor. vt videris, eam perfectæ pænitentiæ legem esse, vt qui se errasse à Deo considerat, damna præcedentia lucris sequentibus recompenset; & post peccatorum spinas, vberes virtutum fruges proferat: sic quidem Paulus egregius Christi miles post fugam reuersus hostem fortiter pressit, & ad summum perfectionis apicem totis neruis contendit: *sequor* (inquit) *si quomodo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo: Ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retro sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor*, &c.

Greg. Magn.

2. Iam hanc pænitentibus à Deo datam legem accipe ab Ezechiele cap. 33. 14. & 15. Domini nomine dicente; *Si autem dixero impio: Morte morieris, & egerit pænitentiam à peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam; & pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum: vita viuet, & non morietur*, vbi primum obserua illud, *in mandatis vitæ ambulauerit*, quod non modò dolorem de peccatis, & pro illis debitam Deo, & hominibus satisfactionem factam, sed strenuum subinde obsequium, & diligentiam ad viam virtutis ineundam, apertè significat. Deinde accuratiùs perpende illa, *& pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit*. Nam meritò ambigas qua occasione hæc dicta sint; num hæc siue veniæ largitio, siue pænitentiæ lex in raptorum siue præ donum gratiam solummodo conceditur? aut omnes, qui peccant, raptores, atque latrones sunt? Non equidem inficiabor hoc, & eò dixerim oraculi mentem ire, vt explicet, quid sit, *facere iudicium, & iustitiam*, quod antè præmiserat, nec non rationem reddere, cur pænitens peccator in mandatis vitæ ambulare debeat. Nimirum, vt ea alacritate, & ardentiori studio Deo, cui semper obsecundare, & seruire debuerat, satisfacere conetur, ad eumnet modum, quo homini, à quo aliquid per iniuriam extorsit, tenetur satisfacere, ablatam ipsi rem restituens. Ideò dicebat Gregorius, *& quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensat*: vt videlicet ad iustitiæ commutatiuæ leges se componentes duplicato obsequio æqualitatem ponant. Sed hæc egregiè explicauit Paulus ad Ephes. 5. 16. Etenim cùm de illis paulo antè dixisset. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, subjicit. *Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*: vbi si dubites, quid ea phrasis redimendi tempus significet; cùm redimere sit, rem alienatam, occupatámve pretio recipere, quod tempori quadrare non videtur: nam *volat irreuocabile tempus*: respondet acutè S. Thomas. *Contigit quandoque quòd aliquis per magnum tempus vitæ viuit in peccato, & hoc est tempus perditum. Sed quomodo redimet, cùm homo non sufficiat ad debita persoluenda? Respondeo. Dicendum est, quòd tanto magis debet vacare operibus bonis, quanto priùs institit malis.* Optimè; nam, *cùm omnia nobis sint aliena: tempus verò tantum nostrum sit* (Seneca epist. 1.) *in cuius rei vnius fugacis, ac lubricæ possessione natura nos misit*; vt omnes eius horas in virtutis studium impendamus; cùm illud malo fato in peccatis consumpsimus; aucto subinde virtutum censu deperditum id tempus debemus resipiscentes redimere, & duplicatis bonis operibus omissas virtutum actiones restaurare. Dixit id explicatiùs inibi Anselmus his verbis. *Tempus redimimus, quando ante actam vitam, quam lasciuiendo perdidimus, flendo reparamus. Dum enim malè agimus, tempus, in quo bene operari debemus, amittimus: sed damnum temporis redimimus, si ita vitam commendamus, vt ea bona, quæ olim facere neglezimus, & ea, quæ nunc facere debemus, faciamus.* En quid tempus redimere, quid etiam pignus restituere, siue rapinam Deo reddere, fuerit: ea videlicet bona, quæ olim facere omisimus, & ea quæ nunc facere debemus, simul perficere, & ad Pauli modum extendentis siue distendentis se ipsum nouas vires ad duplicatos virtutum actus exercendos exerere.

Ezech. 33. 15. — Gregor. Magn. — ad Ephes. 5. 16. — S. Thom. — Seneca. — Anselm.

3. Nec ab hoc iuerit ea huius phrasis redimendi tempus explicatio; quæ omnium literalissima, & omnino germana aliquibus videtur. Etenim cùm Babylonius Rex apud Danielem cap. 2. 8. somniũ quod ab eius memoria euanuerat, verámq; illius coniecturam à Magis, & diuinis vellet ediscere, & nisi id illi præstarent, capitali eos supplicio addixisset; atque ipsi iterum, atque iterum somnium à rege

Daniel. 2. 8.

rege sciscitarentur, vt quid in illo mysterij lateret, indicarent: sic eos tandem affatus dicitur. *Certè noui quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me somnus*; vbi tempus redimere perinde capiẽdum videtur, ac definitum illis vitę tempus extrahere, siue tempus elucrari (Hispanè significanter *grangear tiempo*) & mortis obtendere moras: ac si dixerit Rex. Noui, quò hæc vestra tergiuersatio eat, nempè vt vitæ vestræ, quam meo iam decreto amisistis, aliquid accedat, moræ illiúsque spatium producatis. Ex quibus verbis sic capiunt hi Auctores Paulum, ac si eos, qui fuerãt aliquando tenebræ, siue peccatis, & flagitiis irretiti, moneat, vt tempus omnibus modis eluerentur, atque extrahant, siue illius spatia producant, quò præterita damna nouis tẽporis lucris, siue vsuris recompensent. At, inquis, quonammodo extrahi, siue produci tẽporis spatia possunt? cùm & illud tam rapido ac citato motu indesinenter feratur, vt nec cogitatione ipsa citiùs decurrens confingi valeat; & quantum quantum est, vnius Dei obsequio & virtutis studio debeatur; sic ad Roman. 12. dixit
ad Rom. 12. 11. Paulus, *Domino seruientes*, vbi Græcè est, *tempori seruientes*, vt vulgatus ex mente Pauli indicare videatur, Domino, & tẽpori æquè esse seruiendum. hoc est, nullũ temporis punctum à Dei obsequio diuellendum, sed omnes illius partes, siue instantia in eo collocanda: à quo non it Seneca lib. de
Seneca. breuitate vitæ inquiens: *Magni, mihi crede, & supra humanos errores eminentis viri est, nihil ex suo tempore delibare, & ideò vita eius longissima est, cui quantumcumque patuit totum ipsi vacauit, nihil inde incultum, otiosumque iacuit, nihil sub alio fuit, nec enim quidquam reperit dignum, quod cum tempore suo permutaret custos parcissimus.* Respondeo, vt tempus quidem in se ipso extrahi, & produci non possit, cùm semper citatissimè currat, immò volet; similitérq; sic illi, Deóque seruire debeas vt nihil ex tempore tuo incultum, otiosúmque iaceat; at tu, cui iam aliquando magna vitæ pars malè agenti elapsa est, ea animi alacritate, & ardore in virtutis stadio, iam currere debes, vt non modò cum temporis celeritate certaueris, sed ipsam etiã superaueris, ac viceris; dum, vt dicebat Anselmus, & ea bona, quæ olim facere neglexisti, & ea, quę nunc facere debes, facias; sanè, siue vt vni tẽporis puncto, duo virtutis, & rectæ operationis ob egregiũ animi impetum, atque feruorem respondeat: ideò signatissimè dixit Paulus, *extendens me ipsum*, hoc est, mihi ipsi præire, & præcedere studens, dum me ipsum vltra consuetos fines produco, & operandi vires, neruósque distendo: siue etiam vt permissas tibi ad quietem horas præcidas, atque decurtes, vt Deo, & iustitiæ tanquam elapsi temporis fœnora, debitámque satisfactionem reddas, atque persoluas.

4. Sed id iam Ionæ exemplo planum tibi fecero: fugerat ille quidẽ à facie Domini, quò iniunctum sibi concionãdi munus declinaret; sed ab illo correptus, denuóque ad vrbem Niniue concionator missus, tanto animi ardore ad Deum reuersus est, vt obsequij tarditatem, promptitudine, & alacri-
Iona 3.3. tate compensauerit: sic enim Ionæ 3. vers. 3. *Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum, & cœpit Ionas introire in ciuitatẽ itinere diei vnius.* Sed quid opus erat (inquis) ad prophetæ prædicationem, siue pęnitentiam describendam tum Niniue magnitudinem, & quos in ea percurrenda dies consumi solerent; tum etiam quod temporis spatium Ionas consumpserit, indicare? Equidem vt innueretur, tam acutis illum pænitentiæ aculeis stimulatum iniunctum sibi à Deo officium suscepisse, vt eam vrbem, quæ nonnisi trium dierum spatio percurri solebat, vno ipse die pertransierit; sic id inibi adnotante Hieronymo: *At ille præcepti, & superioris naufragij memor viam trium dierum vnius diei festinatione compleuit.* Pulchrè illud *superioris naufragij memor*, vt præcedentia damna, & Hieron.
interpositas diuinis iussis moras ea festinatione, & alacritate redimeret, sese extendens, & grandioribus solito vestigiis virtutis viam percurrens, vt ea quæ olim facere omiserat, & ea quæ nunc facere debebat, faceret.

Nec minus opportunum perfectæ huius pænitentiæ exemplar in illa felici peccatrice, de qua 5.
Lucas cap. 7. 37. inueneris; sic enim ibi, *Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti. Et stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Pende Luc. 7.37.
cum Chrysostomo hom. 6 in Matt. animum, corpus, omniáque illius membra vnius Christi obsequio addicta. *Quia enim perfectè incaluerat pænitẽdo* (ait ille) *bacchari* (*vt ita dixerim*) *cœpit desiderio exagitata Christi. Si quidẽ continuò, & crines resoluit, & sanctos pedes vberius diluens lachrymis, ac proprijs extergens capillis pretioso rigauit vnguento. Et hæc quidem extrinsecus cuncta faciebat; ea verò quæ in secreto mentis agitabat, multo erant igniitiora, multóque maiora, quæ tantummodo Deus ipse cernebat.* Vides nullum lachrymis, officiis, charitati, reliquísque virtutibus modum impositum? *Considerauit namque quod fecerat* (inquit Gregor. Magn. hom. 34. in Euangel.) *& noluit moderare quod faceret.* Scitè, ac si dicat; peccatorum memor, deperditum tempus redimere, & omissa benefacta restaurare voluit; ideò se seipsam ad iustitiam extendens egregias virtutũ actiones *noluit moderare.* Quare rursus indidem Chrysost. *Illa in Euangelio meretrix virgines quoque ipsas honestate superauit.* Sed quónam modo? Nimirum vt Ionas viam trium dierum vnius diei festinatione compleuit, ita illa in virtutis stadio egregia animi alacritate Virgines ipsas anteiuit. Dixeris egregiam peccatricis huius conuersionem illis in verbis Oseæ 14. 8. *Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuẽt tritico*, mitè fuisse prænunciatum: nam extrema hæc verba, *viuent tritico*, sic legit ex Hebræo Pagninus; *Viuificabũt se ipsos vt triticum*: nimirũ vt triticum aucto vberum frugum censu moritur, ita hæc sub vmbra Christi ad pænitentiam conuersa, peccati mortem multis virtutum actionibus eximiè compensauit.

Chrysost. Gregor. Magnus. Chrysost. Osea 14.8. Pagnin.

Est & alia ratio, cur ij, qui à peccatorum fæcibus & dæmonis seruitute emergentes ad bonã virtutis, & domini obsequij frugem se recipiunt, toto conatu debeant egregiis virtutum actionibus incumbere, nimirum, vt fidem faciant, se ex animo pænitere, veróq; affectu Dei seruitutem suscipere. Quò quidẽ maximè facit egregia Pauli admonitio, Romanos olim Idololatras & peccatis deditos sic alloquentis cap. 6. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire in sanctificationem.* Quasi dicat, inquit ibi Origenes, *Currebant priùs pedes vestri ad effundẽdum; nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus priùs vt aliena diriperent, nunc protendantur vt propria largiantur. Circũspiciebant priùs oculi alienum ad cõcupiscendum; nunc circumspiciant pauperes ad miserendum, & vnius cuiusq; membri ministerium* 6.

ad Rom. 6. 19. Origenes.

 quod

quod exhibuit vitijs, aptet virtutibus. Sed modò obserua illud, *Humanum dico*, &c. quod perinde fuit, ac si diceret Apostolus, dum vos moneo, tanto nunc conatu Deo, iustitięq; ancillari, quanto antea peccatis inseruiebatis: non eximium & heroïcum aliquid, sed rem moderatam, & exiguã tenuitati, & imbecillitati vestræ consentaneam, exigo, *Pudore hisce verbis auditoribus incutit Apostolus* (ait indidem Origenes) *vt hoc saltem obsequij impendant iustitia, quod prius impenderunt iniquitati*: ac si dicat Hispanè, *lo menos que os puedo pedir.* At cur moderatum, exiguúmque Paulo videatur, omnia corporis membra quasi mãcipia sistere, vt iustitiæ, ad omnem probitatem amplificandã seruiãt? Sanè, quòd aliter suspectus Deo fueris; quasi ipsi nõ ex toto corde adhæreas, sed animum peccatorum illecebris innexum adhuc habeas; rectè id admonente Origene homil. 8. in Exodum; vbi allatis illis animæ primum errãtis, & peccatorum cæno sese immergentis verbis apud Oseam 2. 5. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas*, &c. nec non & iis quibus indidem nõ multo pòst, profitetur se ad Deum reuersuram, *Vadam, & reuertar ad virum meum priorem*, &c. Sic inquit. *Regressa es ergo ad virum tuum priorem, offendisti sine dubio amatores tuos, cum quibus adulteria committebas. Nisi ergo nunc tota fide permaneas cum viro tuo, & toto ei ore glutineris, ex multis sceleribus, qua commisisti, suspecta es ei, omnis motus tuus, & aspectus tuus, ipse etiam incessus, si fuerit negligentior, displicebit.* Optimè: quo enim pudore? qua verecundia? negligẽtius virtuti, quàm iniquitati seruias: quóve iure Dei obsequio ea membra subtrahas, quæ diabolo ad satietatẽ famulata sunt? Nisi ergo toto iam corde Deo agglutineris, & exhibueris omnia membra seruire iustitiæ in sanctificationem; ex multis sceleribus, quæ commisisti, suspecta eris ei, adhuc scilicet te illorum amore teneri. Hinc quidẽ beata illa peccatrix, cuius nuper meminimus, omnia corporis sui membra vni Dei obsequio mancipauit: *Oculus terrena concupierat* (inquit ibi adductus Gregor. Magnus) *Sed hos iam per pænitentiam conterens flebat, capillos ad compositionem vultus exhibuerat, sed iam capillis lachrymas tergebat, ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans hoc in Redemptoris sui vestigia figebat*, subjicit Gregorius: *Conuertit ad virtutum numerum numerum criminum*, vt nimirum plenam Deo fidem faceret, toto sese illi corde agglutinari.

Origen.

Osea 2. 5. & 7.

Greg. Magn.

7. Sic sanè se gerunt, qui veram à Deo sanitatem percipiunt: vel vide paralyticum illum, triginta & octo annos habentem in infirmitate sua, quem Dominus eatenus sanitati restituit, vt lectũ suum statim tolleret, & ambularet; sic enim Ioannes cap. 5. 8. *Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Planè, vt hominis veram agentis pænitentiam typum gereret; quippe qui sicut antea sua exhibuerat membra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, iam illa ipsa exhiberet seruire iustitię in sanctificationem, siue vt qui priùs à corporis voluptatibus animum raptantibus, & diripientibus impotens ferebatur, iam fortior, atq; valentior cupiditates suas raptaret, ac ferret: sub quo quidem sensu hunc locum accepit Ambrosius, siue Maximus serm. 28. *Erunt duo* in lecto vno: & cum illis Psal. 40. 4. *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*, composuit ad hunc modum. *Possumus enim ipsa membra nostra, lectulos nostros proprios nuncupare, in quibus anima nostra veluti in quodam strato suauissimè demoramur. Quod quidem sanctum prophetam sensisse arbitror, cùm dicit:* Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. *Beatus enim est ille, cuius stratũ Dominus in ipsius infirmitate conuertit, vt qui fuerit paulo antè adulter, iracundus & petulans, & cunctorum scelerum infirmitatibus plenus, fiat castus, humilis, & modestus. De quo strato spiritualiter ad paralyticum dictum est à Domino:* Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. *Non enim tam in eo admirationis aliquid erat, vt confracti lectuli, ligneam cratem portaret paralyticus, quam vt resoluti corporis membra, & debilitate confracti velut anima sua necessarium lectulum paralyticus ipse gestaret, & coram positis Iudæis proprijs abiret pedibus, qui manibus allatus fuerat alienis. In hoc planè, sicut dixi, completa est prophetica illa sententia*, Versasti stratum eius in infirmitate eius. *Vt versa vice portaret lectum, in quo fuerat paulò antè portatus, vt anima illius, qua prius vasculo corporis ferebatur, postea corpus suum vtilius circumferret.* Hæc ille.

Ioann. 5. 8.

S. Max. Psal. 40. 4.

Sed enim, vt quod vitiis exhibuisti ministerium, aptes iam virtutibus; quanto ardore dæmoni, & peccato inseruieris, operæ pretium fuerit expendere. Et primò quidem homines non segniter, sed omni adhibita diligentia peccato famulari solitos, ea Moysis verba indicant Genes. 6. 5. 8.
Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore: vbi LXX. reponunt: *vnusquisque cogitat in corde suo diligenter super maligna omnibus diebus*; in quæ verba Ambrosius, *quasi solliciti simus, ne immunitas culpa possit nobis obrepere.* Deinde non leuiter, aut superficie tenus, sed ex animo peccatum suscipere; illúdque medullitus adamare, atque auarè insectari tam illud Oseæ 9. 9. *Profundè peccauerunt*, quàm hæc Pauli ad Ephesios 4. 19. *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immũditiæ omnis in auaritiam*, ostẽdunt. Quid enim fuerit profundè peccare? nisi peccatis nimium inhærere, & totam in ipsis mentem infigere, & *velut effodientes thesaurũ* omni studio, & labore perquirere. Id quod elegãter descripsit Paulus, dum ait, *in operationem immunditiæ omnis in auaritiã.* Quod si dicas, non bene hæc sibi hærere; nec enim immunditiã quis operari solet, vt inde auarus fit, immò potiùs è contra, auarus quis esse solet, vt inde immunditiæ inseruiat, respondet inibi Hieronymus pulchrè eam locutionem subsistere, quòd ex imagine auaritię, qui insatiabilis inter omnes affectus est, innuat Apostolus, ea homines auiditate in voluptatum cæno volutari, vt non secus ac auarus, qui non impletur pecunia, nunquam peccatis exsatietur. Sed vt Hieronymi expositio opportunius cadat, quónam pacto auaritia ab Isidoro Pelusiota describatur, audi: sic enim ille lib. 3. epist. 167. *Cæteræ quidem penè omnes vitiosa affectiones & vigorem, & senium habent, & satietatem agnoscunt, atque ad finem omni celeritate contendunt: at horrendus pecuniarum amor, cùm nobis à natura minimè insitus sit, verùm externè alicunde sese insinuarit, senium nescit, satietatem contumelia afficit, lætitiam ignorat, finem capere minimè sustinet; immò verò in dies vigens fortior se ipso & valentior, atque acrior esse contendit. Neque enim aduersùs dumtaxat affectus certamen habet, sed etiam aduersùs se ipsum, vt qui seipsum vincere summo studio adnitatur. Etenim citius ea, quæ percipi non possunt, quispiam perceperit, quàm ille satietatem capiat, siquidem incrementum haud scio quo pacto, decrementum, atque iacturam esse existimans, ignem vehementius accendit.*

Genes. 6. 5.

LXX.

Ambros.

Osea 9. 9.

ad Ephes. 4. 19.

S. Isid. Pelus. Hieron.

Hæc

Hæc Isidorus. Ex quibus facilè coniicies, quanta elegantia Paulus auiditatem, qua homines in peccata indesinenter prolabuntur, explicauerit: *operantes* (inquit Hieronymus) *quidquid corpus voluit, mens desiderauit, libido suggessit: & cum nihil omnino prætermiserint quod immundum sit, hoc totum facere in auaritia, dum nunquam luxuriando satiantur, nec eorum terminum habet voluptas.* Ita Hieronymus. Ad hæc, non tam ex carnis imbecillitate, quàm ex infruniti animi impudentia, & procacitate tam pertinaciter peccata consectari, illud conuincit, quòd ardenti erga ipsa zelotypia laborent; & velut insanabili œstro perciti super ea, à quibus maximè abhorrere deberent, atrociter decertent: ita quidem emphaticè dicebat Salomon Sapienr. 1.
Sapient. 1. 12. 12. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ; neque acquiratis perditionem in laboribus manuum vestrarum:* ac si dicat. Quæ hæc (malum) dementia fuerit, vt de morte animis vestris inferenda,
Græc. lect. tam vehementi ardore, ac Græci & Troiani super Helena decertetis? Quòd si ea Sapientiæ verba Græcè legeris, inuenies pro *zelare* esse, ambitiosè affectare; vt ex ambitione, quæ, Corn. Ta-
Cornel. Tacit. cito auctore lib. 15. Annal. *Cunctis affectibus flagrantior est*, plus humanum peccandi studium significetur: quibus enim vigiliis? quibus laboribus? quibus mortibus ambitiosus parcit, vt voti compos euadat?

9. Vide ergo ex his iam, quanto studio, atque conatu Dei obsequio, atque virtuti debeas insistere, vt exhibeas membra tua seruire iustitiæ in sanctificationem; sicut exhibuisti seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem. Ita quidem no-
Isaias 31. 6. tanter dicebat Isaias cap. 31. 6. *Conuertimini sicut in profundum recesseratis filij Israel:* vbi ex Hebræo alij legunt, *vehementer recessistis*; alij, *profundastis recessum:* vt dicere videatur, tantum ad Dei cultum, & vitæ probitatem cor vestrum excitate, & attollite, quantum illud deorsum in profundum iniquitatis depressistis. De zelo autem, siue æmulatione, qua egregias virtutum actiones sectari ij debent, qui iam pridem zelauerunt mortem, si-
ad Tit. 2. 14. gnatè dixit Paulus ad Titum 2. 14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum:* Quo in loco, vt alibi monui, pro
Græc. lect. *sectatorem* Græcè est ζηλωτὴν: id est, *zelatorem*, si-
Hieron. Ambros. Chrysost. ue *æmulatorem*; vt præter Græcos PP. Hieronymus ibi & Ambros. legunt. Expendit verò eam locutionem Chrysostomus hunc in modum. *Vides, vt non simpliciter a nobis opera virtutis exigantur? addidit nempe sectatorem, hoc est, magna cum alacritate, atque ingenti studio, & animo virtutis opera capessentem, quæ in re vehementia quadam adsit, necesse est, omnino laudabilis.* Sanè, vt non secus, ac riuales, qui in vna eadémque sponsa laborant, ingenti amoris æstu ad eam feruntur; ita magno, & vehementi studio atque æmulatione virtutis opera zelemus, & ad ea ardentes procurramus. Iam verò ex ambitiosorum ardore, quo ingentibus corporis incommodis, magistratus ambiunt; ad pænitentiæ ac pietatis studium suscipiendum, sic nos vrget eleganter Tertullianus lib. de pænitentia
Tertull. tia cap. 11. *Sed enim illos, qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis; nec incommodis tantùm, verùm & cõtumelijs omnibus eniti in causa votorum suorum. Quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes, nullis conuiuijs celebres, nullis comessationibus congreges, sed exsules à libertatis, & lætitiæ felicitate; idque totum propter vnius anni volaticum gaudium. Nos quod securium, virgarumve petitio sustinet, in periculo æternitatis tolerare dubitamus? & castigationem victus, atque cultus, offensio Domino præstare cessabimus, quæ Gentiles nemine omnino læso, sibi irrogant?* Hactenus ille. Tandem; qui rem percallent, & virtutem pro dignitate æstimant, non minus auari, siue auidi illius negotiatores fiunt; ac priùs desperantes se tradiderunt *impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam.* Sic enim Salomon Prouerb. 2. 4. *Si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies:* Prouer. 2. 4.
hoc est, inquiunt Beda, & Nicolaus de Lyra, *tanto conatu quanto auarus quærit pecuniam*, addit Beda. N. Lyra.
bonus Scholiastes Salazar. *Auarus sanè vt diues* Salazar.
euadat, omnes contrahendi modos experitur; emit, vendit, permutat; & cùm aliter non possit diuitias adquirere, furto conatur augere? Ad quem sanè modum auidus virtutis cultor omni modo, & indefessa solicitudine Dei obsequio incumbit; nunquam non esuriens, sitiénsque iustitiam, & sicut thesaurum effodiens illam. *Omnes namque* (inquit Gregor. Magnus lib. 5. Moral. cap. 5. ad similia Iob verba) *qui fodiendo thesaurum quærunt, cùm fodere altius cæperint, ad laborem instantiùs inardescunt; quia quò se thesauro abscondito iam appropinquare existimant, eò in effodiendo enixiùs laborant.* Gregor. Magnus.
Ad hæc, cùm aliter non potest spirituales diuitias acquirere, furto conatur augere, vt in pia illa fæmina, quæ sanguinis fluxum patiebatur, videre est: egregio siquidem fidei furto Christi virtutem arripere clam conata est Matthæi 9. 20. acutè id expendente Chrysologo serm. 5. his verbis. *Cùm* Matth. 9. 20. Chrysost.
tangit fimbriam Christi, tum diuini pectoris pulsat arcanum, & furto fidei summam rapuit de fimbria summitate virtutem. Felix fraus, quæ & lucrum salutis contulit, & damna sustulit mox pudoris. Ita ille.

Ad ea verba: *Ad brauium supernæ vocationis.*

Adnotatio III.

Cæleste brauium ob oculos positum, animum ad virtutis stadium in defessè percurrendum, acriter stimulare.

CÆlestis brauij magnitudinem. æternúmque gloriæ pondus mihi sæpè numero animo voluenti, atque expendenti, ea cogitatio negotium facessit; quid in causa sit, quòd homines cœlo & immortalitati nati, honorisque ac gloriæ maximè auidi, & quorum mens in quiete, & deliciis semper est, hanc immensæ gloriæ, earúmque delitiarum, quæ cogitationem omnem longè superant, immortalitatem negligant, & ad terrenarum, & caducarum rerum nænias, & inanitatem tanto ardore procurrant, vt dum via virtutis pænè inuia, & deserta est, sæculi amatores in eius bonis conquirendis atque obtinendis se inuicem protrudant. Quòd si dixeris arduam esse virtutis viam, rémque multi laboris, atque sudoris, atque hac de causa ab illa insistenda homines deterreri; 1.

eam rationem, vel ipsis oculis atque experientia, repellam, nemini enim rerum quantumuis ignaro dubium fuerit; maiores multo pro terrenis & caducis bonis, quàm pro cœlestibus, & æternis labores & difficultates suscipi, *vacat enim pudicitia*, (inquit Seneca) *libido occupatissima est*; degit hilariter atque securè, is qui sua sorte contentus diuitias aspernatur; auidus verò pecuniarum.

Seneca.

Horat. lib.1. epist.

Exiguum censum, turpémque repulsum
Quanto deuites animi, capitisque labore?
Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens per saxa, per ignes.

Quid, quòd multo grauior mundanus labor; & sæculi onus censeri debet, quippe cui timor, & dolor, diri duo humanæ quietis hostes, adiuncti sunt: sic benè id pensitante Ailredo ad id cap.13. 1. Isaiæ in allegoriis Gotfridi, *Onus Babylonis*; his verbis. *Babylon significat mundum, cuius amor cupiditas est, quæ reuera onus est graue, multos premens, & ad inferiora incuruans. Tripliciter autem miseros onerat labore, timore, dolore. Cum labore siquidem peruenit homo ad id quod cupit; cum timore possidet, cum dolore amittit.* Nec rursum respondeas, rationem esse, quòd magna amatoribus suis gaudia mundus polliceatur; *spargit odores suos voluptas*, (inquit à nobis non semel adductus Ambros. lib. 1. de Abel, & Caïn cap.4.) *thesauros demonstrat, regna promittit, amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pedagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebiles cupiditates.* Quid enim hæc fuerint, si cum egregiis Dei promissionibus conferantur? dicente Paulo, *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum*, 1. ad Corinth. 2.9. *Lux est enim inaccessibilis* (inquit Bernard. serm.4. in vigil. Natiuit.) *pax est, quæ exsuperat omnem sensum, fons est, qui ascensum nescit, sed descensum.* Ad hæc: inde mundi amatorum causa deterior redditur, quòd ei fidant, qui sponsore egeat, iuxta veterem parœmiam: *sponsor tuus sponsore indiget*; Sapienter id pensitante Chrysostomo hom.1. de Resurrectione ex variis in Ioannem hunc in modum: *Illi enim non satis fidere possunt fini suo, & incerti sunt, quantum mercedis habituri: attamen nec sic à laboribus deterrentur. At tu fideiussorem habes coronatum, &c. Etenim nonnunquam agricola postquam sementem fecerit, agrum coluerit, iam segetem increscere viderit, spe tamen, & retributione laborum excidit, si vel grando, vel eruca, vel locustæ, vel alia quædam talia acciderint, & post multos labores vacuis manibus domum reuertitur. Mercator quoque post longam nauigationem afferens oneratam nauim sæpè in ipso portus ostio irruentibus ventis impingit in scopulum, & vix nudo corpore saluato egreditur. Et in summo in sæcularibus negotijs omnibus sæpè sub finem eiusmodi calamitates eueniunt. Cæterum non idem in tuis contingit certaminibus, sed necesse omnino est, vt qui certauerit, & pietatem seminauerit, multósque labores tulerit, finem ipsum assequatur. Neque enim aëris intemperie, neque ventorum tempestate laborum mercedes subuerti sinit Deus. Sed reposita sunt illa in cœlestibus, & indeprædabilibus thesauris.* Hactenus Chrysostomus.

Ailred. Isai.13.1.

Ambros.

1. ad Corinth. 2.9.

Bernard.

Chrysost.

2. Quid ergo iam causæ fuerit, quod caducis, & inanibus mundi bonis, tanta auiditate homines incumbant, ad cœlestia illa, & æternum duratura nauseantes. Vis semel nosse? Sanè quòd hæc temporalia, & terrena illorum oculis subiiciantur, illa verò superna, inuisibilia sint. Tanti quidem apud homines est sub præsentis præmij illecebra militare, *Allicis enim homines* (Ambros. in Psal.1.) *magis dulce peccati, quod ad præsens influit, & impinguat videntis affectum, quàm triste virtutis, quæ fides spem velut quodam quotidie amari laboris inuoluit.* Vnde quidem in eo cardine tota sapientia vertitur, vt præsentibus futura, & inuisibilia iis, quæ videntur, præferamus. Et (heu humanæ infirmitatis infelicitatem) *raro* (ait idem Ambros. lib.7. in Lucam cap.1. *quamuis excelsa virtus, futuris commutat præsentia. Difficile quippe videtur hominibus, vt spem periculis emant, damnóque præsentium futura lucrum mercentur ætatis*; & statim elegantissimè: *Frigent enim solatia sub metu mortis, magnúsque amor vitæ ægrè blanditias spei cum appetitæ salutis errore compensat.* Sic videris, Israëlitas à Dei obsequio deflectentes, & terrenis bonis inhiantes pulchra à Deo imagine cum vitula iugum & aratrum repellente, trituram verò amante, Oseæ 10. 11. ad hunc modum componi: *Ephraim vitula docta diligere trituram: & ego transiui super pulchritudinem colli eius*; vbi primò non dubium omnibus interpretibus in id conspirantibus, quin, vt trituræ similitudo ad voluptatum illecebras, & temporalium rerum ambitum refertur: ita arandi metaphora, diuinæ legis obseruantiam, & iugum, quod Ephraim obstinatè detrectabat, significet. Deinde benè ex vtraque trituræ, & arationis imagine ad hæc verba monet Gregor. Magn. lib.20. Moral. cap.16. non minus laboris atque molestiæ, sæculi trituræ, quàm diuinæ legis iugo subesse; sic enim ille. *Amant peruersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes, cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissimè colla submittunt. Quod benè sub Ephraim specie Osea prophetante describitur, qui ait,* Vitula Ephraim docta diligere trituram. Ita Gregor. Iam si ex his meritò ambigas; cur docta hæc vitula tam indoctè & insipienter se gerat, vt non minus durum laborem in turpi & infelici sæculi tritura, quàm in honesta, & debita aratione, cui æternæ gloriæ messis respondet, subire velit? Respondebo, rationem esse, quòd vt vitulam triturantem paratum, ac præsens pabulum allicit, atque demulcet, nec singulos diurni pensi orbes implet, quin furtiuis ex area morsibus aliquid decerpat: non enim alligatur os boui trituranti, Deuteron. 25. 4. bos verò arationi incumbens, nec fruges, nec pabulum videt, attestante Paulo. *Quoniam debet in spe, qui arat, arare*, 1. ad Corinth. 9. 10. Ita sæculares homines, quibus terrenarum rerum area ad oculum est, plus præsenti illarum illecebra, vt tanquam vitula triturent, quam futurorum spe, vt arent, alliciuntur; nec damno præsentium, vt dicebat Ambros. futura lucra mercari volunt; pulchrè id monente Augustino serm.23. de verbis Apostoli his verbis. *Mundi promissa semper fallunt: Dei promissa nunquam fallunt; sed quia mundus quod pollicetur, hîc videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus. Deus autem quod pollicetur, in terra viuentium daturus est; multi fatigantur exspectare veracem, & non erubescunt amare mendacem. De talibus dicit Scriptura,* Væ iis qui perdiderunt sustinentiam, Eccles.2.16. Sic Augustinus.

Ambros.

Osee 10.11.

Greg. Magn.

Deuter.25.4.

1. ad Corinth. 9.10.

August.

Eccles.2.16.

3. Porrò hac de causa sapientes, perfectique viri, quibus futura præsentibus præferre est animus, cœlestis beatitudinis gaudia ab oculos indesinenter ferunt; vt non tam dulci spe, quàm præsentis quodammodo præmij possessionis refecti, virtutis stadium sine defatigatione percurrant; ita

ita quidem inquit Paulus, *Ad destinatum persequor. ad brauium supernæ vocationis*, &c. Sanè tanquam cursor, qui à proposita sibi corona oculos non diuertit, quòd eius pulchritudine allectatus nouas sibi ad cursum vires parat. Certè in Olympiacis certaminibus, quæ apud Græcos in vsu, & magna celebritate fuerunt; tum coronæ, quibus victores athletæ donabantur, certantium oculis vites, & animos illis instillaturæ proponebantur, vt vel ex his Chrysost. verbis orat. de illo, *Diligamus etiam persequentes*, satis liquet. *Nam quemadmodum reges in equorum cursu, atque certamine, in ipso agone coronas, vestes, cæteraque munera ante certantium oculos ponunt. Sic & Dominus in medio stadio præmia locauit.* Quò etiam illud poëtæ lib. 5. Æneid. it,

Chrysost.

Virgil.

Munera principio ante oculos circóque locantur.

tum etiam Imperatoria lege notanter cauebatur; vt quamuis ea quæ in præmium victoribus dabantur, ipsi postquam percepissent, siue in pignus dare, siue diuendere possent, at ante certamen ipsas præmiorum, quæ nondum obtinuerant, spes, minimè illis in pignus obligare, aut vendere liceret, ne videlicet athletarum animus, qui obiecto præmio mirè reficiebatur, spe illius sublata dissolueretur: & vires dulci laboris fructu ab oculis amoto remitterentur, de quo vide legem *spem eorum. C. Quæ res pignori obligari possunt*, ibique Hug. Donellum, & Budæum in adnotationibus prioribus ad Pandectas. Hinc signatissimè Dominus seueriora perfectionis discipulis suis monita daturus sic exorsus est. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth. 5. 3. At cur non à gehennæ suppliciis transgressoribus propositis concionem instituit; vt à timore initiati conciperent, & parturirent spiritum salutis? iuxta ea quæ ad vers. 3. in expositione literæ à num. 11. fusiùs diximus. Equidem, quia maiora discipulis consilia daturus, & ad difficile perfectionis certamen inuitaturus, multo vtilius, & efficacius erat vt tanquam agonotheta, siue iudex certaminis coronas athletis ob oculos poneret, vt earum aspectu ad certamen ineundum vires, atque animos sumerent; atque ideo non dixit Dominus, ipsorum erit regnum cœlorum, sed accurata locutione, *ipsorum est*: quasi illud eorum oculis subiiciens. Scitè hæc adnotante S. Cromatio Aquileiensi Episcopo concione 1. in cap. 5. Matth. de *de octo beatitudinibus*, hunc in modum. *Mirum principium (fratres) doctrina cœlestis! non a terrore incipit, sed à beatitudine, non terrorem faciens, sed potius desiderium. Vice enim agonothetæ, vel munerarij certatoribus in hoc stadio spirituali præmium grande proponit; vt dum aspiciunt præmium grande proponit; vt dum aspiciunt præmium, nec labores timeant; nec pericula perhorrescant.* Beati *ergo* pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc Cromatius.

L. spem, C. Quæ res pignori, &c. Hug. Donel. Budæus. Matth. 5. 3.

S. Cromat.

4. Ita quidem rursus Paulus supernæ vocationis brauio, sibi proposito dicebat: *Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*, 2. ad Corinth. 4. 17. Egregia omnino, & nostro instituto opportuna verba. Sed quæ non bene hærere dixeris cum iis, fide quæ aliis in locis idem Apostolus scripsit; siue, quæ nos experimur. Quomodo enim vitæ huius stadium mille difficultatibus, & diuturnis laboribus obnoxium, *momentaneum & leue* dici possit? leues ne cruciatus, quibus tyranni, ingenium, & artes ad quæsitissimas excogitandas pænas dæmone ipsis subministrante, in Christi Martyres atrocissimè desæuierunt? aut momentaneæ Sanctorum asperitates, atque supplicia, quibus corpora sua toto vitæ curriculo confecerunt? siue faciles; & quæ parum durent, eas tribulationes dixeris, quas iusti ab æmulis, & persecutoribus indesinenter patiuntur? Audi iam eundem Apostolum eadem epistolâ paulo ante dicentem. *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Achaia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem; ita vt tæderet nos etiam viuere*, 2. ad Corinth. 1. 8. audi etiam eundem de suis laboribus indidem cap. 11. 23. sic disserentem. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum; semel lapidatus sum, ter naufragium feci; nocte, & die in profundo maris fui. In itineribus sæpè periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate.* Pende singula, signatè verò illa prioris loci, *supra modum grauati*, & hæc posterioris, *in plagis supra modum*: vt inde & magnitudinem, & diuturnitatem tribulationis Pauli videris. Quomodo ergo hoc in loco leuem ipse, & momentaneum appellat? Nodum certè ipsemet statim soluit dum ait: *Non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*: ac si dicat; & si grauissimi atque diuturni labores, ac tribulationes nostræ reapse sint, at dum in cœlestem coronam illis propositam oculos figimus, leues nobis, atque momentanei à præsentis præmij solatio, atq; dulcedine redduntur: pulchrè hæc expendente Chrysost. hom. 8. de pænitentia his verbis. *Ænigma est, quod dicitur, tribulatio quomodo leuis: hæc enim repugnant. Sed soluit ænigma illatio sustentans tribulationis leuitatem. Quomodo ergo est leuis? Quomodo: Non hæc quæ videntur nobis duntaxat considerantibus. Sed coronam proposuit nunc quidem inuisibilem, certamen, atque leue simul fecit seculum. Ostendit brauium, & desudantem solatus est.* Preme extrema hæc *desudantē solatus est*: vt præmij aspectus, siue consideratio, sudorem laboranti detergat; & fatigatum animum recreet, ac mirum in modū oblectetur. Vnde sic pergit monens Chrysost. *Tu verò cùm mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillantem, desiderantem visum: respice desuper stantem coronam, quò tale spectaculum prætereas.* Sed hæc verba commodiùs expendemus ad ea cap. 4. vers. 8. verba. *Hæc cogitate*: vbi de egregio fructu considerationis, siue collationis inter cælestia, & terrena bona, latiùs agimus.

1. ad Corint. 4. 17.

2. ad Corint. 1. 8.

2. ad Corint. 11. 23.

Chrysost.

5. Affinia his esse videntur ea Domini ad discipulos in egregia illa Samaritanorum côuersione, de qua Ioannes cap. 4. 38. verba: *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Vbi cùm sermo sit de Apostolorum ad Christi fidem per totum orbem disseminandam missione, quæ Prophetarum prædicationem subsecuta est, mirum alicui videatur, cur Apostoli ad Prophetas comparati non tam laborasse, quàm in ipsorum labores introiisse dicantur? Nônne Petrus extremos pro Christi Euangelio labores, mortémque suscepit? Nônne Paulus *abundantiùs omnibus* laborauit?

Ioan. 4. 38.

Nôn

Nonne Apostoli tot ac tantos labores pro fide dilatanda, ac antiqui Prophetæ pertulerunt? Quomodo ergo inquit Dominus: *Alij laborauerunt, & vos in laborem eorum introistis*? Sanè quia veteres Patres in vera Dei fide prædicanda & Christo hominibus prænunciando laborauerunt; quin laborum fructus, oculis subiectos conspicerent: at Apostoli, quamuis multo maiores quàm illi labores pertulerint; at quia laboris sui cumularissimum fructum in gentium conuersione percipiebant, & præsentis præmij dulcedine recreabantur, magno iure minus laborasse dicuntur, non tam quod reapse minus laborauerint, quàm quòd laborantes, & desudantes præsens fructus refecerit, & solatus sit. Ideò immediatè ante dixerat Dominus. *Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt iam ad messem: & qui metit, mercedem accipit: & congregat fructum in vitam æternam.* Vt videlicet ex trituræ, & arationis imagine, suprà num. 1. ex Osea adducta. Patriarchæ, atque Prophetæ in spe arasse, Apostoli autem fruges demessuisse, siue triturasse videntur: a qua cogitatione non iuit Chrysost. ad id loci homil. 33. inquiens. *Laboriosior erat satio, & maiori egebat sollicitudine semina spargere, & ad Dei cognitionem animam erudire: hoc autem dicit, ne ad prædicandum dimissi, tanquam maximum onus subeuntes perturbarentur; magis enim prophetæ laborauerunt, quod ratione confirmat, quoniam facilius ipsi opus susceperint. Siquidem vt in messe facile fructus colligitur, & breui manipulis impletur area, neque tempora expectantur, non hyems, non ver, non pluuia; ita nunc fit, & opera ipsa clamant. Dum hæc diceret, exierunt Samaritani, & mox coacti est fructus, propterea inquit,* Leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt. *Verba res ipsa confirmauit.* Hæc Chrysost. Quo etiam opportunè referas perfecti illius amatoris Iacob sensa, qui quatuordecim ad minus annorum laborem, siue supplicia ob dilectam Rachelem perferenti, *videbantur illi pauci dies ob amoris magnitudinem*, Genes. 29. 20. Nam si iis repugnaueris, & præ amoris magnitudine plures potius quàm essent anni, illi videri debuisse censueris: quia *spes, quæ differtur, affligit animam*, Prouerb. 13. 12. afflictio autem quæuis illa sit, longa videtur; nam rectè nescio quis dixit,

Vna dies cupidis senium mortalibus affert.

Occurrit Gregor. Nazianz. oratione in Maximum ad hunc modum: *Ac profectò vel vnicus dies totius vitæ humanæ instar est desiderio laborantibus: nam illud Patriarchæ Iacob, mihi alio modo se habere videtur, qui pro duabus virginibus quatuordecim annis Labam Syro seruiens haudquaquam labore frangebatur: cuius rei hæc fortasse causa erat, quia rei expetitæ conspectu fruebatur.* Sic Nazianzenus.

(Margin: Ioan. 4. 35. — Chrysost. — Gen. 29. 20. — Prou. 13. 12. — Nazianz.)

6\. Dixi sæpiùs ex PP. virtutis stadium in celebri illa scala eidem Patriarchæ Iacob ostensâ, per quam Angeli indesinenter ascendebant, atque descendebant, fuisse designatum. Sed audi modò ea de re Chrysostomum homil. 82. in Ioannem. *Discamus igitur* (inquit) *& vitia nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense vnum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur. Et sic tanquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Iacob ad cœlum perueniamus. Etenim scala illa mihi per illam visionem paulatim per virtutes ascensum significare videntur, per quam à terra in cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento, & correctione.* Sed quid, quæso, Dominus scalæ innixus nobis innuat? Sic enim Genes. 28. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum. Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Retulit id Bernardus in allegoriis Gotfridi Tilmani ad veritatis cognitionem, quam humilitas parit hunc in modum: *Illud quoque quod in scalâ, quæ in typo humilitatis Iacob monstrata est, Dominus desuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, nisi quòd in culmine humilitatis cognitio constituitur veritatis? Dominus quippe de summitate scalæ prospiciebat super filios hominum tanquam veritas, cuius oculi sicut fallere nolunt, ita falli non possunt. Nonne tibi videtur de alto clamare, & dicere requirentibus se:* Nouit *enim* qui sunt eius, 2. ad Timoth. 2. 19.) Transite ad me, qui concupiscitis me, & à generationibus adimplemini, Ecclesiast. 24. 26. Sic Bernard. Bene quidem: at enim verò opportuniùs, opinor, cum Paraphraste Chaldæo capias de Domino vt iudice certaminis cœlestis brauij coronam certantibus, vitiaque, atque passiones suas edomantibus proponente, vt fessos ascendentium gradus eius conspectu sustentet, & desudantes recreet, atque reficiat. Sic enim Chaldæus: *Et ecce gloria Domini stabat super eam*: planè tanquam corona atque brauium certantes prouocans, atque alliciens. Sed audi ea de re Hieronymum, vno & altero loco id affirmantem: sic enim primum in Epistola ad Furiam de viduitate seruanda: *Scalæ innixus lassis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans.* Similiter in epist. ad Iulianum: *Vt lassis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret adspectu.* Ita ille. Nimirum suam ascendentibus faciem, æternúmque gloriæ pondus ostendebat, & offerebat, atque his acutissimis aculeis ad ascendendum, & proficiendum stimulabat. Vnde quidem minimè fuerit mirandum tot à iustis pro virtute labores peragi, éstque ipsos *de virtute in virtutem* per altissimam hanc scalam ire, cùm super ipsam *gloria Domini*, & Dominus gloriæ sit, *suo ad laborem prouocans adspectu.*

(Margin: Chrysost. — Genes. 28. 12. — Bernard. — 2. ad Timoth. 2. 19. — Eccl. 24. 26. — Chald. lect. — Hieron. — Psal. 83. 8.)

Hinc notantissimè Salomon, tam de sapiente qui futura præsentibus præfert, & in cœleste brauium animum, oculósque figit, quàm de stulto præsentia solummodo curante; nec æternam beatitudinis mercedem, sibi ob oculos proponente, Ecclesiastes 10. 2. dicebat. *Cor sapientis ad dexteram eius: & cor stulti in sinistra illius*: siue vt ex Hebræo Pagninus & alij: *Cor sapientis ad dexteram eius: & cor stulti ad sinistram ipsius*. supple propendet, & inclinat. Quid? aliúsne cordis sapientis à corde stulti situs, siue structura. Non opinor; sed alia omnino animi vtriusque inclinatio, atque propensio. Nam cùm dextera ad cœlestis beatitudinis præmia, sinistra verò ad terrena bona in Scriptura referantur: sic enim sub hoc sensu (vt interpretantur August. in Psalm. 120. & Gregor. in Pastoral. 3. parte cap. 27.) Salomon: *Longitudo dierum in dextera eius: & in sinistra eius diuitiæ, & gloria*, Prouerb. 3. 16. nec sine allusione ad hæc verba Ambrosius serm. 27. in nouiter excusis. *In dextera, Dei amor intelligitur; in sinistra vanitas, vel mundi cupiditas Abraham cùm nepotem à se deflectentem tenere non posset, & vellet eum dimittere, discede (inquit)* Si tu in sinistram, ego in dextram, *quia homo imprudens ea, quæ mundi, & corporis sunt, nempe diuitias, & honores in meliorem partem constituit, prudens verò virtutem animæ, & immortalitatis adipiscendæ gratiam præponit.* 7.

(Margin: Eccles. 10. 2. — Pagnin. — August. — Greg. Magn. — Prou. 3. 16. — Ambros.)

Lon

Longitudo enim vitæ in dextera eius. Sic Ambroſ. idem ſanè fuerit, ſapientis cor ad dexteram, ſtulti verò ad ſiniſtram propendere, ac in vitæ huius curriculo, & ſapientem cæleſte brauium ob oculos ſibi proponere, vt eius ſtimulis ad virtutis ſtadium indefeſſè percurrendum excitetur; & ſtultum, ab æternæ felicitatis mercede oculos, & animum auocare, & in terrena bona vndequaque configere. Atque hinc eſſe, vt ſapiens his cæleſtis brauij aculeis compunctus ad Pauli morem, quæ retro ſunt obliuiſcentis, & omni animi & corporis contentione, ad ea quæ ſunt priora extendentis ſeipſum magno ſtudio virtutibus incumbat, ſtultus verò ſæpè ſæpiùs in curſu deficiat, ac inſtabilis, & error ſit. Quare dum ſubiicit
Eccl. 10. 3. LXX. ſtatim Sapiens: *Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*, LXX. ſic legunt etiam *cùm in via ſtultus ambulat, cor eius deficiet*: & ad rem noſtram hæc omnia pulchrè ducit
Olymp. Olympiodorus in expoſitione litteræ adductus, modò verò penſitandus. *In hac vita, quam verè viam dixeris, ſtultus perambulans, cum ad ſiniſtram cor habeat ſemper ceſſat, ac poſterior inuenitur: in vacuum enim pergit nequaquam ſibi propoſito ſupernæ vocationis brauio. In anteriora itaque ſeſe non extendit, nec properat ad finem, ſed quamuis ad hæc ipſa pergere videatur, medio in curſu deficiet, omnia imperfectè, & ſine ratione cogitans, & aggrediens.* Optimè in vacuum *pergit, nequaquam ſibi propoſito ſupernæ vocationis brauio*, à quo recta feratur, magnitudine præmij allectus, & animatus. Pergit. *Quod ſi ipſam adeat viam iuſtificationum, vel, vt verius dicam, adire ſe ſimulet, hoc eſt diuinorum obſeruantiam mandatorum, quia tamen illius mens flectitur ad ſiniſtram, ceſſabit prorſus, atque deficiet, neque quid præceptum ſit, intelligat, neque operetur iuxta Legiſlatoris voluntatem.* Ita ille, vbi etiam obſerua illa. *Quia illius mens flectitur ad ſiniſtram, ceſſabit prorſus*: hoc eſt, quia amota conſideratione à cæleſtibus bonis, ea ſolùm contemplatur, quæ ob oculos habet: neceſſe quidem eſt, vt ab his omnino trahatur: *allicit enim homines magis dulce peccati* (vt dicebat. Ambroſ. *quod ad præſens infinit & impinguat viuentis affectum, quam triſte virtutis, quæ fidei ſpem veint quodam cortice amari laboris inuoluit.* Poſſis etiam tam ſapientis verba, *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius*: quam hæc Olympiodori *ceſſabit prorſus*, aliter, nec noſtro inſtituto minus opportunè inflectere ex Ariſt. lib. *de greſſu animalium* id inter dexteram, & ſiniſtram animalis partem conſtituente diſcrimen, vt illa ſit, quæ moueat, hæc quæ moueatur, his verbis: *Actionis*
Ariſtot. *item originem trahi a dextra parte, argumento ſunt omnes geruli, qui ſiniſtra ſolent onera baiulare. Cum enim dextra mouere, ſiniſtra moueri apta ſit, ob eam rem onera non parti mouenti, ſed mobili imponi debent.* Hinc etenim meritò dixeris ſupernæ vocationis brauium Paulo, & eius imitatoribus loco cordis ad dexteram propendentis, ſiue virtutis motricis eſſe, ideóque ipſos ad currendum virtutis ſtadium ſic moueri, atque impelli vt ſeſe ipſos ſemper extendant: inſipientibus verò, id eſt, temporalium amatoribus, quidquid cœleſte eſt, in ſiniſtra eſſe, eáque ratione illos à bonis operibus ceſſare prorſus atque deficere, quippe qui facultate motrice carent.

8. Firmat quæ hucuſque diximus Regius Pſaltes
Pſ. 118. 112. Pſalm. 118. 112. inquiens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem.* At enim non perinde hæc capienda ſunt; vt propoſito *propter* cauſam finalem ſignificet, ac ſi Dei obſequium inclytus Rex mercenario animo ſuſceperit; præſertim cùm ipſe Deum allocutus veraciter dixerit. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram?* Pſalm. 72. 25. *Pſal. 72. 25.* Sed quòd ex propoſito ſibi brauio generoſum ipſius cor ad dexteram propenderet, atque inclinaretur. Quare obſerua primò Hebræam vocem עֵקֶב *ghekeb*, pro qua Noſter habet *retributionem*, quæ propriè ſignificat *extremum*: ideóque *Hebr. lect.* ipſam Felix Pratenſ. ſignatè reddidit *calcem*: quaſi *Felix Prat.* metam, ſiue finem curſus: ſunt enim hæ prouerbiales locutiones eodem tendentes *à meta vſque ad calcem*. ſiue *vſque ad plantas, vſque ad oleas*. Poſuit verò Dauid *calcem*. ſiue extremũ pro brauio, vel corona in calce, ſiue meta propoſita; vt conſideranti patebit. Deinde pende phraſim, *inclinandi cor*: vno modo, ex trutinæ imagine cum Theodoreto; *Theod.* vt in hoc vitæ curſu, ſiue certamine, inter præſens dulce peccati, & triſte virtutis, quaſi libra conſtitutus Vates à cœleſti brauio ad virtutis labores ſuſcipiendos inclinaretur; & propenderet; ſic enim ille. *Trutinæ ſimilis eſt ipſum animi conſilium: tenétque trutinam mens, cui regendi munus demandatum eſt, quæ ſi ad pias cogitationes, ac rationes acceſſerit, neceſſe eſt, vt ad præſtantiora libra propendeat, & inclinet; id ſe feciſſe Propheta dicit: Inclinaui cor meum. nam vtilitatem ſpectans inde exſiſtentem, libentiſſimè pro his rebus laborem ſuſcepi*: ac ſi dicat: conſpiciens in extremo curſus ſplendentem coronam, vehementiùs ad currendum ab ea excitatus ſum. Altero ex aquæ ſimilitudine; vt enim aqua (inquit inibi Agellius) ſi per locum *Agell.* proniorem ducatur, ſuo impetu ſequitur, & inclinatur: eodem ita cor vbi aliquid commodi, vel iucundi ei oſtenderis, ſua ipſum ſponte inclinatur, & propendet. Quid autem efficacius? quid aptius ad cor inclinandum ad faciendas Dei iuſtificationes inuenitur, quàm ſi illi fructum æternæ retributionis oſtendas? Pulchrè ergo Dauid arduum virtutis cliuum, adeò pronum, atque decliuem à cœleſtis brauij conſideratione. ſibi redditum affirmat; vt ad currendum iuſtitiæ ſtadium, vltro ipſum inclinetur, atque procliue ſit. Adſimilis Moyſi animus, de quo Paulus ad Hebr. 11. 27. cùm dixiſſet: *Fide* *ad Hebr. 11. 24. & 27.* *Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*; ſubiicit: *aſpiciebat enim in remunerationem.* & ſtatim: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem regis: inuiſibilem enim tamquam videns, ſuſtinuit.* Ad quæ loca egregij ſunt Patrum commentarij, & obſeruationes: adi illos.

VERSVS XV.

Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi quid aliter ſapitis, hoc vobis Deus reuelabit.

VIx hæc legas, quin ſtatim cum Patribus & interpretibus dubites qui 1.
hæc cum ſuperioribus hæreant, ſiue quomodo ſibi Paulus conſtet iam perfectum ſe appellando, qui verſu 12. tanta aſſeueratione negauit eſſe perfectum.

Hieron. O *Paule* (verba sunt Hieronymi libr. 1. aduersus Pelagianos) *dicis te nondum accepisse, & necdum comprehendisse, & necdum esse perfectum, & præteritorum semper obliuisci, & ad priora te extendi; si quomodo possis occurrere in resurrectione mortuorum, & consequi brauium supernæ vocationis? Et quomodo statim infers*; quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus? *comprehendisse, quod non comprehendimus, accepisse, quod non accepimus, esse perfectos, qui nondum perfecti sumus? Quid ergo sapimus, imò quid sapere debemus, qui perfecti non sumus: imperfectos nos esse confiteri, & necdum comprehendisse, necdum accepisse.*

2. Vt dubitationi Patres occurrant, in varios dicendi modos diuiduntur, imò & singuli in singulis non quiescunt, sed alios, atque alios afferunt. *Ambros.* Ambrosius perfectum se Paulum appellasse respectu aliorum, qui segniter, & oscitanter in virtutis studio se gerunt, sic intelligit. *Ad comparationem autem cæterorum, qui res diuinas negligentiùs curant, perfecti dicendi sunt, qui adhibita solertia perfectionis iter ambulant.* *Hieronym.* Ab hoc non Hieronymus in cap. 1. Abacuc, asserens sub diuersis personis hæc, & illa verba dici ab Apostolo; nimirum priùs in persona incipientium, nunc sub perfectorum persona, quorum vnus ipse esset, fuisse loquutum. *B. Brun. Anselm.* Aliter Bruno & Anselmus, dum existimant Paulum se idcirco inter perfectas numerare, quòd perfectionis leges, quoad præsens viatoris status patitur, expleret; imperfectum verò vt cœlestibus spiritibus, & beatis comprehensoribus comparatus: sic enim Bruno. *Quod supra ait*, Non quòd iam perfectus sim; videtur oppositum ad *hoc quod hic ait*; perfecti sumus, *Sed non impedit. Ibi enim ait de perfectione cognitionis Dei, in qua nemo in hoc mundo perfectus est. Hic ait de perfectione virtutum, quam habere possumus in hoc mundo, in qua perfectione multi gradus sunt. Paulus enim perfectior alio, & quilibet sine næuo criminali vitam ducens, perfectus dicitur.* Hæc ille. Similiter Anselmus, *perfectus erat Apostolus iuxta modum humanæ possibilitatis, sed adhuc perfectionem expectabat ex dono supernæ largitatis, vt æqualis fieret Angelis. Erat perfectus viator sed nondum perfectus patriæ possessor*. Ita Anselmus ab *August.* Augustino non semel idem affirmante, vide illum serm. 15. de verb. Apost. cap. 15. & ab Ambros. lib. *Ambros.* 3. offic. cap. 2. vbi sic inquit, *Ipsum Paulum lego perfectum, & non perfectum, nam cùm dixisset:* Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim: *statim subiecit:* Quicumque ergo perfecti sumus. *Duplex enim est forma perfectionis; alia medios, alia plenos numeros habens; alia hic, alia ibi, alia secundùm hominis possibilitatem, alia secundùm perfectionem futuram.* Hæc Ambrosius.

3. *Remig.* Vtrumque dicendi modum complexus videtur Remigius; hæc sic explicans. Quicumque ergo perfecti; *subaudi* sumus *ad comparationem aliorum* hoc sentiamus *subaudi, quia non sumus perfecti. Quicumque perfecti sumus, id est, perfecti arbitramur esse ad comparationem infidelium, & minus intelligentium, hoc sapiamus, quia non sumus perfecti ad comparationem illam, quam percepturi sumus in die iudicij.* Sic ille. At enim verò, si attendis, facilè videris neutram expositionem è re Pauli esse, vt quid enim ille perfectum se, vel respectu eorum, qui res diuinas negligentius curant, vel etiam Angelorum diceret, cùm vtraque locutio non mediocriter cum eius modestia pugnaret. Quid, quòd adhuc pungit difficultatis stimulus cum hoc eodem sensu; sub quo ab his Patribus perfectus modo asseritur, ipse priùs perfectum se esse negauerit.

Aliter ergo respondent alij ex Clemente Alexandrino lib. 1. Pædagogi cap. 6. perfectorum nomine singillatim compellantis eos, qui Baptismi Sacramentum perceperunt. 4. *Clem. Alex.* Sic enim ibi. *Accedit his, quod liberatio a malis est initium salutis; soli ergo, qui vita fines attigimus, iam perfecti sumus*; verùm si de sensu, & accurata versione huius testimonij Clementis ad acuta veniatur, nihil iis authoribus fauet. Maius momentum habent, quæ indidem scripsit, hæc verba sic ex professo tractans, *Et se ipsum perfectum existimat, quod à priori vita sit liberatus, meliorem autem persequitur, non tanquam iam à cognitione perfectus, sed tanquã id, quod est perfectum, desiderans, & ideo subiungit*, Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, *perfectionem scilicet, dicens renunciasse peccatis, & in fidem eius, qui est perfectus, esse regeneratos, posteriorum peccatorum oblitos.* Hæc ille, quæ vt non inficiabor probabiliter dicta, ita etiam affirmauero, animum nequaquam explere meum: nec tam nata, quàm exquisita, & inuenta ad effugiendam difficultatem censenda esse; duriusculum enim est perfectum sumi pro recenter immuni à peccatis. Est quidem initium sapientiæ timere Dominum, imò, *& sapientia prima stultitia caruisse.* Vt dixit Lyricus; *Horat.* at perfectionis nomen, sublimius aliquid, & augustus sapit, quàm à peccatis ablui.

5. *Fulgent.* Aliquanto quidem probabilius hac in re disseruit Fulgentius libro 1. ad Monim. cap. 15. vtrumque Apostoli testimonium eleganter versans; & Paulum siue ex futuræ retributionis spe, siue ex supernæ patriæ desiderio, *perfectum*; ex humanæ verò mortalitatis lege, & peregrinationis statu, imperfectum asserens hunc in modum: *Nunc autem diuinorum munerum, (vt ita dicam) nondum est perfecta perfectio, vt pote vbi omnis perfectus perfectionis est indigus. Nam ille qui dixit*, quotquot ergo perfecti sumus, hoc sentiamus, *idem dixit*, non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim. *Fuit ergo perfectus, spe futuræ glorificationis, fuit autem imperfectus onere corruptionis, & mortalitatis.* Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Sap. 9. 15.* *Fuit perfectus expectatione muneris, fuit imperfectus fatigatione certaminis; fuit perfectus, quod mente seruiebat legi Dei; fuit imperfectus, quod carne seruiebat legi peccati: fuit perfectus* desiderium habens dissolui, & esse cum Christo; fuit *imperfectus, quia quamdiu fuit in corpore*, peregrinabatur à Domino; fuit *perfectus, plenissimè sciens. quia Deus quæcumque promissa potens est, & facere; fuit autem imperfectus, quia Deus in sanctis suis quædam nondum fecit ex omnibus quæ promisit*, &c. Hactenus Fulgentius.

6. Verùm opportuniùs præfatæ difficultati occurres, si dixeris, sic esse capiendam posteriori loco vocem *perfectus*, vt non tam perfectionem actualem, cui reapse nihil desit, quàm eam, cui operam nauamus, quam consequi expectamus, quam profitemur, siue etiam quam vel aliorum, vel nostra opinione habere existimamus denotet: vt dum ait Paulus, *Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*, velit dicere, quicumque perfectioni incumbimus; siue emphaticωs, nec sine morsu, ad Philippensium, qui opinione sua perfecti erant, elationem reprimendam;) qui adeptæ perfe

perfectionis specimen aliquod dare volumus, hoc sentire debemus, nos perfectos non esse. Quare? quia ea perfectionis natura est, vt nullis terminis claudatur, quin plus plus addi illi indesinenter possit. Nemoq; opinione sua perfectus, sed perfectionis studiosus, existimari debeat, sicut ille tunc verè sapiens dicitur, qui negat se sapientem, sed sapientiæ amatorem, & studiosum esse. Dixit enim sapienter ille, vt suprà memini, qui sapientissimus ab omnibus credebatur, *hoc vnū scio, me nihil scire*; Leo Magn. ita Leo Pontifex serm. 2. de Quadragesima. *Hæc est perfectorum vera iustitia, vt numquam præsumant se esse perfectos*; & Augustinus serm. 50. de tempore, August. *Ita est perfectio hominis, inuenisse se non esse perfectum*, & in Psalm. 38. *Aliter ergo hic non potes esse perfectus, nisi scias hic te non posse esse perfectum.* A quo Nyssen. non abit Nyssenus libr. *de vita Moysis, siue de perfectione vitæ ex præscripto virtutis instituta*: vbi cùm dixisset. *At verò, qui non simulatè sed verè virtutem sequitur, Deo, qui perfecta virtus est, participatione coniungitur. Deus autem terminum non habet: quare cùm eius, quod natura bonum est, omnino participes esse desiderent, qui illud nouerunt; necesse est participantis quoque desiderium, cùm ad interminatum, infinitúmque seipsum extendat, nullum habeat exitum, quo cessare possit.* Sapienter & oportunè subiicit. *Non tamen quoniam quod quæritur, exitum non habet, idcirco præceptum illud Domini negligendum, quo dici-* Matth. 5. 48. *tur:* Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. *Nam & si totum consequi nequeas, tamen in rebus omnibus, quæ natura bonæ sunt, non paruum est lucrum (nisi desipis) vel partem earum aliquam consequi*; concludit. *Ita se habere, vt ad vlteriores semper in virtute, ac bono velis ascendere, idipsum forsan humana natura perfectio est.* Hactenus Nyssenus.

7. August. Habet quidem pro se hæc expositio plures è Patribus, & Augustinus quidem Primasius, atque Hieronymus, qui aliis dicendi modis alibi adhæserunt, hunc mirificè confirmant. Sanè cùm Augustinus lib. 3. contra duas Epistol. Pelagianorum, vtraque Pauli verba citasset, hæc subdit. *In quibus verbis ostendit, secundum istius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque nouerit nondum esse perfectum*, & post nulla. *Tunc enim est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parua iustitia, quando etiam quid sibi desit intelligit, ideòque Apostolus & imperfectum & perfectum se dicit: imperfectum scilicet cogitando quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit, & sitit. Perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat bene procedit*, Ita ille. Eadem omnino transcripsit Prima- Primas. sius hîc, subdit tamen, *si perfectè currimus, hoc sapiamus quòd nondum perfecti sumus.* Similiter Hieronimus præfato lib. 3. aduersus Pelagianos, vbi post citata superiùs verba, dubitationi sic re- Hieron. spondet. *Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum se esse nosse: atque vt ita loquar, cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.* Consentiunt Chrysostomus & Græci, sic enim ille post- Chrysost. quam citasset hæc Pauli verba. *Quid hoc est? nimirum, quæ retro sunt obliuiscenda esse, ita vt perfecti hominis sit, non se existimare perfectum esse, quomodo igitur dicis?* quicumque perfecti. *Dic enim mihi hoccine vis sapiamus quod tu sapis? Nam si non assequutus es, si non es perfectus, quomodo iubes perfectos hoc sapere, quod & tu sapis, qui nondum perfectus? Hoc enim (inquit) perfectio est.* Sic Chrysostomus. eadem habet Theophyl.

Theophyl. quibus addit. *Hæc enim vera est illa perfectio, quæ sibi minus confidit.* Nec minus opportunè S. Thomas S. Thom. sic premens hæc verba. *Et ait:* Quicumque, *quia quanto quis est perfectior, tanto imperfectum se magis* Iob 42. 5. *cognoscit.* Iob vlt. Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te. Idcirco ipse me reprehendo, & pænitentiam ago in fauilla, & cinere. Sic S. Thomas.

8. Iam verò hanc Pauli expositionem ea omnia confirmant, quæ ex ipsius mente ad id vers. 12. *Sequor autem*, diximus: illud verò huic sententiæ omnino consentaneum videtur, quod Numerorum 6. 18. Nazaræis præscribebatur; vt cùm voti religioni Deo adstricti promissa sua complessent, atque consecrationem ad exitum perduxissent; capillos capitis sui abraderent. Sic enim ibi vers. 13. *Ista est lex consecrationis. Cum* Num. 6. 18. *dies, quos ex voto decreuerat, complebuntur*: siue, vt est in Hebræo *in die, qua completi fuerint* Hebr. lect. *dies Nazaræatus eius*, &c. *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsariem consecrationis suæ*, &c. Et verò cùm capillorum abrasio deuotionis, siue seruitutis signum sit, meritò ambigitur, cur ei post impletum Nazaræatus ministerium; non verò cùm se priùs voti religione obstrinxit, & Dei cultui mancipauit, peculiare id obsequij, & deuotionis specimen dare præscriptum sit? Sed ad manum responsio est: inde nimirum illos admoneri ne perfectos, & consummatos se iam esse existimarent, sed qui tunc primum in Dei obsequio pedes ponerent, scitè id explicante Venerab. Stephano Canthuariensi in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Post expletum* Steph. Canth. *tum votum Nazaræus capillos radere iubebatur, hoc est, quod cùm aliquis ad perfectionem venerit, tunc se primò reputet inchoasse.* In quam rem Leo Magnus serm. 2. de Quadragesima, cùm dixisset, Leo Magn. *Natura enim nostra manente adhuc mortalitate; etiam si ad summa quæque virtutum studia proueheatur, semper tamen sicut potest habere quo recidat; ita potest habere quò crescat*; subjicit opportunè; *& hæc est perfectorum vera iustitia, vt numquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes ibi incidant deficiendi periculum, vbi proficiendi deposuerint appetitum.* Hæc Leo: ita quidem Corinthios, ad perfectionis apicem se peruenisse credentes; quasi virtute satiatos pungebat Paulus; inquiens, *iam saturati estis, iam diuites facti estis*, 1. ad 1. ad Cor. 4. 8. Corinthios 4. 8. in quæ verba Chrysostomus pulchrè ait: *Paucis satiari imbecillis est animæ, &* Chrysost. *parua occasione putare se ditescere, nauseabundæ est, & misera siquidem pietas insatiabilis est.* Sic ille.

9. Gen. 2. 3. Hinc diem septimum peculiari à Deo benedictione donatum sic legimus Genes. 2. 3. *Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum.* Sed quare ipse præ omnibus eximiam hanc gratiam obtinere meruit? Sanè, quòd virtutis forma, & exemplar fuerit: quippe vnus is inter omnes hebdomadæ dies vespere habuisse non dicitur. Sic enim de aliis: *factum est vespere & manè dies vnus*, Genes. 1. 5. *factum est vespere, & manè dies* Gen. 1. 5. *secundus*, &c. De die verò septimo nihil tale legitur; quasi illi nihil vespertinum fuerit admixtum, sed totus in manè fuerit: vt argumento fuerit, perfectum virum nunquam arbitrari debere se perfectionis metam attigisse, sed in initio cursus esse: vt ad ea verba obseruauit idem Stephanus Canthuariens. apud Gotfridum Tilman. Steph. Canth. hûc in modum. *Nota quòd dies septimus non legitur ha*

habuisse vesperè, sed manè; quia homo semper debet reputare. quod si in manè, & non in vespere, id est in initio operis, & non in consummatione; & rectè quidem: nam *vera virtus* (Bernard. Epist. 253.) Bernard. *finem nescit*. Nyssen. Qua de re Nyssenus lib. *de vita Moysis, siue de perfectione vitæ ex præscripto virtutis instituta*; Pauli exemplo adducto sic optimè locutus est. *Perfectio in omnibus alijs, quæ sensu percipiuntur, terminis quibusdam comprehenditur; in virtute verò hunc ab Apostolo perfectionis terminum esse didicimus, quod nullus in ipsa sit terminus. Quippe cum ille ipse Paulus vir diuinus, & mente altissimus semper, ac iugiter per virtutem suum cursum intenderet, nec vnquam ad maiora conscendere negligeret; non enim tutum illi erat à cursu desistere. Cur ita? Quoniam omne bonum ipsa natura, quæ bonum est, non habet terminum, sed contrarij operatione terminatur, vt vita morte, lux tenebris, & omnino bonum omne in eo desinit, quod ipsi contrarium esse intelligitur. Quare quemadmodum vita finis mortis initium est, sic cursus ipsius finis, qui secundum virtutem est, vitiosi cursus initium inchoatur*. Hæc ibi Nyssenus.

10. Mirè quidem ad hanc perfectionis legem sanctus Abraham, egregiúsque ille vir, qui secundùm cor Dei erat, se componebant: ille etenim post magna virtutum incrementa tyronem, & incipientem in iustitiæ stadio se esse censebat. Genes. 18. 17. LXX. Certè vbi Genes. 18. 17. nos habemus. *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum?* LXX. habent, *Abrahamum puero meo*. Quòd si pueri nomen homini centum annorum non bene quadrare autumes, scito ad animi alacritatem, qua post egregios virtutum profectus, vt puer ad denuo proficiendum incipiebat ex Ambrosio esse referendũ. Sic enim Ambros. ille lib. 2. de Abraham cap. 6. *Senilis vtique ætatis Abraham superius Scriptura significauit, cum nonaginta & nouem processisset annos; quomodo nunc puerum ait? Sed cum immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit; nónne conuenire nomen pueri videtur? ergo meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam, & obsequium deferebat*. Ad quem etiam modum Dauid post tot in virtute factos progressus, cor nouum, & rectum à Deo spiritum efflagitabat, Psal. 50. 12. Psalm. 50. 12. Quid? deesse ne id illi credideris? Minimè quidem, sed veteranus miles, tyronem se in Dei disciplina profitebatur, & quotidiana puritatis innouatione indesinenter, innouari cupiebat, vt scitè pendit Gregor. Nazianzen. Gregor. Naz. orat. 43. inquiens: *Quin diuinus quoque Dauid cor mundum in se creari, ac spiritum rectum in visceribus innouari postulat; non quod non haberet. (quis enim habere possit, si tantus vir eo careat:) sed quod pro nouo id ducat, quod nunc quotidie ac reficit*. Sic ille. Ad quem sanè modum de Moyse, vt cum Deo quotidie colloquente, ita eius faciem nouo animi ardore denuo videre desiderante inquit Gregor. Nyssen. Nyssen. lib. de vita Moysis. *At tot, tantisque sublimationibus elatus adhuc tamquam famescens, ac sitiens, tamquam eo carens, quo semper fruebatur; orat, vt videat*. Benè *tamquam eo carens, quo fruebatur*, quòd iam perfectus, perfectum se non nosset, & qui cor nouum, & spiritum haberet rectum; ac si non haberet, enixiùs peteret, & ad illud semper anhelaret.

11. Nec alio quidem sensu censendus est dixisse Psal. 118. 96. idem Vates: *Omnis cõsummationis* (Græcè *perfectionis*) *vidi finem: latum mandatum tuum nimis*. Psalm. 118. 96. Quid enim? credis ne his verbis dicere voluisse, perfectionis finem siue apicem se iam attigisse? At quî id sapiens vir potuisset affirmare? Sanè alia omnino huic dicto sententia subest; nam Hilario inibi obseruatore; Græca vox πέρας, quæ fini respondit; non *finem*, sed *vltra finem* Hilarius. Græc. Lect. significat: audi illum; *Græcè* (inquit) *alia vis dicti huius est, quod cum Græcis πέρας nuncupatur, vltra finem est rerum statutarum, neque aliquo, vt desinat, continetur, sed omnem limitem sub indefinita significatione transcendit*. Quare, adeò non dicit Vates, ad consummationis metam se iam peruenisse, vt potiùs affirmet virtutem, siue perfectionem eius naturæ, atque conditionis esse, vt nullus ipsi terminus præfigi possit, quod vltra omnem metam, & finem sit. Ita omnino Græcus Pater apud Agellium, dum ait: *Hoc hominis est, qui per* Agell. *omnem progressionem ad virtutis finem peruenerit, qui ad perfectionem properans multa initia, finésque constituit, prioris namque probitatis terminus initium est consequentis, iuxta illud Ecclesiastici* 18. 6. cùm consummauerit homo, tunc incipiet. Sic ibi. Pende illa, *qui ad virtutis finem peruenerit*. quasi omnino censeat, illum denique ad perfectionem peruenire, qui nullum sibi perfectionis terminum designans, ad vlteriora semper tendat reputans quòd sit in mane, & non in vespere, vt dicebat Stephanus. Inde verò germanum hũc Vatis sensum esse coniicies, quod id sequens hemistichium, *latum mandatum tuum nimis* optimè hęreat: vt tota sententia sit. Nulla quidem legis tuæ perfectioni meta, aut finis subest, sed latissima, & pænè infinita est: sic extrema hæc Vatis verba explicante S. Ioanne Climaco *in scala spirituali* gradu S. Ioan. Clim. 26. aliàs 30. de discretione tom. 5. Biblioth. veterum Patrum ad hunc modum, *Si quidem boni, & probati operarij ex vita actiua proficiunt in virtutem contemplatiuam, si charitas nunquam desinit; si Dominus custodiet introitum timoris tui, & exitum charitatis tuæ. Huius profectò possessio infinitus est finis, in qua proficere nunquam desistemus*. Ita Climacus.

Adsimilis est eiusdem Vatis sententia Psalm. 12.
126. 3. cùm ait: *Surgite postquam sederitis, qui* Psal. 126. 3. Hilarius.
manducatis panem doloris. Sed priùs nosse oportet, quid *panis doloris* sit? Et illum quidem inibi Hilarius ab iis edi censet, qui adeò toti in proficiendo sunt, vt quò plus proficiunt, magis doleant, quòd plus non proficiant, & nouis subinde gressibus ad anteriora non tendant, cui sensui inquit Hilarius omnino concinere illud Ecclesiast. 1. 18. Eccles. 1. 18. *Qui addit scientiam, addit laborem*, siue, vt Hebræi, ac Græci Codices, quos sequitur Hilarius habent, *addit dolorem*: sic enim ipse. *Cum enim veritatis cognitio voluntatem nostram ad profectũ consequendæ vtilitatis instiget, & naturæ consuetudo voluntatem scientem se profiteri oportere detineat, profectus scientiæ profectus doloris est*. Iam ij, qui profectui virtutis tam constanter insistunt, quid moneantur audi. *Surgite postquam sederitis*: hoc est, cùm post multos in virtute factos prægressus ad perfectionem vobis peruenisse videatur, tunc denuo vt tyrones & incipientes, ad nouos profectus faciendos surgite. Vnde subijcit Hilarius: Hilar. *Tendendum est autem semper non etiam desinendum, neque idcirco ad profectum non contendendum, quia doleamus id quò tendimus non posse contingi, sed ipsa contendendi pertinacia dolendum est, nos non posse contingere, quò tendimus*. Addit statim sub hoc sensu dixisse Dominum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matthæi capite quinto, vers. 5. *Beatitudinem consolationis ob luctum, & dolorem non adeptæ consummationis impertiens*.

Quò

Quò quidem per allegoriam retulit Isidorus Hispalens. in qq. in Leuiticum, quæst. 41. Moysis mortem, quæ ipsi in eius montis vertice occurrisse dicitur, à quo subinde ad occupandum promissionis terram descendere oporteret, quòd post nuncium sæculo remissum, & omnimodam carnis mortificationem denuo in via Dei ambulandum, & ad adeptæ perfectionis opinionem, siue
S. Isidor. iactantiam descendendum sit. *Simul considerandum* (inquit ille) *quod habitatio transeuntium in montibus sita sit, & adhuc profectu indiget. Post montes enim plurimos ad campestria Moab, & Iordanis fluenta descendimus, quæ interpretatur* descensio. *Nihil enim tam periculosum est, quam gloriæ cupiditas, & iactantia, & animus conscientia virtutum tumescens.* Sic Isidorus.

13. Hæc pro PP. expositione non omnino importunè dixisse placuit. Sed enim verò, quia non mediocris huius loci difficultas, visa semper est. Ipséque ex difficultate, & egregia doctrina celebris apud Patres habetur, iuuat ex Græcis verbis aliam ei expositionem adhibere, dum non nihil discriminis inter hanc, & illam perfectionem, cuius Paulus priùs meminit, inuenio. Sanè, si obseruas,
Græc. Lect. Græcè non est eadem vtrobique vox. Nam cùm versu 12. dixit, *aut iam perfectus sim*, est τετελείωμαι. Quod verbum maximè in præterito, vt ibi est; significat perfectum omnino, & omnibus numeris absolutum esse redditum; hîc verò habetur τέλειοι quod nomen, cum sine adiectione ponitur, vt hîc esse videris, ad ætatis virilis significationem pertinet, significátque adultos, seu eos qui viri facti sunt, vnde hæc loquutio, nec cum superiori, nec cum Pauli modestia pugnat. Nam est sensus, Qui ad virilem ætatem Magistri esse possumus, Hispana locutione opportunè diceremus, *hombres de barbas en la cara*: hanc opinionem de natura perfectionis habere debemus sicque animum inducere, vt numquam credamus, nos esse perfectos, sed quibus multo maior virtutis accessio possit aduenire; innuens simul sapienter senex Paulus, proprium puerorum, paruulorúmque sensum esse, illico sapientes se, atque perfectos reputare. Quò mirè facit, quod ad hunc etiam modum Plutarchus in libello, *Quomodo sentias te in virtute proficere*, inquit. *Nauigare* (*ait Menedemus*) *complures studiosorum causa Athenas. Sapientes primum inde fieri, Philosophos deinde, mox Oratores, neque ita multo post idiotas, rerúmque omnium ignaros sese appellare. Quo enim magis cuique ex Philosophia accedit rationis, eo plus decidit fastus, & arrogantiæ.* Sic ille. & paulo antè, de his, qui verè, & pleno pectore sapiant. *Denique non vsurpant solitam Philosophiæ gloriam, insignéque nomen sed in mutuis colloquijs, cum super ea re incidit sermo, abundè satisfactum est; si quis bonæ indolis nouitius prædicetur, atque hæc subridens excipit quisquam rubore perfusus, modestúsque Homerico illo respondet carmine.*

Quid superis æquas hominem, quasi ego numen sim? Hæc ad rem Plutarchus. Adde valde familiare Paulo esse, vti phrasibus paruulorum & eorum, quibus lacte opus sit, quæ huic adultorum, de qua agimus, omnino respondent: vide ad Ephes.
ad Eph. 4. 14. 4. 14. *paruuli fluctuantes*, & 1. ad Corinthior. 3. 1. *Tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi*; & eadem epist. cap. 13. 11. *Cum essem paruulus*; & ad Hebr. 5. 12. *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est.*

Exsibilandus iam, atque irridendus hic est in- 14.
sanus hæreticorum nostri æui sensus, certum in hac vita virtuti, ac meritis terminum præfigentium, & quidem adeò breuem, & circumscriptum, vt ipsimet errones, qui nec primum in via pedem posuerunt, nec iustitiam à limine salutarunt, Paulo sanctiores, ac perfectiores stadium percurrisse; & metam attigisse glorientur. En ingenium paruulorum, tyronum, & idiotarum, vt inquit Plutarchus, siue imbe- Plutarch.
cillis animæ, nauseabundæ, & miseræ, quæ paucis satiatur, vt superiùs adductus Chryso- Chrysost.
stomus dicebat. Pulchrè Augustinus libro 2. August.
contra duas Epistolas Pelagianorum; ac si hos præsentes habuisset; eorum insaniam sic confutat. *Hic dictum est*, Beati, qui esuriunt, & si- Matth. 5. 6.
tiunt iustitiam: *in cælo autem*, Quoniam ipsi saturabuntur. *Quis igitur ita non solum a diuino, sed a sensu quoque abhorreat humano, qui dicat in hominem tantam esse posse iustitiam, cum ab illo esuritur, & sititur, quanta erit cum ex illa saturabitur? Quam vero est non adeo impudens, sed insana superbia, nondum esse æquales Angelis Dei, & putare se tam posse habere iustitiam æqualem Angelis Dei, nec intueri tam magnum, & spiritualem virum, qui vtique ipsam iustitiæ perfectionem esuriebat, & sitiebat, quando magnitudine reuelationum noluit extolli, & datus est ei angelus Satanæ, audiuitque*; Nam virtus in infirmitate perficitur. Hæc & plura, quæ in longum eunt, Augustinus ibi.

Et si quid aliter sapitis, & hoc Deus vobis reuelabit.

VAriant Codices; &, vt Græci, Syriaci, & 15.
Romani nouiter excusi in futuro legunt Græc. Lect.
reuelabit, ita plures alij, quos & nunc habe- Syrus.
mus, & nacti sunt Ambrosius, Bruno, Remigius, & alij antiquiores habent *reuelauit*; vnde locus hic in varios sensus trahitur ab interpretibus. At enim verè cùm ex exemplaribus Græcis, & Latinis emendatioribus, & Tertullianus lib. de corona militis cap. 4. & ex ipso contextu constet legendum esse *reuelabit* in futuro, non est cur verum sensum importunis expositionibus impediamus. Ergo Paulus, qui dixerat, perfectos, siue adultos, & virilis ingenij homines, demisse, atque humiliter de se sentire debere, miniméque existimare ad metam iam peruenisse, subiicit modò; quòd si vos hac in re aliter apud vos statuistis, aliáque à mea mens est, non dubito quin Deus, quàm longè à vero sensu abeatis, vobis sit reuelaturus. Quò possis in primis ducere Tertullianum citato loco hæc sic efferentem. *Si quid ignoratis, Deus vobis reuelauit, solitus & ipse consilium administrare.* Sed Anselmus omnino ad rem sic explicat: *Et si quid aliter sapitis vt* Anselm.
paruuli; id est, si iam putatis vos, aliquid egisse, esse, vel scire, & vos; vobis reuelabit Deus, quòd non rectè id sapitis. Nec aliter Bruno non quiescens in alia lectione, atque explicatione ad hunc modum: *Sentiamus nos imperfectos, & si vos aliquid aliter sa-* Bruno.
pitis, quam sapiendum sit a carnalibus decepti Deus reuelabit vobis hoc quomodo sentire debeatis. Sed luculentiùs Chrysostomus sic explicans, id est: si Chrysost.
quis autem putat, se totum rectè esse assecutum, cauet nimirum illis: at non ita dixit; sed quid? Et si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. *Vides quam verecundè. Hoc* (*inquit*) *vos Deus docebit:*

docebit: id est, Deus vobis persuadebit, non tantùm docebit. Nam docebat quidem Paulus, Deus autem inducebat. Et non dixit, inducet, sed reuelabit, vt ignoratio videatur potius quam improbitas; & statim: *Non hæc de dogmatis dicta sunt, sed de perfectione vitæ, vt nemo se ipse existimet perfectum esse. Etenim qui omnia se putat consecutum, nihil habet.* Hæc Chrysostomus.

16\. Sed qua ratione in animum sibi inducat Paulus, reuelaturum Deum veram de perfectione sententiam iis qui aliter sapiunt? Refert id Bruno ad bonitatem, & ingenium Dei dona sua promouentis, & perficiētis in homine, bonus opus quod incepit; sic enim ille:

Bruno. *Deus reuelabit vobis hoc, quomodo sentire debeatis, qui iam aliquid fecit in vobis*; ac si dicat: Is enim, qui vos tot iam muneribus cumulauit, hoc etiam ad pristina beneficia adiiciet, quod ad molestiam, ac demissionem animi pertinet. Aliter Anselmus, atque Remigius; quorum prior in charitatis & humilitatis præmium; posterior verò absolutè in bonorum operum retributionem hoc illis donum Deum præbiturum affirmant: ait enim Anselm.

Anselm. *Qui enim in pace catholica permanet, si quid aliter sapit, quam oportet, humili Deus reuelabit: si illud superbus defundit, Deus abycit.* Similiter Remigius componens hæc verba

ad Rom. 14. 5. cum illis ad Romanos 14. 5. *Vnusquisque in suo sensu abunde*, ad hunc modum. *Quid ergo si hæreticus est, debet in suo sensu abundare? Minimè; non de hæretico loquitur, sed de Christiano. Vnusquisque (inquit) fidelis in suo sensu abundet*; *id est, quod credit, opere impleat, studeátque abundare virtutibus: & si quid aliud sapit, quod contra fidem sit; propter bona opera*, quæ habet reuelabit illi Deus; *vt illud corrigat, sicut fecit Cypriano Carthaginensi Episcopo, qui vnam mersionem tantummodo dabat baptizandis, ignoranter illud agens, sed quia bonis operibus inseruiebat, & hoc quod intelligebat, opere implebat, meruit reuelationem percipere a Domino, vt ternam mersionem daret baptizaturis.* Hæc Remigius.

VERSVS XVI.

Verumtamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula.

1\. Lect. Syriac. ALITER expressit hæc lectio Syriaca in hunc modum: *Verumtamen ad id vt pertingamus eamdem perficiamus semitam, eadémque concordia*: vt videatur exprimere quod ad præcedentia verba dicebant Remigius, & Anselmus, in charitatis & cæterarum virtutum præmium, germanum de perfectione sine modo quærenda sensum à Deo donari; ac si dixerit Paulus, at enim vt id mereamur à Deo donum accipere, virtutibus, præsertim verò charitati, atque concordiæ sedulò, ac indesinenter debemus incumbere. Noster autem Vulgatus non omnino videtur eò respexisse, independentem ab ea sententia sensum exhibens: nimirum, vt nouum constantiæ, & eiusdem vitæ tenoris monitum ingerat Paulus ad hunc modum. Sed id nobis iterum, atque iterum animo infigendum est; vt quod diuino munere assecuti sumus, studiosè, & firmiter retineamus; vt eumdem scilicet vitæ tenorem, eamdémque charitatis & concordiæ regulam sequamur: ita Chrysostomus, inquiens. *Quid* hoc est? *Interea inquit, quod boni consecuti sumus, teneamus charitatem, concordiam, pacem: hoc nobis rectè consertum est.* Chrysost. Nisi mauis hæc superioris orationis explicationem, siue limitationem esse; vt dixerit Apostolus. Dum tamen in eadem regula, & in eodem concordiæ spiritu permaneamus: sicut visus est explicasse Anselmus, inquiens: *Sed tamen teneamus omnes illud, ad quod peruenimus, vt idem sapiamus credendo* & permaneamus in eadem regula *disciplinæ; id est, rectitudine viuendi, scilicet, vt nemo propter nouam inuentionem, vel intelligentiam suam deserat communem sensum fidei, seu regulam iuste viuendi constitutam a Patribus.* Anselm. Ad quem etiam modum dixit Ambrosius, *Ad quod peruenimus vt idem sapiamus, hoc est; non extra regulam disciplinæ sapere in conuersatione fidei, sed hoc sapere, quod commune sit, & modestum in Euangelij veritate.* Ambros. Ita Ambrosius. Premit subinde Chrysostomus, vocem *regula*, inquiens. Vides Paulum hoc *velle*, Chrysost. *præcepta esse regulam? regula neque additionem, neque detractionem capit: ceteróque iam non est regula.* Sic ille.

Est quidem verum ex vsu Patrum *regula* ad normam extendi, vt indicabat Ambrosianus. Et 2.
disertè Tertull. lib. de veland. virg. cap. 1. dum ait:
Regula quidem fidei vna omnino est sola immobilis, & irreformabilis, credendi scilicet in vnicū Deum omnipotentem, mūdi conditorem, & filium eius Iesum Christum natum ex Virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, &c. Tertull. Ad quem Tertulliani locum egregius ipsius Scholiastes Ioan. Ludouic. de la Cerda, per quem semper profecisse gloriamur, pro florida eruditione, quæ illi nunquam deest; Clement. Roman. Luciferum Calaritanum; necnon Eusebium Galliarum Episcopum, & alios eumdem dicendi modum vsurpantes, adiungit: & Clemens quidem Epist. 1. sic ait: *Hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Clem. Rom. Lucifer verò in Epist. ad Constantium: *Formam traditam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos.* Luc. fer. Similiter Eusebius: *Secundùm regulam doctissimorum.* Euseb. At enim negari non potest tam hîc, quàm apud PP. regulam tam fidei normam, quàm disciplinæ præcepta comprehendere: vt Cornelius, & alij interpretes bene obseruant. Cornel. Vnde quidem opportunè hæc verba explicauit Eulogius Alexandrinus Archiepiscopus lib. 4. contra Nouatianos apud Photium in Bibliotheca, cum præcedentibus sic connectens: *Diuus Paulus ait*, Ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora, extendens me ipsum. *Et deinde ait*, Verumtamen ad quod peruenimus, in eadem permanere regula. *Regulam intelligit cursus secundùm Deum, quæ antè tradita est. Quæ illa est? obliuisci priorum benefactorum; florere verò, & extendi vsque in priora, vt quasi modò bona inchoantes opera, quotidie intelligentes illud* hodie, *& dicentes sibi ad extremum vsque spiritum. Oportet enim ad id vsque tempus currere cursum Dei, & cum aduersarijs pugnare.* S. Eulog. Hæc optimè Eulogius.

Optimè etiam pendit Cornelius Græcum ver- 3.
bum στοιχεῖν, pro quo noster posuit *permaneamus*, obseruans è re militari esse, propriéque significare, incedere ordine & gradu suo, vnde hæc sententia lucem accipiet à Dauid Psalm. 17. 47. *Filij alieni claudicauerunt à semitis suis*: Psal. 17. 47. vbi, Agellio egregiè id confirmante, claudicare est in acie non eamdem

eamdem viam, non eumdem ordinem incedendi tenere. Vide illum.

VERSVS XVII.

Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.

1. FACILIS verborum sensus: sed de sententia dubites, quomodo Paulus se ipsum tamquam exemplar imitandum Philippensibus proponat; cùm vnus Deus nobis in πρωτότυπον, & exemplar sit, eodemmet commonente, *Sancti estote quia ego sanctus sum*, Leuitici 11.44.& cap.19. 2.& Matthæi 5.48. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Et verò, hoc in cardine totam hominis perfectionem, & felicitatem inniti, passim monent Scripturæ, & Patres. Sic dixit Origenes in Periarchon cap. 6. *Summum hominis bonum est, prout possibile est, similem Deo fieri.* Et Gregorius Nyssenus homil.9.in Cant. *Vita quæ ex virtute agitur, finis est, Deo assimilari.* Nec ab hoc eunt Ethnici; quippè Plato in Philebo cum Patribus concurrens ait. *Mortalem hanc naturam, & hunc inferum locum. Malum circum stat necessariò, & adhæret. Ideò conandum, quàm celerrimè hinc illuc fugere, fuga autem Dei assimilatio, quatenus potest.* Similiter Iamblicus, & Apuleius (apud iustum Lipsium in Manuductione ad Stoicam Philosophiam lib.2. dissertatione 19.) hic enim libro *de Philosophia* ait. *Sapientem pedisequum, & imitatorem Dei dicimus, & sequi arbitramur Deum*; ille verò. *Beatus est* (inquit) *qui Deo pro virili sua est similis, perfectus, simplex, purus, a vita hac humana abiunctus.* Nec minus dilucidè Pythagoras apud eumdem Lipsium docens, *vitæ finem esse, Deo assimilationem.* Sanè hac signatè inter alias rationes Dei filium, hominem factum, vt diuinum exemplar humanis oculis subiectum, & actiùs nos ad imitationem vrgeret, & sese faciliùs nostris animis insinuaret, ad ea cap.2.verba. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu*, multis egimus; pro quibus sic fideiubet Petrus epist.1. cap.2.21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*

Leuit.11.44. & 19.2. Matth.5.48. — Origen. — Nyssen. — Plato. — Iambl. — Apulei. — Pythag. — 1.Pet.2.21.

2. Respondebit forsan in primis non nemo, Vulgati lectioni terga vertens, & vel cum Augustino in tractatu de *cultura agri Dominici* cap.1. legens *cooperatores mei*, vel ex Græco fonte, vbi non est μιμηταὶ, *imitatores*, sed συμμιμηταὶ, id est, *simul imitatores*, siue *coimitatores*, contendens ea voce Paulum, non tam ad sui, quàm ad Dei assimilationem, cuius ipse fidus egregiúsque imitator erat, Philippenses vrgere. At enim ea effugia nullius momenti sunt: nam Augustini lectio nemini vnquam probata est, & quod ex Græco affertur à nostra lectione nihil differt; nec enim ad Dei, sed ad Pauli imitationem referri potest, vt ex pronomine οὖν satis liquet, vt dicat Paulus; estote mei imitatores, vnà cum aliis, qui me imitantur. Quid, quòd vbi nos habemus, *sicut habetis formam nostram*, Græcè, immò & in pluribus Codicibus Latinis habetur, *sicut habetis formam nos*. hoc est. sicut nos vt formam, & exemplar habetis: vnde Syrus sic reddidit. *Estote mihi conformes, fratres mei, & exquirite eos, qui sic incedunt iuxta similitudinem, quam in nobis vidistis.* Quòd si deinde respondeas ex Anselmo, Paulum se ipsum non simpliciter & absolutè in virtutum exemplar proponere; sed solùm exigere à Philippensibus, vt ipsum in fidei vnitate imitentur; & præteritorum obliti ad anteriora contendant. Sic enim Anselmus. *Et in hoc, id est in fidei vnitate, & regula disciplinæ*, estote imitatores mei fratres; *id est, sicut me nostis idem sapere, & eamdem regulam seruare, sic facite. Ac sicut ego, tradite obliuioni ea quæ retro sunt, id est, præterita vitia, vt si vos delectauit aliquando vanitas, iam non delectet; & in anteriora, id est, in profectum virtutum, atque in æterna bona piis desideriis, atque conatibus semper extendamini, &c. Et in his, & talibus me imitamini.* Rem ais præter communem exponendi modum, quem PP. & interpretes sequuntur: nam ab iis, quæ Paulus dixerat ad morum informationem modo transire, & huc intentum, quos imitari, quos vitare discipuli debeant, omnes affirmant.

Augus. — Græc. Lect. — Lect. Syr. — Anselm.

3. Nodum ergo ipsemet Paulus alibi soluit, iisdem penè verbis ad Corinthios Epistola 1. c.11. 1. inquiens, *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; vt dicere videatur: Cùm ego Christi vitam & mores in me expresserim, non immeritò me vobis tamquam exemplar imitandum propono: ita Chrysostomus in hæc, in quibus sumus, verba, in morali digressione dum ait: *Ergo Apostoli erant forma, & typus, speciem eam retinentes, quæ archetypi, & primarij eiusdem exemplaris instar esset.* Ad quem etiam modum Saluianus lib. 3. de gubernatione Dei, ea ad Corinthios verba sic elucidans. *Nobis hoc imperat, vt se imitemur, qui sibi hoc imperauerat, vt Christi esset imitator. Et quidem quod ipse Christum imitatus sit, nulli dubium est, Christus enim se pro nobis subdidit mundo, & se ipse pro Christo. Christus pro nobis contumelias passus est, & hoc ipse pro Christo. Christus pro nobis passionem, mortémque tolerauit, & hoc ipse pro Christo. Et ideò non sine causa meritorum suorum conscius dicit*, Certamen bonum certaui, fidem seruaui; de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Hæc Saluianus. At enim verò hæc ad Corinthios verba sic nostro instituto opportuniùs expenderis, vt dixerit Paulus, Christum quidem potissimum imitari debetis: ipse enim Sanctorum exemplar, & prototypus est; sed cùm ipse, Sol sit fulgentissimus, qui inconniuenti pupilla facilè conspici nequeat; nam *quis stabit ad videndum eum?* Malachiæ 3. 2. non erit abs re in nos oculos figere, qui & ipsius *gloriam speculantes in eamdem imaginem transformamur*, 2. ad Corinthios 3. 18. Et ardentissimos huius Solis radios refracta, ac mitigata luce, quam infirmi oculi meliùs sustinere queant, referimus: atque hoc modo, & Dei, & Christi imitatores euadetis.

1. ad Cor.11. 1. — Chrysost. — Saluian. — Malach.3. 2. — 2.Cor.3. 18.

Nam Pindarum quisquis studet æmulari
Iule ceratis ope Dædalæa
Nititur pennis
Vitreo daturus nomen ponto.

Horat.

Ita penè Clemens Alexand. lib. 2. Stromatum, vbi cùm statuisset finem nostræ Fidei esse, Deo assimulari, subiicit. *Aperte dicit Apostolus,* Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, *vt illud efficiatur. Si vos mei; ego autem Christi, Christus vero Dei.* Expressiùs verò, & omnino ad rem Beda in eius loci commentario his verbis. *In Ecclesia iste ordo est: alij præcedunt, alij sequuntur, & qui præcedunt, exemplo*

Clem. Alex. — Beda.

exemplo ſe præbent ſequentibus, & qui ſequuntur, imitantur præcedentes; ſed & illi qui ſe exemplo præbent ſequentibus, numquid neminem ſequuntur ſi neminem ſequuntur? errabunt; ſequentur ergo & illi aliquem? ipſum iam Chriſtum. Meliores quippe in Eccleſia quibus non remanſit homo, quem imitentur, quia omnes proficiendo ſuperauerunt; ipſe Chriſtus eis remanet, quem in finem vſque ſequantur. Hæc Beda. His mirè concinit Remigij commentarius huius loci ad Philippenſes.

Remig. Eſt hic: *Imitatio eſt, cuiuſcumque rei quædam imaginatio, & imitari eſt ſequi. Et iſt ſenſus: ſi Chriſtum non poteſtis imitari, & ſequi; ſaltem me imitemini diſcipulum eius in fide, in opere, & in doctrina, vt ſicut ego credo, operor, doceo; ita & vos credatis, operemini, doceatis.* Sed hæc ad adnotationes ſpectant.

Obſeruate eos, qui ita ambulant.

4. Græc. Lect. DE Græco verbo σκοπεῖν diximus ad verſ. 3. cap. 2. *Non quæ ſua, ſunt ſinguli conſiderantes,* iuxta quæ modo Ambroſius legit, *conſiderate*: & de Latino quidem verbo bene monet Remigius.

Remig. *Hoc verbum, quod eſt obſeruare, varias obtinet ſignificationes, aliquando ſignificat declinare, & cauere, vt ibi:* Obſeruate eos, qui diſſenſiones, & offendicula faciunt, ad Roman. 16. 17. *Id eſt, declinate ab eis: aliquando inſidias moliri, vt ibi:* & ipſi obſeruabant,

Lucæ 14. 1. Lucæ 14. 1. *Id eſt, inſidias tendebant. Aliquando imitari, vt hic,* obſeruate: *id eſt, imitamini tales,* qui *formam doctrinæ noſtræ habent, qui ita credunt, viuunt, & docent:* qui ita ambulant: *id eſt, ita viuunt ſicut ego.* Premit verò hæc verba B. Bruno, ac ſi dixerit Paulus. *O vos* fratres eſtote mei imitatores:

Bruno. *quia ſi opponitis me, quem non videtis, non poſſe imitari. Ad hoc reſpondeo.* Obſeruate, *id eſt, diligenter conſiderate eos, qui ita ſecundum fidem ambulant,* ſicut *adhuc* habetis, *credo in memoria* formam noſtri; *quemadmodum docebamus, & viuebamus, dum apud vos eſſemus. Sicut enim faciem hominis olim viſi quis recolligit, ſic & vos formam noſtræ doctrinæ & morum. Ideo dico, qui ita ſecundum* formã noſtram

Anſelm. *ambulant.* Sic ille. Nec aliter Anſelmus: Qui ſubinde verbum *ambulant* ad profectum in virtute ſic refert. Obſeruate: *id eſt, conſiderate diligenter, & ſequimini eos, qui mihi ſunt ſimiles in via Dei,* qui ita ambulant: *id eſt, promouentur in operibus bonis.*

Formam noſtram.

5. REmigius, & Bruno, vt modò vidimus, *formam* referunt, ad vitæ, & doctrinæ inſtitutum à Paulo verbo & exemplo traditum, ad quem modum Anſelmus poſt citata verba ſubdit: *Sicut tradidi vobis formam rectè ambulandi, vel exemplo conuerſationis meæ, vel ſermone prædicationis.* Sed enim, vt ſuprà num. 2. vidimus, Græca

Cornel. ſic efferenda ſunt: *ſicut habetis formam nos.* Ideò Vatablus probatus Cornelio, & aliis legit. *Quemadmodum nos habetis pro exemplari.* Nec hic ſenſus ab illo multum diſtat. Vtrumque quidem videtur

Chryſoſt. complecti, Chryſoſtomus aiens: *Dixit ſuperius,* videte canes: *nos ab illis abducens: proponit, nunc eos, qui ſunt imitandi. Si quis, inquit, nos imitari vult, ſi quis eamdem inſiſtere viam, huic operam date: quamuis ego non adſim, noſtis tamen inceſſus mei rationem, & modum, id eſt, rationem vitæ, & morum. Non enim verbis ſolùm docebat, ſed etiam factis: quemadmodum in choro, & exercitu, choragum, & ducem reliqui imitentur oportet.* Sic ille. Agunt hic Iuſtinianus, & Cornelius de boni exempli vi, & efficacitate, præſertim in Principe, & prælato; ſed de his plura nos dedimus ad cap. 1. verſ. 13. adnot. 3. & ad cap. 2. verſ. 16. adnot. 1. & 2. vide ibi.

Ad ea verba, *Imitatores mei eſtote.*

ADNOTATIO I.

Pauli imitatorem, & peculiari ratione Chriſti imitatorem dici poſſe.

DEI filium, Patris dexteram atque virtutem ad Paulum oppugnandum, & expugnandum, tota maieſtatis, & ſplendoris ſui potentia innixum è cœlo aduenisse ſæpiùs diuina eloquia teſtantur: ſic enim Lucas Act. 9. 3. 1.
Subitò circumfulſit eum lux de cœlo. & cadens in terram audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? Qui dixit: Quis es Domine? & ille. Ego ſum Ieſus quem tu perſequeris. Act. 9. 3. & 17. Et verò Saulum, non in ſolio gloriæ ipſius, ſed in aëre, nec longiùs à ſe Dominum vidiſſe, ipſa eius interrogatio: *Quis es Domine?* ſatis conuincit: nam ſi ad Patris dextram vidiſſet; non fuiſſet ei opus interrogare: quiſnam eſſet? cùm ipſum in cœlis regnantem fuiſſet conſpicatus: nec aliud innuit Ananias indidem verſ. 17. illum ſic allocutus. *Dominus miſit me Ieſus qui apparuit tibi in via, qua veniebas.* Sed dilucidè idem Paulus id expreſſit, cùm ad Regem Agrippam verba faciens, Actuum 26. 13. inquit. *Die media in via, vidi, ô Rex de cœlo ſupra ſplendorem Solis circumfulſiſſe me lumen, & eos qui mecum ſimul erant.* Act. 26. 13. Sed & ſtatim Dominum ipſi ſic loquentem facit: *Ad hoc enim apparui tibi, vt conſtituam te miniſtrum, & teſtem eorum, quæ vidiſti.* Vbi iam non immeritò ambigas, quomodo hæc cum dignitate, & maieſtate Filij Dei conueniant? Num rex potentiſſimus niſi publicæ ſalutis cauſa aula egreditur? Vel Dei filius cœlum terrámque venturus cõmoueat; niſi toti mundo ſalutem allaturus? *Ecce ego cõmouebo cœlum, & terram, & mare, & aridam. & mouebo omnes gentes* (inquit ipſe Aggæi 2. 7.) *Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria.* Aggæi 2. 7. Vides? non niſi publicæ ſalutis cauſa Deum de loco ſancto ſuo egredientem; nimirum vt ſaluet populum ſuum: at quem populum? audi ſummum Patrem cum filio ſuo ſic agentem, Iſaiæ 49. 6. *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ*: Iſaia 49. 6. vbi ex Hebræo Pagninus pro *parum eſt*, notanter reponit, *Leue eſt:* Hebr. lect. vt ſenſus ſit, vt ſi dicatur: non eſſe è maieſtate Verbi Dei ad vnam tantùm gentem ſaluandam in terras aduenire: nec aliam cauſam præter totius orbis ſalutem ipſum pro dignitate domo ſua deducere: quem guſtum habere etiam videntur Ioannis verba cap. 11. 50. vbi cùm de illa impij Pontificis ſententia: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat,* pronunciaſſet. Ioan. 11. 50. *Hoc autem à ſemetipſo non dixit. Sed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente;* notanter ſubiecit. *Et non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in vnum*: vt dicere videatur, exiguum, leuémque pro tanta maieſtate fructum eſſe, vni populo ſalutem peperiſſe, nec aliam quàm conuerſionis gentium

gentium toto terrarum orbe dispersarum opportunam Filij Dei aduentus materiam & occasionem fore. Quomodo ergo (inquis) ad vnius Pauli conuersionem rursus Dei Filius ad terram non humilis vt antea, sed armis gloriæ suæ splendens, & decore fortitudinis suæ indutus aduenit? Sed his occurrere videtur Bernardus in sermone in conuersione D. Pauli animosè affirmans in hoc Christi ad expugnandum Paulum aduentu, non vnius Pauli salutem, & conuersionem, sed totius orbis conuersionem, atque salutem verti; eaque de causa optimo iure eam solemnitatem ab vniuersis gentibus festiuis gaudiis celebrari; sic enim

Bernard. ille, *Meritò conuersio Doctoris gentium ab vniuersitate gentium festiuis gaudijs celebratur. Conuersus Paulus conuersionis minister factus est vniuerso mundo.* Opportunè igitur & pro dignitate ad vincendum, & conuertendum Paulum, Dei filium ad terram iterum aduenisse dixeris.

2. Sed iam, quónam modo conuersus Paulus conuersionis minister factus est vniuerso mundo? Aperit idem Dominus in ipsomet conuersionis Pauli articulo Ananiam sic alloquens. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen coram gentibus, & regibus & filijs Israël*, Actuum 9.15. nec tacet

Act 9.15. ad Gal.1.16. id ipsemet Paulus ad Galatas 1.16. inquiens. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam. Vt reuelaret Filium suum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus.* Vbi vides Paulum non minùs, quàm ad Dei Filium toti orbi reuelandum; & ad Dei nomen vbique gentium cum splendore deferendum electum à Deo fuisse. At multi alij Dei nomen coram gentibus, & regibus & filiis Israël detulerunt; plures etiam Dei filium gentibus annunciarunt: nec tamen ab horum conuersione, publica salus orbis profecta est: cur ergo hac ratione conuersus Paulus conuersionis minister factus fuerit vniuerso mundo? Vis nosse? Sanè quia ille præ omnibus *vas electionis*: hoc est, instrumentum op-

Chrysost. portunum; siue (vt inquit Chrysostom.) *idoneus ministerio, præclaróque facinori sustinendo.* Quare verò idoneus, & opportunus? Indicat ipse illis in verbis, *vt reuelaret filium suum in me.* Nam vt obuius, & germanus sensus sit, quem ex Græcis vo-

Erasm. Estius. Hieronym. culis Erasmus, Estius & alij, præeunte Hieronymo eliciunt; ac si dixerit Paulus, vt reuelaret filium suum per me; id est, vt per me tamquam Apostolum, & præconem, filium suum, fideique eius mysteria manifesta mundo faceret; sic enim Hieronymus inquiens: *Potest & aliter accipi in Paulo Dei filius reuelatus, quod prædicante illo agnitus sit gentibus, quem antea nesciebant*, at enim verò peculiarem emphasim habet is dicendi modus, *reuelaret in me.* Quid enim fuerit, Christum in Paulo gentibus reuelari? nisi in Pauli vita, egregiisque virtutibus Dei Filium ad viuum delineatum atque depictum gentibus ostendi? vt quæ hac vna in re Hebræis, quorum oculis Christi vita, vt norma, & exemplar proposita fuit, post habitæ videbantur; eo Pauli exemplari & forma non omnino fraudarentur: meritóque ipse Philippensibus dicere posset, *imitatores mei estote*, & eodem modo ad Corinthios subdens: *sicut & ego Christi.* Equidem idemmet Paulus postmodum seipsum ad hunc modum explicare videtur: dum indidem

ad Gal.2.20. Hieron. cap.2.20. ait. *Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Christus*: hoc est, inquit Hieronymus: *Viuit in eo Christus, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, cæteraque virtutes.* Vbi obserua, non dixisse Paulum, se Christo viuere; sed notanter Christum in se viuere, quasi in illo ad viuum expressus, & ad imitandum fidelibus propositus: sub quo sensu & à Chrysostomo homil.4. de laudibus Pauli, *Archetypus bonorum*; quod proprium Chrysost.
Christi cognomen esse videbatur; & ab Ambros. lib.6. de Sacramen. cap.3. interpres Christi, appellatur: ait enim Ambrosius, *Interpres est Christi* Ambros.
imitatores, inquit, mei estote, sicut & ego Christi, Quòd Christi vitam, ac mores in se ipso sic expresserit Paulus, vt Christum interpretari, & velut de facie in se ipso cognoscendum dare, videatur.

Fuerat verò id multo antè à Salomone prænunciatum Canticorum 4. versu 4. cùm ait: 3.
Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ omnis armatura fortium: collum etenim Ecclesiæ, quod illius caput, qui est Christus per totum terrarum orbem defert; idem omnino fuerit ac vas electionis ad portandum Dei nomen coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Audi Gregorium Nyssenum homilia 7. in Cantica hæc sic elucidantem, atque diffundentem. *Si quis in se portat* Nyssen.
caput vniuersi; quod est Christus, ex quo omne corpus compingitur, & coniungitur, is in se propriè fert hoc collinomen. Præterea si est caput spiritus, qui cor nostrum reddit igneum & calefacit, & si per sonoram vocem defertur orationi: habeat autem & nutriendi operationem; doctrinam inquam, per quam toti corporis Ecclesiæ conseruatur virtus, initetúrque concinnam vertebrarum positionem, eò quòd singulis qui sunt in populo per ligamentum, ac vinculum, pacem efficiant, ac dirigant. Tale collum erat Paulus, qui portauit quidem nomen Domini, factus Domino vas electionis; & ei adeò accuratè adaptatum fuit caput, vt & quæcumque diceret, non amplius esset ipse loquens, sed caput eius loqueretur: prout indicauit Corinthijs, 1 ad Cor.15.
Christum esse, qui in se loquebatur, & qui spiritu verbum dirigebat veritatis. Hæc Nyssenus: & iis omnino consentanea Psellus ibi. Paulus ergo Ecclesiæ collum, quod & caput, id est, Christum per vniuersum terrarum orbem portet; ac omnibus gentibus noscendum, atque colendum obiiciat; & illud itidem toti corpori vniat; & ligamen teneat. At enim illud in pulchra hac colli imagine obserues velim, quàm magna illius cum capite vnio, quámque concinna per omnem iuncturam adaptatio adumbretur; hoc est, quàm egregiè diuinos Christi mores atque virtutes Paulus fuerit imitatus, qui ei per omnia quoad fieri potuit similis euasit; charitate præcipuè ipsum in Christum transformante. *Vt enim missum ferrum in* Chrysost.
ignem (inquit Chrysostom. in commemoratione S.Pauli) *totum perfectò ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas*: iam verò cùm *Deus & charitas* sit, & ignis sit; in illum Paulus missus totus ad illius similitudinem; siue alteri quodammodo Christus (si ita loqui fas esset) euasit. Inde quidem ipse; vel insigni hac animi demissione, atque modestia Christo persimilis, notanter dicebat: *Nam & si voluero gloriari, non* 2.adCor 11.
ero insipiens, veritatem enim dicam: parco autem ne quis me existimet, supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me, 2. ad Corinth. 11.6. Sanè inuens, eade se egregia, atque mirabilia referre potuisse, quibus homines animum forsan inducerent; ipsum non omnino hominem, sed plus aliquid, & quodammodo ipsummet Christum esse. Audi hac de re Origenem homil. 25. in cap.3. Lucæ: *Ne quis de eo plus arbitraretur esse* Origen.
quam cerneret, & mensuram honoris excedens diceret

ret quod dictum fuerat de Ioanne. *Quia ipse esset Christus*. Vides quàm magno iure dixerit? *imitatores mei estote: sicut & ego Christi*.

4. Adstipulantur his & ea verba: *mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium*; hæc etenim vt optimè de egregiis sanctorum exemplis ad muniendam armandámque Ecclesiam hunc in modum à Gregorio Magno homil. 15. in Ezechiel.

Greg. Magn. accipiuntur: *In collo ergo Ecclesiæ, id est, in sacri eloquij prædicatione, quæ pro sua munitione, & altitudine turri Dauid similis dicitur, mille clypei dependent, quia quot illi præcepta sunt, tot etiam pectoris nostri munimina. Ad seruandam itaque innocentiam etiam læsi a proximo perdurare in humilitate festinamus?*

Gen. 4. *Abel ante oculos veniat, qui & occisus à fratre scribitur, & non legitur reluctatus. Menti munditia etiam cum coniugali copula eligitur? Enoch debet imitari, qui*

Gen. 5. *& in coniugio positus ambulauit cum Deo, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus. Præcepta Dei*

Gen. 6. *festinamus præsenti nostræ vtilitati præponere? Noë ante oculos veniat, qui cura domestica postposita ex iussione omnipotentis Domini per centum annos ad arcæ fabricam vixit occupatus. Subire obedientiæ virtutem nitimur? aspicere Abraham debemus, qui relicta domo, cognatione, patria obediuit exire in locum,*

Gen. 12. *quem accepturus erat in hæreditatem, & exit nesciens quò iret: qui paratus exstitit, vt pro æterna hæreditate*

Gen. 22. *dilectum quem acceperat, occideret hæredem. Et quia vnicū Deo offerre non distulit, vniuerā multitudinem*

Gen. 24. *gentium in semen accepit. Morum simplicitas placet? Isaac ad mentem veniat, quem in omnipotentis Dei*

Gen. 29. 31. 32. *oculis vitæ suæ tranquillitas ornauit. Laboriosa fortitudo, vt obtinere debeat, quæritur? Iacob ad memoriam deducatur, qui postquam sciuit fortiter seruire homini, ad eam quoque virtutem deductus est, vt non*

Gen. 39. *potuisset a luctante Angelo superari. Conamur carnis illecebram vincere? Ioseph ad memoriam redeat, qui tentante se domina studuit carnis continentiam etiam cum vitæ periculo custodire, &c. Mansuetudinem at-*

Num. 21. *que patientiam obtinere quærimus? Moysen ante oculos deducamus, qui exceptis paruulis ac mulieribus sexcenta millia armatorum regens mitis fuisse describitur super omnes homines, qui habitabant super faciem orbis terræ. Rectitudinis zelo contra vitia accen-*

Num. 25. *dimur? Phinees ante oculos deducatur, qui corruentes gladio transfigens, castitati populum reddidit, & iram*

Deut. 34. *Dei iratus placauit. De spe omnipotentis Dei præsu-*

Ios. 3. 5. & 8. *mere in dubijs quærimus? Iosue ad memoriam reuocemus, qui dum dubia certamina certa mente subijt, ad victoriam sicut dubietate peruenit.* (Pergit Samuelem, Dauidem, Ioannem, Petrúmque commemorans:) ita hæc omnia virtutum ornamenta, siue hæc animata perfectionis simulachra Paulo opportunissimè à Chrysostomo homil. 8. de eius

Chrysost. laudibus sic aptantur. *Cui te, ô beate Paule iustorum veteris Testamenti, vel noui audeam comparare? Omnium quippe virtutem quasi in arca quadam, sed cum multo prorsus cumulo condidisti. Denique etiam si totum contra te aliquis singillatim iustorum appendat chorum, inueniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depressam. Paulus verò secundus Abel, verùm non semel, sed per dies singulos immolatus. Paulus alter Noë, sed absque arca insurgentes aduersùs se vndas impietatis enauigans. Paulus alter Abraham non modò a patria, vel gente, sed post vocationem suam ab ipsa etiam vita prorsus abscissus. Paulus alter Isaac sponte in hostiam colligatus. Paulus alter Iacob quasi pro vno quodam totius mundi grege semper inuigilans. Paulus alter Ioseph spirituali fame tabescenti mundo veritatis alimenta distribuens, Paulus alter Moyses, qui omnes gentes à tyrannide diaboli reduxit ad Christum. Paulus alter Aaron totius mundi populi inunctus Sacerdos. Paulus alter Phinees impietatem Iudæorum, atque Gentilium quasi fornicationem mentium vno fidei mucrone confodiens. Paulus alter Dauid, qui velut quemdam Goliam in certamine diabolum prouocat. Paulus alter Helias clarius raptus ad cælos. Paulus alter Helisæus, qui gentes ab interiore lepra pollutione mundauit. Paulus alter Ezechias, qui ad vnam fidem Christi diuersos populos attraxit. Paulus alter Iosias, qui abominationes Gentilium dissipauit, ac perdidit. Paulus alter Ioannes pro Christo capite truncatus. Paulus alter Petrus de cælo vocatus ad credendum, Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiauit. Paulus alter Michaël, qui Christianorum dux esse fortitus est.* Hæc Chrysostomus, mihi quidem non multa. Similia his habet homil. 1. de laudibus Pauli. Quòd si aduertis, opportunissimus iam iterum Dei Filij è cœlo ad Paulum elucrandum aduentus, non modò quòd huius capitis sit collum, quod per totum terrarū orbem Christum defert, sed quod in vno Paulo, tota iustorum ab orbe condito messis, omniúmque florum, ac fructuum heroicarum virtutum pratum inueniatur.

Sed & hinc alia huius Christi aduentus ratio nostro instituto & Pauli verbis ad sui nos imitationem excitantis per opportuna, consurgit. 5.
Quomodo enim Dei Filius, qui ad dulcissimos filios in cruce parturiendos pro dignitate, aduenit, ad ipsos subinde enutriendos, hoc est, vt Paulum illis nutricem, secundámque matrem pararet, opportunus etiam & pro maiestate non adueniret? Est quidem Pauli proprium hoc munus, quod suo ipse iure sibi vendicat, vt filiorum Dei, siue Ecclesiæ nutrix, alteráque mater sit., Audi illum Galatas, & in illis omnes Ecclesiæ filios sic alloquentem. *Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*, ad Galat. 4. 19. Ad quæ ad Gal. 4. 19.
verba Chrysostom. homil. 10. de pœnitent. tom. 5. pulchrè ait. *Quid ventre illo fæcundius, qui orbem progenuit totum? quid eo fortius, qui editos, & adultos abortiuos posset denuo concipere, aut formare? quod in naturali partu præter humanas est vires*; audi etiam ad Corinth. epist. 1. cap. 3. 2. cùm ait, *lac vobis potum dedi*; & ad Thessalon. epistol. 1. cap. 2. 7. *Tamquam si nutrix foueat filios suos: ita considerantes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solùm Euangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis*: vbi duo obserua, alterum hac ratione Paulum à Chrysostomo homil. 15. in Acta eleganter appellari *os orbi sufficiens*; quasi ab eius ore tamquam ab optimæ nutricis vberibus totus orbis ad salutem enutriendus dependeat: ipse omnibus vitæ lac, & alimoniam impertiatur, atque hinc cùm in omnibus simul mundi partibus adesse non possit, ex vno loco in alium transire concupiscat, vt tamquam pennatus agricola (sic Isidor. Pelusiota epistol. ad Isidorum Diaconum) totum orbem colat, alátque? Qua quidem de re appolita sunt, quæ scripsit S. Petrus Damianus opusculo 35. de picturis Apostolorum cap. 2. in hunc modum. *Ipse quippe quàm valida charitate flagrat, tam nimia ex locis ad loca se vagatione permutat. Trāsire ad alia ex alijs appetit, quia ipsius eum quam implet, stimulus charitatis impellit. Longè namque a Romanis positus scribit.* Memoriam vestri facio semper in orationibus meis, obsecrans si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, *Retentus Ephesi Corinthiis scribit.* Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos.

Rursum

Marginal notes (right column): Chrysost. (beside "pulchrè ait"); 1. ad Cor. 3. 2.; 1. ad Thes. 2. 7.; Chrysost. (beside "ratione Paulum"); S. Petr. Dam.; Rom. 12.; 2. ad Cor. 12.

Rursum Ephesi commorans Galatis loquitur, dicens: Vellem me esse apud vos modò, & mutare vo- ad Gal. 4. cem meam. *Romæ quoque custodia carceris clausus, quia ire per semetipsum ad Philippenses non permittitur, transmittere se discipulum pollicetur, dicens:* Philip. 2. Spero in Domino Iesu Timotheum me citò mittere ad vos, vt ego bono animo sim cognitis quæ Coloss. 2. circa vos sunt. *Constrictus etiam vinculis, atque Ephesi retentus Colossensibus scribit.* Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum. *Ecce cor Apostolicum, quantum fraterni amoris igne decoquitur, quanto ad desudandum pro salute gentium desiderio coartatur. Hic corpore tenetur, illic spiritu ducitur, & paterni amoris affectum præsentibus impendit, atque absentibus porrigit. Coram positis exhibet opera, audientibus exprimit vota efficaciter præsens eis, cum quibus erat: nec tamen illis absens, cum quibus nouerat. Cuius amorem melius cognoscimus, si eius adhuc ad Corinthios verba pensamus. Ait enim,* Veniam ad vos cùm Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo; apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo. *Quid est quod* 1. ad Cor. 15. *tam anxiè per tot loca partitur, nisi quod circa omnes vna charitate constringitur? Charitas enim, quæ diuisa vnire consueuit, vnum cor Pauli diuidi per multa compellit. Quod tamen tanto ardentius in Deo colligitur, quantò latiùs per sancta desideria spargitur. Prædicando igitur Paulus vult simul, omnia dicere; amando vult simul omnes videre, quia & in carne permanendo vult omnibus viuere. Et de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse.* Hæc Petr. Damianus. Pende illa; quia optima, vt ego extremis his *de carne transeundo per sacrificium fidei vult omnibus prodesse,* opportunè inhæream. Sanè vt non solùm viuens, sed mortalitate etiam expleta sese nutricem Paulus Dei filiis exhiberet; dum ex eius ceruicibus cum Neroniano gladio occisus est, pro sanguine, candidissimus, ac purissimus lac scaturiuit, & vsque in ipsius carnificis vestem profluxit, *qui* (vt Chrysostom. serm. de Apostolis Petro & Paulo apud Metaphrastem Chrysost. ait.) *Animam illius barbari supra modum dulciorem reddens, fidelem effecit cum sociis:* Ambrosio sermo- Ambros. ne 68. scitè id pensitante: nam cùm dixisset. *De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratiæ in ipsa cæde extitisse splendidum, potius quàm cruentum,* subiicit. *Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ? sicut ipse ad Corinthios ait,* Lac vobis potum dedi, non escam. Pergit ad rem. *Hæc est planè repromissionis illa terra, quam patribus nostris Deus promisit, dicendo:* Dabo vobis terram fluentem lac, & mel. *Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis cænum inuoluit, lutúmque permiscet; sed de illa terra Pauli, &c. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tamquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.* Hactenus Ambrosius.

6. Alterum iure optimo Paulum ab eodẽ Chrysostomo in Encomio Petri & Pauli tom. 5. dici, *Os Christi:* quasi Paulo loquente Christus sit qui loquatur, vt inquit ipse 2. ad Corinthios 13. 3. 2. ad Cor. 13. 3. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* Sanè quòd in eum qui tam verbis, quàm exemplis nutricis more Dei filios educaturus erat; opportunè ipsemet vitæ fons sese insinuarit, atque influxerit, sic indidem obseruante S. Petro S. Petr. Dam. Damiano. *Nec mirum si prædicator egregius in fraterna charitate feruentiùs æstuat, si præ cunctis mortalibus in eo copia veræ dilectionis abundat, cùm fons vitæ, qui eum* Vas electionis *appellat, in eum se decreuerit abundantes influere, eumque dignatus sit, sacramentorum suorum fluentis incomparabiliter irrigare. Hinc est quod ait,* An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus. Sic ille. Hinc sanè Paulus ab Ambrosio, vt vidimus, *interpres* Ambros. *Christi;* & apud Glossam in cap. 3. Isaiæ *Architectus Ecclesiæ* appellatur; non equidem quoad potestatem; & ligandi ac soluendi claues vni Petro commissas, sed quod Vicariam Christi linguam, candidissimúmque sapientiæ, & diuinarum virtutum lac, quo omnium gentium mentes ad instar nutricis aleret, ab ipso Domino acceperit. Et verò vt Petrus in potestate, & primaria dignitate vnus in toto terrarum orbe colitur, quia *Domini,* cuius ipse est Vicarius, *est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo,* Psalm. 23. 1. vnde Leo Pontifex sermon. 3. de anniuersario suæ Assumptionis *de toto* (inquit) *mundo vnus eli-* Ps. 23. 1. *gitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & om-* Leo Magn. *nibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multíque pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.* Sic Paulus Doctor nationum, vt inquit idem Tertullianus Tertul. lib. 5. contra Marcion. cap. 1. & vniuersi orbis prædicator, ac magister est, quòd *os Christi,* qui omnium gentium dux & præceptor perhibetur, Isaiæ 55. 4. sit. Vnde præfato opusculo 35. cap. vltimo S. Petrus Damianus hoc sensu capiendus ait. *Vnum verò in B. Paulo videtur egregium, quia* Isaiæ 55. 4. *cùm omnes Apostoli distributi terrarum regionibus,* S. Petr. Dam. *proprias obtineant cathedras: ipse dum nullam specialiter teneat, videtur aliquatenus communiter omnibus præsidere. Planè quia ipse toto terrarum orbe vniuersalem fundauit Ecclesiam, dignum est, vt sicut in omnibus fidei semen sparsit, sic etiam in omnibus ius teneat præsidentis. Dicit enim ad Corinthios,* Gratia 1. ad Cor. 15. Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua 10. non fuit, sed abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum. *Ad Romanos autem,* Habeo autem gloriam in Christo Iesu ad Deum in obedientia gentium verbo, & factis in virtute signorum, & prodigiorum in virtute Spiritus sancti: ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelio Christi, &c. *Hæc est igitur causa, cur Paulus* ad Rom. 15. *nullam specialiter cathedram teneat, quia si audemus* 17. *summis minora conferre, ad instar Christi, saluo cæterorum Apostolorum iure videtur omnibus Ecclesiis præsidere.* Hæc S. Petr. Damian. quæ minime accipienda fuerint de primatiæ sedis dignitate, aut iure præsidendi; sed de prædicationis, & sapientiæ cathedra, vt sicut Petro clauis potestatis data est, ita Paulo scientiæ clauis ad vniuersum mundum docendum, & instituendum commissa sit. Bene hæc manente S. Maximo homil. 5. in Natali Petri, & Pauli ad hunc modum. *Nam Petro sicut* S. Max. *bono dispensatori clauem regni cælestis dedit Paulo tamquam idoneo Doctori magisterium Ecclesiasticæ institutionis iniunxit, scilicet, vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem, vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ, & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quidquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clauis, inquam, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam*

tiam ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt; scientiæ iste, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille dispensat scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptum est: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ *absconditi*. Hæc Maximus. Vt hinc iam minus fuerit mirandum quod Paulus à S. Cyrillo Alexandrino lib. 3. dialog. de Trinitate, ad Col. 2. 3. S. Cyr. Alex. Chrysost. *Promptuarium Christi, ex quo omnes eius opes depromere possumus*: à Chrysostomo homil. 32. in Epist. ad Roman. *Lampas orbis terrarum*; & homil. 4. de Prouidentia, *Vnctus ab Spiritu sancto gratia spirituali docendi* & in cap. 3. Epist. ad Ephes. *Angelorum Euangelista*, & homil. 25. in Ioan. *totius sapientiæ* Dion. Areop. *Magister*; à Dionysio Areopagita lib. de diuinis Origen. nominibus cap. 7. *Sol mundi, & sapientiæ abyssus,* Clem. Alex. ab Origene lib. 4. in Leuiticum, *Scientissimus Pontificum, & peritissimus Sacerdotum*; à Clement. Alexandrino lib. 4. Stromat. *Scriba doctus in regno cæ-* Eusebius. *lorum*; ab Eusebio Cæsariensi lib. 3. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 24. *Discipulus scholæ paradisi*; à Hieronymo, *Rugitus Leonis nostri*; *tonitru gentium,* Hieron. *flumen eloquentiæ Christianæ, eruditior inter omnes Apostolos, & in sensibus præpotens*, à Basilio in cap. 1. Basil. Isaiæ. *Consiliarius noui Testamenti*; ab Athanasio Athan. orat. 2. cont. Arrianos: *Magister Religionis*; à Theo- Theodor. doreto dialog. 2. *Magistrorum Magister*; à S. Tho- S. Thom. ma opusculo 1. cap. 16. *Magister Angelorum*, appelletur. Quid ni enim ei qui os est Christi, & cui eius arca, in qua sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, clauis commissa est; hæc omnino conueniant, & aptentur?

7. Sed illud in hoc nutricis filiorum Dei munere, nostro instituto magis consentaneum est, quòd ita sibi Christi spiritum, diuinósque mores alma hæc nutrix imbiberit, vt dum filios Dei educat, atque enutrit; immò verò dum iterum parturit, illi non tam Paulum, quàm ipsummet Christum referre videantur. Sic enim ille præfato loco ad Galatas. *Filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*: vbi meritò ambigas, cur cùm filius imago patris, & diffinitio sit, vt alibi vidimus, Paulo fideles primum gignente, 1. ad Corinth. 4. 15. & iterum parturiente; ipsi non illius formam, ad Gal. 4. 19. sed Christi imaginem referant? *Donec formetur* (inquit) OEcum. *Christus vobis*: id est, inquit OEcumenius ibi: *donec magni ac eximij characteres diuinitatis Christi in mente vestra formentur*: Paulo ne parturiente, magnos, & eximios diuinitatis Christi characteres nascentes filij extrahant? ita quidem. Etenim cùm Christus in Paulo non vacuus quidem, sed cum cælestium virtutum thesauris sis; siue cùm Christum tam exactè, ac perfectè Paulus imitetur, vt ipsius spiritum ebibisse videatur; dum ille abortiuos Dei filios iterum parturit, eumdem Christi characterem, ac formam indere magno iure dicetur. Certè de Dei filiis à Christo primum Ephes. 2. 10. in lucem editis dicebat ille ad Ephes. 2. 10. *Ipsius enim factura sumus: creati in Christo Iesu in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus*; ac si dicat, dedisse *eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* hoc est, vt qui Christo nomen dederint, cælestem patrem moribus & vitæ probitate referant. Et verò vt nutrix conuenienti hos infantes lacte nutriat, & quos Christus in operibus bonis creauit, in bonis operibus educet, ac firmet, totam virtutum supellectilem habere, opus est. Vnde Bernard. Bernardus sermon. 12. in Cant. cùm dixisset, *Et* 2 ad Cor. 2. *primus occurrit (sicut vbique solet) mihi Paulus vas electionis, re vera vas aromaticum, vas odoriferum, & refertum omni puluere pigmentario. Christi enim erat bonus odor Deo in omni loco. Multæ profectò suauitatis fragrantiam longè latéque spargebat pectus illud, quod sic affecerat solicitudo omnium Ecclesiarum: vide enim quales species, & qualia aromata concernauerat sibi.* Quotidie (inquit) morior propter vestram 1. ad Cor. 15. gloriam; *& rursum*: Quis infirmatur, & ego non 2. ad Cor. 11. infirmor. Quis scandalizatur, & ego non vror? *Et multis talibus, (quæ vobis bene nota sunt) abundabat diues iste in componendis vnguentis optimi*; subiicit: *Decebat namque primis, & purissimis aromatibus redolere vbera, quæ Christi membra lactarent, quorum Paulus mater erat, pro certo parturiens semel, & iterum donec Christus formaretur in eis, ac membra capiti suo reformarentur.* Hæc Bernard. Iure ergo Philippenses adhortetur Paulus: *Fratres imitatores mei estote; sicut habetis formam nos.* Meritóque Chrysostomus citata homil. 8. de Laudibus Pauli omnes nos moneat. *Opulentissimum hunc thesau-* Chrysost. *rum in nostris auidè pectoribus recondamus. Hauriamus certatim virtutes ex abundanti isto bonæ voluntatis fonte manantes, & cupiditate maxima feracissimæ huius arboris poma capiamus, variisque floribus, ac fructibus plenum Apostolicarum virtutum pratum metentes, sumamus è Paulo fulgentem rosam castitatis; eligamus fidei florem marcescere nescientem decerpamus ex eo vberrimos patientiæ fructus, & virtutem omnium colligamus.*

VERSVS XVIII. & XIX.

Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem, & flens dico) inimicos crucis Christi.

Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

APPARET ex his, non ingratiis Paulum sese Philippensibus imitandum proposuisse, & egregiam viuendi formam in se ipso tamquam in exemplari depictam memorasse, vt ipsos ab eorum consortio, & moribus auocaret, qui aliam vitæ rationem profitebantur: (sic lectio Syriaca, *sunt enim multi, qui aliter incedunt.*) Pseudo Apostoli nimirum, homines non modò luxui, ac voluptatibus dediti, sed qui turpissimorum scelerum maculis notati, in ipsis impudentissimè gloriarentur. 1. Lect. Syr.

Multi enim ambulant.

BEne premit singulas voces Anselmus inquiens. *Multi ambulant latam viam perditionis; id est, multi promouentur in via peruersa actionis*; & paulo pòst. *Ipsi enim sunt multi, quia multitudo palearum abundat in area, & ambulant in ampla via, quæ ducit ad perditionem.* Ponit ergo primum Paulus pro stultitiæ nota multorum numerum. 2. Anselm.

ad

Seneca. ad eum sanè modum, quo Gentilis Seneca lib. de vita beata cap. 2. sapientissimè dicebat. *Cùm de beata vita agitur, non est quòd mihi illud, discessionum more respondeas: hæc pars maior esse videtur; ideò enim peior est. Non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est.* Hieron. *Quæramus quid optimè factum sit, non quid vsitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit.* Concludit. *Sanabimur, si modò separemur à cœtu.* Ad quem sanè modum Iouiniano inaniter iactanti multos se suæ doctrinæ blanda sectantis habere discipulos, optimè occurrebat Hieronymus hæretici hominis petulantiam sic retundens. *Quòd multi acquiescant sententiæ tuæ indicium voluptatis est; & pro magna gloria deputas, quod plures porci trans te currant, quos gehennæ succendio nutrias.* Sic Hieronymus.

3. Deinde eos, à quibus cauere discipuli deberent, multos esse notanter dixit; vt discrimen, atque periculum Philippensibus proximum ostenderet: nam Seneca egregio monitore *facile transitur ad plures:* Seneca. vnde alibi idem sic scribit. *Quid tibi vitandum præcipuè existimem, quæris? turbam. Nondum enim illi te tutò committeris, &c. Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium, aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Vtique quo maior est populus, cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Ita ille epist. 7. & præfato loco de tranquillitate animi.

Quos sæpè dicebam vobis.

4. Lectio Syriac. SYriacus: *De quibus pluries locutus sum vobis.* Vide quàm sedulò discipulis salutis monita suggereret, iteraretque Apostolus: iuxta ea quæ vers. 1. dixerat: Eadem vobis scribere, mihi quidem nō pigrum; vobis autem necessarium: adi ibi dicta: & adde Plinium iuniorem libro 1. epistola ad Cornelium Plin. Iunior. Tacitum, vbi cùm dixisset: *Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil æquè in causis agendis, ac breuitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si causa permittat, alioqui prævaricatio est, transire dicenda.* Subiicit; *præuaricatio etiam, cursim, & breuiter attingere, quæ sint inculcanda, infigenda, repetenda: nam plerisque longiore tractatu vis quædam, & pondus accedit, vtque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis, quàm mora imprimitur.* Hæc ille.

5. Theophilact. Illud optimè à Theophylacto in his verbis obseruatum video, Paulum, neminem ex his nominare, ne lacessere videatur; ita tamen de illis Philippenses monere, vt ipsos ex signis facilè possent dignoscere. *Horum nullum nomine patefacit, ne eos incessat, sed ita iam indicat, vt possint facilè internosci, cum ait;* quos sæpe dicebam. Quem quidem concionandi, siue arguendi modum à Paulo seruatum, videtur imitatus sanctus Ignatius martyr in epistola ad Smyrnenses: vbi dum eos insectatur, quos feras humanam formam præferentes appellat, subiicit: S. Ignat. mar. *nec libuit eorum infida nomina his litteris inserere: absit verò à me, vt eorum mentionem faciam, donec pœnitentia ducantur.* Tam abest à Sanctis, & magnis Viris animus lacessendi, siue traducendi alios. Quam etiam in reprehendendo comitatem in Euphrate Philosopho sic laudabat Plin. lib. 1. epist. ad Arriū Clementem. Plinius. *Vitæ sanctitas summa, par comitas. Insectatur vitia, non homines, nec castigat errantes, sed emendat.* Est verò tam propria, innatáque Paulo hæc comitas, & in insectandis vitiis non hominibus moderatio; vt seipsum quasi signum ad increpationis sagittam aliquando ponat; vt liberiùs, ac pleniùs in peccata in-

uehatur; mitiùs verò, ac honestiùs cum peccatoribus agat, dum non tam in illorum quàm in propria persona errata reprehendit. Ita sanè Corinthios contentiosè inter se dissidentes obiurgans eo ipsos acumine pungit. *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis,* 1. ad Corinthios 1. 13. 1. ad Corin. 1. 13. vbi vno ex capite accusationis causam auget, & contentiones, ac dissidia onerat; ex alio increpationem ipsam maximè lenit, dum in seipsum crimen quodammodo reficere videtur: id sic adnotante Theodoreto ad ea verba. Theodor. *Auget quidem accusationem per vnumquodque eorum, quæ dicuntur, sed eos, quos accusat non ferit nimis acriter, dum propriam personam pro illis adducit.* Sic ille.

Egregium pro concionatoribus monitum, ne nimio increpandi zelo, aut dicendi calore non tam vitia, quàm homines insectentur, dum eos quos accusant, nimis acriter feriunt, nec nominibus parcunt: ita quidem lege Hispana, quæ est 55. titulo 5. partita 1. prudenter cauetur, *Que el Predicador no deue ser feridor:* quòd eo refert: *E aun fieren los Prelados a las vegadas de palabra; diziendo en los sermones contra algunos en encubierto lo que saben dellos, porque los metan en verguença ante aquellos que lo oyen,* vbi non ineptè dixeris occultam in phrasi feriendi imaginem dexteri lanistæ contineri, qui vulnus non instigat, sed designet. Quam ad rem opportuna sunt Dei apud Ezechielem ad errantem populum verba cap. 20. 35. *Et adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem:* vbi cùm sermo sit de increpatione, & accusatione à Deo aduersùs peccatores instituenda, notatu digna est illa phrasis, *facie ad faciem*, quæ propriè significat, remotis arbitris, siue solus solum: vt egregie ibi Maldonatus, & Cornelius explicant, vt ea sit Dei in ipsomet indignationis suæ æstu comitas, & humanitas, vt nolit peccatores publicè traducere, & aliorum ludibrio exponere; sed secreto, & remotis arbitris corrigere. Nec prætereo, quod ad præfata Pauli verba ad Corinthios mire facit; non dixisse Dominum, iudicabo vos, sed potiùs *iudicabor vobiscum:* siue vt clariùs ex Hebræo Pagninus, *iudicabo me vobiscum;* quasi non tam iudicare, quàm iudicari, & in iudicium ab hominibus vocari velit, quod ad Christum in cruce animam agentem, qui peccata nostra sic inibi accusauit, vt pro illis iudicium & pœnam ipse subierit, optimè refert P. Prado. En Dei in obiurgando moderationem, & lenitatem, vitia non homines insectando, nec castigando errantes, sed emendando. Ad quem quidem modum Christum Dominus dum seminatoris parabolam proposuit; in qua maior pars sementis, non alterius, quàm terræ culpa deperiit; noluit id singillatim aperire; ne auditores, quorum typum terra ipsa gerebat, acriùs perstringeret; multúmve acerbitatis haberet obiurgatio; quamuis id silentium ipsummet seminantem non nihil oneraret, in quem deperditi seminis culpam posset non nemo reiicere, vt bene adnotauit Victor Antiochenus in cap. 4. Marci aiens, *Interitus huius causa non extitit penes seminantem, sed penes terram, quæ semen exceperat, hoc est, penes audientium animas, tametsi Dominus ne auditores vehementiùs præstringat, aut ne quem forsan in desperationem coniiciat, disertè id non asserat.* Ita ille. 6.

L. 55. tit. 5. p. 1. Ezech. 20. 35 Maldonatus. Cornelius. Pagninus. Prado. Luc. 8. 5. Vict. Antioch

Persimile est, quod in concione Christi de diuite epulone, & Lazaro obseruauit Maldonatus. Etenim Domino apud Lucam c. 16. 19. dicente, *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, &c.* à Patribus acutè disceptitur, 7. Luc. 16. 19.

quid causæ fuerit, cur pauperem Christus nominauerit, diuitis verò nomen silentio obtriuerit, cui quidem dubio dum alius vno modo, alius alio satisfacit: sic respondet Maldonatus. *Verius fortè esse dici poterat prudentiæ, atque moderationis fuisse Christi, vt pauperem, quem laudabat, nominaret: diuitem, quem vituperabat, non nominaret, ne & illi iniuriam faceret, & sibi inuidiam conflare videretur.* Pergit opportunè, & in eorum opinionem, qui eam de diuite, & Lazaro narrationem parabolam potius, quàm historiam esse affirmant, quòd diuitis persona non nominetur, hoc ipsorum telum retorquet: *Si enim* (inquit ille) *parabola fuisset, & in parabolis personarum nomina liceret exprimere, non minus vtique diuitem, quàm pauperem nominasset, nullam in ficta narratione cuiquam facturus iniuriam, nullam inuidiam subiturus. Caeterùm, quia veras, non fictas personas introducebat, habenda ratio fuit honoris eius, qui damnatus dicebatur.* Bellissimè, vt discant ex Christi exemplo concionatores, vel viuentium, eorumque quorum correctio omnino desperata non est, nominibus parcere; quando nomini hominis trucis ac inhumani, iamque in inferno sepulti Dominus pepercit; honorisque illius rationem habuit. Ab hoc non longiùs it Viri Dei exemplum lib. 3. Regum cap. 13.2. qui à Deo missus, vt impium Regem Ieroboam & Principes viros execrabilibus idolis sacrificalem operam impendentes increparet; sic indignationē temperauit, accusationémque instituit ac rexit, vt Regis, ac Principum nominibus silentio pressis, contra altare in quo victimæ immolabantur, verba direxerit, inquiens. *Altare, altare hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet*; ita quidem Principis & adstantium aulicorum peccatum coarguens & minacibus verbis increpans, vt eorum nomini & honori aliquatenus parceret, nec lacessere, sed admonere videretur. Sed de moderatione Pauli in obiurgando iam alibi diximus, nonnihilque dicemus ad ea cap. 4. 2 verba, *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor idipsum sapere in Domino.* Vide ibi.

Maldonatus.

3. Reg. 13. 2.

Nunc autem, & flens dico.

8. BEnè Chrysostom. hom 6. in Matth. *Quòd Paulus fleuerit, & alij ac ille, & ipse de se ipso testatur; quod verò riserit, neque ipse vnquam, neque de eo quispiam testatur* Benè & Bern. lib de vita solitaria. *Citò lachrymas inueniunt, & resoluuntur in gemitum, qui habent sensum doloris.* Nec malè ille, qui dixit,

Chrysost.

Bernardus.

Sed tamen has lachrymæ pondera vocis habent.

Ouid. in Bris.

Nimirum, vt sciètè idem Chrysost. hom. 12. in epist. ad Colossens. de oculis lachrymas diffundentibus inquit. *Hoc est enim membrum omnium in nobis nobilissimum, & speciosissimum, atque adeò ipsius animæ membrum. Tamquam ergo ipsam videntes deflentem animum ita flectimur.* Sed quomodo Paulus flens sibi ipsi constet superiùs vers. 1. necnon cap. seq. vers. 4. perpetuum discipulis gaudium sic præscribenti, *Gaudete in Domino semper*: hic enim luctus, & mœror cum indesinenti hilaritate & gaudio non bene hærere videtur. Respondet quidem Basilius eam spiritualis, veræque lætitiæ naturam esse, quæ ob iustum de proximorum peccatis, atque iactura dolorem non exinanitur, immò potiùs crescat, & cumuletur, cùm & inde magnum Deo obsequium, cui æternum gloriæ pondus respondeat, se præstare nouerint, & nihil propriæ tráquillitati, & securitati decrescat, à diuersis principiis his gaudij, & mœroris affectibus prodeuntibus. Sed quàm egregiè id diffundat Basilius, audi. Sic etenim ille hom. 4. ex variis, quæ est de gratiarum actione. *Obiecerit quispiam quonam pacto hæc conueniunt Apostolicæ sententiæ*, semper gaudete. *Lachrymæ enim, & gaudium haud quaquam sortiuntur originem ex iisdem principiis. Lachrymæ enim exoriri solent ex impetu quodam, & impressione minus præuisa, ac si illata esset plaga, qua contraheretur anima compressò, & coangustato spiritu circa cor. Gaudium autem exultatio est quædam veluti subsilientis animæ, & se diffundentis, quòd ex sententia aliquid obtinuerit. Vnde in tristitia corpus pallescit, & gaudens sub rubro colore aspergitur. Vnde Sanctorum lamenta, lachrymæque prosiliunt à feruore charitatis, qua toti erga Deum flagrant. Oculis enim cordis in eum indiuulsè coniectis, quem diligunt, lætitiam sibi illinc accumulant, dùmque moderantur, & regunt, quæ ad conseruos suos attinent, in peccatu deprehensos lugent, & eosdem fusis lachrymis reuocant ad meliorem vitæ frugem.* Adhibet venustam imaginem. *Vt enim qui consistunt in littore, eorum indolescunt vicem qui marinis fluctibus immerguntur, neque interim vllam adeunt iacturam propriæ securitatis ob anxiam, quæ periclitantibus condolent cogitationem: itidem & qui vltroneo mœrore se afficiunt ob peccatum proximorum, haudquaquam per id lætitiam exinaniunt suam, verùm auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur, Domini sui gaudio ob lachrymas in gratiam fratris effusas.* Quo circa, Beati qui flent, quoniam ipsi consolabuntur, *& ipsi ridebunt*, Matth. 5. versic. 5. Hæc & alia Basilius.

Basilius.

9. Hic non abs re addideris lachrymis ex ratione, & causa fluentibus nescio quid dulce inesse: sic dicebat nescio quis,

Fléque meos casus; est quædam flere voluptas.

Ouidius.

Nimirum, vt inquit Seneca Philosophus epist. 99. *Excidunt etiam retinentibus lachrymæ & animum profusæ leuant*; & eius pater Seneca Rhetor lib. 10. controuers. 1. *Plerumque omnis dolor per lachrymas effluit.* Cui innixus rationi idemmet dixit libro 4. controuers. 1. *Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse.* Sanè inter magnas Iudæorum calamitates, illa signatissimè censetur, quòd vrbis, templique excidium flere à Victoribus Romanis prohiberentur, ne vel lachrymarū solatium inuenirent: vnde quottannis ingens pretium persoluebant, vt misere lamentari, & lachrymas fundere liceret: id sic adnotante Hieronymo in cap. 1. Sophoniæ. *Vsque ad præsentem diem perfidi coloni post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: & vt ruinam suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt, vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas suas*; & post nonnulla: *Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines: & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat.* Vides lachrymarum solamen?

Seneca.

Sen. Pat.

Hieron.

Iam hæ Pauli lachrymæ pulchrè hac illac à Patribus ducuntur, & pro eximia Pauli charitate, & præclaro genio mirè exornantur Sic enim primum Chrysost. in comment. *Flens dico. Cur? Quoniam malum creuerat.* Similiter Theophylactus. *Quia propagatum est malum, & passim diffusum; neque hos sine lachrymis possum commemorare.* Addunt huic rationi Anselmus, atque Bruno. *Nunc idem flens dico, tum de perditione eorum, tum de subuersione simplicium, quos decipiunt.* Pergunt Primasius, & Remigius obseruantes, eos ab Apostolo tenerrimo affectu defleri, qui illi maximè infensi erant. *Notādum* (inquit Primas.) *quo affectu inimicorū etiā salutē optet.* Similiter Remig. *Imitanda est charitas Apostoli, qui etiam inimicos crucis Christi deflebat, sicut Samuel inimicū suū Saul.* Hęc PP. 10.

Theophylact.

Anselm.

Bruno.

Primasius.

Remigius.

Aperit

11. Aperit ergo primum his lachrymis Paulus paternum etiam erga improbos filios affectum; nam (quod de ſeipſo dicebat Gregor Pontifex lib. 1. Epiſtol. 33.) *Sic eorum culpas inſequitur, vt perſonas diligat, vt vitium non amplectatur.* Sanè & *ſi filius* (verba ſunt Bernardi Epiſtol.300.) *minùs interdum quam debuit filialem affectum exhibuit, mater tamen pro ſuis viſceribus maternum deſerere non debet, ſed nec valet affectum.* Quem omnino guſtum habent pulchra illa Agrippinæ matris Neronis à Sillana, impudica muliere accuſatæ quòd necem filio machinaretur ad ipſum verba apud Cornel.Tacit.libr.13. Annal. *Non minor Sillanam numquam edito partu matrum affectus ignotos habere; nec enim perinde à parentibus liberi, quàm ab impudica adulteri mutantur.* Sic certè videris bonum illum filij prodigi parentem, ſeniorem filium inuidiæ, & tumoris vitiis obnoxium, ac proinde à parentis natura & conditione abhorrentem, filij tamen nomine compellaſſe, ac ſi illo dignus foret: Lucæ enim 15.31. ait. *Fili tu ſemper mecum es:* vt inibi expendit Chryſologus ſerm.4. *O quid facit vis amoris: quamuis malo filio non eſſe neſcit, non eſſe non poteſt pater: videt filium degeneraſſe animo, videt paterna pietatis paterni generis nihil habere, & tamen nuncupat filium.* Ita quidem infidam ciuitatem Hieruſalem tenerrimo affectu plangebat Dominus: ſic inquiente Luca cap.19.20. *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam:* eáque verba hunc in modum elucidante Tito Boſtrenſi Epiſcopo tom. 1. Biblioth. veter. PP. *Fleuit ſuper Ieruſalem hominum amator Dominus, vt hinc diſcamus, vero doloris ſenſu eius cauſa tactum fuiſſe, ſi ei tamen, qui eſt Deus ſuper omnia, dolorem tribuere, fas eſt. At fas eſt; nam qua ratione ſceleratorum hominum miſera affici cognoſceremus, niſi per opus humanum, planum nobis illud faceret?* Similiter S. Baſilius Seleucienſ. oration.42. adductis his Micheæ verbis cap.7. 2. *Væ mihi, quia periit ſanctus, & rectus in hominibus non eſt;* opportunè ait. *Hoc quotidie inculcandum eſt ſed ſi neque precationibus, neque conſilio, neque admonitu quidquam proficimus, flere tandem reliquum eſt. Hoc fecit Chriſtus, cùm ex ſuis ad Iudæos monitis nihil illi reportarent lucri.* Ita ille: Quo ſanè in luctu Dominum ad vltimum vſque vitæ momentum perduraſſe illa Regij Vatis verba ſub ipſius perſona iam iam animam agentis ſatis indicant: *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti, longè à ſalute mea verba delictorum meorum,* Pſalm.21. 1. Sed obſerua Aquilam, Symmachum, & Theodozionem; pro extremis verbis, *delictorum meorum* reponere, *lamentorum meorum:* vt ſenſus, Euſebio interprete, ſit, bonum Dominum parentis affectu Iudaicum tunc populum deploraſſe, quod à ſalute quam ipſe morte ſua illi parabat longiùs iret. Sic enim Euſebius Cæſarienſis libr. 10. Demonſtration. Euangel. c.8. *Reliqui interpretes nequaquam delictorum meminerunt, nec enim conueniebant delicta ad perſonam Saluatoris accommodare,* qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, *quin potiùs eos qui digna luctu, ac lamentis in populo faciebant, ac populum ipſum Iudaïcum, qui ex dignitate ſua deciderat deplorabat, clamans:* longè à ſalute mea verba lamentorũ meorum. *Verba enim, inquit, mearum lamentationum, quæ ſemper pro populo facta ſunt, longè abfuerunt à ſalute mea, cùm populus ex ſalute quæ à me illis adhibita eſt, nullam caperet vtilitatem.* Sic Euſebius. At enim, hunc commiſerationis affectum, hæc paterna, ac molliſſima viſcera, immò verò hunc de noſtris iacturis & perditione luctum, ac lachrymas, tam Domino propria, ac connaturalia fuiſſe, vt nec ad Patris dexteram ſedens his ſe exuerit, animosè affirmauit S. Cyril. Alexandrin. ſiue Origenes lib.9. in Leuiticum; cautè, quiſquis is ſit, audiendus, vt quæ de Chriſti lachrymis affirmat, ſiue per hyperbolem, ſiue figuratè ad eum modum, quo alij humani affectus doloris, pænitentiæ, & iracundiæ, qui à Deo procul ſunt, ipſi ſæpiùs in Scriptura pro noſtro captu tribuuntur, accipiatur. Ita enim ille. *Saluator meus luget etiam nunc peccata mea. Saluator meus lætari non poteſt, donec ego in iniquitate permaneo. Quare nõ poteſt, quia eſt aduocatus pro peccatis noſtris, apud Patrem. Sicut Ioannes Euangeliſta pronunciat, dicens:* quia ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt re propitiatio pro peccatis noſtris. *Quomodo ergo poteſt ille, qui aduocatus eſt, pro peccatis meis bibere vinum lætitiæ, quem ego peccando contriſto.* Et poſt nonnulla: *Si enim Apoſtolus ipſius luget quoſdam qui antè peccauerunt, & non egerunt pænitentiam de ijs, quæ geſſerunt; quid dicam de ipſo, qui filius dicitur charitatis:* Qui ſemetipſum exinaniuit *propter charitatem, quam habebat erga nos, & non quæſiuit quæ ſua ſunt, cùm eſſet æqualis Deo, ſed quæſiuit quæ noſtra ſunt, & propter hoc euacuauit ſe. Cùm ergo ita quæ noſtra ſunt, quæſierit, nunc iam nos non requirit? nec quæ noſtra ſunt, cogitat? nec de erroribus noſtris mæret? nec perditiones noſtras, & contritiones noſtras deflet?* Hæc Cyrillus. Quæ poſſis etiam tam ad has Pauli, quàm ad eorum lachrymas, qui tenero compaſſionis affectu errantium hominum peccata, & interitum deflent, cum Gregorio Magno homil. 39. in Euangelia reuocare: Sic namque ipſe occaſione lachrymarum Chriſti ob peccata, & futurum excidium Ieruſalem: *Hoc ſemel egit, cùm perituram ciuitatem eſſe nunciauit: hoc quotidie Redemptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat, cùm quoſdam ex bona vita ad mores reprobos perueniſſe conſiderat. Plangit enim eos, qui neſciunt, cur plangantur, qui iuxta Salomonis verba,* Lætantur cùm malè fecerint, & exſultant in rebus peſſimis: *Qui ſi damnationem ſuam, quæ eis imminet, agnouiſſent, ſemetipſos cum lachrymis electorum plangerent.* Ita Gregorius.

12. Sed quãnam peculiari ratione hos defleat Apoſtolus, ſiue quid ſignatè lachrymis dignum in ipſis animaduerterit? meritò ambigas. Refert notanter id Chryſoſtomus ad eorum, quos deflebat, luxum & ingluuiem. *Quoniam tales* (inquit) *qui ſunt, lachrymis digni ſunt. Verè lachrymis digni ſunt, qui in delitijs degunt, & indumentum quidem, id eſt, corpus pingue faciunt; futuri verò, quod illos manet, ſupplicij nullam rationem habent. Eſto, delicatè viuis; eſto, vino mades; hodie, cras, decem annos, & viginti, & triginta, & quinquaginta, & centum, quod quidem nefas eſt. Verùm ſi vis, demus ita eſſe: quódnam extremum? quæ vtilitas? nulla. Talem igitur vitam viuere, nónne lachrymis, & lamentis dignum eſt?* ita omnino. Quis enim meliori iure defleatur, quàm is qui ab humanæ naturæ dignitate in beſtiam tranſiuit? ſcitè enim Seneca epiſt.92. *Et hunc tu non dico inter viros numeras, ſed inter homines, cuius ſummum ſaporibus, ac caloribus, ac ſonis conſtat? Excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo, ac dijs ſecundo mutis aggregetur animal pabulo natum.* Aut, cui potiſſimum debeantur lachrymæ, quàm ei, qui è viuis exceſſit? dicente Apoſtolo 1. ad Timoth. 5. 6. *quæ in delitijs eſt, viuens mortua eſt.* Et Chryſologo ad ea verba Lucæ 15.13. de filio prodigo viuendo luxurioſè ſerm. 1. *Mortalis eſt iſta vita, quæ moritur virtutibus, qui vitijs viuit, ſepelitur famæ, perit gloria, qui manet turpitudini creſcit* inſa

Marginalia: Greg Magn. — Bernard. — Cornel.Tacit. — Luca 15.31. — Chryſol. — Titus Boſtr. — Baſilius Seleuc. — Pſal.21.1. — Aquila. Symmac. Theodo. — Euſeb. Cæſar. — Origen. — 1.Ioan.2.1. — Gregor. — Prou 2.14. — Chryſoſt. — Seneca. — 1.ad Timoth. 5.6. — Luc.15.13. Chryſol.

infamia. De quo copiosus in adnotationibus redibit sermo. Sed audi modò Isidorum Pelusiotam hos Epicurei de grege porcos sic grauiter admonentem libr. 2. Epistol. 10. *Isid. Pel.* *Quoniam vita vestra perennium lachrymarum causam, & materiam sanctis viris prebuit (considerantibus nimirum, quidnam causa sit, quòd vos, cùm Christianorum nomen vsurpetis, Epicuream tamen vitam ducatis, vt qui nec vllum libidinis, atque intemperantiæ facinus non perpetratum, nec fœdum vllum, & obscænum sermonem non prolatum reliqueritis, hac epistola vos moneo, vt ab improba vita ratione animum abducentes, & vos ipsos probris, atque infamia futurique iudicij seueritate, & sanctos viros ea, in qua vestra causa versantur, mæstitia, ac denique Ecclesiam graui, nec facile eluenda macula liberetis*. Hæc Isidorus.

13. At enim Basil. hom. in Mart. Iulittam ob lethale horum peccatum, quod animæ mors est, has à Paulo lachrymas fundi, quasi ipse mortuos lugeant, sic censet. *Eusebius.* *Flet igitur super peccato. Peccatum animæ est ægritudo, peccatum mors est animæ alioqui immortalis; peccatum luctu est, & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lachrymæ, nec desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus. Flebat Paulus inimicos crucis Christi*. Et iure quidem, monente Ecclesiastico c. 22. 10. *Eccl. 22. 10.* *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius, & supra fatuum plora, deficit enim sensus*. Et statim. *Luctus mortui septem dies: fatui autem, & impij omnes dies vitæ illorum*. Similiter & Ecclesiast. c. 8. 12. *Ecle. 8. 12.* cùm ait. *Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur*; ibi enim Aquila, & Theodozion reponunt. *Aquila. Theod.* *Qui peccauit, & fecit malum, statim mortuus est*: ac si dicat cum Ioanne Apocalyps. 3. 1. *Nomen habes quod viuas, & mortuus es*: hoc est, ad speciem externam, viuens, at reapse ob peccatum extinctus; ita de Claudio Imperatore, turpi quidem, & fatuo, cùm animam efflauit, eleganter dixit Seneca *Seneca.* *in ludo* in morte Claudij *desiit videri viuere*: vt diceret, iam diu mortuus re ipsa fuerat, cuius vita ob peccata ac turpitudinem mors erat, vnde cùm dies illi supremus aduenit, non tam vita, quàm vitæ specie functus est. Sed opportunius Tertullian. lib. de carne Christi c. 2. Marcionem quod à Christo defecisset, inter mortuos sic computans. *Tertull.* *Nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo quòd creditum Christianos facit. Et eo magis mortuus es, quo magis non es Christianus: qui cùm fuisses, excidisti, rescindendo, quod retrò credidisti*. Diffundit & illustrat hanc imaginem Chrysost. hom. 28. in Matthæum hunc in modum. *Chrysost.* *In peccatis miseram vitam agentes nihil à mortuis differunt, immò verò maximè differunt, cùm sint illis multo deteriores. Nec enim mihi dices, hoc clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri, nec postremò vermibus esse proiectum, cùm multo peioribus hic, quàm qui obierunt, vexetur. Sed corpus dicet quispiam huius pingue, ac floridum, non tabe corruptum vidimus. Magna verò res, si corpore iam pridem integro anima corrupta, atque deperdita est*, &c. *Sed phalerato equo fertur magnificè. Ego verò in quam meliorem illum esse, qui in vrna, quasi in lectulo quiescit; quoque decentius est, nemo putrescentem cernit, sed tegitur vrna dissolutum corpus: hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit*. Et statim. *Certè si posses animam hominis peccatis inuolutam oculis cernere, non dubitares multo melius esse, in sepulchro iacere, quàm delitijs irretitum detineri, & lapide potius, quàm graui peccatorum pondere premi*.

14. Firmat hæc disertissimè ea Christi locutio ad discipulum ipsi adhærere volentem, moras tamen interponentem vt patrem recenter mortuum sepeliret: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, Matth. 8. 22. *Matth. 8. 22.* mortuos dubio procul (vt August. apud Maldonatum ibi exponit) *August. Maldon.* appellans peccatores, qui nomen habent, quòd viuant, interiùs autem mortui sunt, *Hieron.* *Nam quanti hodie diu viuendo* (inquit Hieronym. Epistol. 13.) *portant funera sua, & quasi sepulchra dealbata plena sunt ossibus mortuorum?* Vnde ad hæc verba Chrysolog. serm. 19. *Quomodo mortui sepeliunt mortuos suos? Fratres ipse dixit*: Ego sum vita (Ioan. 14. 6.) *Ioan. 14. 6.* *Quòd est anima corpori, hoc est animæ Christus: sine anima corpus non viuit: non viuit anima sine Christo: recedente anima mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro viuo fumus animæ iam sepultum*. Hæc Chrysolog. *Chrysol. Ambros.* Nec aliter Ambros. libr. 6. in Lucam dum in misero illo homine à dæmone oppresso, & in sepulchris commorante, typum agnoscit animæ peccatis obnoxiæ, & corporis tumulo inclusæ ad hunc modum. *Luca. 8.* *Siquidem talium animæ in quibusdam habitare videntur sepulchris peccatorum; quid enim sunt corpora perfidorum, nisi quædam defunctorum sepulchra?* Concinit Isaiæ locutio capit. 14. 19. de impio. *Isaiæ 14. 19.* *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo quasi stirps inutilis pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio*, quam sic explicat Aillredus in allegoriis Gotfridi: *Ailred.* *Ipsius Anti-Christi, omniúmque reproborum sepulchra, eorum sunt corpora in quibus anima illorum, putredine vitiorum corrumpitur, & omnium immunditiarum sanie fœdatur*. Sed hæc viuaci Chrysostomi penicillo descripta vide: ait enim citata hom. 28. in Matth. *Chrysost.* *Primò enim statim vt in sepulchro iacentem institis legatum inspicias. Consideremus potentem hominem, & in primis huius caput quasi ebriosi opertoriis pluribus, atque vinculis alligatum, sic vndique obrutum, vt sensibus exstinctis nihil audiat; nihil videat, nihil prorsus sentiat. Deinde manus inspicite, videtéque ventri annexas sicut mortuorum, non quidem institis, verùm quod turpius est, durissimis auaritiæ vinculis, quæ vinctas non sinit ad libertatem porrigi, sed insensibiles ad eiusmodi officia reddit. Vultus, & pedes similiter irretitos videte: videte eos variis curis alligatos, ac idcirco non posse Dei Ecclesiam adire*: hæc & alia Chrysost. Similia inuenies apud Originem homil. 3. in Epist. ad Romanos. Vnde quidem Cyprianus libr. de lapsis, fæminam nescio quam à castitatis fastigio in turpitudinem prolapsam, sic eleganter alloquitur. *Cyprian.* *Si quem de suis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres: facie inculta, veste mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore deiecto indicia mœroris ostenderes: animam tuam misera perdidisti, & spiritualiter mortua funus tuum portare cœpisti, & non acriter plangis? Et non iugiter ingemiscis?* Et quidem scitè illud: *funus suum portare cœpisti*: vt dicere videtur. Miseram te; quæ mortua in viuo sepulchro inhabitas; miseram te, quæ mortis exuuias circumducis, nec mortuam te sentis.

15. Dixeris eadem cuilibet, quantus quantus is sit, qui auidas prægrandis fortunæ, siue peregrinarum diuitiarum spes insecutus lapsus est in peccatum: nam cùm beatam, & florentem vitam viuare sibi videatur, reuera mortuus est, & funus suum portat: sic impio Caïn præclarum fratrem Abel ferociter interficienti accidit. Nec enim res euenit, vt ibi ad faciem occurrit: immò verò seipsum dirus sicarius, non fratrem interemit. *Philo.*

Audi

Audi Philonem lib. *Quod deterius potiori insidietur:* qui in primis vbi nos habemus: *Consurrexit Caïn aduersus Abel, & interfecit eum* Genes. 4. 8. ipse legit; *& interfecit ipsum*, deinde ly *ipsum* non de Abele, sed de ipsomet Caïn sic explicat. *Prima quidem specie Abelem occisum subindicat: sin autem diligentius rem expendas, ipsum Caïn à se ipso; proinde sic legendum: insurrexit Caïn, & occidit se ipsum, non alterum: & meritò quidem. Anima enim, quæ ex se ipsa tollit dogma pium, & virtutis amicum, virtuti est mortua.* Et paulo pòst. *Itaque Abel quod vix credas, interemptus viuit, exemptus enim ex insipientis morte viuit in Deo vitam felicissimam: attestatur nobis diuinum Oraculum, quod vociferari eum, ait disertè*, &c. *malus autem viuens in vitiis. quantum ad felicem illam vitam est mortuus.* Hæc Philo; & ab eo similia Ambros. libr. 2. de Abel & Caïn cap. 9. Hinc notanter Paulus 1. ad Corinth. 2. 10. ingentes Deo gratias agit, *de tantis periculis nos eripuit, & eruit*; subdens, *in quem speramus, quia adhuc eripiet*: vbi obserua pro *de tantis periculis* lectionem Syriacam reponere *de morte violenta*: Cyrillum verò Alexandrin. libr. 11. in Leuiticum legere *de tantis mortibus*: mortis nomine peccatum appellans; secus enim quomodo subsistet; eripiendum à corporis morte Paulum, quam ipsum subiisse nouimus. Audi indidem Cyrillum. *Quas ergo hic mortes plures commemorat nisi peccatorum? Si enim hæc non diceret de mortibus peccatorum videbatur Paulus secundùm sententiam suam immortalis esse mansurus; & eripiendus ab hac communi morte, qui dicit*, quia & de tantis mortibus eripuit nos, in quo speramus, quia adhuc eripiet. *Si enim eripuit, & eripiet, numquam erit, quando morietur, quem Dominus semper eripiet.* Hæc Cyrillus. Interfecit ergo Caïn se ipsum, Paulum verò, & electos suos *a morte violenta* peccati eripuit, & eripiet Dominus.

Gen. 4. 8. — Ambros. — 1. ad Cor. 2. 10. — S. Cyril. Alex.

16. Iure ergo homines spiritualiter mortuos defleat Paulus, ad eum sanè modum, quo ad mortui Lazari conspectum, vel ex eo solum, quòd peccatoris imaginem, ac typum præ se ferret (vt Augustinus tractat. 49. in Ioannem. Irenæus libro 5. capit. 13. Ambrosius libr. 2. de pœnitent. capit. 7. Bernardus sermone 4. in Assumptione aiunt) *lachrymatus est Iesus*, Ioann. 11. 35. & verò Gregor. lib. 1. in lib. Regum cap. 9. ea Domini verba ad Lazari sorores: *vbi posuisti eum?* ad primum parentem per peccatum à summæ felicitatis culmine ad extremam miseriam deiectum sic refert: *Hinc est quòd in paradiso primum hominem post peccatum quærit, dicens*: Adam vbi es? *quasi dicat; quia te in luce, qua posui, non inuenio, demonstra te vbi posuisti. Hinc de mortuo Lazaro exquirit dicens*: Vbi posuistis eum? ac si dicat: En à quo vitæ fastigio, in quas tenebras, atque fœtorem corruetis. En quantum inter veritatem, & opinionem intercedat discrimen: vt qui felix & florens habetur, mortuus, & fœtidus reapse sit. Notanter ergo in imaginem demortui peccatoris vrgetur ad lachrymas Dominus, queritur, gemit, plorat, quòd talem mortem vix valeat omnium hominum cœtus deplorare. Sic id considerat ille Ambros. lib. 2. de pœnitentia cap. 7. *Videns itaque graue onus peccatoris illachrymat Dominus Iesus; solam enim flere non patitur Ecclesiam. Compatitur dilectæ suæ, & dicit defuncto*, veni foras. Benè illud. *solam enim flere non patitur Ecclesiam*: quod tam ad mollissima Christi viscera compassionis aculeo puncta, quàm ad tanti mali grauitatem renoces, quasi ad peccati mortem deflendam vix totius Ecclesiæ

August. — Irenæus. — Ambros. — Bernar. — Ioan. 11. 35. — Greg. Magn. — Ambros.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

sufficiant lamenta, atque ideò ipsius met Filij Dei lachrymas illis admiscere, opus. Sic ad sequentis versus verba. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, dicebat Chrysost. *Si ergo totus orbis sumptis lachrymis eos defleret, qui ab ista spe deciderunt, num dignè collachrymaretur?* Chrysost.

17. At enim inde grauior mæror, & maior lachrymarum occasio, quòd infelices hi mortui, de pœnitentia, qua ad vitam redirent, nihil cogitarent: *Flet igitur Paulus* (inquit Chrysostomus) *quibus de rebus alij rident seque oblectant: tantò alienarum calamitatum sensu tangitur.* Equidem hæc potissimum plorandi, & condolendi causa fuerit; quòd peccare, nec statim pænitere grauissimum omnino malum, & res horrendi periculi plena sit. Sic dicebat idem Chrysost. hom. 11. in Epist. 1. ad Cor. *Qui postquam peccauerit, pœnitentiam agit, non lachrymis, sed laude dignus est in beatorum chorum translatus. Qui autem post peccatum in eo perseuerat, non tam in cadendo miser est, quàm in iacendo post casum.* Nimirum, *nihil sic offendit Deum* (inquit Hieronym. in cap. 22 Isaïæ) *quàm post peccata erecta ceruix; & ex desperatione contemptus.* Vnde notanter Regius Vates ait Psal. 75. 8. *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua:* ac si dicat, inquit Rupertus lib. 1. de Victoria Verbi Dei c. 16. *Non ex quo quis peccat, sed ex quo tibi resistit peccator, ira tua vim suam exercet.* Certè cùm in Filij Dei morte pluribus ex iis qui aderāt pœnitentiam agentibus, impij Iudæi in suo scelere obstinati perstitissent, ipsæ res inanimes pessimam ipsorum causam notanter defleuerunt quòd ex tunc ira Dei vim suam exerceret: vt in templi velo *à summo vsque deorsum* disscisso, Matth. 27. 51. hunc in modum obseruauit S. Cyril. Alex. lib. 11. in Ioan. cap. 37. *Quum Christus expirasset, velum quasi vestem suam ad contemnendam Iudæorum impietatem illico scidit. Quod diuinitus ideò dixerim esse factum, vt sanctum Dei templum populi causam lugere intelligeretur.* Flet ergo hos Paulus, quod ipsi non fleant (de quo ad sequentia verba: *& gloria in confusione ipsorum*, non nihil dicemus.) Flet tamen *si fortè sit spes*. Cur enim eam ipse vel in vltimo discrimine abiiciat? nam verè quidem, & opportunè dixit Ambros. lib. 3. Hexaëmer. c. 13. *Nemo ergo positus, vel in adolescentia, vel in intemperantiæ lubrico de sui conuersione desperet: ligna plerumque in meliores vertuntur vsus, & non possunt hominũ corda mutari?* Nec minus appositè monuit Philo l b de sacrificiis Abel, & Caïn, optimi medici esse numquam desperare ne curet, audi illum: *Conandum tamen est, vt etiam certò perdendos à suis vitiis seruemus, quantum possumus imitando bonos medicos, qui quamuis videāt, haud posse agrum à se seruari, tamen libenter omnem curationem admouet, ne per ipsorum negligentiam videatur res non successisse ex sententia: quod si vel minima sanitatis scintilla se ostenderit, ea diligentissimè sicut in foco accendenda est: sperandum enim fore, vt vita prorogata mutetur in melius, magisque sibi in posterum à lapsu caueat.* Hactenus Philo. Nec aliter Chrysost. citata homil. 28. in Matth. inquiens. *Qui quoniam quantis malis vexentur, ignorant, non dubitent tamen propinqui eorum, veluti cum Maria ad Lazarum faceret, Iesum adire, tunc etiam si putridum oleat, etiam si quatriduanus sit, non desperes tamen, sed adeas & lapidem inde remoueas.* Sic ille.

Idem. — Hieronym. — Psal. 75. 8. — Mat. 27. 51. — S. Cyril. Alex. — Ambros. — Philo. — Chrysost.

18. Quare non longiùs ire dixeris has Pauli lachrymas ab illis doloribus, atque suspiriis, quibus abortiuos, siue degeneres Galatas iterum se parturire sic aiebat. *Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autem apud vos esse modò,* ad Gal. 4. 19.

& mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis, ad Galat. 4. 19. Quæ verba sic expenduntur à Chrysostomo homil. 10. de pœnitentia. Chrysost. *Quasi diceret. Parcite mihi, nullius filius secundò maternum vterum partus doloribus effecit, quod me pati cogitis: nam dolores illi vno tẽporis momento torquent, atque infante aluo delabente, & ipsi quoque delabuntur; hi verò non sic, sed & mensibus tot manent. Nam & animum totum sæpè numero parturiuit Paulus, atque haud conceptos peperit.* Ita ibi. Vnde concione 1. de Lazaro ex parentum imagine, qui filiis licèt desperatis lachrymãtes assident, fideles omnes exhortatur, vt ad Pauli exemplum pro fratribus peccato obnoxiis, nec pœnitentia functis, assiduè fleant, quòd hæc lachrymæ pondera vocis ad eos permouendos habeant; sic enim ille. *An non vides parentes? quomodo filiis suis licèt desperatis frequenter assident lachrymantes, lamentantes, exosculantes, omnia, quæ possunt admonentes ad supremum vsque halitum: hoc tu quoque facito pro fratribus, & tamen illi non possunt lachrymis, ac lamentis, neque morbum depellere, nec mortem imminentem abigere, tu verò frequenter poteris animam deploratam assiduitate, instantiaque per lamenta reuocare, & suscitare. Dedisti consilium, nec persuasisti, illachryma, punge frequenter, ac suspira paululum, vt tua sollicitudo incutiat illi verecundiam: conuertes illum ad salutem.* Sic Chrysostomus.

19. Iam verò dum Paulus æmulos, & insectatores, immò hostes suos (vt notauit Primasius) deflet, regium exprimit Dauidis affectum parricidam filium Absalon grauiter deplorantis, 2. Regum 18. 33. Quod sic expendit August. lib. 3. de doctrina Christiana cap. 21. 2. Regum. 33. *Rex Dauid cùm hoc ab impio, atque immani filio passus esset, non solùm ferocientem tolerauit, sed etiam planxit extinctum. Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo iniuriæ suæ, sed peccata, filij commouebant.* Pulchrè illud non *carnali zelo*. Sanè quasi spirituali zelo commoueretur Dauid; atque ideò ad filij commiserationem eius viscera vrgerentur. Sed inquis quomodo spiritualis zelus mitiora posset suggerere consilia? cùm & zelus, quisquis is fuerit, iræ & grauissimæ quidem, species sit: & spiritualis zelus grauius & ardentius quàm carnalis zelus vrat: eodemmet Dauide dicente, *zelus domus tuæ comedit me*, Psalm. Psal. 68. 10. 68. 10. & Psalm. 118. 139. Ps. 118. 139. *Tabescere me fecit zelus meus*; & Paulo eodem sensu, cùm dixisset, *æmulor enim vos Dei æmulatione*, 2. ad Corinth. 11. 2. 2. ad Cor. 11. 2. postmodum subdit. *Quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. ad Cor. 11. 29. 2. ad Corinth. 11. 29. Equidem quòd carnalis zelus à proprio zelantis amore, & odio in alterum qui potiatur re, quam ipse zelans concupiscit, proficiscatur. Vnde illi implacabiles iræ adiunctæ sunt: quia Prou. 6. 35. *zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus; nec suscipiet pro redemptione dona plurima*, Prou. 6. 35. Spiritualis verò zelus non à proprio sui amore, sed à charitate, qua proximum diligimus, oriatur, vnde non modò placabilis erga illum, sed benignus etiam & benefaciens est, quippe non tam illatæ sibi iniuriæ, quàm proximi mala zelantem contristant, ac turbant. Ideò & Regius Vates ab impio filio pessima constuprati thori iniuria lacessitus ipsum plangebat extinctum, & Paulus infensissimos sibi hostes quòd longius à salutis tramite irent grauiter flebat.

20. Nec ideò negauerim, posse etiam hos Pauli gemitus, atque lachrymas sub eo sensu accipi, quo ad Heb. 13. 17. ipse ad Hebræos 13. 17. dicebat. *Obedite præpositis vestris, & subiacete illis, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Sanè quasi inobedientes subditi dirum in se malum accersant, cùm Prælatos ad Deum de ipsorum peruicacia gemere compellunt: optimè id ad hæc verba expendentibus Chrysostomo, & Theophylacto: sic namque prior. Chrysost. *Magna vltio facit eum gemere, & ingemiscere.* Et post pauca. *Oportet eum ingemiscere qui despicitur, qui conculcatur, qui conspuitur. Ne confidas, quòd te non vlciscitur: gemitus enim est quauis vltione deterior. Nam quando ipse nihil proficit, gemens vocat Dominum. Et quomodo vsu venit in præceptore, & educatore, quando illum puer non audiuerit, vocatur qui in eum se gerat austeriùs, ita hic quoque. Heu quantum est periculum! Quia miseris illis dixeris, qui se coniiciunt in tantam abyssum suppliciorum.* Ita Chrysostom. Similiter Theophylact. Theophy. *Ipse quidem vigilabit pro anima tua, verumtamen nisi correxeris inobedientiam tuam, ingemiscet aduersus te ad Deum, quod maiorem pœnæ, ac supplicij pyram accendit; acrius vindicem, & punitorem Deum permouens.* Hæc ex Theophylacto.

Iam tandem quomodocumque has Pauli lachrymas sumpseris, videris illas recto tramite fluere; & generoso affectu, & ad veri planctus leges ipsas Apostolum fudisse. 21. Nimirum ea lachrymarum conditio, is vsus est, vt nonnisi secundùm Deum, siue pro re animæ emittantur, dicente Domino, *Beati qui lugent*, Matth. 5. 5. hoc est, vt inquit Euthym. cap. 17. in cap. 6. Lucæ. Matth. 5. 5. Euthym. *Qui flent, non vtcumque, sed vel pro suis peccatis, vel pro aliorum afflictionibus; & vt vno absolutam verbo, qui secundùm Deum flent.* Et quidem meritò, nam vt dicebat Chrysostomus homil. 12. ad Colossens. num. 8. Chrysost. *Oculus animæ membrum est; & tamquam ipsam videntes deflentem animam, ita flectimur.* Quod ipse indidem tam ex munere, ad quod lachrymæ datæ sunt, quàm ex efficaci, siue inefficaci ipsarum vsu egregiè confirmat, & de primo quidem sic ait: *Nos autem eas* (lachrymas) *reprehendimus, vt qui non vtamur* ad ea, quæ datæ sunt. *Quando fratrem peccantem consolamur lugentem, & ingemiscentem. Quando alicui suademus, ille autem mentem non adhibet, sed recedit, flendum est. Hæ sunt lachrymæ philosophia. Quando autem quispiam fuerit factus pauper, quando fuerit in morbo corporali, quando fuerit mortuus, nequaquam. Hæc enim non sunt digna lachrymis. Sicut enim risum reprehendimus, eo importunè vtentes, sic etiam lachrymas importunè eas vsurpantes.* Pende illud: *hæc enim non sunt digna lachrymis.* Quare? quia videlicet temporalia sunt, & quæ ad corpus spectant; pro iis verò animam flere. nam ab anima lachrymæ proficiscuntur, indignum est: sic sapienti, acerbóque morsu Satyrographus dicebat,

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris. Iuuenal.

Ac si diceret, iniquum esse, atque peruersum, vt quæ inania, & falsa sunt, veris lachrymis deplorentur: pergit Chrysost. *Tunc enim cernitur vniuscuiusque virtus, quando ducitur ad aptam muneris sui functionem, quando autem ad alieni, nequaquam. Vt, vinum datum est ad lætitiam, non autem ad ebrietatem, panis ad nutritionem, &c. sicut ergo ea vituperantur, ita etiam lachrymæ. Lex feratur, vt in solis precibus, & admonitionibus iis vti liceat; & vide quomodo res erit etiam optanda.* Ita Chrysost. Inest verò peculiare acumen, quòd veras lachrymas ab inutilibus, & illegitimis discriminat illis verbis: Chrysost. *Tunc cernitur vniuscuiusque virtus, quando ducitur ad aptam muneris sui functionem*: vt velit dicere Chrysost. inde cognosci, lachrymas non nisi *secundùm Deum*, vt dicebat Euthymius, fundi debere, quòd aliter amissæ nullum sortiantur effectum: nam si ob peccata ipsas

ipſas fundis; tunc earum virtus maximè cernitur, quod ipſa delent, & priſtinæ amicitiæ diuinæ te conciliant, ſi verò ob amiſſam pecuniam, aut ob filij amicive mortem lamentaris, quantamcumque lachrymarum vim profundas, nihil lucraris; nec mortuos ad vitam reuocas, nec damnum vales reſarcire; quòd nulla aduersùs hæc illis virtus ſit: non ergo alius earum vſus, munúſve fuerit, quàm vt ſpiritui inſeruiant. Equidem cùm Dei filius ad mortem
Luc.23.27. ducebatur: *Sequebatur eum multa turba populi, & mulierum quæ plangebant, & lamentabantur eum*, At Dominus *conuerſus ad illas dixit, Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*, Lucæ 23.27. Sed cur propter ſe in tanto caſu illas flere Dominus vetauerit? Quis opportunior lachrymarum vſus quàm in Filij Dei morte? Sanè quòd vt illæ lachrymæ non omnino ab re fuiſſent; at multo opportuniùs ab illis mulieribus pro ipſarum peccatis effunderétur: nam in illa omnimodam vim, & efficacitatem haberent; minimè verò in mortem Chriſto inferendam, quæ ipſi gloriæ occaſio erat futura. Ita pænè ad hæc verba Beda, inquiens. *Ne me morituum lamentemini, cuius cita reſurrectio mortem ſoluere poteſt, cuius mors & omnem mortem, & ipſum mortis deſtructura eſt auctorem.*
Beda. *Vos potiùs ipſas, veſtrámque progeniem, ne in meæ crucis vltionem cum perfidis æterna morte damnemini, dignis lachrymarum fontibus abluite.* Hæc Beda. Benè *dignis lachrymarum fontibus*: ea enim legitima plorandi cauſa, is dignus lachrymarum vſus eſt.

22. Iam & veri, & falſi fletus originem agnoſce: nã vt lachrymæ quæ ſecundum Deum ſunt à Deo omnis boni fonte proficiſcuntur; ſic eæ, quibus amiſſa pecunia ploratur, à dæmone ortum ducunt.
2.Reg.22.9. Certè 2. Reg. 22. 9. de Deo dicitur. *Aſcendit fumus de naribus eius.* Similiter de dæmone inquit
Iob 41.11. Iob cap. 41. 11. *de naribus eius procedit fumus.* Et verò fumum de Dei naribus exeuntem ad lachrymas, quæ pro peccatis profunduntur, peculiari à Deo munere donatas retulit Anſelmus in lib. *de veſtimentis & membris Dei*, hunc in modum. *Nares Dei inſpiratio eius in corde fidelium, vt eſt illud in libro Regum.* Aſcendit fumus de naribus eius, *id eſt, lachrymoſa compunctio pœnitẽtium in inſpiratione eius.* Inde verò egregium id Dei donum eſſe, omnino conuincitur, quod & his lachrymis nihil pulchrius atque formoſius; nihil dulcius, ſuauius vel ſit. Sic de Chriſti ſponſa lachrymis & triſtitiæ ob commiſſa peccata ad inſtar caſtæ turturis ſemper gementis
Cant.1.9. ſe tradente dicebat Salomon, *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis*, Cant. 1. 9. quæ plus expreſſit lectio Tigurina, dum habet. *Pulchræ ſunt genæ tuæ propter margaritas*: hoc eſt, propter lachrymas per maxillas decurrentes, quæ pulcherrimis margaritis ſpecioſiores ſunt. Audi Chryſoſt. hom. 30. in Geneſim de Dauidis oculis ob commiſſa peccata lachry-
Pſa.118.130. mantibus ſic loquentem. *Quid illis oculis formoſius, qui perpetuo lachrymarum imbre tamquam margaritis ornantur?* Vnde ipſe notanter dicebat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam*, Pſalm. 118. 136. etenim Græcè vox ἔξοδος, quæ Latinæ *exitus* reſpondet, propriè ſignificat (vt ad cap. 1. verſ. 23. adnot. 1. num. 4. dixiſſe memini) vel principum fœminarum cum pompa, & præclaro comitatu in puplicum egreſſus, vel illuſtres militarium copiarum ſublatis ſignis, aciéque vndequaque inſtructa excurſus, quibus nihil ornatius, nihil pulchrius inuenitur. Vt dicere videatur Vates lachrymas ob peccata defluentes, ſolenni cũ oſtentatione, & pompa exire, atque decurrere, quod nihil ipſis comptius, nihil ſpecioſius fuerit.

Iam huic ſpeciei, atque ſplendori lachrymarum peculiarem ſuauitatem. & dulcedinem adiunxit Eze- Ezech. 3.3.
chiel. cum enim cap. 2. 9. dixiſſet, datum ſibi ad eſum quoddam volumen, ſiue librum, in quo *ſcripta erant lamentationes, carmen, & væ*: ſubiicit poſtmodum cap. 3. 3. *& comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.* Nimirum quia *dulcis, & iucun-* Theodor.
diſſima eſt (inquit ad ea verba Theodoretus) *ob peccata lamentatio.* Proquo egregiè fideiubet Auguſt. Auguſt.
dum ſe recenter ad Deum conuerſo, & acriter peccata deflente ait: *Fluebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Sed de lachrymis ſatis.

Inimicos crucis Chriſti.

HAud dubium (inquit Cardinalis Baronius ad 23.
annum Chriſti 60. num. 4.) *illos ſignat hæreticos, qui Chriſtum verè crucifixum eſſe negabant, addentes, imaginem ſolum eius ea viſam eſſe pati: Chriſtum verò ſe ſubtraxiſſe, cuius hæreſis primus auctor fuit Simon Magus, quæ in eius diſcipulos eſt infeliciter propagata, vt Irenæus, Epiphanius, & alij tradiderunt. Eamdem & Cerinthus docebat, qui diuidens Ieſum à Chriſto, Ieſum paſſum, ac ſurrexiſſe dicebat, Chriſtum autem nequaquam, ſed impaſſibilem perſeueraſſe, ipſúmque tempore paſſionis à Ieſu receſſiſſe*, &c. *Addebat Baſilides Simonis diſcipulus hanc ad commẽtitium fabulam, Ieſum, qui portabat crucem, transformaſſe ſuam ſpeciem in Simonem Cyrenæum, eúmque eſſe crucifixum, Ieſum autem ſic eo modo à paſſione eſſe ſubtractum. Sed hæc pluribus Epiphanius.* Hæc omnia Baronius: quibus ſubiicit. *Hos igitur à Paulo ſugillatos eſſe, cùm eos nominat* inimicos crucis Chriſti; *nullus inde poterit dubitare.* Quod illico ex ſancti Ignatij Martyris verbis tum epiſt. 8. ad Philippenſes; tum ex epiſt. 5. ad Trallianos omnino ſtabiliri exiſtimat; ſic enim priori loco Ignatius.
Princeps enim huius mundi gaudet, cùm quis crucem S.Ignat.Mar.
negarit, cognoſcit enim crucis confeſſionem, ſuum ipſius eſſe exitium. Id enim tropheum eſt contra ipſius potentiam, quod vbi viderit horret, & audiens timet, &c. *Ideò & in quibuſdam id efficit, vt crucem negent, vt paſſionis illos pudeat, & mortem opinione tantùm illos guſtaſſe aſſeuerent; partum Virginis circumcidant, &*
mutilent. Ad quæ verba ſubdit Baronius; *Videlicet* Baronius.
diuidentes Ieſum à Chriſto ſanctiſſimam Dei genitricem Mariam matrem dicerent Ieſu fuiſſe, non autem Chriſti. Hoc eſt igitur, quod tam inſtanter Paulus Philippenſes admonuit illis verbis ad extremum poſitis. Videte conciſionem *hoc eſt eos, qui ſic concidunt, ac diuidunt Ieſum à Chriſto, quos inferiùs nominant* inimicos crucis Chriſti *quod à Chriſto crucem auferrent.* Poſt plura verò in hanc rem, poſteriorem Ignatij locum ex epiſtol. ad Trallian. pro hac exponendi ratione producit. Eſt hic. *Si ſurculi non fuiſſent* (patris diaboli ſcilicet) *non fuiſſent hoſtes crucis Chriſti, ſed eorum, qui occiderunt Dominum gloriæ. Nunc verò cùm crucem negent, & illos paſſionis pudeat, tegunt Iudæorum ſcelus.* Hactenus Cæſar Baronius: cui Cornelius & alij libenter ſubſcribunt.

At enim verò niſi ego vehementer erro, vocum 24.
potius ſono, quàm ſenſui & ſcopo Pauli hæc expli- Cornel.
catio hæret: nam ſi ſermonis ſeries inſpicitur, aliò aſpexit Apoſtolus, nec tam hæreſibus, quàm corruptelæ morum pugnat. Nec aduerſantur Ignatij verba, ex vtraque epiſtola adducta: nam ipſe in accommodatitio potius, quàm in litterali ſenſu, ſiue ad ſonum verborum, non ad ſenſum ſe exercens videtur cepiſſe Pauli voces, nec vlla apud ipſum ſententia eſt, quæ nos ſtringat. Iam verò dum Baronius eumdem ſenſum his verbis, *inimicos crucis*

Christi; ac illis versus 2. *Videte concisionem* reddit, totam suæ expositionis molem euertit; nam ibi concisionem, ex omnium Patrum, atque interpretum consensione non pro diuisione, aut separatione Iesu à Christo; sed pro veteri circumcisione, quæ iam inutilis, ac noxia sit, manifestè vsurpauit Paulus, vt multis egimus ad id loci, quæ vide. Sed nec scopum mihi collimasse videtur Theodoretus, Ambrosius, Remigius, sanctus Thomas, Bruno Primasius, & Anselmus, (quamuis hi duo aptiori subinde expositioni adstipulentur) quibus adhærent Iustinianus, & Estius, dum hæc capiunt de Iudaizantibus, qui iustitiam ex lege quærendam contendentes, egregium crucis Christi fructum, libertatem nimirum à veteri cæremoniarum iugo eneruabant, *dum enim aliunde* (inquit Bruno) *quàm per crucifixum Christum, dicunt hominem iustificari, profectò inimicantur cruci Christi.* Satis enim in superioribus de his egerat, nec erat, quod modò subobscurè repeteret, quod iam dilucidè, ac luculenter statuerat.

Theodor. Ambros. Remig. S. Thomas. S. Bruno. Primas. Anselm. Iustinian. Estius.

25. Germanior ergo Græcorum PP. itidem Anselmi, & Primasij explanatio est monentium hac inimicorum Christi periphrasi denotare Paulum, eos qui sub Christiano nomine, & professione vitam exlegem & voluptuariam, Epicureorum ritu viuebant. Habet verò multum venustæ elegantiæ, atque decoris voluptarios, abdominique natos homines *inimicos crucis Christi* appellare, quod vt Christiani hominis vita ad crucis Christi leges se componere, & in ea gloriari debet, ita ipsa Crux cum delicata vita & carnis voluptatibus, siue etiam cum sæculi pompis ex diametro decertet. Verissimè enim sanctus Paulinus epistola ad Aprum de Christiana professione dixit. *Sibi habeant litteras suas Oratores: sibi sapientiam suam Philosophi, sibi diuitias suas diuites: sibi regna sua reges: nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est: nobis sapientia in stultitia prædicationis, nobis virtus in infirmitate carnis, nobis gloria in crucis scandalo, quo mihi mundus occiditur, & ego mundo.* Ad quem etiam modum S. Maximus homil. de sancta Agnete: dum eam corporis voluptates despexisse memorat, crucis trophæum gloriosè erexisse, sic affirmat. *Virginitatem prætulit vitæ, omnémque à se amorem terrenum per amorem cælestem expellens, trophæum crucis Christi arripuit, & tam contra libidines, quàm etiam contra supplicia vniuersa, fide potius armata, quàm ferro fortiter dimicauit.* Vnde (quod quidem tam his, quàm sequentibus Pauli verbis valde opportunum est) lasciuienti Iouiniano dicebat Hieronymus lib. 2. contra Iouin. ad finem. *Vexillum crucis & prædicationis austeritas idolorum templa destruxerat; è regione luxuria penus ventris & gutturis subuertere nituntur fortitudinem crucis.* Sic Hieronymus. Sed iam audi PP. cum his verbis sensum reddentes. Et sic in primis Chrysostomus. *Quoniam erant nonnulli qui Christianismum quidem simulabant, sed in otio, ac delitiis viuebant, id verò aduersatur cruci, idcirco ita dicebat. Crux propria animæ est in acie stantis, mori cupientis, nullam sibi oblectationem postulantis. Illi verò contrariam vitæ rationem sequuntur. Quamobrem tametsi dicant, se Christi esse, inimici tamen sunt crucis: alioquin si crucem amarent, id quoque studerent, vt crucifixam vitam viuerent.* Hæc Chrysostomus. Vnde in hos crucis Christi inimicos sic statim inuehitur. *Nonne in crucem actus est Dominus tuus propter te? Si illius modum non potes, imitare alia ratione Dominum tuum. Ipse te crucifige, etiam si nemo te figat. Cruci, inquam, te ipse fige, non vt ipse te interimas: absit (impium enim est) sed prout Paulus dicebat,* Mihi enim mundus crucifixus est, & ego mundo. *Si Dominum tuum amas, mortem illius morere.* & post nonnulla: *Consueuit Dominus passiones nomine crucis appellare, vt cùm inquit,* Nisi quis tollat crucem suā, & sequatur me; *id est, nisi quis rectè se cōparauerit ad mortem: iste verò degeneres, vita, & corporis amantes profectò crucis Christi sunt inimici, & quisquis delitiarum, mundanaque tranquillitatis amator est, inimicus est crucis, in qua Paulus gloriatur, quam complectitur, cui nititur inseri.* Hæc omnia Chrysost. Quæ sic præstrinxit Theophil. *Nil itaque affici admiratione debemus, si hi qui dediti deliciis sint, & vita præsentis otio quietiori addicti, crucis sunt hostes, & Christo infensi.* Similiter Anselmus inquiens. *Ipsi sunt inimici crucis Christi, qui contra crucem semper faciunt. Cùm enim crux Christi in omnibus electis carnem affligat, & crimina mortificet, illi è contrario carnem voluptatibus fouent, & vitia nutriunt.* Aptat ista Iouinianistis Primasius ad hunc modum. *Qui cruciatum corporis in epulas, & luxuriam conuerterunt.* At enim opportunissimè hunc locum tractauit venerab. Balduin. in allegoriis Gotfridi Tilmani, cùm enim priùs dixisset: *Si crux Christi, quæ nobis portanda imponitur, voluptati aduersatur, & voluptas cruci, quomodo excusari possunt voluptatis amatores, vt non iudicentur crucis persecutores, de quibus Apostolus ait, Flens dico inimicos crucis Christi.* Hinc homines voluptatibus deditos reos mortis Christi, sic adstruit. *Qui rei mortis Christi sunt, non sicut auctores, vel factores, vel ministri mortis Christi, sed sicut mortis contemptores, qui sacramentum dispensationis in se euacuant, consiliū altissimi irritantes, qui cælesti benedictione, & ineffabili gloria indignos se faciunt, qui in delitiis agentes mysterium crucis irrident, qui Filium Dei conculcant, & sāguinem testamenti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, & spiritui gratiæ contumeliam faciunt.* Pergit, & in totam etiam Augustissimam Trinitatem iniuriosos, & contumeliosos facit, subdens. *Vita carnalis, Dei iniuria est, & in totius Trinitatis iniuriam redundat. Iniuria siquidem Patris est, quod filius conculcatur. Iniuria Filij, quòd sanguis eius quasi polluitur. Iniuria Spiritus sancti quod gratia contemnitur.* Hactenus ille.

S. Paulinus. S. Maxim. Hieronym. Chrysost. Mat. 16. Theoph. Anselmus. Primas. Balduin.

Iuxta hanc verò explicandi rationem; meritò dixeris eamdem hanc Pauli sententiam cum illa Iacobi esse cap. 4. vers. 4. *Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur? Nescitis quia amicitia huius mundi, inimica est Dei?* Nimirum ea Deus præscribit, & monet, quæ cum mundi studiis ex aduerso pugnant, ea mundus amplectitur, & odit, quæ Dei legibus omnino contraria sunt: *Nemo* autem *potest duobus dominis,* contraria ad inuicem præcipientibus, *seruire,* (vt Dominus monet Matth. 6.24.) *aut enim vnum odio habebit, & alterum* diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Vnde hæc Christi verba cum illis Iacobi, sic ad id loci composuit Didymus. *Qui peccando amat mundum, inimicus Dei esse monstratur, sicut è diuerso, qui non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuò mundi aduersarius inuenitur. Vnde sicuti impossibile est seruire Deo, & mammona, ita amicum Dei esse, simul & mundi.* Illustrat hāc sententiam Bernard. adductis verbis Ioannis Episc. 1. cap. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.* Scite inferens facile ex propriis studiis posse hominem cognoscere, an Dei amicus siue inimicus sit. Audi illum in allegoriis Gotfridi Tilmani ad ea Ioannis verba: *Viderit hic quisque cuius sit spiritus, quid diligat, quid cupiat, quid sequatur. Ecce enim speculum veritatis:* 26.

Iacob. 4. 4. Mat. 6. 24. Didym. Bernard.

veritatis: tantùm ne considerato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis sit obliuiscatur. Ambitio, curiositas, & voluptas non ex Patre sunt, sed ex mundo, &c. Hæc tria qui diligit, mundum diligit, & Dei constitutus est inimicus. Sic Bernardus. Vt iam hinc facile videris, quid sit in causa, quòd adeò pauci inueniantur, qui amici Dei sint: optimè commonente Basilio in Psal. 44. Quantum dilectionis in hac inferiora insumpseris, tantùm necesse est, vt ei adimas, quod totum est, ideoque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt, quemadmodum scriptum est Moysem fuisse amicum: nimirum ad amicitiam diuinam retinendam, mundum, & quæ in mundo sunt ab animo abiicere, atque contemnere, necesse est? id verò pluribus vehementer displicet; Multi enim ambulant, quos vobis sæpè dicebam, nunc autem flens dico, inimicos crucis Christi, &c.

Basilius.

27. Iam hos voluptatis amatores non solùm crucis Christi, atque ipsius Dei inimicos cõstitui, sed omnibus virtutibus, iuri, æquitati, optimæque rationi infensos hostes esse, disce ex Philonis Iudæi verbis per omnia voluptatis mala sic copiosè discurrentis in libro de mercede meretricis non accipienda in Sacrarium. Scias velim, ô tu si voluptatis amator fueris, eris & vafer, audax, incompositus, insociabilis, morosus, iniquus, difficilis, iracundus, peruicax, molestus, inobediens, leuis, malitiosus, ineruditus, iniustus, nefarius, sibi viuens, infidus, fœdifragus, auarus, malè moratus, nemini amicus, exul sine lare, seditiosus, perfidus, impius, profanus, inconstans, instabilis, execratus, piacularis, scelestus, scurra, pestilens, noxius, illiberalis, refractarius, ferus, seruilis, pauidus, perditus, turpis, probrosus, propudiosus, immoderatus, immodicus, inexplebilis, arrogans, sibi placens, suo iudicio sapiens, sordidus, inuidus, calumniosus, contentiosus, delator, vanus, fallax, circulator, temerarius, indoctus, insensatus, nemini conueniens, inobsequens, contumax, præstigiator, dissimulator, simulatórque, excors, suspiciosus, infaustus, inscrutabilis, ineuitabilis, perniciosus, maleuolus, inconcinnus, importunus, loquax, nugax, inaniloquus, assentator, piger, luctuosus, durus, meticulosus, insidiosus, incircumspectus, imprudens, improuidus, negligens, imparatus, bonarum rerum imperitus, superfluus, errabundus, offensator, indispositus, inaccessus, gulosus, vagus, futilis, mobilis, dolosus, bilinguis, animi ambiguus, impostor, subsessor, petulans, incorrigibilis, semper indigus, incertus, circumforaneus, seductor, inconsultus, obnoxius, insanus, fastidiosus, vitæ auidus, gloriosus, irritabilis, iræ tenax, infensus, procrastinator, suspectus, implacabilis, suppuratus, malè sperãs, lachrymosus, alienis gaudẽs calamitatibus, rabidus, adulterinus, informis, machinator, turpis lucri cupidus, amans sui, seruitutis patiens, simultatis appetens, ambitiosus, de re domestica parum solitus, ceruicosus, effeminatus, inanis profusus, mordax, pugnax, fatuus vinolentus, infortunatúsque. Hæc sunt formosa, atque exoptata voluptatis magna mysteria. Abi ergo, & cum ea fœdus ini.

Quorum finis interitus.

28. OMnes explanatores sic exponunt, vt sensus sit. Qui ad extremum interibunt, & perdentur: sic Anselmus, Finis eorum erit interitus perpetuus. Athanasius lib. de Virginitate, dum legit, Quorum exitus perditio est, id est, quos post vitæ huius exitum perditio æternæ damnationis manet; similiter & Clemens Alexãd. lib. 2. Pædagogi cap. 1. ad finẽ: qui cùm præcedentia his verba citasset subdit: eis non bona prædixit Apostolus dicens: Quorum finis est interitus. Eadem dubio procul sententia cum illa ad Rom. 8. 12. Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini; quæ ex Græco fonte appositè legeris, futurum est, vt moriamini: spirituali primum animæ, deinde æterna tum animæ, tum corporis morte Ergo ait modò Paulus vt vel hinc appareat, quàm probati instituti sectatores extiterint, quando exitus, qui acta probat, non nisi mors, eaque æterna futurus sit. Et verò sapientissimè Apostolus, dum Philippenses ab horum moribus auocare cupiebat, miserandum eorum exitum ob oculos proposuit, vt ab ipsorum vestigiis insequendis magis deterreret, sicut contrà, cùm Hebræos ad sanctissimorum virorum imitationem vrgebat, beatum illorum ex hac vita exitum ob oculos sic obiecit ad Hebræos 13. 7. Mementote præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, conuersationis imitamini fidem. Non alius ergo eorum, qui inimicitia, Christi cruci denunciant, finis, quàm interitus, isque perpetuus est, qua de re tam ad c. 2. huius epistolæ, quàm hoc eodem c. vers. 11. adnotatione 1. plura diximus.

Anselm. Athan. Clemen. Alexand. ad Roma. 8. 12. Lect. Græca. ad Heb. 13. 7

Sed obserua hæc verba, quorum finis interitus, ex superioribus, multi enim ambulant, quibus tam ex sensu, quàm ex serie orationis respondent, maximè illustrari, videtur namque Paulus innuere, adeò miseros hos suæ damnationis auctores, & artifices esse, vt scientes, & volentes quasi per proprios pedes ad interitum currant. Nam dum tanta auiditate in carnis voluptatibus explendis, & terrenis bonis aucupandis vitã & actiones omnes insumunt, quid aliud agant quàm duriorem sibi ipsis in hac vita carcerem præparare (vt voluptario iuueni fertur dixisse Pythagoras apud Basil. lib. de legendis lib. gent.) & in futura æternam sibi mortem accersere. Sic de infelice adolescente à prauæ concupiscentiæ astu, & malignitate deuicto dixit Salomon. Et statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens, & ignorat, quòd ad vincula stultus trahatur, Prouerbior. 7. 22. ac si dicat, quasi parum sit morti se obnoxium dare, nisi etiam ad eam ipsemet suopte nutu velut bos insipiens mactationi, & gladio destinatus, currat. Vbi forsan allusio est ad boues, siue tauros, qui ad antiqua sacrificia solemniter, magnáque cum pompa floribus coronati, cornibúsque deauratis, ducebantur, qui ea de causa (si qua ipsis elatio, & lætitia contingere poterat) læti, elatique ibant. In quam sententiam Complutenses ibi Codices legunt, Ipse sequutus est eam elatus, &c. Quo prorsus modo peccatores, cum prauis affectionibus obsequuntur, dum in dulcissimas delectationes abire putant, magna tum animi alacritate, tum elatione ad certissimam mortem seipsos ferunt. 29.

Basilius. Prou. 7. 22.

Persimilis locus apud Isaiam 50. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis (vel confortantes flammam) ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. Quasi dicat, ecce rem omni admiratione maiorem, dum homines, qui aliàs sanæ mentis se esse credunt sibimet, ipsis exitium omnium exitiosissimum adstruunt, flammámque ad se vrendos vehementissimam accendunt, in quam non ab aliis impulsi, renitentésve, sed volentes, & alacres descendunt; nihil enim minus faciunt, qui libenter peccant, peccatísque, quin pedem referant, & ad meliorem frugem se cõuertant, diutiùs inhærent, ipsi enim gehennæ ignem accendunt, suique ipsorum duri carnifices existunt, optimè sub hoc sensu hæc verba elucidante Saluiano Massil. lib. 4. de Prouidentia hunc in modum, Cùm ea quibus torqueamur, admittimus ipsi tormentorum nostrorum auctores sumus. Quid ergo de pænarum acerbitate querimur? Vnusquisque nostrùm ipse se 30.

Isai. 50. 11. Saluian.

se punit, & ideò illud Propheticum ad nos dicitur: Ecce vos omnes ignem accenditis, & vires præbuistis flammæ: ingredimini in lucem ignis vestri. *Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam ruit. Primùm enim ignem accendit, postea vires ignibus præbet, post, etiò flammam ingreditur, quã parauit. Quando igitur sibi primùm homo æternum accendit ignem? scilicet cùm primùm peccare incipit. Quando autem vires ignibus præbet? cùm vtique peccata peccatis cumulauit. Quando verò ignem æternum introibit? Quando irremediabilem iam malorum omnium summam crescentium delictorum iniquitate compleuerit.* Hæc Saluian. Quò eunt, quæ Gregor. Nazianz. dum in Iulianum inuehitur, sic ait. *Sed quoniam difficile est te, qui semel iam spiritui insultasti, in medio cursu, impetúve teneri, immò vero velut ferociores sues solent obniti, & in ipsum venabulum incurrere non ante desinis, quàm ferrum totum in te recipias.* Sic Nazianz. Adstipulatur huic phrasi ea Domini locutio lib. 1. Reg. c. 2. 30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*: vbi primùm non fuerit omittenda Ambrosij obseruatio, dum lectionem LXX. secutus, quæ habet, *Contemptor mei honore priuabitur*: Dei benignitatem & bonitatem, quæ non nisi benefacere norit, sic inde commendat: *Licèt nobis ex his verbis aliquid æstimare, Deus enim operatur quod bonum est, non quod malum. Ergo doceant te verba diuina, quia operatur gloriam, pœnam relinquit.* honorificantem me, *inquit*, honorificabo. *Honorem bonorum operationis suæ declarans.* Et contemptores, *inquit*, mei, *non dixit honore priuabo, sed* honore priuabuntur; *non suæ operationi deputans eorum iniuriam, sed quid futurum esset, ostendens.* Ita Ambros. Deinde Vulgati lectionem expende: *erunt* (inquit) *ignobiles*: Quasi ipsis ignobilitas & contemptus, à se ipsis adueniat, ipsique non secus, ac aliarum actionum, suæmet damnationis auctores, & artifices sint. Quare non abs re huc etiam retuleris Domini verba de damnatis in ignẽ æternum abeuntibus: *Et ibunt hi in supplicium æternum*, Matth. 25. 46. Non enim dixit Dominus, quòd res videbatur exigere, mittentur in ignem æternum, sed signatè *ibunt*. Sanè quasi per proprios pedes, & libentes, atque volentes: id enim est peccare, nec pedem referre.

Gregorius. Nazian.

1 Reg. 2. 30.

LXX. Ambros.

31. Vnde quidem sub præfato sensu verbis Pauli dato alius etiam latere mihi videtur, nimirum, peccatores eos præsertim, de quibus Paulus loquitur, qui ad profundam iam malorum peruenerant, nõ modò ad sempiternum interitum per peccatorum viã tendere, sed ipsum etiam quodammodo præoptare, ac velut finem siue scopum sibi præstituere, vnde vocem *finis* possis etiam pro fine impellẽte ac scopo sumere, ac si Paulus dicat, qui mortem pro fine & scopo habent. Qui quidem dicendi modus tum elegantissimus, & emphasi plenus, tum verissimus, & iã olim à Salomone disertè allatus est. Sic enim lib. Sapientiæ c. 1. 12. *Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque adquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Et post pauca. *Impij autem manibus, & verbis accersierunt illam,* (supple mortem) *& æstimantes illam amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam*; ad quæ verba adi Commentarium nostrum.

Sap. 1. 12.

Quorum Deus venter est.

32. Primas. Theodor. Anselm.

Helluones manifestè intelligit. Sed cur dixit eos ventrem pro Deo habere? Primas. Theodoretus, & Anselmus (licèt hic priùs sequentem dicendi modum indicauerit, & in eum subinde rursus magis inclinet) eò referunt, quòd Iudaizantes ex epulis sanctificationem adstruerẽt. *Escas, quæ ventris sunt* (inquit Anselmus) *Deum sibi faciunt, dum eas iustificare homines dicunt, & salutem animæ ponũt in escis.* Similiter Theodoretus, *ventrem Deum ipsorum vocauit, eorum taxans ingluuiem, Iudæi enim præcipuè delicati, & lauti apparatus curam gerũt, & partem iustitiæ existimant profusum in Sabbato luxum.* Hæc ille, quæ sic perstrinxit Primasius. *qui se putant, in hoc Deo seruire, si epulentur.*

33. Opportuniùs verò reliqui Patres, & interpretes necnon Augustin. lib. de conflictu virtutum & vitiorum tom. 9. censent, ideò Paulum vt suis coloribus depingeret homines abdomininatos, qui summam beatitudinem, cibi potúsque voluptate metirentur, hac eleganti loquutione vsum fuisse, quia quod summo studio colimus, & nobis in medullis insedit, cuique nos addicti, & deuoti sumus, Deum nostrum esse dicimus (de quo vide à nobis copiosiùs dictã ad c. 1. vers. 3. in ea verba, *Deo meo*, adnot. 1.) & verò ibi Bernard. in declamationibus super id, *Ecce nos reliquimus omnia*, hæc dixisse videtis, *Va, va, in domo Dei horrendum videmus, quid ni Idololatras ministrantes? mentior si non idolorũ seruitus auaritia est, si non quibusdam etiam venter suus factus est Deus suus. Quod enim quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur.* Ita Bernardus. Iam verò Chrysostom. hîc, *propter hoc est* (venter) *Deus ipsis, hoc illud est Isaia 22. &* 1. Corinth. 15. Comedamus, & bibamus. *Vides quantum malum sint deliciæ? Aliis quidem pecunia, aliis vero venter Deus est, nõnne hi etiam sunt idolatræ, & illis etiam deteriores, ac nequiores.* Hæc Chrys. & post nonnulla: *Hi sunt quorum Deus venter est; qui enim nihil spiritale cum animo suo cogitant, sed omnia sua sic habent, atq; hæc sola curant, meritò ventrem Deum habent, dicentes,* comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Ita ille: similiter Theoph. *Hunc* (ventrem) *vt Deum colunt huic perpetuò obsequuntur, & faciunt satis, affatim inferunt, quod ille exposcit, hoc ingurgitato prorumpunt in Venerem*, & Anselmus, *Deus illis venter est, quia quidquid faciunt, pro ventre faciunt.* Et post superiùs allatam expositionem: *Quorum Deus venter est, quia sicut Deum summo honore venerari deberent, & omnia meliora de rebus suis illi offerre; sic venerantur suum ventrem, offerentes ei pretiosa, & summo studio præparata ciborum genera, ac semper dediti sunt ventris seruitio, colentes illum pro Deo, nec reminiscentes creatoris sui.* Hæc Anselmus. Nec aliter Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi c. 1. ad finem, vbi cùm de superuacaneo nutrimẽto dixisset. *Qui autem eo vtitur, nũquam vt sit sapiens, laborauerit, vt qui mentem in vẽtre infoderit, admodum similis pisci, qui Græcè ὄνος, hoc est asinus, dicitur, quem quidem dicit Aristoteles solùm ex aliis animalibus habere cor in ventre*, subiicit: *Tales sunt ij homines, qui in ventrem crediderunt*: Quorũ Deus venter est, & gloria in ignominia ipsorum. Ita ille. Visus est & Tertul. ad hunc Pauli locum adspexisse lib. de ieiuniis aduersùs Psychic. c. 16. dum ait, (*ille* de Ethnico aliquando ritu suo ieiunante loquitur) *deniq; deo idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis; Deus enim tibi venter est, & pulmo templum & aqualiculus altare, & Sacerdos cocus.* Sic ille.

Bernard.

Chrysost. Isai. 22. 13. 1. ad Cor. 15. 32.

Theoph.

Anselmus. Clemen. Alexand.

Arist.

Tertul.

34. Et verò præter ea, quæ inuenies citato loco capite 1. huius epist. audi Origenem hom. 2. in lib. Iud. sic probantẽ id homini Deũ esse, quod ipse magno studio colit: *Vnusquisq; quod præ cæteris colit, quod supra omnia miratur, & diligit, hoc ei Deus est, deniq; hoc est quòd ante omnia, & super omnia per mandatum*

suum

ſuum Deus depoſcit ab homine. Diliges, *inquit,* Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. *praeoccupare quodammodo ergaſe cupiens totos humanæ mentis affectus, & ſciens, quia quod ex toto corde dilexerit quis, & ex tota* *Origenes.* *anima atque ex viribus totis, hoc ei Deus eſt.* Ita Origenes. Et ſtatim, *diſcutiat nũc vnuſquiſque ſemetipſum, & tacitus, ex ſuo corde recenſeat, quæ in eo potiſſimum, & ſuper cætera omnia flamma amoris exæſtuet, quis ſibi ardentior cæteris foueatur affectus. Vos ipſi de his habetote iudicium, & in ſtatera hac veſtri extra minus appendite, & ſi quid eſt, quod in dilectionis lance præponderat, hoc tibi Deus eſt.* Et poſt plura in hanc ſententiam: *An non totius gentilitatis error hinc accipit exordium, dum ea quæ multum diligunt homines, deos eſſe volunt, & humanis quibuſque vitiis, & cupiditatibus diuinum nomen adſcribunt? pecuniæ namque cupidi, & auaritiæ amore flagrantes mammoniam quidem apud Syros Deum cupiditatis iſtius dicunt, libidinis, & voluptatis amatores Venerem deam ſibi vitij huius quo agitantur adſcribunt. Similiter, & in cæteris vitiis hunc ipſum quo vrgentur affectum Deum ſibi fecerunt?* Hactenus ex Origene.

35\. Ad hæc hæc locutio qua venter apud helluones pro Deo inducitur, prophanis etiam Scriptoribus eſt familiaris; ita paraſitus apud Plautum hoc iureiurando vtitur, *ita me amabit ſancta ſaturitas*, indicans ſaturitatem ſibi deorum omnium inſtar eſſe. Id quod liquidò profeſſus eſt Cyclops apud Euripidem in Cyclope qui illum pecudes mactantem, atque ita loquentem inducit,

Euripid. *Quos ego nulli ſacrifico, niſi mihi, non diis,*
Sed huic ventri meo deorum maximo.

Huc reuoco quod lib. de vita beata c. 14. dixit Seneca. *Seneca.* *Qui voluptatem omnia poſtponit, & primum libertatem negligit, ac pro ventre dependit, nec voluptates ſibi emit, ſed ſe vendit voluptatibus.* Sic ille. Nec longiùs ab iis it quod Hieronymus libro 1. in *Hieronymus.* Iouinian. de illo ſic ait *Nam cùm monachum ſe iactitet, & poſt ſordidam tunicam, & nudos pedes, & cibarium panem, & aquæ potum ad candidam veſtem, & nitidam cutem, ad mulſum & elaboratas carnes ad iura Apitij & Paxami, ad balneas quoque ac fritillas & popinas ſe conferat, manifeſtum eſt quod terram cœlo, vitia virtutibus, ventrem præferat Chriſto, & purpuram coloris eius (cœli) putet regna cœlorum.* Hæc Hieronymus: ac ſi dicat ventrem potius, quàm Chriſtum Iouiniano Deum eſſe.

36\. Habet etiam hæc Pauli locutio peculiare acumen ad pungendam horum voluptariorum impudentiam, qui nullo bonæ rei prætextu, ſed aperto capite gulæ, & ventris ſordes profiterentur. Vnde Bernardus ſermone 40. in Cantic. cùm elucidans *Cantic. 1. 9.* ea Chriſti ad ſponſam verba, *Pulchræ ſunt genæ tuæ,* *Bernard.* Cant. 1. 9. dixiſſet. *Duo quædam in intentione (quam faciem animæ eſſe diximus) neceſſaria requiruntur, res, & cauſa; id eſt, quid intendas, & propter quid: ex his ſanè duobus vel animæ decor, vel deformitas indicatur. Vt (verbi cauſa) anima, quæ ambo iſta recta, atque pudica habuerit, illi meritò, veracitérque dicetur,* Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis. *Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quòd pulchræ ſint genæ eius ſicut turturis propter eam, quæ adhuc ex parte erit, deformitatem.* Subiicit poſt nonnulla quibus iam dicta magis explicat, atque diffundit. *Si autem videris hominem nullis honeſtis ſtudiis intendentem, ſed carnis illecebris irretitum, ventri, & luxuriæ deditum, quales ſunt illi,* quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. *Quid iſtum nonne ex vtraque parte fœdiſſimum indicabis, in cuius vtique intentione & res, & cauſa reproba inuenitur. Ergo intendere non in Deum, ſed in ſæculum, ſæcularis animæ eſt, nec vllam prorſus genarum ſpecioſam habentis.* Sic Bernardus.

Et gloria in confuſione ipſorum.

Vetus explicandi modus fuit, vt hæc acciperentur de gloria quam ſibi ex circumciſione quæ 37.
in ea corporis parte fit, quæ pudorem hominibus iniicit, ſibi Iudaïzantes adſcribebant, eúmque ſequuti videntur Auguſtinus, Primaſius, & Ambroſiaſter. Sed ante Auguſtini tempora iam eum Chryſoſtomus, & Græci reiecerant, & quidem meritò. *Auguſtinus. Primaſius. Ambroſ.* Nam nec vocibus benè congruit, nec ſi attentiùs perpendatur Paulus hoc loco in Iudaïzantium dogmata, iam enim de hoc egerat) ſed in eorum peccandi licentiam inuehitur, vt ex contextu conſtat, Simplicius, igitur Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Anſelmus, & recentiores interpretes, *Chryſoſt. Theoph. Oecum. Anſelmus.* ſub eo ſenſu accipiunt, vt innuat Paulus, hoſce homines ex his eſſe, quipiam ad profundum malorum venerint, quippe qui peccatorum grauitatem, & turpitudinem, non modò pro nihilo ducerent, ſed in ipſis etiam, quæ illorum excellens ſtupiditas, ſiue extrema malitia erat, gloriarentur, eáque aſſiduè iactarent. quaſi dicat Paulus, qui in his gloriantur, quorum eos maximè pudere deberet, ad eum modum quo dixit Seneca epiſtola 39. *Tunc conſummata eſt infelicitas, vbi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinit eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt.* Ita Chryſoſtomus. *Hoc illud eſt,* *Chryſoſt.* *quod alibi inquit*, quem ergo fructum habuiſtis, tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? *graue enim malum eſt turpia facere, ſed ſi te cùm facias pudeat, quaſi dimidium malum eſt, ſin etiam erubeſcere deſieris, ac magnificè circumſpicias, ſummus iam eſt animi ſtupor.* Hæc Chryſoſtomus. Similiter Anſelmus, *quia iam amiſſa* *Anſelmus.* *peccandi verecundia ex illis operibus nequitiæ gloriantur, de quibus erubeſcere debuerunt.* Conſentanea ſunt, quæ habent Theophylactus & reliqui expoſitores, & eo manifeſtè it lectio Clement. Alexand. libro 2. Pædagogi cap. 1. *& gloria in ignominia ipſorum:* hoc eſt, in iis quæ illis probro & ignominiæ ſunt ſiue eſſe debent. Infeliciſſimus quidem & deploratæ ſortis ſtatus lethali morbo laborare, nec ſe ægrum eſſe ſentire: *Scio longè a ſalute abeſſere* (dicebat Ber- *Bernardus.* nardus libro 1. de conſideratione ad Eugenium) *membrum quod obſtupuit, & ægrum ſe non ſentiens eſt periculoſiùs laborare.* Et eodem ſenſu Seneca epiſtola 53 vbi ſcitè in hanc rem ducto a contrario ex corporis ægritudinibus argumento inquit. *Leuis ali-* *Seneca.* *quem motiuncula decipit: ſed cum creuerit, & vera febris exarſerit, etiam duro & perpeſſitio confeſſionem accepit. Pedes dolent, articuli punctiunculas ſentiunt, adhuc diſſimulamus, & aut talum extorſiſſe nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laboraſſe. Dubio & incipiente morbo quæritur nomen, qui talaria cœpit intendere, & vtroſque pedes dextros fecit, neceſſe eſt podagram fateri. Contra euenit in iis morbis, quibus efficiuntur animi, quo quis peius ſe habet minus ſentit.* Vnde alibi Epiſt 6. opportunè ait. *Quibuſdam ægris gratulatio fit, cum ſeipſi ægros eſſe ſenſerunt.* Et rectè quidem: nam quo quis magis inſanus eo ſibi magis ſanus. Cui rei hæc appoſitè ſcripſit Auguſtinus in Pſalmum 55. *Sanitas ægritudinem non habet, & tamen quando* *Auguſt.* *tangitur, & moleſtatur, dolet: ſtupor non dolet; amiſit ſenſum doloris; tanto inſenſibilior, quanto peior. Rurſus immortalitas non dolet, abſumpta eſt enim omnis corruptio: nullus ergo dolor in corpore immortali, nullus dolor in corpore ſtupido. Non ſe putet ſtupidus iam immortalem. Vicinior eſt immortalitati ſanitas dolentis,* quam

quàm stupor non sentientis. Hæc Augustinus. Dixi de his alia siue ad verba Pauli 1. ad Timoth. 4. 2. *Cauteriatam habentium conscientiam.* Siue ad id ad Ephesios 4. 19. *Qui desperantes* (Græcè *dedolentes*.) Vide etiam Ecclesiast. 8. 14. *Sunt impij, qui ita securi sunt quasi iustorum opera habeant. Sed & hoc vanissimum iudico.* [1. ad Tim. 4. 2. — ad Eph. 4. 19. — Eccles. 8. 14.]

38. Sed ne aliquid, quod ad huius loci elucidationem spectat, omittamus, nostra ætate Martinus Martinez Cantapetrensis, grandi supercilio affirmare ausus est, locum hunc nec à Patribus Græcis, nec ab Ambrosio, immò à nemine vsque ad seipsum fuisse intellectum, atque ideò omnes ab scopo penitus aberrasse; ipse ergo Cantapetrensis, ita si Deo placet, scopum attingit, vt exponat gloriam pro impetu libidinis, & illud *in confusione*, pro his corporis partibus, quas honestas nominare vetat: vt videlicet sensus sit, si tamen eius verba ita lenias vt decenter currant, qui impetu libidinis impudenter feruntur, addit iuxta hanc expositionem rectissimè sibi cohærere, quæ subiicit Paulus. Nam, vt ait Hieronymus, *venter mero æstuans despumat in libidinem,* & alibi: *distento ventre, distenduntur, quæ sunt circa ventrem,* & Comicus, *sine Cerere, & Baccho friget Venus;* sic Paulus cùm dixisset, *quorum Deus venter est,* addit, *& gloria in confusione ipsorum.* En Martini Cantapetrensis expositionem, & scopum ab ipso collimatum. [Martin. — Hieron.]

39. Sed, quàm ruinoso fundamento tanta Martini moles innitatur, immò potius quàm careat fundamento, facile est videre. Nam vt sententia sibi ipsi constet, atqui vocibus hæreat? est quidem tolerabile hunc inesse sensum iis verbis, *in confusione ipsorum*; sed qui habet commune vox Latina *gloria*, & Græca δόξα cum impetu libidinis? Quémve nobis proferet auctorem Martinez, apud quem vllum huius significationis vestigium inueniatur? At enim verò nisi hic auctor tanta, vt ipse putat, scientia esset imbutus, vt nulla aliorum animaduersione egeret, iam illum monere auderem, sic suam expositionem emollire, vt ad antiquorum Patrum mentem posset accommodari. Quare quòd hic sensus potius in seipso, quàm in verbis spectatus textui cohærentior aliquanto sit, ne subtile inuentum pereat, sic mihi veniebat in mentem ad Patrum sensum coniungere, vt primo illud lectioni Augustini, & Ambrosiani, immò & veri etiam Ambrosij daremus, vt iuxta eam vox Græca αἰσχύνη, & Latina *confusio* acciperetur pro *pudendis*, non eo sensu, quo ab his Patribus hæc vox capitur pro parte corporis circumcisioni obnoxia, sed pro ipsis potiùs inhonestis actibus, quos iure appellet Paulus *confusionem ipsorum:* deinde vt gloriam acciperemus non pro impetu libidinis, vt dicebat Martinez, sed pro felicitate, summo bono, summis voluptatibus, vt & vox Græca δόξα, ac Latina gloria, accipitur: sic etiam Hispanè: *Tiene puesta su gloria en esto.* Ex quibus is se prodit sensus, ac si his, & superioribus verbis dicat Paulus, qui ventrem vt Deum verentur, omniáque eius causa faciunt, & totam vitæ felicitatem in pudendis luxuriæ operibus collocant, ac si nihil aliud præter turpitudinē in vitæ bonis computari possit, quod extremæ dementiæ, ac fœditatis est: pulchrè enim dixit Seneca libro de breuitate vitæ, cap. 6. *Imprimis autem, & illos numero, qui nulli rei, nisi vino, ac libidini vacant; nulli enim turpiùs occupati sunt: cæteri etiam si vanæ gloriæ imagine teneantur, speciosè tamen errant. Licèt auaros mihi, licèt vel iracundos enumeres, vel odia exercentes in iusta, vel bella, omnes isti viriliùs peccant. In Venerem, ac libidinem proiectorum inhonesta labes est.* Sic Seneca. Iam his optimè consonat, quæ Paulus subiungit. *Qui terrena sapiunt*; nulli namque tam propriè dicuntur sapere terrena (eo præcipuè sensu, quem his verbis dabimus) quàm qui ventri, ac Veneri dediti sunt, sic dixit Clement. Alexan. libro 3. Pædagogi, cap. 1. *An non enim sunt eiusmodi, qui in ollis versantur, multiplicibúsque exquisitorū condimentorum varietatibus, qui sunt humilis, & abiecti animi, terra planè filij.* Quæ plane expositio superiori valde est affinis, immò eadem cum ipsa, vel quòd tanquam thesis in hypothesi, sub ipsa clauditur, vel quòd in ipsamet voce *pudendis*, & turpitudinem ipsam, & pudorem ab ipsa dimanantem, qui eos occupare debuisset, complectitur. Vnde eum explicandi modum attigisse videtur P. Prado in cap. 16. Ezech. num. 14. vbi dum citat hæc verba, *& gloria in confusione ipsorum*, addit: *id est, in spurcitiis, de quibus debuissent potiùs confundi.* Illud verò hæc expositio ad mentem Martinez addit, vt vtraque inter se verba hæreant, non secus, ac Bacchi & Veneris vitia, quod ipse tātopere cupiebat, ne vulgatum sibi dicterium periret, *sine Cerere, &c.* Sunt verò ea verba adeò lippis & tonsoribus decantata, vt in his glorietur Martinez, de quibus debuisset confundi: sed nos pro illo in adnotationibus fideiubere conabimus ea, quæ PP. ea de re dilucidè monent, copiosiùs afferentes. [Gras. Lect. — Seneca. — Clem. Alex. — Prado.]

Qui terrena sapiunt.

GRæca potiùs vertas cum Erasmo, *terrena curantes*, vel cum Theodoreto *terræ affixi*, est enim participium φρονοῦντες, sed eadem est locutionis series, quam ita exponunt interpretes, vt velit Paulus perditos hosce cœlestia dona minimè curare, sed omne studium, & animæ desiderium ad terrena bona transferre, & illis sese totos ex animi sententia deuouisse, & quasi trabali clauo terræ confixisse, vt de illis vel Ethnici ipsi exclament, *O curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* *Qui spiritale nihil* (inquit Theophylactus) *aut cœleste meditantur;* addit Chrysostomus. Qui terrena sapiunt, *qui dicunt, ædificemus domus, vbi? in terra, inquit, emamus agros, in terra rursum: adipiscamur imperium, rursus in terra. Assequamur gloriam, rursus in terra, diuitias comparemus, in terra. Omnia denique in terra.* Ita Chrysostom. Quæ omnia paraphrasticè totum hunc Pauli locum efferens, & cum aliis componēs, sic expressit Ignatius in epistola ad Magnesianos. *Quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt, amatores voluptatum, & non Dei,* (2. ad Timoth. 3.) *speciem quidem pietatis præ se ferentes, virtutum autem eius abnegantes, Christum mercantes, Verbum Dei in tabernis prædicantes, & Dominum nostrum Iesum Christum vendentes, mulierum corruptores, aliena concupiscentes, & pecuniarum amatores.* Ita Ignatius. 40. [Erasm. — Theod. — Lectio Græca — Chrysost. — S. Ignat. mar.]

Ad hæc, si paucis per aduertas, specialius aliquid noster interpres ad mentem Pauli cogitauit, cùm vertit, *qui terrena sapiunt*, emphatica locutione vsus, quæ propriæ significationi verbi *sapio* innititur, id enim singillatim spectat ad sensum gustus, idémque est, ac cibi, potúsve gustum percipere, Hispanè, *hallar sabor, o gusto.* Sane illud tantum sapere dicitur, cui aliquid dulcis, siue iucundi saporis inest, sic dicimus, *sabe bien esto.* Ita Tullius 1. de Finibus 24. *neque enim sequitur, vt cui cor sapiat, ei non sapiat palatus*, id est, de saporibus rerum rectè iudicet, & Columella lib. 7. cap. 8. *Nec dubium quin fieri ramulis glaciatus caseus iucundissimè sapiat.* Plin. etiam libro 14. cap. 7. dixit. *Mare sapit*, alibi. *Meliora vnguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt*; tritum est etiam illud Iuuen. Satyra 11. 41. [M. Tullius. — Columella. — Plinius.]

Qui meminit calidæ sapiat quid vulua popinæ. [Iuuenal.]

Et eadem

Et eadem satyra,

At nunc diuitibus cœnandi nulla voluptas
Nil Rhombus, nil dama sapit.

Hinc & *sapor*, quod gustatu percipitur, & *sapidus*, quod gratum saporem habet, & etiam *desipere*, & *resipere*, quorum alterum significat saporem innatum amittere, vt vinum desipit; licèt raro in vsu sit, alterum. pristinum saporem recuperare, à qua propria significatione, hæc omnia ad animum transferuntur, & *sapio* significat, (nec sine eodem gustu, quo verbum propriè gaudet) sapientem esse, seu recta mente præditum, vt vim maiorem habeat, quàm verbum *scire*; hoc enim rem quamlibet nosse, siue rei cuiusvis vtcumque cognitionem habere significat; at sapere, scientiam rectam cum prudentia, & animi sensu complectitur. Ita Tul-
M.Tullius. lius, *Quid ego de Cicerone dicam, qui cùm primùm sapere cœpit, acerbissimos dolores, miseriásque percepit;* & Comicus:

Istuc est, sapere, non quod ante pedes modò est
Videre, sed futura prospicere.

Et prophanus,

Martial. *Nubere vis prisco? non miror Paula, sapuisti.*

Bernardus. Vnde Bernardus sermone 89. in Cantic. de sapientia sic sapienter ait. *Fortè sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens, quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodo, & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni definiat, &c.* & sermone 10. in Cantic. eodem discrimine inter scientiam, & sapientiam, *Quid isti nisi ad osculum suspirant? suspirant planè, & inhiant spiritui sapientiæ, & intellectus, intellectus vtique, quo pertingant, sapientiæ, qua gustent, quod intellectu apprehenderint, &c.* & serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ cap. 7. spiritum sapientiæ sic definit. *Septimum donum est spiritus sapientiæ, quidam internus sapor, ac suauissimus gustus. Vnde*
Psalm. 33.9. *Psalmista*, Gustate, & videte, quoniam suauis est
Psal. 45. 11. Dominus; *& iterum*, vacate, & videte, *& iterum*,
Psalm. 33.6. accedite ad Deum, & illuminamini. *Hoc diuina sapientiæ interno gustu, diuina prælibamus, &c.*

62. Ergo iuxta hunc sapiendi gustum illud sibi videtur Paulus, homines illos ad tantam non modò motum, sed iudicij etiam ac mentis corruptionem peruenisse, tantoperéque à generosa filiorum Dei stirpe, & cœlestium ciuium, siue etiam hominum ratione præditorum progenie degenerasse, vt lutea hæc, & fœculenta sæculi bona, fœtidáque & amarulentæ ventris, & Veneris voluptates iucundissimè illis sapiant, mirificéque cum ipsorum palato cõsentiant, atque ex illis omnia æstiment. Sic dixit La-
Lactant. ctantius lib. 6. cap. 1. *Homines nihil sapiunt, nisi terram, bonaque & mala solius corporis sensu, & voluptate perpendunt. Huius arbitrio vt religionem ponderant, sic totius vitæ sua acta disponunt.* Vnde quidem hæc verba maior quodammodo explicatio sunt superio-
Chrysost. rum, *& gloria eorum in confusione*, vnde Chrysostomus. *Nihil his verbis ad pudorem eliciendum aptius, nihil ad obiurgandum vehementius*, quorum *inquit*, Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, *quinam isti sunt?* qui terrena sapiunt. Sic ille. Quidquid verò sit de gustu huius verbi *sapio*, hæc verba,
Augustinus. *qui terrena sapiunt*, ita accipit Augustinus, vt cum sequentibus composita antithesim contineant: dum de ciuibus huius mundi, siue de his qui terrenam Babylonem quæ cœlesti Hierusalem opponitur, sic capit in Psalm. 61. *Omnes qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenam Deo præferunt, omnes qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, ad vnam illam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mysticè, & habet Regem Diabolum. Omnes autem, qui ea, quæ sursum sunt*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

sapiunt, qui cœlestia meditantur, qui cum sollicitudine in
Seneca. *sæculo viuunt, ne Deum offendant, qui cauent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, iusti, pij, boni, omnes ad vnam ciuitatem pertinent; quæ Regem habet Christum.* Hæc Augustinus.

Dixerim pro coronide opportunè his notis, siue 63.
signis, quibus Iudaïzantes denotantur, locutum fuisse Senecam epist. 75. vbi dum inter animi morbos. & affectus sapienter constituit discrimen, & de affectibus ait. *Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti, & concitati, qui frequentes, neglectique fecere morbum, sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta tussim facit, assidua, & vetus phthisin.* Morbos sic diffinit. *Morbi sunt inueterata vitia, & dura: vt auaritia, vt ambitio nimia: postquam hæc animum implicuerunt, & perpetua esse mala eius cœperunt. Vt breuiter finiam, morbus est iudicij in prauo pertinax, tanquam valde expetenda sint, quæ leuiter expetenda sunt: vel si manis ita finiamus. Nimis imminere leuiter petendis: vel ex toto non petenda, aut in magno pretio habere in aliquo habenda, vel nullo.* Hæc Seneca. Quæ omnino aptantur iis phrasibus Pauli: *Inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Hæc enim iudicium in prauo pertinax nimis, imminens non petendis, immò verò ex toto respuendis, animúmque iis omnino implicitum denotant.

Ad ea verba, *Quorum Deus venter est.*

ADNOTATIO I.

Turpissimum gulæ vitium quod animam circumscribit, & hominem in belluam conuertit.

DIRVM, & implacabile bellum, quo to- I.
tus homo indesinenter ardet, dũ *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur.* ad Gal. 5. 17. alibi fusiùs ad Gal. 5.17.
descripsimus, atque expendimus: illud modò è re nostra omnino erit si magnum belli momentum à ieiunio, atque abstinentia siue etiam à gula, & voracitate dependere monstrauerimus. Nimirum ea vnicuique horum bellatorum mens, & intentio est, vt alterum ita elidat ad eásque angustias redigat, vt sui iuris non sit sed à seipso in victoris ditionem, atque naturam migret. Certè non secus, ac finitimis Principibus de regno decertantibus, id arma præualẽtia efficiunt, vt victor in alterius terras ditionem suam dilatet, ac fines suos extendat, illius regnum, & iura, circumscribens; ita & caro spiritum, & spiritus carnem, prout alter in alterum præualet, coangustant, atque in arctum redigunt: sic etenim in primis de carnalibus hominibus animæ, ac spiritus fines coar-
ctantibus, & circũscribentibus dixit Isa. c. 49. 7. *Hæc* Isa. 49 7.
dicit Dominus Redemptor Israël. Sanctus eius ad cortẽptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruũ dominorũ: vbi de Christo ad saluandas oues, quę perierant, mittendo, id est, ad miseros homines in regione vmbræ mortis ambulãtes, qui animæ salute cõtempta sese vitiis in seruos vendiderãt, redimendos. ser-
mo esse videtur: sed obserua pro illis verbis, *Ad con-* LXX.
temptibilem animam, LXX. Theodoz. & Aquil. nec- Theod. Aquila.
non Hier. ibi, & Euseb. Cæsar. lib. 2. demonstrationũ Hieron.
c. 22. habere, *ad eum qui despicit animam suam.* At S. Euseb.
Antiochũ homil. 68. ex diuinitus inspiratis peculiari S. Antioch.

emphasi legere, *ad eum, qui extenuat animam suam.* Quod plusculum exprimens Tertul lib.4.cont.Marcionem c.12.reponit, *Tertull.* *Sanctificate eum, qui circumscribit animam suam*; eleganti proculdubio locutione describens Vates Victricem carnem, quæ dirum spiritui bellum inferat, & sese in illius ditionem armata manu sic intromittat, vt omnia illius iura sibi vendicet, & ipsasmet spirituales potentias seruire sibi cogat. Ita quidem corporis voluptatem animam contrahere, atque rugare pulchrè dixit venerab. Galfr. ad id Prouer 30.15. *Prou. 30.15.* *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, in allegoriis Gotfr. Tilm. in hæc verba. *Galfrid.* *Pessima mater, velut as propria, cuius sunt duæ filiæ non degeneres, iniquitas scilicet, & voluptas: illa animam inquinat, hæc contrahit, & quodammodo rugat.* Vides à corpore non modò superatam atque deuictam, sed etiam circumscriptam, & rugatam animam: vt quæ sua sunt, quæ cœlestia, quæ æternum mansura minus curet, carne videlicet illi leges & iura dante & totam sibi domum & regnum paulatim vindicente: sic enim sub peccatoris persona Paulus ad Rom.7.18. *ad Rom 7.18* *Scio enim, quia nō habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*, pergit Chrysol. *Chrysol.* elucidans hæc verba serm. 41. *Si non bonum, vtique malum; quod malum? Fragilitas certè, quæ dum serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, feruet in sanguine, in vitiorum phrenesim sic erumpit. Fragilitas febris naturæ, languorum mater, genitrix passionum, fragilitas est, quæ nobis iura necessitatis imponit, & vbi necessitas, non voluntas, vbi extat de conditione captiuitas, iudicium de potestate non constat. Fragilitas est per quam vadit homo*, non quò inuitat voluntas, sed quo necessitas ducit, audi Apostolum dicentem, Non quod volo hoc ago. Sic Chrysol. Hos quidem Chrysost. interprete corde graues appellauit Dauid Psalm.4.3. *Psal. 4. 3.* cùm ait: *Filij hominum, vsquequo graui corde?* Sic enim ad id loci Chrysost. *Quid est autem esse graui corde? Graues corde sunt qui sunt crasso corde, carnales, affixi terræ, vitium persequentes, improbitatem exercentes, libidine, ac voluptate corrupti, ac marcidi.* Et statim. *Quod tale est non errauerit, qui cor luteum appellauerit, & ideo id graue vocauit, & id dixit esse causam malorum, quod cùm aurigæ locum teneat, non solùm equum non cohibeat, sed etiam cum eo trahente deorsum præcipitet, & cùm oporteat carnem alatam, & se in altum erigentem efficere, & in cœlum sustollere; id verò cum ægritudinum grauissimo onere pessumdatur.* Hactenus Chrysost. Quem vidisse dixeris, gentilem Trismegistum in Pimandro; vbi ad Chrysostomi gustum sapienter ait. *Trismegist.* *Quotcumque hominum animæ mentem nequaquam sortitæ sunt gubernatricem, eadem quæ brutorum animæ patiuntur. Dimittit eas mens in manus cupiditatum, ad quarum expletionem ardenti quodam impetu perferuntur, ratióque ferarum immoderatè & irascuntur, & cupiunt. Quódque deterius est, nec finem imponunt libidini vllum, nec malorum inueniunt passionum terminum.* Sic ille. Quid deinde? Non equidem hæc carni victoria è manibus excidit, quin omne tandem deiectæ animæ ius in se transferat, & illam otiosam, & quasi *in vano*, acceptam reddat. *Ambrosius.* Audi Ambros. lib. de bono mortis cap.7. *Vnde illi intende, de quo dicit Propheta.* Qui non accepit in vanum animam suam, Psalm. 23. 4. *In vanum accepit animam suam, qui sæcularia struit, ædificat corporalia*: at quis ædificij modus? Occurrunt Bernard. & Auctor operis imperfect. apud Chrysostom. *Bernardus.* & prior quidem serm. 19. in Psalmum. *Qui habitat*, hæc ait. *Sic errant aliqui, & in tantam obliuionem, & spiritualem phrenesim deuenerunt, vt nihil se aliud putare, quàm exterius hoc tabernaculum videantur.* Similiter ille homilia 1. in Matthæum de incontinentibus agens sic inquit: *In quorum corpore anima nihil agit, sed in toto illos possidet sanguis, & sordidissimus ille vapor de illo insano igne procedens.* Et verò nec hîc substare malum dixerim; etenim cùm in victoria alacris exultet improbitas, *Auctor. operis imperf.* caróque natura insolens, ac superba sit; eam in animam exercet tyrannidem, vt sibi seruire, & ministrare cogat. Salomone id de diebus vanitatis suæ attestante: nam cùm Ecclesiast 2.8. dixisset, *Eccles. 2.8.* *Coaceruaui mihi argentum, & aurum, & substantias regum, & prouinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum scyphos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda*; subiicit vers.9. *Sapientia quoque perseuerauit mecum*: vbi si ambigas, quomodo in tanto illo luxu, & intemperatissima lasciuia, & impuritate sapientia potuerit subsistere: quæ *aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*, vt ipsemet Sapiens ait, & *corripietur à superueniente iniquitate*, Sapient.1.5. *Sapient. 1.5.* Respondebo non perseuerasse cum Salomone deliciis & peccatis obnoxio sapientiam, quà vera sapientia est, sed quà prudentia carnis effecta insana consilia, & omnes deliciarum modos illi suggerebat, atque ministrabat vt terrena saperet: vnde ibi LXX. reddunt: *LXX.* *Et quid in sapientia mea adstitit mihi*; preme verbum *adstitit*, nempe tanquam cōsiliatrix, atque adiutrix; sanè quasi infelicis animæ potentiæ consilium atque industria ad corporis obsequium & gustum tanquam abiectissimæ ancillæ, ad cibos illi parādos atque condiendos, ad exagitandas scilicet voluptatum insanias adactæ fuerint.

2. Iam verò contrà: spiritu, & anima in carnem præualente primùm eodem ille ductu illam coarctat & circumscribit; deinde sic sibi omnino seruire, & ministrare cogit, vt ipsam quasi pennatam & spiritualem faciat. Vnde in primis de carne ab spiritu afflicta, & coarcta dicebat Paulus ad Romanos 7. 22. *ad Rom. 7.22* *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ad quæ verba Origen. homilia 2. in Leuiticum *Origenes.* scitè pendit vocem *repugnantem*, quasi ad priores certaminis ictus resistat caro atque repugnet, ait enim: *Afflicta sine dubio à spiritu, & coarctata est; resistit enim, & repugnat*: at plus illam spiritus coarctat, & in maiores redigit angustias, eodem Apostolo clamante, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, 1. ad Corinthios 9.27. *1. ad Corin. 9. 27.* quæ verba appositè composuit Venerab. Hugo Victorinus in allegoriis Gotfrid. Tilm. cum illis Gen.1.9. *Hug Vict.* *Genes. 1.9.* *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum*: ad hunc modum: *quoniam affectus animæ inferior nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere, sicut Apostolus castigat corpus suum, & in seruitutem redigit.* At, qua lege constringi, & coarctari caro debet? Respondet indidem Bernardus. *Sanè inferiores aquæ certis limitibus coercentur alueis, vt necessitatis terminos non excedant.* Ita quidem de Ioanne Baptista seuerissimam vitam in eremo agente dicebat idem Bernardus sermone in natiuitate Ioannis Baptistæ. *Bernardus.* *Rigida vestis & durissimis hispiditatibus contexta, rigore squalifero corpus afficit Patriarchæ, carnémque tenerrimam immatura districtione disciplinæ feritate coarctat.* Vides non secus modò carnē ab spiritu circumscriptam, ac priùs animam à corpore circumscriptam vidisti? at enim ne & hæc circumscribendi phrasis nobis desit; audi opportunissima huic rei Senec. verba epist. 15. monentis, *Seneca.* *Quantum potes circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa.* Quid est, *quantū potes circumscribe*: nisi, illi quàm minimum indulge, vt vix cōstet, vix respiret: vix terræ, vix sensibus hæreat. Pulchrè Ambr. præfato c.7. lib. de bono mortis ait. *Ambros.* *Anima quoque in hoc corpore tanquam in fidibus musicis, quæ sobria est, cùm summis*

(vt

(*vt ita dicam*) *digitis velut neruorum sonos ita pulsat carnis passiones, vt consonum reddat morum, atque virtutum consentientemque consensum.* Obserua fidium imaginem, quæ summis digitis pulsantur: vt videris minimum corporis dandum esse, sed quantum possit, circumscribendum ipsum fore. Vnde rursus Seneca Epistol. 122. dicebat: *Extendamus vitam: huius & officium, & argumentum, actus est; circumscribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur:* Vt nimirum anima corporis vires diminuat, & in illius iura ditionem suam extendat, & ad suum passum incedere cogat, quò hominis vita supra mundum inoffenso pede decurrat: non secus ac in Ezechielis curru rota intra rotam volui dicebatur, Ezech. 1. 16. Quod huic rei scitè aptauit Ambros. l. 3. de Virginibus, vbi cùm dixisset, *Discite in hoc mūdo supra mundum esse; & si corpus geritis, volitet in vobis ales interior,* post nonnulla subiicit. *Videbit rotam in medio rota super terram sine offensione labentem, rota enim super terram, vita est corporis ad animæ aptata virtutem, & ad Euangeli um cohærenti cursu formata præceptum.* Vt meritò dixeris carnem siue corpus emortuum iam ante mortem esse; quippe, vt inquit August. tract. 65. in Ioannem, *Mors electorum est, qua etiam cùm in carne mortali adhuc mouetur, cor sursum ponitur, de qua morte dicebat Apostolus,* Mortui enim estis *Hinc fortasse dictum est,* Valida sicut mors dilectio. *Hac etiam dilectione fit, vt in isto adhuc corruptibili corpore constituti moriamur huic sæculo, & vita nostra abscondatur cum Christo in Deo.* Ita sanè de sanctissima sorore sua Gorgonia dicebat Nazianzen. orat. de illa. *O corpus etiam ante disiunctionem mori coactum, vt anima libertatem nancisceretur, nec à sensibus impedimenti quidquam acciperet.* Sed nec hac de inimica carne relata victoria, sumptáque mortis vindicta contentus spiritus, corpus de industria denuo viuere cogit, vt sibi omnino ancilletur; eóque siue vt serulo, siue potiùs vt instrumento ad egregias virtutis actiones perficiendas vtatur; dixit quippe de carne optimè Tertull. libr. de anima cap. 40. *Nec ita caro homo, tamquam alia vis animæ, & alia persona, sed res est alterius planè substantiæ, & alterius conditionis, addicta tamen animæ, vt supellex, vt instrumentum in officina vitæ.* Vnde Ambros. Epist. 60. de Atholio illustris sanctitatis viro Epistol. 60. dicebat. *Vidi illum esse in corpore, vt esse extra corpus putarem.* Reddit rationem. *Corpore tantùm pro velamine vtebatur, non pro officio, certè ad seruitium, non ad subsidium, ita enim affecerat corpus suum, vt in eo mundum crucifigeret, & mundo se ipsum.* Optimè illud *pro velamine vtebatur, non pro officio*; quia videlicet corpori, nihil ad sui gustum, seu pro carnis arbitrio agere licebat, sed anima totam domum adgubernāte, omniáque opera perficiēte, corporeis sensibus, ac membris, siue tamquam instrumentis vsa, siue tamquam velaminibus, quæ animæ manus, & operationes obtegerent. Certè hac ratione Scriptura, eodem Ambrosio auctore, & interprete, viros egregiæ sanctitatis animas nominauit, vt Genes. 46. 26. *Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femoribus eius, sexaginta sex;* & sæpiùs tam ibi, quàm aliis in locis. Quid? corpore ne, & carne carebant? Minimè: nam substantiam hominis rationalis, non minus caro, quàm anima intrat, sed quod in illis omne ius adsciscere anima vendicaret, carnéque sibi vndequaque subiecta tamquam instrumento siue supellectile vteretur. Sic enim Ambrosius serm. 4. in Psalm. 118. *Ergo secundum voluntatem Dei ambulemus, vt adhærere dicamur Deo. Nam, qui secundùm corporis appetentiam venit, caro est; qui secundùm præcepta Dei, spiritus est.*

Ezech. 1. 16. *Ambros.* *August.* *Ad Colos. 3. 3* *Cant. 8. 6.* *Nazian.* *Tertull.* *Ambros.* *Gen. 46. 26.* *Ambros.*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Non ergo fiat anima nostra caro: hoc est, vt dicamur caro: sicut & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est, Quia caro sunt, Genes. 6. 3. *Sed magis caro nostra obediens animæ gubernaculo, fiat anima, & hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia Patriarchæ Iacob, & generationis eius sancta posteritas. Sic enim scriptum est.* Hi filij Balæ, quam dedit Labam Racheli filiæ suæ; peperit hæc Iacob animas septem. *Et ibidem,* omnes autem animæ, quæ intrauerunt cum Iacob in Ægyptum, &c. sexaginta sex. *Et in principio Exodi legimus,* Erant autem omnes animæ de Iacob, quinque, & septuaginta. Hæc Ambrosius.

Gen. 6. 3. *Exod. 1.*

3. Hæc generaliter de spiritus, carnísque conflictu alibi copiosiùs diffusa, siue diffundenda modò dixisse satis sit; vt nostro instituto locum faciant. Age iam & intestinum hoc bellum maxima ex parte à ieiunio, siue à gula pendere, quòd abstinentia, spirituales, & Angelicos; ingluuies verò carnales & belluinos homines reddat, videamus. Quà de re sic appositè loquitur Basilius homil. 1. de ieiunio. *An quæso ignoras, atque adeo in ipsa acie si vni parti milites subsidio veniunt, alteram, aut vinci, aut certè confirmari? Sic qui corporis, abdomini, sensibúsque se addicit, spiritus vires imminuit: & contra qui ad spiritum transit, eique opem fertis, carnem, corpúsve in seruitutem redigit: hæc enim inter se pugnant perpetuò. Quare si quis mentis spiritúsque vires firmiores habere cupit, is ieiunio carnis impetum reprimat: hoc enim illud est, quod Apostolus in hanc sententiam dixit.* Quantum externus homo corrumpitur, tantumdem interior renouatur; *& præterea cùm infirmor inquit,* tunc potens sum. Ita ibi Basilius. Similiter etiam homilia 2. dum hanc ex Paulo pugnam inter carnem, & spiritum recenset, totum animæ à ieiunio robur accedere, sic in primis adstruit hom. 2. de ieiunio. *Scis quòd* caro concupiscit aduersùs spiritum, & spiritus aduersùs carnem. *Itaque cùm hæc sibi inuicem aduersantur, subtrahamus carni voluptatem: augeamus animæ robur, vt per ieiunium collectis viribus ad superandas concupiscentias coronis abstinentiæ repositis cingamur.* Nec aliud tinnit Chrysol. serm. 8. dum inter egregias ieiunij laudes & virtutum vitam, & mentis robur & animæ vigorem sic illud facit. *Est quidem ieiunium vitiorū mors, vita virtutum, Est ieiunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Est ieiunium robur mentium, vigor animarum. Est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina.* At enim opportunissimè Chrysostom. hom. 1. in Genesim ex abstinentia, & ieiunio alas animæ aduenire, qua terrenis rebus superior sese cælis inserat, sic inquit. *Ieiunium animæ nostræ alimentum est, leues ei pennas producit, vt in sublime feratur, & summa cōtemplari queat, voluptatibúsque & omnibus, quæ in hoc mundo habentur, suauia ipsa fit superior.* Adstipulatur huic cogitationi S. Cyril. Hierosolymit. Catechef. 3. locustarum cibum, quo perpetuò ieiunabat Ioannes Baptista in deserto Marci 1. 6. ad has animæ alas, quibus sese in altum ex ieiunio efferebat, sic reuocantem: *Locustas manducantem, & alas parantem animæ.* Sed pergit Chrysost. venustam hanc subiiciens imaginē, *& quemadmodum leuiores naues maria velociùs transeunt, contrà multo onere grauatæ submerguntur: ita ieiunium quidem leuiorem reddens mentem, efficit vt faciliùs huius vitæ pelagus transmittat, & in cælum, ac ea, quæ in cælis sunt, respiciat, & nihil faciat præsentia.* Sic Chrysost.

Basilius. *2. Cor. 4. 16.* *2. Cor. 11. 12.* *Chrysol.* *Chrysost.* *S. Cyril. Hieros.* *Mar. 1. 6.* *Chrysost.*

4. En animæ à ieiunio in carnem vires, & robur, quo ipsā sic edomet, vt & illius vires omnino infringat, & ipsam quasi spiritualem reddat: en etiam pennas,

quibus ipsa mortalitatis exuuiis quodammodo exuta ad cælestia conscendere,& Angeli ei ordinis esse incipiat. Dabo tibi singularum thesium fideiussores; optimos quidem, & irrefragabilis auctoritatis. Et primò quidem, vt videris hominem ieiuniis deditum, carnem quodammodo exuisse, eámque quasi spiritualem, alteriúsue speciei, quæ corporeæ fragilitati,& humanis ærumnis obnoxia non sit, reddere, coniice oculos in Danielem ferocissimis, iisque esurientibus leonibus obiectum; nihil ab illis mali passum Daniel. 6. 22. Sed quare? Num quòd ea exempli vis sit, vt à ieiunatore Propheta voracissimi ipsi leones ieiunare didicerint? Benè id quidem dixeris. At enim illud videtur opportunius quidem, quòd illius caro ieiuniis condita, vtpote adamantina, siue spiritualis effecta esui apta iam non esset: qui enim in carnem quodammodo cælestem, siue spiritualem dentes potuissent infigere leones? aut qui illorum gustui spiritualis, & incorrupta res illecebra esse posset? Accipe vtramque obseruationem à Basilio Magno præfata homil. 1. de ieiunio sic inquiente. *Daniel autem vir desideriorum, qui ita ieiunus fuit, vt tres ipsas hebdomadas ne aquam quidem, ne dum vinum biberit, in lacum coniectus leones etiam ipsos ieiunare docuit. Nam quasi ex lapide, aut ferro, aut alia aliqua solidiore materia compactus esset, in eo nihil erat cui leones morsum dentibus infigerent. At ita quidem cum eius corpus, vt temperatura ferrum obdurescit, ieiunio esset firmatum, atque corroboratum, inexpugnabilem se feris ita obiecit, vt ne os quidem in structum hominem aperirent.* Nisi mauis dicere eodem etiam Basilio fideiussore, Danielem ex ieiunio siue paradisi iam incolam, ac non secus atque Adamum ante peccatum belluis præsidentem, iúsque dicentem, siue vt Angelicæ dignitatis consortem immanissimos leones fuisse reueritos: *immò vita* (inquit Basilius) *quæ in paradiso agitur, ieiunij imago est, non solùm quia cùm homo Angelorum ritu tunc eo loci viueret, paucis contentus ad eorum similitudinem adspirabat: verùm etiam, quia quæcumque postea hominem industria excogitauit, ab iis qui in paradiso viuebant, nondum inuenta erant*; & statim, *vbi ieiunare desiitimus paradiso excidimus; ieiunemus igitur, vt eò quasi postliminio reuertamur.* Fauet quidem huic cogitationi Chrysostomus in Psalm. 3. vbi Danielem ob diuinæ imaginis similitudinem non secus ac Adamũ in felici innocentiæ statu à leonibus reueritum; illum verò Prophetam, qui contra Domini præceptum manducauit 3. Reg. 13. 24. à leone non agnitum, sed dilaceratum fuisse scitè obseruat; cùm enim rem altiùs petens dixisset, *Vide Adam cùm nondum peccasset, bestias tamquam seruas & obedientes habentem, & eis tamquam seruis nomina imponentem; postquam autem adspectum peccato commaculauit, tunc bestiæ eum non cognoscebant, & quæ seruæ erant ei hostes euaserunt; & quemadmodum canis, qui in domo est, seruit qui eum alit, & eum timet, ac reueretur, sed cùm repentè viderit vultu fuligine atrato, vel personato aggreditur tamquam alienum, & cogitat eum dilacerare; ita etiam Adam quamdiu purum seruauit vultum, factum ad imaginem Dei, bestiæ ei tamquam seruæ parebant, quando autem vultum fœdauit inobedientia, non agnoscentes dominum, tamquam alienum cum odio habebant*; subdit ad rem. *Iustum Daniel, & leones agnouerunt dominum. Viderunt eum non gustasse peccatum, & eum supplicij expertem reliquerunt. Peccauit propheta mentitus, & leo eum in via inuentũ morte affecit, erat mendacij fuligine atratus, & leo eum non cognouit: si prophetam vidisset vt Danielem, eũ honorasset.* Hæc Chrysostom. At enim verò ob ieiunij transgressionem tam Adamum à regio diuinæ similitudinis culmine corruisse, quàm hunc Prophetam à leone fuisse discerptum, nemini dubium fuerit: nam de priori quidem dicebat Basilius: *Vbi ieiunare desiitimus paradiso excidimus* & Chrysologus serm. 12. *Ieiunium Adam seruauit in paradiso, quem inde detraxit gula*; similiter & Chrysost. serm. 1. de ieiunio. *Ne putetis parum lucrum esse ieiunium; ab vno ligno si abstinuisset Adam, mortua fuisset mors, immò non fuisset mortua, quæ non erat.* De posteriori verò Tertull. in lib. de ieiuniis c. 16. *Ab alio sene mentito prophetiam temerè pastus, secundum verbum Dei ibi factum super mensam non est in paternis sepultus: leonis enim in via occursu prostratus, & apud exteris conditus pœnam deserti ieiunij luit.* Quòd si rursus ob gulæ sordes fœdatum, atratúmque animæ vultum, ne in ipsa Dei imago resplendeat, siue conspiciatur videre velis. Quid Dominus manducantibus dicat, audi. Sic enim Lucæ 13. 25. *Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes, Domine aperi nobis, & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere. Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti: & dicet vobis. Nescio vos vnde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis*, vt primùm pende illa verba, *Nescio vos*, quę idem valent Gregorio Magno auctore libr. 6. expositionis in libr. 1. Regum; ac minimè vos de facie agnosco; *Nam si corpus videas* (inquit ille) *& faciem non videas, eum, cuius solùm corpus aspicis, non agnoscis.* Iam cur non agnoscantur disce ex Ambrosio lib. 1. de Abel, & Caïn cap. 5. post hæc verba subiiciente. *Audistis qui de manducantibus dixerit? Audi nunc quid de ieiunantibus dicat, Beati qui nunc esuriunt, & sitiunt, quia saturabuntur.* Sic ille.

Dan. 6. 22. — Basil. — Chrysost. — 3 Reg. 13. 24 — Basilius. — Chrysol. — Chrysost. — Tertull. — Luc. 13. 25. — Greg. Magn. — Ambros. — Matth. 5. 6.

Redeo ad paradisi vitam, animámque ex ieiunio 5.
quasi beatitudinis initiatam,& Angelis quodammodo supparem. Quod sic disertissimè affirmauit Athanasius lib. de virginitate, inquiens. *Ieiunium Angelorum cibus est, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.* Similia habet Chrysost. & Basilius, ille præfato serm. 1. hîc citata homil. 1. *de ieiunio.* Sed Hieronymus Epist. 61. de erroribus Ioannis Hierosolymitani, Eliam, & Henoch paradisum incolentes: & Dei consortio fruentes, cum ieiunantibus sic cõponit. *Quòd nos imitamur ieiunio, illi possident Dei consortio, vescuntur cælesti pane, & saturantur Verbo Dei, eumdem habentes Dominum quem & cibum.* Sic ille. Pergit verò Tertullianus libr. de ieiuniis cap. 6. & Heliam cùm adhuc in terris esset à ieiunio, & circumscripto ab spiritu ventre, eam cum Domino familiaritatem obtinuisse; vt ipsi ille tamquam par pari adesset, pulchrè elicit ex illis Dei verbis ad Helias 3. Reg. 19. 9. *Quid hic agis Elia?* hunc in modum: *Dehinc minantem Iezabel fugiens post vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Horeb: vbi cùm in spelunca diuertisset, quam familiari congressu Dei exceptus est.* Quid tu Elia hîc? *multo amicior ista vox,* quàm, Adam vbi es? *Illa enim pasto homini minabatur: ista ieiunio blandiebatur. Tanta est circumscripti ventris prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem re vera pari. Si enim Deus æternus non esuriet, vt testatur per Esaiam, hoc erit tempus, quo homo Deo adæquatur, cùm sine pabulo viuit.* pende illud, *circumscripti ventris prærogatiuæ*: anima scilicet corpus circumscribẽte, sibique subiiciente: vt cælestem vitam in terris initietur. Cui rei illud est valde opportunũ, quod & indidem Tertullianus, in Moyse, & Basilius homilia prima, *de ieiunio*, in eodem Elia obseruarunt spirituales in carne à ieiunio oculos suscepisse,

Athan. — Chrysost. — Basilius. — Tertull. — 3. Reg. 19. 9. — Gen. 3. 9.

suscepisse, quod incolatum paradisi omnino est, vt Deum quoad homini licet videre meruerit. audi Basilium: *Atqui ieiunium fecit, vt maximi miraculi Elias spectator esset. Is cùm dies quadraginta ieiunio animam purgasset, eam ob rem in spelunca, quæ est in Horeb dignus habitus est, vt Deum, quoad homini licet, ipse videret.* Obserua illa, *ieiunio animam purgasset*; in quibus nonnulla allusio esse videtur ad Purgatorij ignem minutas animarum maculas eluentem, vt nebulis omnino depositis Deum videre possint, quasi animæ à ieiunio non modò robur aduersùs corporis vires accedat, sed omnimoda ab illius affectibus, & sordibus curatio, & sanitas à qua perspicacissimi visus; & quasi cælestis conditionis sit. Accedit opportunè Tertullianus, qui cùm ab edacitatis enormitate incrassatum populi cor, ne oculis videret, & auribus audiret, & corde coniiceret ex Isaia adstruxisset: sic de Moyse subiici, *Caterùm cui cor euectum potius inueniebatur, quàm impinguatum, quadraginta diebus, totidémque noctibus supra humanæ naturæ facultatem ieiunium perennauit spiritali fide virtutem subministrante: & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei vocem, & corde conspecit Dei legem, iam tunc docentis, non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo Dei.* Scitè id, *cor euectum*: ob ieiunium scilicet sursum tendens & aliis instructum, vt terrena deserens, cælestia penetret; & tamquam paradisi incola conuersationem in cælis habeat.

Basil.

Tertull.

Isai.6.10.

6. Sed inde opinor ieiunij virtus magis elucet, & ab illo homines pænè diuinos reddi, ostenditur, quòd Dei filius à dæmone in deserto tentandus, quadraginta diebus, & quadraginta noctibus priùs ieiunauerit; sic enim Matth. cap.4. 1. *Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cùm ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* Sed quid Dei Filio à demone oppugnando, tam longum ieiunium sustinere opus fuit? Respondet Basilius. Non frustrà quidem, sed magno consilio Dominum ieiunasse, vt aduersùs dæmonis insultus carnem suam communiret. Sic namque ille homil.1.de ieiunio. *Sed eorum omnium, quorum mentionem habuimus, caput Dominus noster, carnem, quam pro nobis assumpsit, ieiunio communiuit, eáque ratione diaboli impetus sustinuit, ac depulit.* At enim in iis Basilij verbis iure ambigas, qua ratione Christi caro à ieiunio communiri dicatur, cùm iam pridem à primo conceptionis instanti per vnionem ad verbum omnino communita, & omnibus aduersarij telis impenetrabilis reddita fuerit? Sanè non dubitauit id Basilius; sed duo nos vna sententia ex Christi mente admonendos voluit: alterum, salutis æternæ negotium; quod æternæ salutis negotium sit numquam nobis ita securum esse, quin plus plus illi toto studio incumbere opus sit, & (quod prouerbio monemur, vt alibi vidimus) *nequaquam vna prendendum manu, cùm possit ambabus*: eáque de causa ad nostri institutionem Dominum, & si carnem Deificatam, ac proinde nulli vel leuissimo inimici ictui obnoxiam ex se haberet; voluisse insuper ieiunij robore eam communire, vt de cura, ac solicitudine qua animæ nostræ aduersùs dæmonis tela prouidere debemus nos commoneret. Alterum, eam esse ieiunij naturam, atque præstantiam vt diuinitatem quodammodo æmuletur, siue illius vices gerat, cùm Christi carnem, diaboli incursibus imperuiam, ac impenetrabilem, quod ipsi à deitate etiam adueniebat, omnino reddiderit.

Matth.4.1.

Basilius.

7. Vidisti quidem à frugalitate, & ieiunio animam adeò valentem, ac robustam effectam, vt corpus circumscribat, carnísque vires, ac iura sic infringat, vt pennas ad cælestia penetranda sumat: iam vice versa vide in circumscriptum, saturúmque ventrem ardentes corpori faces admouentem, vt spiritum coarctet, animámque circumscribat, atque enecet, & carneam quodammodo, ac belluinam reddat. Quam ad rem valde sunt opportuna ea assertoris verba Lucæ 21. 23. *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus*: vbi cùm dubio procul figurata locutio hæc sit, tam ad homines, quàm ad fæminas pertinens; ipsa quidem eos directè pungit, atque minatur: qui cibo, potúque immersi circumscribunt animam suam; carnis verò iura, ac corpus ipsum dilatant, atque ad instar prægnantis pingue faciunt, & extendunt. Audi Ambrosium ad ea verba: *Illi de quibus in superioribus dixerat Christus Dominus, edebant, bibebant, nubebant, litigabant, felicitudinibus sæcularibus se vincientes: hi sunt illæ mulieres prægnantes, quæ aruinam suæ carnis exstendunt, & quibus intimorum gressus pigrescunt animorum effœta virtutum, fœta vitiorum.* En corpus magis exstensum, ac dilatatũ; infer inde cum Basilio & Nazianzeno animam circumscriptam, & infirmiorem, non secus ac in libra, lance alia propendente alia leuior efficitur. Sic enim Basilius in c.2. Isaiæ, *Contingit istis carnulentis mentem quodammodo reddi infirmiorem*; quippe quæ contracta, ac circumscripta vix habeat quomodo explicare se possit. Ita Nazianzen. orat. de Episcopis inquiens *Mensa cibis celebribus abundans, cupediariorum, ac temperaturarum argutiis, quæ maris, ac terræ fructus intestinis offerunt, quibus ipsa mens sic demergitur, vt latitudinem, spatiúmve se explicandi non habeat.* Illustrat hæc Tertul. lib. de ieiuniis cap. 6. tum viuacibus & opportunis rationibus, tum adductis in hanc rem illis Deuteronomij verbis c. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit*: hunc in modũ, *Caterùm quotus quisque meminit religionis occupatis memoria locis, impeditus sapientiæ membris? nemo ita vt decet, ita vt par est, ita vt vtile est, recordabitur Dei in eo tempore, quo ipsumsibi hominem excidere solemne est. Omnem disciplinam victus aut occidit, aut vulnerat. Mentior, si non Dominus ipse obliuionem sui exprobrans Israëli causam plenitudini reputat.* Incrassatus est dilectus, & pinguefactus, & dilatatus est, & dereliquit eum, qui fecit eum, &c. Sic ille, scitè adstruens graue virtuti, & animæ vulnus à cibis esse; hominémque epulis debitum se ipsum sibi exscindere; dum nobiliorem sui partem aut fuerit, aut extinguit: nec quæ hominem decent, aduertit, immò nec se hominem reminiscitur. Sic id confirmante Ambrosio in Psalm. 118. *Cum somno, & cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur: tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor squalorem immunditiæ non veretur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiæ gloria non recensetur.* Hæc Ambros.

Luc.21.23.

Ambros.

Basilius.

Nazian.

Deute.32.15.

Tertull.

Ambros.

8. Nec minus opportunam huic rei emphasim habent, ea Domini verba, quæ sequuntur in Luca: *Væ nutrientibus*; etenim cùm spiritualiter accipienda sint, sensum communem habere dixeris cum illis Iacobi c.5. vers. 5. *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra*, quæ verba Græcus codex, vt bene ibi monet Iustinianus, ad ciborum delitias, & lautas epulas omnino refert; sed ad illa verba, *enutristis corda vestra*, iure ambigas: quomodo opportunè dici possit corda enutriri? Cùm cordis nomen in Scriptura ad animum referri perpetuus mos sit: num anima cibo, potúque, quemadmodum corpus enutritur, vt subsistat, aut crescat: Qui ergo dicatur enutriri corda? Syrus sanè interpres difficultatem effugit reponens: *enutriistis* corpora

Iacob 5.5.
Gra. Lect.

Lect. Syr.

corpora vestra tamquam ad diem mactationis, ad corporis impinguationem omnino reuocant. At enim vt id ita sit, maius quidam, & acutius excogitauit noster Vulgatus phrasi enutriendi cor: quippe non tantùm ad ciborum luxum, & corporis impinguationem; sed etiam ad infelicis animæ imbecillitatem, & circumscriptionem adspexit: quasi à nimietate ciborum, & carnis redundantia, ipsamet anima, carnalis quodammodo efficiatur, & quæ delicias, & cibos suspiret, quasi illis vt constet, enutrienda sit. Subsistit sanè hæc cogitatio tum ex Chrysostomo, tum ex Gentili Porphyrio, animam ipsam à gula carnem reddi affirmantibus: sic enim Chrysost. homil. 44 in Ioan. *Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est: hæc obtusum, & crassum ingeniũ: hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum; non sinit vt quidquam perspiciat.* Nec minus luculenter Ethnicus lib. de *abstinentia antiquorum*, cap. vltimo, sic inquiens: *Corpus pingue factum animam facit esurire à facili vita cadentem, augétque mortale, expellens, impediénsque vitam nobis æternam, contaminat, & animam, videlicet corpoream eam reddens, & ad id quod diuersum est, deflectens.* Ita ille, & quidem optimè. Quidni enim corpoream, siue carneam eorum animam dixeris, qui veracitate immensa in mensa toti sunt? *Aspice Nomentanum, & Apicium* (inquit Seneca lib. de vita beata c. 11. de notis illius æui gulonibus scientiam popinæ professis) *terrarum ac maris (vt isti vocant) bona conquirentes, & super mensam recognoscentes omnium gentium animalia. Vide hos eosdem è lectis suis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos, saporibus palatum suum delectantes. Mollibus, lenibúsque fomentis totum lacessitur eorum corpus; & ne nares interim cessent, odoribus variis inficitur locus ipse, in quo luxuriæ parentatur.* Hæc Senec.

Chrysost. Porphyr. — *Seneca.*

9\. Accinit pulchra Iobi locutio cap. 20. 15. dicentis. *Diuitias, quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Sed obserua, Olympiodorum & alios sic hæc legere, atque explicare, *de ventre eius extrahet animam Angelus*: vbi notanter gulonis anima in ventre constituitur, quasi ea quæ suapte natura tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte est, ab ingluuie circumscripta in vno ventre tota sit; quemadmodum dicebat Clemens in expositione litteræ citatus: *Vt qui mentem in ventre infoderit, admodum similis pisci, qui Græcè ὄνος, hoc est, asinus, dicitur, quem quidem dicit Aristoteles solùm ex aliis animalibus habere cor in ventre*; quippe ibi cogitat, meditatur, loquitur, concupiscit, nec ad aliud vtilis, aptáue inuenitur: audi quàm exactè hos descripserit Satyricus Satyra 11.

Iob. 20. 15. — *Clem. Alex.* — *Iuuenal.*

Multos porrò vides, quos sæpè elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo viuendi causa palato est
Egregius cadat, meliúsque miserrimus horum,
Et citò casurus iam perlucente ruina,
Interea gustus elementa per omnia quærunt.

Pulchrè illud, *quibus in solo viuendi causa palato est*: tota videlicet anima vni ventri incubante; nec aliud nisi cibos cogitante, vitámve in aliud dirigente: admodum similes pisci asino qui asininam, & belluinam vitam ducant. An non talem dixeris illum Pop. Romani Principem? de quo Latinus Pacatus in Panegyrico; *Scriptos in prouinciis aucupes, ductásque sub signis venatorum cohortes militasse conuiuiis*: siue etiam eum, cuius paulo antè meminimus, Apicium, cui adeò in solo palato viuendi causa erat, vt dixerit de eo Dio Cassius libr. 57. *Apicius omnes homines luxus, & gulæ studio superauit, & cùm scire aliquãdo vellet, quid absumpsi, & quid reliqui haberet; audito centies sestertio restare, indoluit, & vt fame moriturus sese interemit*; nimirum ea quæ illi restabat pecunia; licèt ingens esset vix singulis illius comessationibus satis erat.

Lat. Pac. — *Dio Cas.*

Iam istos quibus animus adeò est à corpore circumscriptus vt illius cocus, ac seruus sit; cur inter viuos numeres? Numerant se illi quidem cùm dicunt, *Comedamus & bibamus, cras moriemur*, Isaiæ 22. 13. & 1. ad Corinth. 15. 32. at enim August. serm. 23. de verbis Apostoli: Sapienter contendit egregiè illos mentiri cùm in diem crastinum mortem reiiciant, qui hodiè etiam mortui sunt. sic enim Augustinus: *Illi se adhuc cras dicunt morituros. Veritas autem iam cum ista dicunt, inuenit mortuos. Vos autem filii resurrectionis cauete imitari eos, qui cras sperando moriuntur, & hodie bibendo sepeliuntur.* Adstipulatur Augustino, Seneca Epistol. 60. immò & rationem appositè reddit, & titulum sepulchro addit. Ait enim. *Hos itaque (vt ait Sallustius) ventri obedientes, animalium loco numeremus, non hominum: quosdam verò ne animalium quidem, sed mortuorum. Viuit is qui se vtitur, qui verò latitant, & torpent, sic in domo sunt, tamquam in conditiuo. Horum licèt in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam antecesserunt.* Ita ibi quod quidem alibi ex insignis cuiusdam gulonis ore sic confirmat. *Pacuuius, qui Syriam vsu suam fecit, cùm vino & illis funereis epulis sibi parentauerat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, vt inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, βεβίωκε βεβίωκε* (id est, vita acta est) *nullo non se die extulit.* Sic Seneca Epist. 12. Mentiuntur ergo cùm dicunt; *cras moriemur*, quibus hodie vita acta est; qui sic in domo sunt, tamquam in sepulchro: qui animam in ventre habent, quibus viuendi in solo causa palato est. 10.

Isai. 22. 1. ad Cor. 15. 32. — *August.*

Ad ea verba, *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.*

ADNOTATIO II.

Gulam, germanam libidinis matrem esse.

EXigunt tam series verborum Pauli, quàm reddita illis expositio, vt præter dicta adnotatione præcedenti, gulam signatè luxuriæ fontem esse ostendamus. Et primum quidem vt *ieiunium scimus Dei arcem* (Chrysologus serm. 12.) *Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum*; sic gulam omnia virtutum mænia prosternere, solóque æquare æquè nouimus: sic enim Ieremiæ 52. 14. *Et totum murum Ierusalem per circuitum destruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magistro militiæ*: vbi obseruatu digna est translatio LXX. quæ habet, *Et omnem murum Ierusalem in circuitu destruxit virtus Chaldæorum, quæ cum principe coquorum.* At quis hic militiæ ordo fuerit? quis pugnandi modus, vt totum robur exercitus sub signis principis coquorum militet? & à culinæ artibus totus Ierusalem murus per circuitũ destruatur? Occurrit huic dubio S. Nilus in Ascetico. *Gula vitium appellat coquorum principem. Sicut enim ille omnem adhibet diligẽtiam, vt gulæ, ventrique satisfaciat, & innumerabiles voluptatũ artes excogitat, sic vitiũ gulæ omni studio quærit gutturis voluptatẽ explere. Et ciborum varietas euertit ac diruit virtutum propugnaculum. Suauitas enim condimentorum tamquam machina bellica prosternit munimenta iam à virtute constructa, & firmum, ac solidum robur ipsius affigit humi.* Sic Nilus. Nec minus appositè Gregorius 1.

Chrysol. — *Iere. 52. 14.* — *LXX.* — *S. Nilus.*

tius 3. part. pastoral. admonitione 20. inquiens: Gregor. Mag. *Princeps namque coquorum venter est, cui magna cura obsequium à cocis impenditur, vt ipse delectabilibus cibis impleatur: muri autem Ierusalem virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Cocorum igitur Princeps muros Ierusalem deijcit, quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.* Hæc Gregorius. Vt meritò hunc cocorum Principem virtutum munimẽta tam potentes, atque immaniter prosternentem cum Principe dæmoniorum ingentibus viribus, mirisque artibus ad oppugnandum subnixo ex S. Ioanne Climaco compo sueris in scala spirituali gradu 14. dicente. *Princeps est dæmonum, qui cecidit Lucifer, & princeps vitiorũ concupiscentia gulæ.* A quo non abit Clement, Alexand. lib. 2. Pædagogi cap. 1. dæmonem gulæ præpositum, & dæmonem maximum & omnium pessimum, ac perniciosissimum sic appellans. S. Ioan. Clim. Clemen. Alexand. *Iis autem, qui ad luxum mensarum propensi sunt, & suos sibi morbos enutriunt, præest dæmon belluo maximus, quem ego non verebor appellare ventri dæmonem, dæmonum omnium pessimum, & perniciosissimum.*

2. Hinc emphatica locutione Dominus Lucæ 21. Luc. 21. 34. 34. dicebat. *Attendite autem vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ superueniat in vos repentina dies illa.* Siue, vt legit S. Cyril. Alex. lib. 7. in Leuiticum. *Et veniat super vos subitaneus interitus: attendite vobis* perinde est, ac si quispiam peritus medicus lethalis herbæ succum vitandum admoneat; vt scitè inibi contem- S. Cyril. Alex. platur S. Cyril. Alexan. ad hunc modum. *Audistis edictum regis æterni, & lamentabilem finem ebrietatis, vel crapulæ didicistis. Si quis vobis peritus, & sapiens medicus his ipsis verbis præciperet & diceret. Attendite vobis, ne quis (verbi gratia) de illius, vel illius herbæ succo auidiùs sumat, quod si fecerit, subitus ei veniet interitus: non dubito, quòd vnusquisque propriæ salutis intuitu præmonentis medici præcepta seruaret. Nunc verus animarum, & corporum medicus, simulque dominus, iubet ebrietatis herbam & crapulæ vitandam, similiter & sollicitudinem sæcularium, velut mortiferos succos cauendos.* Quòd si præsentaneum huius veneni exitum nosse velis, scito à crapula, & ebrietate vt à fonte omnium vitiorum, atque libidinum riuulos continuò, ac largissimè profluere. Vel audi Basilius. Basilium in sermone de Abdicatione rerum: *Caue ne te aduersarius simili atq; primum parentem peccato circumueniat, & quàm primùm de paradiso delitiarum expellat. Nam qui callida esca obiectione ita malitiosè vita illum spoliauit, & item Iesum eodem modo supplantaturum sperauerat, nihil est, quod is vereatur: etenim præsentissimum hoc esse venenum ille intelligit.* Adhibet pulchram imaginem. *Vt enim fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus vicina omnia loca herbarum viriditate conuestit, sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se distraxerit, indeq; sensus tuos omnes irrigarit, & libidinum multarum syluam in te conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet.* Hęc Basil.

3. Iam verò ex lethali gulæ succo, prior ac certior luxuriæ interitus erumpit, dicente Apostolo, *vinum* ad Eph. 5. 18. S. Cyril. Alex. Ioan. Clim. *in quo est luxuria*, ad Ephesios 5. 18. *vt ostenderet* (inquit S. Cyril. Alex. citato loco) *ex ebrietate veluti primogenitum filiam generari luxuriam.* Ita & S. Ioann. Climacus superiùs adductus gulam de stirpium suarum nomine interrogatam, sic respondẽtem facit. *Stirpium verò mearũ nomina quomodo quæritis addiscere? Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Primogenitorum tamen meorum, eorum qui huiusmodi sunt, appellationes audite. Filius primogenitus meus, fornicationis incentor est.* Nec aliter Hie- Hieronym. ronym. epist. 4. inquiens: *maiorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parẽs libidinum est.* Vnde opportunissimè Tertul. lib. 1. de spectaculis cap. 10. agens de Venere & Baccho ait. Tertul. *Duo ista dæmonia coniurata, & conspirata inter se sunt, ebrietatis, & libidinis.* Nec minus eleganter lib. de ieiuniis initio. *Monstrum haberetur libido sine gula, cùm duo hæc tam vnita, atque concreta sint, vt, &c. per edacitatem salacitas transit.* Firmat id eodem libro ad finem ex Paulo ad Roman. 13. 13. vbi cùm dixisset, *Non in comessationibus, & ebrietatibus*, subiicit, *non* ad Rom. 13. 13. *in cubilibus, & impudicitiis*, quasi hæc, ebrietatis & crapulæ indiuiduæ pedisequæ sint. Sed audi illum. *Per hanc adulescentuli tui cum sororibus dormiunt, appendices scilicet gulæ, lasciuia, atque luxuria sunt: quã societatem & Apostolus sciens cùm præmisisset,* non in comessationibus, & ebrietatibus, *adiunxit*, nec in cubilibus, & libidinibus. Ita Tertull. & ab eo Na- Tertul. Nazian. zianz. oration. 38. eodem sensu, & acumine Pauli verba sic elucidat. *Nec in comessationibus, & ebrietatibus, quibus cubilia, & impudicitias adiuncta esse scio; quandoquidem malorum magistrorum malæ doctrinæ sunt, vel potius malorum seminum malæ segetes.* Cui quidem sententiæ innixus Hieronym. & Tertul. phrasibus insistens in epistol. ad Furiam *de viduitate seruanda*, sic inquiebat. Hieronym. *Quid necesse est nos iactare pudicitiam, quæ sine comitibus, & appendiciis suis continentia, & parcitate fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, & animæ subiicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non seruet, & adolescentula feruente cibis corpore de castitate secura est.*

Hinc accurata locutione Ieremias c. 5. 8. de Israë- 4.
Ierem. 5. 8. litarum intemperantia dixit, *Equi amatores, & emissarij facti sunt vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat*, vbi forsã dubites cur noster reddiderit *amatores*, cùm Hebræa vox מְיֻזָּנִים *meiuzanim*, vel à ra- Lect. Heb. dice *zun* significat saturari, & bene pasci, ac proinde ad verbum reddi debeat, *equi saginati*, siue *bene pasti*, vti reddit Pagninus: *equi saturati singulo mane* Pagnin. Rabb. Dauid. LXX. *erant*, vel etiam à radice *iazan*, *armari*: vnde Rabb. Dauid vertit, *equi armati*: & LXX. *equi furentes*. Sed facilis est ex Tertull. responsio: *ista duo dæmonia* (Veneris & Bacchi,) *coniurata, & conspirata inter se esse*: ac proinde homines bene pastos & saturatos, necessaria ratione *amatores*, & libidinosos esse futuros: epulis se contra spiritum armante carne, & in libidinem furente, sic etiam de gulæ, & luxuriæ gustu, inquit Basilius libro de vera virginitate. Basilius. *Isti itaque connexi sunt, vt catenæ in morem alter ab altero pendeat; atque ex eis alter administrator, alter verò minister efficitur.* Ita quidem de eadem Israëlitica plebe dixere Moyses Exodi 32. 6. & Paulus 1. ad Co- Exod. 32. 6. 1. ad Cor. 10. 7. rinth. 10. 7. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere:* ludos scilicet venereos, & impu- Tertul. dicos. Audi Tertullianum lib. de ieiuniis cap. 6. hæc verba sub hoc sensu sic luculenter illustrantem. *Nunc si temere rationes castigati à Deo victus, & castigandi propter Deum à nobis ad primordiorum experimenta, renocauimus conscientiã communem consulamus: ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc saliua exhibere consueuerit rebus dumtaxat sensus agendis, quo diuina tractantur, si multo pollentioris mentis, si multo viuacioris cordis, quantum totum illud domicilium interioris hominis escis stipatum, vinis inũdatum, in quo nihil tam in proximo supersit, quàm ad lasciuiam sapere.* Manducauit populus, & bibit, & surrexerunt ludere. *Intellige sanctæ Scripturæ verecundiam: lusum nisi impudicũ non denotasset.* Et qui ergo bene pasti, & saginati; nec nisi luxuriam ructantes, æstu libidinis agitati, in Venerem *furentes* cucurrerunt. Accinit Hebræus Philo Philo. lib. de Agricultura, inquiens *Hanc ventris diluuiem*

niem pedisequa a natura addita comitatur libido coitus furores, & œstro pertinaci concita, & molestissimam rabiem afferens: eum enim è multis condimentis, potúq; meraciore contracta crapula grauantur homines, non sunt amplius sui compotes, sed properantes ad amatorios concubitus, comessabundi oberrant ianuis. Hæc ille, & alia.

5. De Esau ad Hebræos cap. 12. sic monebat Paulus. *Ne quis fornicator aut profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.* (ad Heb. 12. 16.) Quo in loco non leue interpretibus negotium facessit, appellari Esau ab Apostolo fornicatorem; cùm de ipsius intemperantia, atq; libidine nihil nobis notum sit. *Vbi enim fornicator fuit Esau?* inquit ibi Chrysost. (Chrysost.) Quare ipse statim respondet, illud *vt Esau* non esse referendum ad vtrumque præcedens membrum, fornicator, aut profanus, sed commate post illa verba ne quis fornicator, affixo, sermonem de Esau inde incipere, aut profanus vt Esau. (Theodor.) Alij verò nodũ sic soluunt. vt fornicatoris nota, qua illum Paulus inurit ad nefarium matrimonium cum alienigenis contractum pertineat. Ego verò patente via nolo semitam quærere, & cum Esau helluonem, voracẽ, & gastrimargum à Paulo appellatum videam, sic enim ipsemet Chrysost. & Theophyl. explicant vocem *prophanus*, quod & sequentia verba, *qui propter vnam escam vendidit primitiua*, satis manifestè indicant, fornicatorem etiam illum fuisse, minimè coniectare verebor: ac proinde verba Pauli simplicissimè esse sumenda, multo probabilius censeo. Monstrum videlicet haberetur gula sine libidine: *Corpus enim abundè saginatum*, (inquit Basilius homil. de paradiso) *& anima illi immersa, & ad peccandum proclinis facta compendium quoddam est ad lasciuiam, & procacitatem, ac simul omnia ea, quæ vetita sunt, ita quidem*, dicebat S. Cyril Alexand. lib. 10 in Leuiticum ad finem. (Basilius. S. Cyril. Alexand.) *Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulsis subsidiis. Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cælorum, nisi ciborum affluentiam rejecet, nisi abstinentia vtatur ministra?* Ita ille. At enim verò opportunius huic de Esau ratiocinationi Tertul. lib. de ieiuniis cap. vltimo, sic loquitur: (Tertul.) *Vera si velimus dicere, tu qui tantum gulæ indulges, & meritò te priorem iactitas, semper agnosco sapore Esau venatorẽ ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tua venis, ita spiritu defessis: si tibi lenticulam defruto infusatam obtulero statim primatus tuos vendes: apud te agape (charitas) in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet. Sed maior his est agape, quia per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt, appendices scilicet gulæ, lasciuia, atque luxuria est.* Sic ille.

6. Vt verò scrupulum omnino eiicias; & qui Esau gulosum nosti, fornicatorem etiam fuisse non dubites, audi quî dixerit Ecclesiasticus c. 23. 23. (Eccl. 23. 23.) *Homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec accendat ignem.* Quod sic interpretatur Nicolaus de Lyra: (Lyra.) *id est, gulosus, qui non desinet, donec accendat ignẽ luxuriæ: quia virtus nutritiua materiam ministrat generatiuæ.* Adstipulatur Basil. in lib. de vera virginitate: (Basilius.) vbi cùm interrogasset, *Quid ergo illud est, quod animam in primis ad tactum corporis inquinat, & quodammodo corpus efficit, reliquorúmque sensuum voluptates multis modis germinat?* Sic respondet. *Tactus scilicet, qui in gustu est, quique corpus ad coitum passiuẽ titillat: ex his præcedit gustus ille tactus, sequitúrque concubitus.* Reddit rationem. *Nam per gustus tactum ad ingluuiem ventris iugiter voracitate delinita impinguatur corpus, ipsum verò feruentibus in imis recessibus humoribus lenibus concitatum libidine ad cõcubitus tactum impatientissimè fertur.* Cui cogitationi opportuna est obseruatio Ambrosij lib. de Elia & ieiunio c. 19. dum ad illa Isaiæ verba cap. 23. 1. (Ambros. Isai. 23. 1.) *Vlulate naues maris*; siue vt ipse LXX. secutus legit: (LXX.) *Vlulate naues Carthaginis*, luxuriosos ex mente Vatis cum nauibus componens subiicit. *Et bene luxuriosos naues dixit. Sicut enim illæ vento; ita hi cibo iactantur & vino.* Optimè quasi à cibo, & potu tamquam naues à vento ad libidinem & immunditiam ducantur. *Hi postquam per totum diem* (sic loquitur Philo lib. de somniis ac si plures, quos nouimus inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, describeret) (Philo.) *In tribunalibus, in curiis, in theatris, & vbique molesti fuerint aliis, reuersi, suam domum destruunt: non loquor de ædificiis, sed de anima cognata domo, hoc est, de corpore quod immundicis deliciis, aliis super aliis ingestis obruũt, & mero multo rigari, donec ratio mersa pereat, & affectus, qui sub ventre nascuntur, ex saturitate in effrenem rabiem conciti, quidquid obuium sit corripitur, ad sedandos libidinis furentis stimulos.* Hæc Philo.

7. Subest is aculeus, & si tantisper contectus, accuratæ Pauli locutioni, 1. ad Corinth. 6. 13. (1. ad Cor. 6. 13.) *Esca ventri, & venter escis. Deus autem hunc, & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Vbi non modò ad escam, & ventrem, fornicationem quasi comitem, atque pedisequam subtexuit; sed cùm nõ sine stomacho præmisisset, *esca ventri, & venter escis*, & iuxta hanc sermonis seriem subdere debuisset: corpus autẽ non escis, sed Domino: quæ enim fornicationis mentio præcesserat? notanter reposuit *corpus autem non fornicationi*: nimirum quòd ingluuies & fornicatio inter se coniurata, & conspirata sint, & catenæ in morem altera ab altera dependeat; acutè id ad ea verba adnotante Theoph. ad hunc modum: (Theoph.) *Sic quidem prosequenda erat oratio, corpus autem non escis, nec ventri: haud tamen hoc dicit, sed fornicationi, arguens quemadmodum delitiarum finis fornicatio sit.* Nec latebat id callidum Dauidem, qui cùm delapsus in adulterium cum Bethsabe ipsa ex furtiuis Regis amoribus absente marito concepisset; atque ille omnino celare vellet adulterium, Vriam in castris agentem illico accersit, vt ipso cũ vxore rem coniugalem habente, non ex adulterio, sed ex legitimo thoro concepisse putaretur; cúmq; bonus maritus ad Dauidem venisset, ipséq; ab eoq; in castris agerentur, de industria interrogasset, ne frustrà inde euocasse videretur, in domum tandem abire iussit: subiicit verò sacer scriptor. *Et egressus est Vrias de domo Regis, secutúsque est eum cibus regius.* (2. Reg. 11. 8.) 2. Reg. 11. 8. Sed quæ Dauid ea in re, quæ non potuit non suspicionem gignere, mens fuit? Num ea regibus de delitiis, ac delicato cibo fidelium subditorum, eorúmque præsertim, qui in bello pro ipsorum salute & regno sanguinem profundunt, solicita cura esse solet? Vt eam beneuolentiæ, & amoris notam, quæ aliis regum consilia accuratè rimantibus, non leui suspicioni occasio esset, à prudẽti etiam Dauidis pectore extorquere? Non equidem opinor: vel quid postridie Rex de Vria deliberauit, audi. *Et scripsit Dauid epistolam ab Ioab misitque per manum Vriæ. Scribens in Epistola, Ponite Vriam ex aduerso belli vbi fortissimum est prælium, & derelinquite eum, vt percussus intereat*, 2. Reg. 11. 14. (2. Reg. 11. 14.) Vides quo benefaciendi animo cibi regij delitias illi mittebat. Quid ergo dum mitteret, curabat? Sanè vt parcum, sobriúmque Vriam de re bellica plus quàm de vxoriis amplexibus cogitantẽ copioso, ac delicato cibo ad Venerem inflammaret. Vnde cùm hæc ei coniectura ad spem non processisset, quòd egregius miles tam longè à ciborum delitiis, atq;

coniu

coniugalibus amplexibus abesset, vt nec domum adire voluerit. *Vocauit eum Dauid, vt comederet coram se, & biberet, & inebriauit eum.* Audi Theodoretum quæst. 25. in librum 2. Regum. *Sed Rex cùm eum rursus iussisset manere. Conuiuio excepit, frequentique, ac liberali inuitatione coëgit bibere, vt irrigata cupiditate, vinum eum incitaret ad coniunctionem.* Hæc Theodoretus. Theod.

8. Hinc celebre illud Salomonis monitum Prouer. 23.31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splēduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, & in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Sed quæ venena? Pergit. *Oculi tui videbunt extranea, & cor tuum loquetur aduersa,* vbi Beda: *Consuetum, & pœnè naturale est vitium post ebrietatis venenā diffusa in corde muliebrem sequi concupiscentiā, comitante etiā prauitate, ac turpitudine verborum.* Preme illa, *pœnè naturale vitium est,* Sed quare naturale? cùm liberum, & omnino voluntarium sit; aliàs enim peccatum non esset? Sanè quòd vt à nimietate ciborum, naturale est, morbos gigni, deuicta atq; corrupta ab eorum redundantia, & cruditate natura, febrímque patiente: ita transmisso ad animum morbo ex corporis inflammatione pœnè naturale fit, ad libidinem accendi; rerum natura obnoxiùs id exigente, & à procliui animo non difficile obtinente. Sed id accipe à Chrysol. serm. 41. verissimè, & elegantissimè tradentem: Etenim cùm dixisset. *Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse; & audiuimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor; victores gentium, vitiorum fuisse captiuos nationum dominos turpi seruisse criminibus seruitute: stetisse inter sæuientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruisse, regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: aduersas acies contriuisse ieiunos, & crapulatos suarum castra dissoluisse virtutum: iacuisse effuso vino, qui iacere effuso sanguine nescierūt.* Huius rei causam sic perquirit, ac reddit. *Vnde est hoc? vnde? quia hoc non est ratio, sed langor: non vita, sed febris: phrenesis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deijcit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores: succendit choleram, extremum febris gignit incendium, totiens æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desiderijs; contrarijs vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam.* Hæc ille, & plura in hanc rem, quæ vide.

Prou. 23.31. — Beda. — Chrysolo.

Ad ea verba, *Et gloria in confusione ipsorum.*

Adnotatio III.

Peccatorem, cùm in profundum malorum venerit, famam ipsam contemnere, ac gloriari cùm malè fecerit, & exultare in rebus pessimis.

1. QVISQVIS res debitis momentis expenderit, nihil peccato fœdius, turpius, atq; horribilius inuenerit: quod vel inde facile colliges, quòd ipsius indiuiduus comes, pudor sit. Audi Nyssenum tract. 1. in Psalmos c. 4. *Huius* (inquit) *vani specti, vnicum vestigium relinquitur post discessionem pudor, alta, & indelebili eis impressa nota, per quā transit; possibile vt sit venatorum more, & arte ex ipsis vestigiis feræ naturam cognoscere. Etenim illis quando feræ manifesta non est, vestigio eam cognoscunt: si igitur aper aut leo proprijs vestigijs agnoscitur, consequens est, vt & voluptatis natura in impresso à se vestigio elucescat. Atqui vestigium eius pudor est;* vndequidem Bernard. de vita solitaria ad fratres de monte Dei, & ipsimet conscientiæ honorem, & reuerentiam sic exhibendā monebat, vt vel ea solùm teste erubescere debeamus, & peccata sine ingenti rubore, ac lachrymis confiteri, rem importunissimam censebat: sic enim primum. *Deo debes pietatem, cui te totum impendas, conscientiæ tuæ honorem, coram qua peccare erubescas,* deinde verò: *Sunt enim qui confitēdo, quasi fabulam enarrant suorum historiam peccatorum, ægritudines animæ suæ sine confusione dinumerāt.* Bernard.

Certè Dei Filius in suæ Passionis nocte sic mentem in sui mortem defixit, vt non modò ad oris mutationem, sed ad ipsiusmet sanguinis sudorem exhorruerit. Sed quare? adeò ne fortis, & valens mortis cogitatio, & apprehensio fuit, vt non multo valentior, & fortior Christi animus ad despiciendā mortem fuerit? Sanè non mortē solùm (ita S. Thom. 3. part. quæst. 46. art. 6.) Sed potissimum mortis causa, hominum scilicet peccata animo concipiebat. Ad peccati verò cogitationem, & grauitatem mentis oculis obiectam, quidni diuinus ille gigas gemeret, fatigaretur, horreret, & sanguinem copiosè sudaret? Iam humana consuetudo, & si ad peccati cogitationem, vel memoriam ad Christi exemplū nō exhorreat, & si propriæ conscientiæ honorem nō seruet, vt coram ea peccare erubescat, ac saltem homines reuereatur, & vel sub testibus peccare refugit, scitè id adnotantibus, Ambrosio & Hilario. Sic enim prior serm. 1. in Psalm. 118. *Nam vt quis intemperantissimus captus adulterinæ cupiditatis æstu, & victus libidine, vel indulgens flagitijs, qui repugnare nolit appetentiæ suæ carnis, conuersus huc, atque illuc si neminem fortè videat flagitij sui testem, in facinus ruat: idem tamen quamuis inueniat paratam occasionem potiendi, explorat diligenter omnia, in diuersum oculos suos incuriosus institia, solicitus famæ detorquet, frequenter erubescens testimonium erroris, qui non erubescit errorem.* Sic Ambros. & eodem ductu Hilar. ad ea verba Psalm. 118. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis,* hunc in modum. *Et cùm naturæ humanæ infirmitas procliuis ad vitia est, refugit tamen vel sub teste peccare, quod ipsum docet nos communis consuetudinis ratio. Quis enim futuri sub teste non metuit? Quis ad scelus nisi secretum eligit? quis ad adulterium non aut solitudinem, aut noctem optauit? Et si quid incalescentibus iam ad crimen animis promptum est, tamen furor insaniētis voluptatis occursu testis coërcetur, & in sese abruptam humanæ petulantiæ naturā nonnūquā intercessio repentina reuocauit.* Ita Hilarius.

Luc. 22.44. — S. Thom. — Ambros. — Hilarius.

Nec fuerit id in hominibus nimis mirandum, cùm & ille qui humanitatem exuerat, omniúmque peccatorum pessimus habetur, & ipsemet dæmon, cuius obfirmata, & obdurata in malo voluntas est, ad peccati faciem non potuerint non verecundia, & rubore suffundi: nam de primo, hoc est, de Iuda, cùm Magistrum hostibus suis tradidit, non palàm quidem & aperto capite, atque procaci vultu insultans accessit, sed sub certo quodam osculi signo facinus suum perfecit: *Quemcumque osculatus fuero,* (inquit infelix) *ipse est, tenete eum: & confestim accedens ad Iesum dixit, Aue Rabbi: & osculatus est eum,* Matth. 26. 48. quasi peccādi verecundiam vel quia Christi assecla aliquando fuerat, haud facile potuerit abiicere, sic pulchrè obseruante Hieronymo ad ea Matth. verba: *Impendens quidem, & scelerata confidentia, magistrum vocare, & osculum ei ingerere, quē tradebat. Tamen adhuc aliquid habet de verecūndia discipuli, cùm non eum palam tradit persecutoribus, sed per signum osculi.* Optimè illud, *aliquid habet de verecundia discipuli.* Quod videtur odoratu; Seneca lib. 7. de beneficiis cap. 19. cùm dixit, *Qui in pessima ab optimis* 2.

Matt. 26.48 — Hieronym. — Seneca.

optimis lapsus, necesse est etiam in malo vestigia boni tenent. Nunquam in tantum virtus extinguitur, vt non certiores animo notas imprimat, quàm vt illas eradat vlla mutatio. Adhibet venustam imaginem, & Iudæ peropportunam: *Feræ inter nos educatæ, cùm in syluas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinæ retinent, tantùmque à placidissimis absunt, quantù à veris feris, & nunquam humanæ manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui vnquam hæsit sapientiæ: altiùs infectus est, quàm vt ex toto elui, & transire in alterum colorem possit.* Retinuit ergo pessima hæc fera aliquid mansuetudinis pristinæ, & humanitatem exutus, verecundiam exuére, atq; abijcere non valuit: Nec dissimilis mali dæmonis ad tentandã Euam accessus. nam vt totum malitiæ pelagus ipse animo haberet imbibitum, ac illud procaciter diffundere, & malũ illi aperta facie persuadere veritus est: sic enim timidè, & cunctanter accessit.

Genes. 3. 1. Pagnin. *Cur præcipit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Genes. 3. 1. Quod in lectione Hebræa Pagnini maiorem in hãc rem epitasim habet. Sic enim ibi. *Verè dixit Deus, nõ comedetis ex omni arbore horti?* Sed quare nõ statim malum illi malus proposuit: cur iis ambagibus vsus est: cur non illico suggessit, comedite, diffidite Deo,

Hugo Vict. peccate? Respondet Hugo de S. Victore quòd peccatũ tam fœdæ, & execrandæ faciei sit, vt ad illam, ipsemet dæmon exhorruerit & cõfusus fuerit. Audi illum in allegoriis Gotfredi ad hæc verba: *Vide quãta est confusio, & timiditas nequitiæ in conspectu virtutis. Stans coram fœmina hostis superbus ex sola malitia cogitata, nondum dicta confunditur, & quasi se iam priusquam etiam loqueretur deprehensum metuens non audet exire in verba persuasionis, donec animum tentãs interrogatione præsentiat* Cur, *inquit*, præcepit vobis Deus, vt non comederetis, &c. *Respondit mulier*, De fructu ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. *Nouissimè serpens dixit*, Nequaquam moriemini. *Deus affirmauit, mulier dubitauit, diabolus negauit. Nequaquã autem diabolus coram muliere verba Dei negare præsumpsisset, si non prius ipsam mulierem dubitantem inuenisset.* Sic ille.

3. Vt iam hinc omnino intelligas, quàm magno iure eos defleat Paulus, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*: qui non modò impiissimum Iudam, sed ipsummet pessimum dæmonem impudentia, & procacitate superãtes, *amissa peccandi verecundia* (vt dicebat Anselm.) *ex illis nequitiæ operibus gloriantur, de quibus erubescere debuerunt*: quod extremæ turpitudinis, atq; amentiæ, siue potiùs stu-

Prou. 18. 3. poris fuerit. Sic namq; Salomon Prouer. 18. 3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit*,

Bernard. Hugo. Chrysost. quid: Respondet Bern. lib. de gradib. humil. *timorem Dei*, Respondet Hugo, *conscientiam*. Similiter Chrysost. siue auctor operis imperfecti hom. 4. in Matth. peccata, ait enim: *Iam nihil dubitat facere, quasi iam peccatis suis vicit iudicium Dei.* Nec multo

Lyra. aliter Nicolaus de Lyra: *Contemnit omnem correptionem, pænitentiam, omnémque medicinam, atque supplicia.* At opportunissimè Athanasius serm. 4. contra Arrianos de illis ad verecundiæ cõtemptum sic re-

Athan. tulit. *In se traducere omnino velle videntur quod scriptum est*: Impius cùm in profundum malorum deuenerit, contemnit. *Neque enim confutati quiescunt, neque perplexi, inopésque quod respondeant, pudescunt, sed planè meretricis vultu depuduerunt in impietatibus suis*: quo sensu, & phrasi de impudentissima fœmina dixit Iuuenal. Satyra 6.

Iuuenal. *Contempsit pelagus, famam contempserat olim,*
Cuius apud molles minima est iactura cathedras.

Hieronym. Vnde opportunè Hyron. hæc sapientis verba cum illis Ezech. 16. 23. quibus de Israëlitica plebe ad profundum peccatorũ delapsa Dominus conqueri-

Ezec. 16. 23. tur; *Et accidit post omnem malitiam tuam (væ tibi, dicit Dominus) & ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis*; sic cõponit: *Ædificat lupanar, qui tota frontis libertate delinquit, iuxta illud quod scriptum est*, Prouer. 18. Peccator cùm venerit in profundum iniquitatis, contẽnit. Certè dum olim Romæ Christianis Ethnici falsò imponebant quòd noctu in frequẽti ipsorum cætu lucernas exstinguerent, vt turpitudini operam darent, vel hac ratione iustiorem melioremque ipsorum, quã infideliũ cau-

Tertul. sam contendebat Tertull. quod Christiani vt peccatores, & impudici essent (quod falsissimè ipsis obiiciebatur) at non apertè & sub clara luce, sed verecundè, obscurè atque pudore affecti peccarent: Ethnici verò inoperto capite, & tota frontis libertate turpitudini, & immundiciis vacarẽt, vnũ quod est in malis bonũ, verecundiam perdẽtes. Sic enim ille lib. 1. ad Nationes (nunc nouiter excuso) c. 16. *Ventum est ad horam lucernarum, & caninum ministerium, & ingenia tenebrarum. Quo in loco metuo, ne cedam. Quid enim tale in vobis detinebo: Verum iã laudate consilium incesti verecundi, quod adulteram noctẽ commenti sumus, ne aut lucem, aut veram noctem contaminaremus, quod etiam luminibus te venis parcendum existimauimus, quòd nostram queque conscientiam ludimus. Cæterùm incesta vestra pro sua libertate, & luce omni, & nocte omni, & tota cæli conscientia fruuntur.* Aptissimè pro Christianorum causa. Verissimè pro Ethnicorum impudentia. nam de illis ipsemet Eth-

Seneca. nicus Seneca lib. 2. de ira c. 8. dicebat. *Certatur ingenti quodam nequitiæ certamine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. Expulso melioris, æquiorísque respectu, quocũque visum est, libidinosè impingit, nec furtiua iam scelera sunt; præter oculos* (id est, ante oculos) *eunt*. Sic ibi: & libro de vita beata capite 12. *Itaque quod vnum habebant in malis bonum, perdunt peccandi verecundiam, laudant enim ea, quibus erubescant, & vitio gloriantur.* Sic ille.

Hos alibi hunc in modum descripsit Salomon. 4.

Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus Prou. 2. 14.

pessimis, Prouerb. 2. 14. Quibus verbis illa primùm sententia subest, quam sapienter expressit Seneca

epist. 97. *Omnium aliarum artium peccata artificibus* Seneca.

pudori sunt, offenduntque deerrantem: vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerso, nõ gaudet ægro medicus elato; non gaudet Orator, si patroni culpa reus cecidit: at contrà omnibus crimen suũ voluptati est: lætatur ille adulterio in quod irritatus est ipsa difficultate: lætatur ille circumscriptione, furtóq; nec ante illi culpa, quàm culpæ fortuna displicuit. Id enim in-

nuitur priori hemistichio: *lætantur cùm malè fece-* Lect. Hebræa.

rint; nam ex voce רע ragh, quæ æquè significat rem tristem ac rem malam, bene verteris, *qui lætantur* (siue *ridẽt*) *de re tristi*: hoc est, qui tunc lætantur, & rident, cùm maximè contristari, ac ingenti mærore affici deberẽt: quid enim peccato tristius? funestius? horribilius? vt ex Christi ore ad faciem peccatorum horrẽte, sanguinémq; sudante iam vidimus. Obiter tamen diuinam sapientiam & fortitudinem, cùm hominis amentia, & temeritate compone, & quid vterq; de peccato censeat, siue quomodo ad illius conspectũ se gerat animaduerte: quippe Dei Filius,

cùm primum ipsius cogitationi sese peccata propo- Marc. 14. 33. Matt. 26. 37.

suere, *cæpit pauere, & tædere*, Marc. 14. 33. siue Matt. 26. 37. *Cæpit contristari, & mæstus esse*; eóq; mæror, & anxietas peruenit, vt sanguinẽ è venis extorserit. *Et*

factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in Luc. 22. 44.

terram, Lucæ 22. 44. At ij adeò à Christo sensu dissident, contrariámque ineunt viam; vt viso, admissóque

admissóque peccato lætentur, & rideant: nec interna oblectatione contenti, *exultant in rebus pessimis*; adiicit enim posterius hoc hemistichium peculiarem præcedéti vim: etenim Hebræum יגילו *gilu* pro quo noster posuit *exultant*, propriè significat tripudiare, & internam lætitiam exterioribus signis, quasi ad musicæ numeros demonstrare, quasi eò vsque insaniant, vt de perpetratis criminibus sibi applaudant, in ipsisque glorientur. Vis videre exultantes, siue tripudiantes in rebus pessimis, & quasi ad musices numeros pro maiori peccatorum turpitudine magis, magisque se gloriantes. Audi quid de se, ac sociis suis dicat Augustinus lib. 2. confess. cap. 3. *Praeceps* (inquit) *ibam in tanta cæcitate, vt inter coætaneos meos puderet me minoris dedecoris, cùm audiebam eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent, & libebat facere non solùm libidine facti, verùm etiam laudis.* Audi etiā quid turpissimus Holofernes aulicis suis suggerebat, vt honestissimam Iudith ad impuritatem pellicerent. *Fœdum est* (inquit) *apud Assyrios si fœmina irrideat virum agendo, vt immunis ab eo transeat*, Iudith c. 12. 11. id est, fœdum est, fœdos, & turpes non esse, siue, vt reddunt LXX. *Ecce enim fœdum faciei nostræ, si mulierem talem omittamus, non conuersantes cum ea*, ac si dicat, opprimemur pudore, fœdósque nos, ac turpes cōputabimus, nisi turpissimi, & impudentissimi fuerimus. Hispanus bellè exprimeres, *Hazemos gala de ser ruynes.* Proh facinus. Audi etiam duas ad hos impudentiæ numeros saltantes fœminas, de Messalina enim Claudij Principis vxore, non solùm lupanar adeunte, seséque prostituente, sed etiam in oculis mariti, cum adultero matrimonium solemni ritu contrahente, nullo quidem meliotis rei prætextu, quàm vt ex magnitudine infamiæ peculiarem sibi gustum, & voluptatem praeciperet. Sic inquit Cornelius Tacitus lib. 11. Annalium. *Nomen tamen matrimonij concupiuit ob magnitudinē infamiæ, cuius apud prodigos nouissima voluptas est.* Ad quem etiam modū de Domitia Domitiani Imperatoris sorore occasione falsę suspicionis, quā de egregio Principe Tito nonnulli conceperant, quasi turpem cum illa consuetudinem habuisset, dixit Suetonius *in Tito. Sed nullam habuisse persanctè Domitia iurabat, haud negatura, si qua omnino fuisset, immò etiam gloriatura, quod illi promptissimum erat in omnibus probris.*

Hebr. lect. — Augustinus. — Iudit. 12. 11. — LXX. — Corn. Tac. — Suetonius.

5. Ij verò in hac procacitatis, & impudentiæ certamine palmam ferre videntur, qui se mutuò exhortabantur, & vrgebant. *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum*, Gen. 11. 4. Nam primum, quis superbissimę huius turris illis vsus esset futurus, disce ex Philone lib. de confusione linguarū, idcirco illos tantæ molis ædificationem suscepisse, inquiens, *quò melius impudentiam cum petulantia, contemptum cum violentia, cædes cum sæuitia, cum immoderatis voluptatibus immensam concupiscentiam, omnésque malas artes exercerent.* Modò vide quem sibi scopum & finem in iis flagitiis, & malis artibus exercendis, proponerent, quidque ex tanta morum corruptione, & fœdissima turpitudine sibi promitterent, atque sperarent. *Et celebremus* (inquiunt) *nomen nostrū*, ac si dixerint, vt hac ratione, & modo apud posteros celebrem nostri memoriam, & illustre nomē relinquamus. *Egregia verò gloriatio* (inquit ibi Philo) *captare celebritatem nominis ex iis, quæ celari, & sempiterno, si fieri posset, silentio obrui deberent.* Risu ne? an lachrymis digna mens? Mœrore quidem afficiebat, turbabátque Senecam lib. de tranquillitate animi, cap. 15. vbi cùm dolenter dixisset. *Sed nihil prodest*

Genes. 11. 4. — Philo. — Seneca.

priuata tristitiæ causas abiecisse. Occupat enim nonnunquam odium generis humani, & occurrit tot scelerum felicium turba, cùm cogitaueris, quàm sit rara simplicitas, quam ignota innocentia, & vix vmquam nisi cum expedit fides, & libidinis lucra, damnáque pariter inuisa. Subiicit, ac si insanos hos flagitiorum architectos audisset, *& ambitio eousque iam se suis non continens terminis, vt per turpitudinem splendeat*; quæ videlicet, famam, & nomen in turpitudine, & dedecore quærat.

6. Hinc grauis illa Dei de Israëlitica plebe querimonia, & fastidij causa apud Isaiam cap. 3. 9. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*; & apud Ieremiam cap. 17. vers. 1. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Sed placet vniuscuiusque Vatis verba seorsim premere, & excutere: & in Isaïa obserua, notanter iis peccatoribus vitio verti, quòd peccatum suum non absconderint: quia videlicet, & *quod vnum in malis habebant bonum* (vt dicebat Seneca) *perdunt peccandi verecundiam.* Et rerum naturas perturbare, ordinique earum aduersari velle videntur: nimirum, peccatum, vni tantùm rei nascitur, vt abscondatur, atque celetur; & ab hominum oculis submoueatur: vnde cum stomacho aiebat idem Seneca lib. de vita beata. *Indulget vitiis non timidè, nec obscurè: luxuriatur enim inoperto capite.* Scitè pro nouo flagitio deputans, non vndique operto, & velamine inuoluto, siue totius noctis tenebris obducto capite peccare: & epistola 51. *Quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic nec inter popinas quidem. Videre ebrios per littora errantes, & comessationes nauigantium, & symphoniarum cantibus perstrepentes lacus & alia, quæ velut soluta legibus luxuria non tantùm peccat, sed publicat, quid necesse est?* Benè, *velut soluta legibus luxuria publicat:* quæ nec Deum timeat, nec homines reuereatur; quæ frænum timoris, pudoris velum abiecerit. At peius illud, *peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt*: nempe Hebræum verbum *nigad* propriè significat, *læta, ac prospera annunciare*: vt perinde sit, ac si dicat Vates: Qui flagitia, & turpitudines suas pro rei faustæ, ac laudatissimæ nuncio, non modò sine vllo metu, ac pudore, sed etiam cum iactatione, quasi egregiam ex illis laudem adepturi essent, hilares, & libentes annunciabant: *Apud plerosque* enim (inquit Ambrosius lib. de Noë, & arca, cap. 22.) *innocentia pro ignauia, & culpa pro laude habetur.* Dixeris cum Paulino epistola 4 adumbrari horum impudentiam in Absalonis cæsarie, de qua ipse & maximè gloriabatur, & ingens ob ipsam pretium recipiebat, 2. Reg. 14. 26. *inoperto* videlicet *capite* (vt dicebat Seneca) *luxuriante*, & de turpitudine gloriam captare volente *ponderabat* (inquit) *capillos capitis sui: gloria enim impio est iniquitas sua. Neque solùm operatio cum nequam, sed & nequitia* (vt quidam ait) *fama delectat. Vnde illud in Psalm. 51. 1.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate. Sic ille. Iam quid in Isaïa præcesserit audi, *Ruit* (inquit) *Ierusalem, & Iuda concidit*: vltimum videlicet supplicium iis qui peccata sua non abscondunt, sed annunciant; denuncians & magno quidem iure. Nam quid boni vnquam de iis speres? aut quid mali iis non timeas? Videntur sanè nobis de eorum resipiscentia spei ianuam occludere: rectè enim dixit Oecumenius in vltimam clausulā capitis primi ad Rom. *Qui dum peccat, simul etiam peccatum condemnat, is quandoque temporis successu seipsum recuperare poterit, cùm habeat ad resipiscentiam auxilium, peccati videlicet condemnationem & odium; qui verò prauitatē collaudat, is sese*

Isai. 3. 9. — Seneca. — Seneca. — Ambrosius. — 2. Reg. 14. 26. — Psalm. 51. 1. — Paulinus. — Isa. 3. 8. — OEcum.

is sese ad resipiscendum auxilio priuat. Nec minus apposite Seneca epistola 39. *Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.* & epistola 28. *Quidam vitiis gloriantur. Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui vitia sua virtutum loco numerant.* Sed pro supplicij grauitate huic petulantiæ respondente sic fide iubet Chrysost. hom. 11. in epist. 1. ad Corint. *Quòd si impœnitētia in peccatis grauis est, certè in peccatis gloriari, quānam pœna dignum est? Nam si ille qui in bonis operibus gloriatur, immundus est, quam veniam consequatur, qui hoc in peccatis facit:* Sic ille.

Seneca. Chrysost.

7. Accinunt Ieremiæ verba: nam si illa introspexeris, probabis proculdubio doctissimi P. Gasparis Sāchez expositionem, qui bene ex Scripturæ phrasibus adstruit, Vatis verba non tam eo ire, vt ostendat Israëlitas intimo cordi impressa habere peccata, eáque tenacissimè retinere, nō secus, ac adamantinus vnguis, qui inscriptos characteres, indelebiles æternum seruat, quàm vt illorum impudentiam arguat, quæ eo vsque deuenerat, vt turpitudinis, & impietatis suæ monumenta palàm in omnium oculis, siue in annulorum gemmis, siue in pectorali lamina, cælata gestarent, è flagitiorum turpitudine, ornamenta, decoris, & dignitatis insignia, ac lumina sibi facientes: immò & hæc *in cornibus ararum* collocantes, vt non solùm ventrem, vel Venerem, vel turpe lucrum pro Deo in corde haberent, sed externo etiam cultu hæc monstra tanquam Numina colerent, eorúmque seruos se esse gratantes profiterentur. Hæc Ieremiæ mens iis in verbis. Sed enim vt videris rectissimè à Sapiente dici, *est processio in malis viro indisciplinato*, Eccles. 20. 9. quid de iisdem peccatoribus alio in loco dixerit Ezechiel audi: sic enim ille cap. 14. 3. *Viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis*, vbi Aquila apud Theodoretum hæc sic legit: *Viri isti dedicauerūt idola in cordibus suis*; quæ solum indicant iis immunditiis illos animum deuouisse, & interiùs obsequium tanquam Numini præstitisse: at in his verbis Ieremiæ ipsos in peius profecisse apparet; nam pudore iam abiecto turpia idola ad externum cultum è cordis penetrali extrahentes, in decus, & ornamentum gestare videntur laudem, ac famam ex criminibus suis captantes, quæ apud prodigos nouissima voluptas est. Sub quo quidem sensu accepit Origenes ea Psalmi 36. 14. verba: *Gladium euaginauerunt peccatores*: quasi qui antea verecundè peccarent, & idola sua tanquam gladium in vagina cōtectum, abscondita haberent; ad extremum subinde malitiæ deuenientes, turpitudinum suarum gladium euaginarent, & ex ipsis gloriam quærerent: sic namque ille homilia 2. in Psalmum 36. ad finem. *Quomodo autem putandi sunt peccatores euaginare gladium? Cùm iam impudenter, & absque vllo verecundiæ velamento iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt, neque tanquam in vaginam nequitiam suam abscondunt, sed superbo spiritu denudant.* Sic Origenes.

Eccles. 20. 9. Ezech. 14. 3. Aquila. Theod. Origen. Psal. 36. 14.

8. Descripsit hos perbelle Salomon in libro Sapientiæ cap. 2. 6. vbi dum illos ad omne scelus animum proiicientes, & sese mutuò ad peccata stimulantes sic primum facit. *Venite fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis*; pergit ipsorum ore: *Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ.* Vbi cùm in rosis, (quod inibi latiùs diffundimus) quæ ebrio colore sunt, & stercore gaudent, vt inquit Plinius, ebriæ, & impuræ voluptates adumbrentur: quid aliud fuerit rosis coronari, quàm immunditias, & peccata pro corona, & dignitate habere? Siue etiam de turpitudinis magnitudine, & enormitate, tanquam de corona contendere, quasi ille inter alios palmam, atque coronam referat, qui turpior, ac flagitiosior sit: vt de suis sociis dicebat Augustinus iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent. Iam verò ex aduerso horum, qui voluptatum, & turpitudinum rosis coronantur, Dei filium peccatorum etiam spinis coronatum considera: nam si attendis, æquè in spinis, ac in rosis peccatum denotatur; quamuis illæ pungant, istæ delectent: nimirum amentes, & insani homines, quibus iam peccati aculei obtusi sunt, & peccata pro floribus habent, dicente Iob 30. 7. *Esse sub sentibus, delitias computabant*: & flos illis peccatum est: *tienen por flor el pecar*; ideo rosarum coronas gestant, vt indicent, non voluptate tantùm, aut illecebra peccati, sed ipsa eius infamia delectari. Contrà verò Dei sapientia, & quotquot huius capitis spinis coronati membra esse volunt peccata acres spinas, quæ caput crudeliter pungant, mentem, inquam, penetrent, atque transfigant, vt animus de illis grauiter doleat, & continuo mœrore conficiatur, esse censent. Sic verus pœnitens post elapsum peccati florem dicebat. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina*, Psalmo 31. 4. ac si diceret, quacumque me vertero, tanquam aliquod fatigato animo leuamen in molestissimam ærumnam conuertor. Dum acutissimum stimulum recordationis mei peccati paratum inuenio. Sic de pœnitentibus dixit Augustinus libro 50. homiliarum homil. 27. *Conuersi sunt in ærumnam doloris, cùm figeretur spina peccati recordationis.* Et eodem sensu Bernard. sermone 36. in Cantic. de anima sese humiliante dicebat. *Vnde huic iam extollentia oculorum? Vnde leuare caput? Nonne magis conuertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Conuertetur, inquam, ad lachrymas: conuertetur ad planctus, & gemitus, conuertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit.* Sana animam meam, quia peccaui tibi. Sic Bernardus. Sed nouum nos aculeum, siue spinam iis quibus gloria est in confusione ipsorum, infigamus.

Sapient. 2. 6. Plinius. Iob 30. 7. Psalm. 31. 4. August. Bernardus.

ADNOTATIO IV.

Ab assiduitate, & consuetudine peccandi hanc impudentiam, & procacitatem, quæ omnem ruborem expellit, & in turpitudine gloriatur, aduenire.

1 IAM verò ad tantum animi stuporem, sese in peccatis gloriantis non modò horres, verùm etiam scire cupis, à qua radice ingens hoc malum proueniat? immò & ambigis, quî fieri possit, vt innatum sibi pudorem, ac verecundiam homo quantumuis valens sit, valeat abiicere, cùm id nihil minus, quàm ipsammet naturam exuere, esse videatur? Sed enim facile tibi ex Augustino occurram hanc consuetudinis vim & efficacitatem esse, sic affirmante in Enchiridion cap. 82. *Peccata quamuis magna, & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeo, vt non solùm non occul*

August.

occultanda, verum etiam prædicanda, & diffamanda videantur. Quod quidem in his, quos Paulus insectatur, videre est: quid enim innuunt ea verba, *Quod vobis sæpe dicebam*, nisi longam in malo durationem, & moram, cùm toties à Paulo admoniti, & obiurgati, atque aliis in exemplum, vt ab illis cauerent, obiecti fuerint: ab hac ergo assiduitate in peccatis, *gloria in confusione, & ignominia ipsorum* iis aduenit: ita Seneca Epistol. 97. post ea verba præcedenti adnotatione adducta.

Senec. *Lætatur ille adulterio, in quod irritatus est ipsa difficultate: lætatur circumscriptione furtóque, nec ante illi culpa, quàm culpæ fortuna displicuit.* Subdens. *Id prauâ consuetudine euenit. Alioqui vt scias, subesse animis etiam in pessima abductis boni sensum, nec ignorari turpe, sed negligi, omnes peccata dissimulant, & quamuis feliciter cesserint, fructu illorum vtuntur, ipsa subducunt.* Sed vnde inquis, tantæ consuetudini vires, vt aduersùs naturam & pugnare, & præualere possit? Sanè quòd ipsa sit altera natura, inuita illa priori nata, illamque expellens. Audi Hieronymum, & Theodoretum in id Ieremiæ 8. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam.* Sic

Hieron. enim ille. *Quidquid discitur, non natura est, sed studij & propria voluntatis, quæ nimia consuetudine, & amore peccandi quodammodo in naturam conuer-*

Theodor. *titur.* Similiter Theodoret. *Vetus profectò sermo, consuetudinem esse alteram naturam. Omnia enim, quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus.* Audi & Ambrosium

Ambros. in id Psalmi primi, *& in cathedra pestilentiæ non sedit*, hinc opportunè monentem. *An ignoramus, quòd tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam, quæ cum sit medicabilis, ad salutem tamen corroborata tempore, passionibus immedicabilis inuenitur.* Sic ille. Excludit ergo hæc praua natura, orta ex consuetudine, quidquid boni inerat à primæua natura animo: frontem, pudorem, verecundiam, timorem; inducitque pro his impudentiam, & procacitatem, quæ in confusione, & in ignominia gloriatur.

2. Sic arcano sermone, & eleganti vsus imagine

Ierem. 6. 7. dixit Ieremias cap. 6. 7. *Sicut frigidam fecit aqua cisterna suam, sic frigidam fecit malitiam suam.* Pende similitudinis opportunitatem, quæ eò it, vt ad instar cisternæ, quæ pluuiales aquas, non omnino frigidas descendentes (vt ibi adnotat Theo-

Theodor. doret.) in frigidam qualitatem demutat; sic peccandi assiduitas, & inueterata consuetudo, peccatum reddat omnino frigidum, omni pristino calore deperdito, ita ad ea verba adnotante Hiero-

Hieron. nymo ad hunc modum: *Quomodo cisterna, vel lacus frigidam facit aquam suam, sic in medio Hierusalem malitia, quæ in ea est, omnem calorem perdidit vitæ.* Sed quis (inquis) vitæ calor malitiæ aliquando fuit, vt eum modo ipsa deperdidisse dicatur: Respondeo, recenti peccato nec consuetudine tamquam callo obducto indurato inesse timoris, verecundiæ, pudorísque remorsum, qui animum insidentem pungat, ac vellicet, vt ad bonam frugem se recipiat: vti ad Romanos 6. 21. dicebat

Ad Rom. 6. 21. Paulus: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Eam verò prauæ consuetudinis naturam esse, vt hos stimulos obtundat, siue hunc vitæ calorem exstinguat: sic dixit (tam disertè quidem, atque dilucidè, ac si hæc illi præ-

M. Tull. sentia forent) M. Tullius lib. 1. de legibus. *Tanta est corruptela malæ consuetudinis, vt ea tamquam igniculi extinguantur à natura dati.* Iam pro hac explicandi ratione sic fideiubet Vener. Galfridus in

Gilfrid. allegoriis Gotfridi Tilmani. *Frigidam facit cisterna aquam, quotiens in quadam insensibilitate perpetratam conseruat mens obstinata malitiam.* Benè illud, *in quadam insensibilitate*: quod mens peccatis assueta, in quandam insensibilitatem, atque indolentiam deueniat; qua nec conscientiæ stimulos, nec verecundiæ, ac pudoris frænum sentiat. Vnde non abs re, sic transtulit hunc locum Chaldæus, *sicut cisternas quæ sustentat aquas suas*; vt quemadmodum aqua à cisterna in sua naturali frigiditate conseruatur, sic à peccatorum praua consuetudine ab omnibus, quæ ipsi aduersantur, nempe timore, pudore, aut vllo conscientiæ remorsu protegitur, atque defenditur, vt tuto requiescat. Fauent quidem huic cogitationi præfata Salomonis verba cap. 18. 3. *Impius cum in profundum peccatorum venerit, contemnit*, præcedenti adnotatione allata; maximè si Prou 18. 3.

Græcam vocem βάθος, pro qua noster posuit *profundum*, pro terræ centro cum P. Salazar, & aliis bonæ notæ auctoribus acceperis, atque sic legeris, *impius cùm in centrum peccatorum venerit*, Salazar.

&c. Nimirum vt corpora in centro quieta, & ab omni contrario tuta, atque munita sunt; ita impius peccatis assuetus velut in peccatorum centro conquiescit; quin ipsa illi, vel timorem incutiant, vel pudorem excutiant.

Iam huic rei adsimili, & opportunissima imagine locutus est Eliphaz apud Iob cap. 15. 16. de 3.

homine in peccata prono, inquiens; *Qui bibit quasi aquam iniquitatem.* Quæ verba sic optimè Iob 15. 16.

ab interpretibus accipiuntur, vt ipsis innuatur homo à praua consuetudine corruptus, qui humanitatis sensum sic amisisse videatur, vt nullo iam animi dolore, ac sensu in peccata, quantumuis grauia illa sint, ruat, non secus ac sitiens feruente æstu gelidam aquam ad sedandam sitim, & æstiuum ardorem refrigerandum ebibit. En verò comparationis vim in aqua signatè positam, aiunt optimi explantatores Pineda, & Sanchez. Quòd aqua, cum ob lenitatem, & sua- Pineda. Sanchez.

uitatem, tum etiam ob vilitatem cum fontibus, vltrò & liberaliter scaturientibus, fluuiisque profluentibus, sine vllo impendio paretur, nulla difficultate, aut molestia ebibatur, quod sanè in aliis liquoribus non contingit, qui, vel quia acres, ac acerbi, vel quia pretiosi sunt, non omnimoda facilitate aut parantur, aut perpotantur, vt facile videre est. At enim verò, vt optimè hæc dicantur, eamdem ego sententiam ex vulgari potius bonæ aquæ descriptione, à qua & colorem, & saporem, & odorem abesse volumus, his verbis appingere malim, vt dum peccatum quasi aqua ebibi dicitur, nullo iam pudore, aut rubore, nullo animi remorsu, aut timore perpetrari significetur; ad eum modum, quo de insanabili animo Seneca lib. 1. de ira cap. 16. cùm dixisset: *Tibi insanabilis animus est scelera sceleribus contexens, & iam non causis, quæ malo nunquam defuturæ sunt, impelleris, sed satis tibi est magna ad peccandum causa, peccare*: hoc est, vt bene exponit Iustus Lipsius, *Quos non voluptas tantum, aut illecebræ peccati, seu ipsum, & infamia eius, delectant.* subiicit: *perbibisti nequitia, & ita visceribus immiscuisti, vt nisi cum ipsis exire non possit.* Scitè adstruens, ab eo qui tam procliuis ad peccandum esset, nequitiam perbibitam nulla videlicet difficultate, aut cunctatione susceptam. Sed singulas aquæ proprietates huic peccatorum indolentiæ, siue impudentiæ accommodatas videre, lectori, opinor, non erit iniucundum. Seneca.

Et vt à calore, qui ab aqua abesse debet, inci- 4.

piam, pulchrè cum ipsa peccatorum inuerecundia componitur. Habet quippe pudor colorem, quem suæ imagini vt pulchram vndequaque redderet, summus Artifex indidit, nempe ruborem. Sic dixit Nazianz. carmine 63. *Aduersus mulieres ambitiosius sese adornantes & excolentes.*

Nazian. *Vnus amabilis in mulieribus est color, & flos*
E quæ pudore rubor, pinxit eum ipse Deus.

Ita de Sponsæ suæ pulchritudine diuinus dicebat Spiritus: *Sicut fragmen mali punici, ita & gena tua,* Cant. 4. 3. Ex purpurei coloris mali punici imagine internam, externámque animæ pulchritudinem à rubore genis suffuso, vt Theodoretus, & apud eum Psellus interpretatur, maximè commendans. *Geminam hic* (inquit Psellus) *protulit laudem pulchritudinis, genis enim vultus eius à purpureo modestiæ decore collaudatis, animæ quoque commendat pulchritudinem*; subsistit verò egregiè ex purpureo colore pudoris, & verecundiæ imago, quòd verecundiam ab effectu describens Aristoteles dixerit, *esse sanguinis ascensionem in faciem, & genas.* Vnde rursus Gregorius Nazianzenus oratione 11. de sanctissima Gorgonia dicebat: *Vnus illi rubor placebat, quem pudor affert, vnus candor, quem parit abstinentia.* & rursus in carmine *aduersus mulieres ambitiosius sese adornantes*: venustam de ruboris ingenui origine fabellam referens, ait indistinctum quondam hominum genus extitisse, quin vlla esset exterior virtutis, aut vitij nota, qua probi ab improbis discriminari possent. Inde, sic omnia confusa, & præpostera esse, vt sortibus immeritis, prauos decus, probos dedecus afficeret; pergit.

Rex orbis vitium vidit latè dominari,
Cum gemitúque graui talia verba tulit.
Haud fas est eadem statuatur gloria rectis
Et prauis, vitium cresceret vsque nimis.
Iccirco his ego præbebo signum manifestum,
Hinc bene quis malus, vt noueris, atque bonus.
Sic fatus: fuso sub pelle cruore, proborum
Móxque pudore orto, tincta rubore gena est.
Fæminea in facie præsertim, sub cute rara,
Et corde in molli, sic rubor exoritur.
Frigidus at prauis circum præcordia sanguis
Hæsit, & ascendit nullus ad ora rubor.

Pulchrè ergo de sponsæ pulchritudine, egregiáque indole, præclaróque & generoso sanguine ait sponsus, purpureas à rubore genas habere, siue quia quoties aliqua peccati turpitudo animum adoritur, aut quoduis displicendi Deo, hoc est, placendi hominibus discrimen interuenit, suffuso vultui sanguine genæ rubore tingantur, vt de S. Agnete dicebat S. Maximus homil. in eius Natali: *Pulchritudinem excolebat animæ, & quantum satagebat, vt animam suam pulchram faceret, tantum in corpore erubescebat se esse formosam, tanto studens displicere carnalibus in carnis aspectu, quanto instituit Christo, & eius Angelis complacere.* Nec dissimiliter de Marciæ filio optimæ spei adolescente, in consolatione ad ipsam Seneca his verbis: *Adolescens rarissima forma in tam magna mulierum turba viros corrumpentium nullius spei se præbuit, & cùm quarumdam vsque ad tentandum peruenisset improbitas, erubuit quasi peccasset, quod placuerat.* O rarissimum iuuenem! Siue etiam, vt ad ea verba inquit Richard. de S. Victore, si malo fato (vt labitur humana mortalitas) peccatum aliquod suscipit viuaciorem, ac magis purpureum colorem à pudore faciem suffundente, quàm is, quem externus fucus ori conciliat; contrahens, totis statim genis erubescit, vt de Romanis aiebat Paulus, *quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Et de se ipso Ephraim cùm sanæ mentis factus anteactæ vitæ meminit, & puduit, apud Ieremiam 31. 19. *Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Et de puella sceleris conuicta nescio quis,

Quale coloratum Tithoni coniuge cœlum
Subrubet, aut sponso visa puella nouo:
Quale rosæ fulgent inter sua lilia mixtæ,
Aut vbi cantatis Luna laborat equis.
Aut quod ne longiùs flauescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium fœmina tingit ebur.

Vnde quidem Gregorius Magnus in Psalm. 1. pœnitent. cùm dixisset: *Vtinam meo exemplo erubescat quicumque, qui quo ad imaginem, & similitudinem Dei sit factus, intelligit, & qualiter illam peccando fœdauit, nescit, si se circumspiciens consideret, & decorem, quem perdit, & obscænitatem, qua se velut quodam teterrimo colore perfudit, de operum suorum qualitate nisi sit lapis, erubescit*; subiicit. *Nobilis anima, si quas aliquando peccati notas admiserit, verecundiam tamen a se penitus non repellit.* Vbi iure ambigas, cur animam ex peccati turpitudine erubescentem, nobilem appellauerit Gregorius: & non potiùs sapientem, aut iustam? quid enim nobilitati, & pœnitentiæ? siue iustitiæ? aut cur anima à nobilitate commendetur? Sanè quòd facies rubore perfusa generosum, ac præclarum sanguinem, non circum præcordia frigidè hærentem, (vt dicebat Nazianz.) sed ad ora statim feruidè ascendentem, ac proinde animam nobilem sese à rustica & ignobili turba discriminantem velut indice demonstret. Nec à Gregorio multum dissidet Procopius in cap. 21. Leuit. dum ea verba, quibus is qui habet scabiem, pro quibus ipse reponit, *qui habuerit pustulam in fronte*, de eo accipit, qui ex infirmitate peccat; qui sua non potest occultare dedecora, quin ex ipsorum pudore & rubore deprehendatur; subditque, *Minus autem peccant hi, quam illi, qui pennus fronte carent, & effrenes in omne sceleris genus ruunt.*

5. Fuerit verò nostro instituto peroppotunum id etiam hîc obseruare, adeò homini naturalem, ac innatum hunc pudorem, & ruborem esse, vt iniussus veniat, iniussus discedat, nec prohiberi, arcerive possit, quo minus eo suffundatur, qui vel in peccatum, vel in aliam rem cui pudor, & verecundia connexus est, inciderit. Sic dixit Pacatus in Panegyrico ad Theodosium. *Ita intimos mentis affectus proditor vultus enunciat, vt in speculo frontiū imago exstet animorum.* pulchrè *proditor vultus*: quod non capio, quasi ille velut index denudet, sed vt tanquam desertor amicitiæ, proditor animi sit, qui videlicet eum sese abscondentem, & latere cupientem perfidè tradat, & patentem faciat. Vnde Seneca Epistola 11. cùm de Pompeio Magno, & de Philosopho Fabiano, quàm facile, ac leuibus de causis rubore perfunderentur, multa dixisset, subiicit. *Nihil horum vitari potest, non magis, quam accersi, artifices Scenici, qui imitantur affectus, qui metum, & trepidationem exprimunt, qui tristitiam repræsentant: hoc indicio imitantur verecundiam deiiciunt vultum, verba submittunt: figunt in terram oculos, & deprimunt; ruborem sibi exprimere non possunt; nec prohibetur hic, nec adducitur. Nihil aduersus hæc sapientia promittit, nihil proficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt: iniussa discedunt.* A quo non it, quod de pallore, & tremore fortissimo cuique vel inuito aduenientibus, alibi idem dixit hunc in modum: *Fortissimus plerumque vir, dum armatur, expalluit, & signo pugnæ dato ferocissimo militi paulu*

Marginalia: Nazian. — Cant. 4. 3. — Theodor. — Psellus. — Aristot. — Nazianz. — S. Maxim. — Seneca. — Richard. — ad Rom. 6. 21. — Ierem. 31. 19. — Ouidius. — Greg. Magn. — Nazianz. — Procopius. Leuit. 21. 20. — Pacatus. — Seneca. — Idem.

pauinũ genua tremuerunt, & magno imperatori antequam inter se acies arietarent, cor exsiluit. Sic ille lib. 2. de ira cap. 3. Hinc immodesto, & præferoci Imperatore Domitiano, cui flauus & rubei oris color erat, scitè dixit Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ ad finem, Tacit. *cum de notandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus rubor a quo se contra pudorem muniebat*, ac si dicat, natiuum oris ruborem pro scuto illi fuisse contra ruborem verecundiæ. nam hic illo obtegebatur, nec videbatur erubescere, sed ruber esse. Cui quidem rationi subnixus Tertullianus in Apologetico cap. primo, dum Christiani ab infidelibus fidei causa criminis arguebantur, & vltimo afficiebantur supplicio, eorum innocentiam inde optimo iure commonstrabat, quòd ab illis siue accusatis, siue sub gladij ictu positis omnis pudor, & rubor, nec non tergiuersatio, & timor abessent; Tertul. ita enim ille: *Omne malum aut timore, aut rubore natura perfundit, denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati, nec torti quidem facile, aut semper confitentur. Certè damnati mœrent, deonerant semetipsos, mentis malæ impetus vel fato, vel astris imputant. Nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt. Christianus verò quid simile? Neminem pudet, neminem pœnitet, nisi plane retro non fuisse: si denotatur gloriatur: si accusatur, non defenditur, interrogatus vel vltrò confitetur, damnatus gratias agit. Quid hoc mali est? quòd naturalia mali non habet, timorem, pudorem, tergiuersationem, pœnitentiam, deplorationem. Quid hoc mali est? cuius reus gaudet; cuius accusatio, votum est, & pœna felicitas.* Hæc Tertullianus, quàm inseparabilis peccati comes, rubor sit, manifestè ostendens.

6. Contractam pudoris, siue ruboris frontem tam latè explicui, atque diffudi, vt meretriciam impudentiæ frontem meliùs proponam, & suis coloribus depingam: quippe vt hæc ruboris natura, atque conditio sit, vt prohiberi non possit; iniussúsque veniat, ac proditor vultus intimos mentis affectus, atque recessus patefaciat, vt in speculo frontium imago exstet animorum: at enim ij qui bibunt sicut aquam iniquitatem, & gloriantur in confusione ipsorum, hunc virtutis colorem, abiiciunt, prohibéntque ruborem, ne in faciem erumpat; Ierem. 3. 3. dicente Domino Ierem. 3. vers. 3. *Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere.* ac si dicat, frontem perfricuisti, & tamquam vilis, ac turpissima meretrix, quæ omnem pudorem extinguit, oris ruborem compressisti; immò, ne in faciem ascenderet, iussisti. Sed obserua accuratum dicendi modum: Noluisti erubescere: cui plus epitasis, atque acuminis inest, quàm si diceretur: non erubuisti, nimirum hac locutione innuitur; potentiorem, atque valentiorem omni natura esse prauam consuetudinem, animúmque ad peccandum profectum, cùm eummet ruborem, qui peccato naturalis est, quique iniussus venit, in manu sic habeat, vt ipsum pro libito arceat, atque prohibeat. *Noluisti* (inquit) *erubescere*: hoc est, ad nutum tuum rubor stetit; quippe corruptis iam naturæ legibus sceleribus gaudes.

Et plus spectator, quàm te delectat adulter.

7. Prou. 7. 13. Accinit Salomon Prouerb. 7. 13. de impudica muliere simplicem iuuenem ad malum pelliciente, inquiens, *procaci vultu blanditur*; siue, vt LXX. Chald. lect. LXX. & Chald. legunt *impudenti facie*. Sed obserua, ibi lectionem Hebræorum habere, *Roborauit vultum suum*. Sed quid robori & blanditiis? nónne ad pelliciendum, risu opportunius vultum deliniret; & amœnũ faceret, quàm robore communiret, & armaret, illius venustatem & elegantiam corrumpens. Dixeris primum, fœminam ad peccandum proiectam non frustrà roborato vultu, faciéque armata induci; nam de illis bene Iuuenalis Satyra 6.

—— *Iusta pericli* Iuuenal.
Si ratio est, & honesta, timent, pauidóque gelantur
Pectore, nec tremulis possunt insistere plantis.
Fortem animũ præstant rebus, quas turpiter audẽt.
Si iubeat coniux, durum est, conscendere nauim.
Tunc sentina grauis, tunc summus vertitur aer
Quæ mœchum sequitur stomacho valet, illa maritũ
Conuomit, hæc inter nautas, & prandet, & errat
Per puppim, & duros gaudet tractáne rudentes.

Sed magis ad rem, ideò procacem impudentémq; vultum, robustum ab impudica redditum consideres, quia illi *frons meretricis facta* est; nempe ipsa aduersus ruborem iuxta naturæ leges iniussum aduenientem, vultum suum impudentia roborauit, & quod *noluit erubescere*, ruborem compressit, atque prohibuit. Idem ergo omnino fuerit, impudens, ac roboratus vultus, qui & contra pudorem se armat, & ad malum procaciter blanditur.

Hinc Dominus peccantem hominem emendare, & ad pœnitentiam volens adducere, dicebat: 8.
Confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potiùs confusione non sunt confusi. & erubescere nescierunt, Ierem. 6. 15. Ierem. 6. 15. Ad quem locum optimè monet Hieronymus; priora verba cum interrogatione efferenda esse, vt illis quæ sequuntur, omnino cohæreant, quemadmodum legit Pagninus ad hunc modum: *Num pudore affecti sunt, quòd abominationem fecerunt*; Pagnin. hoc est. Num saltem eos peccasse pudet? num vultum rubore ad minus suffusum ostendunt? Minimè quidem; omnem enim à se pudorem & ruborem abiecerunt: ignota illis, & exoleta verecundia est. Similis apud Sophoniam querimonia illis verbis cap. 3. 5. *Nesciuit iniquus confusionem*, Sophon. 3. 5. siue, vt habet lectio Tigurina, *erubescere non nouit.* Sed quid immediatè dixerit Vates, obserua: *Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem. Manè, manè iudicium suum dabit in lucem.* quibus is commodior sensus esse videtur. Non citò & clanculum iuris ordine non seruato sententiam aduersùs improbos proferet Deus; sed illos potiùs in meridiana primùm luce arguet. Sed quam ad rem? Sanè vt qui peccatorum tenebris occæcati pudorem abiecerant, radiis Solis exponerentur; vt vel modicum quid ruboris ex perfrictis eorum frontibus excuteretur; cùm nihil fit, quod delinquenti ruborem æquè incutiat, ac media in luce omnibus spectandum proponi. Id autem ea ratione bonus Dominus moliri videtur, vt ex rubore & verecundia peccatoris, & resipiscentiæ illius spem (nam si erubuit salua res est) & veniæ illi dandæ ausam sumeret. At (malũ) subdit Vates: *Nesciuit iniquus confusionem.* Quod sic inibi expendit Rupertus: *Et hoc admiratiuè dictum est, & re vera miranda est impudentia, non erubescere, vel confundi in tam manifesto iudicio Dei.* Et hæc sint satis de colore, qui aquæ deest.

Iam de odore. Equidem fœtidum os habere 9.
peccatum, nihilque ipso tetrius, & magis putridum esse satis liquet. Nam & peccator, vt in expositione literæ vidimus, viuens mortuus est, & corruptionem à Paulo ad peccata ob fœtorem, & corruptionem à Paulo ad Hebr. 9. 14. ad Heb. 9. 14. opera mortua appellantur, id est, malè olentia, vt Chrysost. & Theodor. explicant. Chrysost. Theodor. *Mortua quippe* (ait Chrysost.) omnia opera sunt, quæ *vitam non habent: quæ putorem spirant, quæ contristant appropinquantes.* Nec alio sensu dixisse videtur

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Psalm. 5. 11. Psalm. 13. 3. detur Dauid Psalm. 5. 11. & Psalm. 13. 3. *Sepulchrum patens est guttur eorum*; perinde enim est, ac si dixerit; vt sepulchrum inopertum, fœtorem, & putredinem efflat, ita eorum guttur peccatorum sordes, & spurcitias spirat. Sic Tertullian. cùm Martyres squalore carceris afflictos alloqueretur, Tertul. aiebat: *Peiores immunditias spirat mundus, libidines hominum.* Et quidem verissimè: quid enim tam putidum? quid tam mali odoris, quàm luxuria, ebrietas, fraus, tyrannis, & alia quæ turpe est dicere? Sanè de sanctissima Catharina Senensi fertur, solitam nares præcludere, cùm manifestus aliquis peccator, is præsertim qui sub Veneris castris militasset, ipsi occurrisset; fuerit verò minus mirandum, turpitudinum sordes, purissimæ Virgini molestas fuisse, cùm ipsimet porci, spurcissima animantia cæno, & sordibus delectari solita, dæmonum fœtorem ferre non potuerint, sed præ molestia, & rabie sese præcipites in mare dederint. Marc. 5. 12. Sic id referente Marco cap. 5. 12. *Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari*; & expendente Chrysologo Chrysol. serm. 17. *Sic est odor eius* (diaboli) *tartareus, & crudelis, vt eum nec porcorum natura potuerit sustinere, denique demergi in mare, & fluctibus maluit deperire, quam eius immunditiam pati, & putredinem tolerare?* Sed vnde dæmoni tam malus odor, tantúsque fœtor, qui cœli quondam municeps fuit? Certè à peccato insixo; siue à peccato hominis, quem paulo antè possederat, & ab eo Christi iussu fuerat expulsus. nam de ipso apud miserum peccatorem habitante pulchrè inibi dixerat Chrysolog. *Prædæ miserijs prædo saginatur inclusus, nec facientem, sed patientem miserabilius exponit inuidia.* Preme illud, *sed sapientem*; quod perinde fuerit, ac si dicatur: dæmoni ex impuri peccatoris consortio, & habitaculo, non leuem molestiam, atque tormentum aduenire; fœtoris nimirum, putredinis & veluti turpissimæ sentinæ sordium.

10. Et verò dum is fœtor interiorem animi sensum peruadit, & à peccatore persentitur, dum illum offendit, & cruciat, non est cur de ipsius salute desperes. Sic Dauid de se ipso ad meliorem frugem sese recipiente dicebat. Psalm. 37. 6. *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*, Psalm. 37. 6. id est; animæ vulnera, fætida atque corrupta, quæ antea induratus non sentiebam, iam interiorem sensum peruaserunt, eorúmque fœtorem, corruptionem, & saniem iam horreo: ita hæc inibi pensitante Ambrosio. *Est ergo sancto Dauid spes, & remedium sanitatis, quia (iniquitates) non vnguentum redolent, sed fœtorem.* At enim qui bibunt quasi aquam iniquitatem, nullum in ea odorem, siue fœtorem sentiunt. Audi Chrysost. sub hoc sensu capientem Chrysost. Prou. 18. 3. præfata Prouerbiorum verba, *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*; ad hunc modum: *Graue enim, graue est, dilecti, capi laqueis diabolicis: anima enim postea, quasi in retibus comprehensa trahitur, & sicut sus in luti volutabro immergitur, sic & ista à mala consuetudine obruta, ne sensu quidem peccatorum suorum fœtorem.* Et quidem non modò cœno obrutus hanc graueolentiam non sentit, sed odoris sensu corrupto, in iis sordibus atque immunditiis, tanquam in balsamo, ac succino suauissimum odorem spirantibus maximè delectatur, atque reficitur, ita sanè de se ipso, cùm à se ipso migrauerat, dicebat August. lib. 1. confess. c. 3. August. *Et volutabar in cæno Babylonis tanquam in cinnamomis, & vnguentis pretiosis.* Sic etiam Dominus de primoribus plebis suæ grauiter conquerebatur Ezech. 8. 17. *Repleuerunt terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me, & ecce applicant ramum ad nares suas*: vbi dilucidè Pagninus vertit, *Et ecce mittunt fœtorem ad nares suas*; hoc est, malefactorum memoria, & gustu delectantur, ac velut immundi sues stercore, & cæno gaudent; ita hi turpitudines suas ad nares pertrahunt, & in illarum recordatione gestiunt. atque tripudiant, de iis secum libenter cogitantes, & cum aliis iactanter loquentes, & sese gloriantes: vt in illis insanis qui dicebant, *Coronemus nos rosis*, Sapient. 2. 6. adnot. præced. in vltimo iam vidimus, is enim peccata sua, quæ pro corona gestabant (quasi palmam iniquitatis adepti) rosas, & flores suauissimum odorem efflantes esse ducebant: de quibus sic scribit Ambros. cit. loc. in Psal. 37. *Specta nunc ephæborum aliquem lasciuum, & egregiè libidinosum, qui in stupris vitam suam exigat, more illius diuitis in bysso, & ostro iacentem, atque epulantem quotidie splendidè, cui nitent pauimenta vino, tegatur humus floribus, & spinis cooperta piscium, incensis diuersorum thymiamatum odoribus triclinia compleantur: quemadmodum se beatum putet, & bene se olere iudicet: cúmque grauia, atque diuturna animæ suæ vulnera gerat, & corruptum sanguinem fluat, nullum tamen fœtorem suæ cicatricis accipiat? Obstructas enim cæno nares habet, nec potest dicere*, spiritus diuinus, qui est in naribus meis, Iob. 27. 3. *Ideo diues ille remedium salutis inuenire non potuit, pauper inuenit.* Hæc ille & alia. Quò etiam ire dixeris illud Ieremiæ. 2. 24. *In desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui*: ac si dicat; corruptum pestilentémque cupiditatum, ac turpitudinum quibus inseruit, aërem ad se attrahit, vt eo tanquam re suauissima perfruatur.

[Margin: Ezech. 8. 17. — Sap. 2. 6. — Ambros. — Iob 27. 3. — Ierem. 2. 24.]

Sunt verò his multum affinia, quæ de sapore dici possunt. Est enim amarissimus, atque summè acerbus peccati sapor, & gustus, non secus ac absynthium: monente Salomone Prouer. 5. 4. *Fauus distillans labia meretricis: nouissima amara quasi absynthium*: quæ in literali & germano sensu de noxia cupiditate, siue de peccati dulcedine, & voluptate capienda esse, mihi non dubium, vt sæpiùs in hac epistola, & inibi copiosiùs tracto: vt dixerit Sapiens, peccatum non secus hominibus, ac pueris medicos illudere. Nam vt hi cum illis absynthium medicinæ caussæ propinant, vasis labia melle circumquaque liniunt, vt prima illa dulcedine, quam libant, capti, totum absynthij laticem perpotent: sic pulchrè describente Lucretio, 11.

Lucret.

Ac veluti pueris absynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauóque liquore;
Vt puerorum ætas improuida ludificetur.
Labiorum tenus, interea perpotet amarum
Absynthij laticem, &c.

Ita peccati voluptas prima dumtaxat labia melle circumlinita habens, amarissimum remorsus animi saporem relinquit. *Minimum ex nequitia, leuissimúmque ad alios redundat* (inquit sapienter Seneca Epist. 81.) Seneca. *Quod pessimum ex illa est, &, vt ita dicam, spississimum domi remanet, & premit habentem: quemadmodum Attalus noster dicere solebat. Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit: illud venenum, quod serpentes in alienam perniciem proferunt, sine sua continent, non est huic simile: hoc habentibus pessimum est.* A quo non eunt Principis Apostolorũ, & Pauli locutiones: sic enim ille ad Simonem Magum nefario crimine irretitum, *In felle amaritudinis, & obligatione impietatis video te esse*, Actuum 8. 23.

quasi

quaſi dicat: O te miſerum, qui acerbiſſimæ peccati amaritudini obnoxius es. Similiter Paulus
ad Hebr. 12. 15. ad Hebr. 12. 15. *Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat.* In quem locum Chryſoſtom. *Amarum dixit eſſe peccatum. Enim vero peccato nihil amarius, & hoc norunt, qui poſt admiſſum peccatum conſcientiæ mœrore macerantur. Et dira ſatis amaritudine conſumuntur.* Nimirum, vt ſuo loco dico, *Habet oculos conſcientia carnifices* (inquit Pacatus in Panegyrico ad Theodoſ.) *qui magis torquent, & lancinant vitalia, quam cruces, quam vulnera, quam tormenta.*

12. At enim verò, vt omnis ab aqua ſapor; ita & hæc dira peccati amaritudo perditis, & impudentibus abeſt: nam illi aſſuefacti *amarum* ponunt in
Iſaiæ 5. 20. Bernard. dulce, *& dulce in amarum,* Iſaiæ 5. 20. *quippe dolor continuus, & acerbus* (verba ſunt Bernadi lib. 1. de conſiderat. ad Eugenium Pontif. in initio) *diuturnus eſſe non patitur: nam ſi aliunde non extunditur, neceſſe eſt, cedat vel ſibi. Enim vero citò, aut de remedio conſolationem recipiet, aut de aſſiduitate ſtuporem.* Scitè illud, *aut de remedio conſolationem recipiet:* nam hæc conſcientiæ amaritudo, alia amaritudine ſoluitur; immò in bonum ſaporem deducitur, quippe vt abſynthium aceto mixtum acrem
Salazar. ſaporem abiicit, vt ex Medicis obſeruat P. Salazar ad præfatum Prouerbiorum locum; ita animi amaritudo, quæ à peccato eſt, aceto pænitentiæ mitigatur, atque corripitur, ſic id monente
Beda. Beda in Lucam. *Cum expertus eſt abſynthij amaritudinem, adhibeat pænitentiæ dolorem. Nam dolor ille hoc dolore corrigitur, ac ſoluitur.* Nec minus opportunè quod additur à Bernardo, *aut de aſſiduitate ſtuporem.* Nam, vt dicebat Seneca adductus in
Seneca. expoſitione litteræ num. 37. *In ijs morbis, quibus afficiuntur animi, quò quis peius ſe habet, minus ſentit.* Vide ibi dicta. Ita quidem Antonium alicubi ar-
M. Tull. guebat, & traducebat M. Tullius, inquiens: *Miſerum te, ſi hæc intelligis, miſeriorem ſi non intelligis,*
Ambroſ. Et eodem ſenſu Ambroſ. in Pſalm. 37. *Melior eſt inſipientia, quæ oculos habet, vt videat vlcera ſua, quam ſapientia, quæ non habet.*

13. Sic videtis Iſraëliticam plebem, & in immaniſſimum idololatriæ flagitium delapſam; & tanti mali amaritudinem minimè perſentientem, immò verò læto animo, feſtiuo vultu choros ducen-
Exod 32. 20. tem, & tripudiantem, Exodi 32. 20. eáque de cauſa egregium animorum medicum Moyſem hoc excogitaſſe inuentum, quo ingentem hunc ſtuporem miſeris ęgris adimeret, vt ipſummet vitulum, in quem impegerant, in minutiſſimum puluerem contuſum aquæ infunderet, atque illis ebibendum daret; ſic enim ibi. *Arripiénſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël:* vt videlicet peccati amaritudinem perciperent, atque remanderent; quaſi rudes ac ſtupidos homines, quorum corda iniuſtitiæ acerbitas adhuc non peruaſerat, non ſecus hoc facto commoneret, ac eorum poſteros Ieremias cap. 2.
Ierem. 2. 19. 19. ita increpabat. *Scito, & vide, quia malum, & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te dicit Dominus exercituum;* ac ſi dicat: Miſerum te, qui Deum dereliquiſti: miſeriorem, qui adeò ſis ſtupidus, vt id neſcire videaris: ſic ſtolidum Principem Claudium ſub Auguſti perſona pupugit Seneca in ludo in morte Claudij quòd Meſſalinam coniugem tam ſine dolore & ſenſu interemerit, ſiue necis tam citò fuerit oblitus, vt illam ignoraſſe videre-
Seneca. tur. *Tu Meſſalinam (inquit) cuius æquè auunculus maior eram, quam tuus occidiſti. Neſcio inquis. Dy tibi malefaciant: adeo iſtud turpius eſt, quod neſcis, quam quòd occidiſti.* Sed iam ab horum cæno, qui bibunt qua ſi aquã iniquitatem ad cœleſtem Pauli conuerſationem, ſiue municipatum tranſeamus.

P. Anton. Velaſq. in epiſt. ad Philip. tom. 2.

VERSVS XX.

Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

SCITE' & opportunè Paulus dum longa oratione prolixam peccandi licentiam, & impuritatem Iudaïzantium recenſuerat, vnico verbo tam ſuam, quàm eorum, qui germani diſcipuli Chriſti ſunt, conuerſationem ab illorum turpitudine, & moribus ſic diſcriminat. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Vt dicere videatur, illi quæ terræ ſunt, curant, quærunt, ſapiunt; nos ea deſpicimus, calcamus, execramus, quæ cœleſtia ſunt ſolummodo curantes, & ſapientes: illi quanti quanti ſunt, terræ hærent, & agglutinantur; nos cœlo affixi ſumus: ibi manemus, agimus, & verſamur; quin alterius rei cura animum noſtrum diſtrahat, aut occupet. Hæc in ſumma Pauli mens. 1.

Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.

NOn leue nobis bellum de lectione Vulgati nonnulli mouent, quaſi Græcæ voci πολίτευμα, non bene hæreat. Enim vero Henricus Stephanus, vt damnatæ memoriæ auctor, ita Græci idiomatis ſatis peritus, ad vocem *conuerſatio,* quam noſter repoſuit, faſtidioſè nauſeat, contendens è re Pauli non eſſe, nec Græco vocabulo quadrare, quòd id propriè ſignificet. *Reipublicæ regimen ſiue gubernacula, vel Reipublicæ adminiſtrandæ genus, & id quod fit, ſeu geritur ab aliquo in Repub. adminiſtranda, & generalius ſumi ſoleat pro actione pertinente ad rei alicuius adminiſtrationem, vel ſolertia, ſeu prudentia conſilio, quo quis in re aliqua adminiſtranda vtitur.* Quare ſic cenſet omnino capiendam Pauli locutionem: *Actiones vitæ noſtræ, ſiue noſtra inſtituta tendunt ad cœlum, & eò diriguntur, ſiue eò aſpirant:* aut etiam, *Ita inſtituimus vitam noſtram, tamquam in cœlo verſantes, obliti terrenorum omnium. Opponit enim hæc ijs qui terrena ſapiunt.* Hæc primaria Henrici mens. Addit opportunè etiam hæc verba à doctiſſimo quodam interprete reddi. *Vt municipes cœlorum nos gerimus,* quod πολιτεύμαι ᾧ μὴ ἔχειν, ex Plutarcho itidem afferatur, pro *municipem eſſe, ciuitate donatum eſſe, ius ciuitatis habere.* quaſi is huic phraſi ſenſus ſit: *Cœlum habemus ciuitatem;* vt de Catone dixit Cicero. *Quum ortu Tuſculanus eſſet, ciuitatem Romam habuit:* ac ſi dixeris Paulus: Ita viuimus, ita nos gerimus, quaſi iam verſaremur in cœlis. Hæc omnia ex Henrico. 2. Henr. Steph. Plutarch. M. Tull.

Sed enim de hoc auctore, iam diu monuiſſe me memini, eam potiſſimum hæretici ingenij notam habere, vt non aliter ſibi ſapiat, niſi omnes deſipiant: ſic ipſum omnia vidiſſe, & perluſtraſſe, vt 3.

cæteri alto sopore dormierint; ita illum, scopum collimasse, vt ab illo omnes aberrauerint, vt Henrico omnino conueniat, quod de Hæretico Hermogene dixit Tertullianus in lib. aduersùs Hermogenem cap. 1. *Natura quoque hæreticus, etiam turbulentus, qui loquacitatem, facundiam existimet, & impudentiam, constantiam deputet: & maledicere singulis, officium bonæ conscientiæ iudicet*: vbi pendas, velim illud, *natura quoque hæreticus*, quòd hæc ipsissima hæretici hominis natura, atque character sit, loquacem, & impudentem esse, & arbitrari, obsequium sic præstare Deo, si singulis maledicat: nec aliud probet, nisi quod de sua pharetra depromitur. Nam in primis, vt alia pro Vulgati lectione non essent, quæ mox afferemus; cur quæso eamet, quæ ipse affert, huic locutioni: *Conuersatio nostra in cœlis est*, omnino non quadrét? Dixerim meritò: ex ore tuo te iudico, serue nequam: nam si Græca verba hunc sensum faciunt. *Vitam nostram instituimus tamquam in cœlo versantes*; quid minus hæc exprimunt? *Nostra autem conuersatio in cœlis est*. Nam si ad acuta veniamus, eadem vis inest vocibus *conuersatio*, & *conuersari*; ac iis, quas Henricus ex fonte Græco haurit, immò verò noster significantiùs posuit vocem *conuersatio*: qua, assidua consuetudine, siue familiariter versari significaretur: constat enim ex Latinis scriptoribus has voces, *conuersatio*, *familiaritas*, *consuetudo*, significationem communem habere, vt dixerit Paulus. Sic viuimus, agimus, loquimur, cogitamus, vt cœlestia tantummodo spectemus: huc ferimur, huc quidquid sumus, dirigimus: hoc munus est nostrũ, hæc nostra Reipub. administratio, hoc est, quidquid aliis de Reipub. honoribus, & gubernatione, siue de sæculi põpis curę est hoc totum nos ad cælestium rerum curam transferimus. Applaudit his Concilium Sardic. canone 14. vbi πολιτεύεσθαι est idem, ac *viuere*, *esse*: sub qua significatione Vulgatus, omnium plausu solet accipere vocem *conuersatio*.

Tertul. *Græc. Lect.* *Conc. Sard.*

4. Inde verò videris, Henrico loquacitatem, ac maledicentiam cum inscitia coniunctas subesse: quod, (vt ante me scripsit doctissimus Cerda in Tertullianum ad lib. de Idololatria cap. 20. & in lib. de veland. virgin. cap. 1.) egregiè obseruauerit Heraldus lib. 2. Digression. cap. 5. Veteres Ecclesiæ PP. appellasse πολιτείαν certum viuendi institutum, atque rationem, atque huic voci Græcorum respondere apud Latinos Doctores vocem *disciplina*, & *conuersatio*: ac proinde hoc in loco rectissimè à Vulgato pro πολίτευμα, reddi *conuersatio*. Addit Cerda, ad librum de velandis virginibus, num. 16. hanc vocem *conuersatio* apud PP. semper notare seueram disciplinam, vt apud Hieronym. lib. 1. aduersùs Iouinianum. *Armamur eadem conuersatione, qua Christus*. Et apud Auctorem vitæ S. Godehardi cap. 6. *Cœnobij fratres fortè aliquanto debita conuersatione fouit indulgentius*, id est, *indulgentius se gessit quàm petebat seuera, & monastica disciplina*. Quo etiam eunt loca, quæ ad librum de idololatriæ appingit; vt id Hieronymi de Hilarione: *Nec enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachos ante sanctum Hilarionem in Syria nouerat ille fundator, & eruditor huius conuersationis*. Et apud Gregorium Magnum lib. 2. Dialog. de S. Benedicto. *Relicta domo, rebúsque patris, soli Deo placere desiderans sanctæ conuersationis habitum quæsiuit*. Quod quidem huic loco tanto est opportunius, quanto certiùs est, Paulum se, suósque discipulos à latissima via, siue viuendi licentia Iudaizantium his verbis velle disiungere. Vnde ipsorum luxui, & impuris carnis voluptatibus seueram Christianæ conuersationis disciplinam, quæ cœlestia solùm cogitare, & sapere præscribit, appositè opponit. His non abs re duo quis adiciat, (vt nouerit Henricus Stephanus non fuisse omnia siue Græcè, siue Latinè lynceis ipsius oculis peruia) alterum: Græca sub hoc Vulgatæ sensu, quem damus commodè verti posse, *Nostra factio in cœlis est*: sic enim, qui contrariam factionem sequuntur, Synesio dicuntur, οἱ τὰ ἐναντία πολιτευόμενοι. Et verò, vt factio ad seditionem, & arma sæpiùs referatur, olim tamen, vt notat Festus, honestum vocabulum fuit, denotans *sectam, partes, rationem*. Hispanè *Bando*: vt cum allusione ad militiam dixerit Paulus, aliam viuendi rationem, se profiteri, & sub aliis signis, ac Iudaizantes militare: dum ipse non nisi in cruce Christi, siue in crucis vexillis gloriabatur; illi verò sub Bacchi, & Veneris signis faciebant stipendia. Alterum, Vulgatum interpretem, sæpiùs cùm Græca transfert, absque Græci sermonis præiudicio, Hebraismos exprimere, de quo alibi fusiùs agimus. Et verò Hebraicè *guber* est versari, & conuersari; & *halac* ambulare, conuersari; & *darac*, calcare, incedere, & inde nomen cum sex punctis, *Via, conuersatio*: vndę opportunè reposuit conuersationem pro via, siue incessu, vt innuat Paulus, alia ipsum via incedere ab illis, de quibus modò dixerat: *Multi enim ambulant*, ac si dicat, illi per terram ambulant, siue repunt, nos cœlesti passu incedimus, cœlúmque inambulamus: nam cœlestia nos rapiunt, delectant, nutriunt.

Herald. *Cerda.* *Hieron.* *Idem.* *Greg. Mag.* *Festus.*

Nec ab Henrici castigatione discedam, quin ipsum etiam peccasse ostendam, dum eam versionem probauit. *Vt municipes cœlorum nos gerimus*; nostram verò non probauit: cùm *conuersatio* apud auctores Latinos, præsertim apud Iure Consultos, sumi etiam soleat pro habitatione: sic enim Vlpianus in l. 12. §. 1. ff. *de Religiosis, & sumptibus funerum*, dixit: *Senatus Consulto cauetur, ne vsus sepulchrorum permutationibus polluatur: id est, ne sepulchrum alia conuersationis vsum accipiat*; quod Franciscus Hottomanus, & alij explanatores interpretantur, *ne quis aliam ob causam, quam sepulchri, & religionis ibi habitet, aut versetur*. Eodem ergo recidit versio Vulgati, & ea, quæ tantopere placet Henrico Stephano, doctissimi cuiusdam interpretis esse, affirmanti, quòd ipse Græcismis, & Latinismis hærens, nec Grammatices vnquam fines egressus, prorsus ignorauerit, veteres Ecclesiæ PP. ita legisse; Tertullianus enim lib. de corona militis cap. 13. & lib. de Resurrectione carnis cap. 47. & lib. 3. aduersùs Marcion. cap. 24. necnon Hieronym. multis etiam in locis, & Cassianus collat. 3. cap. 7. legunt, *Municipatus noster in cœlis est*. At enim inde hæ duæ lectiones omnino inter se coëunt, quòd Græca vox πολίτευμα propriè significet conuersationem ciuilem, siue ciuium inter se, vt dicat Apostolus. Noster municipatus, siue nostra ciuitas, in qua vt ciues conuersamur; hoc est, iuxta cuius leges & instituta viuimus, non in terra, sed in cœlis est. Quo sanè modo disertè hunc locum legit Athanasius homil. in illud: *Profecti in pagum, quod ex aduerso est*; his verbis, *In terra ambulantes iam, morésque ciuitatis in cœlis habemus; si quidem nostra ciuitas in cœlis est dilectissimi*. Vt hinc appareat à nostro vulgato scopum omnimodis fuisse collimatum. Henricum verò Stephanum corrigendi cacoëthe multa peccasse. 5.

Vlpian. *Hottom.* *Tertull.* *Hieron.* *Cassian.* *Athanas.*

Iam

Iam Pauli sensus ex dictis satis clarus, atque

6. præclarus est, quem Anselmus edoctus à Gregorio Magno lib.8.Moral.cap.31.sic expressit. [Anselm.] *Corpore ambulamus in terra, sed corde habitamus in cælo; sicut enim domus exterioris conuersationis est ædificium, quod inhabitat corpus, ita domus nostræ cogitationis est res quælibet, quam per dilectionem inhabitat animus. Omne enim quod diligimus quasi in hoc quiescentes habitamus. Vnde nunc Apostolus, quia in supernis cor fixerat, in terra quidem positus, sed tamen a terra extraneus de se suisque similibus dicit,* Nostra conuersatio in cœlis est. Sic Anselm. & ante eum S.Cyril.Alexand. lib.11. in Leuiticum ad hunc modum. [S.Cyr. Alex.] *Quicumque enim se consecrauerit Deo, merito extra terram esse, & extra mundum videbitur. Potest enim dicere & ipse super terram ambulans: Conuersationem in cœlis habemus.* Apto hîc Syriacam lectionem, [Lect. Syriac.] quæ habet, *Noster autem cultus in cœlis est.* Et quidem cùm vox *cultus*, & terræ culturam, & internum, siue externum ornatum, necnon venerationem Numini exhibitam significet, appositè dixeris, Paulum hac locutione tum cælestem colonum se profiteri, qui suas actiones, & operas omnésque spes tamquam semina cœlo mandet, egregiam inde messem collecturus; quare subdit, *vnde* (Græcè *ex quo*, id est, cœlo) *etiam saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Non secus ac colonus, qui ex agello, quem colit, suos expectat prouentus, tum etiam contra Iudaizantes, qui ventrem, & delitias pro Deo habebant, nec nisi de cute curanda agebant, affirmare se, vt omnem cultum & venerationem vni Deo, qui in cœlis est, deferre, ita omnem animi cultum, atque ornatum à cælesti conuersatione, & diuinis moribus petere, nihilque de ornamento externi huius tabernaculi curare. Ad quæ omnia videtur allusisse Gregor. Nyssenus oratione in laudem Basilij, cùm sic loquitur. [Nyssen.] *Quod item post hunc Paulus, eo quod tempore posterior esset, ad summum gradum diuini progressus, & incrementi euadere prohibitus est? An non protinus diuinæ pulchritudinis, quæ in oculis eius refulserat, amator extitit? nónne postquam sordes, quas ex ignorantia, atque errore contraxerat, in mystico lauacro deposuit, protinus ad augustiorem conditionem naturæ transformatus est; & velut exuto hoc crasso, atque carneo amictu in ipsis cælorum adytis versabatur? & nihil corporei impedimenti pondere tardatus etiam intra diuinam paradisi consitionem perueniebat.* Sic ille.

7. Æquè verò hæc referas, & ad mentis celsitudinem terrena despicientis, & ad tranquillitatem animi, qua Paulus in cœlis agebat ac conuersabatur, & quodammodo iam ibi consedebat, eo modo quo ad Ephes.2.6. dixit. [ad Ephes. 2. 6.] *Et conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus.* Habent verò vtraque verba peculiarem vim, ac venustatem, quòd ab eo dicantur, qui tunc temporis vinculis compeditus in carcere tenebatur: vnde Gregorius lib. 31. Moral. cap.34. cùm hæc Pauli verba inter se cōposuisset, subiicit. [Greg. Magn.] *Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cùm se consedere Christo in cælestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat; non illic, vbi illum necessariò pigra adhuc caro retinebat.* Quo quidem spiritu imbutus Tertullian. Martyres in carcere inclusos, & multo ferro compeditos sic demulcebat, lib. ad Martyres c.2. [Tertul.] *Auferamus carceris nomen, secessum vocemus; & si corpus includitur, & si caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritu, spatiare spiritu, & non stadia opaca, aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quotiens eam spiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris, nihil crus sentit in neruo, quum animus in cœlo est: totum hominem animus circumfert, & quo velit transfert.* Hæc ille. Quibus non importunè adnectas quæ de sapientis animo sese vinculis corporis dissoluente sic dixit Seneca Epist.65. [Seneca.] *Nam corpus hoc, animi pondus, ac pœna est; premente illo vrgetur, in vinculis est, nisi accessit Philosophia, & illum respirare rerum naturæ spectaculo iussit, & a terrenis dimisit ad diuina. Hæc libertas eius est, hæc euagatio, subducit interim se custodia, in qua tenetur, & cœlo reficitur.* Adiungit pulchram imaginem. *Quemadmodum artifices ex alicuius rei subtilioris intentione, quæ oculos defatigat, si malignum, & precarium lumen habent, in publicum prodeunt, & in aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce delectāt: sic animus in hoc tristi, & obscuro domicilio clusus quoties potest, apertum petit, & in rerum naturæ contemplatione requiescit. Sapientiæ adhæret quidem in corpore suo, sed optima sui parte abest, & cogitationes suas ad sublimia intendit.* Ita ibi. Nec minus ad rem Epist.102. vbi primùm inquit. [Idem.] *Magna, & generosa res est humanus animus, nullos sibi poni nisi communes, & cum Deo terminos patitur:* deinde ad finem Epistolæ hæc subiicit. *Iam hinc altius aliquid, sublimiúsque meditare. Aliquando tibi naturæ arcana retegentur, discutietur ista caligo, & lux vndique clara percutiet. Imaginare quantus ille sit fulgor tot syderibus inter se lumen miscentibus.* Hæc Seneca. Sunt verò huic excelsitati animi, qua Paulus in terris vinctus, cælestia perambulabat, multo opportuniora quæ his Apostoli verbis adductis scripsit Ambrosius lib. 1. de Iacob, & vita beata cap. vlt. ad finem, hunc in modum. [Ambros.] *Quando autem feriatur videri potest, cuius mens semper operatur?* Quando autem solus, qui cum illo semper bono est, de quo ait Propheta: *Replebimur in bonis domus tuæ. Quando abiectus, cuius* cōuersatio est in cœlo? *Quando non decorus, qui ad illius decori, & solius boni se conformat similitudinem, qui etiamsi membris solutus non sit, mente se erigat? Et tamquam ille qui cithara canere solitus, si eam dissipatam, resolutis neruis, & confractam viderit, & vsum eius interruptum, abijciat eam, atque eius numeros non requirat, sed voce ipse se mulceat, ita & iste citharam corporis vitiosam iacere patietur, corde se oblectauit, bona conscientiæ recordatione mulcebit, diuinis oraculis & scriptis propheticis alleuiabit, suaue illud, & iucundum animo tenens mente complectens, cui nihil triste possit accidere, cùm semper ei diuinæ præsentiæ aspiret gratia, & ipse sibi adsit summa animi tranquillitate perfusus.* Hactenus Ambros.

Sed Paulum Paulo opponas, atque his verbis 8.
non bene hærere dixeris quæ ipsemet 2. ad Corinth.cap.5.6. sic scripsit. [2. ad Cor. 5. 6.] *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* Nam quo pacto (inquis) anima eodem tempore, & municeps, & peregrina esse possit? Et Domino præsentem, & absentem esse? Mouet hoc dubium Bernardus, in lib. de præcepto & dispensatione, & tribus illud solutionibus sapienter opprimit. Primam quidem sumit ex ipsomet Apost. 1.Corinth.13. 9. dicente. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* [1. ad Cor. 13. 9.] Quæ ille sic explicat. *In quantum quidem cognoscimus tamquam præsentia contemplantes, iam cum Domino sumus: in quantum adhuc tamquam de futuris prophetamus credentes, quæ non intelligimus sperantes, quæ non videmus à Deo, peregrinamur & in corpore.* Hæc & alia in hanc rem Bernardus. Subiicit secundam. *Aut certè conuersatio nostra in cœlis est, quomodo*

quomodo idem dicit Apostolus Rom. 8. 24. Spe enim
ad Rom. 8, 24. salui facti sumus: *Spe itaque iam in cælestibus habitamus, cum adhuc re ipsa in terris peregrinamur, & in corpore.* Addit vltimam his verbis. *Vel aliter habemus: & vnde corpori, & vnde Domino inhæremus. Illud viuificando, illum celebrando, & sanctificando & diligendo. Neque enim præsentior noster spiritus est vbi animat, quam vbi amat: nisi fortè putetur esse magis vbi inuentus & necessitate fertur, quam quò sponte & alacri fertur voluntate.* Denique vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quæ latiùs ibi persequitur Bernardus. Vide in eam sententiam Origen. hom. 2. in Ieremiam.

9. Ambros. Illud minimè omittendum, quod ex hac Pauli in cœlis conuersatione elicit Ambrosius serm. 87. de sancto Helisæo, mutuam iustorum, & cælestium spirituum conuersationem, & cognationem esse, quod vt hominum in cœlis conuersatio est; ita & Angelorum possit esse conuersatio nobiscum. Sic enim ille occasione diuini auxilij, & cælestium equitum, qui Helisæo periclitanti adfuerunt. *Magna quidem res, sed in viro sancto miranda non est. Quid enim mirum si is auxilia meretur è cælo, cuius animus semper in cælo est: sicut ait Apostolus,* Nostra autē cōuersatio in cœlis est. *Ergo si nostra conuersatio in cælis est, & cælestium conuersatio potest esse nobiscum, hoc est, vt qui vita viuimus, Angelorum rectè consortium mereamur. Est ergo sanctè viuentibus quadam inter se cognatio, coniunctio, atque societas, nec interest, vtrùm in cælis maneant, an in terris: Angelici sint habitus, vel humani, dummodo in ijs sit eadem vita, vel sanctitas, conuersatio enim connectit, quos separat elementum.* Pergit multis, quæ vide.

Vnde etiam saluatorem spectamus.

10. Caiet. GRæcè pro *vnde, propriè legas ex quo:* vnde non omnino ineptè existimauit Caietanus, non tam referri ad immediatam vocem *cælis*, cùm numerus repugnet, quàm ad totam orationem, quà se in cælis versari, eorúmque municipem esse ait Paulus, vt sensus fuerit; Quia in cælis conuersamur, inde est, quòd optimo iure expectemus Saluatorem. Quod quidem priùs excogitauit Bruno
Bruno. hunc in modum. *Vnde, id est, quia conuersatio nostra est in cælis, hac fiducia securi expectamus ad iudicium Saluatorem, &c.* At enim, non Latini solùm, sed Græci etiam omnes, penes quos eius rei iudicium esse debet, ad cælos referunt, quin illos vel leuiter stringat numerus singularis. siue quia moris Pauli sit, Grammaticam constructionem negligere, siue quia Græcum vocabulum, vt obseruauit Estius, vtroque indifferenter numero in Scripturis vsurpari solet. Vnde ad maiestatem Christi ad iudicium venientis sic retulit Chrysostomus. *De cælo, inquit, Saluator noster, à loco, à*
Estius. Chrysost. *persona maiestatem demonstrans:* Anselmus verò eodem sensu pluralem numerum ita expressit.
Anselm. *Vnde, id est, ex quibus, præter commoda, quæ iam habemus, & Dominum nostrum Iesum Christum expectamus venturum ad iudicium.* Ad quem modum Remigius, & alij interpretantur. Quibus fauet
Lect. Syr. lectio Syriaca. *Noster cultus in cælis est, & inde expectamus nostrum seruatorem.*

11. Sed circa Saluatoris vocabulum, quo Græcum σωτῆρα transtulit Vulgatus: Grammatici nobis
Erasm. valde infensi sunt, præeunte illis Erasmo semper inutiliter, & improbè docto; contendunt enim Saluatorem Latinè non dici, quòd nec Tullius, nec veteres Latini ea voce vmquam vsi fuerint. Vnde malunt reddere *seruatorem:* quasi plus sit, Grammaticum, quàm Theologum esse, & sonos vocum quàm sensus rerum colere. Verùm enim verò hac in re ridiculi, & impudentes sunt; & in primis vt nos è Cicerone etiam aliquid dicamus, non minus ipsi peccant in exhaurienda Græca voce Σωτὴρ; dum pro ea seruatorem reponunt, quippe vt ipsemet Tullius, cui illi multo plus, quàm omnibus Ecclesiæ PP. credere malunt, disertè monuit eam habet vim, vt Latinè vno verbo exprimi nequeat: sic enim ille actione 4. in
Verrem: *Itaque illum non solum patronum istius* M. Tull.
insulæ, sed & Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? ita magnum, vt Latinè vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. Vides fides hos Latinatis cultores in reddenda voce σωτὴρ scopum non melius collimesse; cùm pro ea seruatoris nomen non sufficiat. Et verò nisi ineptum esset incipere modo *adolescenturire, & nescio quid nugarum agere* (vt dixit nescio quis) iam etiam demonstraremus vocabulum *seruator*, siue verbum *seruare*, minus significare, quàm verbum *saluo*, & vocem *saluator*. Est verò periniquum sic adamare Latinismos, & velle reddere Cæsari, quæ sunt Cæsaris, vt Deo neges, quæ Dei sunt, & voces cures, sententias negligas: maximè cùm non minus congruè à verbo *saluo saluator*, quam à *seruo, seruator*, deriuetur: vnde optimè dixit August. lib. 3. de Trinitate
cap. 10. *Hoc verbum linguam Latinam quidem antea* August.
non habuisse, sed habere potuisse, sicut habuit, quando voluit. Voluit verò modò optimo iure, non solùm quòd in omnibus disciplinis liceat iis, qui eas primùm tradunt, propria quædam vocabula arti accommodata sibi de nouo efficere, vbi consueta rei explicandæ non sufficiunt: sed etiam quod ipsomet artis magistro, Auctore,

——— Si fortè necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum, & Horat. de arte Poët.
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.
Continget, dabitúrque licentia sumpta pudenter
Et noua, fictáque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadent, parcè detorta. quid autem
Cæcilio, Plautóque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varióque? Ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor? cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, sempérque licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Hæc Horatius in arte: & peritis in arte credendum est. Iam si ad inania quæque facta, inutiléque sententias, exprimendas *licuit, sempérque licebit* noua rerum nomina proferre; quàm iniuriosus, & inuidus Christianæ religioni Erasmus est, dum ad angustissima, & penitissima ipsius mysteria declaranda; licentiam, quam *pudenter* sumimus ad pauca verba de nouo cudenda, nobis denegat; abeant ergo Grammatici, & in vno Tullio glorietur: dum nobis *saluator* noster gloria est.

Iam ad rem: dubitabis, cur hoc in loco Paulus 12.
Iesu Christi mentionem faciens, non contentus appellasse *Dominum nostrum*, ipsum *saluatorem* etiam memorauit? Sed facilis est ex sequentibus verbis responsio nimirum additurus erat. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ:* hoc est, pristinæ dignitati, & pulchritudini, in qua primùm formatus erat, diuinæ etiam claritatis splendore superaddito, restituet; quippe saluare, vt hîc adnotauit Corne- Cornel.
lius, propriè est rem amissam, aut perditam recuperare: additque Græcum σώζειν deduci ἀπὸ τοῦ

σὺ σοι, vt dicere σώζειν, idem sit, quod te tibi reddo, atque restituo. Quod quidem videtur attigisse Anselmus, inquiens: *Dominum nostrum Iesum Christum expectamus venturum ad iudicium saluatorem iam animarum nostrarum, & tunc etiam corporum. Nam ipse tunc* reformabit, &c. *Anselm.*

Dominum nostrum Iesum Christum.

13. CVr Christum signatè appellet Paulus Dominum nostrum, diximus ad cap. 1. vers. 2. in expositione litteræ num. 26. & ad c. 2. vers. 11. in expositione literæ à num. 52. Quàm aptè verò rationes inibi ex PP. adductæ huic loco conueniant, dum subiicit Apostolus Christum, pro ea vi atque energia, qua sibi omnia facili negotio subiicere potest, quàque rebus omnibus potentissima virtute pro imperio dominatur; humile & abiectum corpus nostrum, in aliam quamdam clarissimam formam reuocaturum fore, facile videre est: adi ibi dicta.

VERSVS XXI.

Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

IN expectationis Pauli, atque iustorum finem, & fructum, gloriosam scilicet corporum transmutationem, & *a remo ad tribunal*, vt aiunt, exsaltationem, vt quæ modò humilia, abiecta, & pænè infinitis miseriis obnoxia sunt, talia euadant, quale Christi corpus gloriosum est. Sed ad singula.

Reformabit.

1. *Græc. Lect. Syriac.* GRæca, & Syriaca habent *transfigurabit*: Cyprianus verò lib. 2. testimoniorum ad Quirinum num. 11. & lib. de mortalitate, legit, *transformabit*; Epistol. verò 77. ad Nemesianum, Martyres sic alloquitur. *Omnia ista deformitas detestabilis, & terra Gentilibus quali splendore pensabitur? Sæcularis hæc, & breuis pœna quàm clari, & æterni honoris mercede mutabitur, cùm secundùm beati Apostoli vocem transformauerit Dominus corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ.* Noster dum posuit *reformabit*, accurata, & quæsita locutione vsus, rem sapienter exposuit: quin ex transformationis & transfigurationis phrasibus, quæ aliam figuram, & formam indicant, essentialis aliqua mutatio, siue alia forma aut figura essentialis significari videretur: eò enim phrasis reformandi it, vt innuatur, corpus nostrum eadem essentiali forma, atque figura illi manente, accidentalem aliam formam, atque figuram (quod Græca & Syriaca, nec non Cypriani lectio exigunt) suscepturum, dum ex corruptibili in incorruptibile, ex passibili, in impassibile; ex terrestri in cæleste consurget, & commutabitur.

Ita Chrysostomus. *Multis modis* (inquit) *nunc male accipitur corpus nostrum, vincitur, vapulat, sexcentis malis afficitur. Verum & Christi corpus eadem passum est. Hoc ergo significauit, dicens*, vt conforme fiat corpori claritatis suæ: *ergo idem quidem corpus est, sed induitur immortalitate*. Benè id *induitur immortalitate*, vt ex vestis imagine, & essentialem formam inuariatam manere, & accidentalem tanquam vestem de nouo accedere significetur. Eodem loquendi modo vsus est Bernard. sermon. 2. de verb. Isaiæ, inquiens, *Replebitur ergo maiestate Domini terra nostra, quando prorsus de medio fiet, & peccati omnis sensus, & debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra nostra Domini maiestate, quando resurrectionis gloria restituetur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi.* Saluatorem *siquidem* expectamus qui reformabit corpus humilitatis nostræ. Ita Bernard. Similiter Anselmus. *Nam & ipse tunc* reformabit, *id est, in meliorem formam resuscitabit* corpus humilitatis; *id est, vilitatis, & deiectionis* nostræ: *id est, hoc corpus nostrum vile, & abiectum, quod nunc tot miseriis subiacet, ita* reformabit *illud, id est, pristinam ei formam ita gloriosam in resurrectione restituet, vt sit* configuratum corpori claritatis suæ. Ita Anselmus. Addit nonnihil Bruno. *Corpus, inquam, hoc* reformabit: *quando enim primum hominem creauit, in multa claritate formauit. In resurrectione autem maiori adhuc claritate* reformabit. Sic ille. Quasi reformatio hæc ad primam illam Adæ formationem alludat. Simpliciùs tamen capies de allusione ad corporis formam, quæ morte destruitur, & in resurrectione gloriosè renouata, ei restituitur. Ita Remigius. *Istud corpus prius formauit in vtero materno, sed iterum formauerit illum per gloriam resurrectionis.* Hæc ille.

Chrysost. Bernard. Anselm. Bruno. Remig.

Corpus humilitatis nostræ.

HEbraismus est, quem nemo ignorat, passim occurrentibus exemplis; vt idem sit ac corpus humile, & abiectum; quod vt Chrysostom. aiebat *sexcentis malis afficitur*: & vt Remigius addit: *post mortem in puluerem, & vermes humiliari potest.* Quare rursus Chrysost. *dixit autem* corpus humilitatis nostræ, *quoniam nunc iacet in humilitate, quoniam interitui, ac dolori obnoxium est, quoniam vile videtur esse, nihilque amplius cæteris habere.* Subdit Bruno hanc nos abiectionem per peccatum in corpora nostra induxisse. *Nos enim* (inquit) *per peccatum nos metipsos abiecimus a gloria, in qua constituti eramus.* Monet hîc sapienter, & vtiliter Bernardus, vt totum vitæ tempus animæ ornandæ, & reformandæ impendamus; corporis nostri curam in eum diem Deo relinquentes, quo illum gloriosè reformabit. Audi illum. *Animabus enim hoc tempus est, non corporibus assignatum: quod videlicet longè dignior anima corpore priorem sibi sollicitudinem naturali vendicet dignitate, sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorem. Anima siquidem corrupta in culpam, fecit, vt corpus quoque corrumperetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inueniri, sequendum est sine dubio caput nostrum, vt videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse iam venit, & quarum prius mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reseruemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratia est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens,* Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christũ, qui reformabit corpus humilitatis nostræ. Hæc Bern. 2.

Chrysost. Remig. Bruno. Bernard.

Sed

3. Sed & hinc idemmet Pater, quæ illius in humilitatem procliuitas est, ansam arripit, vt nos ad hanc virtutem vrgeat, quasi eos signatè sit Dominus cum pompa claritatis, & gloriæ reformaturus, qui in hac vita humiles, & dimissos se se exhibuerint; sic enim indidem ille. *Quid eis inuides, qui de operibus vermium, & murium pellibus in gloriam plane gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus semetipsos dehonestantes potius, quam ornantes? Reforment ipsi, aut magis certè deforment corpora sua; te (si fueris* corpus humilitatis) *reformabit idem artifex, qui formauit: Illum si non desipis, præstolabere manum, vt quod fecit ipsa reficiat.* Ita ibi, & sermone 47. in Cant. versans ea verba, ego flos campi, & lilium conuallium; sic floridè inquit: *Iustus ergo humilis, iustus conuallis est. Et si humiles inuenti fuerimus, germinabimus & nos sicut lilium, & florebimus in æternum ante Dominum. An non verè, vel tunc maximè se lilium conuallium comprobabit cum* reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ? *Non ait, corpus nostrum, sed* corpus humilitatis nostræ; *vt huius lilij miro, & sempiterno candore solos significet humiles illustrandos.* Sic Bernardus.

Bernard.

Cant. 2. 1. Bernard.

Configuratum.

4. Chrysost. Erasm.

CHrysostomus Græca sic expressit, *vt conforme fiat*, Erasm. *Vt conforme reddat.* Noster non minus significanter *configuratum* dixit: & fortasse eo dicendi modo vti voluit, vt identitatem corporis primum humilis, & abiecti, mox clari, & gloriosi meliùs adstrueret. Cui rei opportunè, & eleganter expendit Tertullian. verba Pauli 1. ad Corinth. 15. 36. *Insipiens, tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas.* Ad hunc modum. Hoc ergo iam de exemplo seminis constet, non *aliam viuificari carnem, quam ipsam, quæ erit mortua. Et ita sequentia relucebunt. Nihil enim aduersus exempli regulam licebit intelligi, ne, quia sequitur;* & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas; *idcirco aliud resurrecturum corpus, quam quod moriendo seminatur, existimes. Cæterum excidisti ab exemplo. Nunquam enim frumento seminato, & in terram dissoluto hordeum erumpit, & non id ipsum genus grani, eadémque natura, & qualitate, & forma;* & post pauca premens id, quod sequitur in Paulo. *Deus autem dat illi corpus sicut vult;* hæc subiicit: *Ad quid ergo dabit illi Deus prout vult corpus, habenti vtique proprium corpus illud nudum, nisi vt iam non nudum resurgat? ergo addititium erit corpus, quod corpori superstruitur, nec exterminatur illud, cui superstruitur, sed augetur. Saluum est autem, quod augetur. Seritur enim solummodo granum sine folliculi veste, sine fundamento spica, sine munimento aristæ, sine superbia culmi. Exsurgit autem copia feneratum, compagine ædificatum, ordine structum, cultu munitum, & vsquequaque vestitum. Hæc sunt ei corpus à Deo aliud, in quod non abolitione, sed ampliatione mutatur.* Quæ statim resurgenti corpori sic aptat. *Serui igitur exemplo, & conserua speculum eius carni, eandem credens fructificaturam, quæ sit seminata, ipsam, & pleniorem non aliam, & si aliter reuerentem. Accipiet enim, & ipsa suggestum, & ornatum, qualem illi Deus voluerit superducere secundùm merita.* Hæc & multo plura in hanc rem Tertullianus: sed illa opportuniora, & elegantiora, quæ in eo loco ad Corinthios num. 42. subdit Apostolus: *Sic & resurrectio mortuorum seminatur in corruptione; surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute.* 1. ad Cor. 15. 42.

1. ad Cor. 15. 36. Tertul.

5. Vnde quidem non obscurè innuit hoc loco Paulus, quod cum S. Thoma Theologi 3. part. quæst. 56. art. 1. tradunt, resurrectionem Christi esse causam exemplarem, & efficientem nostræ resurrectionis: nam, vt sequentia verba: *secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia;* potentissimam Christi energiam siue efficacitatem, quam omnia mortis iura destruere, & immortalem vitam suis elargiri, vt verus Deus, & omnipotens Dominus valet; ita hæc in quibus sumus, *clarificatum*, atque gloriosum exemplar, cui resurgentia nostra corpora configurabunt, omnino commonstrant: vtrique autem cogitationi apposita sunt, quæ de Christo verum corpus, nostrámque carnem assumente sic scripsit Athanasius lib. de incarnatione verbi Dei, eiúsque corporali ad nos aduentu, hunc in modum: *Quapropter non immeritò Saluator noster corpore amictus fuit, vt cum inserta corpori vita fuisset, id non vlteriùs mortale per mortem remaneret, sed indutum mortalitate, in posterum perseueraret immortale. Induta quippe semel corruptione nunquam resurrexisset, nisi vitam induisset, & quia mors per se non nisi in corpore apparere, aut exsistere poterat, ideo ipse corpus induit, vt mortem ibi inuentam aboleret. Quomodo enim Dominus ex toto vitam se esse demonstrasset, nisi id quod mortale erat viuificasset?* Adhibet elegantem similitudinem. *Et quemadmodum stipula, quæ naturaliter ab igne consumitur, si ab ea ignem depellas, non comburitur quidem, sed tamen vt stipula fuit, ita stipula permanet, obnoxia igni; ignique comburendi vim malè sibi metuit, ac suspectam habet: natura enim illam consumendi vim habet ignis. Hic, si quis stipulam copioso Amianto vestiat, cuius natura dicitur igni resistere, nihil iam deinde ignem metuet, vt pote munita re, quæ comburi nequeat; idem quoque de corpore nostro, & morte sentias: quòd si solo præcepto mors ab eo depulsa fuisset, nihilo tamen minus mortale, & corruptibile pro ratione naturæ corporeæ remansisset: sed ne hoc fieret, induit corpus incorporalem omnipotentis Dei. Rationem, neque iam inde corruptionem, aut mortem exhorrescit, quum habeat vitam pro indumento, & per id corruptionem amoliatur.* Hæc Athanasius, quibus nihil opportunius, nihil præclarius dici posuit.

Athanas.

Corpori claritatis suæ.

EOdem Hebraismi gustu, quo priùs dixit *corpus humilitatis*: id est, corpus humile, & abiectum: modò ponit *corpus claritatis*: pro corpore claro, splendido, & glorioso, vti legit Chrysostomus, quod sic illustrat Anselmus, *vt sit* configuratum corpori claritatis suæ; *Id est, assimilatum clarissimo corpori suo, quod sumpsit ex Virgine, vt eandem claritatis figuram habeat corpus nostrum, quam habet suum, quando* iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Ita ille: vbi obiter pende Anselmum in claritate corporis Christi describenda pænè insinuasse, non minorem ipsius carni splendorem ex purissimis Virginis visceribus, quàm ex tota diuinæ maiestatis suæ pompa quodammodo aduenisse, dum eam Christi gloriam, cui nos ipse conformes 6.

Chrysost. Anselm.

est

est redditurus, describens vim facit in eo, quòd corpus suum ex Virgine Christus sumpserit; sed ad rem sic hinc exclamat Chrysostomus. *Illi ne, quod sedet in dextera Patris? Hoc ipsum corpus conforme illi fit, quod adoratur ab Angelis, cui assistunt incorporeæ potestates? Illi quod est supra omnem principatum, & virtutem, & potestatem illi ipsi conforme fit. Ergo si vniuersus orbis sumptis lachrymis eos qui de hac spe deciderunt fleat, nónne merito flebit? quòd hoc promisso nobis proposito, fore vt corpus nostrum illi conforme fiat, cum dæmonibus tamen abeant? Iam mitto gehennam. Tantum mihi malum videtur, de tanta gloria decidisse, vt gehennam pro nihilo habeam præ hoc damno, ac ruina.* Sic etiam hinc sapienter, atque salubriter monet Bernard. sermon. 6. super *Missus est. Mira enim dicturus sum, sed tamen vera, & omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabbaoth, Dominus virtutum, & rex gloriæ: ipse descendet ad reformanda corpora nostra, & configuranda corpori claritati suæ. Quanta erit illa gloria quàm ineffabilis exsultatio: quando creator vniuersitatis, qui pro animabus iustificandis humilis ante venerat, & occultus, pro te glorificanda, ô misera caro, sublimis veniet, & manifestus, non iam in infirmitate, sed in gloria, & maiestate sua? Quis cogitabit diem aduentus illius, quando descendet cum plenitudine luminis: præcurrentibus Angelis, & tuba concentu excitantibus de puluere corpus inops, & rapientibus illud obuiam Christo in aëra? Quousque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens, & prorsus insana caro transitorias, & caducas quærit consolationes, immò desolationes, si fortè contingat repelli, & indignam indicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciari pœna?* Hæc Bernard.

Secundùm operationem, qua etiam possit subiicere sibi omnia.

7. GRæca si verbo ad verbum vertas: Hispanè melius, quàm Latinè expresseris; his enim illa respondent, *Segun la eficacia de poder el subiicere sibi omnia*: ac si dicat, quæ illius potentia est, qua ne dum reformare, sed omnia sibi subiicere possit: vnde Chrysost. *Ne diffidas: potentiam habet, vt omnia sibi subiiciat: itaque & corruptionem, & mortem; quanámque potentia maior est, dic quæso? An dæmones, & Angelos, & Archangelos, & Cherubim, & Seraphim sibi subiicere, an corpus facere incorruptum, & immortale. Multo sanè magis hoc quam illud.* Eadem habet Theophylactus. Benè etiam Remigius. *Et quia poterat aliquis dicere. Quomodo poterit corpora nostra reformare, quæ a vermibus erunt corrupta, & in puluerem redacta. Ad hæc Beatus Paulus.* Secundùm *illam* (inquit) *potestatem, qua semetipsum tertia die resuscitauit, & qua sibi potuit omnia subiicere, corpora nostra etiam in die iudicij reformabit ad claritatem suam.* Dilucidè etiam de more, S. Thomas. *Et hoc facit* secundùm operationem *diuinitas sua, id est, per virtutem in ipso, per quam* possit subiicere omnia. *Omnes enim Christo subiicientur: quidam quantum ad salutem, quidam quantum ad pœnam: in primis exercebit misericordiam, in secundis iustitiam. Psalm.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, & 1. *Corinth.* 15. Pater subiicit omnia filio, *Ioan.* 5. Quæcumque Pater facit, & Filius similiter facit. Sic PP. Quid hinc dici possit ad firmanda quæ sapientes Theologi de potentia obedientiali creaturarum respectu Dei docent, non est huius loci discutere. Hæc pro cap. 3.

EPISTO

EPISTOLÆ AD PHILIPPENSES

CAPVT QVARTVM.

Verſ. I. *Itaque fratres mei chariſsimi & deſideratiſsimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſsimi.*

Itaque.

1. Græc. Lect. GRÆCE ὥςε, id eſt, vt vertit Eraſmus *proinde*, quod manifeſtè indicat, hæc quę ſequuntur à ſuperioribus pendere; ſic verò ea connectit Anſelmus. Anſelm. *Qui Chriſtus* reformabit corpus humilitatis noſtræ, *& ad tantam perueniemus gloriam de tanta vilitate: itaque fratres mei ſtate in eo, quod cepiſtis, ne tantam gloriam amittatis.*

Fratres mei.

2. VSitatiſſima, & ſuauiſſima compellatio, qua paſſim Paulus vtitur ad fidelium animos Chriſtiano more demulcendos: vide dicta cap. 2. verſ. 26. in expoſitione litteræ à num. 4.

Chariſſimi, & deſideratiſſimi.

3. Græc. Lect. GRæca nomina ἀγαπητοὶ, & ἐπιπόθητοι, non ſunt ſuperlatiua, ſed poſitiua, ideo Eraſmus & Vatablus, vt ſeruantiſſimos æqui ſeſe exhiberent, ſuperlatiuorum vim detrahere maluerunt; Eraſm. & prior quidem vertit, *Amabiles, & deſiderabiles;* Vatabl. poſterior verò, *dilecti & deſiderati.* At enim verò non inurbanè ſolùm, ſed etiam iniquè, nimis iuſtos eſſe voluerunt; Græca enim vehementiorem ſignificationem habent, quàm quæ Latinis poſitiuis exhauriatur; ideo vulgatus ſapientiùs, & Pauli menti accomodatiùs ne amatoriis vocibus aliquid adimeret, pluſculum illas exprimere potiùs eſſe exiſtimauit; certus de Pauli charitate, & ſtudio in Philippenſes ratum id habiturum. Cur verò in hos potius, quàm alios diſcipulos beneuolentiam, & comitatem ſuam Apoſtolus oſtendat, ad maiorem ipſorum perfectionem ſic refert Primas. Primaſius, *Plus cæteris, quia perfectiores.*

Gaudium meum.

4. NOn habetur in fonte *meum*, ſed ſuppletur ex ſequentibus *corona mea.* Dixit verò ipſos gaudium ſuum, quòd inſigni profectu, quem in Chriſtiana religione fecerant magna ipſi occaſio gaudendi, eſſent. Eſt quidem Chriſtianæ charitatis proprium de proximi bonis, non ſecus, ac de noſtris gaudere: ſignatè verò parentes, & magiſtri de diſcipulorum profectu vehementer lætantur, & exultant, ſic dicebat Seneca epiſt. 34. *Creſco, & exſulto, & excuſſa ſenectute recaleſco, quoties ex ijs, quæ agis, & ſcribis, intelligo, quantum te ipſe (nam turbam olim reliqueras) ſupergraderis.* Seneca. Subdit, *Si agricolam arbor ad fructum deducta delectat; ſi paſtor ex fætu gregis ſui capit voluptatem; ſi alumnum ſuum nemo aliter intuetur, quam vt adoleſcentiam illius ſuam iudicet; quid eueniſſe credis ijs, qui ingenia educauerunt, & quæ tenera formauerunt, adulta ſubitò vident?* Hæc ille, & alia; ſed acerba & obſcura ſunt, ſi componantur cum his prædulcibus, & egregiis ſanctiſſimi Martyris Euſebij Vercellenſis Epiſcopi in epiſtola: *Dum eſſet in exſilio ad presbyteros, & ad plebes quaſdam Italiæ tranſmiſſa.* Euſeb. M. Quibus fideles ſibi ſubditos in Dei obſequio, & virtutibus perſiſtentes, atque creſcentes ſic alloquitur. *Exſtendiſtis firmos fructu ramos, & per tam longa terrarum ſpatia ad me pertingere laboraſtis. Gaudeo agricola, & libens noſtri laboris poma decerpo; quia tantum facere voluiſtis, nec ſolùm ego, vel qui mecum ſunt, ſanctiſſimi noſtri presbyteri, & diaconi, vel cæteri fratres, ſed & omnes, qui deſiderantes ſumus. Repleſtis enim (vt Apoſtolus beatiſſimus dicit) viſcera mea, cum compleſtis mandata diuina.* Sic Euſebius.

Et corona mea.

CHryſoſtomus videtur legiſſe, *gloria & corona* 5.
mea: ſic enim ait. *Vide poſt admonitionem encomia. Non tantùm gaudium, ſed etiam gloria; non tantùm gloria, ſed etiam corona. Quid huic virtuti par inueniatur? quippe cùm Pauli corona ſint?* Chryſoſt. Et quidem ad guſtum Chryſoſtomi ſic alibi locutus eſt Paulus. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne vos ante dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſtis in aduentu eius? Vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium,* 1. ad Theſſal. 2. 19. & 20. 1. ad Theſſ. 2. 19. Sed quid fuerit, Philippenſes coronam Pauli eſſe? Ambroſius, Anſelmus, Primaſius, S. Thomas, Iuſtinianus, Cornelius, & alij gaudium ad præterita; coronam verò ad futura referunt; nimirum, vt quemadmodum Philippenſes egregiis virtutum profectibus, Paulo ipſorum Magiſtro, atque Doctori magna gaudij occaſio, & materia fuerant; ita ingens coronæ, hoc eſt, cœleſtis præmij

causa

Primasius. Anselmus. S. Thomas. Iustin. Cornel.

causa essent futuri, sic enim Primasius. *Fer vos enim sum coronandus, & remunerandus.* Similiter Anselmus. *Corona mea in futuro, quia propter vos coronam gloriæ percipiam*, eodem modo Ambrosius, inquiens. *Gaudium eius constantia illorum ad præsens est, & in futurum corona. Discipulis enim in agone victoribus dignus erit corona magister*: & verò huic explicationi mirificè fauent prædicta verba ad Thessalonicenses: vbi de corona gloriæ à Christo iudice, sibi ob discipulorum profectum reddenda manifestè loquitur Paulus. Vnde ea eodem ductu sic explicat idemmet Ambrosius. *Manifestum est, quia perfectio discipulorum gaudium, & corona magistri est: hi enim sunt, qui labores fructuum suorum edituri sunt; fructus enim magistri, discipulus est obediens; cuius dum bona conuersatio profecit, magistro fructus sui edit laborem: labor enim discipuli in opere bono coronam dat magistro iudice Christo.* Sic ille. Reddit aliam rationem Cornelius, cur Paulus, & ab eo Episcopi populum sibi subditum coronam appellent, quòd videlicet ab ipso velut corona quadam cingantur: sed ea ratio parui momenti esse videtur.

Ambrosius. Cornel.

6. Est quidem prior explicatio tam ex seipsa, quàm ob illius auctores probabilis, & ob fulcimentum ex loco ad Thessalonicenses valde firma, atque munita: sed enim si vtraque verba exactè excutias, aliud est, *Coronam gloriæ in aduentu Christi* esse; aliud verò, discipulos, coronam simpliciter appellare; nam vt illud dubio procul futurum præmium designat; ita hoc ad præsens ornamentum, & dignitatem commodiùs, opinor, referemus: phrasi in Scripturis vsitatissima, qua corona pro splendore, & gloria alicuius sumitur; ita Prouerb. 12. 4. *Mulier diligens corona est viro suo*: & Prouerb. 17. 6. *Corona senum filij eorum.* Vtrumque verò illustrabis ex Græco Phalari epistola 20. vbi Paurolam filium, à quo auream ipse coronam acceperat, sic affatur: *Vtinam tu, & decentior nobis, & gloriosior corona fias, cùm parentum votis, vt te decet, satisfeceris*: Similiter Ecclesiast. 1. 22. eodem sensu dicitur *corona sapientiæ timor Domini*, & cap. 25. 8. *Corona senum, multa peritia.* Et Ezechiel 24. 16. non sine allusione ad præfatam sententiam Prouerbiorum, qua vxor corona viri sui dicitur, cùm charissimam Vati vxorem Deus abstulisset, sic ei in mysterio inquit: *Mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi.*

Prou. 12. 4. Prouer. 17. 6. Phalari. Eccles. 1. 22. Eccles. 25. 8. Ezech. 24. 16

7. Pulchrè autem non quiuis discipuli, sed ij, qui egregios in virtute perfectus fecerint, corona, hoc est, capitis ornamentum, Magistro esse dicuntur; ita quidem, Cantic. 3. 11. perfectis, tamquam diademate, Dei filius coronatus perhibetur; apud Isaïam verò, cæterorum fidelium cœtu non tam coronatus, quàm vestitus dicitur: sic enim Salomon, *Videte Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit eum mater sua*; in Isaïa autem, cap. 49. 18. ad hunc modum summus Pater loquitur: *Viuo ego dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris.* Scitè vtrumque locum sub hoc sensu sic premente venerab. Gilleberto, sermone 20. in Cantica: *Aduertisti quomodo credentium agmina ornamentum esse Christi in Ecclesia diffiniat. Quare non & corona sunt? Sed corona habet quamdam, insignem, & illustrem præ cæteris ornamentis dignitatem, quia cætera, cùm sint corporis, ista est capitis.* Et post pauca. *Iure diadematis censentur nomine quos iam non tam pugna sollicitat, quàm triumphus lætificat, quibus non est colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, qui serpentis iam caput non obseruant, sed Christi exornant. Vos estis corona Christi, & gaudium, & ideo sicut cœpistis.* sic state charissimi, sic state in Domino: *immò sic capite Domini-*

Cant. 3. 11. Isa. 49. 18. Gillebert.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

num. Sublimis locus est, nihil illuc vilioris afferte materiæ. Videte vocationem vestram: *Videte quem estis in locum assumpti, nihil fœni, nihil ligni, nihil stipularum in Domini diademate velitis texere.* Hæc Gillibertus Pauli instituto facilè, & opportunè aptanda.

8. Huc etiam spectare dixeris verba Zachariæ, cap. 6. 13. Nam cùm de Christo Domino vaticinatus fuisset, *Et ipse extruet templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, &c.* Subiicit: *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.* Quæ verba cum ab iis, qui è Babylonia in Hierusalem seruitutis iugo depulso reuersi sunt, dicantur; optimè hunc in modum explicantur à Hieronymo: *Quia nobis proficientibus, & reuersis ad meliora per singulas virtutes nostras Dominus coronatur*: addit Hieronymus: *immò nobis virtute pœnitentiæ coronatis Saluator in singulis coronam accipit.* Quod sanè cum iis, quæ dicebat Gillibertus non pugnat; non enim de quibuslibet pœnitentibus, sed de illis, *super* quibus *gaudium est in cœlo*, iuxta ea, quæ c. 3. vers. 12. adnot. 2. diximus, accipiendum est.

Zach. 6. 13. Hieron.

Iam hic non solùm prædulce, & vrbanum Pauli ingenium discipulos blanda compellatione, & repetitis laudationis vocabulis demulcentis, sed egregium etiam ipsius artificium considera, cùm non inaniter, & otiosè laudes adhibeat, sed tunc signatè, cùm de re aliqua perdifficili eos incipit monere: nulla enim tam acuta calcaria, quàm laudis: adeo subdit.

Sic state.

PVgnare primo aspectu cum præcedentibus, in quibus ad indefessum cursum discipulos Apostolus hortabatur, hæc verba videntur: nam quomodo stare possint, qui currunt? siue quomodo, & velocissimè moueri, quod currentis proprium est, & immotè persistere, quod stare significat, simul quis possit? Verùm adeò non scribit pugnantia Paulus, vt vna, eadémque sententia vtriusque verbis subsit, cùm hoc loco de constantia, & duratione in virtutis studio, siue in percurrendo perfectionis stadio, quæ sine indefesso proficiendi ardore non subsistit, ex omniũ PP. & interpretum consensione agat, sic enim Ambros. *commonet, vt in eadem fide persenerent*; similiter Chrysostom. & Anselmus, ait enim prior: *sic state; quomodo? quemadmodum stetistis immoti.* Anselmus verò. *Vos qui tales estis, state firmi in Domino sic: id est, vt ergo vos stare docui, & vt cœpistis.* Consentanea habent Remigius, Bruno, & alij. Quare, perinde fuit dicere, *sic state*; ac si dixerit durare in cursu, siue firmiter incurrendo persistite. Quo etiam dicendi modo sic vsus est Apostolus ad Colossen. 4. 12. *Semper sollicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti*; in quæ verba August. lib. de correptione, & gratia cap. 6. num. 7. *Quid est* (inquit) vt stetis, *nisi vt perseueretis; vnde dictum est de diabolo*: in veritate non stetit, *quia fuit ibi: sed non permansit. Nam vtique isti in fide iam stabant; nec aliud oramus, cùm oramus, vt qui stat, stet: nisi vt perseueret.* Sic August. Opportunissimè verò Bernard. serm 4. de verbis Isaïæ: vbi premens illa verba, *Seraphim stabant super illud*, Isaïæ 6. 2. quomodo perfectionis studiosi, & stare, & currere, siue etiam volare simul possint, sic explicat. *Cũ dixisset Propheta.* Et Seraphim stabãt, *adiunxit deinde, & ait*, sex alæ vni, & sex alæ alteri. *Quid sibi volunt alæ istæ fratres?*

Ambrosius. Chrysost. Anselmus. Remigius. Bruno. ad Col. 4. 12. Augustinus. Ioan. 8. 44. Isa 6. 2. Bernardus.

ergo ne etiam cùm hiems transierit, & sedebit Rex super solium, volandum adhunc erit, & ipsis Seraphim, vt possint diuersis occurrere necessitatibus diuersorum? ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit, vt in illo beatitudinis regno necessitas, aut periculum, aut labor, aut tribulatio sit, cui oporteat subueniri. Ad quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa; omnino sic volo manere; neque aliquid prorsus admitto, quo mihi stabilitas illa depereat. Verumtamen scio beate Isaia, quòd Propheta es tu, & spiritum eius habens, qui abundantia pietatis excedit hominum non modò merita, sed & vota. Salua mihi sit illa tam amata stabilitas. Iam si quid alæ istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso. Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic & in volatu alacritatem promitti, ne videlicet insensibilis quædam, & quasi lapidea stabilitas æstimetur. Hæc ille. Quibus optimè adstruit: non aliter stare hominem posse, nisi simul currat; opúsque esse virtutum, atque profectuum alis, *ne stabilitas illa depereat:* vnde in eâdem rem multiplicem Seraphim alam sic sapienter explicat. *Sed dicas, & si alas habere necesse est, quare tam multas? quid sibi vult multiplicitas ista pennarum? Audi quod sequitur:* duabus alis velabant caput, duabus pedes, duabus volabant, *in quibus verbis videre mihi videor quod de statione dictum est, volatu manifestius explicari. Quò enim Seraphim volant? nisi in eum, cuius ardent amore? vide flammam quasi volantem, & stantem simul: nec miraberis iam Seraphim stantes volare: stare volantes.* Hæc Bernardus: quibus nihil ad rem dici potuit explicatiùs, aut illustriùs.

11\. Et verò tam huic exponendi rationi, quàm cogitationi Bernardi mire concinit, quod de mysticis animalibus currum Dei vehentibus inquit hunc
Ezech. 1. 7. in modum Ezechiel cap. 1. 7. *Pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli; & scintillæ quasi aspectus æris candentis.* Nam in primis, quid aliud significare dixeris pedes rectos, quàm firmiter consistentes, & terræ hærentes, & fixi: qui minimè labantur, aut nutent? audi ea de re S. Cyrill. Alexand. in cap. 3. Zachariæ sub hac standi phrasi hæc Ezechielis verba sic elucidantem.
Cyr. Ale. *Curuatur enim, & quidem perfacile mens humana, & pigritia leni negotio corrumpitur. Superiorum autem spirituum sancta multitudo* stat *quodammodo. Quare & Sioni dictum est à Deo:* Fac, vt stes Sion. *Offert item beatus Dauid cantica gratiarum actor ita dicens:* sta-
Ps. 39. 33. tuit supra petram pedes meos. *Quibus verbis ille spiritus plenus immobilitatem, animique firmitatem expressit.* Hæc Cyrillus. Quæ non leuiter firmantur ex sequentibus verbis, *& planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli*; bos enim inter omnia animalia firmiùs figit pedem: vnde orta est paræmia, *bos lassus melius figit pedem*, de qua Hieronym. in epist. ad Augustinum; iam verò, *ne insensibilis quædam, & quasi lapidea stabilitas æstimetur*, vt dicebat Bernardus; obserua illos volantes, & stantes simul. Etenim LXX. pedes rectos sic interpretati sunt, *& crura eorum recta, & pedes eorum pennati*: eam stabilitatem, siue consistentiam adstruentes, cui pennæ simul ad volandum adessent: vt sicut in statione stabilitas, ita in volatu alacritas in continuo profectu demonstraretur. A quo non it Hebræa Pag-
Pagninus. nini lectio, quæ pedes rectos, siue stantes, simul scintillantes, facit ad hunc modum, *& pedes eorum pedes recti, & scintillantes:* ignitos scilicet, & irrequieto charitatis motu feruentes, & ad superna flammatis alis volantes. Vt videris *flammam volantem, & stantem simul*, Paulúmque discipulos ad currendum, ad standum sapienter vrgentem.

Est verò elegans constantiæ, & firmitatis periphrasis locutione hac *stanti* significata, id enim militare verbum est ad firmum, & valentem corporis habitum significandum; vnde de Ecclesia, quam Paulus 1. ad Timoth. 3. 15. columnam, & firmamentum veritatis appellat, quæsito dicendi modo inquit Vates Psalm. 44. 9. *Adstitit regina à dextris tuis:* 1. ad Tim. 3. 15.
quæ verba nonnulli interpretes apud Agellium legunt: *tamquam columna immobilis stetis*; non dubium, quin in pugna contra aduersarios: vnde Paulus ad Ephes. 6. 12. cùm dixisset. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo:* subiicit præcipuum ad victoriam obtinendam documentum: *Et in omnibus perfecti state*, Quod plus explicuit lectio Syriaca dum reddit: *cúmque instructi fueritis in omnibus, stetis:* Quod non semel dixisse contentus; sic repetit, *state ergo succincti lumbos vestros in veritate, &c.* Ac si dicat: nec sufficit virtutum armaturam accipere; nisi fixi, pedéque hærentes immoti in vestris vestigiis consistatis. Quæ ob oculos habuisse dixeris tum Hieronymum, cùm epistola ad Demetriadem ait: *Quasi in procinctu, & acie stemus semper ad pugnam: vult nos loco mouere hostis, & de gradu decedere, sed solidanda sunt vestigia:* tum etiam Luciferum Calaritanum in libro, *Moriendum esse pro Dei filio*: vbi cum heroïca animositate Constantium Imperatorem alloquens dixisset. *Feriant licèt per te diaboli fluctus, & pulsent latè vagantes mundi turbines: magis, magisque immobilis vt est, erit virtus: nec vndis tuarum infestationum circumspumantibus succumbemus operti, sed contra omnia erimus semper erecti pericula:* non multo pòst adiicit: *Stetimus, & stamus, & quoadusque consumas corpora nostra staturi sumus.* Sic Lucifer optimè & ad vim verbis *sto*; & ad sensum Pauli se exercés. Nec minus opportunè Cyprianus ad inuictam Martyrum constantiam explicandam hanc standi phrasim hunc in modum vsurpat lib. 2. epistola 6. *Steterunt torti torquentibus fortiores;* & paulo antè: *Laniena grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deiiceret.* Sunt etiam apposita Tullij verba Tusculana 2. vim verbi *sto* sic exprimentia, *Abiecto scuto fugiat quantum possit, ob eámque causam pereat; cùm ei, qui steterit, nihil tale euenerit.*

Sed ille signatissimus huic rei locus est Zachar. 3. 7. *Dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc assistunt:* vbi S. Cyril. Alexand. lectionem LXX. secutus legit: *Dabo tibi conuersantes in medio stantium horum:* atque *stantium* nomine diuinos spiritus ob egregiam firmitatem, qua sibi semper constant, sic intelligit: *Perpende porrò, quomodo vbique sacra Scriptura Angelos stare pronunciet: stationis vocabulo significans eos ignauia non succumbere, sed mentem velut erectam, & infirmitatis expertem, & cum Deo stantem retinere.* Hæc Cyrillus: quibus adnecte illa Vatis verba Psal. 133. 1. dicentis, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini: qui statis in domo Domini.* Benè *serui Domini*; eo charactere insigniti *qui statis.* Vnde Chrysologus serm. 15. premens illud Centurionis de seruo suo, *Domine puer meus iacet in domo paralyticus* Matth. 8. 6. pulchrè ait, *Meum dico quia iacet, si tuus esset Domine, nõ iaceret: Probat hoc Propheta cùm dicit.* Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini, qui statis in domo Domini. *Qui statis, non iacetis, ait, stant serui tui, hominum serui iacent.* Ita ille. Nec minus eleganter sanctus Zeno Veronensis mart. sermone de Daniele inuictam Susannæ constantiam, & impenetrabilem pudicitiam, eodem dicendi

Margin notes, right column: 12. — 1. ad Tim. 3. 15. — Psal. 44. 9. — Agellius. — ad Eph. 6. 12. — Lectio Syriac. — Hieron. — Lucifer. — Cyprian. — Tullius. — 13. — Zach. 3. S. Cyr. Alex. LXX. — Ps. 133. 1. — Chrysol. — Matth. 8. 6. — S. Zen. M.

cendi modo sic illustrauit. *Stabat Susanna cū iudicio perditorum falsorum testium oppressa mendaciis, conscientiæ tamen bonæ contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, quam dicata Deo pro castitate fortiter moritura.* Hæc Zeno.

14. Tertul. Quò reuoco arcanum mysterium, ob quod ex antiquissima Ecclesiæ traditione, cuius meminit Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. fideles cæteris diebus flexis genibus orantes; diebus tamen Dominicis, & toto eo tempore quod à Resurrectionis Paschate, vsque ad Pentecostes festum intercedit, non genuflexi, sed stantes orant: nimirum ea huius institutionis causa est, quòd aliis diebus flexis genibus orantes, peccatorum nostrorum lapsum in memoriam reuocamus; Dominica verò die Domini Resurrectionem colimus, quæ nos in libertatem asseruit, & vestigia nostra firmauit. *Hæc est enim salutis via* (inquit S. Leo Maximus serm. 1. de
S.Leo.Magn. Resurrect.) *& capta in Christo resurrectionis imitatio, vt quia in lubrico huius vitæ diuersi casus, lapsúsque non desunt, vestigia gradientium a fluidis ad solida transferantur*: ac proinde in stabilitatis, & firmitatis nostræ documentum non flexis genibus, sed stantes oramus: id nobis disertissimè tradente S. Iustino mart. quæst. 115. ad Orthodoxos. Vbi cùm pri-
S.Iust. mart. mùm sic interrogasset. *Si genuum inclinatio in precationibus magis precatores Deo commendat, quàm si stantes orent, magisque ea res diuinam permouet commiserationem, quapropter diebus Dominicis & à Paschæ feriis ad Pentecosten vsque precantes genua non flectunt? unde autem talis in Ecclesias peruenit consuetudo?* Sic statim respondet: *Quia vtriusque nos oportuit ingem obtinere memoriam, & ipsius per peccata lapsus nostri, & gratiam Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus. Eapropter genuum per sex dies inclinatio symbolum, & nota est lapsus per peccata nostri. Quòd verò die Dominico genua non inflectimus, signum est, & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi, & à peccatis, & à mortificata in eis morte liberati sumus. A temporibus autem Apostolorum consuetudo talis accepit*
S. Iren. *initium, prout ait beatus Irenæus martyr, & Episcopus Lugdunensis libro de Paschate: vbi quoque mentionem fecit Pentecostes, in qua genua non inflectimus, quoniam pari est cum die Dominico potestate iuxta illam, quæ de ea est dicta causam.* Hæc Iustinus.

15. Iam Paulum, quoties fideles *stare* monet sub hoc sensu capit Ambros. Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem, cum his verbis componens ea Domini
Ambros. ad Moysem: *Locus enim in quo stas, terra sancta est,*
Exod. 3. 5. Exod. 3. 5. & illa Deuteron. 5. 31. *Tu autem hîc sta*
Deut 5. 31. *mecum*, quasi hæc illi cum allusione ad Ecclesiam Christi in qua stantes, hoc est. firmi, & consistentes exsistunt, dicta fuerint. Audi ipsum: *Gradus singularum sunt, & incrementa virtutum. State igitur in corde vestro, ne quis vos subruat, ne quis possit subuertere. Docuit nos Apostolus, quid sit stare, hoc est quod Moysi dictum est:* Locus enim, in quo stas, terra sancta est. *Nemo enim stat, nisi qui fide stat, nisi qui fixus stat sui cordis sententia. Alibi quoque legimus*, Tu autem hîc sta mecum. *Vtrumque ad Moysem à Domino dictum est.* Vbi tu stas, terra sancta est; *& hîc sta* mecum: *hoc est mecum stas, si stes in Ecclesia: ipse enim locus est sanctus, ipsa terra fecunda sanctitatis, & opima virtutum messibus. Sta ergo in Ecclesia: sta vbi tibi apparui, ibi ego tecum sum. Vbi est Ecclesia, ibi firmissima statio tua mentis est, ibi fundamentum animi tui.* Hæc Ambrosius.

In Domino.

16. Malo adiungere cum precedenti verbo *stare*, quàm, vt alij volunt, cum sequenti voce *charissimi*, quòd grauior inde, & opportunior sententia resultet. Nimirum *stare in Domino*, est, in ipsius obsequio durare; aut eius ope, & patrocinio immotos, & fixos permanere, vt Paulus gratiæ necessitatem (vt assolet) inculcet. Similis huic illa est locutio Psalm. 39. 3. *Statuit supra petram pedes meos* quæ sic explicat inibi Hieronymus: *Statuit supra petram, qui est Christus, confirmauit me, ne ab huius sæculi nutarem impulsibus.* Nec aliter visus est accepisse Ambrosius lib. 7. in Lucam illa Christi verba Lucæ 9. 27. *Sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem*; dum ea sic premit. *Nec satis est stare, nisi vbi Christus est stetur. Soli enim non queunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo.* Videtur verò tam sensu, quàm verbis Seneca cum Paulo non semel consensisse: nam in primis lib. 4. de beneficiis cap. 7. Deum, Statorem, quod eius beneficio omnia stent, sic vocat: *Insita sunt nobis omnium ætatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia. Natura, inquit, hæc mihi præstat. Non intelligis te, cùm hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quàm Deus, & diuina ratio toti mundo, & partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare. Et Iouem illum optimum, ac maximum ritè dices, & tonantem, & statorem, qui non (vt historici tradiderunt) ex eo, quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quòd stant beneficio eius omnia, stator, stabiliorque est* Ita ibi. Deinde verò Epistola. 41. hominem iusti, rectique tenacem, sine Dei ope stare non posse hunc in modum adstruit; *Vis isthuc diuina descendit; animum excellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeuntem, quidquid timemus, optamúsque ridentem cælestis potentia agitat. Non potest tanta sine adminiculo Numinis stare.* Hæc Seneca

Psal. 39. 3. Hieron. Luca. 9. 27. Ambros. Seneca.

Ad ea verba, *Sic state.*

Adnotatio I.

Germanos Dei filios in ipsius obsequio, atque virtute constanter durare.

Stant ergo in Domino iusti, tamquam capilli capiti inhærentes, atque infixi, & in tentationibus cum ipso permanentes immoti. Lucæ 23. 28. sic namque de illis Cant. 4. 1. *Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*: quod Paulinus epist. 4. ad ea eiusdem libri verba. *Caput eius aurum optimum*, cap. 5. 11. sic explicat. *Summa igitur ope enitamur, ita nos comparare, vt diuini capitis, quod nobis per gratiam Dei, Christus est, crines, & aurum esse mereamur: ex hoc enim capite pullulat illa cæsaries, de qua scriptum est*, Capillatura eius, vt greges caprarum, sic Paulinus At enim, illud forsan miraberis, quàm varius horum capillorum in sacris esse perhibeatur: iam enim albi, siue candidi tamquam nix, aut lana munda, iam nigri sicut coruus dicuntur: nam de candore sic inquit Ioannes Apoc. 1. 14. *Caput eius, vt capilli erant candidi tamquam lana alba, & tamquam nix*, de nigredine verò sic habetur Cant. 5. 11. *Coma eius sicut elatæ palmarum; nigra sicut coruus.* Et verò cùm his imaginibus iidem omnino Christi discipuli designentur, iure ambigas, cur non modò variis, sed etiã contrariis, & omnimodo oppositis coloribus adumbrentur; rectè monente Seneca epist. 20. *Vt ipsa inter se vitæ vnius, sine actionum dissentione coloris sit.*

I. Lucæ 23. 28. Cant. 4. 1. Cant. 5. 11. Paulinus. Apoc. 1. 14. Cant. 5. 11. Seneca.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Sanè, si attendis, & rem examinas, atque introspicis, ambæ quidem imagines, & vterque color eodem eunt, nec album à nigro discrepat, sed tota iustorum, qui in virtute durant, & sibi constant, vita, vnius sine actionum dissensione coloris est. Vel vide quid *elatæ palmarum, nigræ sicut coruus* significet, iis quidem hunc sensum reddit Cassiodorus ibi: *Cassiod.* *Elatæ palmarum sunt rami productiores, & excellentiores interdum aurei coloris crispantes, & semper ad excelsa tendentes, & numquam virorem suum amittentes.* Vides capillorum, siue discipulorum Christi constantiam, qui numquam virorem suum amittunt, sed & ad anteriora indesinenter sese extendunt, & fixi atque immoti in indefesso cursu stant? Id ergo esse noueris, & nigrum tamquam coruum, & album tamquam niueni esse. Nimirum id nigri coloris proprium, ac peculiare est, vt nullam super se tincturam, siue alium colorem suscipiat, hoc constantis animi ingeniũ est, vt sibi constet, & ipse vbique par sibi, idémque sit, sic dicebat Ambr. ep. 8. *Verus dictũ:* *Ambros.* *Adsuesce vnus esse, vt vita tua quandam picturam exprimat, eamdem seruans imaginem, quam acceperat.* Benè, & opportunè ad nigri coloris nullam in se tincturam admittentis imaginem, sed non minus apposite, immò plusculum energiæ addens, Cassianus collat. 6. *de nece sanctorum*, cap. 12. monet, *Cassian.* non tam rei depictæ, atque signatæ, quàm ipsimet signatorio sigillo iusti animum fore assimilandum, vt dum alia omnia in se transfert, ipse immotus, & in sua qualitate persistens à nullo alio transformetur. Sic enim ille, *Mens viri iusti non debet esse similis ceræ, vel alterius cuiusque materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens, pro eius forma, atque imagine figuratur, quámque in se tamdiu retinet, donec alio rursum super impresso signaculo reformetur, atque ita fit, vt numquam in illa sua qualitate persistẽs ad formam eorum, quæ imprimuntur, semper conuertatur, ac transeat; quin potiùs debet esse velut quoddam adamantinum signatorium, vt inuiolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, vniuersa quæ incurrerint, sibi ad qualitatem sui status signet, atque transformet: ipsa verò insigniri nullis incursibus possit.* Hactenus Cassianus. Ad cuius gustum Bernard. ser. *Bernard.* 1. *de nuptiis Canæ*, cùm in lapideis hydriis miraculoso vino plenis perfectam hominis conuersionem, rectæque vitæ institutionem subtiliter, & copiosè considerasset, adiecit. *Lapidea dicũtur non propter duritiã, sed propter stabilitatẽ*, vt nimirum ad Deum cõuersus animus inuiolabilẽ sui sẽper custodiat figurã characteris, nec vllis peccati incursibus insigniri possit: quippe plures inuenias, qui quotidie cum vestibus animum exuant, & diuersi coloris vitã sumant. *Modo frugi tibi videbimur, & graues* (inquit opportunus Seneca epistola 120.) *Seneca.* *modò prodigi, & vani mutamus subinde personam, & contrariam ei sumimus, quam exuimus*; ita ibi & citata epist. 20. *Variatur quotidie iudicium, & in contrarium vertitur, ac plerisque agitur vita per lusum.* Vnde idemmet alibi pulchrè de iis ait. *Omnes in eadem causa sunt, & hi, qui leuitate vexantur, ac tædio, assiduáque mutatione propositi: quibus semper magis placet quod reliquerũt: & illi qui marcent, & oscitant. Adiice illos, qui non aliter, quàm quibus difficilis somnus est, versant se, & hoc, atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inueniant, sic statum vitæ suæ formando subinde, in eo nouissimè manent, in quo illos non mutandi odium, sed senectus ad nouandum pigra deprehendit.* Sic ille lib. de tranquillitate animi, cap. 11.

2. *Apoc 1. 14.* Iam capillorum candor, cuius meminit Ioannes, *Seneca.* idem prorsus cum præfata nigredine color est: cùm *Martial.* sapientis vita (vt dicebat Seneca) eiusdem coloris semper sit. Sanè, capillorum candor, siue cani capitis virtutem canam, & vitam quasi immutabilem adumbrant: non secus ac canorum color (ni nequitia adsit, quæ *non sinit te esse senem*, vt dicebat ille) immutabilis est. Vnde Cyril. Alex. in id Ioël. 2. 28. *Seniores vestri somnia somniabunt*, sic explicat. *Ioel. 2. 28.* Senilem ætatem appellat virtutis præstantia prominentem, *S. Cyril. Alex.* *& progressum in ea longius, & quasi illustribus factis canam.* Quare candidi capilli, eos Dei filios adumbrant, de quibus idemmet Ioannes epist. 1, cap. 3. 9. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*: *1. Ioan. 3. 9.* vbi si dubites quo sensu dixerit Ioannes, *& non potest peccare*, cùm id viatorum statui, siue humanæ libertati, quæ in vtramque virtutis, & vitij partem potest inflecti, repugnare videtur? respondet Ambros. serm. 22. in Psalm. 118. in expositione literæ *Tau.* *Ambros.* *Tanta vis consummatæ emendationis est, vt in quandam pueritiam redeat spiritualis ætatis: quæ vias erroris ignoret; crimen etiam si velit non possit admittere, quia desinerit vsum nosse peccandi.* Ecce canam constantémque virorum *stantium in Domino* virtutem, quæ à tyronum, & paruulorum ingenio, & moribus longè eat. Quo sanè schemate, & Solonem, & Græca ingenia, ac mores Ægyptius quidam sapiens apud Platonem sic castigabat. *Plato.* *O Solon! Solon! vos Græci semper pueri, nullaque in vobis cana scientia.* Nec multo aliter monebat, siue increpabat Ephesios Paulus c. 4. 14. inquiens: *ad Ephes. 4. 14.* *Vt iam non simus paruuli fluctuantes*; addita quidem paruulorum stimulo, marinorum fluctuum, qui numquam sibi constant, imagine, quam eleganter exornat Chrysologus serm. 44. dum tam in Psalmi primi vers. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit*. *Psal. 1. 1.* quam *standi* phrasim sic premit: *Abiit; abiit à se, à Deo impius cùm recessit, nec stat in consilio, impiis cogitationibus qui vagatur. Iste modò fertur ad cœlum, modò refertur ad terras: iactatur per maria, leuatur fluctibus, mergitur in profundo.* *Chrysol.* Hæc Chrysol. Expressit etiam opportunissimè Paulus hoc paruulorum fluctuantium ingenium cùm ad Galatas 4. 3. aiebat, *cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius*; *ad Galat 4. 3.* id est, sub elementorum potestate, siue elementorum vi obnoxij; ac proinde iam frigidi, iam feruentes, iam terreni, iam aërei, inter virtutem, scilicet, & vitia fluctuantes, vt dicebat Seneca: *Modo frugi tibi videbimur, & graues, modò prodigi, & vani.* Vnde scitè ibi Ambrosius. *Ambros.* *Ergo magnus, super elementa est*, suo videlicet pondere, suísque vestigiis consistens, nec diuersis elementorum mundi qualitatibus obnoxius, vt hac, illac pro illarum impulsu feratur.

Et quidem, vt Christi discipuli, eius capilli optima ratione dicantur, quòd ipsi vt capiti suo fixi atque immoti inhæreant, non minus aptè etiam eamdem imaginem exprimant, quòd ad ipsius formam se componant, vt præfata epist. 4. acutè disserit Paulinus inter alia inquiens: 3. *Paulinus.* *& in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis suæ verbum*: Iam de Christo Domino signatè monuit Paulus ad Hebræos 13. 8. *ad Heb. 13. 9.* *Iesus Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula*: quibus verbis præter alias expositiones, quæ à PP. adhibentur, is etiam subesse potest sensus, qui Hebræos ad constantiam, & firmitatem pungat, vt dicat Apostolus: Componite vos ad Christi morem, qui semper idem, & inuariabilis fuit, est, & erit, nec alius, atque alius moribus vnquam exstitit, sed qui heri, ipsemet hodie. Fauet lectio probata Ambrosio lib. 5. de fide cap. 2. de Maximo hom. 5. de Paschate, *Ambros.* *Maxim.* *Iesus Christus heri, & hodie ipse est.* Vnde subdit Apostolus;

Doctrinis

Doctrinis variis,& peregrinis nolite adduci. Optimum est gratia stabilire cor; ne videlicet aduersùs Christi exemplum alij heri, alij hodie sitis mores, & vitam subinde mutantes. *Quid enim animæ prosit* (inquit Basilius epist. ad Chilonem) *hesternum diem exegisse in actione virtutis, si hodie velut desertor desciueris ab opere iustitiæ?* Cui cognitioni illustrandæ optima sunt, quæ scripsit Seneca epist. 120. Nam

Basil. Seneca.

cùm opportunè dixisset, *Sic maximè coarguitur animus imprudens, ubi prodit, atque alius & (quo turpius nihil iudico) impar sibi est. Magnam rem puta, vnum hominem agere. Præter sapientem autem nemo vnum agit,&c. Hoc ergo à te exige, vt qualem institueris præstare te, talem vsque ad exitum serues*; subiicit opportunissimè. *Effice vt possis laudari: sin minus vt agnosci. De aliquo, quem vidisti heri, meritò dici potest, Hic quis est? Tanta mutatio est*: ac si dicat, qui heri erat, hodie ipse non est, alius videlicet à se ipso moribus, & studiis.

4\. Hinc de Helcana parente Samuelis quæsita locutione dicitur: *Fuit vnus vir*, 1. Reg.1.1. de Loth verò non minus accurato dicendi modo inquit Moyses, *& Loth qui ambulabat cum Abraham*, Gen. 13. 5. sanè quasi vtrobique innuatur, posse vnum hominem, duos esse, sed expendo singula. *Fuit vnus* (inquit) *vir*. Quid? nónne, quiuis homo, vnus est, singularem, ac indiuiduam naturam habens? Cur, in laudem Helcanæ dicis, fuisse vnum, qui virum esse dixisti? Dic ergo *fuit vir*: non *vnus vir*. At enim non otiosè sacer Scriptor illum, & virum, & vnum appellauit, quòd vnum semper hominem ageret, & qui heri, ipse & hodie esset. Audi Hieronymum initio commentariorum in Iob. *Helcana qui interpretatur possessio Dei, vir vnus appellatur: non enim per diuersa mobilis, atque instabilis ferebatur, sed firmus, atque inconcussus persistens, vir vnus erat.* Subiicit. *Et idcirco in monte Efraim fructifero morabatur, in alta scilicet contemplatione virtutum, vt à nullis subiacentibus, & circumlatrantibus vitiorum cogitationibus mentis eius sublimitas deiiceretur, vel vnitas scinderetur.* Vides quid sit vnum hominem esse: nec de omnibus dici posse, *Fuit vnus vir*: cùm de aliquo, *quem vidisti heri*, meritò hodie dici possit: *Hic quis est? tanta mutatio est*: nimirum *Loth, qui ambulabat cum Abraham*. Quid enim fuerit dixisse *Loth, qui ambulabat cum Abraham*; quàm innuere, non vnum, sed duos fuisse, qui de hoc nomine Loth appellarentur; alter qui ambularet cum Abraham: alter qui ab eo longè iret. Planè, quòd vnus, idémque Loth, non vnus & idem esset; sed alius heri à se ipso hodie: sic Ambrosius lib.2. de Abraham, cap. 6. scitè inquiens. *Vnam personam dicimus duo negotia; quòd in vno, eodémque viro duæ res significantur; numero vnus officio duplex.* Firmat id statim est interpretatione nominis Loth, quod Latinè est *declinatio*, hunc in modum: *Cùm ergo Loth declinaret malum, hoc est, errorem, flagitium, crimen, iungebatur patruo, cùm declinaret bonum, hoc est, iustum, innocentem, sanctum, religiosum, sociebatur flagitio. Bene ergo dixit*, & Loth qui ambulabat cum Abraham, *quia adhuc non elegerat Sodomam, non habitabat cum flagitiorum auctoribus. Postea enim cœpit habitare in Sodomis; ideóque quasi à se ipso mutatus, velut alter accipitur non solùm à iusto viro, sed à se ipso desciscens.* Hæc Ambros.

1\. Reg.1.1. Gen.13.5. Hieron. Ambros.

5\. Portendit id *rota* illa *in medio rota* Ezechieli ostensa, cap.1.16. Nàm cùm rota super terram, elegans omnino humanæ vitæ symbolum sit; non modò quod indesinenter rotet, atque labatur, sed etiam quia, vt inquit mox citandus Ambrosius, vita corporis à iusto ad animæ aptatur virtutem, & ad Euágelicum cohærenti cursu formatur præceptum; rota quidem intra rotam quid aliud quàm humani cursus constantiam, eumdémque vitæ tenorem sibi succedentem, & consonantem apto sensu denotabit? Ita Ambros. lib. 3. de virginib. ad finem, his verbis. *Rota autem in medio rotæ veluti vita intra vitam, quod Sanctorum sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit, & sequentis.* Applaudunt vterque Gregorius & Græcus, & Latinus, ille nimirum oratione 19 de laudibus Gregorij Thaumaturgi, eius vitam tamquam vnius viri in Domino semper stantis, siue tamquam rotæ, intra rotam firmiter consistentis, sic describit. *Verum & sibi admodum consistit, & pristinis vestigiis hæsit: adeo, vt inter se vtraque pulchrè conuenirent; nempe & ea, quæ Sacerdotium præcesserant, cum iis, quæ in Sacerdotio rectè, ac præclarè gessit, & ea quæ post susceptum Sacerdotium secuta sunt cum iis, quæ præcesserant, nec aliter incipere deceat, quàm quomodo ipse finiuit; nec rursus in alium finem progredi, quàm vt ipse incepit.* Sic Nazianz. Magnus verò Gregorius lib.12. Moral. cap.14. dum explicat ea Iob verba, cap. 15. 33. *Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proiiciens florem suum*, & cum illis Canticorum 7. 12. *Manè surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*, componit, sic appositè inquit. *Non ergo intuendum est, si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum conualescant. Quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret.* Vnde postmodum subdit. *Nam quasdam sæpe vidimus, terrena, quæ possederant, reliquisse, & nihil iam transitorium quærere. Cùm itaque hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliua florem protulit. Sed cùm quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam, quam contempserant quærere, & terrenis rebus, quas spreuisse videbantur, insatiabiliter inhiare, nimirum proiecit oliua florem, quem proposuit, quia rudimenta boni studij ad perfecta opera non perduxit.* Hæc ex vtroque Gregorio. Quibus bene adnectes quæ de Vitellio dixit Cornel. Tacit. lib. 5. Annalium. *Regendis prouinciis prisca virtute egit. Vnde regressus, & formidine Caij Cæsaris, familiaritate Claudij turpe in seruitium mutatus exemplar apud posteros adulatorij dedecoris habetur. Cesseruntque prima postremis, & bona iuuentutis senectus flagitiosa oblitterauit.* Sic Tacitus.

Ezech.1.16. Ambros. Nazian. Iob.15.33. Cant.7.12. Greg. Magn. Cornel. Tacit.

Præfert egregium horum typum palma, cum qua iustus, & flore, & statura & diuturnitate componitur: sic enim de flore Dauid Psalm.91.13. *Iustus vt palma florebit*: de natura verò Salomon, Cant. 7.vers.7. *Statura tua* (siue, vt habent LXX. *Hæc magnitudo tua*) *assimilata est palmæ*. Similiter de diuturnitate Iob 29.18. *Sicut palma multiplicabo dies*. Quò enim hæc omnia eant? nisi vt adstruant, eam iusti vitam futuram, vt quasi rota intra rotam numquam sibi dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis, & pristinis vestigiis hærens non aliter finiat, quàm, vt incepit; nimirum palma inter omnes arbores folia non mutat, & eundem virorem & statum seruat; id ad præfata Canticorum verba sic adnotante Ambrosio lib.3. in Hexaëmeron cap. vltimo: *Palma autem virens semper manet conseruatione, & diuturnitate, non immutatione foliorum: nam quæ primò germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ô homo, vt dicatur tibi*, Statura tua similis facta est palmæ. *Serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti.* Sic Ambros. Cuius sensa ipsamet vox *statura* firmat: neque enim tam ad proceritatem, quàm ad firmitatem, & robustum *standi* modum referenda est. Certè Hebræa vox huic respondens consistentiam, & sta

6\. Psal.91.13. Cant.7.7. LXX. Iob.29.18. Ambros. Heb. lect.

& stabilitatem denotat, à qua cum palma sponsa componatur. Huc quidem notanter verba Iob eunt. Nam vbi nostra habent, *Sicut palma multiplicabo dies*. LXX. legunt, *Ætas mea senescet sicut truncus palmæ*. Pagninus verò vertit, *Sicut phœnix multiplicabo dies*. Vt vtrobique virtutis constantia, idémque vitæ tenor significetur: scitè enim de Phœnice Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap. 13. dixit. *Vbi iam nemo, iterum ipse; qui non iam, alius idem*. De palma verò Gregorius Magn. lib. 19. moral. cap. 26. *Palma vastior in summitate est, quàm esse caperit ex radice, quia sæpe electorum conuersio plus finiendo peragit, quàm proponit inchoando, & si tepidius prima inchoat, feruentius extrema consummat: videlicet semper se inchoare æstimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat*. Ita ille. vbi ex proprietate Latinæ vocis, *statura*, quæ ad proceritatis mensuram refertur, illud commodè elicias, non tam ab altitudine, quàm à constantia, & duratione mensuram virtutis desumi: nimirum, vt aliæ arbores proceriores palma sint, signatè quidem palmæ statura commendatur, quòd folia non mutet, sed eadem semper, ac inuariabilis permaneat, quippe non ille sanctior, qui altiorem perfectionis gradum occupans, in eo pedem nunquam figit, quotannis folia mutans, sed is, cuius *vita senescit, sicut truncus palmæ*: virtutis viam eodem tenore semper premens.

[LXX. Pagnin. Tertull. Greg.]

7. Alius quidem à sapiente stultus, dicente Ecclesiastico, cap. 27. 12. *Homo sanctus in sapientia manet sicut Sol: nam stultus sicut Luna mutatur*: quod, vt illa nunc pleno, nunc dimidiato orbe, nunc obscura, nunc clara, nunc candida, nunc pallida, aut rubra conspicitur; ita insipiens à statu mentis, & animi firmitate decedens alius heri, alius hodie appareat. Ita Ambrosius epist. 7. vbi adductis extremis præfatæ sententiæ verbis, *Stultus vt Luna mutatur*, subdit. *Sapiens enim non metu frangitur, non potestate mutatur, non attollitur prosperis, non tristibus mergitur: vbi enim sapientia, ibi virtus animi, ibi constantia, & fortitudo. Sapiens ergo idem est, animo non minuitur, non augetur ex variis rerum mutationibus; nec vt paruulus fluctuat, vt circumferatur omni vento doctrinæ*. Hæc & alia Ambrosius, vt ex sapientis firmitate, & fortitudine, stulti inconstantiam, & perpetuam circumlationem indicaret; is enim cum rebus, & à rebus ipsis nouas subindi mutationes capit: & alius in prosperis, alius in aduersis est. Pulchrè Seneca epist. 35. *Ante omnia hoc cura, vt constes tibi. Quoties experiri voles, an aliquid actum sit, obserua, an eadem velis hodie, quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animum natare alibi, atque alibi apparere, prout tulit ventus. Non vagatur, quod est fixum, & fundatum*. En stulti ingenium, & animum ad instar Lunæ alibi apparentis, prout tulit ventus. At enim sapienter alio in loco Ambrosius: Non Luna est particeps stultitiæ, quia non Luna mutatur, vt stultus, sed stultus vt *Luna*, sic ille lib. 4. Hexaëmeron cap. 8. Sed quare, qui Lunæ exemplum imitatur stultus sit; ipsum verò exemplar, stultitia careat? Occurrit quidem Ambrosius eodem lib. capite præcedenti primùm. *Videmus ergo ortum eius, & defectum rationis esse, non infirmitatis. Numquam enim tantam rebus mutationem daret, nisi præstantem virtutem haberet, & gratiam à conditore collatam*. Deinde ipsomet, c. 8. pleniùs, atque copiosiùs, inquiens: *Aliud enim est fungi ministerio; aliud circumferri ingenio: & sensus infirmare fixam non habere sententiam. Luna pro te laborat, & propter te voluntati Dei subdita est*. Vanitati enim creatura subiecta est: non sponte, sed propter eum, qui subiecit in spe. *Illa ergo non sponte mutatur, tu sponte mutaris. Illa congemiscit, & comparturit in sua mutatione: tu item intelligis, & gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem frequenter expectat, vt à communi totius creaturæ seruitio liberetur: tu & tuæ redemptioni, & illius libertati affers impedimentum. Tua ergo, non sua stultitia est, quod dum tu expectaris, & nec forò conuerteris, adhuc & illa mutatur. Noli ergo Lunam oculo tuo corporis æstimare, sed mentis viuacitate*. Hæc Ambros.

[Ambros. Seneca. Ambros. ad Rom. 8. 20]

8. Aliud etiam à Phœnice pauus, has de plebe sua querimonias mouente Domino Ieremiæ 12. 9. *Numquid auis discolor hæreditas mea mihi? numquid auis tincta per totum?* Quæ de pauo inibi capiuntur à Hieronymo, & S. Thoma: sed quo sensu? Refert Hieronymus ad pristinas populi virtutes, quæ gemmatis paui coloribus, & pulchritudini similes erant, hunc in modum: *Auem discolorem tinctam, per totum iuxta litteram pauum vocat, vt sensus sit. Tantam habuit pulchritudinem Israël, & tantis fuit Ierusalem distincta virtutibus, vt nihil esset bonorum, quod non cerneretur in ea*. Verùm enim verò opportuniùs de Israëliticæ plebis inconstantia, claudicantis in duas partes, & iam verum Deum, iam Baal sequentis 3. Reg. 18. 21. capit hæc S. Thomas, quasi ad paui morem pulchrum illum gyrum, quem prius rotabat, quàm facilè contrahentis, animum cum veste mutaret, siue vt est in prouerbio, *aliud sedens, aliud stans* loqueretur. Vnde quid de pauo dixerit Tertullianus audi: sic namque ille lib. de pallio, c. 3. *Multicolor, & discolor, & versicolor: numquam ipsa, semper alia; & si semper ipsa, quando alia; toties denique mutanda, quoties mouenda*. Oppone quæso pauo Phœnicem; siue iustum tenacémque propositi virum, stulto, & constanti, ex Tertulliano: nam de Phœnice dicebat. *Vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam, alius idem*, quæ de diuersis hominis ætatibus sibi consonantibus, & eodem vitæ tenore semper consentientibus, opportunè capies ex Ambrosij verbis. *Serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illam innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti*. Nimirum, vt alius ætate, alius ministerio, alius ab diuersitate, siue prosperitate; idem tamen animo, & virtute sis. Contrà verò modò de pauo inquit: *Numquam ipsa semper alia & si semper ipsa, quando alia*; vt inconstantem adumbret, qui cùm reapse idem sit, à singulis rerum occasionibus nouas mutationes suscipiat, & alius appareat: sic pulchrè apud Stobæum serm. 4. Socrates. *Proteus quidem formam, indoctus autem animum ad singula mutat*. Arguit id quidem virtutem, non bene fundatam ac firmam: nam, vt sapienter dicebat Seneca, *Non vagatur, quod est fixum, ac fundatum*. Sic dixit Iacobus cap. 1. 8. *Vir duplex animo inconstans est omnibus viis suis*. Siue animum in Dei obsequio tepidum, & ignauum: nam, vt benè Augustin. tract. 87. in Ioan. *Quis est longanimis in bono perseueranter manendo, nisi ferueat diligendo?* & eodem gustu Ambros. siue Prosper, lib. 2. de vocat. gent. cap. 3. cùm dixisset. *Plurimi iis quæ fide, & intellectu vident, & nequeunt inhærere*; subdit. *Quoniam perseuerari in eo non potest, quod non toto corde diligitur*. Hæc ille, vt vt id fuerit, inconstantis hominis vitam omnino luteam, siue totam in luto esse; sic inquit Ambros. lib. de bono mortis cap. 3. *Cuius habitatio in luteis domibus, & ipsa vita in luto*; reddit rationem: *Nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia*. Sic Ambrosius.

[Ierem. 12. 9. Hieron. S. Thom. 3. Reg. 18. 21. Tertull. Ambros. Socrates. Seneca. Iacob. 1. 8. August. Prosper. Ambros.]

***

VERSVS

VERSVS II.

Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino.

1. QVÆNAM hæ fœminæ? quódve inter illas dissidium, siue origo dissidij fuerit, non omnino constat; nec de illis præter nomina, nec non in martyrologio Romano ad diem 22. Aprilis Syntyches mentionē signatè fieri, aliquid certi habemus: sed res obscura, incertis, & labentibus coniecturis ab interpretibus agitur. Illud in his tenebris dilucidè falsum apparet, quod hæretici pro temerario suo diuinandi, & diuinationem pro te certa venditandi more, scripserunt; virorum hæc non fœminarum nomina esse, omnibus codicibus, Patribus, ac interpretibus contrà euntibus: quod falsè ridet, atquè confutat Iustinian. Est quidem id valde probabile, quod Theophyl. & Theodor. suspicantur fœminas has inter Philippenses primarias fuisse, & aliquo Ecclesiastico munere, prout illius sæculi consuetudo ferebat, præditas: siue quæ Euangelij ministros suscipere solerent, vt inquit Anselm. hunc in modum: *Euodia, & Syntyche erant matronæ religiosæ, quæ prædicatores suscipere solebant.* Vt vt sit, manifestè constat, sic ipsas à Paulo vt minus concordes, & vnanimes coargui, vt simul ab eo egregiè laudentur, quod in re Christiana promouēda præclarè, & viriliter laborauerint, sic enim versu sequēti. *Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euāgelio:* quæ de iis religiosis fœminis omnes accipiūt, & in illarum commendationem sic pendit S. Basil. Seleuciensis orat. 2. *Scit in fidei certamine fœmineū genus viriliter agere: scit in pietatis certamine coronā rapere, quorum enim parem molitus est Deus formationem, ij se in cursura relinqui turpe ducunt. Vide mihi Paulū terræ habitabilis stadia percurrentē, & cursu pro fide suscepto mundi angustias demonstrantem, mulieres demonstrantem, & earū cursum suscipientē.* Euodiā rogo, & Syntychen deprecor idipsū sapere in Domino. Etiam rogo, & te Germane cōpar, adiuua illas, quæ mecū laborauerunt in Euāgelio cum Clemēte, & cæteris adiutoribus meis, &c. *Vides fœmineum sexum tangi Paulini cursus æmulatione: Vides Apostolicos sudores in mundi stadio imitatione exprimere?* Hactenus Basil. Ad quem modum tam de Maria Romana, cuius meminit Paulus ad Roman. 16. 6. quàm de iis primitiuæ Ecclesiæ fœminis, quæ pro suo modo rem Christianam promouebant, dixit ad id loci ad Romanos Chrys. *Erant enim mulieres illæ leonibus feruentiores, participantes & cum Apostolis in laboribus prædicationis gratia subeundis, vnde & simul peregrinabantur cum illis, & reliqua administrabant;* & de illustrissima Virgine, & M. Thecla, quæ Paulū aliquando in peregrinationibus secuta est, non minus eleganter S. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 87. *Adde mulierum victoriarum, ac trophæarum caput, hoc est, illā omnium laudibus celebratam Theclam, quæ tanquam immortalis pudicitiæ columna prostat, quæque e media turbidarum affectionum tempestate tamquam fax accensa ad portum ab omnibus fluctibus immunē appulit.*

Iustinian. Theoph. Theodor. — Anselmus. — S Basilius Seleuc. — ad Rom. 16. 6. — Chrys. 3. — Isid. Pel.

2. Nec omnino liquet, vtrùm iudiciorum, an verò animorum, siue voluntatum id dissidium fuerit, quòd Græcum verbum φρονεῖν, vt sæpiùs dixisse me memini, anceps sit, támque ad effectum, quàm ad iudicium referri soleat: immò verò propriè denotet iudicium cum quadam voluntatis propensione, & velut pia affectione coniunctum, vt mirer Ambrosium sic hæc capere. *Euodiam & Syntychen ad prudentiam amplexandam hortatur:* nec magis opportunè Brunonem dixisse. *Hæ duæ matronæ erant, quæ ministrauerant Apostolo, & discipulis in prædicatione, sed per muliebrem leuitatem quod fecerant Apostolo, idem faciebant illis pseudo Apostolis, putantes se bene agere, & super hoc redarguuntur à Paulo.* Hæc enim adeò non congruunt Pauli verbis, vt ab illis potiùs longissimè ire videantur. Iam iuxta vim verbi *sapio*, Græcique φρονεῖν, lectio Syriaca ad voluntatum coniunctionem id monitum sic retulit. *Euodiam rogo, & Syntichen, vt vna sit eis voluntas in Domino nostro.* Quem sensum amplexati sunt recentiores, Iustinian. Estius, atque Cornelius: ea ratione, inquit Iustinian. quia si in dogmatibus fidei discordes fuissent; vehementiori castigatione à Paulo coërcerentur: sed ex muliebri ingenio ad simultates, & dissidia maximè prono, opportuniùs id firmari crediderim. Dixit enim omnibus probatus Plinius in Panegyrico ad Traianum. *Nihil est tam pronum ad simultates, quàm æmulatio, in fœminis præsertim: ea porrò maximè nascitur ex coniunctione, alitur æqualitate, exardescit inuidia, cuius finis est odium.* Vnde ad suum institutum hoc infert, quod nostro etiam consentaneum est. *Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in vna domo parique fortuna nullum certamen, nulla contentio est.* Ad quem etiam modum apud T. Liuium, lib. 10. dicebat magnus ille Cincinnatus. *Sedemus desides domi mulierum ritu altercantes inter nos.* Quæ suxisse videtur ab Homero lib. 20. Iliad. dicente:

Sed cur lites, ac contentiones nobis, necessitas
Contendere nobis contra, sicut mulieres
Quæ iratæ ira valde animi voratrice
Contendunt inuicem.

Vt hinc videris, plusculum seueritatis inesse ei legi, quam ferebat Ambrosius epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem. *Indigna est coniugio, quæ digna est iurgio:* ea enim si seruetur, vacabunt opinor, matrimonia. At multo peius illud est, pluribus cœlestem ianuam, quæ Christi sponsas ad nuptias cum ipso contrahendas suscipit, hac signatè de causa occludi: nam si credis Bernardo epist. 42 fatuæ illæ virgines de quibus Matth. c. 25. à cœlestibus nuptiis exsortes fuere, quòd mutuæ charitati, oleum non attulerint.

Ambros. — Bruno. — Lect. Syr. — Iustinian. Estius. Cornel. — Plin. — T Liuius. — Homer. — Anselm. Matt. 25. 1. Bernard.

Aliter Anselm. Remigius, atque Primas. qui de iudiciorum concordia, atque conspiratione, ad quā has fœminas vrgeat, Paulum accipiunt, nec tam de disiunctione mentium abinuicem, quàm à communi fidelium sensu sermonem esse aiunt. Sic enim Ansel. *Et fortè audierat illas Apostolus à fide dissentire, ideoque nominatim rogauit, vt ad ipsum quod cæteri saperent in Domino, id est in eius fide. Quasi dicat omnes moneo stare, sed specialiter Euodiam, & Syntychen, quia plus de eis timeo.* Similiter Primasius. *Mulieres erant scientiam habentes, quas similiter sentire commonet, & hortatur:* id ipsum sapere in Domino. *Idipsum quod dixi;* Remigis verò, *idipsum sapere in Domino: subaudi, quod nos sapiamus, ego, aliique fideles, qui ita credunt perfectè, & sapiunt sicut ego.* Hæc PP. At enim hic dicendi modus valde mihi videtur difficilis. Quis enim credat egregias has fœminas, quas tanta vrbanitate Paulus nominat, quásque in re Christiana promouenda non mediocriter secum laborasse, statim affirmat, à fide aberrasse, & contraria dogmata suscepisse? vel si id malo fato ipsis euenisset tam leui 3.

Anselm. Remig. Primas.

correctione ab Apostolo admonendas, & non potiùs seuerius increpandas fuisse? Quare, si de mentium dissidio hæc capias, accommodatiùs dixeris, ipsas inter se abinuicem dissidere. Sed qui inquis illæ inter se dissidere possent, quin alterutra saltem à communi fidelium sensu differet? Respondeo, mentium disiunctionem non ad fidei dogmata, sed ad docendi, instituendique modum, esse referendum: non quòd hæ fœminæ Euangelium publicè prædicarent, aut in Ecclesia docerent, reclamante Paulo 1. ad Timoth. 2. 12. *Docere autem mulieri nō permitto*: sed quia in suis domibus, vt inquit Remigius, paruulos, & paruulas in fide, & bonis moribus instruebant; sic enim ait ille: *Sapientes, & religiosæ erant mulieres apud Philippenses, quæ prædicabant, & docebant domibus in suo sexu paruulos, etiam & paruulas, non tamen in Ecclesia, quia idem Apostolus hoc iubet, vt mulieres in Ecclesia taceant.* Vnde inter ipsas aliquod mentium dissidium oriri potuit; eamdem fidem & mores alia vno modo, alia altero docentibus. Vel si vim Græci verbi φρονεῖν, quod iudicium cum quadam voluntatis propensione denotat, velis exhaurire: dicito, mentium dissidium à voluntatum disiunctione, quam fœminarum propriam esse diximus, ortum habuisse quippe sunt plerique, vt inquit Hilar. lib. 8. de Trinitate, *qui quæ volunt, sapiunt; & nolunt sapere quæ vera sunt: cùm sapientia hæc veritas sit, ea interdum sapere, quæ nolis.*

1. ad Timot. 2. 12.
Remig.
Hilarius.

4. Sed cur, qui toties ad mutuam animorum, & mentium coniunctionem Philippenses fuerat adhortatus, vt ex cap. 1. vers. 27. & cap. 2. vers. 1. 2. & 3. apparet; modò sigillatim Euodiæ, & Syntyches mentionem fecit? Sanè quòd eas hæc dissidij labes plusculum infecerit, & vt nonnulli volunt, aliis etiam discordiæ occasio fuerint. Quare præter generalem adhortationem ipsas Apostolus prudēter nominauit, vt ad emendationem acriùs vrgeret. Sic sanè sapiens ille Rex Cyrus apud Xenophontem lib. 5. Pædiæ scitè vituperat dominos, qui seruis, nullius signatè nomine expresso ita præcipiunt: *Ito aquatum aliquis: calam aliquis findito*, hanc subiungens eleganter rationem: *Etenim illo pacto euenire, vt se mutuo respectarent, & nemo faceret imperata, vtque omnes non perfecti operis in culpa essent, & nemo erubesceret, aut metueret: propterea quod cum multis est culpa par, & communis.* Addit Xenophon. *Itaque Cyrus nomine suo quemquam appellabat, cum quid imperaret.* Sic ille.

Xenoph.

5. Iam verò quantam moderationem, quam lenitatem, & comitatem in obiurgando Paulus seruet; siue quanto vrbanitatis, & charitatis sale admonitionem condiat, obserua. *Euodiam* (inquit) *rogo & Syntychem deprecor, idipsum sapere in Domino*; vbi præterquam, quòd summissiùs deprecari, & orare, potius quàm imperare, aut monere voluit, eo dicendi artificio vsus est, vt non tam contentionis, atque dissidij culpam traducere, quàm vnitatis, atque concordiæ virtutem suggerere videatur, ad eum modum, quo Nathan seueriorem admonitionem, qua Dauidem aggredi volebat, sic temperauit, vt nihil vrbanius, nihil moderatius dici potuerit: vnde de ipso S. Basil. Seleuc. orat. 17. pulchrè ait. *Aciem sermonum suorum tegit, & narratu ferrum celat: sub lingua medicamentum gerit, & sensum fallit, vt sensum excitet*, vt hinc magistri, atque prælati, maximè verò concionatores nouerint, quàm moderatè, & custoditè in obiurgationibus, & increpationibus se gerere debeant: vt nimirum ab acrioribus verbis, iisque dicendi modis, qui contumeliam aut cōuitium sapiunt, omnino abstineant. Certè Regio Vate auctore, is inter alios in tabernaculo Domini habitaturus perhibetur, qui *nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos*, Psalm. 14. 4. Quod quidem ad obiurgationum modum, ne debitos charitatis, & modestiæ fines prætergrediantur, sic notanter retulit Hilarius ibi. *Non est igitur opprobrium aduersus proximos ineundum, sed si quid in his incuriosum, si quid petulans, si quid incontinens deprehenditur, sine exprobrationis amaritudine, blandimento enim dictionis est corrigendum. Hæc humilitas, hoc super metum diffidentia, quæ validissima fiducia custos est, curat: ne sit admonitio, contumelia, ne sit emendatio, opprobrium; ne sit doctrina conuitium.* Hæc Hilarius.

Psal. 14. 4.
Hilarius.

Quò appositè referas duram mali illius serui seueritatem, cui cùm decem mille talentorum debitum dominus dimisisset; ipse *egressus inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes*, Matth. 18. 28. Quod quidem tam illius conseruis, quàm omnium domino adeò inuisum fuit, vt ea de causa & seruus nequam appellatus, & atrociter punitus fuerit. Quòd si ambigas, quo iure ipsius, & nequam habetur, qui quod suum erat, à debitore repetebat? aut qua ratione hæc vox, *redde quod debes*, importuna videri possit cū vna è tribus illi sit (quod frequentiùs dicere solemus) quæ audientis os ita obstruit, siue occludit, vt nullam possit adhibere responsionem. Nam quid (inquiunt) respondere valeas ei qui tibi obiicit: In domum meam ne ingrediaris, aut cum mea vxore sermones ne misceas; siue, redde quod tibi tradidi. Respondebo, vt cætera iniquus seruus ille nō fuerit, at periniquè in repetendi modo se gessit, quippe qui non contentus debitori dixisse, *redde quod debes, tenens suffocabat eum*; quid verò hac acerbitate durius: quid humanius? Audi quem creditori in repetēdo debito modum præscripserit Iurisconsultus in lege *si bene collocata 3. ff. de vsuris*, ait enim: *dummodo non acerbum se exactorem, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum*; subdit *Nam inter insolentiam* (alij malunt legere *solertiam*) *curiosam, & diligentiam non ambitiosam multum non interest*: Vnde quidē bene Theoph. & aliis obseruatum est, notanter de hoc acerbo, & contumelioso exactore præmissum esse, *& egressus*: nempe à facie domini sui vt innueretur ipsum obligatum omnino ingenij, & benignitatis domini sui fuisse; præbuit enim se dominus benignum, & humanum exactorem, qui & debitum dimisit, & cùm primùm repetiit, moderatum, & vrbanum se illi exhibuit; sic enim Theophylact. *Egressus ille, qui veniam obtinuerat, strangulat, ac premit conseruum. Nullus enim, qui in Deo manet, compassionis expers est, sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.* Vbi, si attendis, & normam habes, atque præscriptum quod in obiurgationibus, & castigationibus, verborum obserues: & scopulos vides, ad quos nonnulli impingunt. Ius quidem tibi, siue concionatori, siue prælato est, vt à delinquente subdito, siue adiutore peccatorum debita repetas. Meritò ei ingeres, *Redde quod debes.* Serua diuina præcepta, custodi maiorum institutiones, pœnitentiam de tuis erratis age, sed & magno illi iure sua peccata desidiam, incuriam, salutis obliuionem ob oculos iacies: dummodo non suffoces eum, nec acerbum te exactorem & contumeliosum præbeas, sed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum: ad morem Pauli discordes, & contentiosas fœminas diligenter quidem atque efficaciter, sed tanta vrbanitate, & benignitate, admonentis, vt vix statuas, vtrùm hæc 6.

Matt. 18. 28.
L. si bene collocata de vsuris.
Theoph.

hæc ad increpationem, an verò ad laudationem, pertineant.

VERSVS III.

Etiam rogo te Germane compar adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente; & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina ſunt in libro vitæ.

Germane compar.

1. LOcvs difficilis & malorum ingeniorum naufragiis celebris. Nam primum, quis hic tam egregius Euãgelij miniſter fuerit, vt à Paulo *germane compar*: ſiue, vt Græcè eſt *σύ-*

Lect. Græca. Lect. Syr. *ζυγε γνήσιε germane & ſincere coniugalis*, Syriacè autem, *mi compar verè* appelletur; adeò eſt incertum & obſcurum, vt vix, aut ne vix quidem tenui coniecturæ ſit locus? vnde Chryſoſt. totus dubius in-

Chryſoſt. quit, *Videntur autem mihi hæ mulieres, caput fuiſſe Eccleſiæ, quæ ibi erat, eáſque commendat viro fortaſſis admirabili, quem comparem etiam vocat, cui fortaſſe commendare ſolitus erat; vt auxiliario, & commilitoni, & participi, & fratri*: & ſtatim ad eamdem vocem *compar*, ſubiicit. *Vel fratrem aliquem iſtarum, vel etiam virum alterius ipſarum ita vocat; perinde, ac ſi diceret; nunc frater, & germanus, nunc vir legitimus, quippe qui membrum factus es.* En Chryſoſtomus nihil certi affirmantem, ſed dubio & ſuſpenſo pede omnia tentantem. Ad quem etiam modum

Theoph. Theophylactus hac, illácque diſtractus, aut fratrẽ, aut maritum alterius è prædictis fœminis, aut cuſtodem illum carceris à Paulo ad fidem conuer-

Actuum 16. 33. ſum Actuum 16.33. hunc germanum comparem, ſic ait. *Commendat autem has miræ virtutis viro, qui harum alteri vel vir erat, vel frater. Forſitan etiam carceris erat hic cuſtos, quaſi id inquiat. Nunc verè germanus es frater; nunc virum te proprium, & coniunctiſſimum geres, ſi in opere Domini & iugum pariter traxeris mulieribus hiſce opem ferens.* Diſplicet id aliis, & malunt ſermonem eſſe ad aliquem ex Epiſcopis, vel Diaconis, quos Apoſtolus initio epiſtolæ ſalutauit. Sed quid quæſo in hanc rem præter coniecturas afferre valeant?

2. Faciliùs ab hoc nodo ſe expediunt plures è Patribus, dum nullam hîc difficultatem inuenientes. *Germanum*, proprium viri nomen eſſe exiſtimant:

Primaſ. Remig. Anſelm. Bruno. Lyra. Hieronym. ita Primaſ. Remig. Anſelm. Bruno, Lyra, & Pſeudo Hieronym. ſic enim Primaſius. *Germanus nomen hominis eſt compar officij.* Remigius, *Germanus comes erat illius in fide, vel in officio prædicationis, & tamen diues. Ideóque præcipit, vt ipſe qui abundabat opibus, ſi neceſſe eſſet, præberet auxilium in victu, & veſtimento illis mulieribus, vel etiam vt in prædicatione adiuuaret illas, compar comes in fide, & officio.* Anſel. *Etiam rogo te ò Germane, compar, id eſt, coadiutor meus in prædicatione.* Bruno. *Rogo te ò Germane, qui mihi compar es in prædicatione Euangelij*, & ſtatim. *Hic Germanus erat coadiutor Pauli. Has perſonas de nomine ſic admoneo, &c.* Sic Bruno. At enim verò Latinè id melius quàm Græcè dici poſſit; nam Græca vox *γνήσι@* manifeſtè appellatiua eſt, & Paulo ſæpiùs in vſu, vt filios germanos, & ſinceros appellet;

ita epiſt. 1. ad Timoth. c. 1. 2. & epiſt. ad Titum, c. 1. 3. vbi nos habemus, *dilecto filio*, Græca *γνησίῳ*, id eſt, *germano*, vt Græci, & Ambroſ. reddunt, ſiue *vero* vt transfert Syriacus eodem quo hîc modo. *1. ad Tim. 1. 2. ad Tit. 1. 3.*

Quare ſi in his vocibus ad proprium nomen confugiendum eſt, opportunius cum OEcumenio dixeris, alterum vocabulum *σύζυγε* nomen viri eſſe, *OEcum.*

quod etiam adducit, nec improbat Chryſ. voluiſſeque Apoſtolum cùm addit *σύζυγ@*, ſiue germanũ *Chryſoſt.*

(quod acutè cogitauit Iuſtinianus) ad vim nominis *Iuſtinian.*

alludere. perinde, ac ſi diceret; non ſono tantũ vocis, ac nomine, ſed reapſe verè mihi ſocie, ac Germane. vt Timotheum, & Titum, veros, & germanos filios appellauit. Sed id etiam è coniecturarum libidine eſt.

Iam verò recentiores hæretici, quibus inuiſa caſtitas, & cælibatus, & totus in voluptatibus carnis animus eſt: atque horum *germanus compar*. Eraſm.

En animam, & mentẽ, cum qua dij noctẽ loquuntur. *Eraſm.*

Dum Græcas voces penſiculatiùs ſcrutãtur, grande aliquid orbi allaturos exiſtimantes, legerunt, *vera, & germana coniux*; hinc adſtruentes Paulum non cælibem, vt ipſemet ait ad Cor. 7. 25. & 40. ſed *1. ad Cor. 7. 25. & 40.*

vt ipſi volunt, vxoratum fuiſſe. Addunt pro ſuo ingenio hęretici ex hoc loco validè firmari, nulli vnquam licuiſſe, matrimoniũ prohibere vlli hominũ ſtatui. Iam ſi tantæ molis fundamẽtum velis introſpicere, ſcito Græcam vocem *γνήσι* ſonare etiã coniugium, & verti poſſe *coniux*. Quòd ſi hanc rationem, quę illis fortiſſima putatur, claudicare dixeris, quòd altera vox *γνήσιε*, id eſt, *germane*, maſculini generis ſit, atq; ideo aheneũ hunc murum, luteum reddi, accurrit audax, & ſtrenuus Eraſmus Græcas ſuppetias prębiturus, ex Atticiſmis, hoc eſt, ex puriſſimis, & elegantiſſimis Græci idiomatis dicẽdi modis obſeruans: Græcos vocatiuos licet terminationẽ habeant maſculinam, fœmeninum tamen genus etiam admittere.

3. Amplector quidem hîc libenter, atque oſculor egregia Tertul. verba, Eraſm. & ſocios quaſi de facie cognoſcentis & demonſtrantis. ſic namque ille *Tertul.*

lib. de Pudicitia c. 16. ad finem: *Sed et hoc ſolemne peruerſis, & idiotis, & hæreticis;* (iam & Eraſmo, & ipſius collegis) *aliquem capituli ancipitis occaſione aduerſus exercitum ſententiarum inſtrumenti totius armari.* Nimirum totus PP. & interpretum exercitus, vnanimiſq; Eccleſiæ conſpiratio Paulum omnino cælibem, puriſſimúmque caſtitatis lilium facit, ita Tertul. lib. 1. ad vxorem, c. 3. vbi de Paulo loquens

ait. *Cæterum nuſquam nuptias permittit, vt non potiùs ad ſuum exemplum nos niti. Felicem illum qui Pauli ſimilis extiterit*, & lib. de Monogamia, cap. 3. *Ipſo* *Idem.*

Domino ſpadonibus aperiente regna cælorũ, vt & ipſo ſpadone, ad quem ſpectans & Apoſtolus, propterea & ipſe caſtratus continentiam maluit. Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum, & epiſt. 22. ad Euſtochium de

virginitate. Aug lib. de gratia & libero arbitrio, c. 4. & lib. de bono coniugali, c. 10. & lib. de adult. con. c. 4. & lib. de opere Monachorum c. 4. Ambroſ. in exhort. ad Virgin. & in 1. epiſt. ad Cor. 7. Epiphan. *Auguſt. Ambroſ. Epiphan. Hilarius.*

hæreſi 58. Hilarius in Pſal. 127. Iſidor. Peluſ. lib. 3. epiſt. ad Iſidorum Diaconum, quæ eſt 176. Chryſ. Theod. Theoph. & OEcum. tam hîc, quàm in 1. epiſt. ad Cor. & quotquot in Paulum commentarios conſcripſere, vno vel altero non optimæ notæ auctoribus exceptis. *Iſid. Pel. Chryſoſt. Theodor. Theoph. OEcum.*

4. Deinde ipſemet Paulus tam dilucidè, támque diſertè pro ſe cauſam dicit, vt nullo ſponſore, nullo interprete egeat. Prima enim epiſt. ad Corint. 7. 6.

cùm

1. ad Cor 7.6. cùm dixisset. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque suum virum habeat:* Subiicit. *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum*, & statim. *Dico autem non nuptis, & viduis. Bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Quid quæso clariùs? quid apertius potuit Paulus dicere, vt cælibem vitam se agere adstrueret: Do tibi Pauli calamum; conare quæso, id manifestiùs scribere. non equidem poteris: sed occurre rursus armatæ Patrum manui hoc loco Pauli cælibatum denuo statuentium: nam in primis lectio Syriaca illa verba. *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum*, sic Lect. Syr. vertit, *Si quidē ego volim omnes homines esse sicuti sum puritate*: deinde sic Hieronym. lib. 1. aduers. Iouinian. *Vis scire quid velit Apostolus, iunge quod sequi-* Hieronym. *tur.* Volo autem omnes homines esse sicut meipsū. *Beatus qui Pauli similis erit. Felix qui audit Apostolum volentem, non ignoscentem. Hoc, inquit, volo, hoc desidero, vt imitatores mei sitis*, sicut & ego Christi. *Ille virgo de virgine: de incorrupta incorruptus: nos quia homines sumus, & natiuitatē Saluatoris non possumus imitari, imitemur saltem conuersationem: illud diuinitatis est, & laboris*; & præfata epist. 22. dum hunc sensum ex Patrum cōsensione his verbis reddit, de Pierio Theologorum celeberrimo sic ait. *Quorum Pierius cùm sensum Apostoli ventilaret, atque dissereret, & proposuisset illud exponere*, Volo autē omnes esse sicut meipsum: *adiecit, sic dicens Paulus apertè calibatum prædicat.* Tertul. verò libale exhortat. ad castit. c. 4. *Cùm nos verò ad exemplum suū* Tertul. *hortatur, vtique ostendens, qui nos velit esse, id est, continentes, pariter declarat, quid nos esse nolit*; & lib. de Monogamia, c. 11. de continentia copiosè disserens, subiicit de Paulo *Cæterùm malebat omnes id esse, quod* Epiph. *& ipse.* Epiphanius hæresi 70. *Omnino quidam grassatores, & ad libidinem conuersi, & corruptam opinionem in se ipsis habentes, etiam sanctos polluere volunt ad honestam excusationem prauæ, ac infirmæ suæ opinionis, ad quos dixit Apostolus*, Vellem quidem omnes esse sicut meipsum. *Meipsum verò quomodo dicit præterquàm propter castitatem?* OEcumenius ad ea OEcum. verba. *Virgo erat Paulus, & quia dixerat, cuperem omnes esse, vt ego sum: dicit nunc, quòd manere virginem donum Dei est.* Theodor. inibi etiam. *Rursus se ipsum ostendit esse de multitudine eorum, qui coniugati non sunt; neque enim meritò quisquam inter viduas producet, cùm adolescens adhuc fuerit, cùm vocatione dignus habitus est*, sed luculentiùs Ambros. ad id loci Ambros. *Non diceret bonum est innuptis, vt sint sicut & ego, nisi esset integer corpore. Nec diceret*, omnes homines volebam esse sicut meipsum. *Si enim habuerit vxorem & hoc dixit, virgines esse noluit, sed absit. Sic enim à pueritia spiritui seruiuit, vt huius rei studium non haberet, quippe cùm iuuenculus anticipatus sit à gratia Dei.* Hilarius in Psal. 127. dum ambigit, quo sensu Hilarius. vates cùm dixisset: *vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, adiecit. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum, inquit. *Iam verò benedictionibus Dei priuabitur felix illa, & beata virginitas, cuiusiam sibi beatitudinis non relinquent. Vel vbi illud erit Pauli?* Vellem autem omnes homines esse, sicut & me. *Et nescio quomodo Propheta perfectā eam beatitudinem constituerit, quæ negata sanctis; peccatoribus vsitata est. non speranda virginibus sit.* Hæc PP. At enim verò, quæ hæreticorum væsania & stoliditas est dicant fortasse: Paulum cùm post eam ad Corinth. datam epist. hanc Philippensibus scripserit, potuisse medio inter vtramque epistolam tempore matrimonium contrahere. O pectora cæca! O luteas, & absurdas cogitationes, non nisi è turpitudinis pharetra depromptas! Cuius enim boni rei prætextu Paulus vsque ad senectutem cælebs, ingrauescente iam ætate vxorem duxisset? & aduersùs præfatam exhortationem ad Corinthios factam pugnare voluisset? Scilicet vt quod verbis statueret, factis destrueret. Pulchrè Isidor. Pelus. Isid. Pelus. citata epist. 176. lib. 3 de Paulo, & Barnaba. *Non quò (ij), qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent. Quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cæno sese volutantes deprehensi fuissent?*

Denique Chrys. Theodor. & Theophyl. Græci 6.
Chrysost. Theodor. Theoph. idiomatis, opinor, non omnino ignari, ad hæc verba ad Philippenses, in quibus sumus, stultum errorem inquiunt esse ex voce *compar*, siue σύζυγε dicere Paulum vxorem habuisse: sic namque primus. *Quidam dicunt Paulum his verbis*, germane compar, *vxorem suam rogare, quod minime verum est.* Acrius Theodor. *Comparem, seu coniugem nonnulli stultè existimauerunt esse vxorem Pauli, non attendentes ea, quæ scripta sunt in epist. ad Corinth. quo l scilicet se retulerit in numerum cælibum.* Dico enim his, qui matrimonio iuncti non sunt, & viduis, bonum si permanserint sicut ego: quòd si non contineant, nubant. *Et clarum quidem est, quod siue esset cælebs, siue viduus, vxorem non habebat: vxorem nunquam duxisse verius est.* Similiter Theoph. *Nonnulli verò errore ducti, vxorem dicunt Paulum adhortari, quod tamen longè est secus, quippe quem neque vxorem legimus habuisse:* vbi vides ex Chrysostomo *minimè verum*, ex Theodoreto, *stultum*, ex Theophylacto, *errorem* esse, ex Græca voce vxorem Paulo assignare, vt hinc primum nouerint Erasmus, & sui nihil noui (nam illis semper in innouando mens, studium, gloria) nobis attulisse, sed quæ ipsorum væcordia est. occisissimā rem, & Græcis PP. inuisam temere suscitare voluisse: iam si nosse velis, cur his verbis id commētum obtrudisse, stultitia fuerit: non vnica ratione ostenditur. Nam primò, vt argumentatur post citata verba Theophyl. *Germana coniux dicere debuisset, si coniux illi fuisset.* Nec hilum valet, quod re- Idem. spondet Erasmus, Attice sumi posse masculinam Græci vocatiui terminationem pro fœminina: nam præterquàm quòd à Paulo id omnino videtur alienum, vt omnes adnotant: ipse siquidem iis Græci idiomatis argutiis, siue elegantiis minimè vtebatur: mirum est ab ipsiusmet nascentis Ecclesiæ primordiis nullum ex Latinis codicibus, vsq; ad Erasmum legisse *germana*, sed constanter omnes *germane*: scilicet nemo in Ecclesia præter Erasmum oculos habuit, aut nullus nisi Erasmus à Deo illuminari meruit, vt hoc videre posset. Deinde quid stultius, quàm Pauli vxorem Philippis commorantem facere: etenim, vt bene adnotauit OEcume- OEcumen. nius, ipsa vel in Tharso Ciliciæ, vnde Paulus oriundus erat, vel in Iudæa habitasset: Philippis verò quid ageret? aut quanam ratione existeret? Præterea, quis nisi amens cogitet, Paulum mortalium prudentissimum in epistola, quam toti Philippensium Ecclesiæ scribebat, hac tam signata apostrophe, quà suam vxorem alloqueretur, vti voluisse? Nec minus quidem cum Apostoli modestia, & vrbanitate pugnat, esto vxorem alloqui vellet, ipsam coniugali vocabulo quasi eius animus in nuptiis, & coniugio adhuc esset, designare. Dixisset quidem casto & vrbano nomine sororem non sæculari, & quasi carnali voce vxorem, aut coniugem, saltem vt insinuaret: cessasse iam omnino apud ipsos (de quo nemo dubitat) carnale contubernium.

Vides

Tertul. Belllarminus. Baronius. Pamel. Vazquez.

Vides quàm opportunè dixerit Tertul. eſſe *ſolemne peruerſis, & idiotis, & hæreticis alicuius capituli ancipitis occaſione aduerſus exercitum ſententiarum inſtrumenti totius armari*, cùm in tot teſtimonia, in tot rationes, in tot Patres, & interpretes leuiſſima ancipitis vocis occaſione Eraſmus, & hæretici armetur. Quos deinde ipſe admoueant in Pauli cælibulum arietes, & quàm facile repellantur, vide apud egregium Cardinalium par Bellarm. atque Baron. illum to. 1. lib. 1. de clericis c. 20. hunc verò to. 1. annal. ad annũ Chriſti 57 à n. 59. vſq. ad 70. his adde Iacobũ Pameliũ in Tertul. lib. de monogamia ſcholio 15. & P. Gabrielem Vazq. tom. 3. in 3. p. diſp. 249. c. 8.

Theodor. Theodor. Lucæ 10. 1.

7. Sed quid ergo (inquis) iam tandem de hoc germano compare ſtatuimus? Reſpõdeo, modò certum ſit de Pauli vxore hîc non agi, quocumque voles me facilè duces; cùm veſtigia quibus rem venari poſſimus, omnino obſcura, & confuſa ſint. illud omnino certum, quod Theodoretus, & ab eo alij obſeruarunt, comparem, ſiue coniugalem, quod Græca vox ſonat, propriè & eleganter ſignificare egregium quempiam Pauli adiutorem; & in Euangelicæ prædicationis labore ſocium, ſumpta ſimilitudine à bobus in aratro trahendo coniunctis. *Comparem ergo, ſeu coniugem* (inquit Theodor.) *ipſum vocat, vt qui iugũ pietatis ſecum trahat, & hortatur, vt ſit optimarum mulierum adiutor.* Certè Græcè ζυγὸς eſt *iugum*, & συζυγία *coniunctio, & copulatio*, qua bina, & bina quaſi ad iugum comparantur, & copulantur: vnde diſcipuli ad prædicandum à Domino deſignati, notanter *bini*, id eſt, in iugo æqualiter coniuncti miſsi ſunt, Lucæ 10. 1. Ex hiſce verò notis, valdè probabile videtur, quod Vatablus & alij affirmãt, hæc verba Epaphrodito dici; nam ſimilibus phraſibus verſ. 25. ipſum fratrem, cooperatorem, & commilitonem appellauit; & verò cooperator, idem eſt, ac coniugalis, cùm vtrumque vocabulum ad agriculturam reſpiciat; ſic enim 1. ad Cor. 3. 9. cùm dixiſſet, *Dei ſumus adiutores*, Græcè *operarij*, ſubiicit. *Dei agricultura eſtis.* Vnde non immeritò dixeris, Paulum hîc ad ea, quæ ſuperiùs de Epaphrodito dixerat alludere. Nec multum obeſt Epaphroditum cùm hęc Paulus ſcripſit, non Philippis, ſed Romæ adeſſe, quippe qui has à Paulo ad Philippenſes litteras detulit. Nam facilè reſpondeas, voluiſſe Apoſtolum reſpicere ad tẽpus, in quo ab illis legendæ erant, vt tam Epaphrodito, quàm iis fœminis, in quarum gratiam hæc dicebatur, Pauli erga illas charitas manifeſtior eſſet. In ſumma dixerim cum Chryſoſtomo hac de re: *Sed parum intereſt, ſiue hoc, ſiue illud ſit: non hac minuta diligentia adhibenda eſt, ſed hoc mirandum eſt, magnum illis deferri honorem iuſſiſſe.*

1. ad Corint. 3. 9. Chryſoſt.

Adiuua illas.

Anſelmus. Theod. Ambroſius. Remigius.

8. DE qua ope, atque auxilio loquitur Anſelm. & Theod. ad ſpirituale exhortationum iuuamen retulere; ſed diuerſa ratione: nam Theod. affirmat, velle Apoſtolum vt hic ad concordiam eas vrgeat; ait enim, *hortatur, vt optimarum ſit mulierum adiutor, & vt concordiam inter ſe ineant, procuret.* Anſelmus verò de exhortatione ad perſiſtendum in fide ſic capit. *Adiuua illas firmando tuis exhortationibus, & inſtructionibus, atque orationibus, vt poſſint vnanimes ſtare in fide*, ſimiliter Ambroſ. inquiens, *Euodiã, & Syntychem ad prudentiam amplexandam hortatur, adiuuantibus, quos memorat, vt ſicut in operibus Euangelij profecerant, proficerent & in ſcientia ſapientia Dei.* Remigius verò, & alij ſic hæc explicant, quaſi moneat Paulus, vt illis neceſſaria ſubminiſtret. Sed prior ſenſus probabilior *videtur*; cùm ex communi PP. & interpretum conſenſione has fœminas inter Philippenſes primarias fuiſſe conſtet.

Quæ mecum laborauerunt in Euangelio.

Anſelmus. Lectio Græca. Anſelm. Matt. 10. 41. Eſtius. Theophylact.

AC ſi dicat, inquit Anſelmus. *Quæ non ſunt parui pendendæ, quia mecum laborauerunt*: imò verò verò magna comendatione, & honore dignas dixeris, quas Paulus ſibi in Euangelio collaboraſſe affirmat, ſed qui is labor, ſiue certamẽ fuerit? Nam Græcum verbum propriè legit *decertauerunt*: ſiue *concertauerunt*; nec qualecumque certamen, ſed vehemens, ac laborioſum, quale athletarum eſt, eo verbo ſignificatur. Porrò non loquitur Paulus de cooperatione, ſiue decertatione in prædicatione Euãgelij, vt ad verſ. 2. diximus; ſed vel de eleemoſynis, quibus primariæ hæ fœminæ Pauli egeſtatem ſubleuauerint, vt inquit Anſelmus his verbis. *Laborauerunt in Euangelio, id eſt, de labore ſuo miniſtrauerunt mihi ſtipendium in prædicatione Euangelij.* Qua ratione merito laborum, ac meritorum ſuorũ participes dicat Apoſtolus, nam *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*, Matth. 10. 41. de quo ad cap. 1. verſ. 4. num. 3. ex Chryſoſt. vel de laboribus, aut periculis, quæ propter Euangelium promouendum ſubierint, vt conicit Eſtius. A quo non multum diſcrepat Theophylactus, inquiẽs. *Non enim* (inquit) *minores Euangelij, partes tutandas hæ deſumpſere; tametſi eſſent multi, qui ſe iuuarent, eóque infert, & mecum laborãt.* Vel tandem ea propter dixit Paulus, Euodiam, & Syntychem ſecũ in Euangelio laboraſſe, quod, vt ſuprà ex Remigio, & Primaſio diximus, in ſuis domibus paruulos, & paruulas in fidei rudimentis, & bonis moribus inſtituerent.

9\.

Chryſoſt. Theophylact. Cant. 3. 7. Gillebert.

10. Vt vt ſit, obſerua phraſim, qua fœminæ ab Apoſtolo laudantur: *laborauerunt*, inquit, hæc enim egregia fœminarum laus, & commendatio eſt: ita etiam ad Rom. 16, 6. dixit. *Salutate Mariam, quæ multum laborauit in vobis*; in quæ verba Chryſoſtomus, *& non dicit, quæ multa docuit, ſed quæ multum laborauit.* Similiter Theophylactus. *Nec illam aut ...* *alios inſtruxiſſe, ſed laboraſſe plurimum, vt arguat illam, vel in erogandis priuatis pecuniis, & modis ... hoc miniſterio vſam*: iis ergo ſolùm & docere alios, & diſputare de fidei myſteriis dãtur, qui inter fortiſsimos Iſraël computati, *Lectulum Salomonis ambiunt. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*, Cantic. 3. 7. Sponſam verò gladij, pugnæ, caſtra non decent, ſed pacifici potiùs Salomonis caſtiſsimi amplexus; continua ſcilicet oratio, & lectio, aſsiduaque pietatis operum exercitatio Audi hac de re venerabilem Gillebertum ad præfata Canticorũ verba ſermone 16. *Quanto feliciorem ſeruta es luctã, quæ Salomonis contineris in lectulo: non contra carnales nequitias, nec contra ſpirituales quidem, ſed cum ſpirituali lætitia cum Salomone, qui pacifici nomen prærogat. Ideò pacifica colluctatio cum ipſo, & pacifici nomen, & ſapientiæ perſonam Salomon gerit.* Ama inquit, ſapientiam, & amplexabitur te. *Amplexus, colluctationis quamdam ſpeciem præfert. Amplexare, vt amplexetur te*; & ſtarim. *Amplectere verbum, vtere eo, ſicut in lectulo, non ſicut in bello. In lectulo locus eſt non enſibus, ſed amplexibus ſtrictis. Noli foris eſſe, ne tibi foris eſſe cõtingat. Intus vtere verbo, non quaſi gladio, ſed quaſi ſponſo, vt verbo ipſo oblecteris. Oblecteris veritate ipſa non contra errores obluctteris, & vitia: aliis hoc munus, & officium relinque. Quid tibi cum conflictu, cui totum de affectu conſtare debet? Quæ ſponſa eſt, nõ diſputantis, & confligentis ſectatur negotium, ſed otiũ amplexantis:*

xantis. Alij lectulum ambiant: tu cupitis amplexibus fruere. Hæc Gillebertus. Benè quidem verum est, in Scriptura, vno in loco mulierem fortem prædicari, in alio verò doctas mulieres induci; at enim tota illa fortitudo, totáque doctrina, & sapientia à sacro scriptore in lanæ, & lini operibus, siue colo acúque tractandis censetur. Certè Salomon, qui primum dixit: *Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretium eius,* Prouer. 31. 10. fortitudinem hanc statim explicat, atque diffundens subiicit vers. 13. *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum,* & non multo post: *manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum.* Similiter Moïses Exodi 35. 23. doctas sapientésque mulieres manibus suis nentes sic inducit. *Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum;* vbi LXX. habent: *& omnis mulier sapiens mente, manibus nere, attulerunt neta.* Similiter Hebræa & Chaldæa: *Omnisque mulier sapiens corde, manibus suis nebat*: En quale doctrinæ, sapientiæque specimen doctis, & sapientibus mulieribus dare liceat; nempe fusum non leuiter, sed tenaciter apprehendere, & manibus suis nere; sic enim Paulus de egregia fœmina rem Christianam promouente, *non dixit quæ multa docuit, sed quæ multum laborauit.*

Prou. 31. 10.

Exod. 35. 23. LXX. Lect. Hebr. & Chald.

Cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis.

11. DE Clemente sic Primasius. *Clemens ex Philosopho magnæ doctrinæ vir, qui Romæ Episcopus fuit;* Remigius verò: *Clemens Philosophus fuit, sed postea discipulus Apostolorum Petri, & Pauli factus fuit Ecclesiæ Romæ Præsul, & pro Christi nomine in mare est præcipitatus.* Anselmus: *Iste Clemens fuit tertius Papa Romanus.* At Hieronymus eius Pontificatum aliter numerat: sic enim ille libro de scriptoribus Ecclesiasticis in Clemente, c. 15. *Clemens de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait:* cum Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, *quartus post Petrum Romæ Episcopus, siquidem secundus fuit Linus, & tertius Cletus: tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem,* de quo vide Baronium ad annum Christi 69. à n. 39. Qui & omnia alia quæ de Clemente nosse oportet, in seqq. copiosè scribit Sed quæ Bernard in serm. de S. Clemente, & de tribus aquis, in ipsius laudem scribit, minimè omittenda sunt: sic ergo ille. *Acceperat B. Clemens nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem nimis tam scientiam quoque quamplurimã, ita vt optimus quidem illius temporis Philosophus haberetur. Acceperat hæc vniuersa à Domino, Dei enim dona sunt etiam hæc. Fidelē ergo se probauit ei, qui dederat, cum pro eius amore vniuersa contempsit, omnia detrimentum faciens, & arbitratus stercora, vt lucri faceret Christum;* & statim: *Sed forte murmurat etiam nunc inimicus,* pellem, *inquiens,* pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. *Quid ergo? Putas quòd in ipsa corporis sui vita, quam accepit à Domino, infideles inueniatur, vt vel ipsam preferat illi. Ecce habes potestatem, irruet in eum per satellites tuos, vt coarctetur è duobus, aut à Domino necesse habens, aut à corpore separari. Varia, & immania exquirere genera tormentorum, sed noueris te martyri nostro fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ huius ornamenta, & adiumenta contempsit, sic contemnit & ipsam: corpus omne tibi exponit in mortem, & in faciem maledicit tibi, atque idola tua sacro ore blasphemat, Dominum Deum suum etiam inter tormenta sua liberè prædicat, in igne confitetur. Coronabitur ergo, quia legitime certauit, quia fideliter vicit, quia nec blandimentis vitæ huius, nec mortis horrore à charitate Christi potuit separari.* Hæc Bernardus.

Primasius. Remigius. Anselm. Hieron. Baronius. Bernard.

De sensu dubites, an velit Paulus, Euodiam, & Syntychem, simul cum Clemente, & cæteris adiutoribus Paulo Philippis Euangelium disseminanti adlaborasse opémque tulisse: an verò eas fœminas cum Paulo, & cum Clemente, & aliis adiutoribus in Euangelij prædicatione laborasse: an etiam, germanum comparem moneat vt illis fœminis, necnon Clementi, cæterísque adiutoribus opituletur: & verò vt singuli dicendi modi suos habeant patronos, & Anselmo æquè probabiles videantur: primus tamen Græcæ constructioni omnino quadrant, vt scitè adnotauit Estius. Benè etiam hinc inferens Clementem Philippis Paulo adfuisse, quando Euangelij causa labores, & pericula subiuit; cùm non appareat de quo alio fidei certamine hîc locus accipi possit. 12.

Anselmus. Estius.

Quorum nomina sunt in libro vitæ.

VRbanissimè Paulus, qui ne paginas oppleret, singula adiutorum suorum nomina silentio pressit, vt eos demulceret, adiecit, in libro vitæ quod summæ felicitatis est, singillatim omnes conscriptos esse. Ita adnotante Primasio. *Ne molestè ferant, se in hac epistola non scriptos, cum in libro vitæ sint scripti.* Similiter Remigius, & sanctus Thomas: ait enim prior. *Ne Philippenses durè acciperent, quòd omnia illorum nomina in hac epistola non continerentur, ideo subiunxit,* & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in lib. vitæ. *Et est sensus, Philippēses nolite grauiter ferre, quòd omnes vos in epistola mea non nominaui, quoniam si in epistola mea non estis scripti, in libro tamen vitæ continemini, quia mei adiutores estis.* Sanctus verò Thomas. *Quod ponit, ne si alios non nominaret, erubescerent; quasi dicat. Non est magnum, si non scribo omnium nomina, quia sunt scripta in meliori loco.* Hæc PP. quia hæc verba de scriptura in libro vitæ ad omnes Philippenses referre videntur; quòd sanè è Pauli mente non omnino esse videtur; cùm de suis adiutoribus, id est, de iis qui peculiariem ei opem in Euāgelij prædicatione attulerunt, signatè agat. Quare Chrysostomus, & Theophylactus de iis quos singillatim Paulus nominauit, omnino acceperunt: sic enim Chrysostomus. *Vides quanta virtutis testimonium illis dat? Quod quidem Apostolis dicebat Christus.* In hoc nolite gaudere, quòd dæmonia vobis subiiciuntur, sed quòd nomina vestra scripta sunt in libro vitæ. *Hoc Paulus etiam de istis testificatur;* consentanea Theophylactus. 13.

Primasius. Remigius. S. Thom. Chrysost. Theophylact.

Sed quid fuerit horum nomina scripta esse in libro vitæ? Respondet Theophylactus. *Nomina vestra in cœlis sunt scripta; hoc est, scientia Dei, & iudicio sunt cœlo addicta. Contrà verò, qui minus crediderint, in libro mortis inscripti sunt.* Pauca quidem verba; sed quæ longiori indigeant examine. Tria enim, inquit Theophylactus, quæ iure in dubium vertas: primum velle Paulum hos, quos nominat, scientia Dei & iudicio cœlo esse addictos, quod etiam inquit Anselmus inquiens, *scripta sunt in libro vitæ: id est, adsignata tenentur ad vitam in memoria diuina prædestinationis.* Secundum, librum vitę idem esse, ac in cœlis conscribi: id quod Remigius similiter docuit, dum ait. *Iste est & liber vitæ, de quo Dominus dicit,* Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis; *id est, in memoria omnipotentis Dei.* Tertium, esse etiam librum mortis, in quo impij conscribantur: & verò, vt hæc omnia opportunè examinemus, librum vitæ priùs euoluere, & explicare operæ pretium est. 14.

Theophylact. Anselmus. Remigius.

Et de

Anselm. Et de illo quidem sic inquit Anselmus. *Quis est enim liber vitæ, nisi memoria Dei, in qua sunt illi, qui viuunt in æternum.* Similiter B. Bruno. *Liber vitæ mens diuina dicitur, in qua boni ab æterno memoriter scripti sunt.* Sed nullus opinor tam dilucidè in hoc libro se exercuit ac S. Thomas, tam in huius loci commentario, quàm 1. p. q. 24. & hic sanè sic primùm loquitur. *Liber vitæ secundum glossam est prædestinatio sanctorum; & hoc est verum secundum rem, sed differt ratione. Sciendum est autem, quod olim erat consuetudo, quòd qui ordinabantur ad aliquod officium, vel dignitatem, scribebantur in matricula, sicut milites, & senatores, qui palatio conscripti erant. Omnes autem sancti prædestinati eliguntur a Deo ad magnum, scilicet ad vitam æternam. Et hæc ordinatio, est prædestinatio. Conscriptio huius ordinationis dicitur liber vitæ; hæc conscriptio est in memoria diuina, quia in quantum ordinat, prædestinat. In quantum verò immobiliter scit, dicitur esse præscriptio. Firma ergo notitia de prædestinatis dicitur liber vitæ.* Hæc generaliter de libro vitæ Angelicus Doctor satis ad mentem Augustini lib. 10. de ciuitate Dei cap. 15. *Non nescit Deus, & in hoc libro legit, vt sciat, sed potiùs illa eius præsentia de illis* (agit de prædestinatis) *quæ falli non potest, est liber vitæ.* Nimirum liber vitæ, vt bene explicat S. Thomam Iustinianus hìc, in Deo post perfectam, & absolutam electorum prædestinationem quasi reflexa quædam mentis actio concipitur, qua diuinus intellectus omnes electos ad salutem sempiternam certo tramite tendentes quasi in albo quodam descriptos intuetur. Vnde quidem facile elicitur, librum vitæ à prædestinatione bifariam distingui; tum quòd hæc actione voluntatis, hoc est, firmo, & immobili eius decreto perficiatur; liber verò vitæ ad diuinam mentem, & intelligentiam solùm pertineat: tum etiam quòd prædestinatio, qua ad intelligendi facultatem spectat, cognitio quædam sit, quæ admodum imperij ad praxim referatur; liber verò vitæ, prædestinatorum, vt diximus, sit intuitus, ad scientiam visionis pertinens qui rerum notiones non modò speculatur, sed veluti memoria comprehensas perpetuò asseruat, & retinet: vti paulo antè Anselmus, & Bruno dicebant. Pergit verò statim S. Thomas, sic inquiens: *Sed numquid aliqui inde delentur?* Respondet verò. *Sciendum est, quod aliqui sunt scripti simpliciter, aliqui secundum quid: sunt enim aliqui prædestinati a Deo, vt habituri simpliciter vitam æternam, & isti sunt scripti indelebiliter, Aliqui vt habeant vitam æternam non in se, sed in sua causa, in quantum ordinantur ad iustitiam præsentem, & tales dicuntur deleri de libro vitæ, quando excedant à præsenti iustitia.* Hæc S. Thomas, quæ quia optima, & opportunissima sunt, plus plus diffundere, & explicare placet.

Margin notes: Bruno. — S. Thom. — August. — Iustin. — S. Thom.

15\. Et vt à prioribus S. Thomæ verbis incipiam, in quibus obseruant, *quòd qui ordinabatur ad aliquod officium vel dignitatem, scribebantur in matricula;* est quidem id verùm, nec abs re nostra: at enim, si primæuam huius libri vitæ originem, è qua hæc locutio, & imago orta est, nosse velis, scito ex PP. Hieronymo, Prado, & Gaspar Sanchez ad cap. 13. Ezechielis, solemne apud Hebræos à primo illo egressu è Ægyptia captiuitate fuisse, vt ciuium nomina in censum, seu catalogum referrentur, vt constat ex Numerorum libro cap. 2. & 3. & ex Esdra cap. 8. & Nehemia cap. 7. Qui quidem catalogus, *liber vitæ*, siue *viuentium* dicebatur, quòd de illo tolleretur eius nomen, qui mortalitatem explesset, nec denuo in alteram chartam, quotannis ex veteri transumpta renouabatur, transcriberetur. A quo non it Gentilium mos, cuius meminit Xistus Senensis lib. 2. Biblioth. c. 2. titulo *Θ* qui cùm omnes milites, qui in acie essent, in catalogo conscriptos haberent, eos qui in bello cadebant, præfixa littera θ quæ prima est in nomine Θάνατος, id est, *mors*, notarentur: vnde & apud Romanos Imperatores, & iudices ille etiam stylus inualuit, vt ad ferendam in capitalis pœnæ reos sententiam ea littera vterentur, vt patet ex illo Persij ad Neronem satyra 4.

Margin notes: P. Prado. Gaspar. Sanchez. — Num. 2. & 3. Esdra 8. Nehem 7. — Xist. Senens.

Et potis es nigrum vitio præfigere theta.

Nec alia quidem si rectè iudices, Moysis mens, vt bene indidem iidem PP. Prado, & Gaspar Sanchez, & Gabriel Vasquez in præfatum S. Thomæ locum 1. partis q. 24. art. 3. cùm Exod. 32. 31. de populi sui strage, quam iusta indignatione commotus minabatur Dominus, grauiter dolens ei dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Perinde enim id fuit, ac si diceret, me etiam vnà cum illis interfice; cur enim populo deleto, ego solùm in libro superstes maneam? vt explicant Augustinus in quæst. in Exod. & Greg. Magn. lib. 10. Moral. cap. 7. adducti à P. Sanchez. Addiderim huc omnino inclinare Hebræum textum, qui vt vertit Pagninus, solùm habet, *& si non dele me nunc*: delendi phrasi mortem indicans; quemadmodum, qui moriebantur aut interficiebantur, de populo, siue de catalogo viuentium dicebantur deleri.

Margin notes: P. Prado. P. Sanchez. P. Vasquez. Exod. 32. 31. — August. Greg. Magn. P. Sanchez. Pagnin.

16\. Iam hinc præfata doctrina S. Thomæ de iis, qui delebiliter, aut indelebiliter in libro vitæ conscripti sunt, optimè subsistit: nam ex allusione ad hunc scribendi, delendique morem, nec non ex Scripturæ locutionibus, quas iam profero, manifestè apparet, sic aliquos in libro vitæ conscriptos esse, vt inde deleri possint; immò & plures reapse deleantur: quia nimirum, vt dicebat S. Thomas, *aliqui* (inibi scripti sunt) *vt habeant vitam æternam non in se, sed in sua causa in quantum ordinantur ad iustitiam præsentem.* Quod 1. p. q. 24. art. 3. *Vtrum aliquis deleatur de libro vitæ?* plus plus explicat. Nam cùm dixisset, *Est enim liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam, ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet ex prædestinatione diuina, & hæc ordinatio numquam deficit, & ex gratia: quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vita æterna;* subiicit, *Et hæc ordinatio deficit interdum, quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam, a qua tamen deficiunt per peccatum mortale;* & post nonnulla agens de his, *Et tales possunt deleri de libro vitæ, vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat, sed ad rem scitam: quia scilicet Deus scit, aliquem priùs ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, cùm deficit à gratia.* Iam id omnino confirmant duo illa testimonia, quorum inibi etiam S. Thomas meminit; alterum ex Psalm. 68. 29. vbi vates ait: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Alterum Apocalypsis 3. 5. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non deleo nomen eius de libro vitæ.* Et de primo quidem, quamuis Didymus ibi deleri *de libro viuentium*, perinde esse dicat, ac deleri de numero viuentium, eo modo, quo superiùs dicebamus capienda esse Moysis verba; ait enim. *Librum viuentium ipsum numerum viuentium dicit, vt in illo & in libro tuo omnes scribentur, hoc est, in numero viuentium erunt.* Quò etiam eorum explicatio facit, qui de censu Israelitici populi, & descripta gentis serie, in Albo ciuium Hierosolymitanorũ librum

Margin notes: S. Thom. — Psal. 68. 29. — Apoc. 3. 5. — Didym. — Psal. 138. 16.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

viuentium interpretantur: at si contextus attendatur, nimirum: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam*; & illa *cum iustis non scribantur*, quæ eò eunt vt horum iniquitatibus expensis, & quasi in cumulo appositis, è iustorum numero, & sedibus excludantur, apertè liquet, sub cortice siue imagine albi, aut catalogi ciuium Hierusalem sermonem esse de libro viuentium, in quem cœlestis Hierusalem ciues referuntur, quasi extrema hæc imprecatio, omnium grauissima atque aliarum clausula sit; qua pernuntiet Dauid Christi persecutores, & interfectores omne ius ad cœlestis Ierusalem municipatum amissuros, & à iustorum siue electorum numero, & ratione fore excludendos. Accinunt verba Apocalypsis, *Non delebo nomen eius de libro vitæ*; in quibus tam S. Thomas citato loco, quàm Anselmus, & Nicolaus de Lyra in commentario expressè affirmant non agi de libro eorum qui simpliciter & absolutè, siue ex prædestinatione ad beatitudinem sũt electi, sed de eorum catalogo, qui ex gratia Dei, iuxta præsentem iustitiam ad vitam æternam ius habent: & verò ipse dicendi modus adeò est in hanc rem manifestus, vt vix aut ne vix quidem apertior alius excogitari posset. Nam vt præfata Dauidis verba, *deleantur de libro viuentium*, diram imprecationem, & grauissimi supplicij comminationem continere diximus: ita in his peculiaris Dei fauor, in iustorum, siue etiam in eorum, qui ex toto corde, & animo ad Deum reuertuntur gratiam ostenditur. Est enim sensus, sic eos in iustorum catalogo asseruandos, & retinendos fore, vt inde iam minimè deleantur; sanè, quasi ex eo libro vitæ, de quo inibi sermo est, aliquorum nomina deleri possint, & re ipsa deleantur. Ad quem sanè modum Ecclesia in Collecta Dominicæ primæ Quadragesimæ, quæ tribuitur Sancto Augustino orat, *vt omnium fidelium nomina beata prædestinationis liber ascripta retineat*. Quid autem sit, inde aliquem deleri, aut quando aliquis à Deo deleri censeatur, optimè inibi tractat Alcazar omnino videndus.

S. Thom. Anselm. Lyra.

17. Ex his duo placet inferre, quæ ab iis, quæ dicebat Theoph. omnino eunt: alterum, huic libri vitæ acceptioni affinem eam locutionem esse, qua nomina iustorum in cœlis conscripta esse dicũtur, vt apud Lucam Dominus cap. 10. 20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subiiciuntur. Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*. & apud Paulum ad Hebræos 12. 22. *Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis*. quæ eadem omnino esse videntur cum verbis ad Ephes. 2. 19. *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei*, hoc est, qui in eumdem censum, siue catalogum cum Sanctis, id est, in eiusdem ciuitationis habitationem cõscripti estis. Hæc autem à Paulo non dici de ea scriptione, quæ est secundùm æternam Dei prædestinationem, quæ falli, aut mutari non potest, sed cùm fideles Christo nomen dantes ex baptismate, & statu gratiæ ad cœlestis beatitudinis brauium ius habent, inde liquet, quòd non vni aut alteri iustorum, sed toti Ephesiorum, & Hebræorum Ecclesiæ dixerit. Quid, quod ipsamet locutio, nominum in cœlis conscriptorum, cùm desumpta sit ex more, quo ciues in albo, siue milites in catalogo conscribuntur, id solùm exigit: possunt enim milites in catalogo conscripti, inde deleri, quòd in acie cadant, aut ciues ob turpia flagitia è ciuium albo expungi soleant. alterum non nisi sub hoc sensu de suis adiutoribus dixisse, eorum nomina in libro vitæ scripta esse, quod optimè docuerunt Cornelius, & Estius. Minimè enim probabile videtur, Paulum eos, quos hac eadem epistola cum metu, & tremore suam salutem operari monuit; modò de ipsorum perseuerantia, & æterna beatitudine, quasi de ea ipse reuelationem à Deo accepisset, certiores reddere velle: sed tantùm inde eos demulcere, quod secundùm præsentem iustitiam ex Dei vocatione ad fidem, cætúmque fidelium: siue etiam quòd Dei amicitia digni haberentur, in libro vitæ essent conscripti. Quòd si frigidè id dici existimes, quasi parum sit Paulum de suis adiutoribus nihil maius, quàm de toto Philippensium cætu enunciare: dicito loqui Apostolum de peculiaribus notis, quibus adiutores suos ad librum vitæ pertinere coniiciat, vti explicat ea Christi verba ad discipulos, *gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cælis*. S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de adoratione in spiritu; dum cum illis Domini ad Moysem Num. 1. 2. *Accipe summam omnis cogitationis filiorum Israel per cognationes suas, & per domos familiarum suarum per numerum, ex nomine ipsorum per capita, omne masculinum à viginti annis, & supra, omnis, qui ingrediatur in exercitu Israel, numerate eos cum exercitu eorum*; ad hunc modum componit. *Qui igitur mas sit, & ad progeniem aptissimus ad iuuentam peruenit, id est, ad firmitatem spiritualem, & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi, cum in præscriptionem diuinam, & in librum Dei relatum esse, perspicuum esse poterit, vel maximè ex his verbis: neque alia de causa numeratur, vt opinor, masculus, & vigesimus annus, & suprà natus, quam vt nos quoque intelligamus, reiici à Deo, atque improbari, quòd imbelle sit atque sensu minimè perfecto, quorum vtrumque inesse dicimus eis, qui adhuc adolescentes sunt, necdum ad iuuentutis mensuram peruenerunt: quam quidem mensuram diuersa lex & nouit, & definit, isque est annus vigesimus. In pretio autem is est, & in numero habetur, & à Deo cognoscitur per populum & genus, & capita, & nomen quisquis iam ætate adulta, & masculus est: sanctis enim Apostolis qui einsmodi iam virili ætate essent, & in eam peruenissent rationis mensuram dictum à Christo est.* Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Hactenus Cyrillus. At enim quod priùs diximus, omnino certum esse videtur.

Luca 10. 20.

ad Hebr. 12. 22.

ad Ephes. 2. 19.

Cornel. Estius.

S. Cyrill. Alexand. Num. 1. 2.

Non ergo loquitur Paulus de libro vitæ prout strictè sumitur pro *firma notitia de prædestinatis*: vt ipsum num. 14. diffiniebat S. Thomas, sed vt in illo iusti, quà Deo sunt grati, tamquam digni immortali vita, & qui ad cœlestem patriã pertinent, scripti sunt, quãuis inde postea deleri, & amoueri queant, iuxta præfata Dauidis verba, *deleantur de libro viuentium*, & illa Apocalypsis. *Non delebo eum de libro vitæ*. His iam aliquis forsan obiiciat, ex præfata doctrina subinferri, nullum esse in scriptura testimonium, vbi de libro vitæ propriè sumpto, in quo scilicet electi secundùm æternam Dei prædestinationem, quæ falli, aut mutari non potest, scripti sunt, mentio fiat; sed respondeo, immò verò plura sunt, eáque egregia loca, quæ librum hunc adstruant, & ille in primis Apocalyps. 13. 8. *Et adorauerunt eum, omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi*. vbi, siue sensus sit, Agnum occisum esse ab origine mundi, vt volunt Irenæus, Anselmus, Ansbertus, & 18.

Apoc. 13. 8.

Irenæus. Anselm. Ansbert.

& alij, siue, ab iis solùm adorari bestiam, quorum nomina ab origine mundi non sunt scripta in libro vitæ, vt explicat Ambrosius Beda, Aretas, & plures: dubio procul asseritur librum vitæ, in quo electi ex diuina prædestinatione scripti sunt, esse rem propriam Agni occisi, *vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum*. Ioan. 11.52. & ideo vel ab origine mundi in mente diuina ad prædestinatos occisum fuisse, vel merita, & virtutes iustorum, qui à mundi illecebris puram & incontaminatam tunicam custodierunt, egregium Paschatis, & mortis Christi fructum esse. Quibus quidem verbis omnino cōsentanea sunt, quæ in eodem libro Apocal. cap. 20. & 21. continentur: sic enim cap. 20. 12. dum de extremo iudicio sermo est: *& vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ*: & statim vers. 15. *& qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*: quæ eadem omnino esse dixeris cum illis Daniel. 12. vers. 1. *Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*; subdit enim: *Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper.* Similiter Apocal. 21. 27. de cœlesti Hierusalem dicitur: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.* Iuxta ea verò, quæ de origine, siue radice huius appellationis libri vitæ diximus, num. 15. illa Apocalypsis verba: *& qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*; nec non, & quæ iis in Daniele respondent: *Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro*, pulchram emphasim habent, nimirum; sic electos in libro vitæ conscriptos inuentos fuisse, vt alij qui in eodem aliquando libro conscripti fuerant, iam non sint inuenti, quòd ob sua demerita inde amoti, & deleti fuerint: nam si attendis, ea vis inest huic dicendi modo, *omnis qui inuentus est in libro*, sicut & illi, *qui non est inuentus, &c.* Sanè quasi *liber vitæ Agni*: in quo qui simpliciter, & ex prædestinatione electi solum modò scripti sunt, respōdeat chartæ illi, quæ quotannis ex vetere transumpta renouabatur, in qua eorum nomina, qui exstincti fuerant, non transcribebantur: atque hoc modo vna ex parte idem sit cum libro in quo conscribuntur omnes qui ad fidem, & gratiam Dei vocantur, quamuis ex iis non omnes tandem salutem consequantur, siue cum catalogo, in quo ciuium cœlestis Hierusalem nomina appinguntur; ex alia verò peculiaris, & alius ab illo sit: dum tamquam charta sine litteris renouata concipitur.

19. Iam tandem hinc etiam noueris omnino impropriè à Theophylacto, & aliis dici esse apud Deum librum mortis: optiméque id à S. Thoma citato loco 1. p. q. 24. art. 1. ad 3. negari ad hunc modum. *Dicendum, quòd non est consuetum, scribi eos, qui repudiantur, sed qui eliguntur: vnde reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.* Sic Angelicus Doctor, & quidem tum origini huius appellationis libri vitæ, tum Dei ingenio opportunissimè: nam si ad primum attendis, non erat alius liber, siue catalogus, in quo mortuorū nomina scriberentur: nec vlla vnquam Respublica, quæ bonorum ciuium nomina in libro appingebat, alterum habuit codicem, in quo damnatos ciues conscriberet, iam Dei ingenio lethalis is liber maximè repugnat; nam vt apud illum certa etiam reproborum notitia sit, ad id

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

quasi ex accidenti esse dixeris, quòd impij diuino ingenio reluctante mortem pedibus, & manibus accersant: vide quæ diximus ad cap. 1. vers. 10. adnotat. 8. tota, & ad ea verba, cap. 3. vers. 19. *Quorum finis interitus.*

VERSUS IV.

Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.

SIMILIA omnino verba iis quæ cap. 3. vers. 1. dixit: Ad tibi dicta; adde verò Chrysostomum sic hæc elucidantem. *Cum Christus dicat*, Beati qui lugent, & væ ridentibus, *quid nunc significans Paulus, ita inquit*, Gaudete in Domino semper. *Non sanè aduersatur Christo, absit. Væ enim dixit Christus ridentibus risum mundi huius, qui ex rebus præsentibus oritur: & lugentes beatos prædicauit, non quouis modo lugentes ex familiarium ac rerum suarum amissione, sed eos, qui compunguntur, qui sua lugent mala, qui peccata sua expendunt, aut etiam aliena. Non est autem eiusmodi luctui contrarium hoc gaudium, quinimo a luctu illo gaudium hoc procreatur. Nam qui luget sua mala, & confitetur, is gaudebit. Præterea vero licet lugere quidem propter peccata sua; gaudere autem Christi causa. Quoniam igitur vexabantur rerum molestarum perpessione.* Vobis enim datum est, *inquit*, non solùm, vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini; *propterea inquit*, In Domino gaudete. *Idem enim significat, ac si dixisset. Talem vitæ rationem ostendite, vt gaudendum sit*, Sic Chrysost. & statim. *Ergo vel hoc inquit, vel vocula illa in valet idem, atque cum, id est, cum Domino semper.* Consentanea habent Theophylactus, & Græci. Anselmus verò luculenter hæc versat: Sic enim primum gaudete, *inquit, id est, cor vestrum exhilarate, & omne bonum, vnde gaudendum est; statuite vobis in Domino non extra, & hoc adeò necessarium vobis est, quod* iterum dico, gaudete, *vt tristitia sæculi nullum in vobis locum inueniat, sed totos lætitia spiritualis vos repleat.* Gaudete in Domino, *& non per interualla, vt modò gaudeatis, modò non gaudeatis, sed* semper *gaudeatis, siue in prosperis, siue in aduersis, &c.* Gaudete, *sed* in Domino, *non in sæculo. Sicut enim* nemo potest duobus dominis seruire, *sic nemo potest in Domino, & in sæculo gaudere: contraria enim sunt hæc duo gaudia.* Ita ille. Cui accinit Remigius, inquiens: *Vos qui non gaudetis in temporalibus negotiis, & terrenis, caducis, transitoriisque rebus*, gaudete in Domino, *fide, ore, & opere, & mente, & corpore.* Sed enim hæc S. Thomas pulcherrimè, & enucleatissimè explicat, atque elucidat hunc in modum: *Conditiones autem quatuor veri gaudij tangit Apostolus: & primò, quod debet esse rectum, quod est, quando est de proprio bono hominis, quod non est quid creatum, sed Deus. Psalm. 72.* Mihi adhærere Deo, bonum est, &c. *Tunc autem rectum est, quando in Domino; ideo dicit*, in Domino *Nehemiæ* 8. Gaudium Domini est fortitudo vestra. *Item continuum, vnde dicit*, semper, 1. *ad Thessal. vlt.* Semper gaudete: *quod fit, quando non interrumpitur peccato, tunc enim est continuum. Aliquando verò interrumpitur per tristitiam temporalem, quod significat imperfectionē gaudij.*

Cùm enim quis perfectè gaudet, non interrumpitur eius gaudium, quia parum curat de re parum durante, & ideo dicit, Semper. *Item multiplicatum debet esse, si enim gaudes de Deo, imminet tibi, gaudere de eius incarnatione*, *Lucæ* 1. Euangelizo vobis gaudium magnum; quia natus est, &c. *Item, vt gaudeas de actione, Prou.* 21. gaudium est iusto facere iudicium, &c. *Imminet tibi gaudium de contemplatione*, Sapient. 8. Non habet amaritudinem conuersatio illius. *Item si gaudes de bono proprio, imminet tibi similiter de bono aliorum.* Hactenus S. Thomas. Iam verò hæc omnia quæ tradunt hi PP. sic vno verbo complexus est, de more, Primasius: *Gaudete in Domino semper, quia in sæculo gaudium non habebitis, sed pressuram*: quasi duo hîc adstruat Paulus; alterum solam virtutem sufficere ad perpetuum gaudium: alterum, mundi gaudia, nec perpetua, nec vera esse posse.

Lucæ 1. Prou. 21. Sapien. 8.

Iterum dico, gaudete.

2. Anselm. Bruno. ANselmus. *Et non semel dico*, sed iterum, *vt gaudeatis, confirmans, & inculcans repetita commonitione gaudium.* Ad quem modum B. Bruno: *si semel diceret*, gaudete, *non videretur hoc velle, numquàm aliud, sed quia hoc magis suadere intendit, numquam nimis dicit, quod nunquam nimis fit.* Aliter S. Thomas, & Chrysost. ad perpetuitatem gaudij referentes, sic enim ille post adducta verba: *item si de præsenti, imminet tibi gaudium de futuro, & ideo dicit*: iterum dico, gaudete Chrysostomus verò. *Hoc valde fidentis, inquit, est ac ostendentis, eis qui in Deo est, semper gaudendum esse, etiam si prematur, ac quidvis patiatur, hic semper gaudet. Audi enim Lucam de Apostolis dicentem*, Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV verberibus cædi. *Si verbera, & vincula, quæ præ cæteris videntur molesta, gaudium pariunt. Ec quid tandem erit aliud, quod nobis afferre dolorem queat?* Rursus dico, gaudete. *Rectè verba ista geminauit, quoniam rerum natura dolorem sanè pariebat: ergo ex ista repetitione ostendit gaudendum omnino esse.* Sic Chrysost.

S. Thom. Chrysost.

Ad ea verba, *Gaudete in Domino semper.*

ADNOTATIO Vnica.

Sæculi gaudium falsum, mancúmque esse. A bona conscientia perpetuam & interruptam lætitiam scaturire.

1. SI animum aduertis, in hoc gaudij cardine omnes res nostræ vertuntur: hoc cuncti mortales optamus, concupiscimus, quærimus, inuestigamus, pro hoc laboramus, fatigamur, bella mouemus: & siue pecunias, siue honores, siue voluptates expetimus, eò aspicimus, vt inde gaudeamus: vis ergo gaudere? & indesinenter gaudere? virtutem sectare, & siue prospera, siue aduersa vitæ fortuna, perpetuo, & indeficienti gaudio reficieris. Audi non Paulum; sed Ethnicum, & poëtam: & vt ipsemet de se dixit, Epicuri de grege porcum: etenim Horatius cùm ardentia hominum vota pro vero gaudio obtinendo sic descripsisset,

Horatius. *Nauibus, atque quadrigis petimus bene viuere:*

Hoc est, iucundè, & hilariter degere: subiicit,

Quod petis, hic est, habes, animus si te nō deficit æquus.

Ac si cum Cassiodoro *in formula consularitatis* dixerit. *Illud ergo a te quæritur, quod in pectore humano nascitur, non quod terra visceribus continetur*: vt dicere videatur, quid naues? quid quadrigas paras? quid opes congeris? quid ad honorum culmina anhelas? à te pete, quod in te nascitur, cole iustitiam, & veri gaudij fructus percipies: aut cum Philone in libro. *Quod deterius potiori insidietur*; dixerit. *Quia igitur in solis animi bonis genuinum & sincerum reperitur gaudium: ideo in se quisquam sapiens gaudet, non in iis, quæ circa ipsum.* pulchrè, *in se sapiens gaudet*, id est, intus in animo æquo, & in bona conscientia; quæ iuge conuiuium est: at pulchriùs, & luculentiùs Seneca Epist. 23. Lucillum sic instituens, atque demulcens. *Existimas me nunc detrahere tibi multas voluptates, qui futura submoueo, qui spes dulcissima oblectamenta, deuitandas existimo; immò contra nolo tibi vnquam deesse lætitiam, volo illam tibi domi nasci. Nascetur, si modò intra te ipsum sit: cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt: leues sunt, nisi fortè tu iudicas, illum gaudere, qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens & super omnia erectus. Mihi crede, res seuera est verum gaudium.* Hæc ibi, & alia postmodum afferenda. Pende singula; sed vt melius cadant, audi Salomonem alio, ac communiter capitur sensu, hæc monentem.

Cassiod. Philo. Seneca.

Certè Prouerb. 5. 15. sic habetur: *Bibe aquam de cisterna tuâ, & fluenta putei tui*: siue, vt LXX. habent, *Bibe aquas de tuis vasis, & de puteorum tuorum fonte.* Quæ quidem verba omnino è re hac sunt: nam si rectè iudicas, ab iis qui hæc de coniugio, & legitimo eius vsu interpretantur, omnino abibis, vel quòd is sensus humi repens, & tanto monitore indignus sit, vel quòd iuxta Rupertum, & S. Thomam & ab iis adductum Hieronymum, ad hæc verba alluserit Dominus Ioan. 7. 38. clamans. *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*; ergo vtraq; Christi, & Salomonis verba de vero animi gaudio, quod domi ex iustitiæ siue virtutis cultura nascitur accipienda sunt: quasi ex aquæ imagine, quæ vna omnino sitim explere potest, cæteris ad id rebus nec hilum proficientibus, inde moneamur ab vna virtute verum gaudium, atque lætitiam oriri, quin alia omnia, quæcumque illa sint honores, opes, voluptates, regna tantillum ad id valeant non magis quàm ad explendam corporis sitim. Inest verò tam Christi, quàm Salomonis verbis elegantissima emphasis, dum ad exsaturandam sitim, siue ad solidam lætitiam parandam non aliunde, quàm à nobis ipsis aquam hauriendam exigendamque volunt, vt dicere videantur,

2. Prou. 5. 15. Rupert. S. Thom. Ioan. 7. 38.

Quod petis, intus habes, &c.

Cui cogitationi sic rursus indidem opportunè dicebat Seneca, *ad verum bonum specta, & de tuo gaude. Quid est autem hoc? de te ipso, & tui optima parte*, & statim, *veri boni auiditas tuta est, quid sit istud interrogas? aut vnde subeat? dicam ex bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitæ, & continuo tenore, vnam prementis viam*, & eadem elegantia, ac opportunitate Epist. 20. *Huc ergo cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, vt contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis, quæ potest esse felicitas Deo propior?* Benè omnino *temetipso, & ex te nascentibus bonis:* nam nisi ex te nascatur gaudium, verum non erit, nec eo tu aliquando contentus. *Bibe ergo aquam*

Seneca.

de cisterna tua, & fluenta putei tui, secus sitim nunquam explebis; vel audi Plutarchum lib. *de virtute, & vitio*, sic dicentem. *Atqui iucundè viuere, & hilariter, non a foris est: sed contra homo rebus ipsis, in quibus versatur, lætitiam, & oblectamentum ex moribus suis, quasi fonte addit.* Ita quidem de Isaëlitis vana gaudia, & voluptates turbidas sectantibus dicebat Dominus Isaiæ 51. 20. *fily tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum sicut oryx illaqueatus*, vbi Orycis imaginem huic rei aptissimam esse facile cognosces ex his, quæ de ipso inquit Plinius lib. 10. cap. 73. *Animal perpetuo sitiens ex naturali loco Africæ, vbi est perpetua aquarum carentia, & tamen iste ad remedium sitientium prodest mortuus, quia in eius corpore inueniuntur vesicæ plenæ aqua saluberrima, quibus latrunculi getuli contra sitim vtuntur.* Præfert enim id sæcularium hominum, siue mundi amatorum imaginem, quod videris perpetuò sitientes, quin liquidæ lætitiæ, aut veri gaudij partem percipiant, quod gaudium non à se, sed extra se petant, nec de cisterna sua bibere & bonis intus nascentibus gaudere, sed turbidis, cænosisque exteriorum bonorum aquis sitim suam explere quærant. O miserum, & inexplebilem sitientem! qui velut oryx aquam ad manum habeas saluberrimam, & perpetuò sitias, *illud a te quæritur, quod in pectore humano nascitur, non quod terræ visceribus continetur.*

Isaiæ 20. 21. Plinius.

3. Prudentiores quidem sese arbores exhibuerunt, cùm ad regium culmen euocatæ gaudium, quod in ipsis nascitur, quàm quod aliunde à regio honore aduenit, amplecti maluerunt. Audi apologum Iudicum 9. 8. *Ierunt ligna, vt vngerent super se regem; dixerúntque oliuæ, impera nobis. Quæ respondit, Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua, & dij vtuntur, & homines, & venire, vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad arborem ficum. Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructúsque suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? locutáque sunt ligna ad vitem, veni, & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines, & inter cætera ligna promouear?* vt nimirum documento nobis sit, veram animi iucunditatem à foris à rebus externis minimè accidere: sed domi nasci ex bona conscientia; honestisque consiliis, pulchrè id Procopio Gazæo, & Ambrosio adnotantibus; sic enim prior ad id loci. *Quasi dicat: Non opus habeo isto honore ascititio, quem proprium, & vernaculum ex meis fructibus habeo.* Sed multo luculentiùs Ambrosius lib. 3. Hexaëmer. cap. 12. inquiens; *sanè vt caduca tibi noueris communia esse cum floribus; ita etiam læta cum vitibus, quibus generatur vinum, quo cor hominis lætificatur. Atque vtinam ô homo huius generis, seu plantæ imiteris exemplum, vt ipse tibi lætitiam, iucunditatémque fructifices. In te ipso suauitatis tuæ gratia est, ex te pullulat, in te manet, intus tibi, id est, in te ipso quærenda iucunditas tua est conscientia*; obserua illud: *vt caduca tibi noueris communia esse cum floribus, ita læta cum vitibus.* quod perinde est, ac si dicat cum Seneca: *cætera hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt, leues sunt*; siue etiam, *Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfusoriam voluptatem, & quodcumque inuectitium gaudium est, fundamento caret*, gaudia scilicet floribus similia, quæ citò euanescunt, nec aliquid illis solidi, aut firmitatis subest: sic inquit Anselmus ad hæc Pauli verba, in quibus sumus: *& ideo non in sæculo gaudete: sed in Domino, id est, non in iniquitate, sed in veritate, non in flore vanitatis, sed in spe æternitatis*: at gaudium *in Domino*, verum est, & solidum, & firmissimis fundamentis innixum, quippe quod domi nascitur, & à virtute indeficienter oritur, *ex te pullulat, in te manet.* A quò sanè in illo arborum apologo non it, rhamnum regnum à prudentibus arboribus repudiatum acceptasse, quasi digito indicantem miseros sæculi amatores, qui veram, & germanam lætitiam, quam bona sibi conscientia fructificat despicientes, in externis bonis frustrà & inaniter gaudium quærunt: *in lubrico enim felicitatis humanæ* (dicebat alibi adductus S. Laurentius Iustinianus) *pedem figere molientes desideriorum suorum finem quærunt, nec inueniunt.*

Iudic. 9. 8. Procop. Ambros. Anselm. S. Laurent. Iustin.

4. Hinc notanter de iustis Regius Vates Psalm. 118. 165. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* De impiis verò Isaias c. 57. 21. *Non est pax impiis dicit Dominus*; sed peculiares vtriusque loci lectiones obserua. Certè apud Dauidem pro, *non est illis scandalum*, mentem LXX. secutus, quam benè inibi adstruit Agellius, opportunè verteris, *non est illis singultus, aut scrupulus cordis*: vt summa animi quies, & tranquillitas nullo angore, mæroréve vnquam turbata, sed perpetua lætitia, & serenitate prædita significetur: sic dixit Basilius in constit. monast. cap. 3. *Repentini, & qui præter spem eueniunt verum casus, ij sunt, qui perturbationem hominum mentibus solent afferre. Quem autem praua affectio prorsus nulla obturbat, hunc sine dubio ritè, & vt par est, lætari existimandum est, eiúsque lætitiam immutabilem esse, atque sempiternam, quando lætitia virtutis atque bonitatis est affectatrix.* Iam Isaiæ verba sic reddiderunt LXX. *Non est gaudere impiis dicit Dominus.* Notetur dicendi modus: quo impios non solùm non gaudere; sed nec gaudere posse innuitur, quasi eius naturæ gaudium sit, quod illis minimè conueniat; Hispanè significanter dicas, *No se hizo el contento para ellos*; videris hinc quidem, quàm iustam causam defendendam susceperit Chrysostomus homil. 9. in epist. 2. ad Corinthios, cùm etiam in hac vita, multo veriora, ac securiora iustorum hominum, quàm impiorum gaudia, multis rationibus, & argumentis ostendit. Ferebat sanè illa ætas ab hac ferrea nostra haud dissimilis homines impuris carnis, & ventris voluptatibus dediti. quibus vt corpus voluptati, & anima oneri erat, ita de futuræ vitæ præmiis, atque suppliciis nihil cogitantes; nihilque curantes, turpissimam parœmiam vsurpabant. *Da mihi hodiernum diem, & crastinum cape*: id est, sine me præsentis vitæ voluptatibus perfrui, tu verò futura bona, quæ iactas, tibi habe, nec tanta stultitia contenti, in re maximè seria, summíque momenti iocantes, illa à circo verba mutuabantur: *Si talia illis erunt, qualia ipsi dicitis, vnum pro vno erit, sin autem, nihil omnino fit, duo pro nullo*; quod perinde erat, ac si dicerent, si quæ de iustorum præmiis, & improborum suppliciis dicitis, vera omnino sunt; nihil nos amittimus, sed æqua sanè conditione eum iustis sumus, cùm nos præsentia habeamus, illi verò futura: sin autem falsa, & ficta, ô iam nos duplici nomine beatos! quippe qui, & in hac vita omni delitiarum genere perfruemur, & in altera nullam sustinebimus pœnam, nec quidquam mali experiemur, sed mitia nobis omnia, & pacata erunt: vos verò è contra duplici de causa eritis infelices, cùm & in hac vita summis laboribus, & ærumnis vos

Ps. 118. 165. Isaiæ 57. 21. LXX. Basil. LXX. Chrysost.

vos ipsos sponte confeceritis; & in alia sperata mercede fraudabimini, & æqua nobiscum conditione eritis. Quàm quidem tam de diuina iustitia, quàm de virtutis natura falsissimam, & execrabilem sententiam grauissimè eo loco refellit Chrysostomus, (Chrysost.) multis adstruens, improbis non modò duo pro nullo, sed ne vnum quidem pro vno fore, cùm & in altera vita miserrimus illis status maneat, & in hac non multo melioris conditionis sint, exagitati; iustis verò rem contrà omnino euenire, & versa vice duo pro nullo habere, quòd modò suauissimam, & veri gaudij plenam vitam degant; postmodum autem cælestia, æternúmque duratura bona sint percepturi. Audi iam pauca è multis Chrysostomi in hanc rem verbis (& quidem ad gustum Iacobi Billij lib. 1. obseruationum sacrarum è Græco translata: ipse enim vbi de iustis agitur, tam ex contextu, quàm ex mente Chrysostomi acutè contendit, non esse legendum, (Chrysost.) *duo pro vno*, sed potiùs, *duo pro nullo*: & quidem res ipsa pro se loquitur) sed *ego vero porrò progrediar, illúdque tibi ostendam, ne vnum quidem pro vno improbos habere, sed ita comparatam esse huius rei rationem, vt iustis quidem duo pro vno futura sint: iis autem, qui perditè, & flagitiosè viuunt, ac delicias amplexantur, contra omnino. Nam qui in hac vita se voluptatibus dediderunt, ne vnum quidem pro vno acceperunt; qui autem vitæ curriculum cum virtute conficiunt, duo pro nullo, vtri enim, quæso, in voluptate sunt, qui præsenti vita ad luxum, & delitias abusi sunt, an qui ex Christianæ Philosophiæ præceptis vitam suam moderati sunt? Tu forsan illos dices, ego autem hos esse ostendam, & quidem eos ipsos testes citans, quibus præsentibus bonis frui contigit. Nec verò ita perfricta fronte erunt, vt aduersus ea, quæ dicturus sum, niti audeant.* Pergit multis, omnia sæculi bona sigillatim traducens, ostendens plena singultuum mæroris atque cruciatuum esse.

5. Spondet pro Chrysostomo Sapiens Ecclesiastici 40. 1. (Eccli. 40. 1.) vbi cùm dixisset graue iugum, & importabile laborum, atque defatigationum onus super ceruices filiorũ Adam à die natiuitatis ipsorum impositum esse, eósque in perpetua anxietate, timore, zelo, furore, tumultu, & fluctuatione indesinenter versari, subdit. *A residente super sedem gloriosam vsque ad humiliatum in terra, & cinere; ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronam vsque ad eum, qui operitur lino crudo. Modicum tanquam nihil in requie*: siue, vt habet lectio Tigurina, *Modicum, aut penè nihil datur quieti*: vbi præter quàm quod vides, meritò rebus humanis accommodari posse quod est in prouerbio: *Plus aloes, quam mellis habet*. Sapienterque dixisse Senecam (Seneca.) epist. 99. *Hoc quod inter primum diem, & vltimum iacet, varium, & incertum est, si molestias æstimas, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum.* Pende florentem Dynastarum, ac Principum fortunam tristitiæ, & mæroris plena, & mille molestiis obnoxiam appositè hyacinthi imagine explicari: siue is vt flos, siue vt lapis sumatur. nam de hyacintho lapide Plinius lib. 37. cap. 9. qui est de hyacintho, (Plinius.) sic inquit. *Primo quoque aspectu gratus euanescit, antequam satiet, adeóque non implet oculos, vt penè non attingat marcens celeriùs nominis sui flore*: estne alia humanæ felicitatis, siue sæcularis gaudij natura? Iam si ad hyacinthum florem allusit Ecclesiasticus, æmulabantur enim vestes antiquitus (vt idem Plinius ait lib. 21. cap. 8.) agri flores: multo opportunius vitæ huius mimus; & dolor ei indesinenter adhærens exprimitur; etenim cùm *is flos, ex cruore sit editus* (sic ex Pausania (Pausan.) Plinius lib. 21. cap. 11. tangens fabulam de puero Apollini dilecto infeliciter, ac intempestiuè occiso) *ita discurrentibus venis, vt Græcarum litterarum figura AI, legatur inscripta*: vt velit sapiens, regiam, & supremam virorum Principum fortunam sub vestis imagine florem hunc æmulantis ror esse doloribus, & molestiis obnoxiam, vt nullus in ea lætitiæ aut voluptatis flos legi possit, quem acerbus dolor, interiectione illa *AI*, Latinè *Heu* doloris manifestatiua expressus non comitetur: id quod in volumine illo, Ezechieli ostenso cap. 2. 9. (Ezech. 2. 9.) in quo Israeliticæ Reipub. status continebatur, descriptum videris, quippe *in eo scriptæ erant lamentationes, carmen, & væ*: nimirum, vt inquit Ambros. (Ambros.) lib. 2. de pœnitentia cap. 6. *duo tristia, & vnum delectabile*; quasi vni lætitiæ parti duæ mæroris respondeant: immò verò *carmen*, id est, *vnum delectabile*, sic sit inter *lamentationes & væ* interiectum, & circumscriptum, vt nulla liquidæ voluptatis pars supersit, quæ à tristitia, à qua incipit, & dolore in quem desinit non absorbeatur: certè si attendis sæculi gaudia, à timore, & desperatione incipiunt, vti dicebat Ennodius in Panegyrico. (Ennod.) *Minus diligo prospera, quæ sumunt à desperatione principium*, & in luctum, atque dolorem desinunt: nam *extrema gaudij luctus occupat*, Prouerb. 14. 13. & ideo vnum delectabile sic est inter duo tristia vinctum, atque conclusum, vt sui compos esse non valeat.

6. At enim præfatis Salamonis verbis, *extrema gaudij luctus occupat*; plus acuminis inesse videtur: nimirum vt nulla rebus creatis, siue terrenis voluptatibus puri gaudij pars respondeat, sed quòd fictum, atque fucatum sit: quod nimirum sub falsa gaudij specie, siue larua luctus, & mæror abscondiri delitescant, quod ad vers. 8. cap. 3. adnot. 1. & hoc cap. vers. 8. adnot 3. num. 9. copiosè adstruimus, & modò ex acuta expositione, quam his verbis prouerbiorum adhibet venerab. Galfridus (Galfrid.) firmamus: sic enim ille in allegoriis Gotfridi Tilmani. *Infelix mixtura est, si materia lugubris fallacem sibi formam inducat gaudiorum, & effectum lætitiæ causa tristis vsurpet.* Pulchrè *materia lugubris*, falsa scilicet gaudij forma ad decipiendos infelicium sæcularium animos contecta. At cur materia lugubris? cur causa tristis lætitiæ effectum vsurpet? Vis nosse? Quia sæculi gaudia, terræ fructus sunt: iam terra homini ex Dei præscripto *spinas, & tribulos* germinat, Genes. 3. 18. (Genes. 3. 18.) nec tam dixeris, rosam spinis circumseptam, quàm spinam rosæ specie contectam esse, atque ideo mundi gaudia nisi specie tenus, oculos animúmque mulcere. Audi ea de re Basilium homilia de Paradiso: *Rosa hic spinis est coniuncta externa gratia molestiam obtegens, & tantùm non aperta nos voce contestans, ac dicens: Quæ iucunda vobis sunt, ò homines tristibus permixta sunt. Nam verè in humanis bonis ita comparatum est, vt nullum eorum sincerum sit, sed confestim lætitiæ, & hilaritati conglutinetur mæstitia, coniugio viduitas, puerorum educationi cura, & sollicitudo fœcunditati abortus, vitæ splendori ignominia, prosperis successibus dispendia, delitiis satietas, sanitati infirmitas.* Hæc, & alia Basilius, (Basilius.) quibus similia scripsit Ambros. (Ambros.) libr. 3. Hexaëmeron. cap. 11. hunc in modum. *Surrexerat antè floribus immixta terrenis sine spinis rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat: posteà spina sepsit gratiam flori, tanquam humanæ speculum præferens vitæ, quæ suauitatem perfunctionis suæ finitimis curarum stimulis sæpe compungat. Vallata est enim elegantia vitæ nostræ,*

& quibuſdam ſolicitudinibus obſepta, vt triſtitia adiuncta ſit gratia, & poſt pauca *truiunes igitur, ô homo, licet aut ſplendore nobilitatis, aut faſtigio poteſtatis, aut fulgore virtutis ſemper tibi ſpina proxima eſt*. Hæc Ambroſius.

7. Preme vero, vt plus hæc diffundas, quod de hyacintho dicebat Plinius. *Primo quoque aſpectu gratia euaneſcit, antequam ſatiet, adeòque non implet oculos, vt penè non attingat*. Nam ſi verè æſtimas id non tam gaudere, quàm dolere eſt, nec lætitiæ partem, ſiue initium, ſed meri mæroris, & triſtitiæ ſummam. Nam gaudia dũ quæris, & ad ea ob oculos poſita ſuſpiras, & manu pertentas, nec tamen colligis, ſiue inuenis, animúmve imples, acriter doleas, neceſſe eſt: vt enim *lignum vitæ deſiderium veniens*, Prouerb. 13. 12. ita Ariſtotele auctore, *Qui concupiſcit, & non adipiſcitur, dolet*. Hinc ſanè, ſpiritualium, temporaliúmque gaudiorum magnam ſimilitudinem magnámque diſſimilitudinem videris: ſunt enim in primis ea in re vtraque maximè æqualia, vt ſui deſiderio amatores ſuos acriùs excitent, atque incendant. nam de roſa quidem, quæ temporalium typum gerit ſcitè dixit Baſilius epiſt. 149. ad Libanium ſpinis circumſeptam, & armatam eſſe, vt auidiùs, & ardentiùs legatur: ipſa difficultate legentis manus accendente, ſtimuliſque ad legendum ſtimulantibus: ſic namque ait. *Et tale quid de roſis, quemdam ſiue ioco ſiue ſeriò referentem audiui quòd roſarum amatoribus natura minutas illas ſpinas quaſi quædam amatoria illectamenta iſti flori affixerit, vt ſtimulis illis ægrè contactum admittentibus ad maius deſiderium colligentes prouocet*. Quo etiam intentus opportunus pudicitiæ arbiter Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 14. dicebat, *non dicam pudicam, quæ amatorem vt incenderet, repulit*. & neſcio quis græculus apud Adagiographum in paræmia: *iniuria ſoluit amorem*.

Falſum eſt quod iactant, iniuria ſoluit amores.
Morbum quippe meum prouocat illa magis.

Nec multo aliter cum ſuis Deus ſe gerit, ſed velut roſa ſpinis, legentis manum prouocat; ita ipſe, vt eos ad ſui amorem, & vera gaudia plus plus accendat, de induſtria repellit: vt in Magdalena Dominum quærente, eóque illius oculis magis, ac magis ſeſe ſubducente, ac dilabente Ioan. 20. 13. pulchrè conſiderat venerab. Drogo ſerm. *de Dominicæ Paſſionis Sacramento*, ad hunc modum. *Corpus erat ſublatum, & a monumento recedere non valebat, quo plus de manibus, & oculis auferebatur, eò ardentiùs animus inſequebatur*; & paulo pòſt: *amplius, & amplius ipſe te ad plorandum locus irritat, dum eius, quem quæris abſentiam tibi repræſentat*. At enim, vt dum vtraque bona ſui deſiderio plus plus ambientem accendunt, & æqualia atque ſimilia ſunt ita omnino inæqualia, ac diſſimilia eſſe videris hoc inter hæc, & illa infinito diſcrimine interiecto, quòd temporalia ideo animum accendunt, & irritant, vt magis vacuum reddant, plúſque illum dolore faciant; ſpiritualia verò è contra ipſum non alia de cauſa pungunt, niſi vt magis, atque magis impleant, atque reficiant: ita præfato loco expendente Drogone in Chriſto Domino ſub hortulani ſpecie Mariam Magdalenam alloquente, *O pium & ſpectabile pietatis ſpectaculum! ipſe qui quæritur, & deſideratur, & occultat ſe, & manifeſtatur: occultat ſe, vt ardentiùs requiratur, & requiſitus cum gaudio inueniatur, inuentus cum ſolicitudine teneatur*: Luculeutiùs verò Chryſoſtomus animi gaudium à ſæculi lætitia ſic diſcriminans ad ea verba Pſalmi 5. 11. *Decidant à cogitationibus ſuis & lætentur omnes, qui ſperant in te Domine*. in Catena Græca. *Hoc eſt maximè perpetuum gaudium; alia enim gaudia nihilo ſtabiliora ſunt, quam fluuiorum fluenta, quæ ſimul, ac videntur prætерfluunt. Quæ autem a Deo lætitia oritur, permanet, & fixis hæret radicibus, & per ſe ſatis eſt perpetua, & ſtabilis, quæ nullis inopinatis, & inexſpectatis caſibus interrumpitur, ſed quo magis eius impedimenta creſcunt, eò maior, & ſublimior redditur*. Hæc ille, & alia.

Plinius. Prou. 13. 12. Ariſtot. Baſil. Seneca. Adagiog. Ioan. 20. 13. Drogo. Drogo. Chryſoſt. Pſal. 5. 11.

VERSVS V.

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus propè eſt.

GRÆCVM τὸ ἐπιεικές, pro quo Noſter poſuit, *modeſtia* adiectiuum eſt neutrum ſubſtãtiui loco poſitum, propriéque *ſignificat quod decet, conſentaneum eſt, par eſt, æquum eſt, æquum & bonum, molle, lene, mite, modeſtum, miti ingenio, probis moribus, clemens ad inimicitias*: atque hinc ἐπιείκεια *ſummi iuris moderatio, clementia, lenitas, quam quis demiſsè agit cum ciue*; ex his verò ſignificationibus, quamuis conſentaneis atque ſimilibus variè, ac diſſimiliter legitur, atque explicatur hic locus: nam in primis Tertullianus inferiùs afferendus legit, *Probum veſtrum*: alij *rationabilis conuerſatio*; Lectio verò Syriaca ſic habet. *Manſuetudo veſtra innoteſcat omnibus*: & huic quidem lectioni Græcorum PP. explicatio omnino congruit; dum hæc accipiunt de moderatione animi in ferendis improborum moribus, ſiue calumniis, ne videlicet aduersùs illos inimico animo ſint: ſolent enim viri ſanctiores ſubitò contra impios excandeſcere; ſic namque Chryſoſtomus. *Dixerat paulo antè*. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. *Quoniam igitur veriſimile erat fore, vt hinc Philippenſes erga improbos infenſum animum ſuſciperent, propterea ipſos iam monet, vt nihil erga illos commune habeant, ſed magna cum æquitate vtamur non fratribus ſolùm ſed etiam inimicis, & aduerſariis*. Sic Chryſoſtomus: ſed enim obſerua, Flaminium Nobilium, qui hæc è Græco reddidit, vt in nouiſſima editione, quam ipſe accuratiſſimam, & emendatiſſimam dicit, habemus, Chryſoſtomi ſenſa non fuiſſe aſſecutum, nec enim vult Chryſoſtomus, vt textus, atque contextus manifeſtè oſtendunt, Paulum his verbis monere Philippenſes, vt nihil cum improbis commune habeant; ſed hæc illius mens eſt, Apoſtolum quod antea ipſis ſuggeſſiſſet, vt ab illis diligentiùs cauerent modò ne ea occaſione iis nimis infenſi eſſent, adhortari, vt erga ipſos peculiari animi moderatione atque modeſtia vtantur: vnde ille omnino aſſequitur Chryſoſtomum, qui hunc in modum reddit. *Poterat fieri, vt inimico animo redderentur aduerſum malos, ideo adhortatus, ne quidquam commune cum iſtis haberent, nunc adhortatur, vt illis modeſtè vtantur*. Ad quem etiam modum Theophylactus hæc ſic capit. *Tanquam id inquiat: Non ſolùm erga hos, quos crucis dixeram inimicos, acerbiores vos nequaquam præſtabitis, ſed benignè his velim, cæteris, & modeſtè vtamini, vel ſi infenſos vos habeant, & auerſentur*.

I. Græc. Lect. Tertul. Lect. Syr. Chryſoſt. Theoph.

tur. Paulo aliter Theodoretus; hanc modestiam siue moderationem ad ferendos aduersariorum insultus sic inflectens. *Forti, & generoso animo ferte insultus aduersariorum. Malum pro malo non reddite.* Nec ab hoc it Bernard. serm. in illud Apostoli, *Non est regnum Dei esca, & potus*, inquiẽs: gaudete in Domino semper, *ait Apostolus*, iterum dico gaudete: *& duplicis huius gaudij materiam secutus adiunxit:* Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est. *Quid modestia nisi mansuetudo, & patientia est? gaudeamus ergo de his, quæ exspectamus, quoniam Dominus propè est: Gaudeamus iterum de his, quæ sustinemus, vt modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Sic Bernardus.

2\. Deinde nonnulli è Latinis PP. proprietati vocis. *Modestia*, quæ, vt inquit Tullius, & ab eo August. lib. de vita beata, *vtique dicta est a modo*, qui rebus imponitur, ne plus, minúsve quàm par est illis subsit, hærentes, de temperantia, & modo in gaudio, & oblectatione adhibendo interpretantur, vt exigat à discipulis Apostolus hilaritatem atque lætitiam tam in prosperis, quàm in aduersis, sed eam quidem, quæ temperantiæ fines non excedat, sed moderatione quadam, atque pudore temperetur, ac cohibeatur: *Quasi dicat* (inquit S. Thomas) *ita sit moderatum gaudium vestrum, quod non vertatur in dissolutionem. Iudith vltimo.* Populus erat iucundus secundùm faciem sanctorum. Similiter B. Bruno. *Ita autem gaudete in Domino, vt* modestia vestra nota sit omnibus hominibus *ad exemplum boni. Modestiam dicit, quasi mensuram, vt sic mensurati sint, ne vltra Dominum gaudium quærant, nec infra gaudere præsumant.* Sic ille. Cui explicationi Iustinianus, & alij subscribunt, & ea de re nos copiosiùs egimus ad similia verba cap. 3. vers. 1. adnotat. 1. tota. Hæsit etiam huic modo Bernard. serm. 4. in vigilia Natiuitatis; quamuis illum non tam ad moderationem in gaudiis, quàm ad demissionem animi, atque humilitatem referat his verbis: Modestia vestra (*ait Apostolus*) nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. *Dignum est enim, vt, & modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm vt immoderatè agat homo conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus maiestatis:* Discite, *inquit*, à me, quia mitis sum, & humilis corde, *vt possit etiam modestia vestra innotescere cæteris.* Hæc Bernardus.

3\. Minimè quidem inficior apposirè hæc & probabiliter dici; sed enim nec Græcam vocem, immò nec Latinæ proprietatem, nec Pauli sensum mihi implere videntur: quare scopum omnino collimasse dixeris Tertullianum, Ambrosium, Remigium, & Anselmum, atque è recentioribus Cornelium, & Estium, qui Paulum accipiunt, tam de ea vitæ integritate, quæ in externis actionibus elucet, dum verba, incessum, habitum, omnésque motus sic quispiam moderatur, siue modulatur, vt internam animi moderationem, & candorem testetur; quam de ea morum probitate, atque compositione, qua cum aliis hominibus, omni iustitia, æquitate, modestia, & facilitate quis conuersatur: vt idem his verbis sensus subsit, ac illis Petri epist. 1. cap. 2. 12. *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis*, siue etiam iis, quæ hac epistola cap. 2. vers. 15. dixerat: *vt sitis sine querela, & simplices, filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Vnde vtrumque locum sub hoc sensu sic coniunxit Tertullianus libro de cultu fœminarum cap. 13. *Aliqua forsan dicat: Non est mihi necessarium, hominibus probari, nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est, scimus omnes, cùm tamen quid idem per Apostolum dixerit, recordemur.* Probrum vestrum coram hominibus appareat, *Ad quid? nisi vt malitia ad vos accessum omnino non habeat, vt, & malis, & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est?* Luceant opera vestra. *Aut quid nos Dominus* lumen terræ *vocauit? quid ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non relucemus inter tenebras, & exstamus inter dimersos? si lucernam tuam sub modium abstruseris, in tenebris relicta a multis incuseris, necesse est. Hæc sunt, quæ nos* luminaria mundi *faciunt, bona scilicet nostra.* Hactenus Tertul. Nec minus opportunè Ambrosius modestiam capiens pro rationabili & sancta conuersatione hunc in modum. *Nunc exemplo eorum alios vult lucrari. Cum enim modestia eorum manifestata fuerit, id est, rationabilis conuersatio, lucebunt opera eorum: & non deerunt, qui imitentur bona illorum, vt non solum propriorum gestorum, sed & aliorum augmentum consequantur, vt sicut dictum est,* Labores fructuum suorum edant. *Quando enim fructus operum suorum alios adquirit ad opus bonum, labores eorum, qui adquisiti sunt, proficient eis, quorum exemplo bona opera imitari cœperunt.* Similiter Remigius, inquiens: Modestia vestra; *id est, mansuetudo, & humilitas vestra*; nota sit omnibus hominibus, *fidelibus, & infidelibus, hæreticis, falsísque fratribus: fidelibus nota sit, vt vestro exemplo corroborentur in omni bonitate, imitatores vestri facti, & vos mercedem recipiatis: infidelibus nota sit, vt videntes vestram religionem, & bonam conuersationem, non possint infamare fidem nostram, & nomen Domini saluatoris. Sed potius nostro exemplo reuocentur ab errore.* Enucleatissimè verò Anselmus hæc omnia sic complectens. Modestia, *quasi modi statio dicitur, quando modus seruatur in omnibus.* Modestia *est in animo continens moderationem cupiditatum.* Modestia *in operatione, modificans omnes actiones, similiter, & in verbis. Hæc modestia tantum fulgeat in vobis,* vt nota sit omnibus hominibus, *fidelibus, vt imitentur; infidelibus, ne possint reprehendere.* Hæc Anselmus.

Dominus propè est.

Non facile statuas, præcedentibus ne, an iis quæ sequuntur hæc hæreant? sed priùs quo sensu à Paulo dicantur nosse oportet. Frequẽtior quidem Patrum, & interpretum expositio ad Christi aduentum, & retributionem in vniuersali iudicio, siue etiam in singulorum morte iustis reddendam id refert; vt dixerit Paulus: Non gratis, & immeritò bono, & læto animos vos esse iubeo, cùm Dominus coronam vobis allaturus pro egregiis virtutibus quas exercetis, propè iam, & velut in foribus sit. Ita Græci; & in primis Chrysostomus his verbis. *Quid enim causæ est, dic mihi, cur concidere animo debeatis? an quòd in vos insurgunt: quódque eos in delitijs agere videtis? Iam imminet iudicium: non longè erit, cum factorum suorum rationem reddent: at vos in angustijs laboratis; illi verò delitiis diffluunt? Iam hæc finem habebunt: at insidiantur, ac minantur? at non isthæc ipsis perpetuò ex sententia succedent: iam imminet iudicium: túncque omnia contra erunt.* Ita Chrysostomus, 4.

Theoph. sostomus, & eodem ductu Theophylact. *Quin potius commiserari vos illos oportet, quod per delitias viuant, & luxum: nec curæ habere illatas pressuras, sed æquo, & patienti animo ferre. Est namque in proximo Dominus, hoc est, iam iudicium imminet, quo quisque sit mercedem promeritam accepturus, & illi sunt rationem mox reddituri, & pœnas luent; vos verò in otio eritis, & quiete perpetuo.* Vnde hæc sequentibus sic aptat Chrysostom. Nihil solliciti
Chrysost. sitis. *Iam instat tempus reddendæ mercedis; quod si erga eos, qui vos molestiis afficiunt, æquitatem animi adhibueritis, omnia euanescent, etiam si paupertas, si mors, si quæuis alia grauis calamitas vrget.* Nec multo aliter Ambrosius dum ait. *Domino enim imminente sollicitudo sæculi cessat, vt quid enim solicitus sit de re citò peritura?* Iam verò hæc verba sub hoc sensu egregiè elucidat, & in omnem partem versat Bernardus citato sermone 4. in vigilia
Bernard. Natiuitatis ad hunc modum. *Iam quod sequitur,* Dominus propè est, *de dextera debet intelligi. Nam de sinistra ipse loquitur.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. *Propè est Dominus fratres mei*; nihil soliciti sitis; *in proximo est, & citiùs apparebit. Nolite deficere, nolite lassari*; quærite eum, dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est. Propè est Dominus, iis qui tribulato sunt corde; propè est expectantibus eum, expectantibus eum in veritate. *Denique vis nosse, quam propè est? Audi sponsam de sponso canentem.* Quoniam ecce stat post parietem. *Parietem istum, corpus intellige, quod*
Philip. 1. ad Rom. 7. Psalm. 141. *obstaculum impedit, vt eum, qui* propè est, *nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolui cupit, & cum Christo esse, & exclamans miserabiliter.* Infelix, *inquit*, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *sic & Propheta in Psalmo.* Educ, *inquit*, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Hæc PP. Quibus Cornelius, Estius, & alij adhærent.

5. Pius sanè, & vtilis sensus, & præ oculis habenda perpetuò ratio tum, ne de prospera, vel aduersa fortuna simus soliciti vt quid enim solicitus sis de re citò peritura? vt dicebat Ambros. tum etiam vt *bonum facientes*, non defatigemur; cùm proximũ sit tempus, in quo *metemus non de-*
ad Galat. 6. 9. *ficientes*, Galat. 6. 9. Vereor tamen, ne *propè* istud longiùs à Pauli mente, atque instituto iuerit. Nimis enim generalis, aliunde petita hæc ratio esse videtur, vt illi subnixus præcedentia, siue sequentia monita ipse suggesserit. Quid, quòd ea phrasis ex Scripturæ more huic sensui non aptatur, sed ad alios potiùs inclinat; aliud est enim, propè esse
Ioel. 1. 15. Apoc. 22. 10. diem Domini, Ioël. 1. 15. siue tempus esse propè, Apoc. 22. 10. ac Dominum propè esse. Quare probabilius alij id referunt ad auxiliarem opem, quàm Deus suis afferre consueuit, siue cùm peculiaria gratiæ dona ad bene operandum illis tribuit, siue cùm ipsos in tribulatione protegit, ab illis præsertim inuocatus, iuxta illud Vatis Psal.
Ps. 144. 18. Psal. 33. 19. 144. 18. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum*, & Psalm. 33. 19. *Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Quò omnino facit Mosis
Deut. 4. 7. oraculum Deuteron. 4. 7. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Ita in primis Anselmus sub persona Pauli sic in-
Anselm. quiens. *Modestiam morum seruate*, quia Dominus propè est, *auxilietur vobis assiduè, nisi per socordiam vestram defeceritis. Et si enim super omnes cœlos ascendit corpore, non tamen recessit maiestate, vbique præsens est, qui fecit omnia.* Dominus propè est, *paratus dare quidquid opus est vobis in spiritualibus, & corporalibus. Et ideo solicitudinem vani timoris abijcite, quia & in bonis operibus vestris aderit Dominus vobis adiutor, in passionibus, quas pro nomine eius perferetis, ne alimenta vobis corporea denegauit.* Ad quem etiam modum Remigius, & Remig.
Bruno; sic enim prior: Dominus propè est *omnibus, qui rectè credunt, iustè viuunt, benè docent, & cor immaculatum habent.* Bruno verò: *vt autem modesti sitis, scitote quia Dominus propè est, qui non deserit sperantes in se.* Similiter Primasius. *Vicæ si quid deest vobi; nolite cogitare quid manducetis, aut quid induamini, siue;* Dominus propè est, *ad liberandum. Nolite timere persequentes. Iuxta est Dominus* Primas.
iis qui tribulato sunt corde. Sic Primasius, quam expositionem, & probat, & elucidat Iustinianus. Iustin.

Verùm illud crediderim Pauli instituto omnino opportunè dici, quod excogitauit S. Thomas 6. S. Thom.
sermonem esse de Dei erga nos propinquitate, tam quòd nobis præsens adsit, actionésque omnes nostras, siue remunerator, siue vltor intueatur, quàm quòd nobis per gratiam amicissimus, & ex Christi carne affinis, & velut consanguineus sit. Audi illum. *Deinde cùm dicit,* Dominus propè est; *tangitur causa gaudij. Homo enim gaudet de propinquitate amici. Dominus quidem,* propè est, *præsentia Maiestatis, Actuum* 17. Non longè Act. 17.
est ab vnoquoque nostrûm, &, *Item est*, propè, *propter propinquitatem carnis*, Ephes. 2. qui eratis Ephes. 2.
longè, facti estis propè. *Item* propè *propter inhabitantem gratiam, Iacobi* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Item per exauditionis clementiam*, Psalm. 144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum. *Item ad remunerandum,* Iacob. 4.
Isaia 14. Propè est, vt veniat tempus eius & dies Psal. 144.
eius non elongabuntur. Hæc S. Thomas. Quibus Isaia 14.
adde opportunissima hæc Dauidis verba Psalm. 118. 151. quæ nolim à Patribus fuisse prætermissa cùm eadem omnino cum his Pauli sint. *Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas*; & ea Ps. 118. 151.
quidem in primis de Deo omnia implente, & qui nobis intimus adsit, sic explicat, & illustrat Hilarius. *Alio in loco legimus*, Deus appropians ego Hilarius.
sum, & non Deus de longè, dicit Dominus. *Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus, aut spatijs diuinæ virtutis immensitas coarctatur. Adest vbique & totus vbicumque est: non pro parte vsquam est, sed in omnibus omnis est Beatus Apostolus Atheniensibus philosophiæ inanitate ridiculis pro concione respondens ait.* Non longè à nobis manentem quærimus Deum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, & spiritus Dei *secundùm Prophetam* repleuit orbem terrarum; *& rursum.* Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. *Nihil à Deo vacat, nihil indiget, vbique est modo animæ incorporalis, quæ in membris omnibus diffusa a singulis quibusque partibus non abest. Etiam si priuata quadam ei regia in toto corpore sedes est.* Ita Hilarius. Cuius vestigia vide vt premat indidem Ambros. Ambros.
Propè est Dominus omnibus, qui vbique adest: nec refugere eum possumus, si offendimus, nec fallere, si delinquimus, nec amittimus, si colamus. Spectat omnia Deus, omnia videt, assistit singulis, dicens: Deus appropians ego sum, *& quomodo potest deesse alicui Deus, cùm de spiritu Dei legeris,* Spiritus Dei repleuit orbem terrarum, *quia vbi Domini spiritus, ibi Dominus Deus.* Ita Ambros. Nec minus dilucidè ipsemet Gentilis Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 8. inquiens. *Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet.* Hæc Seneca. Seneca.

Pergunt

tur. Paulo aliter Theodoretus; hanc modestiam siue moderationem ad ferendos aduersariorum insultus sic inflectens. (Theodor.) *Forti, & generoso animo ferte insultus aduersariorum. Malum pro malo non reddite.* Nec ab hoc it Bernard. serm. in illud Apostoli, (Bernard.) *Non est regnum Dei esca, & potus,* inquiēs: gaudete in Domino semper, *ait Apostolus,* iterum dico gaudete: *& duplicis huius gaudij materiam secutus adiunxit:* Modestia vestra nota sit omnibus hominibus, Dominus enim propè est. *Quid modestia nisi mansuetudo, & patientia est? gaudeamus ergo de his, quæ exspectamus, quoniam Dominus propè est: Gaudeamus iterum de his, quæ sustinemus, vt modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* Sic Bernardus.

2. (Tullius. August.) Deinde nonnulli è Latinis PP. proprietati vocis. *Modestia*, quæ, vt inquit Tullius, & ab eo August. lib. de vita beata, *vtique dicta est a modo,* qui rebus imponitur, ne plus, minúsve quàm par est illis subsit, hærentes, de temperantia, & modo in gaudio, & oblectatione adhibendo interpretantur, vt exigat à discipulis Apostolus hilaritatem atque lætitiam tam in prosperis, quàm in aduersis, sed eam quidem, quæ temperantiæ fines non excedat, sed moderatione quadam, atque pudore temperetur, ac cohibeatur: *Quasi dicat* (inquit S. Thomas) *ita sit moderatum gaudium vestrum, quod non vertatur in dissolutionem. Iudith vltimo.* (S. Thom. Iud. 16. 24.) Populus erat iucundus secundùm faciem sanctorum. Similiter B. Bruno. (Bruno.) *Ita autem gaudete in Domino, vt* modestia vestra nota sit omnibus hominibus *ad exemplum boni. Modestiam dicit, quasi mensuram, vt sic mensurati sint; ne vltra Dominum gaudium quærant, nec infra gaudere præsumant.* Sic ille. Cui explicationi Iustinianus, & alij subscribent, & ea de re nos copiosiùs egimus ad similia verba cap. 3. vers. 1. adnotat. 1. tota. Hæsit etiam huic modo Bernard. serm. 4. in vigilia Natiuitatis; (Bernard.) quamuis illum non tam ad moderationem in gaudiis, quàm ad demissionem animi, atque humilitatem referat his verbis: Modestia vestra (*ait Apostolus*) nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. *Dignum est enim, vt, & modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quàm vt immoderatè agat homo conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus maiestatis? Discite, inquit, à me, quia mitis sum, & humilis corde, vt possit etiam modestia vestra innotescere cæteris.* Hæc Bernardus.

3. Minimè quidem inficior apposité hæc & probabiliter dici; sed enim nec Græcam vocem, immò nec Latinæ proprietatem, nec Pauli sensum mihi implere videntur: quare scopum omnino collimasse dixeris Tertullianum, Ambrosium, Remigium, & Anselmum, atque è recentioribus Cornelium, & Estium, (Cornel. Estium.) qui Paulum accipiunt, tam de ea vitæ integritate, quæ in externis actionibus elucet, dum verba, incessum, habitum, omnésque motus sic quispiam moderatur, siue modulatur, vt internam animi moderationem, & candorem testetur; quam de ea morum probitate, atque compositione, qua cum aliis hominibus, omni iustitia, æquitate, modestia, & facilitate quis conuersatur: vt idem his verbis sensus subsit, ac illis Petri epist. 1. cap. 2. 12. (1. Petr 2. 12.) *Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis,* siue etiam iis, quæ hac epistola cap. 2. vers. 15. dixerat: *vt sitis sine querela, & simplices, filij Dei sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Vnde vtrumque locum sub hoc sensu sic coniunxit Tertullianus libro de cultu fæminarum cap. 13. (Tertul.) *Aliqua forsan dicat: Non est mihi necessarium, hominibus probari, nec enim humanum testimonium requiro. Deus conspector cordis est, scimus omnes, cum tamen quid idem per Apostolum dixerit, recordemur.* Probrum vestrum coram hominibus appareat, *Ad quid? nisi vt malitia ad vos accessum omnino non habeat, vt, & malis, & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est?* Luceant opera vestra. *Aut quid nos Dominus* lumen terræ *vocauit? quid ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non relucemus inter tenebras, & exstamus inter dimersos? si lucernam tuam sub modium abstruseris, in tenebris relicta à multis incusseris, necesse est. Hæc sunt, quæ nos* luminaria mundi *faciunt, bona scilicet nostra.* Hactenus Tertul. Nec minus opportunè Ambrosius modestiam capiens pro rationabili & sancta conuersatione hunc in modum. (Tertul.) *Nunc exemplo eorum alios vult lucrari. Cum enim modestia eorum manifestata fuerit, id est, rationabilis conuersatio, lucebunt opera eorum: & non deerunt, qui imitentur bona illorum, vt non solum proprium gestorum, sed & aliorum augmentum consequantur, vt sicut dictum est,* Labores fructuum suorum edant. *Quando enim fructus operum suorum alios adquirit ad opus bonum, labores eorum, qui adquisiti sunt, proficient eis, quorum exemplo bona opera imitari cœperunt.* Similiter Remigius, inquiens: (Remig.) Modestia vestra; *id est, mansuetudo, & humilitas vestra;* nota sit omnibus hominibus, *fidelibus, & infidelibus, hæreticis, falsisque fratribus: fidelibus nota sit, vt vestro exemplo corroborentur in omni bonitate, imitatores vestri facti, & vos mercedem recipiatis: infidelibus nota sit, vt videntes vestram religionem, & bonam conuersationem, non possint infamare fidem nostram, & nomen Domini saluatoris. Sed potius nostro exemplo reuocentur ab errore.* Enucleatissimè verò Anselmus hæc omnia sic complectens. (Anselm.) Modestia, *quasi modi statio dicitur, quando modus seruatur in omnibus.* Modestia *est in animo continens moderationem cupiditatum.* Modestia *in operatione, modificans omnes actiones, similiter, & in verbis. Hæc modestia tantum fulgeat in vobis,* vt nota sit omnibus hominibus, *fidelibus, vt imitentur; infidelibus, ne possint reprehendere.* Hæc Anselmus.

Dominus propè est.

NOn facile statuas, præcedentibus ne, an iis quæ sequuntur hæc hæreant? sed priùs quo sensu à Paulo dicantur nosse oportet. 4. Frequentior quidem Patrum, & interpretum expositio ad Christi aduentum, & retributionem in vniuersali iudicio, siue etiam in singulorum morte iustis reddendam id refert; vt dixerit Paulus: Non gratis, & immeritò bono, & læto animos vos esse iubeo, cùm Dominus coronam vobis allaturus pro egregiis virtutibus quas exercetis, propè iam, & velut in foribus sit. Ita Græci; & in primis Chrysostomus his verbis. (Chrysost.) *Quid enim causæ est, dic mihi; cur concidere animo debeatis? an quòd in vos insurgunt: quódque eos in delitiis agere videtis? Iam imminet iudicium: non longè erit, cum factorum suorum rationem reddent: at vos in angustiis laboratis; illi verò delitiis diffluunt? Iam hæc finem habebunt: at insidiantur, ac minantur? at non istæc ipsis perpetuò ex sententia succedent: iam imminet iudicium: túncque omnia contra erunt.* Ita Chrysostomus,

Theoph. sostomus, & eodem ductu Theophylact. *Quin potius commiserari vos illos oportet, quod per delitias viuant, & luxum: nec cura habere illatas pressuras, sed aquo, & patienti animo ferre: Est namque in proximo Dominus, hoc est, iam iudicium imminet, quo quisque sit mercedem promeritam accepturus, & illi sunt rationem mox reddituri, & pœnas luent; vos verò in otio eritis, & quiete perpetuo.* Vnde hæc sequentibus sic aptat Chrysostom. Nihil solliciti

Chrysost. sitis. *Iam instat tempus reddendæ mercedis; quod si erga eos, qui vos molestiis afficiunt, æquitatem animi adhibueritis, omnia euanescent, etiam si paupertas, si mors, si quæuis alia grauis calamitas vrget.* Nec multo aliter Ambrosius dum ait. *Domino enim imminente sollicitudo sæculi cessat, vt quid enim solicitus sit de re citò peritura?* Iam verò hæc verba sub hoc sensu egregiè elucidat, & in omnem partem versat Bernardus citato sermone 4. in vigilia

Bernard. Natiuitatis ad hunc modum. *Iam quod sequitur,* Dominus propè est, *de dextera debet intelligi. Nam de sinistra ipse loquitur.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. *Propè est Dominus fratres mei*; nihil soliciti sitis; *in proximo est, & citius apparebit. Nolite deficere, nolite lassari*; quærite eum, dum inueniri potest: inuocate eum dum propè est. Propè est Dominus, iis qui tribulato sunt corde; propè est expectantibus eum, expectantibus eum in veritate. *Denique vis nosse, quam propè est? Audi sponsam de sponso canentem.* Quoniam ecce stat post parietem. *Parietem istum, corpus intellige, quod*

Philip.1. ad Rom.7. Psalm.141. *obstaculum impedit, vt eum, qui propè est, nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolui cupit, & cum Christo esse, & exclamans miserabiliter.* Infelix, *inquit*, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *sic, & Propheta in Psalmo.* Educ, *inquit*, de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. Hæc PP. Quibus Cornelius, Estius, & alij adhærent.

5\. Pius sanè, & vtilis sensus, & præ oculis habenda perpetuò ratio tum, ne de prospera, vel aduersa fortuna simus soliciti vt quid enim solicitus sis de re citò peritura? vt dicebat Ambros. tum etiam vt *bonum facientes*, non defatigemur; cùm proximũ sit tempus, in quo *metemus non de-*

ad Galat.6.9. *ficientes*, Galat.6.9. Vereor tamen, ne propè istud longiùs à Pauli mente, atque instituto iuerit. Nimis enim generalis, aliunde petita hæc ratio esse videtur, vt illi subnixus præcedentia, siue sequentia monita ipse suggesserit. Quid, quòd ea phrasis ex Scripturæ more huic sensui non aptatur, sed ad alios potiùs inclinat; aliud est enim, propè esse

Ioel.1.15. Apoc.22.10. diem Domini, Ioël.1.15. siue tempus esse propè, Apoc.22.10. ac Dominum propè esse. Quare probabilius alij id referunt ad auxiliarem opem, quàm Deus suis afferre consueuit, siue cùm peculiaria gratiæ dona ad bene operandum illis tribuit, siue cùm ipsos in tribulatione protegit, ab illis præsertim inuocatus, iuxta illud Vatis Psal.

Ps.144.18. Psal.33.19. 144.18. *Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum*, & Psalm.33.19. *Iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde.* Quò omnino facit Mosis

Deut.4.7. oraculum Deuteron.4.7. *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Ita in primis Anselmus sub persona Pauli sic in-

Anselm. quiens. *Modestiam morum seruate*, quia Dominus propè est, *auxilietur vobis assiduè, nisi per socordiam vestram defeceritis. Et si enim super omnes cœlos ascendit corpore, non tamen recessit maiestate, vbique præsens est, qui fecit omnia.* Dominus propè est, *paratus dare: quidquid opus est vobis in spiritualibus, & corporalibus. Et ideo solicitudinem vani timoris abycite, quia & in bonis operibus vestris aderit Dominus vobis adiutor, in passionibus, quas pro nomine eius perferetis, ne alimenta vobis corporea denegauit.* Ad quem etiam modum Remigius, & Remig.

Bruno, sic enim prior: Dominus propè est *omnibus, qui rectè credunt, iustè viuunt, benè docent, & cor immaculatum habent.* Bruno verò: *vt autem modesti sitis, scitote quia Dominus propè est, qui non deserit sperantes in se.* Similiter Primasius. *Vtique si quid deest vobis; nolite cogitare quid manducatis, aut quid induamini, siue*; Dominus propè est, *ad liberandum. Nolite timere persequentes. Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Sic Primasius, quam ex- Primas.

positionem, & probat, & elucidat Iustinianus. Iustin.

Verùm illud crediderim Pauli instituto omnino opportunè dici, quod excogitauit S. Thomas 6.

sermonem esse de Dei erga nos propinquitate, S.Thom.

tam quòd nobis præsens adsit, actionésque omnes nostras, siue remunerator, siue vltor intueatur, quàm quòd nobis per gratiam amicissimus, & ex Christi carne affinis, & velut consanguineus sit. Audi illum. *Deinde cùm dicit*, Dominus propè est; *tangitur causa gaudij. Homo enim gaudet de propinquitate amici. Dominus quidem*, propè est, *præsentia Maiestatis, Actuum* 17. Non longè Act.17.

est ab vnoquoque nostrûm, &, *Item est*, propè, *propter propinquitatem carnis*, Ephes.2. qui eratis Ephes.2.

longè, facti estis propè. *Item* propè *propter inhabitantem gratiam, Iacobi* 4. Appropinquare Deo, & appropinquabit vobis. *Item per exauditionis clementiam*, Psalm.144. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum. *Item ad remunerandum*, Iacob.4.

Isaia 14. Propè est, vt veniat tempus eius & dies Psal 144.

eius non elongabuntur. Hæc S. Thomas. Quibus Isaia 14.

adde opportunissima hæc Dauidis verba Psalm. 118.151. quæ nolim à Patribus fuisse prætermissa cùm eadem omnino cum his Pauli sint. *Propè es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas*; & ea Ps.118.151.

quidem in primis de Deo omnia implente, & qui nobis intimus adsit, sic explicat, & illustrat Hilarius. *Alio in loco legimus*, Deus appropians ego Hilarius.

sum, & non Deus de longè, dicit Dominus. *Non corporalibus locis Deus continetur, neque finibus, aut spatiis diuinæ virtutis immensitas coarctatur. Adest vbique & totus vbicumque est: non pro parte vsquam est, sed in omnibus omnis est. Beatus Apostolus Atheniensibus philosophiæ inanitate ridiculis pro concione respondens ait.* Non longè à nobis manentem quærimus Deum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, & spiritus Dei *secundùm Prophetam* repleuit orbem terrarum; *& rursum.* Nónne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. *Nihil à Deo vacat, nihil indiget, vbique est modo animæ incorporalis, quæ in membris omnibus diffusa à singulis quibusque partibus non abest. Etiam si priuata quædam ei regia in toto corpore sedes est.* Ita Hilarius. Cuius vestigia vide vt premat indidem Ambros.

Propè est Dominus omnibus, qui vbique adest: nec refugere eum possumus, si offendimus, nec fallere, si delinquimus, nec amittimus, si colamus. Spectat omnia Deus, omnia videt, assistit singulis, dicens: Deus appropians ego sum, *& quomodo potest deesse alicui Deus, cùm de spiritu Dei legeris*, Spiritus Dei repleuit orbem terrarum, *quia vbi Domini spiritus, ibi Dominus Deus.* Ita Ambros. Nec minus dilucidè ipsemet Gentilis Seneca lib. 4. de beneficiis cap.8. inquiens. *Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi, nihil ab illo vacat, opus suum ipse implet.* Hæc Seneca. Ambros. Seneca.

Pergunt

7. Pergunt verò tam Hilarius, quàm Ambroſius, nec de ſimplici, ſiue locali præſentia ſolùm, ſed etiam de peculiari gratiæ benignitate, qua ſuis faueat, & ad inſtar ſolis foueat pulchrè ſtatim accipiunt. Sanè Hilarius dum prętatę rationalis animæ imagini ſic inſiſtit. *Hilarius.* *Iam ſi corruptis aliquibus corporis mēbris reciſione erit neceſſe, cum vſum ſuum eadem membra vitys emortua non habebunt: id quod putre, caducúmque carnis eſt, ſine detrimento animæ recidunt. Ipſa enim corporis noſtri anima ſanis, & integris admixta membris eſt, & cum eadē fuerint putria, & recidenda, non ſequitur:* diuinæ gratiæ præſentiæ; quæ iuſtis adſiſtit, ab impiis diſcedit, ita opportunè aptat. *Hæc quidē ſuperſtuè diuinæ naturæ ad comparationē ſimilitudinis cōferuntur; quia incompatibile eſt, quidquid æternum eſt, nec recipit configurata veritatis ſpeciem inuiſibilis diuinitatis exceptio. Sed intelligentia noſtra iſtius modi coaptatur exēplar, vt per id ſecundum cœleſtium dictorum autoritatem incorporalem, & immenſum Deum circūſcripto huic, & corporali mundo intelligeremus admixtum, vitioſis verò & operaſua emortuis non ineſſe.* Adiungit Solis ſimilitudinem, *ſolē videmus in quada cœli parte, prout ei curſus eſt, demorantem, & certè vbique protenditur, vbique adeſt, & quatenus per omnia eſt, ita vbicunque eſt, totus infunditur. Sed ſi in clauſas domorum feneſtras incidet, lumē quidem illius præſtò eſt, ſed ipſa ſibi lucem eius, quæ obſeratæ ſunt, denegabunt.* Hæc Hilarius, quæ Ambroſius magis, magíſque euoluit, ac diffundit. Quā verò opportuna Pauli verbis, noſtróque inſtituto ea ſint, inde collige, quod ex dictis ſic infert Hilarius: *In omnibus igitur vitæ noſtræ operibus circumſpecti, & ad Deū patētes eſſe debemus. Primum vt liberis, & per innocentiam patulis cordibus noſtris lumen ſuum dignetur infundere. Deinde vt i nos in diuinitatis ſuæ ſinu agere credamus: neque eū abeſſe, cùm iraſcimur, cùm cadimus, cum cōtemnimus, cùm male dicimus, cum inebriamur, cùm libidinamur, cùm diuina, & humana negligimus: maiore contumelia eius, intra quem hæc agimus, peccantes.* Quid enim hæc fuerint? aut quo aptiori dicendi modo hæc præſtringētur? quàm ſi dicatur, *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus propè eſt.* Sine, vide quid agas, & quàm cautus, & circumſpectus in omni actione eſſe debeas, cùm Deus iam adiutor, atque protector, qui vires, robúrque ſubminiſtret; iam teſtis, & iudex: qui & præmia, & pœnam ſecum afferat tibi circumquaque adſiſtat. A quo non longè ire, immò verò Pauli ſcholiaſtes eſſe videtur Seneca epiſtol. 41. inquiens. *Seneca.* *Propè eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt. Ita dico Lucili, Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum, bonorúmque noſtrorum obſeruator, & cuſtos: hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? ille dat conſilia magnifica, & erecta. In vnoquoque virorum bonorū habitat Deus.* Sic ille. Fuerit verò hæc explicandi ratio opportunior quod iuxta illam hæc verba: *Dominus propè eſt*, præcedentibus iuxta vulgati diſpunctionem, quod in aliis interpretationibus non inuenitur optimè hærent, præſertim ſi cum nonnullis vetuſtis codicibus, quo conſtat nactos eſſe S. Thomam, B. Brunonem, & alios adieceris cauſalem particulam *enim*: *S. Thom.* *Bruno.* Quamuis hæc nec in Græco fonte, nec in Syriaca lectione, nec in emendatioribus exemplaribus reperiatur, vt obſeruauit Cornelius. *Cornelius.*

8. Iam verò quod addebat S. Thomas: Dominum à Paulo *propè* eſſe dici *propter propinquitatem carnis*, à noſtro inſtituto vix diſſidet, & egregium fideiuſſorem habet Auguſtinum ſermone 37. de verbis Domini: ſic enim ille. *Auguſt.* *Qui enim vbique eſt, vbi non eſt? Nonne ad hoc nos exhortabatur:* Dominus in proximo eſt, nihil ſoliciti ſitis. *Magnum eſt hoc, quod aſcendit ſuper omnes cœlos, & proximus eſt eis, qui adhuc verſantur in terris; quis eſt iſte longinquus, & proximus; niſi qui nobis miſericordia factus eſt proximus. Totum enim genus humanum eſt homo ille, qui iacebat in via ſemiuiuus à latronibus relictus, quem contempſit tranſiens ſacerdos; & Leuites, & acceſſit ad eum curandum, eique opitulandum tranſiens Samaritanus;* & poſt nonnulla: *Tranſit ſacerdos, vtique genere proximus præterijt iacentem; tranſit Leuites, & hic genere proximus iacentem etiam ipſe contempſit. Tranſit Samaritanus genere longinquus, miſericordia proximus, fecitque quod noſtis. In quo Samaritano ſe voluit intelligi Dominus noſter IESVS CHRISTVS, Samaritanus enim cuſtos interpretatur. Ideo* reſurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur. *Quia* non dormit, neque dormiātat qui cuſtodit Iſraël. Hæc Auguſtinus, qui hæc poſt modum ſic pulchrè explicat, & exornat. *Ergo* Dominus, in proximo eſt. *Auguſt.* *Quid tam longinquum? quid tam remotum, quam Deum ab hominibus? immortalem à mortalibus, iuſtum à peccatoribus? Non loco longè, ſed diſſimilitudine. Nam ſolemus etiam ita loqui, cùm de duobus hominibus dicimus; quòd diuerſi ſunt moribus. Iſte longè eſt ab illo. Etiam ſi iuxta ſteterint, etiam ſi vicinius inhabitent, etiam ſi vna catena colligentur; longè eſt pius ab impio, longè eſt innocens à reo, longè eſt iuſtus ab iniuſto, ſi hoc de duobus hominibus dicitur quid de Deo, & hominibus? Cum ergo longè à nobis eſſet immortalis, & iuſtus tanquam à mortalibus, & peccatoribus deſcendit ad nos, vt fieret nobis proximus ille longinquus.* Pergit multis oſtendens quàm pulchram cum homine commutationem Deus fecerit, vt nobis proximus fieret: dum iuſtitiam, & immortalitatem ſuam cum noſtra iniuſtitia (hoc eſt cum pœna illi debita) & mortalitate permutauit, vide ibi. Hæc autem præcedenti explicationi ſic facile aptaueris, vt ex hac propinquitate carnis, ſiue cum Deo affinitate, *modeſtia*, noſtra, *nota ſit omnibus*. Quis enim ſtimulus ad modeſtiam, omnimodámque morum probitatem acrius non valeat vrgere, quàm hæc propinquitas, atque coniunctio? Sed de hoc alibi.

VERSVS VI.

Nihil ſoliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.

DIGNA quidem Paulo vox, qua 1
gaudium ſincerum adſtruens omnem humanarum rerum curam, nimiámque ſolicitudinem, à qua cuncti animis aculei, ſtimulíque oriuntur, à diſcipulorum cordibus remouet: & ad orationis ſtudium, ſanctarúmque precum exercitia, à quibus ſuauiſſimè pacis fluuius in animum influit, ſignatè transfert. *Solicitudo* (inquit Remigius)

Remig. Remigius) *eſt ſuperflua cura, ſed iuſti non debent ſuperfluam curam aſſumere de rebus tranſitorijs, ſed in Domino omnem ſpem habere, iuxta quod Pſalmiſta ait,* Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.

Nihil ſoliciti ſitis.

2. Anſelm. SYrus vertit, *De nullà re:* ſimiliter Anſelmus, nihil, *id eſt, de nulla re ſoliciti, & timidi ſitis, quaſi de futuro, ſed eſtote ſine mundi ſolicitudine habentes promiſſa Dei præ oculis, & ab ipſo petentes omnia.* Chryſoſt. Chryſoſtomus. *Etiam ſi paupertas, ſi quauis alia grauis calamitas vrgeat, nihil ſoliciti ſitis,* implicat, explicêtque hæc S. Thomas hunc in modum. S. Thom. *Sed contrà quia dicitur Roman.* 12 Qui præeſt in ſolicitudine. *Reſpondeo. Dicendum eſt, quòd ſolicitudo quandoque importat diligentiam quærendi quod deeſt, & hoc eſt commendabile, & opponitur negligentiæ: quandoque anxietatem animi cum defectu ſpei, & timore de obtinendo id, circa quod ſolicitatur, & hanc prohibet Dominus,* Matth. 6. *& hic Apoſtolus; quia non debet deſperare, quin Dominus det neceſſaria. Sed loco ſolicitudinis debemus habere curſum ad Deum,* 1. Petr. vlt. 1. *Petr. vlt.* Omnem ſolicitudinem proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis. *Et hoc fit orando, & ideo dicit,* In omni oratione, &c.

Sed in omni.

3. IN lubrico ſimilium terminationum *τὸ omni*, & *τὸ oratione* facile lapſi ſunt Latini, exiſtimantes, quòd prima quidem facies, & orationis ſeries exigere videbatur hæc duo coniungenda eſſe: vnde omnes de *omni oratione* interpretantur, & agunt: Anſelm. quaſi *nihil de ijs, quæ oranda ſunt, prætereant,* (inquit Anſelmus) *ſed omne quod expedit, orando petant à Deo;* &, quod magis mireris, Ambroſius, qui Ambroſ. Græci idiomatis guſtum ſæpiùs oſtendit, eodem etiam modo ab ſcopo deerrauit; atque hæc ſic effert *per omnem orationem & precem.* At enim Græca iis manifeſtiſſimè repugnant; nimirum pro Græc. Lect. *in omni* eſt *ἐν παντὶ*, neutrius generis; atque adeò coniungi non poteſt cum *προσευχῇ oratione*, vel *δεήσει obſecratione* quæ ſunt fœminini, ſed abſolutè, & per ſe ſubſiſtens ponitur, vt quotquot Græcè norunt interpretes adnotarunt. Quare pri- Lect. Syr. mum Syrus interpres ad tempus retulit; vt perinde ſic ac *in omni tempore:* vertit enim; *ſed ſemper cum oratione, & obſecratione, &c.* vt eadem ſententiâ hæc ſit, ac illa Domini: *Oportet ſemper orare,* Lucæ 18.1. Dixit quippe ſapienter Ambroſ. oratione de obitu Theodoſij: Luc. 18.1. Ambroſ. *Certis diebus inuocare, non omnibus faſtidientis eſt, non ſperantis:* & Tertul- Tertul. lianus, lib. de oratione cap. 10. *Quàm autem temerarium eſt, diem ſine oratione tranſigere.* Sed quare temerarium? Sanè, quod, mille obnoxius periculis, abſtruſis interclusus inſidiis; diris animæ hoſtibus obſeſſus, nudus, & inermis omni hora, omni momento incedis; ac proinde, niſi diuinum auxilium adſit, pereundum tibi ſit. Aut venerab. Galfridum ad præfata Domini verba: *oportet ſemper orare:* in allegorijs Gotfridi Tilmani, qui adducto Danielis exemplo, nolentis orationem ſuam intermittere, quamuis ipſi capitalis ob id pœna imminerct (Daniel 6.10.) ſic ſapienter ait. *Felix* Dan. 6.10 *Daniel, aduerſus quem occaſio nulla niſi de lege Dei potuit inueniri. Felix qui maluit periculum mortis incurrere, quàm ab oratione ceſſare. Quãto magis nos, quibus imminet mors diſſimulantibus, orantibus promittitur vita, ſemper orare conuenit? Quid enim? Offendit in via iumentum cui inſides, aut fortè qua veheris periclitatur nauicula, numquid non diuinum protinus inclamas auxilium? ceſſet oratio, quoties deeſt neceſſitas, quoties nullum tibi imminet periculum; grauius etiam ipſa corporis morte periculum. Sed ſi neſcis,* Militia eſt vita hominis ſuper terram; *& continua* colluctatio aduersùs nequitias ſpirituales: *Neque aliud fortè diſcrimen grauius poteſt, aut periculoſius inueniri, quàm diſſimulatio ipſa periculi.* Concludit. *Numquam igitur deeſt orandi neceſſitas; vbi numquam eſt vera ſecuritas.* Hæc Galfridus. Benè ergo Tertullianus. *Quàm temerarium eſt, diem ſine oratione tranſigere.*

Quò ſanè dixeris reſpexiſſe Dominum cùm 4. Paſſionis ſuæ nocte non ſemel, ſed ter preces ad Patrem fudiſſe ſignatè dicitur. Matth. 26.44. *Ite-* Matt. 26.44. *rum abijt, & orauit tertiò eumdem ſermonem dicens.* Nam, *Qui aut continuare preces ſuas poterat,* (inquit Paſchaſius lib. 12. in Matthæum) *aut ſemel impe-* Paſchaſ. *trare; tertiò orat vt nos doceat.* Quid? orationem interrumpere? aut hunc quàm alium orandi numerum probare? Minimè quidem, ſed quod monebat Tertullianus; *temerarium eſſe, diem ſine oratione tranſigere:* nempe, bene nouerat, poſtmodum tres dies futurum ſepultum in corde terræ, in quibus orandi locus non eſſe; & ideo anticipato remedio vſus, trinam tunc temporis orationem, quæ tribus illis diebus reſponderet, facere voluit. Sic inibi adnotante eodem Paſchaſio: *Quinimo ter rogat in oratione Dominum, quia tribus diebus futurus erat in corde terræ.* Et verò nullum eſſe tempus, in quo orandum non ſit, ſatis dilucidè oſtendit Vates, cùm ait, *præueni in maturitate, & clamaui,* Pſ. 117.147. Pſalm. 118.147. vbi ſi ambigas, quo modo dixerit Dauid; & præueniſſe ad clamandum, & in maturitate clamaſſe? cùm hæc duo non bene hærere videantur: nam qui præuenit, immaturus accedit: qui verò in maturitate, hoc eſt, opportunus & ſuo tempore, non præuenit, ſed ſtatis horis aduenit, reſpondebo eo dicendi modo indicaſſe Pſaltem nullum non tempus orationi debitum eſſe: nec vnquam tam immaturis horis ad orandum ſurgere; quin maturum, & opportunum ſit; quaſi ipſe oraturus multa de nocte vigilans, tempus præueniſſe crediderit; at illico animaduertiſſe, non ante horam, ſed debito & maturo tempore ad orationem acceſſiſſe, quòd mille obnoxius periculis in omni tempore orationis armis vti opus fuerit: ita pænè inibi Ambroſ. ſer. 19. inquiens. *Qui ergo Dominum deprecatur, non velut* Ambroſ. *præſcripta præcipuè tempora præſtoletur, neſciens in obſecrationibus Domini tempus eſſe aliquod, ſed ſemper in ipſis ſit. Siue manducamus, ſiue bibimus, Chriſtum annunciemus, Chriſtum rogemus, Chriſtum cogitemus, Chriſtum loquamur, in corde noſtro ſemper: ſemper in ore ſit Chriſtus.* Sic ille. Dum verò ſtatim his opponit ea verba Salomonis. *Tempus omni rei ſub cælo,* Eccleſ. 3.1. quaſi certis temporibus orare ſit ſatis, pulchrè reſpondet. *Sed Dominus* Eccl. 3.1. *IESVS ſupra cœlum eſt, nullo circumſcriptus eſt tem-* Ambroſ. *pore:* vt dicere videatur, ſemper, atque omni tempore orandum nobis Deum eſſe. Vnde poſt nonnulla ſic ſubiicit. *Qui rogat itaque, ſemper roget, & ſi non ſemper precatur, paratum ſemper habeat precantis affectum. Pernoctabat in oratione Dominus IESVS, non indigens precationis auxilio, ſed ſtatuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat vt tu diſceres, quomodo pro te rogares. Redde igitur ei quod pro te detulit. Audi ſupra dicentẽ Prophetam,* Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: *Et tu ſurge, vel media nocte, ſi non potes tota ſemper*

*per nocte vigilare, vt dum oras nocte, veri Solis pecto-
ri tuo splendor irradiet, quia omnis anima, quæ Chri-
stum cogitat, in lumine semper est.* Hæc Ambros.
Quæ sanè ob oculos habere videbatur Chryso-
logus serm. 43. cùm in eos, qui prima luce preces
Chrysol. ad Deum fundere negligunt, sic inuehitur: *Sed
nos, qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem
ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus,
verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid
est, quòd Ecclesiã manè nolumus intrare? quid est, quòd
matutina prece totius diei custodiam nolumus postu-
lare? quid est, quòd homini adstare toto tempore libet,
& Deo assistere nec puncto libet?* Pulchrè id, *homini
adstare toto tempore libet:* videtur enim velut indi-
ce denotare aulicorum potentissimos, qui quòd
plurimum insidiis se norint expositos, à regio la-
tere, nec ad temporis momentum diuelli patiun-
tur; nec ab æmulis absentes inuidiæ telis ferian-
tur, & à regia gratia excidant. Quasi inde facta
argumentatione dicat; times regi non adstare to-
to tempore, ne insidiis sodalium impetitus illius
gratiam amittas; nec times aduersarij telis, ac
technis succumbere, qui *Deo assistere, nec* puncto
libet. Quare sic pergit. *Non est nostrum, fratres, non
est nostrum, inimici est ista surreptio, decipere parat,
quos non patitur orationibus communiri. Qui de ad-
uersis queritur, qui sibi prospera non precatur?* Quam
quidem ad rem sic scitè statim premit Domini ad
Matt. 26. 42. discipulos verba, Matth. 26. 41. *Orate vt non intre-
tis in tentationem:* vt non orare, perinde ac in ten-
tationem intrare sit; ait enim, *Audiamus vocem
Domini monentem:* Orate ne intretis in tentatio-
nem. *In tentationem vadit, qui ad orationem non va-
dit.* Hæc Chrysologus. Chrysol.

5. Deinde verò Chrysostom. Iustinian. Cornel.
Estius, & alij subaudiunt πράγματι, id est, *in omni
negotio,* siue re contraposito ly *in omni,* voci, *nihil*
immediatè dictæ, vt opponat Apostolus perpe-
tuum orandi studium, & recursum ad *Deum in
omni* negotio, solicitudini de rebus sæculi, mo-
neátque vt nulla de re quæ ad corporalem vitam
pertineat, anxiè sint soliciti, sed quocumque in
negotio, siue quauis in re, siue prospera illa sit, si-
ue aduersa, ad Deum orando recurrant: sic enim
Chrysost. Chrysostomus. *Vna quidem consolatio illa est.* Ero
vobiscum omnibus diebus vsque ad consumma-
tionem sæculi: *altera verò illa,* Dominus propè est:
*tertia rursus post istam: pharmacum, quod mœrorem
omnem, & ægritudinem, molestiáque omnia propulsare
potest, quodnam hæc est? precari, gratias agere, quidquid
nobis eueniat;* & statim, *Sed in omni inquit, id est, in
omni re:* ratione, & obsecratione. *Quamobrem de
omnibus gratiæ habendæ sunt, &c.* Vbi vides ab ora-
tione rectam viuendi normam, siue totum spiri-
tualis vitæ momentum dependere: optiméque
ab Augustino lib. 50. homiliarum hom. 4. dictum
August. fuisse. *Verè nouit rectè viuere, qui rectè nouit orare.*
Sanè discipulos suos de suo discessu mæstissimos
hac potissimũ ratione solabatur Dominus, quòd
orandi munus velut sui vicarium, quod ad omnia
vitæ munia rectè gerenda in consilium adhibe-
rent, ipsis relinqueret: etenim cùm illis proposita
imagine parturientis mulieris, iam ob partus do-
lores tristissimæ, iam de prole suscepta summa
hilaritate perfusæ, vtrumque & præsentis, & fu-
Ioan. 1. 21. turæ vitæ statum sic indicasset. *Mulier cum parit,
tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autẽ pepererit
puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium:
& vos igitur nunc tristitiam habebitis, iterum autem
videbo vos,* Ioan. 16. 21. atque statim alteram vi-
tam omnis scientiæ, gaudiique plenissimam fu-
turam asseruisset, vt præsentis subinde molestias
deliniret, & ad illas perferendas animos inderet,
subdit versu 23. *Amen, amen dico vobis, si quid pe-* Ioan. 16. 23.
tieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. In quæ
verba Maldonatus magno iudicio hæc ait: *Nunc* Maldon.
*reddit ad primum statum, quem quia parturientium
doloribus comparauerat, consolatur eos, dicens, se in
medijs etiam illis doloribus non defuturum, corpore
quidem absentem, virtute verò præsentem futurum esse:
nihil enim eos in nomine ipsius a Patre petituros, quod
facilè non sint impetraturi.* Vbi omnino vides ora-
tionem pro Christo, siue pro eius præsentia sub-
stitui, & tamquam vicariam eius vices gerere, vt
quemadmodum Christus siue in prosperis, siue in
aduersis Aduocatus, patronus, securum, requies, &
solatium nostrum est, ita ex oratione hæc omnia
nobis adsint. Ita quidem Gregor. Nyssenus lib. de
oratione Dominica orat. 1. hæc inter alia de ora-
tione scripsit. *Oratio reorum, & causam dicentium* Nyssen.
*patrona, noxiorum, ac victorum relaxatio, atque solu-
tio; fatigatorum requies, mœrentium consolatio, gau-
dentium animi delectatio, lugentium solatium.*

Equidem cùm Dei populum omnes promissæ 6.
sibi terræ vrbes non statim occupantem, sed fu-
rentium armorum strepitu circumquaque cin-
ctum, atque obsessum vides, durè, atque seuerè
Dominum cum illis se gessisse prima rerum facie
inspecta iudicas: at si verè æstimas, nihil ipsis vti-
lius, nihil opportunius à paterna Dei in ipsos pro-
uidentia & benignitate potuit excogitari; nam in
arcti loci angustias redacti, quamtumuis pigri,
atque ignaui essent, templum quod ad manum
habebant, adire cogebantur, oratione verò ad
Deum facta ex omnibus calamitatibus, ærumnis,
necessitatibus exsoluebantur. Audi primũ Theo-
doretum ad ea verba Iudicum 2. 23. *Dimisit ergo* Iud. 2. 23.
*Dominus omnes nationes has, & citò subuertere noluit,
nec tradidit in manus Iosue,* in hanc rem sic lo-
quentem. *Nam obseruatio legalis politiæ angustissima
terra contenta erat, quia ter in anno lex statuerat,
cunctos festa celebrare in vnum locum conuenientes,
in quo templum diuinum construxerant, vbi etiam
primitias, decimas, primogenita ouium, & alia sacrifi-
cia offerre iusserat. Quocirca non abs re conclusit eos
in arctum locum, vt facilè, vel ipsi prigri ad ædem con-
secratam adeundam excitari possent.* Deinde, quid
de calamitatibus, & angustiis, quas primùm illi
pertulerunt, & deinde fusis ad Deum precibus
superauerunt, atque calcarunt, Regius Psaltes
dixerit attende. Sanè cùm dixisset: *Errauerunt in* Ps. 106. 4.
*solitudine in inaquosa, viam ciuitatis habitaculi non
inuenerunt: esurientes, & sitientes anima eorum in ip-
sis defecit,* Psal. 106. 4. subiicit versu seq. *& clama-
uerunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de necessi-
tatibus eorum eripuit eos.* Vt vnicus orationis cla-
mor tot mala valuerit depellere; sic ad ea verba
obseruante Gregor. Nysseno tract. 1. in Psalmos
hunc modum. *Quæ igitur ratio hos exsoluit ex tan-* Psal. 106. 6.
*tis difficultatibus, & angustijs, ex errore, ex solicitudi-
ne, ex illa in inaquoso calamitate, ex defectione, quam
fames afferebat? O rem admirandam! vnica vox ad
Deum, imò ex pectore emissa omnia in melius commu-
tauit. Ait enim.* Clamauerunt ad Dominum cùm
tribularet illos: & ex necessitatibus eorum eri-
puit eos, & deduxit eos in viam rectam, vt irent in
ciuitatem habitationis. Sic ille.

Oratione, & obsecratione.

Meminit etiam orationis, & obsecrationis 7.
Paulus 1. ad Tim. 2. 1. quáuis ordine inuerso
ad

1. ad Timoth. 2.1. ad hunc modum. *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Tam verò hic, quàm ibi à PP. atque interpretibus diſcutitur, qua ratione orationes ab obſecrationibus differant? & quamuis Chryſoſt. & Theophyl. in verba ad Timotheum ſatis probabiliter dixerint, has voces idem ſignificantes congerie quadam Rhetorica ab Apoſtolo poni, quò magis pondus exhortationi accedat. *Nam iſtius modi dictionum repetitio exigentis eſt, fieri omnino oportere, quæ mandat:* Potius eſt, vt credamus peculiarem vnicuique ſignificationem, atque vim ſubeſſe. De quo præter Ambroſianum inibi, vide Auguſt. epiſt. 59. ad Paulinum quæſt. 5. Hilarium in Pſal. 140. Caſſian. collat. 9. cap. 11. 12. & 13. vt ego quid ad hunc locum, in quo ſumus, Latini commentatores afferant, appingam, & primò quidem Remigius. *Oratio* (inquit) *eſt pro præteritis exceſſibus, & delictis: obſecratio eſt pro adipiſcendis futuris.* Deinde B. Bruno. *Oratio dicitur, quando res impetrabilis petitur, & deprecatiuè. Obſecratio dicitur, quando per adiuramenta, & quod ad impetrandum difficile videtur, poſtulamus.* Sanctus verò Thomas: *Oratio importat aſcenſum intellectus in Deum: obſecratio eſt ſacra conteſtatio per Dei gratiam, & eius ſanctitatem.* Similia habet Anſelmus. Nec longiùs ab hoc iuerit Bernardus in ſermone de quatuor modis orandi, vbi de oratione ait: *noſtri oris eſt ratio, quando iam ore ſuo quis loquitur cum Deo ſuo,* obſecrationem verò ad ſupplicationem Deo per alios factam Græcæ voci ſatis opportunè, vt poſt modum videbimus, ſic refert. *Sunt enim, quos adhuc peccati conſcientia terret, & cruciat nondum accepta reſiſtendi virtute, tunc ſcilicet, cùm primum ipſos in peccatorum cœno iacentes ſpiritus veritatis irradiat, & excitans erubeſcere facit, & timere Deum; dum videns immanitatem criminum, meritorum exiguitatem, & velut ardentem coram ſe gehennam expaneſcentes, quoniam in ſeipſis boni nihil inueniunt, aliunde apprehendunt, vnde tegantur. Sciunt enim, quòd non ſit tutum in conſpectu Domini Dei ſui vacuos apparere contra legis præceptum, & multo minus id præſumere plenis ſtercore manibus audent. Quia ergo timent, & meritò timent, per ſe ipſos accedere ſtudent, quaſi per alios ſupplicare. Tale eſt illud orationis genus quo ſolemus vti, dicentes,* Sancte Patre ora pro nobis, *& ſimilia. Maximè verò illud, Obſecratio eſt manifeſta.* Per paſſionem tuam libera nos Domine, *& cætera in hunc modum. Tale enim videtur, ac ſi latro deprehenſus, & iam vicinus ſuſpendio, quando penitus deſperat, nec inuenit in ſe, vnde veniam deprecetur, extendens brachia dicat: Quia ſic paſſus eſt Chriſtus, vt coram à quibus tenetur, animos moueat ad pietatem. Credo ego de talibus dici poſſe.* Quia regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Sic Bernard. Hæc PP. de Latinis vocibus; ex quibus Lector ea ſeligat, quæ opportuniora iudicauerit. Mihi Agellij iudicium maximè perplacet ad ea verba Pſalmi 142. 1. Pſal. 142. 1. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obſecrationem meam;* ſic hæc diſtinguentis. *At mihi ſi qua in his differentia ſit ponenda, oratio propriè eſſe videtur quæ ad cultum, & venerationem diuinæ maieſtatis defertur. Obſecratio autem propriè, quum humiliter, & ſupplicantis modo, id quo indigemus, cum quadam miſeratione petimus.* Hæc namque diſtinctio Latinas voces, Græcis conciliat, & vtriſque appoſitam ſignificationem reddit.

Chryſoſt. Theophyl. Ambroſ. Auguſt. Hilarius. Caſſian. Remig. Bruno. S. Thom. Bernard. Agell.

7. Græc. lect. Iam Græca fœcundiora, & pulchris, ac valde vtilibus ſenſibus plena ſunt: nimirum pro *oratione* eſt, προσευχή, qua bene precamur alicui; quod ſapienter priori loco poſitum videtur, quoniam id exigit ordo charitatis, vt primum benè precemur Deo, vt ex Dominica oratione manifeſtè liquet; vbi docens nos Chriſtus orare, priori loco poſuit, *Sanctificetur nomen tuum,* Matth. 6. 9. De quo ſic ſcitè Ambroſ. lib. 6. de ſacramentis cap. 5. *Dic mihi ſi velis hominem rogare, & ſic incipias. Da mihi: ecce illud, quod te peto: nonne arrogans videtur oratio? Et ideo inchoari oratio debet à Dei laude, vt roges omnipotentem Deum, cui poſſibilia ſunt omnia, qui habet voluntatem præſtandi. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei. Secunda ſupplicationem.* Et poſt nonnulla: *Non debes quaſi famelicus ad cibum de cibo incipere, ſed ante a laudibus Dei. Vnde & oratores iſti ſapientes hanc habent diſciplinam, vt iudicem fautorem ſibi præſtent incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum ſibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, vt patienter dignetur audire.* Id quod ſtatim tam ex oratione Dominica, quàm ex Pſalm. 8. pulchrè adſtruit: ſic enim primum: *Habes hoc in oratione Dominica,* Pater noſter, qui es in cœlis. *Laus Dei, quòd pater prædicatur in eo pietatis gloria. Laus Dei, qui in cœlis habitat, & in terris.* Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, *id eſt, vt ſanctificet ſeruos ſuos. Nomen enim illius ſanctificatur in nobis, quando prædicamur homines Chriſtiani. Ergo optantis eſt,* Sanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum. *Poſtulatio vt in nobis ſit regnum Chriſti. Si Deus in nobis regnat locum habere aduerſarius non poteſt. Culpa non regnat peccatum non regnat, ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio.* Deinde Pſalmi 8. verba ſic premit. *Denique ſic cœpit.* Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. *Oratio ergo prima. Deinde obſecratio.* Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, *hoc eſt, cœlos videbo, lunam & ſtellas, quas tu fundaſti. Vtique non cœlum dicit videbo, ſed* videbo cœlos, *in quibus incipit albeſcere gratia, & ſplendor cœleſtis.* Hæc ibi & alia Ambroſius.

Matth. 6. 9. Ambroſ.

8. Græc. lect. Pro *obſecratione* verò habetur Græca vox δέησις, tum à verbo δέομαι, quod primò ſignificat, *officio perfungi*: deinde *opus habeo indigeo*; ſiue *velut indigum, & neceſſarijs deſtitutum quærere, rogare, precari*; nimirum, quoniam qui re aliqua indiget, quærit rationes, quibus ſibi ſubueniat, idémque rogat, & precatur eos, qui poſſunt ſibi ſubuenire; ideo inde factum eſt, vt accipiatur pro *rogo, precor*: tum etiam à verbo δέω, quod eſt *alligare, vincire, irrigare.* Quare δέησις eſt *perſunctio officij; oratio, & deprecatio indigentiæ cauſa, ligatio, & irrigatio.* Vnde facile apparet, proprium hominis officium eſſe, orare, ac niſi eo perfungatur, hominem non eſſe, ſed à dignitate, & decore hominis cadere: ſiue orationem, rem eſſe homini perneceſſariam, qua ipſe maximè indigeat, atque ab illa animæ irrogationem, & virtutum prouentus dependere: ſimúlque ligamen eſſe, ac vinculum, quo ſibi Deum anima deuinciat, quæ omnia paulíſper euoluere ſingillatim oportet: & hominis quidem officium, ac dignitatem in oratione cenſeri, aperit Vates Pſalm. 118. 170. cùm ait *Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo.* Sed obſerua ſic hæc legi ab Ambroſio ibi ſerm. 22. *Intret dignitas mea in conſpectu tuo:* vt nimirum poſtulatio, ſiue oratio idem ac dignitas hominis ſit: ſeſéque ille Deo ab oratione commendet, ſic dicebat Chryſoſt. homil. 5. de incomprehenſib. Dei natura. *Nos verò decet obtemperantes Deo ſemper omnem*

Pſal. 118. 170. Ambroſ.

vitam in laudibus Dei, precibúsque transigere, maiore studio curam agentes diuini cultus, quam vitæ nostræ. Sic enim continget, semper viuere vitam homine dignam. Subdit. *Quisquis enim non orat Deum, is mortuus est, expersque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris.* Quò facit quod de virginibus dixit Tertullianus libro 1. ad vxorem capite 4. orationem ipsis pro

Tertull. dote esse; sic enim ille: *Orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem dignationem, velut munera maritalia quotiescumque desiderant, consequuntur.* Pulchrè: nam vt à dote fœminæ parantur coniugium: quòd vxorem quærenti, vt nescio quis dixit,

Iuuenal. *Veniant a dote sagittæ.*

Ita anima diuino sponso nubilis, ab oratione dotatur; sine illa verò, vt indotata mulier tanto indigna videtur coniugio. Ita quidem Chry-

Chrysost. sostomus citato loco, subjicit. *Itaque cùm videro, quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruida, vehementique cura teneri, continuo mihi palàm est, eum nihil egregiæ dotis in animo possidere.* Sic ille. Sed enim hominem ab oratione subsistere, propriúmque ipsius munus eam esse, inde apparet, quod à Deo primario Salomonici templi architecto, sacratæ illius molis symmetria ex humani corporis dispositione, & fabrica desumpta fuerit, sicque ad eius proportionem, & normam composita, vt homo templum, templum hominem referret, vt optimis rationibus, & lineamentis apprimè osten-

Villalp. dit P. Ioann. Baptist. Villalpando tom. 2. in Ezechiel. par. 2. dispur. 2. cap. 31. vt nobis argumento, & documento esset hominem spiritu viuentem, spiritu ambulantem inde indicari, siue diffiniri, vt nimirum domus orationis sit: vnde Bernardus sermone 5. in Dedicat. templi, cùm de diuina erga nos misericordia sermonem

Bernard. dixisset. *Sanè hæc sola facit, vt nos ipse tanquam diues paterfamilias alat in fame, & sub copanibus abundantes inueniamur proinde domus eius. cui nunquam deest alimonia vitæ;* sic opportunè subdit. *Et memento quod domum suam, domum orationis esse diffiniat, quia & hoc prophetico satis videtur testimonio conuenire, qui ab ipso nos in orationibus vtique cibandos pane lachrymarum, & in lachrymis potum asserit accepturos.* Ita ille.

9. Iam verò orationem appositè indigentiæ nomine significari, quasi id sit, quo maximè indi[illegible]mus, inde facile videris, quod à Chryso[illegible] cum anima corpus informante, vitamque ipsi reddente, siue cum ipsamet respiratione, qua nihil charius, nihil adeò necessarium est, componatur. Sic enim præfata hom.

Chrysost. 5. de incomprehensibili Dei natura. *Quemadmodum enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, profecto mortuum est, ac fœtidum: sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera & grauiter olens.* Quod statim Danielis exemplo, qui orationem vitæ proponere non

Daniel 6.10. dubitauit, sic confirmat. *Quin insuper, quod oporteat, quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel Propheta magnus, qui maluerit emori, quam triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat Rex Persarum, vt impietatem admitteret; tantùm illud obseruabat, si quis intra triduum quidquam petere deprehenderetur ab vllo deorum, aut hominum præter quam ab ipso. Sed Propheta ne tantillum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quòd nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire possit.* Ita ibi Chrysostomus. Respirationis verò imaginem sic vsurpat homilia 23. in Matthæum. *Accedamus, inquam, importune, immo hoc nunquam est,* Chrysost.
importunè accedere. Sicut enim respirare, importunè omnino nunquam est, ita etiam, non quidem petere, sed non petere potius importunum est, sicut enim respirare, hoc iugiter indigemus, ita etiam eo, quod à Deo præstatur auxilio. Quod si voluerimus, facilè illum ad nos poterimus inflectere. Firmat hæc omnino Dominus discipulos commonifaciens. Matt. 26.41.
Orate ne intretis in tentationem, Matthæi 26. 41. Sanè quasi orationis respiratione deficiente, statim à tentatione suffocandi essent, siue quod ad tentationem vadat, qui ad orationem non vadit, vt dicebat Chrysologus num. 2. adductus. Ita quidem Gregor. Nyssenus orat. 1. de oratio- Nyssen.
ne, cùm orandi modum, quem nobis Dominus in oratione Dominica præscripsit in manibus ad docendum populum haberet, illud præmittendum existimauit, non tam de orandi modo, quàm de orationis necessitate homines monendos esse, quòd huius obliuio omnium ferè peccatorum causa, & origo sit: sic enim ille orationem exorditur. *Orandi nobis doctrinam diuinus sermo tradit, per quam se dignis discipulis orandi scientiam studiosè, ac seriò requirentibus, quomodo diuinum auditum conciliare per verba orationis conueniat, exponit. Ergo vero sumpta audacia exiguum quiddam adyciam ys, quæ scripta sunt, quod nimirum, non quomodo orare oporteat, præsens conuentus docendus sit, sed quod omnino oporteat orare; quod ad vulgi aures nondum fortasse peruenit;* & post nonnulla, cùm nimiam sæcularium bonorum solicitudinem, qua homines tenentur, altámque cælestium obliuionem descripsisset, subjicit. *Idcirco abundat in vita peccatum abiectionibus semper in maius augescens, & omnibus humanis studys implicatum, quoniam obliuio Dei tenet omnes. & orationis bonum rebus serys ab hominibus non simul adhibetur.* Sic Nyssenus: vnde rursus Chrysostomus libro 2. de orando Deum orationem animæ idem esse ac corpori neruos, quibus ipsum sibi constat, mouetur ac viuit; sic scitè adstruit. *Iam verò si quis dicat, animæ neruos esse* Chrysost.
deprecationem, mea quidem sententia videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, stat, & compactum est: adeò vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris: itidem anima per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, ac pietatis cursum facile peragunt. Hæc & sexcenta huiusmodi Chrysostomus duplici illo, *de orando Deum* libro. Nec mihi dixeris hæc in tyronibus, & incipientibus locum habere; perfectis verò orationis studium non adeò esse necessarium, vt subsistant, quòd extra telorum iactum esse videantur. Nam huic suggestioni Dominum manifestè reclamantem video; cùm præfata verba, *Orate ne intretis in tentationem*, ad discipulos inquit: Certè si attendis, non omnibus, sed tribus illis signatè dilectis, & præ aliis electis, quos secum, vndecim relictis assumpsit, hæc dixit. Sed quare? Quia videlicet altiorem sanctitatis, siue honorum gradum occupantes discrimini propiores, ac viciniores existunt, sed de hoc alibi.

Huic verò significationi proxima est illa, quam 10.
Græcæ voci nonnulli reddunt; vt eadem sit ac *irrigatio*: nam vt id ad lachrymas quibus orationem irrigare vtilissimum est, commodè retuleris,

leris, iuxta illa Angeli ad Tobiam verba, capite 12. verſ. 12. *Quando orabas cum lachrymis, &c.* Tobia 12. v. 12. *Ego obtuli orationem tuam Domino*; mihi magis placet ſub eo ſenſu accipere, vt non ſecus ac terræ fructus, vt creſcant, & ad debitam maturitatem perueniant, aquæ fluenta, quibus irrigentur, exoptant: ita anima atque virtutes quibus ipſa prædita eſt, aſſiduam orationis irrigationem, vt ſibi conſtent, & creſcant, omnino exigant: etenim cœleſti ſponſo affirmante, Cant. 4. 12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa*, Cantic. 4. 12. id eſt, omnium virtutum fructibus florens, & abundans, ſtatim addit: *Hortus concluſus, fons ſignatus*: huic horto fontem neceſſaria ratione adiungens, vt eius irrigatione illius plantæ ſubſiſtere, & ſuauiſſimos fructus edere valeant: ſic id ad ea verba adnotante Gregor. Nyſſeno, homil. 9. in Cantic. Nyſſenus. *Sed eiuſmodi horto opus eſt etiam fonte, vt maneat nemus florens, ac benè germinans aqua perenni irrigatum; propterea in laudibus horto adiunxit fontem, dicens.* Hortus concluſus, fons ſignatus. *Fons mea quidem ſententia propriè nominatur cogitatiua noſtra animæ facultas, quæ omne genus ratiocinationis in nobis facit ſcatere, & emanare. Sed tunc noſter ſit motus cogitationis, quando omnis noſtra mouetur operatio ad ea, quæ ſunt nobis conducibilia, & bonorum exhibent procreationem.* Sic Nyſſenus; & eodem ſenſu licèt diſſimili ſimilitudine Chryſoſtomus, libro 1. de orando Deum, orationem omnium virtutum radicem, à qua pullulent, & baſim, cui innitantur, ſic adſtruens. Chryſoſt. *Neque enim ſola temperantia poteſt homini ſalutem afferre, ſi cætera deſint bona, neque cura pauperum, neque benignitas, neque quidquam aliorum, quæ ex virtute geruntur, ſed oportet, vt omnia ſimul concurrant in animas noſtras: cæterùm precatio ceu radix, ſeu baſis omnibus ſubſternitur.* Tolle ergo radicem, & abſtuliſti omnem arboris fructum; tolle baſim, &c,

Collapſa ruent, ſubductis tecta columnis.

Sed huic rei opportuniſſimè locutus eſt Vates Pſal. 31. 3. Pſalm. 31. 3. inquiens. *Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Vbi ſi ambigas, quomodo hæc hæreant, & tacere, & clamare; Origenes. optimè reſpondet Origenes in fragmentis commentariorum in Prouerbia Salomonis apud Agellium ibi, hæc per hyperbaton efferenda eſſe ad hunc modum. Agell. *Quoniam a clamando ad te tota die tacui, inueterata ſunt oſſa mea.* Quod ſic explicat. *Vt iſte ſit ſenſus. Quoniam à clamore, & oratione, ac laude tua ceſſaui, ideo exſiccata ſunt oſſa mea: tunc enim quum laudabam, ô Deus, nomen tuum impinguabantur oſſa mea.* Vides orationem, irrigationem, ac fontem eſſe, qua deficiente omnes animæ fructus exſiccentur?

11. Nec prætermittenda extrema ſignificatio Græcæ vocis *δέησις*, quæ ſumitur pro ligatione. Aptiſſimè ſiquidem orationi quadrat, quæ Deum alligatum tenet, nec dimittit: vnde ipſemet de ſponſæ ſuæ labiis, id eſt, de oratione ſignatè dicebat: Cant. 3. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua*, Cantic. 3. 4. Gillebert. *Nimirum* (inquit inibi Gillebertus) *ea labia ligant, & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur*, & poſt nonnulla. *Vulneratur oculo, labio inflammatur etiam, & ligatur.* Iam quid aliud ſonant ea Domini in populum excandeſcentis ad Moyſem pro illo orantem verba? Exod. 32. 10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos*, Exodi 32. 10. Certè Hebræum verbum à radice Hebr. lect. Chaldaus. נוח ianach propriè vertas, *me mihimet permitte; relinque abire liberum*: ac ſi dicat Dominus. Ecce me colligatum & adſtrictum tenes, ne manus mouere poſſim; ſolue iam ac dimitte me liberum. At quibus vinculis, ſiue ligaminibus, Omnipotens à ſeruulo ligaretur? Audi Paraphraſtem Chaldæum ſic reponentem, *Et nunc dimitte deprecationem tuam à facie mea, & iraſcetur furor meus contra eos*; quaſi oratione Moyſis Dominus conſtrictus alligatúſque teneretur: ita Hieronymus epiſtola 12. inquiens. Hieron. *Quando dixit, dimitte me, oſtendit ſe teneri poſſe: potentiam enim Dei, ſerui preces impediebant.* Quod equidem non latebat ipſum Moyſem, de quo notanter ſtatim ſubjicitur. *Moyſes autem orabat ad Dominum Deum ſuum*, modeſtè innuens velle ſe Dominum adſtrictum, & ligatum tenere, vbi non omnino abs re dixeris: ſerui orationem valentiorem quodammodo ipſamet Dei potentia eſſe. Sed & hanc in rem rurſus contemplare, ipſummet Deum cum Iacobo tota nocte luctantem; nec ſuperare valentem, ſiue volentem; immò verò Iacobum tandem præualentem ei, Geneſ. 32. 16. Geneſ. 32. 16. ſic enim Angelus Dei perſonam gerens, cùm Iacobi nexibus teneretur adſtrictus eum alloquebatur: *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*, indicans, velle ſe diffugere, ſed ab illius nodis intricatum non poſſe. Cui ille, *Non dimittam te* (inquit) *niſi benedixeris me*: iam verò hanc luctam, atque certamen, non virium corporis, ſed orationis, ac lacrymarum fuiſſe; ſic manifeſtè aperuit Oſeas cap. 12. 4. Oſeas 12. 4. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt; fleuit, & rogauit eum.* Quibus ſanè teſtimoniis hærens, cùm audio diſcipulos pro Chananæa muliere ſanitatem filiæ obnoxius poſtulante Chriſto ſuggerentes: Matt. 15. 23. *Dimitte eam, quia clamat poſt nos*, Matthæi 15. 23. ipſummet Dominum ſic illis reſpondentem videre mihi videor: immò potiùs ipſa me dimittat, quæ ſuæ orationis vinculis me conſtrictum retinet: vnde ſtatim ſubjicit, *O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.* Quod ſenſum communem habere videtur cum Iacobi lucta: in qua Angelo petente, Geneſ. 32. 29. *Dimitte me*: ipſóque reſpondente: *Non dimittam niſi benedixeris mihi*; tandem ille manus dedit, *& benedixit ei in eodem loco*, Geneſ. 32. 29. Nec importunum putes, vim Deo inferri: cùm id ipſi gratiſſimum ſit, ſic Tertullianus de fidelibus ad orandum conuenientibus pulcherrimè dicebat in Apoſtolico cap. 39. Tertull. *Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes, Hæc vis grata Deo eſt.*

Cum gratiarum actione.

12. QVid? ea ne fiducia oraturi & beneficia à Deo petituri ſumus; vt pro ipſis quaſi iam acceptis gratias agamus? ſi Dei quidem naturam ad beneficiendum omnino procliuem, & quæ dona ſua vix continere valeat, quin petentes velociter exaudiens in ipſos diffundat, attentiùs conſideras, benè omnino ratiocinaris; at enim Pauli mens altò it, ac ſi dicat. Quando noua petimus à Deo beneficia, ſimul de acceptis gratias agamus; nihil enim ad noua dona impetranda adeò iuuat, quàm ob iam accepta gratos nos exhibere: ita Chryſoſtomus inquiens, Chryſoſt. *Quamobrem preces noſtras non nudam petitionem eſſe vult, ſed coniunctam cum gratiarum actione pro iis, quæ accepimus: quomodo enim petet quis futura, qui de præteritis gratiam non habet?* Similiter Anſelm. & Anſelm. Bruno. Bruno: quorum prior ait. *Quis qui vult alia im-*

P. Anton. Velaſq. in epiſt. ad Philip. tom. 2.   Vv 2   po

petrare, debet ex perceptis gratus esse. Bruno verò: *Redditio etiam gratiarum ad impetranda futura vtilis est, sicut ingratum esse, nocuum est.* Eadem habeant Remigius, & alij. Addit statim Chrysost. non pro lætis solùm atque iucundis, sed pro molestis, & aduersis rebus gratias fore reddendas: pergit. *Id enim verè grati hominis est, illud enim ipsa rerum natura postulat: hoc verò ab animo grato, valdéque erga Deum affecto, atque ex illo penitus pendente proficiscitur.* Remig.

13. Nec fuerit omittenda ea lex, quam Bernardus, occasione verborum publicani, sic Deo gratias agentis, *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti*, Lucæ 18.11. gratiarum actioni hunc in modum præscribebat in allegoriis Gotfridi Tilmani in cap. 18.11. Lucæ. *Sciendum quòd nō omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica, & mera simplicitate procedit. Pudica propter eos, qui de malis suis actibus gloriantes Deo gratias dicere solent, quasi Deus in ore ipsorum lætetur; cùm malefecerint; & exultent in rebus pessimis: audiet qui huiusmodi est.* Existimasti iniquè, quod ero tui similis. *Mera propter hypocritas, sicut fuit iste Pharisæus, qui Deum quidem de bonis verbo tenus glorificantes, corde retinent, quod ore præbuerant, & quoniam dolosè agunt in conspectu eius, inuenietur iniquitas eorum ad odium. Ille impiè sua Deo mala, isti bona fraudulenter intorquent sibi.* Hactenus Bernardus. Luca 18.11. Bernard.

Petitiones vestræ innotescant apud Deum.

14. NOn dubium, quin hæc cum præcedentibus ad hunc modum coniungenda sint, *in omni* tempore, siue negotio *petitiones vestra oratione, & obsecratione* associatæ *innotescant apud Deum.* Sed cur dixit, *innotescant apud Deum?* Referunt Remigius, & alij ad ministerium Angelorum offerentium orationes fidelium in conspectu Dei, non quòd ipsis opus sit, vt Deo notæ fiant, sed vt significetur eorum munus, nimirum Dei ad nos, & nostri ad Deum nuntios esse: sic enim ille. *Petitiones vestræ innotescant ad Deum, id est, nota fiant Deo per ministerium Angelorum. Si ergo omnipotens Deus omnia non solùm præterita, & præsentia, sed etiam futura cognoscit, & non solùm opera, sed etiam cogitationes discernit, & totus vbique est: quid necesse est, vt per ministerium Angelorum renuntientur ei, quæ agimus? non ergo ideo illi nuntiant, quod illum aliquid lateat, iuxta quod Salomon dicit.* Tu solus nosti cor filiorum hominum; *sed vt officium, & ministerium suum adimpleant, quia nuntij sunt.* Sic Remigius: Qui quidem dicendi modus inter alios sic placuisse videtur S.Thomæ: *Vel innotescant ijs qui sunt apud Deum, id est, Angelis, per quorum ministerium deferuntur Deo, non quasi ignoranti, sed quia intercedunt pro nobis, Apocalyp.* 8. Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Sed probabilius idem Angelicus Doctor, Chrysost. Bruno, & alij ad earum rerum quæ à Deo petuntur opportunitatem, siue ad orantium dignitatem referre malunt: ac si dicatur, eas ad Deum preces fundite, quæ sine rubore ante Deum comparare possint, & quæ dignæ sint, vt ab eo exaudiantur, (consueta siquidem Scripturæ phrasi, ea Deus scire dicitur, quæ probat; ea nescire, quæ improbat) *Has preces agno-* Remig. S.Thom. Chrysost.

scit Deus (inquit Chrysost.) *alias verò ne nosse quidem vult: huiusmodi igitur res precemini, quæ agnoscantur.* Ad quem modum S.Thom. ait, *innotescant, id est, approbentur ante Deum, & appareant quasi digna, & sancta*, Psal. 140.2. dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: *vel innotescant nobis ipsis, quòd semper sint apud Deum: quasi dicat, Non oretis propter fauorem populi, Matth.* 6. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, &c. Iam B. Bruno sic in hanc rem inquit. *Innotescant, id est, cognitæ & approbatæ sint apud Deum. Tunc apud Deum innotescit petitio si qui petit, iustus est, & si quod petit, idoneum est.* Addideris ideo etiam opportunè dici orationes innotescere Deo, cùm feruenter, & alacriter profunduntur, Domino dicente: *Clamabit ad me & ego exaudiam eum*, Psal. 90.15. in quæ verba Bernard. serm. 16. in Psalm. *Qui habitat*; sic inquit. *Meritò non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepidè postulans, & remissè. siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus, è regione autem remissa intentio, vox submissa. quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cœlis? Namque vt clamandum sibi nouerit homo inter primordia suæ orationis, ipsum quem oraturus est Patrem, in cœlis esse, protinus admonetur, quòd videlicet impetu quodam spiritus illo sibi iaculandam esse meminerit orationem: spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est; quisquis clamorem suum ad eum desiderat peruenire; sicut enim non faciem minis respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor; sic ad cordis potius vocem, quàm corporis aures eius, cui meritò dicitur,* Deus cordis mei. *Hinc est, quòd Moyses foris tacens intus auditur, dicente Domino,* Quid clamas ad me? Exod. 14. Hæc Bernard. Ex animi ergo alacritate & cordis feruore, non ex vocis clamore externísque indiciis Deo orationes nitescunt; quare bene monuit August. eos qui in oratione siue genua figunt, siue manus extendunt, siue solo prosternuntur, non ideo hæc facere, vt inde Deo innotescant: sic enim ille in lib. *de cura pro mortuis agenda* cap. 5. *Nam & orantes de membris sui corporis, faciunt, quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit; nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo adorandum gemendúmque humilius, atque feruentius.* Sic Augustinus. S.Thom. Psal. 140.2. Bruno. Psal. 90.15. Bernard. August.

Ad ea verba: *Petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

Adnotatio Vnica.

Eam Domino orationem innotescere, quæ à corde puro, & spiritualia petente proficiscitur.

BEne omnino dicebat B. Bruno, tunc apud Deum petitionem innotescere: *si qui petit, iustus est & si quod petit, idoneum est.* nam vtrumque ab orante exigitur, nec bonus orator sine bona causa: nec hæc sine bono oratore facile aditum inueniunt, vel vide vna ex parte fatuas virgines spirituale, & idoneum petentes, aditum nimi I. Bruno.

Matt. 25.11. nimirum cœlestis regni, illis verbis, *Domine, Domine, aperi nobis*, Matth. 25. 11. ex alia verò matrem filiorum Zebedæi; lectissimam quidem fæ-
Matth. 20. 21 minam primas regni sedes exorantem. *Dic* (inquit) *vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo*, Matth. 20. & tam hanc, quàm illas æquè à Domino repulsas inuenies, quòd vt fatuis virginibus iustitia, ita istæ fæminæ petitionis dignitas defuerit: age ergo, & de singulis nonnihil dicamus.

2. Sanè de primo sic disertissimè dicebat Vates
Psal. 117. 19. Psal. 117. 19. *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam.* Ad quem locum acutè excogitauit Agellius Dauidem his verbis discentis, & magistri personas inducere, quasi is qui Deum oraturus veniat, à peritis, & spiritu plenis tanquam ab ostiariis petat, vt facultatem sibi faciant ingrediendi ad concinendas Dei laudes, & vt rationem id peragendi patefaciant, ab illis verò id reddatur responsum: *hanc Dei esse portam, iustos per eam ingredi, & à maculis peccatorum ablutos: non esse namque speciosam laudem in ore peccatoris, iustos exsultare debere in Domino, & illos docere collaudationem.* Sic Agellius. Quòd si rationem desideres,
Greg. Magn. reddit hanc sapienter Gregor. Magnus: *in grauibus, cum qui displicet intercedit, irati animus ad deteriora prouocatur*; reddit, & illam Tertullianus
Tertull. libro de oratione cap. 10. *Nec ab ira solummodo, sed ab omni omnino confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnosci poterit à Spiritu sancto spiritus inquinatus, aut tristis à læto, aut impeditus à libero. Nemo aduersarium recipit, nemo nisi comparem suum admittit.* Ita Tertullianus.

3. Hinc notantissimè Psalmo 89. hic titulus præfigitur, *Oratio Moysi hominis Dei*: ac si dicatur, ille solus ad orandum & exorandum Deum ius habet; qui Dei homo, siue solius Dei seruus est, sic id obseruante Gregor. Nysseno tractat. 2. in
Psal. 89. Psalm. cap. 3. *Quasi non liceat aliter per orationem ad Deum accedere, nisi quis ab hoc mundo sese auocans, solius Dei homo efficiatur.* Cui cogitationi sic rursus concinit Vates Psalm. 24. 1. cùm ad ora-
Psal. 24. 1. tionem accedens ipso in limine dicebat, *Ad te Domine leuaui animam meam*: sed obserua in fon-
Græc. lect. te Hebræo pro his haberi, *Tibi Domine donaui animam meam*: id pro certo reputans, non licere aliter per orationem ad Deum accedere, nisi Deo primum se ipsum orans donet, & solius Dei homo efficiatur: cui rationi innixus Tertullian. sapienter, & animosè dicebat in Apologetico cap.
Tertull. 30. *Hæc ab alio orare non possum, quam à quo me scio consecuturum, quoniam, & ipse est, qui solus præstat, & ego sum, cui impetrare debetur, famulus eius, qui eum solum obseruo, qui propter disciplinam eius occidor, qui ei offero opimam, & maiorem hostiam, quàm ipse mandauit; orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu sancto profectam.* Preme illud; *ego sum cui impetrare debetur, famulus eius qui eum solum obseruo*: ac si dicat, qui ius ad exorandum Deum habeo, qui eius tantùm famulus sum, nec alium nisi ipsum obseruo: secus quidem nullum ad impetrandum ius habiturus, qui mundo inseruiens Deum orarem, vt sua mihi dona conferret. Vnde iterum idem vates Do-
Psal. 118. 169 minum sic fidenter alloquebatur. *Appropinquent deprecatio mea in conspectu tuo Domine; iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.* Psalm. 118. 169. sed qua ratione, orationem suam tanta Deo fiducia commendabat, vt ad ipsum appropinquare vellet? Nimirum quod immediatè dixerat, *seruaui mandata tua, & testimonia tua; quia omnes viæ meæ in conspectu tuo* ex mandatorum Dei custodia locum orationi suæ faciens, siue alas ei indens, quibus quàm citissimè ad Deum volaret.
Audi Ambros. ad ea verba sermone 22. *Volare facit orationem bona vita, & dat alas precibus spiritales quibus sanctorum ad Deum euehatur oratio,* Ambros. subjicit, *sed & spiritus, quo oramus, subleuat precem iusti, maximè si corde contrito compatiens eam commendat affectus: consummati autem viri ista est confidentia*, & statim: *orationem* (inquit) *suam dirigit in cœlestia, mittit eam in conspectu Domini saluatoris, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, remigia deuotionis, & fides, innocentia, puritatisque subsidia, peccato enim grauescit oratio, & longè fit à Deo, tanto autem plus grauatur, quanto improbior est vita deprecantis.* Hæc & alia plura ibi Ambrosius.

Nec verbis solùm, sed rebus ipsis id docuit Regius Psaltes: nam cùm Salomoni filio templi fabricam, & quidquid ad illius ornatum, & ministerium opus erat, ex Dei præscripto commendauit, atque aurum ad singula vasa ministerij tradidit: ad altare quidem in quo adolendum erat incensum, non quoduis aurum, sed id quod purissimum, & purgatissimum erat, signatè dedit: vt sacer scriptor adnotauit 1. Paralipom. 28.
14. vbi cùm dixisset, *aurum in pondere per singula vasa ministerij*, &c. *sed, & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum aurum pro mensura vniuscuiusque candelabri*, &c. *Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diuersitate mensarum, similiter, & argentum in alias mensas argenteas*; subjicit 1. Paral. 28.
vers. 18. *Altari autem in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit*: siue, vt habent Hebræa ex translatione Pagnini, *& pro altari suffimenti aurum purificatum*: vt argumento esset ad oratio- Græc. lect.
nem, quæ in thure, & odoramentis significatur, (vt patet ex illis verbis Apocalyps. 5. 8. *habentes singuli phialas aureas odoramentorum, quæ* Apoc. 5. 8.
sunt orationes sanctorum.) omnimoda animi puritate opus esse; nec aliter altari siue Deo orationem appropinquare posse, nisi à conscientia pura, & repurgata proficiscatur: ita sanè dicebat Tertullianus in exhortat. ad castitatem cap. 10.
oratio de conscientia procedit: si conscientia erubescit, erubescat oratio: spiritus ducit orationem ad Deum: si spiritus reus apud se sit, conscientia erubescit, quomodo audebit orationem ducere ad altare; Tertull.
& eodem sensu Augustinus sermone 255. de tempore, qui est 4. in dedicatione Ecclesiæ.
Nescio qua fronte, aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire: optimè: *qua conscientia*, quasi iniustus, & raptor is esse videatur, qui orationis gaudia, & vtilitates velit percipere, quin orationi idoneus, atque opportunus accedat; dicente Regio vate, *labores manuum tuarum, quia manducabis; beatus es, & bene tibi erit*, Psalm. 127. vt, nimirum in Domini mensa, atque orationis conuiuio ij solùm refici mereantur, qui laborant, vt manducent. 2. ad Thessalonic. 3. 10. *leuantes puras manus sine ira & disceptatione*, 1. ad Timoth. 2. 8. Audi hac de re Bernardus sermone 40. in Cantic. ad ea verba capite 1. 15. *lectulus noster floridus*: sic monentem, *En fortè appetis, & ipse contemplationis quietem, & bene facis tantùm ne obliuiscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum: ergo, & cu-* August. Psal. 127. 2. 2. ad Thessal. 3. 10. Bernard.

ra tu tuum [illegible] cum [illegible] um [illegible] ope-rum, [illegible] exercitio [illegible] fac-ctum [illegible] otio d[illegible] si non exercitandi [illegible] appe-tit. [illegible] negle[illegible] Rachelis [illegible] est, an-te [illegible] exigi [illegible] , [illegible] ume-re cibum, cum [illegible] Qui non laborat, non manducet. Hac [illegible] afferenda Bernardus.

5. Opportune etiam [illegible], qui enim munditiæ non studet, cur [illegible], & orationis gaudia accipere præsumat: Nimirum oratio Dei, & animæ connubium, & sacratissima coniunctio est, vt liquidò constat ex illis Tobiæ verbis ad sponsam suam antequam matrimonium perficerent. *Sara exsurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras; quia his tribus noctibus Deo iungimur. tertia autem transacta nocte in nostro erimus coniugio.* Tobiæ 8. 4. atque ideirco eximiam thalami, huius scilicet cordis munditiam exigit: alias quia fronte ad immundum, & conspurcatum lectum purissimum sponsum inuitabis? siue etiam ad sponsi thalamum immundus, & turpis accedes? Audi de hoc Chrysologum sermone 141. *Cor [illegible] ad thalamum sponsi nisi satis proximus, nisi satis [illegible], nisi bonæ conscientiæ, nisi laudabilis famæ, nisi probabilis vitæ, non [illegible] admittitur*; vel vide Adamum cùm primum à Deo defecit, & in peccatum lapsus est, ab ipsius familiaritate, & consuetudine exortem factum, & ab aula regia eiectum; bene id adnotante Tertulliano libro 1. contra Marc. cap. 2. ad hunc modum: *Quod si a primordio homo animalis non recipiens, quæ sunt spiritus, stultitiam existimauit Dei legem, vt quam obseruare neglexit: ideòque non habendo fidem, etiam quod videbatur habere, ademptum est illi, paradisi gratia, & familiaritas Dei, per quam omnia Dei cognouisset, si obedisset*, &c. Accinit citato loco Bernardus in hanc rem sic premens ea Dauidis verba: *A mandatis tuis intellexi*, Psalm. 118. 104. *A mandatis tuis intellexi, inquit, vt sciam, nisi obedientia mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto uno. illo præsertim quem tibi pro obedientiæ floribus, [illegible], atque vrticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusque non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, vt mori, quam non obedire maluerit.* Sic Bernardus vnde post nonnulla in eos qui spiritu sordidato ad orandum Deum accedunt, sic vehementiùs intonat. *Miror valdè impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbauerint, sua impatientia irritauerint, sua contumacia, & rebellione contempserint, sua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiscentiæ suæ lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominum inuitare.* At cùm extenderitis, ait, manus vestras, auertam oculos meos, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam; *quid enim: lectulus non est floridus, magis autem & putidus est, & tu illuc regem gloriæ trahis? Ad pausandum hoc facis, an ad con[illegible]andum? Centurio vetat illum intrare sub tectum suum, propter suam indignitatem; cuius tamen fides in vniuersa redolet Israele, & tu ad [illegible] intrare [illegible] dens spurcitias [illegible]. Clamat A[illegible]rum princeps: exi a me Domine, quia homo peccator sum, [illegible] in [illegible] ad me Domine, [illegible]*

sanctus sum. Hactenus Bernardus.

Iam hæc Abelis, & Cain h[illegible] ob oculos iacit, vtroque [illegible] offerente [illegible] *respexit Dominus ad [illegible] nera eius; ad Cain vero, & ad munera eius non respexit*, Genes. 4. 4. sed quare? [illegible] tum Abel leuauit manus puras ad Dominum, seipsum purissimam hostiam ipsi [illegible] Cain verò sordido spiritu, & terrenis [illegible] implicatus ad sacrificandum accessit [illegible] *Deo offerret* [illegible] Rupertus libro [illegible] commentar. in Genes. [illegible] *seipsum [illegible] tum habens in cupiditate terrena* [illegible] post plura subinde sæculi [illegible] experti sunt: nam Christianissimis Gallo, & impiissimo Iuliano fratribus, in Dei honorem Martyribus templa erigentibus, Galli opus Dei manu adiutrice mire perficiebatur, ea verò quæ Iulianus moliebatur, adeo Domino erant inuisa, vt lapides in fundamentum iacto ipsa terra excuteret, impij hominis sacrificium, & orationem Dei nomine repudiante, vti memoriæ tradidit, egregiéque penicillauit Gregor. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum ad hunc modum: *Etenim alterius, hoc est fratris [illegible] opus perficiebatur, ac rite procedebat, Deo scilicet munus illud libenter admittente, vt olim Abelis sacrificium, tum recte oblatum, tum [illegible] alterius autem (heu tristem in hac quoque vita impiorum contemptum, futuræ ignominiæ spem. [illegible] uisque indicijs magna [illegible]) non secus ac Caini sacrificium Deus Martyrum repudiabat, Itaque ille quidem laborabat. sed terra quod elaboratum erat, excutiebat: ille enixius contendebat, hæc imbecillis in pietate hominis fundamenta capere detrectabat*, & post nonnulla. *Nam qui Israeli impie agenti dixit*: si obtuleris silaginem, vnum est suffimentum, abominatio mihi est. *Quique etiam Neomenias, & sabbata, & diem magnum repudiat (neque enim se, cùm plenus sit, illa re & magna, & parua opus habere. vt existimari possit, eum muneribus indignè oblatis delectari) & flagitiosi hominis sacrificium, quamuis etiam vitulum mactet, quasi canis victimam execratur, & thus quasi blasphemiam ac meretricis pretium, atque mercedem a templo exterminat, atque abijcit, vnumque illud sacrificium carum habet, quod puræ manus, & mens excelsa, atque ab omni labe expiata purissimo Numini offerunt; quid mirum si idcirco huius quidem honorem acceperit.* Hactenus Gregorius.

Iam verò non aliter Deo petitiones nostras innotescere, nisi, & id quod petitur idoneum sit, vt dicebat Bruno: inde collige, quòd terrena, & caduca petentibus Deus surdus fit: ita omnino Saluianus Massiliensis libro 1. de Prouidentia, Dominum his verbis affatus. *Domine non prosperitatem vitæ istius petimus, nec pro bonis præsentibus supplicamus (scimus enim aures tuas his obsecrationibus clausas esse, & auditum te ad preces istiusmodi non habere:) sed pro his tantummodo petimus, quæ sunt futura post mortem.* En proprietatem phrasis *innotescere*, qua vulgatus vsus est: quippe dum temporalia poscimus, clausas quodammodo aures Deus habere dicitur qui petentes, & petita improbat, vnde Ambrosius libro de sacrament. libro 5. inquit. *Plerumque ne orator venit ad orationem, aut auarus de pecunia cogitat alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate, & putat quod cum Deus possit audire*; [illegible] posse audire; clausis nimirum,

Marginalia: Tob. 8. 4. — Chrysol. — Tertull. — Bernard. Psal. 118. 104. — Bernard. — 6 — Gen. 4. 4. — Rupert. — Nazian. — 7. — Saluian.

rum, & obl[illegible] Ad h[illegible] repens oratio[illegible] non [illegible]endit, n[illegible] ad Deum pe[illegible] Christo Domino modum, & exempl[illegible] nobis [illegible] dicit Lucæ capite 6. 12. [illegible] ascendisse in montem orare [illegible] *pernoctans in oratione Dei.* Ad quæ verba Am-
Ambros. brosius libro [illegible] Lucam pulchre [illegible] *[illegible] a terrenis [illegible], vertitur [illegible] sublimi [illegible] ascendit in montem, qui [illegible] hæc [illegible] [illegible] [illegible] le [illegible]* B[illegible] *[illegible] de [illegible]* [illegible], qui
August. pro terrenis [illegible] orant [illegible] Augustinus *Non [illegible] ad Deum [illegible], sed potius [illegible]*, & Nyssenus opportune [illegible] multitudine orationis 1. de oratione Dominica: *Accedit* inquit *aliquis ad Deum per orationem, & non [illegible] animum [illegible] potentis, [illegible] turpibus, & sordidis petitionibus maiestatem diuinam dedecorat imprudens ut si quis pre[illegible] paupertate, aut [illegible] vasa ex luto [illegible], pretiosa putet [illegible] sordidas diuitias & dignitates [illegible] parum [illegible], atque omnibus rebus, quæ [illegible] peti solent tanta dignitate præditum rogat, ut ex luto subacto, atque concinnato efficiat aliquid. quin sit cordis [illegible] ita etiam is, qui imperite [illegible] oratione non ad [illegible] altitudinem sese erigit, sed ad [illegible] humi[illegible], & terram sapiente, [illegible] diuinam potentiam descendere desiderat.* Hæc Nyssenus. Vnde quidem rectè inferas, ho[illegible] non orare, etenim oratio, vt Sancti
S. Thom. Thom[as] & alij PP. diffiniunt, est *ascensus mentis in Deum*, ea verò oratio, quæ terrena quærit, non a[sc]endere, sed terræ, & cæno subnixum siue mi[xt]am esse, constat nec nostra, sed Iacobi Apostoli hæc cogitatio est; ait enim capite
Iacob. 4. 2. 4. 2. *Non habet[is] propter quod non postulatis*, id est, vt Syriaca Lectio habet: *quoniam non postulatis*, & statim, *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, v[t] in concupiscentijs vestris insumatis*: quibus verbis antilogiam prima facie subesse, dixeris: nam quid aliud fuerit vna ex parte dicere, *non postulatis*, & ex alia *petitis*? Respondet verò opportunè Beda nihil hîc contrarium, sed omnia consentanea esse: *quia qui male petit in conspectu interni testis nihil petit.* Sic ille. Luculentius verò Augustinus, ea verba
Psal. 52. 6. Psalmi 52. 6. *Deum non inuocauerunt* sic premens. *Non inuocat Deum*, qui vt diues fiat, Deum inuocat: hoc enim inuocat, quod ad se vult venire. *Quid enim est inuocare, quam vocare in se? Nam cum dicis, Deus, det mihi diuitias, non dicis, vt Deus veniat ad te, sed vis, vt diuitiæ veniant ad te, quod ergo vis vt veniat ad te hoc inuocas; ergo isti, qui propter sæcularia commoda inuocant Deum, non inuocant Deum.* Hæc Augustinus.

8. Sed quidem in conspectu Christi Domini crucifixi duos petitores, bonum scilicet latronem, & malum clamantes audis, hic enim orationem
Lucæ 23. 39. suam sic adornabat Lucæ 23. 39. *Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos*; bonus verò dicebat: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, Lucæ 23. 42. vtroque verò sic [illegible], ad priorem, quasi eius vocem non exaudierit, nihil Dominum fertur respondisse, cùm tamen bono statim annuerit, respondens. *Amen dico tibi. Hodie mecum eris in paradiso*, sanè quid temporalia petenti clarius ante Dominus habuerit, & in conspectu interni testis, nihil petieret, qui male petebat: boni autem oratio cœlestia petens, pernicissimo volatu ad Dominum accessit, non secus ac si Pauli obsecratio esset ingenti charitate dicentis.
Cupio dissolui, & esse cum Christo. Audi hac de re venerabilem Drogonem sermone de Sacramento Dominicæ Passionis. *Latro fuerat, quando [illegible] autem post orationem. Quid [illegible]*, Memento mei, dum veneris in regnum tuum: *ò magna fides, ò magna [illegible], ò magna [illegible]: orat pro futuris, non pro præsentibus [illegible] de cruce deponi, sed in regno Christi [illegible], quid enim est aliud dicere*. Cupio dissolui, & esse cum Christo. *Nescio quid Paulus [illegible] isto latrone [illegible].* Ita Drogo. Porrò sub eorum persona qui pro temporalibus orant, apte capit Augustinus ea vatis verba Psalm. 21. 3. *Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi*, vt siue felicitatem sub diei nomine orantes, siue ab aduersitate, quæ noctis vmbra denotatur, sese liberari petentes, magno iure, nec minori pietate, non exaudiantur, quòd insipienter petant, nec noui Testamenti asseclæ esse videantur, sic enim ille epistola 120. *de gratia noui Testamenti*, ad Honoratum. *Unde sequitur Psalmus & dicit*, Clamaui ad te per diem, nec exaudies, & nocte, *etiam hic subauditur*, nec exaudies; *sed vide quid adiungit*, & non ad insipientiam mihi. *Hoc ergo dicit: Nonne quidem exaudies clamantem* per diem; *id est, in rebus prosperis, vt eas non amittam*; & nocte; *id est, in rebus aduersis, vt prospera quæ amissa sunt, redeant: verùm hoc mihi non ad insipientiam facies, sed potius, vt sapiam, quid iam per noui Testamenti gratiam à te exspectare, quid desiderare, quid poscere debeam.* Hæc & alia ibi Augustinus.

Quò ite videntur subobscura Domini ver- 9.
ba apud Oseam capite 2. 16. impudicam olim Oseæ 2. 16.
sponsam, ad bonam frugem sese iam recipientem sic monentis. *Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali.* Sed obserua difficultatem non mediocrem hæc verba continere, quòd *Baali* significet, *Dominus meus*, siue etiam, *habens me*, atque ideo, hoc nomen ad coniugij familiaritatem spectet, eòque vxores maritos suos compellare solent; sic enim Hieronymus, ibi.
Baal lingua Hebræa, & Syra interpretatur ha- Hieron.
bens: *si voluerimus dicere*, habens me, *dicimus apud vtramque gentem vxores viros suos vocare* Baali: *id est*, vt meos: quod *intelligitur* habens me, *& est sensus, qui habet me in coniugio*: vnde ab illa phrasi, *vir meus*, nihil omnino hæc differre videtur; cur ergo tanta emphasi inquit
Dominus: *vocabit me vir meus, & non voca-* Rab. Sal.
bit vltra Baali. Respondet ex Rabbi Salomo-
ne Nicolaus de Lyra, sensum horum verbo- Lyra.
rum esse. Non timebit me, sed amabit; quippè *vir meus* amoris nomen est; *Baali* verò timoris, cùm Dominum significet. Bene quidem id dicitur, & satis opportunè statui noui Testa-
menti, dicente Paulo ad Romanos 8. 15. *Non* ad Rom. 8. 15
enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum:

at non plenè satisfacit; præsertim iuxta illam significationem, *habens me*, ex coniugij more petitam. Quare rursum respondet Hieronymus, ad idolorum odium referendum id esse, quòd nimirum, quamuis *Baali* honestum, & coniugale nomen sit, quo vxor virum suum honoris gratia compellare soleat; at illud habebat incommodi, quod idolorum cultum aliquidque nefariæ religionis, quam Deus auersabatur, oleret. *Cum virorumque sermone* (inquit Hieronymus) isti, & Baali *appelletur vir meus, siue maritus meus, tantum odi idolorum nomina, vt etiam quod bene dici potest, propter ambiguitatem, & verbi similitudinem nequaquam velim dici, sed appellari me isti, magis quam* Baali, *nedum aliud loquutur, alterius recordetur, & vnum nominans idolum cogitet.* Acutè omnino, & satis congruenter iis, quæ diximus ad ea verba cap. 3. *quæ retro sunt obliuiscens:* vt qui nolit denuo offendere ad ea, ad quæ olim turpiter impegit; nouerit, minima quæque quæ pristini erroris gustum habeant, maximo sibi studio fore declinanda, cùm ad exiguam scintillam, & semiexstinctos cineres recalescat animus, & ad ea, quæ euomuerat, coliquescat: verùm ne tantùm Dei monitum nudæ tantùm nominum pronunciationi hæreat, crediderim non minùs opportunè dici posse, voluisse Dominum his verbis sponsam admonere, vt ipsum iuxta gratiam noui Testamenti gratis diligat, & ab ipso non temporalem, & terrenam felicitatem, sed spiritualia, & cœlestia bona exposcat: etenim, nisi ego erro, non aspexit Dominus his verbis ad significationem vocis *Baal*, hoc est, *habens me*, siue, *Dominus meus*, sed ad illum Gentilium morem, quo non tam legitimæ vxores, quàm meretrices, & impudicæ amasios suos, Baal, id est, Iouis nomine compellabant, dicentes, *mi Iuppiter*: sicut, & illi etiam amasias his blandimentis deliniebant; suas Iunones compellantes, vbi dum grande quidem inter matronarum, siue legitimarum vxorum, & meretricum amorem atque consuetudinem innuitur discrimen, quòd hæ non ad decorum, & rationis præscriptum, sed ad cupiditates explendas amasios suos velint: vxores verò ea potissimum ratione viros habeant, vt ab ipsis instituantur, gubernentur, & veris honoribus, & ornamentis afficiantur: is videtur esse sensus, ac si dixerit Dominus. Nolo, vt me insincero concupiscentiæ amore, sed gratis, & vera amicitia prosequatur; ne videlicet ad suos vsus, atque delitias tanquam impudicæ amasios suos: sed ad vera animi bona consequenda, vt legitimarum vxorum mos est, mea consuetudine vtatur. Ad quem sanè modum eodem quo superiùs sensu Augustinus in Psal. 30. dicebat. *Dico ergo breuiter homini auaro, inuocas Deum, quare inuocas Deum? vt det tibi lucrum. Lucrum ergo inuocas, non Deum, quia hoc lucrum, quod concupiscis, non potes habere per seruum tuum, non potes habere per colonum tuum, per clientem tuum, per amicum tuum, per satellitem tuum, inuocare Deum ministrum lucri tui facis Deum. Vilum tibi Deus. Vis inuocare Deum? gratis inuoca. Auare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro, & argento non vis illum. Quid ergo tibi debet, quæ fecit Deus, sufficit. cui Deus ipse non sufficit?* Hæc Augustinus. ex quibus noueris, quid sonet, *vocauit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali.* puras scilicet ad Deum manus, non sordidas leuare, iuxta Pauli monitum 1. ad Timoth. 2. 8. *leuantes puras manus*: quod hic videtur explicasse ipsius familiaris Se[illegible] in proœmio lib. 3. Natural. qq.

Hieron.

August.

August.

quid est præcipuum? Non admittere in animum mala consilia. puras ad cælum [illegible] *tollere nullum petere bonum, quod vt ad te transeat, aliquis dare debet, aliquis amittere* [illegible], *quod sine aduersario optatur, bonam* [illegible] Sic Seneca. Seneca.

Accinit pulcher Salomonis locus Prouerb. 25. 10.
17. commonentis, *subtrahe pedem tuum de domo proximi tui; ne quando satiatus oderit te*, siue, vt LXX. habent, *Raro introduce pedem tuum.* Quod optime expressit Hispana parœmia. *Date a dessro*, &c. sed enim, obserua, eo sub cortice, quo sapiens frequentem aditum ad amici domum, præsertim petendi aliquid causa, vetauit; eius quam persequimur admonitionis nucleum delitescere: alias cur signatè dixerit, *subtrahe pedem tuum*, & non potiùs pedes tuos? vno ne pede ambulare homines solent? sanè cùm alter pes, (sicut, & dextera, & sinistra manus) ad spiritualia; alter, ad corporalia, siue temporalia referatur: vnum tantùm pedem in domum amici inferendum, altero ab illa subtracto, siue perrarò illato id omnino significat, nonnisi ad spiritualia bona petenda domum Dei, qui verus amicus, verus proximus est, frequentiùs adeundam, atque omni temporalium bonorum solicitudine ablata vix aut ne vix quidem, nisi pro iis, quæ ad vitam transigendam omnino necessaria sunt, preces ad Deum esse fundendas: egregiè sub hoc sensu hæc verba capiente S. Nilo in Ascetico: & cum illis Leuitici 11. 42. *Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, abominabile est*; sic componente. *Multiplici pedum numero mouetur, qui rebus corporeis circumagitur: idcirco Sapiens ille Prouerbiorum auctor, ne duos quidem hominem sapientem habere vult pedes, sed vnum tantum; eumque rarò ad res corporeas mouere.* Rarò, *inquit*, infer pedem tuum ad amicum tuum, ne fortè nimia familiaritate satiatus oderit te. *Si enim rarò ad amicum accesseris rebus egens corporis necessariis, amicus erit, quemadmodum discipulos suos Christus appellat:* vos, *inquiens*, amici mei estis, Ioann. 14. 15. *Sin frequentius, & nihil aliud spectans, vt multi solent, inuisus erit. Quid enim exorabit? aut quomodo non erit detestandus, qui rebus eiusmodi semper intentus, nunquam ad rectam viuendi rationem animum excitauit?* Hæc Nilus. Fauet lectio Hebræa, quæ pro, *subtrahe pedem tuum*, habet, *pretiosum fac pedem tuum*: vbi cùm pes pro affectu petitioni inserto, siue pro re quæ petitur, sumatur, sensus est; fac petitioni, & affectui tuo pretium, vt nonnisi sublimia, & cœlestia exposcat, ne Dominus, viliùs tractatus satietur, & oderit te. *Nihil enim caducum vult à se* (inquit Abbas Isaac apud Cassianum collat. 9. capite 23.) *nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ maximam irrogabit iniuriam quisquis sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid, & caducum ab eo maluerit postulare, & offensam potius, quàm propitiationem iudicis sui, vilitate orationis incurrit.* Hæc Cassianus. Et quidem rectissimè, cùm in Deo sit quidquid accipere vel habere, homini expediat, vt Bernardus sermone 86. in Cantica sic absolutissimè admonet. *Non rectè oras orando præter Verbum aliquid quæris, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum subsidia necessitatum, ibi profectum copiæ denique quidquid decet, quidquid oportet.*

Prou. 25. 17.

LXX.

Leuit. 11. 42.

Ioan. 14. 15.

Hebr. h. l.

Cassian.

ille, concludo si hanc etiam Gentilis Platonis mentem fuisse ostendero, orationis scopum, siue precationum summam ad vnam animi pulchritudinem, & perfectionem reuocantis: sic enim ille in Dialogo de pulchro, sub Socratis persona. *Prius vota facienda sunt, quam abeamus, ô amice Pan, & alij omnes, qui incolitis hunc locum, dij date mihi, vt pulcher intus efficiar, & quacumque extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica. Nunquid aliud orandum censes Phedre, mihi enim satis est precatum. Mihi quoque eadem opta.* Ita ille iam ad alia.

VERSVS VII.

Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra; & intelligentias vestras in Christo IESV.

1. QVID pax Dei significet, latè explicuimus in salutatione epistolæ cap. 1. vers. 2. inde pete; dixit verò elegantissimè Paulus, pacem custodituram corda, & intelligentias, quasi præsidium, ac stationem pacem ipsam faciat, quæ ne hostis, hoc est, perturbatio aliqua animæ muros oppugnare possit, statim occurrat, eúmque repellat. Ita quidem de summa Ecclesiæ pace dixit Regius Vates Psalm.
Psal. 147. 3. 147. 3. *Qui posuit fines tuos pacem*: vbi optimè
Agellius. Agellius monet, personæ fictione vti Psaltem, & pacem tanquam præsidiarum militem facere, qui aduenientes hostes quàm longissimè arceat: in quem sensum appositè adiungit tum illa verba
Leuit. 26. 6. ba Leuitici 26. *Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, & non erit qui exterreat, auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros*; tum id Psalm. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua*, (seu antemurali tuo) *& abundantia in turribus tuis,*
Isaiæ 60. 17. necnon illud Isaiæ 60. 17. *Ponam visitationem* (siue præfecturam) *tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam: non audietur vltra iniquitas in terra tua, vastitas, & contritio in terminis tuis.* ex quibus Pauli verba mirè elucidantur. Nec his aliquid addendum videtur.

VERSVS VIII.

De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

EGREGIA, & copiosa ad omnimodam virtutem, & exactissimam perfectionem adhortatio, qua quidquid in virtute, & Dei obsequio clarum, & eximium est, proponit, simúlque commendat, & ad illud peculiaribus stimulis adhibitis vrget Apostolus: *in conclusione* (inquit Ambrosius) *quæ reliqua erant ad imitationem perfectionis exponit, vt ea, quæ non solum in vituperationem non cadunt, verum etiam laude digna sunt, & cogitantes, & agentes secum formam Apostoli Deum pacis habeant secum*; & quidem, vt aliorum Patrum expositiones, siue elucidationes optimæ sint; mihi signatissimè perplacet Sancti Thomæ commentarius, quod illo nihil aptius, nihil explicatius huic loco excogitare possis: sic enim primum hæc partitur. *Ordinat actum, & primo inducit eos ad bene agendum, vbi ponit actionis obiectum, scilicet bonum quod agitur, secundò motiuum actus. Tertiò, actum. Quartò fructum actus, hæc quatuor sunt hic.* Deinde ea ad hunc modum explicat, & illustrat. *Obiectum autem boni actus vel est obiectum cognitionis, vel affectionis, quantum ad intellectum est verum, quantum ad affectum est bonum, & ideo dicit*, De cætero. *Id est, ex quo sic* estis firmati, cogitate, quæ sunt vera *per fidem. Zachar.* 8. Pacem, & veritatem diligite, &c. *Quantum autem ad effectum, sciendum est, quod quædam sunt de necessitate virtutis, quædam superaddita, de necessitate virtutis sunt tria. Primò vt integer sit in se, & quantum ad hoc dicit*, Quæcumque pudica, *id est, casta*, Iacob. 3. quæ de sursum quidem est sapientia, primùm quidem pudica est, &c. *Item quod sit directus ad proximum, vnde dicit*, quæcumque iusta, &c. *Matth.* 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. *Item ordinatus ad Deum, vnde dicit*, sancta, *Luc.* 1. seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris, &c. *Obiecta autem necessitati superaddita sunt duo: scilicet quod sit inductiuum ad amicitiam: secundò quod conseruatiuum bonæ famæ. Quantum ad primum*, dicit, quæcumque amabilia; *id est, quæ inducunt ad mutuam amicitiam, Ecclesiast.* 7. Ne te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis, *Prouerb.* 18. vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit, quàm frater. *Quantum ad secundum dicit*, quæcumque bonæ famæ. *Multa enim possent fieri cum bona conscientia, quæ tamen propter famam sunt dimittenda, Ecclesiast.* 41. Curam habe de bono nomine. Hoc enim magis permanebit, quàm mille thesauri magni, & pretiosi. Hæc S. Thomas de bonis actibus, & eorum obiectis. Pergit subinde, & impellentes ad illos rationes sequentibus Pauli verbis sic affigit. *Motiuum ad operandum est duplex. Primò inclinatio interioris habitus, secundò, exterior disciplina, seu instructio. quantum ad primum dicit*: Si qua virtus, *id est, habitus virtutis est in vobis, scilicet inducat vos ad hoc, Ecclesiast.* 44. Diuites in virtute pulchritudinis studium habentes pacificantes in domibus suis. *Quantum ad secundum dicit*, Si qua laus, *id est, laudabilis disciplina, scilicet est in vobis, facite bona*, Psal. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Hactenus S. Thomas, & verò, quamuis singula Apostoli verba pensiculatiùs sint modò examinan

[Margin notes, right column: 1. — Ambros. — S. Thom. — Iacob. 3. — Matth. 5. — Luc. 1. — Eccles. 7. — Prouerb. 18. — Psal. 118.]

minanda, & elucidanda, minimè tamen me piguit, hæc omnia ex Angelico Doctore transcribere, ne lectorem præclaro commentario, quo semel Apostoli sententiam nosse, & comprehendere valeat, fraudarem.

De cætero.

2. Bruno. Anselm. BRuno sic capit. *De præteritis sic vos instruxi*; de cætero, *id est, de futuro fratres cogitate, &c.* similiter Anselm. *Hactenus contra persecutores, & contra pseudoprædicatores vos monui; sed de cætero monendi genere, quod ad mores optimos pertinet nunc breuiter dicam.* Non longiùs hæc à Græcis vocibus eunt: sic enim Græcè τὸ λοιπὸν, *quod reliquum est.* Sed id sic explicat Chrysostomus. *Quid significat, de cætero, id est, omnia nobis iam sunt dicta, verbum est properantis, & nihil cum rebus præsentibus commune habentis.* Ita Chrysostomus.

Quæcumque.

3. PLenissima adhortatio, & Paulo digna: *quæcumque.* Nihil excipio: in rebus omnibus volo vos esse perfectos. Nihil prætermittatis eorum, quæ vel intellectum, vel voluntatem perficere possunt. Vnde totum hunc locum sic extulit Remigius. *Omnia quæ in Euangelio habentur, cogitate, & cogitando opere implete, quia illa sunt vera omnia: vera sunt pudica, & casta, quia ab omni mendacio sunt inuiolata, & incorrupta: illa sunt iusta, & sancta, quæ sanctitatem, & iustitiam docent, & nos iustos, & sanctos faciunt.* Hæc Remigius, & alia, quæ suis locis appingemus.

Vera.

4. BEne Chrysostomus generaliter de virtute, & eius fructibus capit, quasi hæc solùm vera; peccatum verò, & quidquid mundi est, egregia mendacia sint. *Hæc enim* (inquit) *meritò dicuntur vera, id est, virtus ipsa: vitiositas autem mendacium est, nam & voluptas ipsius comes, & gloriæ mendacium est, & mundana omnia nihil aliud sunt, quam mendacium.* At enim, quòd nimis generale id esse videatur, cæteri PP. & interpretes ad ea, quibus peculiaris veritas subest, retulerunt, quamuis vnusquisque in suum abeat: nam recentiores, vt Iustinian. Cornelius, & Estius aduersus hypocrisim, & simulationem hæc dicta existimant; Bruno verò ad fidei veritatem, & sinceritatem sic reuocat. *Hæc duo vera, & pudica circa fidem accipiuntur, quorum alterum sine altero licet, nequeat esse in fide: si enim veritas est in fide, & pudicitia, quia si falsa fides est, est etiam adultera, tamen non sunt superflua, quia verum, & pudicum, diuersas laudes signant in fide.* Denique Anselmus de exacta sermonis veritate interpretatur; coniungens enim verum cum pudico, sic loquitur, *vt nec incogitatione, nec in actione falsum aliquid, aut libidinosum admittatis, sed in omni sermone veridici, & mente, & corpore pudici sitis.* Quæ sanè exponendi ratio valde opportuna videtur; quid enim aptius quàm discipulos in primis, siue in ipsa exhortationis fronte commouere, vt veritatis cultores, simplices, & aperti, atque & omnis fraudis inimici sint: id enim, siue Christianum, siue vrbanum hominem, maximè decet. sic optimè obseruauit Philo libro de iudice, veritatem in Pontificia veste pectoris, & cordis loco superponi (id enim significabat superscriptio illa *vrim, & Thummim*, de qua alibi) vt inde ornatior, & augustior sacerdos redderetur. Audi illum. *Quid enim in vita est æquè pretiosum, ac veritas? quam vates sapiens inscripsit loco sacratissimo ea parte vestis pontificiæ, vbi est principalis vis animæ, vt sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret.* Ita ille.

[Margin: Chrysost. Remig. Chrysost. Iustin. Cornel. Ambros. Philo.]

Quæcumque pudica.

GRæcè est σεμνά, quæ Syrus, Chrysostomus & Erasmus legunt *honesta*, siue *honorifica*, Ambrosius, *magnifica*, Cornelius *grauia seuera, verecunda.* At enim, si eam vocem velis exhaurire, etiam videris eam significare, *venerabilia, veneranda, reuerenda, augusta, prædita maiestate, siue quibus maiestas inest, præclara.* Quod quidem, vt rectè monet Iustinianus, non solùm ad pudicitiam, sed ad externum cultum, & honestatem spectat, vt omnem morum leuitatem, & quidquid cum decore, grauitate, & modestia pugnat, resecet Paulus: moneátque internam animi sanctitatem in externo homine elucere, & per exteriores sensus, & actiones sese diffundere; ita Chrysostomus hîc in morali digressione, inquiens. *Vox ista σεμνὸν, id est, grauitas, & sanctitas morum indicat, quid in externis etiam actionibus præstandum sit.* Quam ad rem hæc appositè scripsit S. Isidor. Pelusiota libro 3. epistola 287. *Quemadmodum pudica mulier castitatis notas in facie gestans eorum qui impudicos in eam oculos conijciunt, expectationes reprimit: eodem modo pudica anima virtutis tesseras in sensibus ferens, eorum, qui ipsius pulchritudinem corrumpere cupiunt, spes excindit: quisnam enim huiusmodi oculum suauitate, & ingenuitate temperatum conspiciens propiùs accedere audeat? quisnam autem linguam, quæ honestatis, & grauitatis delubrum sit, intuens, non sibi aditum omnem ad congressum venereum interclusum arbitretur? quisnam denique reliquos sensus virtutum instrumenta esse animaduertens, præposterum consilium dare minimè pertimescat?* Sic Isidorus. Si verò inquiras cur noster interpres vertit *pudica*? facilè responderi potest primò, quòd ea vox Græca etiam significet *pudicum* vt in dictionariis Latinis videre est. Deinde quod *pudicum*, non solum referatur ad castitatem, & munditiam, sed etiam ad omnem morum integritatem, & honestatem: sic dixit ille impudicus,

5. Lect. Syriac. Chrysost. Erasm. Ambros. Iustin. Chrysost.

Mores natura pudicos tibi dedit cum facie. Ouid. eleg. 7. lib. 3.

Et alter non magis pudicus,

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula est.

Denique quoniam cùm ea vox significet grauem cum auctoritate, & modestia, necnon rigidum, & seuerum; cuiusmodi oportet esse pudicos, vt priora verba præfatæ epistolæ S. Isidori Pelusiotæ monent, non incongrue, pro *pudicus* accipi potest.

Quæcumque iusta.

MEritò ambigas, de qua iustitia loquatur Paulus, de ea dumtaxat, quæ specialis est virtus, ius suum vnicuique tribuens? an de illa, quæ ab Aristotele libro 5. Ethicorum in principio generalis virtus, quidquid iustum, & rectum est in se complectens, appellatur? 6. Aristot.

& qui

& quidem Anſelmus & Bruno, quos ſequitur Eſtius, priorem dicendi modum amplectuntur: Iuſtinianus verò, & alij poſteriori adhærent. Mihi quidem vtrumque æquè probabile, & Pauli ſtylo videtur conſentaneum: nam ſi hoc, & alia nomina in genere ſumit Paulus, pulchra vtitur congerie, quæ orationem amplificat: ſin autem iuſtitiam ab aliis virtutibus diſtinguit, aptè vetat, ne cui faciant iniuriam, & virtutem hominum vſibus perneceſſariam ſignatè commendat.

Quæcumque ſancta.

7. Iuſt. gra. Chryſoſt. Theophyl. Hieron. GRæca eſt: ἁγνὰ *pura*, vt legunt Chryſoſtomus & Theophylactus, qui addunt, id notanter dictum contra eos quorum Deus venter eſt. Quò facit tranſlatio Hieronymi libro 1. contra Iouinianum, vbi totum hunc locum ſic effert, *quæcumque ergo ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ad caſtitatem pertinentia*, quod pluſculum habet acuminis; quaſi Paulus non tantùm caſtitatem, ſed quidquid ad eam ſeruandam conducit, præſcribat, quidquid ei officere poſſit, vetet: non neſcius, ea in re modicam ſcintillam maximam ſyluam incendere: atque idcirco non luxuriam ſolùm, ſed omnes eius fibras voluit præ-
Ambroſ. cidere, & caſtitati ſpacia redampliare: *paſcitur enim libido conuiuijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur*, vt aït Ambroſius libro 1. de pœnitentia. Et, quod ſæpiùs monuiſſe me memini, exigit caſtitas aliarum virtutum, maximè verò cautiſſimæ circumſpectionis, timoris, atque tremoris munimen, atque præſidium: nam ſi ipſa nuda, audáxque decertet, facile proſtratur: cuius optimum typum in Aſaele illo, qui *curſor velociſſimus ſicut vnus de capreis, quæ morantur in ſyluis*, eſſe memoratur, inuenies. qui quod in inguine, in turpitudinis videlicet ſede, armis non ſatis contectus, atque munitus fuerit, ab Abner infeliciter interem-
2.Reg.2.23. ptus fuit, 2. Regum 2.23. ſic id obſeruante venerab. Bachiario epiſtola ad Ianuarum *de recipiendis lapſis*: vbi cùm occaſione cuiuſdam fratris, qui à caſtitatis culmine ceciderat, dixiſ-
Bachar. ſet. *Ego illum certè in prælio vidi conſtitutum, pugnabat cum ſcuto ieiunij aduerſùs illecebras gulæ, pugnabat cum taciturnitatis lorica detractionis iacula, & reliqua tela maledicta, ſed eo in loco, in quo ſecuriorem ſe arbitrabatur, percuſſus eſt*, ſubdit: *ſicut etiam Aſael, frater ille Ioab Principis militia Dauid, qui velox ſicut ceruus à ſcriptura eſſe probibetur, ob hoc credo, quod incoinquinati cor-*
Sapient 9.15. *poris puritas donum ei velocitatis indulſerat*; corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, Sapient. 6. 15. *ab eo, quem perſequitur; Abner, cuſpide lanceæ in inguine refertur eſſe percuſſus. In quo loco, vitium fornicationis poni, nullum puto eſſe, qui dubitet.* Ita ille. Nec ab hoc iuerit Ber-
Bernard. nard. ſerm. 4. in verba, *Miſſus eſt*: non ſine acerbo riſu inquit. *Ornari, non armari appetunt milites Chriſti, qui dum ſe præparare ad prælium, & contra aëreas poteſtates prætendere paupertatis inſigne debuerant (quod vtique aduerſarij valde formidant) in mollitie veſtimentum, pacis potiùs præferentes iudicium vltrò ſe hoſtibus ſine ſanguine tradunt inermes.* Hæc Bernard. Sed de hoc nos alibi.

Sed cur vulgatus poſuit *ſancta*? Reſpondet Iuſtinianus, & alij, veriſimile eſſe noſtrum interpretum Græcè legiſſe ἅγια tenuiſſimæ lineæ detractione, nec reijcienda quidem coniectura, at enim expeditius exiſtimo, noſtram lectionem à Græca nihil diſſidere, immò verò eam omnino exprimere, cùm ſanctum dicatur, quod purum, & incontaminatum, & quaſi ſine terra eſt, vide quæ diximus ad id cap. 1. verſ. 1. *omnibus ſanctis*.

Quæcumque amabilia.

GRæcè προσφιλῆ, quæ (vt inquit Iuſtinianus) propriè ſignificat, ea quæ digna ſunt, quæ amentur, & omnibus chara ſint: inde ſic id exponit Bruno: *id eſt, pro quibus amatur religio veſtra*; quæ ſic explicat Anſelmus, *id eſt, ſtudete vt dicta, & facta veſtra in bono placeant hominibus quatenus per hoc ad imitationem veſtram eos alliciatis, ſicque Deo iungatis.* Addit Primaſius. *Quia omnis natura humana nouit diligere, & amare quod bonum eſt.* Paulo aliter interpretatur Remigius, vt amabilia tam reſpectu hominum, quàm Dei ſint: ait enim, *amabilia, id eſt, quæ Deus amat, & ſancti, & quæ nos Deo amabiles reddunt*; ſed opportuniorem dixeris priorem explicandi modum. 8. Iuſtin. Bruno. Anſelm. Primaſ. Remig.

Quæcumque bonæ famæ.

MIrum quidem alicui videatur Paulum, magnum humilitatis, & modeſtiæ cultorem, atque præconem, humanæque laudis, & gloriæ, egregium contemptorem, cúmque qui toto capite ſecundo, huius epiſtolæ Chriſtum per ſummam crucis ignominiam, & infamiam ad gloriam Patris euntem fidelibus imitandum propoſuit, eoſdem modò diſcipulos ad ea quæ *bonæ famæ*, & præclaræ apud homines exiſtimationis ſunt, non mediocriter vrgere. Itáne Chriſti diſcipulo demiſſionem animi profitenti, humilitatémque ſectanti famæ auiditas conueniet? Vel, vt Chriſti diſcipulus non ſit; quid cordato homini, & famæ? quid ſapienti cum vulgi opinione? *natura famæ* (inquiebat Romanis Tertullianus in Apologetic. capite 7.) *omnibus nota eſt, veſtrum eſt.* 9. Tertull.

Fama, malum, quo non aliud velocius vllum. Virgil. 4.Æneid.

Cur malum fama? quia velox? quia index? an quia plurimum mendax? quæ ne tum quidem, cùm aliquid veri affert, ſine mendacij vitio eſt, detrahens, adijciens, demutans de veritate. Quid? quòd ea illi conditio eſt, vt nonniſi cùm mentitur, perſeueret, & tamdiu viuit, quamdiu non probat, ſi quidem vbi probauit, ceſſat eſſe. En fama, malum: ſed vt bonum ſit dixeríſne? verum id ſolidúmque, & alicui fundamento ſubnixum? Rurſus Tertullianus in ibi, & libro 1. ad nationes capite 7. *Fama quantacumque ambitione diffuſa eſt, ab vno aliquando ore exorta ſit, neceſſe eſt, exinde in traduces quodammodo linguarum, & aurium ſerpit, & modicum originum vitium rumoris obſcurat, vt nemo recogitet, ne primum illud os mendacia ſeminauerit, quod ſæpe fit aut æmulationis ingenio, aut ſuſpicionis arbitrio, aut etiam noua mentiendi voluptate.* Quod ergo bonum appellaueris, quod ab vno ore ſiue mendacis ſiue ſuſpicioſi hominis primum exortum in auras inaniter diffunditur? Tertull.

Viréſque

Viresque acquirit eundo. Marc.1.28. Certè apud Marcum cap. 1. 28. vbi nos habemus, *rumor*, & Syriacè est, *fama*, Græcè habetur ἦχος, quæ vocem acceptam non itidem, sed duplicatam, & triplicatam reddit, quasi fama tinniat, & pro vna voce plures reddat, *insita hominibus libidine addendi ac industria rumores*, vt ait Liuius lib. 28. præterea, vt id fuerit, cur incassum pro bona fama fatigeris, cùm frequentius fuerit, bonos malignis rumoribus obnoxios esse; quippe illis mendacium indesinenter insidiatur, quod vri Cyprian. lib. 4. epist. 2. ad Antonianum sic dicebat. *Quod autem quædam de illo inhonesta, & maligna iactantur, nolo mireris, cùm scias, hoc esse opus semper diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ lumine clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* Hæc Cyprianus.

Syriac. Tit. Liu. Cyprian.

10. His forsan rationibus ducti nonnulli, quibus præiuit Erasmus à Vulgati lectione discessere, & cùm Græcè sit vox εὔφημα, quæ ad famam, & omen est, legere maluerunt, *quæcumque ominata*, siue *boni sunt ominis*; sed hoc consortum esse, & textui dissonum, ipsemet hæreticus Beza, cui Erasmi nugæ in delitiis esse solent, fatetur. Ad speciem etiam à nostra lectione, vt famæ discrimina fugiant, ire videntur. Ambrosius legens, *quæcumque amabilia*, & Iustinianus, qui retinens vulgari verba, de iis, quæ ad immortalem famam, non ad hanc inanem quæ hominum prædicatione plerumque falsa, aut ficta continetur, pertinent, ea capienda censet. At enim verò vulgati lectionem, sensúmque de fama prout sonat, & bonam existimationem, & nomen significat, omnino subsistere affirmaueris, vt Anselmus, & ab eo recentiores interpretes bene explicant. Audi illum sic primum explicantem. *Quæcumque bona famæ sunt ea similiter cogitate, & facite ne de vobis habeatur mala opinio, sed bona, vt prosit alijs;* deinde hæc, mutuatis, vt assolet, ab Augustino verbis, lib. de bono viduitatis cap. 22. hunc in modum elucidantem. *Sanctorum enim conuersatio etiam cauta debet esse, ne forte cum mala vita non sit per lasciuiam, mala sit fama per negligentiam. Nec audiendi sunt, qui quando reprehensi aliquâ negligentia sua, per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam longè abesse sciunt; dicunt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non solum imprudenter, sed etiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum, siue blasphemantium vitam Dei, quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis, quæ casta est, displicet vita sanctorum: siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant.* Hæc Anselmus; vnde sic statim concludit. *Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit; quisquis autem famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra; alijs fama nostra. Et vtique etiam quod alijs ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat vtilitatem.* Hactenus Anselmus. Similiter S. Thomas sic exponens. *Multa enim possent fieri cum bona conscientia, quæ tamen propter famam sunt dimittenda,* Eccles. 41. curam habe de bono nomine, &c. sic S. Thom. sub quo etiam sensu hunc locum exposuit Paschasius lib. 3. in Matthæum, dum illa Euangelistæ verba de Christo Domino cap. 4. 23. *Et circuibat IESVS totam Galilæam docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & omnem infirmitatem in populo, & abijt opinio eius in totam Syriam*, Ecclesiæ Doctoribus, & sacerdotibus aptat & cum his Pauli, in quibus sumus ad hunc modum componit: *Syria namque sublimata interpretatur. Tunc recte virtutum fama Syriam vsque pertenditur, cùm vita meritorum quotidie per incrementa boni operis sublimius ad fastigium veræ laudis attollitur. Formam igitur Medicus noster Doctorum in carne gessit, & ideo interius omnes languores, & tormentis comprehensos sanat, necnon dæmonia eijcit, & lunaticos, ac paralyticos: curat, ex quibus gestorum beneficijs opinio eius vsque ad eos qui foris sunt, respergitur. Quia profectò nec fama sine veræ laudis opera proficit, neque opera salutis absque fama boni odoris satis auditoribus relucet, quod bene Paulus hortatur, dicens.* De cætero fratres quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque iusta, quæcumque pudica, quæcumque bonæ famæ; siqua virtus, si qua laus, hæc cogitate; quæ didicistis, & audiistis, & vidistis in me: *Duobus, inquam, verbis cuncta conclusit, dicens,* Si qua virtus, si qua laus: *ad virtutes namque pertinet bona conscientia, ad laudem verò fama vitæ proficit; sine quibus sanè fama veri sacerdotis non commendatur.* Hæc Paschasius alibi latiùs expendenda.

Græc. lect. Erasm. Ambros. Iustin. August. S. Thom. Pasch. Matth.4.23.

11. Iam his Pauli verbis sic explanatis, alia tam ipsius Apostoli, quàm aliorum sacrorum scriptorum testimonia mirè concinunt. Primum enim de se ille 2. ad Corinth. 8. 20. *Deuitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis. Prouidemus enim bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus;* quod Romanis faciendum totidem verbis ingerit cap. 12. 17. *Prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*, & ad Thessalonicens. epist. 1. cap. 5. 22. *Ab omni specie mala abstinete vos*, quo etiam it illud ad Titum cap. 2. 8. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, &c. vt is, qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ad quæ loca, quid PP. & interpretes afferant, vide; nec nos in adnotationibus ea omnino prætermittemus. Nec sunt dissimilia sapientis hac de re monumenta; sic namque Ecclesiastes 7. 2. *Melius est nomen bonum quam vnguenta pretiosa;* & Prouerb. 22. 1. *Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ:* vbi LXX. & Paginus reddunt: *Eligibilius nomen bonum, &c.* similiter Ecclesiastici cap. 41. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis tibi permanebit, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.* Ita quidem de iusto, & perfecto viro, qui in monte Dei habitaturus est, signatè dicitur Psalm. 14. 3. *Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos*, quod ex Basilij, & Ruffini interpretatione non perinde fuerit accipiendum, quasi iustus vir opprobrium non obiecerit proximis suis; sed quasi vitæ merito apud vicinos & proximos suos bene audiat, & ab iis quæ famam lædere possunt, omnino caueat. *Grandis res dicitur* (inquiunt illi) *Nunquam vicinus murmuratus est contra eum, nunquam inuenit, aliquam occasionem detrahendi ei, hæc virtus excedit humanam conditionem. Dei gratia est.* Quò etiam pulchrè retulit per allegoriam Augustinus lib. 22. contra Faustum Manichæum cap. 56. tom. 6. quæ de mandragoris suauiter olentibus tanti à Rachele facta, vt pro illis coniugales delitias ea ipsi nocte debitas, sorori Liæ, cui filius Ruben è agro veniens id pomum attulerat, libens cesserit Genes. 30. 15. dicitur. sanè cùm eius pomi naturam ipse accuratiùs fuisset perscrutatus, à natura consideratione ad arcanas significationes rerum, atque iterum

ad Rom.12.17. 1.ad Thess.5.22. ad Titum 2.8. Eccles.7.2. LXX. Eccles.41.15. Psal.14.3. August.

iterum recurrisset; hæc tandem ait. *Proinde re comperi pulchrum, & suaue olentem, sapore autem insipido, & ideo cur eam mulier tantopere concupierit, ignorare me fateor, nisi forte propter pomi caritatem, & odoris iucunditatem. Cur vero ipsum rem gestam sancta Scriptura tacere noluerit, quæ non vtique talia desideria muliercularum nobis pro magno insinuare curaret, nisi aliquid in eis magnum quærere commoneret, nihil amplius conijcere valeo, quàm quod ex illo communi sensu mihi suggeritur, vt illo mandragorico pomo figurari intelligam famam bonam: non eam, quæ confertur, cùm laudant hominem pauci iusti, atque sapientes, sed illam popularem, qua etiam maior, & clarior notitia comparatur: non ipsa per se expetenda, sed intentioni bonorum, quæ humano generi consulat, pernecessaria, vnde dicit Apostolus* 1. ad Timothæum 3. 7. oportet etiam testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt. *qui licèt parum sapiant, reddunt tamen plerumque labor: eorum, per quos sibi consulitur, & splendorem laudis, & odorem bonæ opinionis*, & post pauca: *Propterea Lia filius mala mandragorica inuenit exiens in agrum, id est, honestè ambulans ad eos qui foris sunt*,

August. Hæc Augustinus. Quibus pro allegoriæ complemento addendum putauerim, ex Rachelis exemplo maritalia solatia pro mandragoris dimittentis, iustum, perfectúmque virum licita plerumque gaudia, atque delitias quæ bonæ famæ obesse possint, libenter respuere debere vt illis bonum nomen, & existimationem redimat: nam, vt dicebat

Eccles.7.2. Olymp. citatus Ecclesiastes cap. 7. 2. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa*: vbi Olympiodor. vnguenti nomine omnes humanas delitias significari docet; vt moneat Salomon ea omnia, quæ dulcia, ac suauia sunt; præ bono famæ odore omnino contemnenda.

12. Vnde quidem facile videris, vt iam iis, quæ aduersùs, famam initio commentarij horum verborum proposuimus, satisfacere incipiamus bonum nomen, & famam, adeò non esse *malum, quo non aliud velocius vllum*, vt potius bonum, nec vmbratile sanè, aut apparens, sed verum, solidum, & constans diuitiis, atque delitiis longè præferendum, sit: quare bonam famam sic definiuit Cicero Tusculana 2.

M.Tullius. *Gloria est solida quædam res, & expressa, non adumbrata: est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute.* Bene *solida quædam res, non adumbrata*: quòd non sit ad instar aliorum sæculi bonorum, quæ vt vana, & nullius momenti, ita cum vita, immò verò in vita ipsa, deficiunt; & in morte, & ante mortem pereunt, & ad alios transuolant, sed quæ sibi constans in vita pleno gradu subsistat, & post mortem perennet, sane cùm diram populi sui calamitatem, & in ea spiritualium bonorum amissam felicitatem Propheta Ieremias deploraret, inter deperdita bona, famæ mentionem sic notanter fecit cap. 4. 1.

Thren 4.1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* In quæ verba Hieronymus, cùm

Hieron. arcanam significationem sic primùm inuestigat, & adstruit: *Nam licèt hæc historialiter vrbis Hierosolymitanæ destructionem, & templi concremationem videantur sonare; vbi totus ille ornatus veterum dissipatus est, & ad nihilum redactus: tamen altiori sensu templi mystici destructionem significat, quod quotidie in reproborum vita, & morbus obfuscatur, atque destruitur*: postea obscuratum aurum ad virtutis amissionem; coloris verò optimi mutationem ad bonum nomen deperditum refert hunc in modum: *Aurum igitur obscuratur, cùm terrenis actibus sanctitatis vita polluitur, color optimus commutatur; cùm quorumdam, qui agere religiosè credebantur, existimatio anteacta minuitur. Nam cùm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit.* Vides cum virtute deperdita, famam simul amissam complorari: Nec latuit quidem id magnum Poëtam, qui ad hunc modum Didonis nomine cum extincto pudore, famam etiam deperiisse sic quærebatur.

——Te propter eumdem. Æneid.4.
Extinctus pudor, & qua sola sydera adibam,
Fama prior.

Quam sanè ad rem mirè facit, quod Pausaniæ, Plutarcho, Demostheni, Æschini Statio, & aliis quamplurimis è patera Hesiodi bibentibus apud doctissimum corda in lib. 4. Æneid. obseruatum est: tam apud Athenienses, quàm apud Romanos famam pro dea habitam, aramque illi constructam: sic namque Pausanias: *Est suæ apud illos pudori, Famæ, Alacritati ara*, & Æschines orat. contra Demosthenem, *Famæ quidem sacra publicè facimus, vt Deæ.* Non equidem, vt opinor, quòd animatum numen crederent, quæ enim hæc stolliditas fuerit? sed vt innuerent inæstimabile, ac pænè diuinum quid, bonum nomen, & existimationem esse, ea potissimum ratione quòd cuncta fortunæ munera longe superet, & cum mortalia bona minimi facienda sint, fama tamen nullatenus contemni debeat: quare Aristoteles libro septimo moralium ad Nicomachum, & citat, probat Hesiodi carmen. Pausanias. Æschines. Aristot. Hesiodus.

Haudquaquam in totum rumor perit ille, per ora.
Qui volitat populis compluribus.

Et præfato apud Virgilium loco infelix illa Regina, quæ pudorem, famámque extinctam lamentabatur, opportune subiecisse fertur.

Cui me moribundam deseris hospes.

Ac si virtute, famáque deperdita iamiam animá exhalanté sese illi obiiciat, quòd ei qui bonú nomen, & famam amisit, nihil in vitæ bonis iam supersit, quod in pretio habeat, nec facilis illi ad virtutem reditus sit: ita quidem dicebat Augustin. in Psalmum 49. *Complures quidem peccatores, dum se viderint, fieri posse, vt lateant, faciliè in animum inducunt, vt in viam redeant; quando vero bonam apud multos existimationem perdiderunt, incidunt nonnulli deinceps in desperationem, & labuntur in impudentiam.* Sic ille, vt hinc Prælati discant, peccantes subditos faciliùs emendari, cùm famam, & bonam existimationem non omnino deperditú iri, sibi persuadent; necnon seuerioris castigationis, ac supplicij quodammodo genus esse, decora hac famæ veste illos semel non exuere, vt aliquid subinde illis supersit, quod amittant. Nam si nihil iam integrum esse cognouerint, in impudentiam prolabentur. Pulchre Seneca hac de re libro 1. de Clement. cap. 22. Principem subditos plectentem sic admonet: *Ipsos faciliùs emendabit minore pœna; diligentiùs enim viuit, cui aliquid integri superfit. Nemo dignitati perditæ parcit. Impunitatis genus est, iam non habere pœnæ locum.* Ita Seneca. August. Seneca.

Sed & inde etiam Famæ diuinitatem veteres tribuisse videntur, quòd mortalis vitæ terminos transcendat, & in æuum viuat; & verò hac de causa bonum nomen omnibus huius sæculi rebus in Scriptura anteferturt: nam si attendis, *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*, 1. Ioann. 2. 16. delitiæ scilicet, diuitiæ, & honores; præ iis autem bonis bona fama commendatur, de delitiis enim iam vidisti paulò antè dixisse Ecclesia- 13. 1.Ioan.2.16. Eccles.7.2.

stem. Melius esse nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa, quod ad sæculi voluptates referebat Olympiodor. sed & inde Paraphraste Chaldæo duce quantum cunctis honoribus excellat, non difficile erues: sic enim ille. *Melius est nomen bonum, quod comparabunt iusti in sæculo hoc, quàm vnguentum vnctionis, quod fuerit inunctum super capita Regum, & Sacerdotum*: hoc est, vt mea fert opinio, quàm supremi Principatuum, siue infularum honores: iam de diuitiis illi postpositis disertissimè Ecclesiasticus cap. 41. 15. *Curam habe de bono nomine. Hoc autem magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi, & magni.* Quo in loco hanc bonæ famæ præstantiam super omnia sæculi bona scitè iudicat Sapiens, dum ait: *Hoc autem magis permanebit tibi, &c.* ac si dicat; deficient omnia alia in morte, peribunt tibi atque euanescent, ac si nunquam fuissent: at bonum nomen, & ex virtute comparata fama immortalis erit; per cuncta sæcula constans, sibíque superstes: sic etiam dixit Seneca epistola 79. *quod est pretium virtutis ex fama, hoc non interit*: & Euripides.

Olympiod. Chald. — Eccl. 41. 15. — Seneca

Bonum virum fama aperit, vel terræ cauis.

Æschines. Themistius. Quod carmen afferens Æschines in oratione contra Timarchum sic interpretatur, vt non viuentium tantum virtus fama illustretur, sed etiam mortuorum, quod quamuis terra corpus tegat, fama non sinat occultari, quod egregie quis in vita gesserit: sic Theodosium Imperatorem moderatissimè vectigalia exigentem, & facile remittentem demulcens Themistius oratione 17. cùm dixisset, *cùm loco fructuum ex terra nascentium, quos nobis remisisti, de hinc fructus sempiternos colligere possis. Nihil enim eorum, quæ terra producit, ita semper floret, nihil ita cum tempore propagatur, vt bona, perpetuáque nominis fama*: opportune subiicit, *illa Augusti imperium continuò renouat, illa Traianum à senio vindicat, illa Marcum quotidie in vitam reducit*, ac si bonum nomen egregios viros mori non sinat, siue mortuos suscitet, & in viuis semper habeat. Iam verò hanc famæ post mortem diuturnitatem, siue immortalitatem, ad affictam illi diuinitatem rursus possis aduocare quòd Dei more homines post mortem pro meritis siue præmio, siue supplicio afficiat: certe vt bonos perenni splendore, & celebritate illustrat, ita improbos obscurat, atque denigrat; ipsorúmque nomen posteris turpe, & detestandum

Prouer. 10. 7. reddit: dicente Salomone Prouerb. 10. 7. *Memoria iusti cum laudibus, & nomen impiorum putrescit*; hoc est, praue olens, putre, atque infame, quod audientibus fœtorem, & molestiam afferat; siue etiam, vt originibus omnino hæreas; quod perpetuis murmurationum, & irrisionum lacerationibus obnoxium permaneat. Porrò He-

Lectio Hebr. bræum verbum ירקב *irceab* à radice *Racab*, pro quo noster posuit *putrescit*, proprie dicitur de lignis cariem, & vermes contrahentibus atque enutrientibus, à quibus perpetuò corroduntur, atque perforantur: En ergo Famam tanquam Deam, iustúmque iudicem bonis egregias, & perpetuas laudes, ac celebritatem nominis rependentem, malos verò traducentem, hoc est, posterorum dentibus, & infamiæ aculeis historiis infixis perpetuò rodendos dantem. Ita quidem de scopo sibi in historia præfixo dicebat Cornelius Tacitus libro 3.

Cornel. Tacit. annalium. *Exequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore, quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur, vtque prauis dictis, factisque ex posteritate & infamia metus sit.* Quippe, vt inquit Quintilianus declam. 274. *Ad cogitationem post se futurorum plerique grauius mouentur.* A quo non abit. Nazianz. orat. 43. inquiens. *Nam cum multo maiorem vtilitatem is percipiat, qui ea, quæ ex animi sententia sibi in vita euentura sunt, perspecta habet (fingamus id enim): tamen hoc quoque hominum curiositas comminiscitur, vt ea etiam, quæ post mortem alicuius futura sunt, anxiè inquirant, ac scire videantur. Porrò fama bona suauior est anima, quàm oleum corpori, &c.* sed de grauissimo hoc publicæ infamiæ odiíque supplicio scite Seneca libro 3. de beneficiis, cap. 17. sic disserit: *quid ergo? impunitus erit ingratus? quid ergo? impunitus erit impius? quid malignus? quid auarus? quid impotens? quid crudelis? impunita tu credis esse, quæ inuisa sunt? aut vllum supplicium grauius existimas publico odio.* Ita ille. — Seneca.

Sapientissime ergo monet Paulus *quæcumque bonæ famæ, &c. hæc cogitate.* Non quidem quòd in fama animus, & in nominis celebritatem iusti mens esse debeat, aut liceat, id enim cum Christiana humilitate, & modestia pugnat; sed quod virtuti, rectisque actionibus, ex quibus bona fama, & laudatio oritur, incumbere debeamus, atque huc facit Ambrosij lectio, *quæcumque laudabilia*, quasi ex laude, quę virtutem perpetuò comitatur, egregia opera dignosci queant sanè hæc virtutis natura est, vt quantumcumque se abdat, boni nominis odorem emittat: quo censu censuerim accipiendum citatum Euripidis versiculum. 15. — Ambrosius.

Bonum virum fama aperit, vel in terræ cauis.

Quasi iustum, rectúmque virum, quantumuis sese in terræ cauis abdat, atque sepeliat, fama eruat, atque illustrem faciat, vt in Paulo eremitarum primo, omnium hominum consortium, oraque fugiente, & in abditissima solitudinis spelunca per totum vitæ tempus delitescente videre licet; inde enim illum fama eruit, & toto terrarum orbe peruulgauit, & celebratissimum reddidit, sic vno in loco de sapientia, hoc est, de virtute dicitur: *Trahitur autem sapientia de occultis.* Iob 28. 18. in alio verò de eadem enunciatur: *in plateis sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Ecclesiastici 24. 20. quòd bonum virum fama aperiat, vel in terræ cauis; eaque sit vis boni odoris, atque flagrantiæ, quem virtus spirat, vt ab occultissimo solitudinis angulo in plateas, omniúmque hominum frequentiam diffundatur. At enim verò illud hîc ex sapiente opportunè monendum. *Mel inuenisti, comede, quod sufficit tibi. Noli multum comedere, ne fortè satiatus, euomas illud*, Prouerb. 25. 16. vt Bernardo auctore, famam, humanásque laudes non nisi ob proximi vtilitatem, & ædificationem respexeris, nec illis frui, sed vti velis: sic enim ille in allegoriis Gotfridi Tilmani ad ea verba. *Potest non incongruè hoc loco mellis nomine fauor humanæ laudis intelligi. Meritóque non ab omni, sed ab immoderato mellis huius edulio prohibemur. Est enim cum vtiliter humanas laudes recipimus, fraterna dumtaxat charitatis intuitu, & ad salutem eorum, qui nobis propterea faciliùs acquiescunt. Hac ergo parcitate seruata, mellis huius moderata comestio non nocebit. Inuento autem melle immoderatiùs vescitur, quisquis apponens omnino cor suum fauore humanæ laudis inflatur.* Hæc Bernardus. Nec omittenda, quæ subiicit ad dignoscendum immoderatum huius cibi vsum. Pergit enim: *Vis autem noscere quando euomat immoderatus epulo mellis edulium, quod vsque ad satietatem sumens modum parcitatis excessit? Tunc sine dubio, cum fauore ipso contentus humano non alium fructum quærens: tunc inquam, multa cum anxietate euomit, quod cum perniciosa delectatione* — Iob 28. 18. — Eccl. 24. 20. — Bernardus.

ctatione comedit; cum alium quemlibet laudari audiens contabescit. Mens enim de sua vanitate, & arrogantia tumens laudem alterius suam reputat vituperationem. Hactenus ille.

16. Addiderim: illum mihi faciliorem, expeditionémque his Pauli verbis sensum videri, si quæ ipse circa famam commonet, non tam positiuè, quàm negatiuè, vt aiunt, acceperis, vt nimirum, non tam præscribat, hoc loco, egregiis, ac laudabilibus actionibus incumbere; (nam de iis iam signatè egerat illis verbis: *Quæcumque vera, quæcumque iusta, quæcumque sancta*) quàm ea cauere, & deuitare, quæ bonum nomem, & famam lædere, obscurareve possint: nam, vt superiùs exponebat S. Thom. *Multa possunt fieri cum bona conscientia, quæ tamen propter famam sunt dimittenda*, de quo in adnotationibus fusiùs erit agendum, quòd si, vt suprà meminimus, instes, frustrà hæc dici, atque promitti, cùm mendacium, & calumnia virtuti semper insidientur, & improbos bonis detrahere, eorum famam, & claritatem denigrantes, sæculum sit, respondebit Seneca epist. 19. ad finem. *Quantæ dementiæ est, vereri, ne infameris ab infamibus? Numquid detrimenti faceret vir bonus iniquis rumoribus aspersus?* Et de remediis. *Fortuitorum. Malè de te loquuntur homines, sed mali. Moueret, si de me M. Cato, si Lælius sapiens, alter Cato, si duo Scipiones ista loquerentur. Nunc malis displicere, laudari est. Non potest vllam auctoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est, damnat.* Hæc ille. Reliqua ab adnotationibus pete.

S. Thom.

Si qua virtus, si qua laus disciplinæ.

17. ANselmus bifariam hæc exponit, vno modo, si qua virtus est, *hanc sectamini*: si qua laus disciplinæ, *hanc habete*: virtus *sit in vobis, & post sequatur* laus: *vt homines, qui virtutem vestram laudabunt, proficiant.* Altero (cui totidem verbis adhæsit Bruno) præcedentibus verbis ita coniungens. *Cogitate, & facite, quæ sunt bonæ famæ, si qua virtus est in eis, vel si qua laus disciplinæ Christianæ. Non enim curanda est bona fama de viribus, vel aliis sæcularibus.* Simpliciùs tamen dixeris, hæc ab Apostolo per amplificationem dici ex ardenti charitate, qua Philippensium perfectionem sitiebat, ac si dicat, si qua virtus, aut laus in aliis hominibus relucet, reluceat etiam in vobis: vt eos omni modo, omni ratione, ad omnes virtutes, ac quidquid iustum, perfectum, ac decorum est, vrgeat.

Anselm. Bruno.

Inferunt ex his verbis hæretici nulla consilia superesse, quæ præceptis addantur; nam quid, inquiunt, huic præcepto Pauli superaddi potest? Sed optimè respondet Card. Bellarm. tomo 1. libr. 2. de Monachis cap. 13. hæc omnia accipi debere negatiuè, vt sensus sit; nihil cogiteris, neque agatis, nisi quod iustum est, quod verum, quod pudicum. Nec minus appositè dixeris: hæc omnia, quæ Paulus monet, ad consilia potius pertinere, quàm ad præcepta: quippe ipse discipulos germanos Christi filios, & omni ex parte perfectos volebat, vt ex tota epistola constat: vide capit. 1. versiculo 9. *Et hoc oro vt charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructu iustitiæ per Iesum Christum*; & cap. 2. 15. *Vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ, & peruersæ.*

Bellarm.

Hæc cogitate.

18. EXplicant nonnulli, hæc perficite, & exsequimini, sed enim à Pauli mente eunt: nam vt hæc cogitare præscribat, vt postmodum cogitata perficiant, & executioni mandent, at hic solùm ad bonas cogitationes ası exit, minimè nescius ex illis opera bona oriri: nam verissimè dicitur, *mala mens, malus animus*; & notanter apud Ieremiam 4. 14. *Quousque morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Ergo Græcè scripsit Paulus λογίζεσθε, id est, *animus vestris voluite*: vnde Chrysostomus. *Vides hoc Paulum agere, vt omnem prauam cogitationem ex animis nostris eiiciat. Ex cogitationibus enim prauæ quoque actiones exsistũt.* qua de re plura in adnotationibus. Addiderim sapientissimè à Paulo Philippenses de recta cogitatione, & continua meditatione admoneri, quòd inde maximè oriatur, se suaque quemquam cum consilio, & prudentia disponere, quod equidem, & Seneca auctore, & oculis nostris testibus rarò apud homines inuenitur. Pulchrè enim dixit ille epistola. 23. *Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant: cæteri eorum more, quæ fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur, ex quibus alia lenior vnda detinuit, ac mollius vexit; alia vehementius rapuit, alia proxima ripæ cursu languescente deposuit, alia torrens impetus eiecit in mare.* Hæc Seneca. Certè hac ratione cùm de animæ decore, & fæcunditate egregios virtutum fructus indesinenter germinante dixisset Salomon. *Hortus conclusus, soror mea sponsa*, Cant. 4. 12. de iugibus bonarum cogitationum fluentis, à quibus ij progignerentur, addidit: *hortus conclusus, fons signatus*: quæ verba sic pulchrè explicat, atque elucidat Gregor Nyssenus hom. 9. in Cant. Fontis autem rationem per ænigma nos *docet Prouerbium, cùm dicit.* Fons aquæ sit dulcis, & sit tibi soli, neque vllus alienus sit tecum particeps. *Quomodo enim illic prohibet, ne in alienos consumatur aqua fontis: ita hic testatur fontem minimè, effundi in alienos, dicendo, obsignatus, quod perinde est, ac si dicas, custoditus. Tale est autem quod dicitur: Fons mea quidem sententia propriè nominatur cogitatiua nostræ animæ facultas, quæ omne genus ratiocinationis in nobis facit scatere, & emanare. Sed tunc noster fit motus cogitationis, quando omnis nostra moueturr operatio ad ea, quæ sunt nobis conducibilia, & bonorum exhibent procreationem. Quando autem conuerterit quispiam cogitationum operationem ad excogitandum vitium, tunc in alienos consumitur fluentum: adeò vt bene alatur quidem spinosa vita irrigata ope malarum cogitationum: exsiccetur autem, & marcescat melior planta, nullo humore bonarum cogitationum nutriente radicem.* Hæc Nyssenus Pauli sensui valde opportuna.

Ierem. 4. 14. Græ. lect. Chrysost. Seneca. Nyssen.

Ad hæc verba, *Quæcumque vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta*, &c.

ADNOTATIO I.

Virtutes connexas esse, sibique mutuo consentire vitia, ad inuicem pugnare.

1. ILlud mihi in hoc pulcherrimo virtutũ campo, per quem Paulus hoc in versu exspatiatur, iucundiùs floret, placetq; quod statim,

præſertim ex S. Thom. allato commentario, ſeſe oculis ingerit, nihil videlicet in virtute diſſonum, inconcinúmque eſſe, ſed omnes eius ſpecies, & membra ſibi mutuò concinnere, ac conſentire. Ecce enim vides vera pudicis, iuſta ſanctis adnexa, atque conſonantia, & hæc omnia æquè amabilia, & bonæ famæ eſſe, vt vnus virtutum omnium chorus eodem concentu ſonet, eodem ſpiritu viuat, eodem paſſu gradiatur; & intellectus affectui, affectus intellectui adſtipulentur. Rurſus, ſi attentius denuo hæc conſideres, & pudica ad animi integritatem, iuſta ad proximi bonum, ſancta ad Dei obſequium cum S. Thom. referas, omnia indiuidua ſocietate eodem ire, & Dei obſequium tui, aut proximi bono; ſimiliter quæ proximi, aut tui interſunt Dei obſequio, & in eum pietati minimè impedimento eſſe; immò verò alia aliis hærere, & tanquam vnius ædificij parietes, & idemmet tectum ſuſtinere, & ſeſe mutuò fulcire, inuenies. Eſt quidem hæc virtutis natura, hæc illius conditio, & facies, omnibus inter ſe concinnentibus eius partibus, vti & PP. variis in locis & Theologi Scholaſtici cum S. Thom. 1. 2. q. 65. art. 1. & cum Magiſtro in 3. diſt 36. cap. 1. & 2. nec non Philoſophi ex Ariſtot. 6. Ethicor. cap. 13. & Cicerone, Tuſculana 2 longiùs diſſerunt.

S. Thom. S. Thom. Mag. Ariſt. Cicero.

2. Nec aliud tinnit Paulus cùm ad Galat. 5. 29. vitij, atque virtutis fructus recenſet, & vt aciem aciei opponit. Nam ſic primùm de carnis operibus. *Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia*, deinde quidquid virtutis eſt, ſic enumerat: *Fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides modeſtia, continentia, caſtitas*. Iam quàm alia hæc ſtructura ſermonis ab illa ſit, obſerua: de carnis enim operibus diſertè ait: *Manifeſta ſunt*, &c. de fructibus autem ſpiritus quos copioſè ad duodecim recenſuit, ſignatè dixit: *Fructus autem ſpiritus eſt*; ſed quomodo *eſt*, vt vnum & non potiùs *ſunt*, cùm plures ſint? ſanè quòd non plures ſint, ſed vnum ſit: quippe vitio in varias partes ſe diſſecante, & plures facies ad inuicem diſcordantes habente, vna virtuti facies ſubeſt: vt quantamcumque virtutum congeriem adſtruxeris, & cumulum feceris, adeò connexas, & concatenatas omnes videris, vt vna tantùm virtus eſſe videatur. Ita Ambroſ. lib. 5. in Lucam cap. *de ſermone IESV de beatitudinibus proborum*, cùm quatuor à Luca enumeratas virtutes, ſiue beatitudines octo illas, quas recenſuit Matthæus, comprehendere, oſtendiſſet, inquit. *Connexæ igitur ſibi ſunt, concatenatæque virtutes, vt qui vnam habeat, plures habere videatur.* Nec aliò iuerit elegans animi virtute præditi à Seneca hunc in modum facta deſcriptio epiſt. 66. *Animus intuens vera peritus fugiendorum ac petendorum non ex opinione, ſed ex natura pretia rebus imponens, toti ſe inſerens mundo, & in omnes eius actus contemplationem ſuam mittens, cogitationibus, actionibúſque intentus, ex æquo magnus, ac vehemens, aſperis, blandíſque pariter inuictus, neutri ſe fortunæ ſubmittens, ſupra omnia quæ contingunt, acciduntque, eminens, pulcherrimus cum decore, cum viribus ſanus, ac ſiccus, imperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec attollant fortuita, nec deprimant.* Et ſtatim: Talis animi virtus eſt, hæc eius facies, *ſi ſub vnum veniat aſpectum, & ſemel tota ſe oſtendat. Cæterùm multæ eius ſpecies ſunt, quæ pro vitæ varietate actionibus explicantur.* Hæc oratorio ornatu, & pompa Seneca: quæ Scholaſtico more P. Vazquez in 1. 2. diſput. 88. cap. 2. vel ex virtute temperantiæ inclinantis hominem ad proſequendum bonum, & honeſtum in omni euentu, & occaſione, quod ſine aliarum virtutum conſortio aſſequi nō poteſt, rectè confirmat. Nam ſi fæmina, inquit ille, propoſitum habeat ſeruandi caſtitatem, niſi habeat virtutem liberalitatis contra auiditatem pecuniæ, facile vincetur pretio, & pollicitationibus: niſi verò habeat virtutem fortitudinis, vincetur minis & terroribus; ergo vna virtus indiget conſortio aliarum. At enim rurſus Seneca epiſt. 67. in eo, qui recti cauſa tormenta fortiter perfert, id ſic eleganter oſtendit. *Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur fortaſſe, cùm vna in promptu ſit, & appareat patientia. Cæterùm illic eſt fortitudo cuius patientia, & perpeſſio, & maximè tolerantia rami ſunt; illic eſt prudentia, ſine qua nullum initur conſilium, quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quàm fortiter ferre: illic eſt conſtantia, quæ deiici loco non poteſt, & propoſitum nulla vi extorquente dimittit, illic eſt indiuiduus ille comitatus virtutum.* Hæc Seneca.

ad Gal. 5. 27. Seneca. Vazquez. Seneca.

3. Quò benè referas quod non ſemel ex Paulo adſtruximus ex Chriſti Domini redemptione ad eam nos vitæ puritatem, & ſanctitatem euocates, vt perfectiſſimum figmentum eius ſimus: ſic enim ille ad Epheſ. 2. 10. *Ipſius enim ſumus factura, creati in operibus bonis*: vbi cùm *factura* Græcè ſit ποίημα, id eſt, *poëma*; opus videlicet intellectus, limatum atque politum, & certis ſyllabis, ac numeris inter ſe concinnentibus conſtans; atque diſpoſitum, quod ad opera bona, vt inquit Paulus, ſiue ad virtutes neceſſaria ratione referendum eſt; opportuniùs tu dixeris, ipſaſmet virtutes miram inter ſe harmoniam, & concentum ſeruare; quàm medicorum princeps Galenus apud Iſidor. Peluſiotam lib. 4. epiſtola. 125. dixit, humanam animam harmoniam quamdam, ſiue concinnam lyram ex corporis temperamento reſultantem eſſe; quem dicendi modum, ſiue errorem ſic ibi pulchrè pro re noſtra refutat Iſidorus. *Quomodo autem ſi harmonia quædam eſt anima ad illam inconcinnitatem delabitur; vt rude, atque abſurdum quoddam exat carmen? virtus enim eſt concinnum quiddam, atque elegans: vitium verò contra abſurda res, & abſona.* Vbi vides non niſi ex virtutum concinnitate, & conſonantia harmoniam illam reſultare: ipſaque pulchrum, atque elegans carmen conficere, in quo nihil diſſonum, nihil abſonum, atque inconditum ſit. Audi Bernard. lib. 1. de conſiderat. cap. 8. *Ibi etiam aduertere tibi eſt ſuauiſſimum quemdam concentum, complexúmque virtutum, atque alteram pendere ex altera.* Nec minus appoſitè Auguſtinum lib. 6. de Trinit. cap. 4. ab humanarum virtutum connexione, ad diuinarum vnitatem adſtruendam ſic argumentantem. *Si enim virtutes, quæ ſunt in animo humano, quamuis alio, atque alio modo ſingulæ intelligantur, nullo tamen modo ſeparantur ab inuicem, vt quicumque fuerint æquales, verbi gratia, in fortitudine, æquales ſint, & in prudentia, temperantia, & iuſtitia. Si enim dixeris, æquales eſſe iſtos fortitudine, ſed illum præſtare prudentia, ſequitur vt huius fortitudo minus prudens ſit, ac per hoc nec fortitudine æquales ſunt, quando eſt illius fortitudo prudentior.* Sic Auguſtinus.

Iſidorus. Bernard. Auguſt.

4. Nec iniucundum fuerit ſuauiſſimi huius concentus rationem aſſignare: Theologi quidem ex Ariſtotele citato iam loco ad prudentiam referunt, quod ſine

sine illa nulla possit esse virtus, siue quia prudentia perfecta totius virtutis materiam complectatur, ac proinde in vna illa omnes virtutes connecti, necesse sit, de quo vide Scotum in 3. d. 36. q. vnica & eius discipulos, nec aliud dixeris sibi velle Bernardum proximè adductum: etenim cùm virtutum complexum floridè hanc vnionem siue conciliationem in medium quoddam siue modum, in quem omnes virtutes respiciant, siue à quo regantur, ne debitos sibi fines transiliant, sic reiicit. *Dicito mihi quaso, si potes, cuinam potissimum trium harum virtutem medittullium hoc dandum censeas, quod ita cunctis conterminum est, vt videatur esse proprium singularum? An ipsum virtus est, & nihil aliud? sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes vna. An potiùs, quia sine eo virtus non est, omnium quodammodo intima vis vna est, & medulla virtutum, in qua sic vniuntur, vt proinde vna videantur omnes, præsertim quòd non illud participando communicant, sed totum à singulis; atque integrum possidetur?* Sed & statim id singillatim explicat in hunc modum: vbi causa. *Quid tam iustitia, quàm modus? Alioquin, siquid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit quod suum est; quod tamen suum ipsius est facere, quid tam rursum temperantia? quia non aliunde profectò temperantia est, nisi quòd nihil immoderatum admittit. Sed puto fatebere etiam, non minus esse fortitudinis. cùm vel maximè ipsa sit, quæ ab irruentibus vitiis, & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit, & vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedémque virtutis; ergo modum tenere, iustitia est, temperantia est, fortitudo est.* Hæc Bernardus. A quo verbis potius, quàm sensu dissidere videtur S. Bruno in allegoriis Tilmani ad cap. 26. Exodi dum aperiens cortinas tabernaculi, quæ quadruplici materia, nempe è bysso retorta, hyacintho, purpura, coccóque bis tincto factæ perhibentur; eásque, & quatuor elementorum speciem præferre, & simul quatuor cardinales virtutes tegere, siue adumbrare docens, temperantiam, harum omnium mediam, & conciliatricem sic adstruit. *Hyacinthus igitur, qui cælestem, & diuinum colorem habet, prudentiam significat, quæ de cælestibus à Deo descendit, secundùm illud,* Omnis sapientia à Domino Deo est. *Purpura verò, qua reges, & Principes induuntur, iustitiam designat, vnde, & eis dicitur:* Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, Sapient. 1. 1. *Per coccum verò, qui sanguinei est coloris, fortitudo notatur, quâ sancti Martyres vsque ad sanguinem resistentes in Christi fide fortissimi exstiterunt. At verò per byssum, quæ de terra oritur, temperantia intelligitur. Quoniam sicut terra omnium elementorum media est, & in se omnia recipit elementa, ita & temperantia inter omnes virtutes media discurrit, omnésque coniungit, atque conciliat:* Hæc S. Bruno: en virtutes vel inde facile parabiles, & animo gratas atque iucundas, quòd inuicem amicæ, & affines sint, & quæ auxiliatem sibi manum mutuo reddant. nam veritas iustitiæ; iustitiæ fortitudini, fortitudo temperantiæ, & pudicitiæ, hæ humilitati, humilitas modestiæ, & mansuetudini mirè concinunt & inseruiunt.

Bernard.

S. Bruno.

Bruno.

5. Alia quidem turpitudinis, alia vitiorum natura, & lex est, hæc enim inuicem pugnant, & contraria sunt, & mira Dei prouidentia sic dispensante alterum, alterum elidit, & eneruat: ita sanè cor impij cum feruenti mari quod peccatum, ac tranquillum esse nequeat, primum ab Isaïa componitur: deinde continuis ictibus dilacerari, siue dissolui dicitur à Ieremia: sic prior vates cap. 57. 20. vt impiorum vitam perpetuo quodam angorum, & sollicitudinum æstu turbatam commonstret. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non valet.* Pulchrè *feruens*, contrariis videlicet venris aliò, & aliò agitatum, & huc illud reuolutum, vt impij animum contrariis cupiditatum motibus æstuantem, & sese huc illuc voluentem, ac reuoluentem indicet, quippe alio luxuria, aliò auaritia impellit, & vt hæc ad pecunias retinendas, illa ad profundendas vrget; hac cupiditas, illac timor agit, immò ambitionem ipsam contrariis motibus agitari, & iam nubes conscendere, iam humi repentem videris; sic scitè dicebat Seneca epist. 56. *Animum cogo sibi intentum esse, nec auocari ad externa omnia, licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditates, & timor, dum auaritia, luxuriáque non dissideant, nec altera alteram vexet.* Hinc Ieremias errantem à Deo animam sic reuocare studebat: *vsquequò deliciis dissolueris filia vaga*, Ierem. 31. 22. Preme verbum *dissolueris*: id est, distraheris, discinderis, pro varietate scilicet, & contrarietate cupiditatum, siue vitiorum huc illúcque contrariis iussis impellentium, quod Hebræa Pagnini translatio satis explicuit reponens, *vsque quò verteris te huc, & illuc filia rebellis*; & Bernardus lib. de interiori domo cap. 64. se ipsum sic delineans: *Nec illud adeò mirum, quòd variis qualitatibus diuersisque perturbationibus per singula momenta afficior, sed illud supra modum stupendum quòd sub eodem penè momento sæpe contrariis affectionibus tangor, nunc odio, nunc amore ducor, modo gaudio modo mœrore distrahor.* Sil ille, vt vel hinc primum videris vt iactetur impius, vt discindatur, vt constanter gaudere nequeat, & dum gaudet, dolere necesse sit: dum eius cor quasi mare feruens, contrariis cupiditatibus agitatum, omnes simul explere, satiareque non potest. nam, vt vtar verbis Pomponij Melæ, *iactat enim mare atrociter nauigantes, si aliò ventus, aliò vnda impellat.*

Seneca.

6. Expressit id bellè Salomon sub eleganti quamuis ad speciem fæda filiarum sanguisugæ imagine, ita inquiens Prouerb. 30. 15. *sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer.* Cuius ænigmatis illa vt frequentior, ita verior interpretatio est, vt sanguisuga concupiscentiam, siue propriam voluntatem ad malum propendentem, duæ verò eius filiæ luxuriam, & auaritiam significent: ita de hisce sororibus Beda, *duæ sunt filiæ, duæ scilicet speciales humani generis illecebræ, luxuria videlicet, & phylargiria:* vbi sapienter à Beda dictum obserua, *duæ speciales humani generis illecebræ:* quòd hæ affectiones homini sint naturalissimæ; & quæ apud illum plurimum valeant: vt docet S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5. ad 5. & bene quidem sanguisuga luxuria, de qua Theocritus,

Heu crudelis amor nostro saturare cruore.
Summa affixa cuti veluti hunc suxisset hirudo.

Prou. 30. 15.

Beda.

Nec minus opportunè sanguisuga auaritia, de qua Gregorius Nazianzen. in carm. Iambico de Auaritia,

Amore lucri turpe ne quidquam gerat,
Auidam cruoris æmulans hirudinem.

Nazian.

Iam ad sensum, vt videas, quomodo Dei prouidentia vnam concupiscentiam aduersùs alteram producat, vt in se ipsam arietás vesania debilior fiat, nec conspirata hæc monstra totum hominem occupare valeant. Sanè dum singulæ hæ sanguisugæ indesinenter dicunt *Affer, affer*, & vnaquæque sibi sanguinem exsugere, & afferre contendit, alteram spoliare, & exarmare necesse est, diffident enim

Seneca. enim (vt dicebat Seneca) auaritia, & luxuria, & altera alteram vexat, & debiliorem reddit. Hic, opinor, germanus huius ænigmatis sensus, non ille, quem nonnulli interpretes è contrario eliciunt, vt quoniam duplici ore sanguisuga instructa est, ac proinde duplex ille gustus subesse videatur, duplicatam auaritiæ, & libidinis voluptatem denotet, quæ quòd gemina sit, adeò tenaciter carni adhæreat, vt reuelli vix vnquam possit: hæc namque gustus sanguisugæ consideratio nec ad Salomonis gustum est, nec putum aliquem gustum habet, & cùm re ipsa manifestè pugnat: adeò enim, vt audiuimus ex Seneca, vt vidimus, vt nouimus, auaritiæ gustus ad gustum libidinis non est, nec hoc vitium illud iuuat, neque vtrumque ex mutuo consortio diutius hæret, vt alterum potius alterum elidat, atque debilitet, vti prodigus ille filius, de quo Lucæ 15. 12. locuples testis est: ipsum etenim primum adeò diuitiarum amore captum videris, vt auaritiæ hirudine ipsum stimulante, & inhumaniter de pecuniis cum patre disceptauerit, & ab illo portionem substantiæ, quæ illi contingebat, quasi vi extorserit, at enim verò cùm subinde libidinis sanguisuga eum punxit, & exsugere cœpit, dicens *Affer: affer*, sic alteram auaritiæ sanguisugam vexauit, captaque spoliauit præda, vt totum è patris manibus extortum patrimonium non modò vexauerit, sed etiam profusissimè dissiparit. *Dissipauit* (inquit Lucas vers. 13.) *substantiam suam viuendo luxuriosè*, siue, vt lectio Syriaca, *dilapidauit substantiam suam, dum profusè viueret*: id est, dum luxuriæ sanguisuga indesinenter exsugens aiebat: *Affer, affer*: auaritiæ sanguisugam adeò elisit, & exsanguem reddidit, vt primùm auarus, postea prodigus, atque profusus exstiterit.

Lucæ 15. 12. & 13.

7. Persensit harum sanguisugæ filiarum stimulos Bernardus, atque hunc ipsis sensum reddidit, quamuis ex illarum imagine non luxuriam, & auaritiam, sed auaritiam, & ambitionem sese mutuo exsugentes & dissipantes nobis proponi, censuerit: sic namque ipse in declamationibus in ea Petri ad Dominum verba: Ecce nos reliquimus omnia, has sanguisugas explicat: *Auaritia & appetitus laudis sibi inuicem aduersantur. nam quod illa congregat, hic dispergit: hæc autem tam dissimilia mala ex vna radice pullularunt, propria scilicet voluntatis: huius enim sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ*; clamentes: Affer, affer: *siquidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate satiatur, vt scriptum est.* Non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Optimè pro re nostra. Pende illud, *sibi inuicem aduersatur*, & id, *quod illa congregat, hic dispergit*, vt dideris vnam concupiscentiam alteram vexantem, & spoliantem, vt prodigi imago, his hirudinibus compuncti demonstrabat, apud quem quod auaritia congregauit, dispersit libido. Nec minus elegans, aut opportunum fuerit, quòd de ambitione, & elatione cordis sese adinuicem elidentibus, & debilitantibus præmiserat indidem Bernardus hunc in modum, *Contendunt ambitio, & elatio cordis, altera nidum, altera foueam parat. Volare altera iubet, repere monet altera, cùm neutrum profectò sit hominis. Quis enim es tu, ait hæc, quis verò ille, vel ille est, aut quæ domus patris eorum, vt eis in aliquo cedas, vt reuerearis eos, vt aliquatenus eis blandiaris? At bonus sermo bonum inuenit locum, ait ambitio, & in...um quoque qui prodesse non potest obesse; vnde dissimula: primum bonum vinum pone, donec veniat hora tua.* Hæc Bernardus, quæ audisse videtur multis retro sæculis Otho Syluius, (qui Romanum imperium ambiens, *non deerat*, vt inquit Cornel. Tacitus lib. 1. historiar.) *portendens manus, adorare vulgus, iacere oscula, & omnia seruiliter pro dominatione*, hoc est, ambitione elationem moderante ac corrigente, & illum affabilem, & humanum omnibus reddente.

Bernard.

Fuerit, & illud huic cogitationi omnino consentaneum, quid Israëlitica plebe insaniente, & falsos, atque conflatiles deos impudenter sibi exposcente: illico Aaron inaures aureas ad idola conficienda ab illis afflagitauerit: sic namque Exodi 32. 2. *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* O bonum sacerdotem, atque Magistrum! ita ne statim insanienti populo morem geris, & illius libidines vix cogitas exequeris? Nonne vel verbis saltem compescere, & coërcere satius fuisset? Respondet Theodoretus, non tam seruiliter obedientem; quàm industrium, & cautum medicum sese illis Aaronem hac in re exhibuisse, si non omnino profligata libido, atque impudentia eorum fuisset, quippe auri amorem aduersùs insanam idolorum superstitionem produxit, & velut in iusto certamine opposuit. Audi illud quæstione 66. *vt animum ornatus pecuniarúmque maximè amantem, superstitionis insaniæ tanquam militem militi in acie opponeret.* Ita ille. Exod. 32. 2. Theodor.

9. Adsimilis auaritiæ de inuidia, odio, & cædis machinatione reportata victoria: cogita enim, quàm ardenti odio, quàm dira fraternæ cædis cupiditate in fratrem Ioseph filij Iacob æstuarent: sic namque decem viros vno ore ac si vnum spiritum traherent, loquentes facit Scriptura Genes. 37. 20. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem*; & quidem, dictum factum, vt est in prouerbio: *confestim igitur, vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita, miserúntque eum in cisternam veterem.* Iam quis eum inde extraxit, & morti eripuit? num Dei metus? fratris clamor? facti pœnitentia? siue in parentem pietas? Audi. *Et sedentes vt comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores, &c. Dixit ergo Iudas fratribus suis, quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? Melius est, vt venundetur Ismaëlitis.* En amorem Iosephum defendentem, & à morte vindicantem; verùm amorem, non fratris, sed pecuniæ quam odio, & cædi præponere *melius* censuere, ita pulchrè hoc adnotante S. Basilio Seleuciensi oratione 8. de Ioseph hunc in modum. *Consilia verò de interfectione venditio excipit, ac velut aliquod cædis spolium fratrem fratres tradunt, amórque pecuniæ necis excussa cogitatione Iosephum eodem cum illis satu editum à morte in apertam seruitutem vendicauit: ita solet inuidia cum inuisis humaniter agere.* Bene illud, *amor pecuniæ necis excussa cogitatione*, quasi clauus clauum trudat: & amor pecuniæ cædis cogitationem expellat. Nec minus aptè id, *solet inuidia cum inuisis humaniter agere*: num quod humana ipsa sit? Minimè, nihil enim inhumanius, nihil adeò ferum esse ad c. 1. vers. 15. multis egimus: sed quòd ipsam auaritia cicuret, placabilémque & humanam reddat. Gen. 37. 20. Basil. Sel.

***

Ad ca

Ad ea verba, *Quæcumque bonæ famæ.*

ADNOTATIO II.

Curam de bono nomine habendam, præsertim in ijs, quæ ad pudicitiam pertinent.

1. DIXI in expositione litteræ, minimè hæc Pauli verba sic esse accipienda, quasi aut inanis gloriæ cupiditatem acuere, siue ambitionem adornare, aut Christianam modestiam, & debitam animi demissionem infringere, minuerève possint: sed eò potissimum ire, vt suus virtuti splẽdor, & pulchritudo seruetur. Bene quidem Seneca. *Conscientia fiat satis, nihil in famam laboremus*: quòd inanis, immò irritus talis labor sit (de quo plura à nobis ad cap. 2. vers. 3. *nihil per inanem gloriam*; siue in expositione, siue in adnotatione dicta sunt,) sed sapienter, nec sibi contrarius idemmet Philosophus lib. 6. de benef. c. vlt. dicebat: *opinionem quidem, & famam eo loco habemus, tanquam non ducere, sed sequi debeat*: vt moneat, ne famæ causa laboremus, virtutique incumbamus; attamen vt sine adspectu ad illam, eas virtutis egregias actiones operemus, ex quibus bona fama oritur, idque magnopere curemus, ne aliquid mali exempli cõmittamus, quod ipsam lædere, aut commaculare valeat, dixerim breuiùs vt nihil pro illa, nihil contra illam faciamus, do tibi exemplum in superbissimo Pharisæo, & sanctissimo Iob seipsos æquè laudãtibus, sed hoc ab illo descendente iustificato. Certe sicut Luc. 18, 11. Pharisæus seipsum præ aliis omnibus elatissimis his verbis efferebat. *Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus*, &c. ita beatus Iob virtutes suas atque egregia facta minimè abscondebat, sic enim ille cap. 29. 14. *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum*, &c. Quòd si inquiras, cur proprias virtutes recensere in Iobo laudabile, in Pharisæo verò execrandum fuerit? respondebo, hunc in famam laborasse, vt sibi, & aliis inaniter placeret; Iobum autem, vt famæ suæ extremè apud amicos laboranti succurreret, & falsò sibi impositas criminationes, debitam de bono nomine curam habens propulsaret; scitè id considerante S. Isidoro Pelus. lib. 3. epist. 278. vbi cùm dubitationem hanc proposuisset: *vehementer tibi mirum videri dixisti, quidnam sit causæ quamobrem Pharisæus ob verborum arrogantiam apud Deũ offenderit: Iob verò qui plura, & sublimiora dixit, gloriam assecutus sit*, in hunc modum respondet. *Pharisæus ille, quia nemine concitante magnifica de se prædicabat, altiusque quàm vniuersus terrarum orbis de se sentiebat, meritò in Deo offensionem incidit, si quidem superbiæ morbo laborabat. At qui in gloria, & splẽdore est, virtutes suas occultat, cùm autem maledictis incessitur, vt illatas criminationes propulset, commemorat (quemadmodum clarus ille, atque omni laude præstantior Iobus fecit) ab omni culpa remotus est*: nimirum optimo merito prouidebat bona Iob non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus: nec integra tantùm, sed etiam sapienti, & splendenti, pulchritudine famam volebat habere propitiam. Ita quidem Ambr. lib. 2. Offic. cap. 7. cùm adstruxisset; *nihil tam vtile, quàm diligi, nihil tam inutile, quàm non amari. Nam odio haberi, exitiale, ac nimis capitale arbitror*, subiicit ad Iobi mentem. *Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem, opinionémque nostram.*

Seneca. Seneca. Luc. 18. 11. Isid. Pelus.

Porrò, si animum intendis, tum totius Ecclesiæ, siue cuiusuis congregationis aut cœtus, tum singularum animarum pulchritudo non interna solùm virtutis, sed externa etiam honestæ existimationis, & boni nominis venustate constat: id accurata locutione ex sponsæ persona sic affirmante Salomóne Cant. 1. 16. *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*: vbi cùm de virtutibus animam fulcientibus, & ornantibus ex plurium PP. interpretatione sermo fit, obserua ex Gregorio Nyssen. non quæuis ligna ad spirituale ædificium assumi, sed ea, quæ imputribilia, & boni odoris sint, similiter non ligna solùm, sed laquearia etiam tecto inesse, *apta scilicet, quadam, & concinna* (vt inquit Nyssen.) *ac celata asserum compactio, recti varians pulchritudinem*, vt innuatur internis virtutibus, quibus anima potissimum innititur, externas etiam, quæ instar laquearium ornant, & tanquam Cypressus benè olent esse adiungendas, sic namque Nyssenus ad hæc verba hom. 4. *Quid namque per hæc discimus. Benè olet naturaliter cupressus, ea ipsa autem nullam admittit putredinem*, &c. *Per ea ergo, quæ dicuntur, existimo nos hoc erudiri, quod non solùm, quæ sunt in anima virtutes, in habitu non euidenter, rectè se gerunt, sed neque eam negligunt venustatem, quæ est in eo, quod apparet, sunt enim prouidenda bona coram Deo, & hominibus, & quòd oporteat, Deo quidem esse manifestum, hominibus autem persuadere, & bonum habere testimonium apud eos, qui foris sunt.* Ita Nyssenus, & quidem rectissimè: nam, vt alter Gregor. dixit, qui foris sunt fidei nostræ bonitatem, & Euãgelicæ doctrinæ veritatem non aliunde, quàm ex honestate famæ nostræ metiuntur. Audi: *At extraneus quispiam neque bonitatem fidei nostræ aliter definire, ac metiri, quàm honestate famæ; ac sua quidem facinora prorsus non computat, tuorum verò acerbus est accusator.* Sic Nazian. orat. de Episcopis. Ad hæc, in præfatis Canticorum verbis cedri naturam quæ imputribilis, nec vllis vermibus, aut tineis obnoxia est, considera, & quæ superiùs in expositione litteræ ad illa verba Prouerb. 10. 16. *nomen impiorum putrescet*, diximus, huc aduoca; vt noueris quanti à diuino Spiritu ea vitæ puritas fiat, quæ vermium, & detractorum aculeos non suscipiat, sed bono nomini consulat, atque prospiciat. Ita quidẽ felicem illam peccatricem non tam ad Christi pedes, quàm ad intimum cordis penetrale accedentem videris, quòd perfectissimum pænitentiæ atque virtutis typum secum gesserit: flebat enim, & amarissime flebat peccata sua; quidquid pretiosum, & in delitiis habebat, in Christi obsequium impendere curabat, egregiis humanitatis, dilectionis & aliarum virtutum actionibus præfulgebat, insuper autem pretioso vnguento vngebat Christi pedes Lucæ. 7. 38. vt domus fragrantia impleretur; contemptæ nimirum olim famæ iam prospiciebat, & de bono nomine curam gerens; nam, *bonus odor, fama bona est*, vt ad simile Magdalenæ factum, de quo Ioann. 12. 3. inquit Augustinus tractatu 50. in Ioannem.

2. Cant. 1. 16. Greg. Nyssen. Gregorius. Nazian. Prou. 10. 16. Luca 7. 38. August.

En, Salomone iudice, velut altero Paride de dearum elegantia fabulosè decernente, veram totius pulchritudinis formam, & faciem: virtutem scilicet, bona fama, & opinione conspicuam, vti de sancta Iudith dicitur cap. 8. vers. 8. *& erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* 3.

Iudith 8. 8.

 Sapiens

Sapiens si quidem vno in loco de sponsæ pulchritudine iudicās ait, *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Ierusalem*, Cant. 6. 3. sed obserua LXX. pro his reponere: *Pulchra es proxima mea, sicut beneplacitum.* Ambrosium verò lib. 1. de virginibus enucleatiùs legere: *Formosa es proxima mea vt bona opinio*; sane quasi nihil formosiùs, nihil pulchrius bona opinione, cui velut ipsimet formæ, & pulchritudini in abstracto, quod maximè speciosum, & elegans est, comparatur, ita ibi Ambrosius. *Non caduca corporis pulchritudo vel morbo peritura, vel senio, sed nullis obnoxia casibus opinio bonorum nunquam moritura meritorum virginibus est decori*, vt & hinc simul videris quod statim adstruemus, nullam sine bona opinione formam constare, & subsistere posse, in alio verò eodem sensu inquit Salomon: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate*, Sapientiæ cap. 4. 1. ac si dicat, quàm pulchra, & formosa eorum virtus est, qui prouidere sciunt bona coram Deo, & hominibus, nec ipsorum culpa, siue defectu, aliqua infamiæ nota, contra castitatem præcipue maculantur, id sub hoc sensu optimè explicante S. Cypriano lib. de singularitate clericorum, dum eos à vitij suspicione, quæ ex consortio fæminarum oritur, omnino immunes exoptabat. Nam cùm priùs dixisset. *Hoc exigit sancta singularitas clericorum, vt antequam transfiguretur, iam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aspectum, quæ omnia sibi amputans, concupiscentiæ certamina deprædatur: cuius laudes Salomon exsequitur, dicens. Melius est esse sine filiis cum claritate*; post modum sic ait. *Non est sine filiis cum claritate nisi singularitas sola, quam non solum conscientia sua nullis sordibus maculat, sed etiam nullæ opiniones suspectæ pluralitatis infamant. Nam si castitas (quod est difficile) masculum, & fœminam pariter in virginitate conseruet, non habet claritatem, quam communitas ipsa non potest nisi quibusdam probrositatis tenebris obscurare, singularis vero ita clara est omnibus, & exerta, vt cunctis splendore sui candoris pura manifestetur, & lucida*, Sic Cyprianus: pulcherrima ergo casta generatio cum claritate, quam nullæ opiniones suspectæ infamant, nec elegantior vlla quàm bonæ opinionis forma.

Cant. 6. 3. — LXX. — *Ambros.* — *Sapien. 4. 1.* — *Cyprian.*

4. Vis ipsam viuaci penicillo videre depictam; *considerate*, inquit Magister vitæ, *lilia agri quomodo crescunt. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis*, Matth. 6. 28. ac si dicat, nihil his pulchrius, candidius, & quod magis in elegantiæ fastigium assurgat: *Flos enim lilij* (inquit Nyssen. hom. 7. in Cant.) *habet duplicem à natura gratiam, vt pote suaui odore simul misto cum colore, adeò vt is in vtroque sit gratus, & amabilis hominibus, vt qui, siue moueantur olfactu, siue oculis, eius se possint abundè oblectari pulchritudine.* Iam quid aliud liliū præ se ferat nisi castam generationem cum claritate virtutem scilicet bonæ opinionis candore conspicuam: ita quidem in Canticis, tum ea Christi sponsa quæ formosa appellatur, *vt bona opinio*, cum candido splendentique lilio cōponitur, Cantic. 2. 2. tum etiam cælestis sponsus suauissimè inter lilia pasci, reficiq; dicitur, sic enim cap. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum, vt pascatur in hortis, & lilia* colligat, quibus verò graminibus siue cibis reficiatur, ita statim aperit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*: id autem omnino esse dixeris, eas Christo animas gratissimas esse, quæ morum decorem, vitæq; integritatem simul cum boni nominis odore seruant. Audi hac de re Bernardum serm. 71. in Cantica præfata verba hunc in modum elucidantem.

Matt. 6. 28. — *Nyssenus.* — *Cant. 2. 2.*

Ergo absque liliis nunquam est, qui absque vitiis semper est, quia totus, & semper est, quia totus, & semper est candidus, speciosus forma præ filiis hominum. *Tu ergo qui hæc audis, vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te opus tuum, studium tuum, desiderium tuum, lilia esse protestentur, moralis quidam rerum ipsarum candor, atque odor. Habent, & mores colores suos, habent & odores. Neque enim in spiritibus id ipsum est color & odor, non magis, quam in corporibus. Ergo de colore conscientia consulitur, de odore fama.* Fætere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, *aiunt illi dicentes de opinione.* Ita Bernardus: qui rursus in eamdem sententiam pergit. *Quod ergo de corde puro, & conscientia egreditur bona, candidum est, & est virtus: si autem, & bona fama secuta fuerit, & lilium est, quippe cui nec candor lilij desit, nec odor. Porrò virtus, & si non propterea maior, pulchrior tamen, illustriórque efficitur.* Sic Bernard. vt ex his sanctam illam peccatricem aromaticis vnguentis, vt famæ iam suæ consuleret; Christi Domini pedes vngentem, cuius paulo antè meminimus, candidum etiam, & odoriferum lilium meritò appellaueris: nam *bonus odor fama bona.*

Bernard.

Prætulit egregium horum typum bonus luctator siue supplantator Iacob dum boni odoris vi, & efficacitate paternam benedictionem sic aucupatus dicitur Genes. 27. vers. 27. *statimque vt sensit* (Isaac pater) *vestimentorum illius flagrantiam benedicens illi, ait, Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*, quasi ex odoris suauitate, quæ bonum nomen, & famam ex bonorum operum vestimentis spirantem præfigurabat, nouo filij amore accenderetur, à quo in benedictionem proruperit. Ita Chrysologus sermone 73. *Sic Iacob suo nimis timidus, matris consilio satis ausus, patris, vt prariperet benedictionem plus mysticus, quàm dolosus incessit.* Bene *mysticus*: qui candentis, & odorati lilij, virtutis scilicet cum claritate, & veræ pœnitentiæ bonum nomen, & famam flagrantis, quæ Dei oculis gratissima, illius fauorem, & gratiam aucupatur, imaginem præferebat: quare hæc subiicit statim Chrysologus, *ille nos sub hircorum pellibus figurabat, qui vt moriamur peccato hortatu matris Ecclesiæ mortificati corporis induimur vestimento, & odore agri continuis confessionum fructibus, & vbertate redolemus.* En primo genituræ, pignus cælestisque maioratus signum, nempe mortificati corporis vestimentum bonam famam, & honestum nomen spirans; sanè cùm sponsæ à cælesti sponso priùs dictum esset: *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata*, Cant. 4. 10. aucto statim censu subiicitur, *& odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*: vbi ex Beda primùm obserua vnguentorum nomine designari internas virtutes, vestimenta verò earumdemmet virtutum opera proximis exteriùs benefolentia significare, ad eum quidem modum, quo de eadem sponsa Cantic. 3. 6. dicitur, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris*: in quæ verba opportunè Gregorius Magnus de electis, perfectisque viris ait. *Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur, quia & odorem bonæ famæ, & subtilitatem mentis habere dicuntur.* Deinde verò ex Gregorio Nysseno thuris imaginem ad diuinitatem, siue diuinum honorem refer, vt hinc videris, virtutem honestate famæ, & bono nomine conspicuam diuinum quid haberi, & vt internam virtutem *super omnia aromata*, hoc est, super quæuis temporalia bona esse, ita cùm illi famæ bonæ pulchritudo adiungitur, mortalia omnia longissimo transcendentem interuallo diuinitatem redolere, atque cælesti

5. — *Genes. 27. 27.* — *Chrysol.* — *Cant. 4. 10. & 11.* — *Beda.* — *Cant. 3. 6.* — *Gregorius Nyssenus.*

lesti hæreditati, & primogenituræ iam virginam videri. Nec ab hoc iuerit, quod in expositione literæ ex Pausania, Plutarcho, & aliis auctoribus obseruauimus. Famam apud veteres pro dea habitam, non quòd illi Numen aliquod esse crederent, sed quòd bonum nomen tamquam rem diuinam, & quæ maximam cum virtute affinitatem habeat, maximi faciendum, nec de industria illi aliquomodo derogandum, censerent; quippe, vt pulchrè callidus Princeps Tiberius apud Cornel. Tacit. lib. 4. Annalium dicebat: *contemptu famæ contemni virtutes* & Satyricus de fœmina procaci, quæ animum ad malum proiecerat.

Iuuenal. *Contempsit pelagus, famam contempserat olim.*

Ac si diceret: quid fuerit mirandum, omnia maris discrimina, omnésque animi sordes contemnere, quæ famam iam contempsit.

6. Sed ne hinc tu mitaberis castissimam Susannam quæ cùm à turpissimis senibus ad peccatum illecta eíque nisi se illorum libidini facilem ac obsequentem præberet, dira mors, proposita esset, non diu: nec ancipiti consilij lance in tam graui, ac periculoso conflictu deliberauit, aut hæsit, sed à vita sibi potius, quàm à Dei obsequio, & castitate discedendum sibi esse alacriter censuit, forti pectore, & imperterrito animo inquiens: *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini*, Daniel. 13. 23. non mediocriter postea indoluisse, & graui mærore, ac lachrymis casus acerbitatem defleuisse: sic enim primùm cum populo iudicanda sisteretur, ait sacer textus versu 35. *quæ flens suspexit ad cælum*: deinde ad mortem damnata exclamasse gemebunda dicitur versu 42. *Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant. Tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cùm nihil fecerim*, &c. cur quæ priùs libens mortem fuerat amplexata, mæstissima modò.

Daniel. 13. 23.

Horrendis fertur cælum pulsare querelis.

Discessit ne à prima sententia plúsve in textu vita placuit? quia *grauissima sunt pœna, cùm fugiunt*: aut tanto horribiliorem, quanto præsentiorem faciem illi suam dira mors obiecit? Nugæ hæc omnia, sed pro rerum facie, & conditione affectus suos expromsit, atque adgubernauit. Nam primum cùm à senibus clam tentata in sententia colendæ castitatis immobilis permansit; cur quantumuis præsentem mortem adspiceret, tristaretur, quæ nullum pudoris damnum senserat; gloriosámque moriens suæ castitatis palmam reportabat: at subinde, cùm suæ familiæ, totíque populo obiecta turpissimi flagitij argueretur, immò verò ab ipsismet iudicibus quamuis falsò, & atrociter conuinceretur, eáque de causa domestici, & familiares sui ad fœdum illud, & insperatum facinus pudore suffunderentur, quia nihil quod turpitudinem oleret, de ipsa vnquam audierant, sic enim vers. 27. *erubuerunt serui vehementer, quia nunquam dictus fuerat sermo huiusmodi de Susanna*, non potuit quidem ad hunc ignominiæ, & respersæ labis rumorem non dolere, & deperditum apud suos bonum nomen, & famam qua sola sydera adibat non grauiter complorare. sic id censente Ambrosio lib. de fuga sæculi cap. vltimo. *Plorauit itaque cùm crimen obijceretur, plorauit cum sibi de pudica, & casta adulteri iudicium vendicarent, non mortem deplorans sed castitatis calumniam.* Sic Ambros. sanè ac si de-

Ambros.

nigrata illa fama, diuinum quodammodo splendorem, & claritatem amisisset. 7.

Quæ huc vsque diximus, boni nominis pretium, famæque pulchritudinem commendant, iam vt ad Pauli monitum, iuxta ea quæ in literæ expositione diximus, vt nimirum nihil quod lædat famam nostram suscipiamus, nec illam integro tantum, sed etiam sapienti pudore curemus habere propitiam, propiùs accedamus, quomodo bonæ existimationi, & nomini fuerit consulendum, alibi ipse sapienter monet: nam cùm 1. ad Thessal. c. 21. dixisset, *omnia probate, quod bonum est tenete*: subiecit, *Ab omni specie mali abstinete vos*. siue vt apud OEcumenium, & alios legitur, *ab omni specie mali*, pro quibus sanctus Clemens Romanus libro secundo constitutionum Apostolicarum reposuit, *Fuge malum, & quidquid speciem, & similitudinem mali habet*. ac si dicat: Nec contentus fuero, si ab omni turpitudine atque flagitio manus vestras colibueritis, nisi etiam diligenter caueatis quidquid mali speciem, & suspicionem habeat, etiam si per se malum non sit: præclara quidem, & Pauli sapientia digna parænesis, ad eos admonendos, qui dummodo peccatum interiùs non suscipiant, de externa cure, & nomine, siue de aliorum suspicionibus, & rumoribus, in quos scientes, & volentes impudenter incidunt, nihil curant, cùm tamen minimè honestum decénsque sit, vitij cuiuspiam suspicione laborare, vti Gregorius Nazianzenus in oratione *aduersus mulieres ambitiosius sese exornantes*, sic docet. *At prorsus à vulneribus tuta es? Credo equidem, sed ne hoc quidem pulchrum, atque honestum mihi videtur, inanis vitij suspicione laborare.* Sic Nazianzenus, & in eum ibi Scholiastes Nicetas. *Neque enim causam cuique dare debemus famæ nostræ obtrectandi inde sapienter nos admonet Paulus, vt bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus prouideamus.* Hinc equidem Nepotianum sapientissimus Hieronymus præmonebat, vt ab omni suspicione, quæ ex fœminarum familiaritate oriri quouis modo posset, longiùs fugeret, audi prudentissima verba. *Omnes puellas, & Virgines Christi aut æqualiter dilige, aut æqualiter ignora, caueto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita*: vt dicere videatur. Ne tibi minus solertiæ ad deuitandum, quod fingi potest, quàm malè volo cuipiam ad fingendum, & calumniandum subsit.

1. ad Thess. 5. 21.
OEcumen.
S. Clemens Romanus.
Nazian.
Hieronym.

8. Dixeris sanè non aliunde quàm è Dei sapientiæ pharetra id consilium esse, dicceptauimus alibi ex Patribus cur Dominus carnem pro nostra salute suscepturus, desponsatam virginem sibi in matrem elegerit? cùm eius diuinitati hominibus persuadendæ aptius esset, & opportunius ex innupta virgine nasci, vt tanto miraculo hominum mentes perculsæ de cælo ipsum descendisse faciliùs crederent, & verò ad hunc coniugatæ matris lapidem Iudæi non leuiter offendebant: sic enim apud Ioannem capite sexto versu quadragesimosecundo. *Nónne hic est IESVS filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? quomodo ergo dicit hic, quia de cælo descendi?* vnde, & illi maligno alibi actu fratres, sororésque ei obiiciebant, vt à diuinitatis fastigio, in quod illum matris virginitas afferebat, omnino deponerent; hunc in modum ea verba apud Matthæum capite decimotertio. versu quinquagesimosexto. *Nónne hic est fabri filius? Nónne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas? Et sorores eius nónne omnes apud nos sunt*, persuadente Paschasio libro

Ioan. 6. 42.

Paſchaſius. bro ſeptimo in Matthæum : *callidè fratres ingerunt, & oſtendunt ſorores, vt aut patrem aliam habuiſſe vxorem confingant, aut numeroſior partus ſanctæ matris infametur, vt virginitas ſancta lateat, obſcuretur integritas, & ſentiatur totum de Chriſto quod humanum eſt, nihil quod diuinum.* Verùm enim verò aliter optimo merito Dei filio viſum eſt, & vt matris coniugum ſuæ diuinitatis exiſtimationi tantiſper derogaret, periculoſiorem illum & magis metuendum cenſuit ſcopulum, ſi ipſa ferens vterum innupta, ac hominibus impudica crederetur, vti adnotauit Ambroſius libro ſe-
Ambroſ. cundo in Lucam his verbis : *& bene vtrumque poſuit Scriptura, vt & deſponſata eſſet, & virgo. Virgo, vt expers virilis conſortij videretur : deſponſata, ne temeratæ virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptela videretur inſigne praeferre. Maluit enim Dominus aliquos de ſui ortu, quàm de matris pudore dubitare* : ſubiicit pulchram rationem : *ſciebat enim teneram eſſe virginis, & lubricam famam pudoris, nec putauit ortus ſui fidem matris iniuriis adſtruendam.* Hæc Ambroſius vt videris ipſammet Dei ſapientiam, quidquid probabiliter fingi potuit, ne fingeretur ante deuitantem : ſumant ergo id ſibi monitum virgines, & quod Hieronymus Saluinæ in
Hieronym. epiſtola ingerebat, audiant, ſic enim ille : *Tenera res in fæminis fama pudicitiæ eſt, & quaſi flos pulcherrimus citò ad leuem marceſcit auram, leuique flatu corrumpitur, maximè vbi ætas conſentit ad vitium, & maritalis deeſt auctoritas.* Sic ille.

9. Ergo ſi ſapis, & filius lucis es, non tantùm ab omni malo, ſed etiam ab omni mali ſpecie, & ſimilitudine abſtinere debes, nec aliter Deo placere credideris, niſi vt lilium colorem, & odorem habueris, quo bonis etiam hominibus placeas, vitij ſuſpicionem aliis non feceris : quare rurſus Paulus ad Epheſios capite quinto,
ad Epheſ. verſu octauo, filios lucis ſic admonet : *vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate* : vbi proculdubio ea phraſis, *vt filios lucis ambulare*, ad præfatam lilij imaginem, præclarámque iuſtorum conuerſationem ſpectat : quod ex Dei beneplacito in lilij odore maximè acquieſcentis ſic ſtatim confirmat. *Probantes quid ſit beneplacitum Deo.* quæ verba Hieronymus in
Hieronym. commentario ſic elucidat. *Omnia facienda cum conſilio, vt cautè, atque ſollicitè ea tantùm, quæ ſcimus Deo placere, faciamus in morem prudentiſſimi trapezitæ, qui ſculptum numiſma non ſolùm oculo, ſed & pondere, & tinnitu probat.* optimè. Premè illa *cum conſilio, cautè, ſolliciti*, quæ ad circumſpectionem ſignatè pertinent ; ſed id notantiſſimè obſeruandum, & *tinnitu probat* : quaſi ea ſolùm probet Deus, quæ non tantùm oculis, & reipſa, ſed ſonitu etiam ipſo, boni ſcilicet nominis, famæque rumore probantur, nec ſufficiat ea opera agere, quæ mala non ſunt, ſi alioquin malè ſonant, malè audiunt, mali ſpeciem præ ſe ferunt. Cauebatur Dei lege, ne qui falſa idola debellaſſet, & iuſta indignatione confregiſſet, aurum ſiue argentum, ex quibus illa conficta erant in Domum ſuam induceret : ſic namque Deuteron. capite ſeptimo,
Deut.7.25. verſu vigeſimoquinto. *Non concupiſces argentum, & aurum, de quibus facta ſunt, neque aſſumes ex eis tibi quidquam, &c. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt.* Sed qua ratione ? Num, quod indecens, aut inhoneſtum foret, eo vti auro, quòd priùs ſacrilegio inſeruiiſſet ? Non quidem, cùm illud in domum Dei inferre omnino liceret, vt conſtat Ioſuæ capite ſexto, verſu decimonono, ita ibi clamante oraculo. *Quidquid autem auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius* : ſitiebat ne aurum, argentúmve Deus ? & quod vetabat homini, ſibi aſſumere volebat ? Non opinor. Cur ergo ? vis noſſe ? Audi Auguſtinum epiſtola 154. ad hanc interrogationem à Publicola viro docto epiſtola 153. inter alias propoſitam ſic reſpondentem : *Cùm templa, idola, luci, & ſi quid huiuſmodi data poteſtate euertuntur, quamuis manifeſtum eſt, cùm id agimus, non ea nos honorare, ſed potiùs deteſtari, ideo tamen in vſus noſtros priuatos duntaxat, & proprios non debemus inde aliquid vſurpare, vt appareat, nos pietate iſta deſtruere, non auaritia* : egregiè, vt conſentiens cum Hieronymo dixerit, non ſolùm oculo, ſed & pondere, & tinnitu opera noſtra probanda, & cùm duplex ratio ſiue color ; alter ad vitium reſpiciens operi noſtro ſubeſſe poteſt, debere nos omnino curare, res noſtras ſic ducere vt à mali ſpecie abſtineamus ; ne improbo conſilio ducti agere credamur : id enim ſibi vult Auguſtinus dum ait ; *vt appareat nos pietate iſta deſtruere, non auaritia.* Ioſue 6.19. Auguſt.

Huc etiam facit, Leuitici canone ſacerdoti fuiſſe olim præſcriptum, ne fæminam ab alio viro repudiatam in vxorem acciperet ; Leuitici 21. 7. *ſcortum, & vile proſtibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata eſt à marito.* Sed cur repudiatam à marito cum ſcorto coniunxit, vt vtriuſque coniugium ſacerdoti interdiceret ? Nónne leui, immò, & nulla ſæpiùs de cauſa marito ſolet coniux vſque ad ſatietatem, & nauſeam diſplicere ? atque hinc eas illi tendere inſidias, fraudéſque moliri, quæ repudij libellum implere, & adornare poſſint ? ita quidem ; at enim optimo merito oraculi ſenſus ſubſiſtit, quod vt illa ad legitimè nubendum idonea, & viro ingratiis forſan, nec iuſta de cauſa fuiſſet repudiata ; quia tamen repudij libellus bonam ſuperſcriptionem, & nomen habere non ſolet, ſed potius repudiatæ fæminæ, non nihil ſordium, ſiue ſordidi rumoris adhæret ; ſacerdoti minimè videretur decens, aliorum ſuſpicionibus ſeſe ingerere, & bono nomini, & famæ ſuæ derogare, immò verò, & à malo, & à mali ſpecie abſtinere vti ad id loci ſic diſertiſſimè adnotauit Procopius. *Non enim ſolùm ſacerdotis eſt vt fugiat manifeſta mala, vt ſcortationem, ſed declinet illa mala, quæ famam noſtram ſugillant ; ſiquidem ſuſpecta eſt mulier repudiata.* Sic Procopius. 10. Leuitici 21.7 Procop.

Ad ea verba, *Hæc cogitate.*

ADNOTATIO III.

Magnum ſalutis noſtræ momentum in eo verti, quòd ſpiritualia cogitare, & ſuis ponderibus examinata temporalibus bonis opponere didicerimus.

RECTE omnino aſſiduam virtutum cogitationem diſcipulorum cordibus iniecit Paulus, quòd à cogitatione, ſiue mente animus formetur : & vt è mala mente malus animus, vt dicebat parœmia, à bona bonus. *Omnia amamus, omnia colimus* ; (dicebat dolenter I. Saluian.

dolenter Saluianus lib. 6. de gubernatione Dei) *Solus nobis in comparatione omnium Deus vilis est.* Quare quia omnia mũdana cogitamus,& in animis nostris assidua ratiocinatione voluimus;atque versamur: Dei autẽ, & beneficiorum ipsius obliuiscimur; contra verò aiebat Regius Psaltes Psal. 118.
Psal. 118.30 30. *Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus*, iudiciorum Dei memoriam, instantem, vrgentémque rationem ad veritatis viam amplexandam adstruens; ac si diceret, ideo se vera, mansuráque bona elegisse. & falsis, atque caducis mundi rebus renunciasse, quòd Dei retributionem,siue præmia, ac supplicia pro singulorum meritis reddenda iugi cogitatione meditaretur: scitè id ad hæc verba expendente Origene apud Agelliũ hunc in modum.
Origenes. *Hæc quisnam dicet? qui contemnit ea quæ videntur, spectátque ea, quæ non videntur, vt æterna,& quæ vera propriè sunt: non enim via veritatis est,quæ ad gloriam, & diuitias terrenas tendit: illa verò quis quærit? qui iudiciorum Dei meminit, & retributionis illius, quæ pro ea rependitur.* Quibus in verbis illa primo obserua: *qui contemnit ea, quæ videntur:* quod hæc animo expelli non possint, nisi priùs contemnantur, vti ad cap. 3. vers. 8. adnotat. 11. num. 6. adstruximus ex illis Samuëlis verbis 1. Re-
1. Reg. 12.3. gum 12. 3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusque tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem; si de manu cuiuspiam munus accepi; & contemnam illud hodie; vobísque restituam:* vbi bonus senex argutè rerum contemptũ ante illarum restitutionẽ posuit; quasi non antea ab animo auelli queãt quàm diuina lege cordi altè infixa iudicium ferente contemnantur, & præ virtutis præstantia pro nihilo ducantur: iam verò quónam modo, quandóve hæc contemnantur, bene ostendit ex Vate Origenes, inquiens, *spectat ea, quæ non videntur, vt æterna, & quæ vera propriè sunt*; & subinde: *iudiciorum Dei meminit, & retributionis illius, quæ pro ea rependitur.* Sanè quòd vera bona rectè expendere, momentísque omnibus examinare, & illorum firmitatem, & æternitatem in animo voluere, & temporalium inanitati, falsitati, ac vanitati tanquam militem militi in acie opponere didicerit: ab hac enim assidua cogitatione, & in spiritualium bonorum meditatione tam in ipsorum amorem, quàm in terrenorum contemptum opportuno, ac generoso impetu assurgit, & inardescit animus.

2. Cant. 8.6. Hieronymus. Hinc egregium illud Christi ad sponsam suam monitum Cantic. 8. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum*,siue vt Hieronymus in vltima clausula epistolæ 22. ad Eustochium legit. *Pone me sicut vmbraculum in corde tuo:* quòd si inquiras, quo sensu Christus vt signaculum, siue vt vmbraculum super sponsæ cor fuerit ponendus? Respondebo ex Paulo sententiam esse. *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate:* Ni-
Matt. 15.18. Luc. 24.38. mirum cùm, & *de corde exeant cogitationes*, Matth. 15. 18. & aliunde in illud ascendant Lucæ 24. 38. monet his verbis sponsam Dominus, vt ipso tanquam sigillo cor, mentem, animum communiat,ne illum sæcularium bonorum cogitationes intrent, sed in sponsi pulchritudine cogitanda, & beneficiorum memoria refricanda atque in cœlestium bonorum meditatione tota versetur. Et si aliũde pompatum, siue voluptatum mundi cogitationes occurrerint, quæ ipsam ad illarum amorem æstu quodam inflammen; statim ad sponsi memoriam, & futuræ retributionis meditationem tanquam ad vmbraculum, quod externarum cogitationem ardorem temperet, se totam recipiat: vt spirituales, ac cœlestes cogitationes, terrenis, ac sæcularibus opponens illarum vim repellat, & superet. Id sic inibi adnotante Hieronymo: *Quotiescumque te vana sæculi delectauerit ambitio, quoties in mundo aliquid videris gloriosum, ad paradisum mente transgredere, esse incipe quod futura es: & audies à sponso tuo*, Pone me sicut vmbraculum in corde tuo, sicut signaculum in brachio tuo, *& corpore pariter, ac mente munita clamabis, & dices.* Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, & flumina non operient eam. Sic Hieronymus. Nec alio sensu Chrysostom. homilia 8. de pœnitentia monebat. *Tu verò cùm mulierem videris formosam, splendentem oculis, ornatam stola, libidine titillantem, desiderantem visum: respice desuper stantem coronam, quo tale spectaculum prætereas, vidisti conseruum? Dominum considera, atque omnino morbum curabis.* En Christum signaculum siue vmbraculum in corde; quando sæcularia in illo bona resplendere siue ardere gestiunt. Hieron.

Ad quem etiam modum variata quidem, siue contraria imagine eodem vero sensu signaculum in corde Christus à Vate inducitur, cùm ad obscurandas, siue minuendas mundi vmbras velut Sol in medio cœli splendere ardereque sic dicitur. Psal. 3.
18. 7. *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius.* Quæ sanè verba non dubium quin de Ascensione Domini in cœlos, cùm velut Sol qui in meridie in altissimo cœli puncto conspicitur, super cœlos cœlorum eleuatus est, commodè cum Leone Magno sermone 1. de Ascens. Gregorio homilia 29. Irenæo libro 4. cap. 66. Iustino in colloquio cum Tryphone acceperis. In qua sanè similitudine duo obserues: alterum Solem in Meridie, siue in summo cœli cùm ad nostrum Zodiacum, hoc est, ad id cœli punctum, quod nostris capitibus directè respondet, peruenit; tanta claritate, ac lumine corpora circumquaque illustrare, vt nullas ipsa vmbras faciant, sed quæ ab illis antea maiores, minorésque cadebant, paulatim implicatas, atque contractas ad ipsamet corpora se recipere quasi à Sole omnino absumantur: alterum, vsitatissima in Scripturis phrasi sæcularia bona vmbras appellari; ita Psal. Psalm. 18.7. S. Leo. Gregor. Irenæus. S. Iust.
143. 4. *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt:* vbi dies non solùm de tempore, sed de felicitate, & secundis rebus capi debent, sic inibi adnotante Chrysostomo: *id autem considera in rebus ipsis, eos apud te cogitans, qui sunt auctoritate præditi, qui magistratus gerunt, qui in carcerem coniiciunt, &c.* & Sapientiæ 5. 8. *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbra, &c.* vbi Græcè pro *vmbra* est σκιά *adumbratio; inanis pictura, larua:* & quidem rectè, cùm hæc omnia vna ex parte inania, & falsa sint, quibus nihil veri, aut solidi subsit, ex alia verò exteriùs mouere se, & tanquam vmbra aliquid esse videantur: vnde sanctus Iob de dæmonis fraudibus, & obumbratione; qua falsis bonis hominibus imponit, signatè ait cap. 40. Psalm. 143.4 Chrysost. Sapient. 5.8
17. *Protegunt vmbræ vmbram eius:* id est, fraudes, & technas, quibus miseros homines decipit, vmbris temporalium bonorum tegit, atque occultat; quasi vera illis, & subsistentia bona in animarum pretium tribuat. Iam in Sole in summo cœli puncto, siue in meridiano eleuato, Christum Dominum vt in cœlis ascendentem: ita ad illorum gaudia nos inuitantem, eáque nobis ob oculos Iob 40.17.

pro

proponentem considera, Apostolo doctore. Habemus *spem incedentem vsque ad interiora velaminis: vbi præcursor pro nobis introiuit* IESVS, ad Hebræos 6. 19. & Leone Magno sermone 1. de Ascensione, monitore. *Quò præcessit gloria capitis, eo spes vocatur, & corporis*. Hinc verò temporalium bonorum vmbras euanescere, contrahi, absumique facile videris. Nam in illa claritate Solis, quod poterunt scintillæ, immò nebulæ habere momentum. Sic dicebat Fulgentius epistola 6. ad Theodorum de conuersione. cap. 4. *Quis non illius vitæ desiderio præsentem despiciat? quis non illius abundantia de electamento diuitias temporis labentis exhorreat? quis non illius regni dilectione omnia terrena regna contemnat*. Et Gregorius Magnus satis apposité ad vmbrarum præ Solis fulgore euanescentium imaginem: *Inardescit in cœlestibus animus, nihil in terris libet: deformè conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosa margarita claritas refulget in mente*. Breuissimè verò, & plenissimè Tertull. lib. 1. ad vxorem cap. 4. *Cœlestia recogita, & terrena despicies*. Sic Patres.

4. Enim verò hanc nobis cogitationem de assidua virtutum & cœlestium rerum cogitatione animo voluenda, & infigenda, vt inde nobis terrenarum rerum vmbræ euanescant, nihilque in terris libeat, sed vt deformia, & vilia contemnamus pulchrè nobis suo exemplo iniecit Regius Vates cùm Psalmo 36. 35. post illa verba, *vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani*, subiicit: *& transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*. Quæ sanè verba, vt sæpiùs à nobis aliis ex Patribus elucidata fuerint, valde opportunè modò ex Origene ad id loci pensitabimus. *Vidi impium*, inquit Vates, *& ecce non erat* si non erat, quonam modo illum videre, nec videre modò, sed etiam vt omni florum, & fructuũ huius sæculi ornatu abũdantem mirari potuisti? Si vidisti, & oculis non lippientibus intuitus es, quomodo nõ erat: sanè & ille erat, & exaltatus erat & omni felicitate, & prosperis successibus eleuatus erat, & *ecce non erat*, quia transiuit mente Vates, & sedula, accuratáque cogitatione vera, cœlestia, & æterna bona, quæ non videntur, iis temporalibus, & euanescentibus opposuit. Audi Origenem. *Propterea nunc sermo diuinus ex persona iustorum dicit: Vidi impium non solum exaltatum, sed superexaltatum, & eleuatum non super arbores qualescumque, sed super cedros Libani: & vt arbor excelsa nimis sit, & locus montis cunctis excelsior: & tamen videns hæc omnia*, transiui, inquit, & ecce non erat, *Cùm videmus extolli impios & in nimiam superbiam crescere, transeamus, & nos mente, & intellectu ab his, quæ videntur, & temporalia sunt, & transferamus sensum nostrum ad ea, quæ non videntur, & æterna sunt. Cogitemus temporalia hæc esse, & paucorum dierum quæ videntur elata: intueamur iudicij diem, & ita sensu nostro cernemus eum, qui superexaltatus est, & elatus sicut cedrus Libani, in die iudicij omnino non esse*. Nec ad illum vsque diem mentis iudicium extendas, quasi tunc non sit futurus, sed nunc sit, atque existat, id enim assiduæ cogitationis vis efficiet, vt nec modò eum subsistere, aut aliquid esse cognoscas: nam si tũc, quando maximè expedit esse, quippe inde æternitas assurgit, futurus non est, nec modò esse siue aliquid valere dicendus est. Quare sic statim Origenes. *Quod, & si tu imitator es Dei, & imitaris Christum, non expectas quousque iste elatus humilietur, & extinguatur, sed apud temetipsum, & in mente atque animo tuo transisse ea iam cernis, si ipse sensus, & mente transeat à præsentibus ad futura*. Adhibet per pulchrã imaginem: *Si nauigas, in naui positus vides terras, & promontoria, & montes transeuntia: non quod illa continuò moueantur, sed quia tu vento prospero flante trãsis, illa se subducere videntur, ac ferri; ita & in hoc; ergo, si sancto Spiritu tuo mentem tuam perflante, & spirante; secundo, & prospero nauiges cursu; pertransis sensu tuo omnia hæc quæ videntur, quia temporalia sunt; & intueris illa, quæ æterna sunt, sine dubio dicis, quia hæc omnia, quæ videntur, iam non sunt, quia nec futura sunt*. Scitè: vides, vt cogitatio cedros Libani euellit, & montes transfert.

Perdidicit hanc à parente doctrinam Salomon, eáque imbutus, assiduus nobis hac de re monitor insistit. sic namque primum Prouerb. 23. 31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro, color eius ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet*. Quæ verba, veterem modò consuetudinem meam, qua arcanos prouerbiis Salomonis sensus exhibere, & hucanos ... respuere soleo maxime retinens: minimi repentes ... capio de vino non aspiciendo, ne ab illius splẽdente, & scintillante colore ad bibendum homo pelliciatur: nec enim ea sententia Salomonis sapientia, & maiestate, aut phrasium, siue imaginum quas ipse vsurpat grauitate, & decore digna est: tanti ne fuerit in vitreo calice vinum videre, vt inde ad illud tam effusa intemperantia ebibendum, vt veneni instar sit, cordatus homo inflammetur. alia quidem Salomoni mens, altior illi propositus scopus, nimirum ipse sub vini imagine in vitro rubescentis noxias voluptates, & blandas carnis concupiscentias fucatam speciem, & ementitam pulchritudinem, ostendentes signatè intelligit, & ab assidua cogitatione, qua in illarum dulcedinem mentis oculos defigimus, nos auertere conatur, ideo notanter coloris flauescentis & in vitro, à quo vires accipit, splẽdentis meminit, & vsus est quæsito verbo, *intueor*, quod acri & intento obtutu videre significat: nam, vt Corn. Front. in lib. de differentiis vocabul. docet, *intueor* à video, aspicio, specto, & cerno differt, *quod videmus natura, aspicimus ex improuiso, spectamus voluntate, cernimus animo, intuemur autem cura*: apertè monens, sapiens duos voluptati colores: siue duas facies inesse, alteram lætam, qua venit, alterã mœstissimam, qua definit ac proinde minime in illius speciem, & sese oculis offerentem pulchritudinem, sed potius in extremum dolorem, atque perniciem, quam in fine affert, esse contuendum, quo sanè modo Chrysostom. homilia 3. de Ozia tomo 1. expendit ea eiusdem Salomonis verba Prouerb. 6. 25. *Ne concupiscat pulchritudinem eius cor tuum*; siue, vt ipse legit, *Ne cognoscas pulchritudinem alienam*, vim faciens in verbo cognoscendi, siue considerandi, ad hunc modum. *Non dixit, ne videas, id enim nonnumquam casu fit, sed ne consideres* (inquit) *illud tollens, ne studio animaduertamus, ne curiosè intueare, ne vitiosa contemplationi immoreris. Proinde specta temporariam illam, quæ ex aspectu proficiscitur voluptatem, sed perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex concupiscentia*. Hæc Chrysostomus. Sunt verò hæc extrema de dolore voluptati perpetuo subsecuto aptanda pro commentario illis Sapientis verbis, *& in nouissimo mordebit vt coluber, & quasi regulus venena diffundet*. Nam in Hebr. explicatiùs habetur, *sicut regulus dolore afficit, &c.* At enim id sic optime diffundit sanctus Zeno Veronens. martyr in sermone de præcepto. *Attende tibi*, vbi cùm dixisset: *si quando verò obscœnæ concupiscentiæ illecebrosis animam suggestionibus vi vexant, & præcipitem eam in luxum libidinis rapiunt, si attendas tibi, & recorderis huius præcepti, inuenies, quia præsens ista dulcedo libidinis ad finem amarissimum vergit, & iste, qui nunc carni nostræ incubat, luxus generabit ex se peruigilem suppliciorum vermem,* perpetua

Hebr. 6. 19. | Fulgentius. | Gregorius M. | Tertull. | Psal. 36. 35. | Origenes. | Prou. 23. 31. | Corn. Front. | Chrysost. Prouer. 6. 25. | Hebr. lect. S. Ze. M.

perpetuæ vltionis conscientiam fodientem, sed & calor iste desiderij carnalis, feruorque libidinis temporalis æternum gehennæ ignem, & vltricium flammarum perpetua promulgabit incendia; subiicit statim. *His cogitationibus mente conceptis libido quidem penitus effugata discedet; admiranda vero quædam quies & tranquillitas animæ reparabitur veluti si inuerecundarum; proteruarúmque tumultus ac strepitus famularum per aduentum, & præsentiam grauis, ac seuera dominæ comprimatur.* Hactenus ex Zenone.

6. Sed adhibitam iis verbis: *Ne intuearis vinum quando flauescit,* expositionem mirè firmant, quæ inibi sic immediatè subiicit Salomon, *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa:* pro quibus LXX. habent: *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquatur peruersa,* & aliquanto clariùs S. Nilus in Ascetico, *cor tuum loquatur aduersa:* vt maior præcedentis sententiæ expositio; & explicatior parænesis, siue adhortatio sit: monens Sapiens adstantibus voluptatibus, & temporalium bonorum nitore, & splendore sese oculis ingerentibus, ab illorum obtutu auertendam aciem, siue cogitationem, & ad ea quæ peccatorum iucunditati connexa sunt, & in futuro sæculo à Deo vltore retribuuntur; æterna videlicet supplicia, horribiles flammas, seram, ac proinde amarissimam pœnitentiam; dirum, & insatiabilem vermem atrocissimè pungentem, & præcordia indesinenter dilacerantem, transferendam, vt hæc cogitatio quasi clauus clauum priorem trudat, & ab animo quàm longissimè pellat: hæc scitè adnotante S. Nilo in Ascetico,

S. Nilo. vbi cùm dixisset. *Idcirco fores templo reticulatas legislator instituit, significans legislator, eos, qui mentis suæ templum purum seruare volunt, quemadmodum illud cancellatis foribus instructum erat ne quid immundum ingredi posset, sic ipsos obstacula sensibus præponere oportere, nempe horrenda futuri iudicij monumenta, quæ species, ac imagines rerum impuras ingressu prohibeant:* statim ad hæc Salomonis verba stilum vertens subiicit. *His cancellos visui præfixit Salomon, inquiens:* Cùm oculi tui viderint alienam; tunc cor tuum loquatur aduersa: *aduersa vocat ea, quæ in tempore retributionis sunt euentura. Hæc enim rectè considerata prohibent omnem periculosum oculorum obtutum.* Obserua id, *rectè considerata:* nam, vt post modum videro, hinc omnis mali labes; quod virtutis bona, egregiáque merces, nec non vitiorum mala, æternaque illis respondentia tormenta non rectè perpendantur, suisque momentis atque iustis ponderibus librentur: sed quàm conformia his sunt quæ Gentilis Epictetus in suo Enchiridio cap. 56. Philosophico, & pænè Christiano sensu sic admonet: *Si voluptatis alicuius imaginem animo conceperis, moderare tibi, ne ab ea monearis, sed & rem examina, & tibi ipsi præbe deliberandi spatium: deinde vtriusque temporis momenta, tum eius, quo voluptate frueris; tum eius, quo perceptâ iam voluptate dolebis, teque obiurgabis.* Sic ille.

7. At enim verò, quòd egregius sit præfatus Salomonis locus, & huic rei opportunissimus, non possumus non in eo paulisper immorari, & rursus ex originibus premere illa verba; *cum splenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè:* etenim ex Hebræo Pagninus legit, *cùm dederit in calice colorem suum, vadit in rectitudinibus:* vbi rursus non sine stomacho explodimus (& nos quidem

Caietan. iure, ac sine rubore, qui *οἰνοφόβοι*) Caietani, & eorum expositionem, qui ad sonum renum se exercentes, & de vico ac ebrietate hæc interpretantes, oculos vini pro illius perspicuitate, viuacique colore sumunt, & *directè ingredi*, siue *rectà vadere*, pro *rectà in fauces influere:* siue *percolare*, vel pro, *rectà in faciem vibrari:* Hispana phrasi *saltarse a los ojos.* capiunt; hi etenim explicandi modi, vt abiecti, & veluti è vinaria cella extracti, ita à Salomonis sapientia longissimè ire videntur: quid ergo est? *Cum dederit in calice colorem, siue oculum suum, ambulabit directè* vis nosse? Idem profectò, ac diuinum illud Christi monitum, *quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te,* Matth. 5. 29. vtraque si quidem verba eò eunt, vt illecebrosa voluptatum, & peccatorum fallacia deprehendatur: hæc enim fucatum colorem suum & superficie tenus venustam faciem, alterúmque ex oculis, quem, dextrum, felicem scilicet, & prospera promittentem, esse mentiuntur, insipientibus ostendunt: *spargit* enim (inquit Ambros. lib. 1. de

Ambros. Abel. & Caim cap. 4.) *odores suos voluptas, quæ Christi odorem non habet, thesauros demonstrat, regna promittit; amores spondet continuos, inexploratos concubitus pollicetur, sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine sollicitudine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem.* Iam, quid cum vino hoc colorem suum, siue oculum: qui directè ambulet, blandáque promittat in calice dante, siue cum oculo, qui dextra solum, & felicia demonstrat cùm reuera sinister, & infelicissimus sit, agere debeamus, ita à Domino monemur, *erue eum, & proiice abs te:* hoc est, eam noxiæ concupiscentiæ cogitationem, quæ dextram se simulat, & blandis ac suauibus promissis scandalizat te, ab animo tuo statim expelle, certò tibi persuasus adeò non esse id dextrum, vt potiùs ad sinistrum iudicis latus, in quo horribiles illæ insonant voces, *Ite maledicti in ignem, æternum,* Matthæi 25. 41. te collocaturum sit; sed hæc omnia meliùs disces à S. Laurentio No-

Matth. 25.41. S. Laur. Nou. uariensi hom. 1. *de pœnitentia:* vbi cùm præmisisset, *An non cognouisti, quemadmodum anima (non dicam sæpe, sed semper) captiuatur in aspectu? vnde auaritia insinuatur, vnde libido incenditur, nisi de corporali aspectu? Vidisti laqueum portem? nec immeritò scriptum est:* nequius oculo quid est factum

Eccli. 31. 35. homine? Eccli. 31. 35. &c. *Has namque insidias corporales, hos laqueos singulorum membrorum de corpore eruendos sententiis suis decernit Saluator,* si oculus tuus dexter, si manus tua, vel pes scandalizat te, *id est, animam tuam diuina desiderantem, cælestia cogitantem deprauant, si laqueis suis te implicant, aut fraude suâ nituntur visus eruere: abscinde non manum, aut pedem, sed pestilentiam tibi per hæc membra, morbúmque illatam,* vt Christi verba sub sensu quem dedimus elucidet, sic subiicit; *quamobrem dictum est:* si oculus tuus dexter te scandalizat, *&c. nisi quia omne quod bonum est, dextrum dicitur, similiter malum appellatur sinistrum! & est pars dextra, & est pars sinistra. Dextra suos retinet probatos, sinistra suos æquè reprobatos;* & post nonnulla: *quid igitur si oculus tuus dexter scandalizat? disce, quid est, quod quando committis peccatum oculo tibi ministrante, dulce tibi, & dextrum videtur. Et dextrum hoc tunc corrigitur in sinistrum, quando residente Domino, & discutiente peccata, caperis inter multos alios; & ipse audire:* discedite à me maledicti, *peccatores in iusti,* in ignem æternum. Hæc omnia ex S. Laurentio.

Mirè verò huic cogitationi congruit, quod rursus idemmet Salomon Prou. 4. 25. sic monuit. 8.

Prou 4. 25. *Oculi tui recta videant; & palpebræ tuæ præcedant gressus*

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

gressus tuos. Vbi iure ambigas, cur recta videre præscribat Sapiens? Num in manu mea fuerit, recta esse, quæ video? Quid si illa reapse distorta, & inflexa sint: intuitu ne meo ea dirigere, & recta facere; quî verò? certè quæ ad subiectum proprium attinet, iure homini, dum aspicit, præscribantur; secus verò quæ ad obiectum; ideo rectè potius quàm *recta* videre, dixeris fuisse admonendum. Subsistit tamen Salomonis locutio; nec rectè tantùm, sed recta videre optima ratione monet, sed quare? Respondet Ambros. lib. de bono mortis cap. 9. *Vidistis meretricem, captus es vultu eius, & formâ decoram putasti: errauerunt oculi tui, peruersa viderunt; aliena nuntiauerunt:* verùm huic Ambrosij sententiæ æquè possis repugnare: cur enim animo non renuntient oculi, pulchram, atque decoram, eam, quam Deus formosam fecit? Quis hic oculorum error fuerit, quod re vera pulchrum est, pulchrum videre? explicat se statim Ambrosius: *Nam si verè vidissent,* (oculi) *vidissent deformem meretricis affectum; inhorrentem procaciam, indecentem impudicitiam, marcentes libidines, tetram colluuionem, animæ vulnera, conscientiæ cicatrices.* En cur errauerint oculi, & aliena, ac falsa de meretricis forma nunciauerint: nimirum non ad externam rei cutem, quæ pulchra, dextráque videbatur, sed ad interiorem animi faciem; ad peccati fœditatem, ad vindictam crimini respondentem intueri debuissent; ac proinde nihil inibi videre pulchrum, nihil gratum, nihil dextrum, sed omnia fœda, turpia, & horrentia. Recta ergo videre à Sapiente monemur quod quæ sese nostris oculis ingerunt, suis momentis examinare; & animo non nisi quod ab illis rectum dextrúmque, resultat; peccati videlicet turpitudinem, virtutísque decorem, & præmia, siue supplicia iis respondentia nunciare debeamus: hinc námque fiet, vt non modò rectè videris, sed etiam illud ipsum, quod in se obliquum, siue distortum est, rectum videris, siue cognoueris, dum cogitationem, & affectum eò ducis, vbi non exterior rerum facies, sed veritas, & rectitudó vocauerint: quare illico Ambrosius adductis Domini verbis. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo,* Matth. 5. 28. sic subiicit. *Vides quòd iste falsum quæsiuit, qui non veritatem, sed adulterium requisiuit; videre enim quæsiuit vt concupisceret, non vt verum cognosceret: errat igitur oculus, vbi errat affectus. Affectus ergo deceptio, est deceptio visus.* Sic ille; qua sanè ratione is, qui diuite illo, *qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè;* & mēdico Lazaro, *qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis;* (Lucæ 16. 19. & 20.) externis oculis visis; voluptarium illum, tum diuitem bene pastum; delicatéque vestitum, tum felicem, ac beatum; Lazarum verò, & famelicum mendicum, vulneribus saucium, & infelicem intueretur, atque id animo renunciaret; erraret quidem, ac vehementer erraret; nam si rectè, rectáque vidisset, diuitis opus, delitias, fastum, vegetámque valetudinem, inopiam, famem, inanitatem, extremámque miseriam; Lazari verò vulnera, & nuditatem; purpuram, abundantiam, summámque felicitatem cognosceret: nam vt hic thesaurum in vase fictili habebat (2. ad Cor. 4. 7.) ita ille cui aureum calicem Babylonia meretrix propinabat (Ierem. 51. 7.) & purpura sua confouebat, Apocalyps. 17. 4. æternæ famis, & infelicitatis venenum perbibebat: hæc sapienter animaduertente S. Fulgentio epist. 2. ad Gallam *de statu viduali* cap. 9. hunc in modum: *Attende etiam duos; vnum in diuitiis, & sanitate miserum; alterum in egestate, & vulnere multum beatum: diues ille, qui induebatur purpurâ, & bysso, & epulabatur cottidie splendidè, quam inanis fuit in illis epulis! quam pauper in multitudine diuitiarum, quam nudus in pulchritudine vestium, quam infirmus in sanitate corporis, quam famelicus in saturitate ventris, quam miser in gaudiis, quam desolatus inter amicorum colloquia, quam deiectus inter obsequia seruulorum. Attende quoque Lazarum in paupertate diuitem, in miseria beatum; in infelicitate felicem in vulneribus sanum, & quidem sine domo, sed non sine Domino; sine veste, sed non sine fide, sine bonâ valetudine corporis, sed non sine robore charitatis; sine cibo, sed non sine Christo, canibus oppositum, sed socium Angelorum, qui non accipiebat de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, sed cælestem panem visceribus eructabat internis.* Hactenus Fulgentius.

Hinc certè aduersarij nostri technæ, & malæ artes dignoscuntur, & pereunt. Vis illas nosse, atque videre? Quo ergo modo cum ipsomet Domino, cùm eum tentare ausus est, se gesserit audi: *Ostendit ei* (inquit Matthæus cap. 4. 8.) *omnia regna mundi, & gloriam eorum,* ea illi pollicitatione facta. *Hæc omnia, tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Pende illud, *& gloriam eorum:* tecúmque considera, quot tunc in mundo calamitates, luctus, labores, bella, atque miseriæ sub externa illa gloriæ cute latitantia inessent, &, quod caput est, quàm acris sempiternæ gehennæ pœna illi responderet; & tamen his omnibus vndequaque contectis, & silentio pressis externam solùm rerum faciem callidus hostis ob oculos iecit; quippe qui noueras, eatenus vires, & efficacitatem suæ tentationi, & machinis subesse, quatenus illa solùm, quæ dulcia, & ad faciem iucunda, & grata sunt, ostenduntur, & considerantur, nulla vel leui eorum, quæ in contrariam partem propendent, mentione, aut propositione facta. Cui cogitationi appositè quadrat alia Salomonis sententia Prouerb. 12. 21. si tamen illam ex LXX. nec non ex Hebræo, & Chaldæo fonte hauseris: etenim vbi nos habemus: *Non contristabit iustum, quidquid acciderit ei; impij autem replebuntur malo.* LXX. alia omnino sententia reposuerunt. *Non placebit iusto quidquam iniustum:* Chaldæus verò, *Non erit pulchra iusto vlla iniquitas.* Nec multo aliter Hebræa lectio apud Caietanum. *Non parabitur,* siue *non condietur iusto omne iniquum,* vbi pulchris imaginibus aduersarij artes, & technas, quibus ad incautos decipiendos vtitur, æquè proponit, ac retegit Sapiens: lectioni enim LXX. & Chaldææ ea subest sententia; quæ prædictis verbis Ambrosij, *vidistis meretricem, & decoram putasti, errauerunt oculi tui,* optimè exprimitur: nam dum dicitur, *non placebit, non erit pulchra iusto iniquitas,* ea dubio procul imago à Sapiente depingitur, quâ fœda turpísque mulier ementita pulchritudine, siue adscititia forma, laruáque assumpta sese venustam atque decoram aspicientibus exhibere vellet, quæ quidem vt pueros, aut insipientes facile deciperet; ita à sapientibus, siue cordatis, qui eam intus, & in cute nossent, omnino irrideretur, & exsibilaretur: inde ergo egregium illud inter iustum & peccatorem; siue sapientem, & stultum dum hic peccatum amplectitur; ille verò repudiat, ostendit Salomon discrimē, quòd iustus illecebrosa peccati pulchritudine conspecta non modò non hæreat in externa; atque

Ambros. — Ambros. — Matth. 5. 28. — Luc. 16. 19. & 20. — 2. ad Cor. 4. 7. — Ierem. 51. 7. — Apoc. 17. 4. — 91 — Matth. 4. 8. & 9. — Prou. 12. 21. — LXX. — Chaldæus — Ambros.

atque fucata illius superficie ad eum modum, quo monebat Ambrosius lib. 1. de pœnitentia c. 13. *Bonus pudor, qui ipsos corporis oculos sic premere consueuit, vt sæpe non videamus etiam quod videmus; etenim specie aspicere videmus quidquid occurrerit, sed si non misceatur animi intentio, hic quoque secundum carnis officium noster aspectus euanescit; ita plus videmus animo, quam corpore, & si viderit caro ignem, non alligemus in sinu, hoc est, in secreto mentis, animique arcano. Non implicemus ignem, hunc ossibus, non ipsi nobis nodos iniciamus*; sed etiam ad internam, & veram rerum faciem interiores mentis oculos transferat, & tetram, atque execrabilem peccati turpitudinem, æternósque illi gehennæ cruciatus adhærentes attentiùs consideret, ac proinde illud vt maximè noxium, & exitiosissimum vehementer auersetur, & horreat: sic pulchrè dicebat Ambros. serm. 4. in Psalm. 118. *Terra ista quam gerimus meretricis nos quibusdam illecebris capit, & quasi vultus quosdam voluptatum, corporaliumque delectationum fucis illinit, vt lateat in his veritas, & forensi quadam specie decipiant appropinquantes: sed cum interiorem oculum mentis ad tempus abduxerint, postea tamen decusso velut quodam puluere voluptatum huiusmodi decore, quàm sit inanis gratia sæculi huius, aut corporis facile deprehenditur.* Contrà verò insipiens ad id solum, quod oculis pulchrum, iucundúmque florescit, attendat, & externa cutis venustate delinitus omnes cogitatus in vna corporis voluptate contemplanda, & exaggeranda, quin mentis aciem in cœlestia bona, siue æterna mala perpendenda defigat, stultè collocet; ita quidem S. Nilus in Ascetico eùm dixisset: *Quemadmodum enim turpe est, virum ætate prouectum in cinere, & puluere considentem puerilia describere, ita turpe, immò multo turpius est, eos, qui de rebus æternis perfruendis deberent esse soliciti, in rerum terrenarum puluere volutari*; scitè subdit. *Huius peruersitatis ea causa est, quòd iis, quæ cernuntur, nihil præstantius ducimus, neque ex præsentium, futurorúmque bonorum comparatione vilitatem illorum, atque horum præstantiam cognoscimus. Præsentium enim splendor nos capit, & mentis oculos præstringit. Nam sæpe fit absentia præstantiorum, vt deteriora pro illis habeantur in pretio. Quod si de futuris bonis gustum aliquem haberemus, haud ita præsentibus inhiaremus.* Hactenus ex Nilo.

10. Nec minorem elegantiam ea habet Lectio, quam ex Hebræo eruit Caietanus. *Non parabitur*, siue *non condietur iusto omne iniquum*, inest enim ei apposita condimentorum, siue obsoniorum similitudo, quibus acerbus, siue etiam noxius cibus magistra condientis manu dirigitur in dulcedinem saporis, vt velit Sapiens; homini iusto, nullo modo, nullâve ratione, siue nullo voluptatis, lucri aut honoris condimento peccati epulum appetibile fore, quippe qui norit, verè omnino dici posse de harum dapium coquo, siue conditione, quod de quodam iudice, cui cognomen erat *Cocus* ludens in lubrico nominis lepidè dixit non nemo,

Nescio concoquere hoc, iuris doctissime, quòd te
Iudice, vix vnquam ius liquidum fuerit.

Vt enim ille delitiarum suauitatibus peccata sic condiat, vt nihil illis dulcius, aut appetibilius appareat, eâque falsa illecebra stulti decipiantur, & pereant; at cùm sapiens æternæ damnationis amaritudinem illis adhærentem velut lethale virus in cibo absconditum consideret, non potest non ad illorum aspectum grauiter nauseare, atque vehementi odio fastidire; sanè de iis qui voluptatis, aut turpis lucri cupidine inescati peccata perpetrant, eleganter dixit S. Eusebius Lugdunensis orat. de SS. MM. Epipodio, & Alexandro. *Perinde est, si aliquem miraris impia, & iniqua per opes, & diuitias operantem: ac si quempiam videas inaurato, atque gemmato sibi poculo venena miscentem: an tu illum felicem vocas, qui infidelis, obscænus, cupidus & cruentus?* Opportunè illorum stultitiam carpens, quibus externus temporalium bonorum splendor oculos adeò præstringit, vt ad dirum veneni malum non attendant, & venientibus voluptatibus horrendos iudicij, & gehennæ exitus non opponunt: vnde S. Nilus post citata superiùs verba de cancellatis mentis floribus, quæ species, atque imagines rerum impuras ingressu prohibeant, lethalem Ochoziæ regis casum 4. Reg. 1. 2. subtiliter per allegoriam huc retulit ad hunc modum. *Ob id fortasse, & Ochozias ægrotauit, postea quam cecidit per cancellos. Pœnas enim futuri iudicij non meminisse in tempore tentationum, & in voluptates delabi, est è cancellis decidere. Quid autem hac ægritudine grauius?* Sic ille; sed de his alibi copiosiùs agimus.

Ambros. — Ambros. — S. Nilus. — Hebr. Lect. Caietan. — Eusebius. — S. Nilus. — 4 Reg. 1. 2.

VERSVS IX.

Quæ & didicistis, & accepistis; & audistis, & vidistis, in me hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum.

CHRYSOSTOMVS. *Hæc optima docendi ratio est, se ipsum in omnibus monitionibus formulam præbere, quemadmodum, & alibi inquit:* sicut habetis nos formam, *& rursus hic,* quæ & didicistis, & accepistis: *id est, quæ ego vos docui,* & vidistis in me; *id est, quantum pertinet ad verba, & actiones, & vitæ consuetudinem;* & statim: *Vides ipsum omni de re hæc præcipere? Quando enim minimè fas est de omnibus singillatim minuta quædam præcepta dare de ingressu, de egressu, de verbo, figura, consuetudine familiari (omnia autem hæc Christiano curanda sunt) breuiter, & quasi summatim dixit,* in me vidistis, & audistis, *perinde ac si diceret, & factis, & verbis vobis præiui.* Hæc ille, vide dicta cap. 2. vers. 16. adnot. 1. tota. 1.

Et Deus pacis erit vobiscum.

THeodoretus. *Hæc autem si faciatis, adiutorem habebitis vniuersorum Deum.* Addit his Anselmus. *Qui enim sic vixerit, non solùm cum Deo pacem habebit, sed & ab omnibus ferè hominibus amabitur*, ac si dicat Paulus, ita fiet, vt sit vobiscum *Deus pacis*; id est, Deus, qui secum pacem affert, sine quo pax vera non est. 2.

Theodor. Anselm.

***

VERSUS X. & XI.

Gauisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut & sentiebatis: occupati autem eratis.

Non quasi propter penuriam dico; ego enim didici, in quibus sum sufficiens esse.

1. Remig. OCCASIONEM, qua Paulus hæc scripsit, indicat Remigius hunc in modum. *In principio prædicationis Apostoli quando Philippenses crediderunt, maximam humanitatem præbuerunt ei, ministrantes sibi læto animo quæ necessaria erant, sed cùm cœpissent persecutionem pati à suis ciuibus infidelibus, & tribulari à persecutoribus, cessauerunt à ministrationibus, neque enim poterant in seditione, & persecutione positi officium charitatis ita implere, sicut tempore pacis. Iterum verò cùm reddita illis esset tranquillitas Domino suffragante reuersi sunt ad pristinam conuersationem, cœperuntque ministrare Apostolo, aliisque sanctis quæ necessaria erant. Quapropter congaudet Apostolus illorum bonitati*, &c.

Gauisus sum autem in Domino.

2. Anselm. BEne Anselmus: *Ego vos ad futura religionis studia moneo, sed de præteritis beneficiorum vestrorum studijs gaudeo*, & gauisus sum vehementer; *non in dono, quod promisistis, sed* in Domino, *qui vobis inspirauit hanc charitatem, & redditurus est remunerationem.* Luculentiùs Chrysostomus, Chrysost. cùm enim dixisset: *Sæpe dixi eleemosynam non accipientium, sed dantium causa introductam esse. Nam illi sunt, qui maximum quæstum faciunt*; subiicit ad hæc verba: *quid ergo significat? dum dicit*: Gauisus sum autem in Domino vehementer, *non mundi, inquit, atque huius vitæ more gauisus sum, sed* in Domino: *non quoniam ego respiraui, sed quoniam vos profecistis. Hæc enim mea relaxatio est. Propterea etiam inquit*, vehementer: *quoniam non erat corporeum gaudium, neque pro sua ipsius relaxatione gaudebat, sed pro illorum profectu.* Sic ille.

Refloruistis.

3. Græc. Lect. Erasm. GRæcè ἀνεθάλετε, quod Erasmus, & alij vertunt, *reuiguistis*: propriè verò significat, *repullulo, regermino, renascor, instauro*, & metaphoricè *vegetor, vigesco, vires reparo*: vnde non omnino respondet Hebræo vocabulo *threma* germen; vt nonnulli interpretes voluerunt; hæc enim vox ad primam herbarum siue arborum germinationem refertur, vt Isai. 4. 2. *in illa die erit germen Domini*, & alibi: Græcum verò verbum quo Paulus vtitur, signatè sumitur de iis quæ reuirescunt, vt plantæ, quæ hyeme exarescunt, & emoliuntur, ineunte autem verè reuirescunt, reflorent, & quasi reuiuiscunt: vt Chrysostomus, & omnes expositores admonent. Chrysost. *Quasi de arboribus* (ait ille) *germinantibus, deinde arefactis, ac rursus germinantibus*: vt sit sensus; magna lætitia Paulum affectum fuisse, quòd Philippenses quasi post hyemis ariditatem, in subsidio, & necessariis ipsi mittendis reuiguerint, & interruptæ consuetudinis vires reparauerint. *Tamquã* (Theophylactus) *vos quidem florentes cum essetis, vestra egentibus largiendo, & quæ recta sunt operando, aridiores tandem effecti, quia eleemosynas impartiri desieratis. Refloruistis tamen nunc demum, quia pristinam & optimam illam donandi repetistis consuetudinem.* Theophyl. Similiter Anselmus, *Refloruistis; id est, pristinum largitatis florem resumpsistis, vt aliqua daretis mihi, sicut olim dare solebatis. Largitio enim est flos, quia inde fructus æternæ vitæ procedit, & ab hoc flore quadam sterilitate marcueratis, ac velut hyemis frigore torpueratis, sed nunc velut Austro flante sancto Spiritu ver ad corda vestra rediit, & refloruistis velut bonæ arbores.* Similia habent Remig. & Bruno, & alij. Anselm.

Obseruãt verò tam PP. quàm interpretes, Paulum in his verbis, ita Philippensium erga se benignitatem, atq; beneficentiam laudare, vt tacitam expostulationem simul admisceat, quòd à subsidio cessauerint. Sic namque Chrysost. *Hoc verò indicantis est illos cum antea florerent, ac postea extabuissent, rursus vigere, & germinare cœpisse; quamobrem vox ista* refloruistis, *& laudem habet. Non enim paruum est, cum extabueris, reflorere: totum verò id ex negligentia illis accidisse ostendit.* Et eodem modo Theophyl. inquiens: *Tacitè autem, & hos arguit præteriti temporis negligentiæ, perinde ac si ad continuam largitionem commonefaciat; id tamen adumbrans reticet, nec apertius explicat.* Addit Guillielmus Estius, adeò ciuiliter, atque vrbanè eam expostulationẽ, siue increpationem Apostolum adiunxisse, vt culpam officij dilati statim excuset per incommoditatem temporis, quod etiam adnotauit B. Bruno, cùm ait: *Excusabiles estis, si aliunde impediti non ministratis.* vnde quidem Anselm. Ecclesiæ rectores ex hoc loco sic monet: *Imprudenter delinquentes Galatas apertè increpat superius, dicens*: O insensati Galatæ. *Nunc verò culpas istorum verecundantium quasi compatiens reprehendit, vt & illorum culpas increpatio detegeret, & horum negligentiam sermo mollior velaret, similiter vnusquisque rector Ecclesiæ iuxta modum culpæ debet vnumquemque rationabili disertione increpare.* Hæc Anselm. Crediderim tamen hæc extra mentem Pauli dici, tum quòd hæ expostulationes ex illius auctoritate, & genio nõ sint, tum etiam quòd ipse sese statim explicet, dum inquit, *occupati autem eratis*, quod non tam refero ad excusationem officij prætermissi, quàm ad rationem, quam Apostolus signatè reddat, nec illos negligentiæ arguere, aut aliquo modo præstringere, siue vellicare videatur; asserens ipsos tunc primum mittendi subsidij opportunitatem nactos fuisse. Etenim pro *occupati*, Græcè est ἠκαιρεῖσθε, quod propriè significat, *destituor opportunitate*; dicitúrque de illo cui occasio deest: ideò opportunè reddidit Erasmus, *deerat opportunitas*, quod manifestè indicat, procul ab Apostoli mente expostulationem aliquam, aut increpationem esse: cur enim eos increparet, quibus occasio, & opportunitas benefaciendi defuerat? Atque huius sententiæ esse videntur Theodoretus, & Anselmus, dum prior ait: *Noui vestrũ scopum, ac institutum, & valde lætor, cum ipsum in vobis aspicio. Iam diu enim ab hinc volebatis meæ subuentionis curam gerere, sed non habuistis opportunitatem.* Anselmus verò: *Nec aliqua mala causa id intermisistis, sed occupati eratis, & impediti aliquibus aduersis.* Expressiùs verò Primas. *Iterum floruistis flore boni operis, quem non obliuio*

4\. Chrysost. Theophyl. Estius. Bruno. Anselm. Græc. Lect. Theodor. Anselm.

areſcerat, ſed occupatio impedierat. & hæc quidem, ſi rectè æſtimas, imago ab arboribus ſumpta it, hæ enim hyemis tempore mortuæ quidem videntur, cùm tamen eadem ac verè, aut æſtate vis illis ſubſit, ſed quæ contracta intus lateat: vnde verè intrante flores, & fructus emittere incipiunt. Ad quem ſanè modum innuit Paulus Philippenſes in ſolicitudine ipſius refloruiſſe, non quòd aridi, aut mortui fuerint, quoad ſtudium Pauli, ſed quòd is affectus in animo latens ob temporis importunitatem non ſe exeruerit.

5. Sed cur Paulus beneficium, ſiue eleemoſynarum largitionem ea florēdi ſiue reflorendi phraſi ſignificauit? Reſpondet Bruno: (Bruno.) *Sicut enim de flore, ita fructus expectatur de hac adminiſtratione.* Clarius Anſelmus. (Anſelm.) *Largitio enim eſt flos, quia inde fructus æternæ vitæ procedit.* optimè quidem: vt hinc bonas arbores æternæ vitæ fructus faciētes conijcias, & à malis arboribus malos fructus gehennæ ferentes diſcrimines; ſed enim illud etiam non importunè dici poteſt, hac germinandi, ſiue pullulandi phraſi, Paulum indicare voluiſſe, quàm ſit humanæ naturæ conſentaneum ac naturale, vt homo homini humanus ſit, & opem ferat, vt non ſecus ac ex arbore flos oritur, ita ab illo humanitatis, ac benignitatis actione oriantur; ſimúlque æquè homini decorum, & illuſtre eſſe, humanum, atque beneficium ſeſe aliis exhibere; ac arbori floribus præditam, & conſpicuam videri: ſicut è contrario; vt nihil adeò oculis ingratum, & inuiſum, ac aridam, & denudatam flore & fructu plantam ita nihil turpius arido, & agreſti, ſiue inhumano homine: quo quidem ſenſu de iis qui ad modum *aſpides ſurdæ, & obturantis aures ſuas*, ad vocem pauperis, & miſeriam inopis non attendunt quæſita locutione dixit Vates. (Pſalm. 57. 4.) *Alienati ſunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero.* Pſalm. 57. 4. hoc eſt, à primæua conditione, & natura ad Dei ſimilitudinem formata, (quam in benefaciendo cenſeri, latiùs diximus cap. 2 verſ. 12. adnotat. 8. num. 8.) omnino deſciuerunt: ſic capiente hæc verba Greg. Nyſſeno tractatu 2. in Pſalm. cap. 15. (Nyſſen.) *Hæc intellexeris, ſi inquiras, quænam prima humanæ compoſitionis quaſi matrix fuerit, & quis venter, qui humanum genus tulerit; neque enim alium eſſe arbitror præter benignitatem, & bonitatem Dei, à qua ficti, & prognati ſumus. Dixit enim,* Faciamus hominem ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem noſtram. qui finxit ſingillatim corda eorum. *Rurſus ait,* Filios genui, & exaltaui: ipſi verò me ſpreuerunt, *& infinita huius generis ex ſacris literis colligere licet, quibus manifeſtum reddatur, quiſnam ſit venter, qui nos finxit, & quæ matrix quæ in lucem nos generando edidit. Hæc igitur conſiderans ille, qui ob perditionem hominum à Deo deſciſcentium luget, in lamenta erumpit, nam lamentationis inſtar eſt vox illa quæ peccatores deplorat.* Quomodo alienati ſunt peccatores à vulua? & poſt nonnulla premens ea verba, quæ ſequuntur in Pſalmo, *ſuper cecidit ignis, & non viderunt ſolem* iuxta lectionem Græcam quæ habet. *Abortus mulieris non videbit ſolem*, ſic inquit. *Cauſam verò huius mali dicit eſſe ſimilitudinem, quam cum ſerpentibus habent: quare ſimilem orationem vſurpans, ait eos eſſe imperfectos in ratione naturæ, & abortiuos per malitiam redditos, delapſóſque, & excidiſſe ab illa, quam ſupra diximus, matrice.* Hæc Nyſſenus.

Sentire pro me.

6. Extra chorum ſaltant, qui putant id ad bonam opinionem, quam de Paulo antea habitam; Philippenſes à iudaizantibus ſeducti interruperint, ſiue intermiſerint, eſſe referendum, cùm conſtet, ſermonem eſſe de eleemoſyna ſiue ſubſidio illi per Epaphroditum miſſo: niſi hæc ſic inflectas, vt ſit ſenſus; rurſus de me adeò honorificè ſentitis, vt hoc ſubſidio dignum exiſtimetis, ſed & id longè petitum eſſe videtur, quare meliùs referas cum lectione Syriaca ad ſollicitudinem, (Lect. Syriac.) quàm de ſubueniendo Paulo habuerint: ſic enim ibi, *vehementer autem gauiſus ſum in Domino, quod vos denuo ſubierit ſollicitudo de me.* At cur Noſter poſuit *ſentire.* Retulit acutè Anſelmus (Anſelm.) ad verum compaſſionis affectum, quo Philippenſes æquè ac Paulus eius inopia pungebantur; ait enim *ſentire pro me*, id eſt, *vt ſentiretis quod me pungebat*; ſimiliter Bruno. (Bruno.) *Sic enim grauis fuit vobis mea egeſtas, ac ſi vos eiſdem indigeretis*, nec ab hoc it Græcum (Græc. Lect.) verbum φρονεῖν quod ſenſum cum affectu ſignificat: vnde optimè hæc explicat Remigius, inquiens. (Remig.) *Florem bonæ operationis protuliſtis eumdem affectum dilectionis erga me exhibere.*

Sicut ſentiebatis.

Sic capiunt hæc pænè omnes interpretes, ac ſi dicatur, ſicut olim ſentiebatis, aut ſentire conſueuiſtis, ita Anſelmus: 7. (Anſelm.) *ſicut, & prius* ſentiebatis *miniſtrantes mihi*; ſimiliter Remigius, (Remig.) *ſicut antea exhibebatis.* Verùm optimè contendit Eſtius, (Eſtius.) huic dicendi modo ſequentia verba repugnare, ac proinde hæc tamquam correctionem præcedentium, *tandem aliquando refloruiſtis*, eſſe accipienda ad hunc modum, nec hoc dixerim, quaſi priſtinum erga me affectum, & mirationem aliquando vos intermiſiſſe credam, aut meæ inopiæ, atque egeſtatis fueritis obliti; immò verò tunc *ſentiebatis pro me*, id eſt, animum pro me ſollicitum gerebatis, nec mei miſeratio, aut largiendi voluntas, ſed opportunitas deerat: firmat hæc, quod ſubiicit.

Occupati autem eratis.

Vide num. 4. Qua verò de cauſa largiendi opportunitas Philippenſibus defuerit, non ſatis liquet. 8. Alij ad locorum diſtantiam, alij ad perſecutorum impedimenta, alij ad Philippenſium etiam egeſtatem referunt quod etiam Græca verba non incommodè ſignificare, benè probat Cornelius: (Cornel.) alij eò reuocant, quòd latorem, per quem tutò hæc ſubſidia mitterent, ad manum non habuerint, ſed dum conſtet, eos hac in re nec Iudaizantium opera retardatos, nec alicui culpæ obnoxios fuiſſe, ſed opportunitate tantùm deſtitutos non miſiſſe; parum refert noſſe, an hac, an illa importunitate fuerint impediti.

Non quaſi propter penuriam dico.

Noua occupatione omnem ſuſpicionem à Philippenſium animis remouet, ne Paulum de inopiæ ſuæ ſubleuatione gaudere crederent: 9. ac ſi dicat inquit Anſelmus. (Anſelm.) *Non dico me gauiſum eſſe, quaſi propter penuriam meam, quam conſolati eſtis, quia non propter anguſtiam meam, quæ relaxata eſt, ſed propter affectum veſtrum gaudeo.* Habet tamen plus acuminis Pauli ratio, quippe qui in ſumma rerum inopia, penuriæ aculeos ſe perſenſiſſe negat; quare obſerua Græcè pro *quaſi* eſſe ὅτι Hiſpanè *que*, vt ſit ſenſus. *No me aflige à mi la pobreza*, quod Syrus ſic expreſſit. (Lect. Syr.) *Non quòd penuriam paſſus ſim id dico*; ſed quare? ſubiicit.

Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.

10. Erasm. Anselm. ERasmus, & alij Græcam vocem ἀυτάρκης, pro qua Noster posuit, *sufficiens*, reddunt *contentus*: vnde Anselmus, *Ego enim didici, & à Deo, & ab vsu cottidiano* esse sufficiens, *id est, contentum rebus in quibus sum, siue paruis, siue magnis*, & eodem modo Theoph. Theophylact. *Ex longa (inquit) exercitatione, & consuetudine didici, paucis vti, & minimis rebus esse contentus*, quæ sic diffundit Remigius, *id est: ego scio, in quibus possum sufficientiam habere, quia scio indigentiam patienter ferre, & abundantiam cum temperantia disponere*, vt eadem hæc sententia sit, ac illa 1. ad Timoth. 6. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.* At enim, vt optimè hæc dicantur, nescio quid peculiaris acuminis habet hic dicendi modus *sufficiens esse*, qui Græcæ etiam phrasi inest: nõ modò enim significat eum, qui contentus est iis, quæ habet, sed etiam, qui sufficere sibi putat, quæ habet, siue qui sufficientes vires ad aliquid habet: vnde Paulus non tantùm innuit, modico contentum esse, sed sic animum instituisse, vt quidquid habeat, quantulumcumque sit, satis sibi superque esse videatur, atque ideo paupertatis incommoda minimè persentire quod quidem plus est, quàm modico contentum esse, cùm ipsamet paupertate, & inopia possit quis esse contentus; Paulus verò affirmet, se nec inopiam, neque egestatem persentire, eodem sensu ac 2. ad Cor. 6. 10. dixit. (2. ad Cor. 6. 10.) *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*, vnde opportunè expressit hæc verba Ambros. lib. 2. officiorum cap. 17. (Ambros.) hunc in modum, *satis mihi (inquit) est, quod habeo, siue parum, siue plurimum habeam, mihi plurimum est.* Pertinent hæc quidem ad Christianam Philosophiam, egregiámque animi institutionem: sic Consulem monens dicebat Cassiodor. lib. 6. (Cassiod.) *Habent & boni pauperes diuitias suas*, & Leo Pontifex serm. 4. de quadragesima. *Semper est diues Christiana paupertas, quia plus est quod habet, quàm quod non habet, nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum est in omnium rerum Domino omnia possidere.* (S. Leo.) Nec aliter Chrysost. de vidua illa, quæ Eliam pauit hom. 42. in Genesim sic loquẽs, *illa verò postea detexit immodicam suam egestatem, immò inenarrabiles diuitias. Magna enim paupertas indicat diuitiarum illius magnitudinem.* Sensum quidem communem cum Paulo habere dixeris Senecam epist. 2. qui cùm ex sententia Epicuri dixisset, (Seneca.) *Honesta res est paupertas læta*; subiicit de suo, *illa verò iam paupertas non est, si læta est. Cui cum paupertate benè conuenit, diues est*, & lib. 7. de beneficiis cap. 2. de sapiente humana transeunte, ac contemnente. *Magnis itaque curis exemptus, & distorquentibus mentem nihil sperat, aut cupit, nec se mittit in dubium suo contentus. Nec illum existimes paruo esse contentum, omnia illius sunt, non sic quemadmodum Alexandri fuerunt: cui, quamquam in littore rubri maris steterat, plus deerat, quàm quà venerat*, & post nonnulla. *Vnus est sapiens, cuius omnia sunt, nec ex difficili tuenda. Non habet mittendos trans maria legatos, nec metenda in ripis hostilibus castra, non opportunis castellis disponenda præsidia, non opus est legione, neque equestribus turmis. Quemadmodum dij immortales regnum inermes regunt, & illis rerum suarum ex edito tranquillóque tutela est: ita hic officia sua quamuis latissimè pateant, sine tumultu obit, & omne humanum genus, potentissimus eius, optimúsque, infra se videt.* Hæc ibi, & alia, & opportunissimè epist. 119. *Docebo, quemodo fieri diues celerrimè possis, quod valde cupis audire. Nec immeritò, ad maximas te diuitias compendiaria ducam. Catonianum illud a te mutuum sumes*, quantulumcumque est, satis erit, si quidquid deerit, id à nobis petierimus. *Nihil enim mi Lucili, interest, vtrùm non desideres, an habeas. Summa rei in vtroque est eadem, non torqueberis. Nec illud præcipio, vt aliquid naturæ neges, contumax est, non potest vinci, suum poscit, sed vt quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio, edendum est, vtrùm hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet, illa ventrem non delectari vult, sed impleri: sitio vtrùm hæc aqua sit ex lacu proximo excepta, an ea, quam multa niue clusero, vt rigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet*, & post plura in hanc rem: *ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest? suo, inquis, & patientiæ suæ beneficio, non fortunæ. Ideo ergo illum non iudicas diuitem, quia diuitiæ eius desinere non possunt?* Pergit multis, quæ vide. Nec tamen existimes Paulum, & Senecam pares esse, & eamdem vtrumque mentem habere, quamuis eadem vtrique verba sint, quippe Paulus se id didicisse ait; *à Deo* scilicet, vt dicebat Anselm. *& ab* (Anselm.) *vsu quotidiano*: vnde Chrysostomus premens ver- (Chrysost.) bum *didici*, inquit, *ergo disciplina res est, & exercitationis, & curæ, non enim facilis est ad consequendum, sed valde difficilis, ac multo cum labore coniuncta*, & Theophylact. (Theoph.) *Vides quemadmodum difficile factu sit, vt ea, quæ satis esse videntur, afferant cuique iucunditatem, nisi qui sciat, & inopiam pati, & in huiusmodi patientia sit diu exercitus.* Seneca verò, vt loqui hæc nouit, ita factis exsequi, & reapse præstare numquam didicit, sed semper tyro, & elementarius senex exstitit. nam vt de ipso dixit aliò aspiciens Augustinus. *Libertas, quæ scribenti affuit, viuenti defuit.*

Nec omittenda est alia expositio, quam his 11. verbis adhibet Ambrosius dicto lib. 2. officiorum (Ambros.) cap. 17. ad hunc modum. *Expressius aliquid dicendum videtur. Signato verbo vsus est* sufficit mihi (inquit) in quo sum, *id est, nec deest, nec superfluit. Non deest, quia nihil quæro ampliùs. Non superfluit, quia non soli mihi habeo, sed pluribus. Hoc de pecunia. Cæterùm de omnibus dici potest, quia sufficiebant illi præsentia, hoc est, non honorem maiorem; obsequia vberiora desiderabat, non gloriæ immodicæ cupidus, aut gratiam indebitè quærebat, sed debiti fidem certaminis patiens laboris, securus meriti præstolabatur.* Hæc Ambrosius.

VERSVS XII.

Scio & humiliari, scio & abundare; vbique & in omnibus institutus sum; & satiari, & esurire; & abundare, & penuriam pati.

CLARA verba, & præclara sententia, quam sic dilucidè expressit le- 1. ctio Syriaca. (Lect. Syr.) *Noui, & humiliari, noui, & abundare: in omnibus, & per omnia institutus sum, in satietate, & inedia, in copia, & inopia.*

Scio

Scio & humiliari.

2. NOn dubium, quin de inopiæ, ac penuriæ ſcientia, vt aiunt, experimentali ſermo ſit: *ſcio famem ferre* (inquit Chryſoſtom.) *& egeſtatem*; ſimiliter S.Thom.ſcio humiliari, *id eſt, abiectionem ſuſtinere moderatè, ſicut oportet*. Ad quem modum Anſelm. & Bruno, ſic enim ille. *Scio humiliari, paupertate, quia non inde frangor.* Bruno verò *ille ſcit humiliari, qui non frangitur egeſtate*; ſed cur paupertatem humilitatis ſiue humiliationis phraſi explicuit? Reſpondeat non nemo ex Remigio ſenſum eſſe, ac ſi dicat: *Noui penuriam humiliter ſuſtinere*: vt opponat ſe pauperi ſuperbo,quod inuiſum hominum genus eſt. At opportunius reſpondent Cornel. & Eſtius ad Hebraicum idioma reſpexiſſe Paulum, in quo humiliari,eſt idem, ac tenuiter agere, & rerum ad vitam neceſſariarum anguſtiam pati. Retulit generaliter Ambroſius ad aduerſæ fortunæ ſcientiam, lib. 2. officior. cap. 17. componens Paulum cum Ioſepho hunc in modum. *Talis erat Paulus, qui conſilium dabat virginibus, magiſterium ſacerdotibus, vt primum ſe ipſum præberet nobis formam ad imitandum. Ideo, & humiliari ſciebat, ſicut ſciuit, & Ioſeph, qui ſummo ortus patriarcharum genere non dedignatus degenerem ſeruitutem, exhibebat eam obſequiis, illuſtrabat virtutibus, ſciuit humiliari, qui & venditores, & emptorem paſſus eſt, & dominum appellabat eum.* Sed, & poſt plura in hanc rem, ſic denuo hæc Pauli verba explicat, quaſi humilitati peculiaris quædam ſcientia, ſiue etiam ſcientiæ peculiari humilitas ſubſit; ſic enim ait. *Non ergo indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam, & ſcientiam, laudi datur,eſt enim humilitas formidinis, eſt & imperitiæ, atque ignorantiæ.Ideo & Scriptura ait*, & humiles ſpiritu ſaluabit. *Præclarè ergo dixit*,ſcio & humiliari, *id eſt, quo in loco qua moderatione, quo fine, in quo officio, in quo munere. Neſciuit Phariſæus humiliari, ideo deiectus eſt: ſciuit Publicanus, ideo iuſtificatus eſt.* Hæc Ambroſius.

Scio & abundare.

3. ERaſmus, Hebraicæ phraſis, quæ paupertatẽ, & humilitatem, ſiue abiectionem eodem vocabulo exprimit omnino ignarus, ſic hæc vertit. *Noui & humilis eſſe, noui & excellere*; magnam rem ſe egiſſe ratus, ſi antitheſim ſic diſponeret, vt humilitati excellentia reſponderet: ſed à Pauli ſenſu, & verbis aberraſſe, ſatis conſtat ex dictis. Multo quidem melius S. Thomas phraſim *humiliari*, ad humiliationem referens, ac verbo *abundare*, vt fidus interpres hærens antitheſim conſtantem reddit ad hunc modum, *& quia homines exaltantur per diuitias, & deprimuntur per paupertatem; ideo exaltationem vocat abundantiam.* Iam hæc verba ſic elucidat Anſelm. *Qui enim acceptis rebus non extollitur, qui per eas ad vſum vanæ gloriæ non intorquetur, qui ſolus non poſſidet, quod accepit, ſed hoc cum indigentibus miſericorditer diuidit, ſcit abundare.* Remigius verò. *Scio abundare, id eſt, in abundantia temperans eſſe, ne corrumpar ab ea.* Dixerat etiam paulo antè in hanc rem. *Multi ſunt, qui poſiti in paupertate, & egeſtate neſciunt ea patienter ferre, & ſunt multi, qui poſiti in abundantia neſciunt temperantiam habere, ſed comedunt, & bibunt vltra modum, & vtuntur iis, quibus abundant intemperatè, à quorum numero erat Apoſtolus alienus.* Paulo aliter Bruno: *ſcit abundare, ſi cum auctoritate nouit ſubditis imperare; non tamen ſibi ad gloriam, ſed ad vtilitatem Eccleſiæ*; ſed & citato loco Ambroſius. *Sciebat, & abundare Paulus qui animum habebat diuitem, & ſi theſaurum diuitis non habebat, ſciebat abundare, quia non quærebat datum in pecunia, ſed requirebat fructum in gratia. Poſſumus, & ſic intelligere, quia ſciebat abundare, qui poterat dicere.* Os noſtrum patet ad vos ô Corinthij, cor noſtrum dilatatum eſt. Sic Ambroſius. Huius verò ſcientiæ magnitudinem,atque excellentiam bene pendit Chryſoſtomus ad hunc modum. *Ne inquiet quiſpiam, ſed hoc ſcientiæ non eſt, neque virtutis abundare: immò verò maximè virtutis eſt, nec minus, quàm illud. Quomodo? Quoniam quemadmodum egeſtas ad multa mala facienda adducit, ita & abundantia. Multi enim ſæpe cùm ad hanc rerum abundantiam perueniſſent, ſocordes facti ſunt, proſperitatémque ferre neſcierunt. Multis rerum copia occaſionem ceſſandi dedit. Non ita Paulus. Nam cùm acciperet, in alios inſumebat, & effundebat. Hoc autem eſt, ſcire vti re. Non remittebat diligentiam ſuam, non de abundantia ſua lætabatur, ſed eumdem ſe præſtabat in egeſtate, & abundantia, neque inde oppreſſus, neque hinc inflatus.* Hæc Chryſoſtom. eadem habet Theophylact. ſed de his in adnotationibus plura.

Vbique, & in omnibus.

4. GRæcè eſt, *in omni, & in omnibus*: quæ ſic effert Theophylact. *Hoc eſt quouis loco, & tempore*, & in omnibus; *hoc eſt, in quibus vis rebus, quæ accidere ſolent, experientiam cepi.* vt indicet Paulus tam præclaram animi inſtitutionem nactum eſſe, vt quæcumque intercurrant, ſiue proſpera illa ſint, ſiue aduerſa, ſic norit inflectere. vt ad Dei legẽ, & ad ſpiritus, ſiue perfectionis leges ducat, atque aptet, quin ad vtriuſque partis ſcopulos impingat. Benè Anſelmus, *vbique, id eſt, in omni loco, ſiue Romæ, ſiue alibi, ſiue coram principibus, ſiue aliis ſim poſitus*, & in omnibus, *id eſt, in omni genere rerum inſtitutus ſum.* Affert S. Thomas hic Salomonis verba Prouerb. 30. *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi*; ſubiicitque in Pauli laudem. *Sed Apoſtolus loquitur melius, quia virtute in vtroque ſcit vti; & hoc vbique: id eſt, in omni loco, negotiis, ſtatibus, & conditionibus.*

Inſtitutus ſum.

5. NOn aptè reddidit Bruno, *aſſuetus ſum*: Græcum enim verbum maiorem emphaſim habet; eſt quippe μεμύημαι, à quo myſteria dicuntur: vnde Ambroſius tam citato loco lib. 2. officior. cap. 18. quàm in commentario legit. *imbutus ſum*, quaſi myſteriis initiatus: quò it explicatio Anſelmi, *edoctus à Deo*: innuens Apoſtolus hanc vitæ rationem velut grande, ſacrúmque myſterium à Deo diuinitus accepiſſe, ſiue etiam hac eximia ſcientia diuinæ naturæ conſortem quodammodo redditum; quid enim adeò diuinitati proximum fuerit, quàm nullis ſiue abundantiæ, ſiue penuriæ; proſperitatis, ſiue aduerſitatis fluctibus concuti?

Satiari, & eſurire.

6. ANſelmus, *Qui acceptis alimentis non ad ingurgitationem ventris vtitur, ſed ad reparationem virtutis, nec plus carni tribuit, quam neceſſitas*

petit, scit satiari *quia alimentorum inopiam sine murmuratione tolerat, nec pro necessitate victus aliquid agit, vnde anima peccati laqueum incurrat*, seu esurire. Chrysostomus, & ab eo Theophylactus: *Multi sunt, qui nesciunt saturari, quemadmodum Israelitæ. Illic enim comedebant, & calcitrabant, sed eamdem, inquit, moderationem, ac decorum seruo.* Sic hi PP. Paulum de satietate, & fame, vt sonat, accipientes: contrà Ambrosius hæc ad animæ famem, & saturitatem sic referens lib. 2. officior. cap. 17. *In omnibus erat imbutus, & saturari, & esurire. Beatus, qui sciebat saturari in Christo. Non ergo illa corporalis, sed spiritualis est saturitas, quam operatur scientia, & meritò scientia opus est, quia* non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei. *Ergo qui sic sciebat, vt semper noua quæreret, esurire, & sitire Dominum, sciebat esurire, qui sciebat, quia esurientes manducabant; sciebat, & poterat abundare, qui nihil habebat, & possidebat omnia.* Hæc Ambros. vereor tamen ne vtraque exponendi ratio à Pauli mente eat; illa, quia nimis literalis, sono scilicet vocum omnino hærens, quod cum Pauli grauitate non bene se gerit: hæc quod omnino spiritualis, & citra literæ contextum sit. Vnde opportuniùs dixeris maiorem præcedentium expositionem hæc esse, atque his, & sequentibus verbis, *scio abundare, & penuriam pati*, Paulum plus plus explicare, illa: *Didici in ijs, quæ sum sufficiens esse: scio humiliari, & abundare:* eamdémque iis omnibus sententiam esse, ac illis Senecæ libro de vita beata cap. 25. *Pone in opulentissima me domo; pone aurum argentúmque in promiscuo vsu sit: non suspiciam me ob ista, quæ etiam si apud me, extra me tamen sunt. In sublicium pontem me transfer, & inter egentes abige: non ideo tamen me despiciam, quòd in illorum numero consideo, qui manum ad stipem porrigunt: quid enim ad rem, an frustum panis desit, cui non deest mori posse?* & statim: *Pone me in stramentis splendentibus, & delicato apparatu: nihilo feliciorem me credam, quòd mihi molle erit amiculum, quòd purpura conuiuis meis substernetur. Nihilo miserior ero, si cassa ceruix mea in manipulo fœni acquiescet, si super Circense tomentum per suturas veteris lintei effluens incubabo;* & post pauca, *vt omnes mihi dies ex voto cedant, nouæ gratulationes prioribus subtexantur: non ob hoc mihi placebo. Muta in contrarium hanc indulgentiam temporis, hinc illinc percutiatur animus damno, luctu, incursionibus variis, nulla hora sine aliqua querela sit, non ideo me dicam inter miserrima miserum: non ideo aliquem execrabor diem: prouisum est enim à me, ne quis mihi ater dies esset.* Denique paulo pòst. *Fac me victorem vniuersarum gentium: delicatus ille Liberi currus triumphantem vsque ad Thebas a Solis ortu vehat: iura reges Persarum petant me hominem esse tum maximè cogitabo, cùm Deus vndique consalutabor. Huic tam sublimi fastigio coniunge protinus præcipitem mutationem: in alienum imponar ferculum, exornaturus victoris superbi, ac feri pompam: non humilior sub alieno curru agar, quam in meo steteram.* Hæc omnia ore, siue calamo Seneca à Paulo non minus animo expressa, quàm iis verbis præstricta *scio saturari, & esurire*, &c.

***

Ad ea verba. *Scio humiliari, scio & abundare.*

Adnotatio I.

Christianum animum, & inter prospera humilem & inter aduersa securum esse oportere.

1\. Optime ad hæc verba inquit Anselmus, *Magna scientia est, scire humiliari, & abundare*; quippe non aliter vincitur mundus duplicem in milites Christi aciem producens, vt inquit August. serm. 12. de sanctis: *Blanditur, vt decipiat, terret vt frangat.* vnde subiicit. *Non nos teneat voluntas propria, & nō nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus.* Ad quem modum Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 203. sapienter admonebat. *Qui humanam nobilitatem tueri, ac conseruare instituunt, celerem naturæ mutationem animo voluentes, immodicam tum mæstitiam, tum lætitiam coërcere debent, ac nec nimio mærori, nec gaudio sese dedere. Nam ille nisi ratione temperetur, ac prudentiæ fræno comprimatur, in mortem erudit: hoc contra nisi impendentis mutationis habenis tradatur, præcipites nos aget, atque vt ab officio, ac decore excidamus efficiet.* Vnde Seneca ab Augustino nec hilum discedens epist. 123. cùm præmisisset. *Quanto satius est, rectum sequi limitem, & eo se perducere, vt ea demum sint tibi iucunda, quæ honesta;* subiicit: *quod assequi poterimus, si fecerimus, duo esse genera rerum, quæ nos aut inuitent, aut fugent: inuitent, vt diuitiæ, voluptates, forma, ambitio, cætera blanda, & arridentia. Fugent, labores mors, dolor, ignominia, victus astrictior: debemus itaque exerceri, ne hæc timeamus, ne illa cupiamus. In contrarium pugnemus, & ab inuitantibus recedamus; aduersus impetentia concitemur.* Hæc ille, quæ sic præstrinxit Paulus consul apud Liuium lib. 45. *Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferent, nec aduersa infringent.*

2\. Hinc inter fortes Dauid, hoc est, inter electos Christi milites, illi tantùm recensentur, quibus subsit virilis fortitudo, qua ipsorum animus nec aduersis rebus infringatur, nec diluatur atque emolliatur secundis: sic ad illa verba 2. Reg. 23. 7. *Hæc nomine fortium Dauid*; opportunè expendente venerab. Galfrido in allegoriis Gofridi Tilmani; *sedens in cathedra sapientissimus Dauid noster, verus vtique manu fortis fortes eligit, immò etiam facit, nec mulieris cuius quam, nec paruuli in suorum nomina nomen admittens. Cùm enim duplicem producat aciem mundus, scandalis quidem paruulos deiicit, blanditijs allicit mulieres. Quamobrem necessaria est fortitudo virilis, vt fortis sit, quem aduersa non fregerint: quem non illexerint prospera, fortior: quem nec ipsa rerum vicissitudo, fortissimus: quibus nimirum sic inuicem succedentibus acrius sæuit tentatio, dum prosperitas amplius post aduersa blanditur. Nec minus vrit aduersitas, dum repentè ingruit rebus inuidiosa secundis.* Porrò hac de causa in templo Ezechieli ostenso, duplex ingredienti proponebatur palma, dextræ nimirum ipsius, & sinistræ respondentes, sic enim Vates cap. 41. 25. *& cælata erant in ipsis ostijs templi Cherubim, & sculptura palmarum, sicut, & in parietibus quoque expressa erant*, &c. *& similitudo palmarum hinc, atque inde*, vt nimirū nosset, aduersùs

aduersùs vtramique aciem blandientis, & aduersantis mundi à dextris, & à finistris pugnandum sibi esse, & tam dextræ felicitate, quàm de sinistræ tribulationibus referre debere victoriam, vt sciret humiliari, sciret, & abundare; satiari, & esurire: vis videre signatissimum inter fortes Dauid; stantem in templo Domini; vtraque manu pugnantem, palmàmque referentem? Audi rursus Paulum 2. ad Corint. 6. 7. tam de se ipso, quàm de egregiis Christi militibus dicentem, 2. ad Cor. 6. 7. *exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros, &c. per arma iustitiæ, à dextris, & à sinistris: per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam*: & Gregorium Magnum hæc cum illis sic sapienter componentem ad præfatum Ezechielis locum Greg. Magn. homil. 29. *Notandum quoque magnopere est, quod dicitur* hinc, & inde. *Omnes enim qui ad vitæ aditum tendimus, & ex dextro, & ex sinistro latere habere palmam debemus; quod enim* hinc, & inde *dicitur, latus vtrumque signatur. A dextro igitur palmam habetis, quam prospera non extollunt. A sinistro palmam habetis, quem aduersa non deijciunt, quasi ex vtraque parte portabat Paulus palmam, cùm diceret,* Per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, &c. *Non hunc aduersa frangebant, non prospera in mentis tumorem subleuabant.* Hinc inde *gestabat palmam, quia & in aduersitate fortis, & in prosperitate humilis permanebat: quisquis enim de prosperis extollitur, habere in dexteram partem palmam nescit, quisquis in aduersitatibus frangitur, portare palmam à sinistro latere ignorat, vt ergo* hinc, & inde *palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet, & in aduersis fiducia, & in prosperis timor, ne aut aduersa in desperationem pertrahant, aut prospera animum in sui fiduciam extollant: hinc est quod idem egregius prædicator dicebat.* Scio, & humiliari, scio, & abundare: vbique, & in omnibus institutus sum: & satiari, & esurire, &c. Hactenus Gregor. in quam quidem sententiam illud animo se dicebat Seneca Seneca. initio libri 3. Naturalium quæstionum. *Quid est præcipuum? Animus contra calamitates fortis, & contumax; luxuria non aduersùs tantum, sed & infestus: nec auidus periculi, nec fugax, qui sciat fortunam non exspectare, sed facere, & aduersùs vtramque intrepidus, inconfusúsque prodire, nec illius tumultu, nec huius fulgore percussus.* Sic Seneca.

3. Mirum alicui videatur increpatas à Dei verbo Ierosolymitanas puellas, quòd ceruice erecta, atque eleuata incederent: sic enim Isaiæ 3. 16. Isa. 3. 16. LXX. *Pro eo, quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento* (siue, vt LXX. reddunt, *excelso collo*, &c. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion*; cùm tamen ipsemet Dominus discipulis suis leuare Lucæ 21. 28. caput præscribat: *Respicite* (inquit) *& leuate capita vestra*, Lucæ 21. 28. quid enim fuerit caput leuare, nisi extento, siue excelso collo incedere? Cur ergo quod hîc præcipitur, illic reprehenditur, ac plectitur? Sanè, quòd alterum ingens vitiositas, alterum, egregia virtus sit: apud Isaiam enim ij signatè vellicantur, qui nesciunt abundare; sed in prosperis extolluntur atque euanescunt; apud Lucam verò à Domino forma præscribitur quomodo ipsius discipuli ad Pauli morem sciant humiliati: sed obserua dicendi modum, quo superbiam in prosperis descripsit Vates. *Eleuatæ sunt* (inquit) *& ambulauerunt extento collo*: pulchrè id: nam si rectè saperent, cùm eleuatæ fuissent, non caput attollerent, sed demitterent, collúmque inflecterent, vti de Beatissima Virgine ad supremum Dei genitricis fastigium euecta dixit Salomon: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, Cantic. 2. 2. Cant. 2. 2. quæsita imagine Deiparæ pulchritudinem, siue extremam in summa dignitate humilitatem cum lilio componens; de quo alibi à nobis adductus inquit Plinius lib. 21. cap. 5 *languido collo est, & non sufficiente capitis oneri*; supremæ quidem illi excelsitati ab Angelo Dei nomine ipsi oblatæ *languido collo* obuiam iuit, inquiens, *ecce ancilla Domini*. Ad quæ verba Ambrosius lib. 2. in Lucam. *Vide* (inquit) humilitatem, vide deuotionem: *ancillam se dicit Domini* Ambros. Luc. 1. 38. *quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* Nimirum id est, scite abundare. & palmam à dextro latere referre, vt secunda fortuna non extollamur, sed inter prospera humiles, & demisso capite ambulemus; ideo optimo merito *decaluabit Dominus verticem filiarum Sion pro eo quòd eleuatæ ambulauerunt extento collo.* Iam qua occasione discipulis caput attollere Dominus præscripserit, audi: *erunt* (inquit) *signa in sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum arescentibus hominibus præ timore, & exspectatione*, &c. post quæ subiicit. *His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra*: ac si dicat, scitote humiliari, & palmam ex sinistro latere reportare: dum aduersis minimè infracti, sed securi degitis. Quod Lectio Syriaca magis expressit, quæ reposuit. *Quum autem hæc incipient fieri, bono animo estote, & attollite capita vestra*: Lect. Syriac. vnde venerab. Galfridus in hæc verba totam hanc cogitationem præstringens appositè ait. *Væ, qui apparere in prosperis, latere cupiunt in aduersis, nec caput demittunt inter prospera humiles, nec leuant inter aduersa securi*: Galfrid. tam videlicet aduersæ fortunę tumultu, quàm secundæ fulgore percussi, quibus benè obiicit Seneca lib. de breuitate vitæ cap. 4. *Omnia tamquam mortales timetis: omnia tamquam immortales concupiscitis.* Senec.

4. Notanter Diuinus Spiritus ab Ecclesia à Domino edocta Dei digitus appellatur: dixit enim sub hoc sensu Dominus Lucæ 11. 20. *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, Luc. 11. 20. pro quo Matthæus cap. 12. 28. Matt. 12. 28. reposuit, *si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones*, in quæ verba Hieronym. *Si igitur manus, & brachium Dei, Filius est, & digitus eius Spiritus sanctus Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna substantia est.* S. Hier. Quòd si rationem analogiæ digitorum, & Spiritus sancti nosse velis. vide primùm (docente hæc sapienter Pereyra in Exodum disput. 4. num. 19.) Pereyra. quomodo vt ex corpore procedit brachium, & manus, & inde digiti: ita ex Patre, Filius, & ex vtroque Spiritus sanctus procedant: deinde, vt vnius corporis multi sunt digiti, ita vnius Spiritus sancti multa sunt dona, dicente Paulo, *Diuisiones gratiarum sunt, vnus autem, & idem Spiritus diuidens singulis prout vult*, 1. ad Corint. 12. 4. vnde Rupertus lib. 1. comment. in Exod. cap. 33. ait. *Sed, & plures digiti in eiusdem Spiritus significatione dicuntur, quemadmodum & vnus est Spiritus, & tamen septem Spiritus ante thronum Dei legimus, & Psalmista ait.* 1. ad Cor. 12. 4. Ruper. Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum. *Pluraliter dixit*, digitorum, *ob pluralitatem donorum vnius, & eiusdem Spiritus sancti.* Tandem, quod è re nostra omninò est, id in hac analogia obserua; totidem in dextra, atque in sinistra manu digitos esse, quòd tot diuini Spiritus donis, atque auxiliis opus sit, ad modestè, & temperatè tractandas res secundas, quàm ad dura, & molesta fortiter preferenda, quo referas, quæ piè, ac sapienter Dominum orans dicebat Cassiodorus lib. 1. de Anima ad finem hunc in

Cassiod. in modum. *Tempera bone artifex organum cordis nostri, vt harmonia mentis possit aptari, nec sic roboretur, vt superbiat, nec sic languescat, vt deficiat. Tu nosti, quæ verè moderata sunt: vasa tua sic reple prosperis, vt capacitas non præbeatur aduersis. Dominetur ratio, seruiat caro, quoniam à te solo potest effici, ne fragilitate corporis possit offendi.* Ita ille.

5. Hinc quidem regi Achaz, & regia, hinc potestate sublimi, & terribili illinc hostium phalange oppugnato, arcanum Dei nomine ab Isaia onerabatur signum, quod *in profundum inferni, siue in* Isa.7.11. *excelsum suprà* à Domino patraretur, Isaiæ 7.11. cúmque ipse expers mysterij signum accipere renueret, Christus Dei filius in signum, & documentum ei à summo Patre offertur, vt ab ipso nec potestate erigi, nec humiliatione turbari, sed in maiestate humilem, & in tribulatione pacatum, atque securum consistere perdisceret: optimè, id adnotante Ambrosio serm.8. in Psal.118. Ambros. his verbis *Mysticum illi propositum est, sed non intellexit, & veritus est, ne tentare Dominum videretur, si signum peteret in altum, aut in profundum, Dominus autem volens grauia tentamenta remedio supplantare diuino, ait,* Ecce virgo concipiet in vtero. *Hoc est magnum signum, quod altitudinis, & profundi tentamenta destruxit. Dominus* enim IESVS non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, *neque quæ sua sunt requisiuit,* sed formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem. *Itaque neque elatus est potestate, neque mortis quadam delectione turbatus. Hoc igitur signum proponitur regi, vt petat sibi remedium, per quod nec regiæ potestatis extolleretur supercilio, nec certæ ærumnæ alicuius exceptione perturbaretur, vt erat corde turbatus cùm bellum sibi videret à Syris inferri*, vbi pulchrè maximo Regi, & ingenti discrimini obnoxio Christi proponitur exemplar vt ipsius documento instructus dicat Seneca. cum Seneca in expositione literæ adducto. *Fac me victorem vniuersarum gentium delicatus ille Liberi currus triumphantem vsque ad Thebas à Solis ortu vehat, iura reges Persarum petant; me hominem esse tum maximè cogitabo, cùm Deus vndique consalutabor. Huic tam sublimi fastigio coniunge protinus præcipitem mutationem: in alienum imponar ferculum exornaturus victoris superbi, ac feri pompam, non humilior, sub alieno curru agar, quàm in meo steteram;* sed pergit Ambrosius, & dum iis illud Salomonis Ambros. votum adiungit, Prouerb 40.8. *Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria,* hæc subiicit. *Potes igitur tu ista contemnere, quæ formidauit Salomon? qui sapientiam postulauit, & meruit. Diues erat, timuit extolli pauper fieri formidauit, ne paupertatis necessitate abstinentiæ gratiam non teneret. Quam multi, qui videbantur sancti esse, ceciderunt ab altitudine cordis sui? Quam multi aliqua necessitate deiecti non potuerunt contemni esse iniuria, qui fuerant virtutum exercitio roborati?* & post pauca. *Paremus igitur affectum nostrum, ne imparatum vis repentina perturbet. Denique sciens Dominus citò nos frangi solere, ait etiam Apostolis*, Non turbetur cor vestrum, neque formidet *si te cupiditas appetentiáque tentauerit, lege Euangelium, dicat tibi IESVS CHRISTVS*, Non turbetur cor tuum. *Si quis terror ingruerit, dicat tibi Christus.* Non turbetur cor tuum Hæc & alia ibi Ambrosius. Quibus concinit cum Seneca in consolatione ad Polybiũ, dum grauiter inuchitur in malum Principem Seneca. C. Caligulam, qui *eadem intemperie animi aduersarum rerum ictus ferebat, qua secundarum elatus eminus supra humanum intumescebat modum.*

6. Sed accipe rursus eumdem Dominum, signum tibi propositum *in profundum inferni*, atque *in excelsum supra*, nimirum cùm nouit, quòd *venturi homines essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit in montem*, Ioan.6.15. Rursus verò non Ioan.6.15. requisitus se ipsum illis regem obtulit, & regia pompa Hierosolymam ingressus est, Matth.21.9. Matt.21.9. similiter cùm ab hostibus ad mortem quæreretur; abscondit se ab eis, *nec volebat iam palam in Iudæa ambulare, quia quærebant, interficere*, Ioan.7. Ioan 7.1. & c.11.54. 1. & cap.11.54. Cùm tamen post modum libens, & volens per proprios pedes ad mortem iuerit, & sese hostibus suis medium iniecerit: quid hæc portendant? Cúrve, eadem fugiat Dominus, eadem petat, & regnum abiiciat, regnum suscipiat; mortem declinet, & mortem amplexetur. Sanè vt nos doceat, & prosperis, & aduersis opportunè, & moderatè vti. Audi hac de re Bernardum serm.3. in Domin. in ramis palmarum, qui iis quæ hucúsque diximus luculentiùs propositis subiungit. *Decebat nempe Pontificem nostrum tentari* Bernard. *per omnia pro similitudine, absque peccato: vt tamquam verus homo, & prospera hominum, & aduersa opportunè vitaret, opportunè susciperet: & vtrarumque rerum in se ipso nobis salutare præberet exemplum. Vt enim temperantiæ est, præconia populi, & sæculi huius prospera declinare: sic interdum iustitiæ est, certa, quadam dispensatione admittere ea. Persecutio quoque, & temporalis omnis aduersitas pro hoc loco, & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cùm autem necesse fuerit, viriliter toleranda, & in his quidem duobus prosperitatem, & aduersitatem loquor, humana omnis vita versatur:* Ita Bernard. qui post pauca hæc cum Pauli verbis, in quibus sumus, adnectens, ita subiungit. *Ita ergo omnem virtutem implere decuit eum, in quo plenius habitabat omnis plenitudo virtutis, vt notum fieret omnibus, quia is sciret, maximè* abundare, sciret & penuriam pati. *Non enim Dei sapientia de iis erat, quos occideret prosperitas sua, non Dei virtus de his, quos perdere posset auersio; vtrumque enim scriptum est, quòd* prosperitas, *non tamen omnium, sed* stultorum *occidat illos: auersio vtique non quorum libet, sed* paruulorum perdat illos, Prouerb.1.32. Ad hæc, pulchrè Prou.1.32. in hanc rem pendit statim Bernard. quanta modestia, quantáque temperantia regni gloriam, & splendorem tunc Dominus susceperit, qui non aureo curru, & splendentibus stramentis, sed humili asello vehi voluit, vt excelsitatem, & fastigium moderaretur, atque inflecteret: *Quam mo-* Bernard. *destè tamen* (inquit) *hanc ipsam videtur gloriam suscepisse ad triumphalem occursum in asino veniens, non in curribus aut equis.* Ita quidem regias sedes, & altissima fastigia occupantes prudenter admonebat Seneca lib. de tranquillitate animi cap. 10. inquiens. *Illi rursus, quos sors iniqua in ancipiti po-* Seneca. *suit, tutiores erunt superbiam detrahendo rebus per se superbis, & fortunam suam quam maximè poterunt, in planum deferendo.* Ita ille.

Promisit Vates iis, qui auxilium suum à Do- 7.
mino expectant, ipsum eoúsque eos non dimissurũ, vt vice fulcri, aut virgæ illis sit futurus cui incumbentis vestigia minimè labantur, aut nutent; sic enim Psal.120.5. *Dominus custodit te, Do-* Ps.120.5. *minus protectio tua super manum dexteram tuam:* vel, vt è Græco legas, *ad manum dexteram suam:* siue, vt alij transferre malunt, *apud manum dexteram:* vt nimirum adeò iunctus ad latus iusti adhæreat, cúmque comitetur, vt ipse manu sua Deo innitatur, ne pes labatur, aut nutet; vel etiam, non secus Deus opem ferat, ac si iniecta manu, dex-

tráque

tráque arrepta deducat, atque comitetur, siue tandem sumpta imagine ab eo, qui aliquem in acie protegit, Deus iusto ad dexteram assistere dicatur, vt vice scuti, atque tegumenti illi sit. Subiicit verò statim Dauid, à quo Deus scutum, & vmbraculum sit, siue à quo discrimine protegat, inquiens. *Per diem Sol non vret te; neque Luna per noctem.* Quid verò diei, & noctis; Solis, & Lunæ æquè adurentium imaginibus, quàm prospera, aduersáque fortuna designetur? Sanè, vt materialis Sol per diem vrit, ne aliter Luna per noctem cùm frigus est, afficit; adeò vt gelu, & pruina per illius vim concreta vrant, atque percutiant? ita omnino tam aduersitas, quàm felicitas, nisi Dominus custodiat te, & protectio tua sit; animum tuum adurent; eius verò ope, atque tegumento, nec tibi diei claritas, nec noctis tenebræ nocebunt. At inquis. Nónne opportunius, & salubrius esset, Solem Lunámque remoue, & seruis suis Dominum nec diuitias, nec paupertatem dare, quàm ipsos ab horum ardore protegere? Minimè quidem; nam inde, & egregia Christiani militis fortitudo, & diuinæ gratiæ efficacitas splendidiùs emicat. Audi Ambrosium præfato sermone 8. in

Ambros. Psal. 118. *Bonum est, vt in tranquillitate sit animus tuus, & in quadam serenitate, sed gubernator ille melior est, qui in tempestate nauim gubernat. Rege igitur te ipsum, quando turbetur animus, mens fluctuet. Laudauerim virtutem gubernatoris, qui nullas procellas senserit, & cursum nauigij direxerit, nulla tempestate iactatus? Sed illum laudauerim, qui aduersùs ventos renititur, insurgit aduersùs fluctus; non timet vel cùm eleuatur vndis nauigium, vel cùm ad profundi ima deponitur. Itaque, & ille laudandus est gubernator sui, qui ea, quæ aduersa sunt, vincit patientia, virtute superat, secundis non extollitur, aduersis non frangitur.* Hæc Ambrosius.

8. Iam illud tibi pro comperto sit, nos duas, sed vnam tantùm scientiam esse, qua & *humiliari*, & *abundare* discitur: quippe vnum sine altero non bene scies: immò verò id sapientibus perpetuò obseruatum est, eos qui secundam fortunam moderari, & coërcere didicerunt, aduersam postmodum sapienter, & opportunè tractasse, & prudentiæ fræno compressisse, atque è contra in secundis rebus illos sese optimè gessisse, qui aduersarum ictus egregia animi temperie tulissent: vel vide castissimum illum Ioseph florentissimam Ægyptiæ ditionis fortunam prudentissimè tractantem, atque gubernantem, & infensissimos sibi fratres blandissimo affectu complectentem, quòd aduersantem, immò insidiantem priùs æquissimo animo tulerit: vide illum primo aduersùs sæuissimas tribulationum procellas renitentem, & contra concitatissimos ventos cursum nauigij sedatissimo pectore dirigentem. Sic enim de ipso

S Basil. Seleuc. S. Basilius Seleuciensis orat. de Ioseph. *In carcere Iosephus habetur seruus simul, ac vinctus. Verùm fluctibus tantis circumstantibus iuuenis exhaustis inconsumpto animo perdurat, nec enim vocem iecit ægrescentis, Dei sollicitudinem incusans. Hoc (dicens) pro virtute hostimentum; hic animi fructus temperantis? hæc curæ in patrem merces? inuideri, venire, barbaris seruire; pro domo carcer, etiam ferrata compede teneor? Nos ne adulterio superiores ad pares cum mœchis pœnas seruamur? Horum nihil effutijt, sed contra omnia patientiam vincit, gratóque animo pericula sustulit.* Iam hinc ad miram ipsius temperantiam, qua secunda fortuna est vsus, animũ transfer; indidémque eumdem Basilium audi. *An tunc* (inquit) *qui exsplendescebat virtutis characterẽ obscurauit. Num ex dignitatis occasione præclarè factorum labes, & ruina secuta est? nequaquam: cum enim in manibus haberet homines iniurios, & punire non fratres, sed hostes potuisset, quid agit? Vide insuetam vltionis formam. Inuidiam, venditionem belluinamque immanitatem humanitatis obsequijs vlciscitur.* Hæc Basilius; vtrũque verò sic præstrinxit Gregor. Magn. lib. 10.

Moral. cap. 4. de dilectione agens. *Hæc Ioseph docuit à fratribus venundatum libertate animi infracta seruitium perpeti, & ijsdem post fratribus mente non elata principari.* Sic ille: similiter etiam ad res aduersas fortiter ferendas à temperantia in prosperitate magnum, atque efficax sumitur argumentum. Sanè dum Danielem inter ferocissimos leones illæsum, securúmque vides, non immeritò dixeris ad summam religionem, atque integritatem, qua apud Darium plurimum valens in regni administratione sanctè, & modestè se gessit, fore referendũ: contrà verò Petrum in Passionis Christi nocte siue aduersitate fluctuasse, non multum miraris, qui illum in Thaboris prosperitate nullum secundæ fortunæ terminum ponentem, vidisti. Pende verò eo modo ipsum ab aduersa fortuna abreptum, quo fuerat à secunda delinitus. Nimirum qui in Christi transfiguratione nesciens abundare, inquit: *Bonum est nos hic esse: nesciens* (inquit Lucas) *quid diceret*: postea in Passione, nesciẽs Luc. 9. 33.
humiliari: ancillæ dicenti, *& tu cum IESV Galilæo eras*; respondet: *Nescio quid dicis*, Matth. 26. 70. Matt. 26. 70.
Nescius planè vtrobique, à prosperitate primum emollitus, ab aduersitate postea transuersũ actus: vt omnino verum sit quod dixit August. lib. 50.
homiliarum hom. 21. *Priùs corrumpunt prospera, vt inueniant quod frangant aduersa.* August.

Ad illa verba. *Scio abundare, & satiari.*

Adnotatio II.

Secundam fortunam acrioribus stimulis, quàm aduersam hominum animos fatigare, & ad peccatum lenocinari.

VT plura sint, quæ egregiam Pauli sanctitatem, atque sapientiam mirificè commendent, ac præclara hæc scientia, qua abundare, & satiari didicit, quin abundans, & satur fuerit, hoc est, quin abundantiæ discrimina, & saturitatis pericula experiretur, quòd animum tam bene constitutum, atque formatum haberet, vt florenti fortuna, & secundarum rerum excellentia minimè efferretur, illum in iustum gloriæ fastigium asserit, & ad cœlum vsque effert, atque ibi perpetuam conuersationem, ac municipatum habere ostendit. *Scio* (inquit) *abundare, & satiari.* O maximam! & pœnè diuinam scientiam! quis nisi Paulus; quis, inquam, nisi mundo maior, & homo pænè cælestis, ac diuinus id sciuerit, & prouinciæ omnium difficillimæ par esse potuerit? Nónne, adamantini animi fuerit in secundis moderatio? sapienter siquidem Albutius Silus Alexandrum Oceani vincula perfringere tentantem submonebat apud Senecam Patrem suasoria prima lib. 1. *Terra quoque suum finem habent, & ipsius mundi aliquis occasus est: nihil infinitum est: modum magnitudini facere debes, cùm fortuna non facit. Magni pectoris est, inter secunda moderatio.* Nónne I. Seneca. l. a. r.

secun

secunda, & florens fortuna, graui, & aduersa multo periculosior? Quoties, rogo, homines vidisti, quibus in priuata, immò, & in aduersa fortuna nihil moderatius, nihil sanctius fuerit, quique aliis optimæ disciplinæ exemplar exstiterint, succubuisse postea blandientis fortunæ ponderi, & exiisse honestam illam sanctitatis rationem, & nouam quamdam naturam induisse? Sanè *virtutis fidei* (sic Auctor operis imperf. hom. 26. in Matth.)

Auct. Oper. Imp.

in periculis secura est, & in securitate periclitatur; quid enim aliud sic vigorem fidei in hominibus laxat, ac longa tranquillitas? Ita quidem callidus Imperator Galba Pisonem in imperij socium atque collegam è diuturnis militiæ laboribus seligens, hunc in modum præmuniebat apud Corn. Tacit. lib. 1. historiar. *Fortunam adhuc tantum aduersam tulisti: secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.*

Cor. Tac.

Optimè, quasi id animi robur quod miseriis tolerandis par esse soleat, felicitatis ponderi non sufficiat, quin ab eo deprimatur. Multos enim (inquit Greg. Magn. lib. 32. Moral. cap. 17.) *peius sua felicitas strauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eòque illos inopinatus hostis grauius perculit, quo longo quietis vsu negligentes inuenit*, vnde vel ipsemet satyricus docens quid orare, & à Deo efflagitare debeamus, sapienter, ac viriliter monebat, satyra 10.

Greg. Magn.

Fortem posce animum, & mortis terrore carentem.
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat.
Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores.
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores.
Herculis ærumnas credat, sæuosque labores.
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

Rectissimè. nam validiores hostes hi fuerint, & quos difficiliùs superaueris: sic Cyprian. lib. de Pudicitia. *Omne malum facilius vincitur, quam voluptas, quia illud quidquid est, horridum est, hoc blandum est. Nihil tam difficile opprimitur, quam quod per illa armatur.*

Cyprian.

2. Id quàm sit verum, infelix tibi Noë casus facile ostendet, is enim qui sæculo maior, & aquis orbem inundãtibus, & submergentibus superior exstitit, qui nullis, inquam, labentis mundi, aut ruentis cœli periculis de loco virtutis dimoueri potuit, secunda flante aura, vino obnoxium, cóque deuictum, & stratum, quasi humana felicitate sepitum, & inebriatum videris, Genes. 9. 21. vti ad hunc modum contemplatur Ambròs. lib. 3. Hexaëm. cap. 17. ad fin. *Denique, & ipse inebriatus est Noë, & obdormiuit consopitus à vino. Itaque per vinum patuit deformitati, qui per diluuium excreuit ad gloriam*, vide quantum inter prosperam, & aduersam fortunam intersit, & quàm acrioribus stimulis secundæ res animos explorent, quippe is qui aquis tribulationũ non cessit, vino deiectus, & prostratus est, *quia miseriæ tolerantur, felicitate corrumpimur*, &, vt dicebat Gregor, *multos peius sua felicitas strauit, multos diuturna pax inertes reddidit.* Vnde sanctus Vates Ieremias mæstissima aliquando voce clamabat: *Maledicta dies in qua natus sum*, Ierem. 20. 14. Sed quare? Num quòd multis premeretur incommodis? sæuisque afflictaretur, & fatigaretur calamitatibus? Minimè; nam vndequaque obsessus molestiis seruo animo, & silentium tenuisse, & nullam humanorũ affectuum turbationem fuisse perpessum, sic ipse aiebat c. 17. 16. *Et ego non sum turbatus te pastorem sequens: spes mea tu in die afflictionis: confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego*; paulo antè in hoc eodem

Gen 9. 21.
Ambros.
Ierem. 20. 14.
Ierem. 17. 16.

loco, in quo sumus vers. 11. Dominus mecum est tamquam bellator fortis; idcirco qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt, &c. Cur ergo homo virili animo aduersa omnia despiciens, natiuitatis suæ diem summis doloris indiciis tam diris vocibus deuouit? Respondet S. Petr. Damian. lib. 1. epist. 20. satis ad morem Scripturæ, in qua dies pro felicitate sumi solet, (vt & nos ad cap. 1. vers. 15. adnot. 1. num. 11. satis ostendimus, & Magister meus Ludouicus del Alcazar ad id Apocalyps. 20. 10. *cruciabuntur die, ac nocte*, ante me docuit) hunc in modum: *Non hic illa dies, in qua natus est homo, maledicitur, sed prosperitas illa potius, qua lenocinante in peccatum lapsus est, condemnatur.* Nec id ceperis de graui aliquo peccato, cùm sanctissimum hunc Vatem in ventris albo sanctificatum, aduersùs lethalia flagitia præmunitum fuisse, certo certiùs nouerimus.

S. Petr. Dam.
Alcaz. in Apoc. 20. 10.

3. Congruunt omnino altera Dauidis, altera Ezechiæ Regis opportunissimæ voces. Prior enim Psalm. 55. 3. sic secum colloquebatur; *Conculcauerunt me inimici tota die: quoniam multi bellantes aduersum me: Ab altitudine diei timebo*: vbi dum diei altitudinem pro humana prosperitate pulcherrimæ lucis plus plus ascendentis, & angustior pompa splendentis imagine, (vti explicat sapienter Hugo) capit. Vates, sensum communem cum Ieremia habere videtur; ac si dicat, & plures, atque ij atrocissimi hostes implacabiles in me iras exerceant, & cruenta bella indesinenter gerant; non est cur mihi ab ipsis adeò vt à secunda fortuna, & blandienti rerum decursu timendum putem: significantiùs expresseris Hispane; *No temo no a mis perseguidores: la prosperidad si que temo yo*; sed quare? Respondet Gregor. Magn. homil. 40. in Euang. *Iusti prospera, quia se ab intima intentione præpediunt, agrè ferunt, & molestè præsentis vitæ blandimenta tolerant, quia per hæc se vtcumque tardari in interno desiderio non ignorant. Plus enim in hoc mundo honor, quàm despectio occupat, & magis prosperitatis sublimitas, quam necessitatis aduersitas grauat. Per hanc namque nonnumquam cum homo exteriùs premitur, ad concupiscenda quæ intus sunt liberiùs relaxatur: per illam vero animus, dum multis parere cogitur, à desiderij sui cursu retinetur. Vnde fit vt sancti viri magis in hoc mundo prospera, quam aduersa formident.* Subscribit ad similia Vatis verba Ambrosius serm. 11. in Psalm. 118. inquiens: *Tentant otia, quos bella non fregerant; periculosa igitur, & pacis otia, in pace plures persecutiones esse cœperunt, &c. Merito ergo Dauid occasiones expetit triumphandi, & certandi copiam pro deuotionis eruditione non metuit.* Altitudinem sanè diei, & lucem sese extollentem, & prouehentem timet, Solis enim æstu animi virtutem liquefieri atque dissolui malo ipse fato in suis vulneribus expertus, nouit; quid enim? Num cùm illum conculcabant inimici tota die, bellantes vndique aduersùs eum? an verò cum Sole in altum sublato meridianis horis in solarium ipse domus suæ conscendit; cum pace, inquam, otio, & prosperitate vndequaque erat vallatus, & circummunitus, alienum matrimonium libidine incensus fœdauit, & se turpissimo amore ad satietatem expleuit? Audi Augustinum lib. 3. de doctrina Christiana cap. 21. *In alienam feminã irruit temporalium rerum prosperitatibus abreptus.* Iam verò Ezechias, qui ob incredibiles triumphos, & de media captiuitate victoriam, ne eleuaretur, vehementi morbo conflictatus est, vt præter Hieronymum à nobis alibi adductum sic eleganter obser

Psal. 55. 3.
Hugo.
Greg. Magn.
Ambros.
August.

S. Isid. Pelus. obseruauit Isidor. Pelusiota lib. 5. epist. 283. *Quo tempore Ezechias Hebraeorum Rex trophaeum aduersus Persas, tum omni admiratione maius, tum humano robore, atque humana spe sublimius excitatum vidit, tum nimirum morbo percussus est: quo animae saltus freno compressi non eum vt extra decorum prosilire, adigerent, pectorique materiam, arrogantiae bellum exciperet:* adeò hinc ab excelso dierum suorũ, siue à sanguine plus æquo redundante cauere didicit, (de quo vide quæ diximus cap. 1. vers. 7. adnot. 1. nu. 11.) vt optione ei in salutis signũ à Deo postmodum facta, vtrùm vmbra in horologio Achaz decem sursum lineis conscenderet, an totidē gradibus recurreret, ac retroiret; sic enim 4. Reg. 20.
4. Reg. 20. 9. 9. *Vis, vt ascendat vmbra decem lineis: an vt reuertatur totidem gradibus:* ipse in Sole humanam felicitatem, atq; in vmbra temporalia bona fideli sensu considerans; altitudinemq; diei sapienter metuens; *nec hoc volo,* inquit, *vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus,* ac diceret, sat noui meridiani temporis, altitudinisque diei discrimen, certissimáque exsultantis, florentisque fortunæ pericula, ideo aduersam illam potiùs, & insidiantem, cursúmque suum retro agentē malo: sanè vt pulchrum illũ Ambrosij sensum videatur exprime-
Ambros. re lib. 3. officiorum cap. 14. *Nullis enim aduersis honestas impeditur, quae in his eminet, & magis praecellit,*
Seneca. *quàm in prosperis,* siue hunc Senecæ epist. 68. *Malo fortuna in castris suis, quàm in delitijs habeat.* A quo nec ille felicissimus tyrannus Polycrates abire videtur, qui suspectam sibi nimiam prosperitatem habens, seipsum aliquando pretiosissimarum rerum iactura affligebat, vt à florentis fortunæ inuidia, & volubilitate sortem cum vsuris exigentis minori pretio se redimeret; cùm tamen ea secundæ fortunæ malignitas fuerit, vt quidquid ipse bene amiserit, illa malignè, ac insidiosè restituerit, vt omnia simul repetens atrocius affligeret, & in acerbissimam crucem ageret, vt ex historiis liquet, & magno iudicio adnotauit Plinius lib. 37. natur. hist. cap. 1. vbi de gemmis agens sic
Plinius. incipit. *His initijs caepit auctoritas in tantum amorem elata, vt Polycrati Samio seuero insularum, ac littorum tyranno felicitatis suae, quam nimiam fatebatur, etiam ipse, satis piamenti in vnius gemmae voluntario damno videretur, si cum fortunae volubilitate paria faceret, planéque ab inuidiâ eius abundè se redimi putaret, si hoc vnum doluisset. Assiduo ergo gaudio lassus prouectus nauigio in altum anulum mersit. At illum piscis eximiae magnitudine Regi natus esca vice raptum, vt faceret ostentum in culinam domini rursus fortunae insidiantis manu reddidit:* scitè *fortunae insidiantis manu,* quæ ex nimia felicitate perituro insidias struebat: vide miserum huius prosperitatis exitum in eodem Plinio lib. 32. cap. 1. & verò, vt hæc inconstantiæ, & ludibriis fortunæ aptiùs conueniant, nostro etiam instituto ad secundæ fortunæ discrimina perpendenda aptari etiam possunt.

4. Hinc apud omnes, qui pleno pectore sapiunt, nullum virtuti, ac bonis moribus grauius siue periculosius bellum, quàm quod illis longa pax mouet; sic Romanis vt fortissimis olim, & multis in bello rebus egregiè, & fortiter gestis apud omnes inclytis; ita postmodum diuturna pace, & otio inertibus, & languentibus sapienter dicebat Ter-
Tertull. tullianus libro de pallio capite 5. *Quippe si pergam ad acuta tecum, plus toga Rempublicam laesere, quàm lorica.* Explicuit id tempore multo prior satyricus, qui perditissimos vrbis mores carpens, è longa illos pace, & florenti fortuna prouenasse affirmat: sic etenim satyra 6.

Vnde haec monstra tamen: vel quo de fonte requiris?
Praestabat curas humilis fortuna Latinas.
Quondam nec vitijs contingi parua sinebant.
Tecta, labor, hominisque breues, & vellere Thusco,
Vexatae, duraeque manus, ac proximus vrbi
Hannibal, & stantes collina in turre mariti.

Subjicit duos pulcherrimos, & opportunissimos versus doctrina, & sapientia imbutos.

Nunc patimur longae pacis mala. Saeuior armis.
Luxuria incubuit, victúmque vlciscitur orbem.

Petimur, inquit, *pacis mala,* qui multis pacis bonis frui videmur, & qui armis orbem vicimus ab ipso luxuria, & malis moribus victi iacemus, quæ vide, oro, an nobis ipsis noui orbis domitoribus dici possint, quippe victus ipse, & spoliatus, luxu, & abundantia, quàm armis multo sæuior; auróque quàm ferro valentior nos domuit, & sui copia, & abundantia fregit, atque corrupit: concinit Iuuenali Plinius, & nostræ etiam obiurgationi similem materiam ministrat lib. 33. cap. 11. inquiens:
Asia primum deuicta luxuriam misit in Italiam. Eadem Asia domata multo etiam grauius afflixit mores; Plinius.
& post nonnulla. *Pariterq; luxuria nata est, & Carthago sublata; ita congruentibus fatis, vt liberet, amplecti vitia: licèt peccare,* hoc est; vt ex abundantia libido & cupiditates orirētur, & hoste velut fræno sublato impunè in vitia ruerent: firmat id Seneca appositis imaginibus epist. 39. hunc in mo-
dum, *sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem nō peruenit nimia fae-* Seneca.
cunditas: idem animis quoque euenit, quos immoderata felicitas rumpit. Nec ab hoc iuerit, quod de Ge-
ruscis apud Germaniam inquit Cornel. Tacit. *de* Corn. Tacit.
moribus Germanorum, his verbis. *In latere Chaucorum Cattorúmque Cherusci nimiam, ac marcentē diu pacem illacessiti nutrierunt, idque iucundius, quam tutius fuit, quia inter impotentes, & validos falsò quiescas: vbi manu agitur, modestia, ac probitas nomina superioris sunt.* Iam vt hæc nostra omnino faciamus, audi Ambrosium citato serm. 11. in Psal. 118. de Dauide sic inquiens. *Hoc solum sibi ad gloriam fructuosam, hoc ad custodiam salutis tutum, vt frequentibus exercitijs iusti pietas confirmaretur: cito enim fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis: remissas excubias callidus insidiator irrumpit, assuetum bello virum externa fraus instruit, & gloriosa prouehit palma victoriae.* Concludit, *Pax ergo fidei corruptela materia est.* Sic Ambrosius. Sed rursus ad Senecam reuertere libet, de amænitate Campaniæ fortem Hannibalis animum bello inuictum, & laboribus infractum, deliciis, & blandimentis eneruante; atque domante, sic loquentem epistola 51. *Indurandus est* Seneca.
animus, & à blandimentis voluptatum procul abstrahendus, vna Hannibalem hiberna soluerunt, & indomitum illum niuibus, atque alpibus virum eneruauerunt fomenta campaniae. Armis vicit, vitijs victus est. Persimile omnino est quod in Lucio Sylla arguit Sallustius in coniuratione Catilinæ, his verbis. *Lucius Sylla exercitum, quem in Asia ductauerat, quo sibi fidum faceret, contra morem maiorum luxuriosè, nimisque liberaliter habuerat loca amena voluptaria facile in otio feroces militum animos mollijuerant; ibi primum insueuit exercitus populi Romani amare, potare, signa tabulas pictas, vasa celata mirari, & priuatim, ac publicè rapere delubra spoliare, sacra profanáque polluere.* Ita Sallustius. Sed mihi omnium elegantiùs S. Paulinus hac de re cùm Nat. 8. de S. Felice ait.

S.Paulinus. *Placemus mœrore humiles, quem læta ferentem*
Spernimus ex ipsa mox prosperitate, superbi.

5. Non latebat id sanè sponsam, quæ pacis bella, & tranquillitatis mala prospiciens,& cauete exoptans,sic à cœlesti sponso perquirebat. *Indica mihi, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam, post greges sodalium tuorum*, Cant.1.6. & verò dum difficilè ab interpretibus explicatur,quid ibi meridianum tempus significet,atque in re ambigua vnus quisq; in suum sensum abit;perplacet mihi quod me ad hęc verba docebat P.Luysius del Alcazar, cùm priuato, collatóque simul studio facti huius libri nucleum, & cohærentem filum eruere conabamur; sermonem nimirum esse de pace, ac tranquillitate Ecclesiæ, quæ persecutionis tempori succederet, qui quidem sensus apertè conuincitur,tum ex præcedētibus verbis vers.5. *Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me*: in quibus cum de persecutionibus,& vexationibus Ecclesiæ ex communi Patrum, & expositorum consensione agatur,manifestè fit in his,in quibus de re noua sibique inexperta consulit sponsa pacem,& quietē significari,tum vel maximè,quòd meridiani temporis imago ab arte pastoritia desumpta hunc sensum necessaria ratione exigat; sic namque Plinius lib.18. cap.33. pastores monet: *Cum meridiem adesse senties pastor, æstate contrahente se vmbrà,pecudem a Sole in opaca cogito*; similiter,& Persius de hac meridiana hora,

Et patula pecus omne sub vlmo est,

& Virgilius,

Nunc etiam pecudes vmbras, & frigora captant.

quietem, & refrigerium ab æstatis ardore vterque poëta; & Plinius significantes quod & ipse cōtextus satis indicat. nam si Solis æstus in campo toleratus persecutiones,& labores adumbrat, meridiana requies in locis opacis,& sub arborum vmbra exacta,tranquillitatem,& pacem designabit:quibus adde phrasim altitudinis diei,à qua timebat Dauid vt num.3. vidimus, quæ eadem cum hac esse videtur. Iam cùm in Hebræo pro *cubes* sit *cubare facias*, is ex dictis se prodit sensus: vt Ecclesia, quæ persecutiones, & labores tolerans nihil sibi metuendum existimabat, quippe quæ Deum apud se manentem, & sese vndequaque protegentem habebat:ipso apud Vatem affirmante, *cum ipso sum in tribulatione*, Psal.90.15. secundam fortunam, blandámque pacis auram non mediocriter horreat,timens ne illius lenociniis in creaturarum amorem dilabatur, & vulgarium bonorum auida, vulgaris, & velut vna è grege mutorum efficiatur,vnde sollicitè ab sponso perquirit,vbi tunc temporis oues suas pascat,& cubare faciat; hoc est, quibus documentis, & virtutum exercitiis aduersùs pacis bella, & tentationes instruat, atque communiat, *ne vagari* (inquit) *incipiam post greges sodalium tuorum*: siue, vt è Hebræo transfert Pagninus, *vt quid enim ero velut declinans ad greges sodalium tuorum*, quasi ex pace, ni peculiari Dei ope, & institutione fulciatur, in infimas, & abiectas terrenarum rerum, & brutorum proprias voluptates sit casura. Benè ergo dicebat Ambrosius iam citatus. *Hoc sibi solum ad gloriam fructuosum, hoc ad custodiam salutis tutum, vt frequentibus exercitijs iusti pietas confirmaretur: cito enim fides inexercitata languescit*,&c. vnde, quàm multa in persecutione fuerint virtuti adiumenta, & aduersùs voluptates, & vitia munimina, sic statim adstruit. *Quam pulchrè* (lege *pulchra*, premere enim videtur Ambrosij illud Senecæ in hanc sententiam lib. de prouidentia de bellorum tempore. *Quam bella ætas perijt*) *nobis persecutionis processere tempora, intentus sicut medicus* (lego *mendicus* sanans medicum, & mendico opem ferens) *erat intima ad Deum mentis affectus, illi adhærebat, nec vllas cogitationes obstrepentes sibi precantis animus sentiebat: totis visceribus fundebatur oratio, & quidem miscebatur cum Domino quotidiana meditatio, habebat iam contemptum periculi, & vsum calcandæ mortis receperat. Quod amisimus exercitium?* Quod postmodum Apostolorum exemplo, qui laboribus afflicti,& verberibus affecti nec de patrimonio contendebant, nec de gloria litigabant, sic firmat. *Non illis erat cura de patrimonio, studium de potestatibus, & honoribus, non de prælatione, quæ iustos etiam exagitare consueuit, sed ille se præferri putabat,qui esset pluribus verberibus flagellatus.* En quòd sponsa in pacis,& quietis tempore sibi non affuturum iure pertimescebat.

Ambros. Seneca.

Congruit quidem præfatæ sponsæ interrogationi, cœlestis Magistri indidem responsio, atque admonitio. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregem, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* At enim, eo in loco venerabilior mihi ob Patrum auctoritatem, quàm literæ opportuna ea expositio videtur, quæ hæc verba sic capit, vt grauiter à cœlesti sponso vt sui immemor, & propriæ dignitatis, siue etiam innatæ vilitatis (vtraque enim sui notitia ad animi profectum non mediocriter conducit) oblita increpetur sponsa; sed nec illorum etiam interpretamentum probo, qui vtrumque imperatiuum *egredere, & abi*, pro futuro accipiunt, ad terrorem sponsæ, quasi si ipsa ad sui cognitionem animum non aduertat, futurum sit,vt exsul à Christo ad sæcularia bona, siue impedimenta errabunda & temeraria feratur. Ergo cùm illud, *si ignoras te*, (vt Hebræa manifestè ostendunt, vbi est: *si ignoras tibi*) perinde fuerit, ac si emphaticè dicatur, si id quod interrogas, non nouisti, & mea in schola adhuc rudis, & inerudita es: quod sequitur *egredere, & abi*: quæ in Hebræo leguntur, *egredere tibi*: hunc commodissimum sensum habet, vt moneatur sponsa in pace bella quærere, vt quando persecutores non adsunt, ipsa vt quietis discrimina fugiat sese insectari, & per egressum à se ipsa, hoc est, à propriis delitiis & commoditatibus vellicare, & affligere conetur, eo modo quo Exodi 33.7. dicitur: *Omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem*; (siue vt LXX. habent: *Omnis qui quærebat Dominum*) *egrediebatur ad tabernaculum fœderis*, in quæ verba Philo. *Nam si quæris Deum, ô anima! à te ipsa egressa illum quære; donec enim manes in mollibus corporeis, aut mentis opinionibus, non es apta ad quærendas res diuinas, etiam si præ te feras quærendi studium.* His mirè consentiunt,quæ sequuntur, *& abi post vestigia gregum.* Quid enim id fuerit, nisi Dauidis, & Pauli sensa exprimere? Psalmo 43. 23. & ad Romanos 8. 36. *Quia propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oues occisionis*: ac si sponsæ ingeratur, imitare oues, quæ per proprios pedes ad victimam, & carnificinam eunt, & te ipsam affligere, & mortificare non desine: ita pænè Martinus del Rio explicans vestigia gregum. *Patriarcharum Prophetarum, & iustorum omnium, qui in hâc vita pressiones pro Deo sustinuerunt per crucis iter ambulantes*: vel si ma 7.

Hebraicè. Exod.33.7. LXX. Philo. Psal.43.23. ad Rom.8.36

si mauis, hæc sic cape, hærendo Hebreæ, & Græcæ voci, Latinæ *vestigia* respondenti, quæ extremam plantæ partem, quæ calcaneo proxima pulueris vestigium imprimit, propriè significat, vt admoneatur sponsa, oues imitari, quæ totum pedem in petra non figunt, sed summis eam vngulis attingunt, vt sæculi rebus nón inhæreat, aut incubet, immò potiùs ea vel extremis plantis, aut suspensis attingat, quod sanè, monitum aduersùs prosperitatis pericula est maximè opportunum. nam sumpta ab vuis similitudine de anima dicebat sapienter Ambros. lib. 5. in Lucam, *quæ sicut vua proxima terra corrumpitur, in superioribus maturatur.* Nec hinc discesserint, quin contendam, his optimè cohærere, quæ subiicit sponsus, *& pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* nam ex mente Agathij Guidaccerij, qui pastores intelligit alienigenas gentes; perinde est, ac si moneat, propera ad infideles, siue ad Indos, vel ad Anglos ad Catholicam fidem disseminandam, vbi aduersùs otij mala copiosam laborum messem inuenies, & palmam martyrij forsan obtinebis.

7. Vtinam verò vt ad prauidenda pacis, & prosperitatis discrimina non incauta, aut imprudens, itaq; ad obtemperandum his cælestibus admonitionibus promptior fuisset, & obsequentior sponsa; sed proh dolor, quæ miserias, & tormenta fortiter tolerauerat, pace subinde, & felicitate corruptam videris. Audi Gregor. Nazianz. orat. 3. quæ est prima in Iulian. *Nos quippe cùm probi, & moderati essemus in altum sublati, eoque paulatim prouecti, vt in hanc rerum speciem, hominúmque multitudinem Dei ope, ac fauore peruenerimus postquam incrassati sumus recalcitrauimus, & posteaquam dilatati sumus in arctum redacti sumus, quámque in persecutionibus, & calamitatibus gloriam, potentiámque collegeramus, eam in secundis rebus deleuimus*; ipsarum videlicet suauitate, & blanditiis deliniti. Audi Leonem Magnum luculentissimè id pertractantem serm. 6. in Epiphania. *Cùmque dæmon seuiendo nihil videret proficere contra Ecclesiam terrores proscriptionum in auaritia mutat incendium, & quos Christianos damnis non fregit, cupiditate corrumpit; malignitatis enim longo vsu propria imbuta nequitiæ non deposuit odium, sed vertit ingenium, quò sibi mentes fidelium blandiùs vrat, inflammat concupiscentiis, quos non poterat vexare tormentis.* En iustos Ecclesiæ de pace, & felicitate timores. En certa secundæ fortunæ pericula, & damna, quòd si ea graphicè depicta, & sigillatim descripta videre velis, adi Eusebium Cæsariens. lib. 8. hist. Eccles. in principio, vbi illam Diocletiani, & Maximiani atrocissimorum Ecclesiæ hostium crudelissimam persecutionem ad purgandam Ecclesiam voluptatum, & vitiorum blandimentis luxúque corruptam egregio Dei beneficio permissam multis persequitur. Vt ego denuo tibi ingerã, & aucto quidem censu diffundam meam explanationem, quam ad cap. vers. 22. num. 13. reddidi illis Canticorum verbis cap. 4. 16. *Surge Aquilo, veni Auster, persla hortum meum, & fluent aromata* eius, quòd huius loci propria sit: etenim sub horum ventorum imagine floribus & plantis perpetuò infensorum, acerbissimos illos Imperatores Diocletianum, & Maximianum designari; mihi semper persuasum fuit. ergo illud statim, cùm primùm audis, Aquilonem, & in hortum aduocari, non ingratiis horti cultori obiicis id ipsum plantis, & floribus eum exoptare, quod omnino cauere, & maximè metuere debuerat nam vt omittam, quæ ad id loci de Aquilonis sæuitia dixi, & quod de illo ait Albert. Magnus eas nubes cogere solitum, quæ grandinem, tonitrua, fulgura, & fulmina eiaculentur, quæ propria sunt Austri, quòd his & num. seq. dicendis opportuniora sint appingam. sanè si vocibus omnium maximè diris flores deuouere, & perpetuam plantis ariditatem, & luctum imprecari vellet, Austro hæc committere debuisset. Nónne apud Virgilium eclog. 2. nescio quis dolens dicebat,

Eheu! quid volui misero mihi? floribus Austrum Virgilius.
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.

Et Papinius 3. sylua.

Pubentésque rosæ primos moriuntur ad Austros. Papinius.

Et sylua. 5.

——— ——— Maligno.
Afflantur vineta Noto.

Et sylua 2.

Ille velut primos exspiraturus ad Austros.
M[illegible]us in pratis altè flos improbus exstat.

Et Valer. Flacc. 6. Argon. Valer.

Lilia per vernos lucent, velut alba colores,
Præcipuè queis vita breuis, totúsque parumper.
Floret honor, fuscis etiam Notus imminet alis.

Et omnium litterarum peritissimus Hieronym. in epist. ad Heliodor. *Marcescebat, prò dolor, flante Austro lilium, & purpura violæ in pallorem sensim migrabat*, & vt floribus infensus Auster, ita hominibus Philone auctore lib. allegor. edocto opinor ab Hippocrate aphor. 5. 17. lib. 3. grauis, & summè noxius, *capitis dolorem inuehens, grauedinem, fastidium, mærorem* (quæ omnia à Cerda, ad eum Virgilij locum, mutuasse, atque id palàm profiteri, minimè pudet: nam, & amicitia, quæ maxima inter nos intercedit, communia omnia facit, & per virum summæ eruditionis proficere, amamus, & profecisse gloriamus.) Nónne ergo blandum Zephyrum, siue Fauonium floribus, plantis vitalem amicum, atque nutritium opportuniùs aduocasset? de illo siquidem Plinius lib. 18. cap. 34. *Fauonius, Zephyrus Græcis nominatus in hunc spectare, cliueta Cato iussit. Hic vero inchoat, aperitque terras tenui frigore saluber. Hic vites putandi, frugésque curandi, poma inserendi, oleas tractandi ius dabit afflatúque nutritium exercebit.* Audis agricola? quæ ergo tua ruris peritia fuerit? qui zephyrum, vitalémque eius afflatum abiicis, & infensum Austrum fuscis, & exitialibus alis imminentem ad primum cuius flatum pubentes, rosæ moritura, lilia, & flores exspiraturi sunt; tanto conatu adducis? Sanè, quòd amænissimo Ecclesiæ horto nihil exitialius, infensius nihil, quàm blandus hic zephyrus fuerit nutritio afflatu illius plantas, florésque demulcens; id enim callidi hostis ingenium fuit, vt quos Aquilone, & Austro damnis scilicet, & tormentis vincere non potuit, suaui fauentis, & secundæ fortunæ fauonio sub nutritij, fauentísque amici prætextu corrumperet, & quò sibi fidelium mentes blandiùs vreret, inflammauit concupiscentiis, quos non potuit vexare tormentis: sic opportunus huic rei dicebat Ambrosius iam adductus; *tentant otia, quos bella non fregerant; periculosa igitur, & pacis otia; in pace plures persecutiones esse cœperunt*: subiicit verò statim ea damna quæ ab Aquilone, & Austro olim exclusa blandus hic, & sæuus Zephyrus induxit. *Nullus erat persecutionis tempore adulator, qui callida mentem adulatione tentaret, non vacabat animo, corporis delectatione dissolui, & eiusmodi, quæ secundis rebus excitari solent admittere passiones.* Sed hæc referre placet ex Cypriano libro de lapsis pensiculariùs exscribentem, vel ea motum ratione, vt tacitus apud te

Hieron. Hippoc. Carda. Plinius. Cyprian.

P. Anton. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

perpendas, an multo magis pura nostra sint tempora; atque inde à temporalibus, & externis bonis cauere dicas. Iam verò Cyprianus, *traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruperat*, &c. *studebant augendo patrimonio singuli, & obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata: adulterati post Dei manus oculi: capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda simplicium callidæ fraudes, circumueniendis fratribus subdolæ voluntates. Iungere cum infidelibus vinculum matrimonij prostituere Gentilibus membra Christi: non iurare tantùm temere, sed adhuc etiam peierare: præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere, odiis pertinacibus inuicem dissidere: Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo, diuina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, de relicta cathedra, plebe deserta per alienas Prouincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesia fratribus non subuenire, habere, argentum largiter, velle fundos insidiosis fraudibus rapere, vsuris multiplicantibus fœnus augere.* Hæc, & alia plura Cyprianus. Ecce suauis Fauonij nutritium afflatum, & fauentis. Zephyri fructus: quis non exclamet?

O ventum horribilem, & pestilentem!

Surge ergo *Aquilo: veni Auster*; surgat persecutor, veniat Diocletianus, siue Decius, & perflent Ecclesiæ hortum, vt pro terrenis cælestes fructus ferat: ita omnino iudidem Cyprianus: *Ita enim si em, & penè dixerim a ... enem censura cælestis erexit.* O vtilem, & proficuum Austrum.

Cyprian.

§. Iam verò, vt præfata Aquiloni, & Austro exhibita expositio firmius subsistat, & aduersùs secundam Zephyri auram, nimiámque felicitatem, siue delitias odium altiùs tibi animo hæreat; quid Hebraicæ plebi sub his mutuo sibi diffidentibus ventis contigerit, animaduerte: ducebat quidem Dominus plebem illam Israëliticam per desertum sub Austri flatu; seueriori, inquam, disciplina, & grauioribus institutis illum coërcens, carnium esum, delitias, & superflua vitæ oblectamenta denegans vt paternum erga illos animum; honestatis, & rectitudinis eorum percupidum cohiberet, vel Gentili Seneca id agnoscente cùm lib. de prouidentia cap. 2. ait. *Patrium habet Deus aduersùs bonos viros animum, & illos fortiter amat, & operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagitentur, vt verum colligant robur. Languent per inertiam saginata; nec labore tantùm, sed mole, & ipso sui onera deficiunt. non fert vllum ictum illæsa felicitas, at vbi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit.* At enim rudis. & ingratus populus languere per inertiam, & carnibus saginatum vitiis succumbere, quàm aduersùs illa strenuè, & fortiter dimicare volebat: vnde cælestem manna,

Seneca.

Psal. 77. 20. Angelorum scilicet panem fastidiens, carnibus vesci, & saturari concupiuit, *& tentauerunt Deum in cordibus suis vt peterent escas animabus suis*, Psal. 77. 20. quid verò tum Dominus? Sanè tantæ rusticitati, tantæ ingratitudini infensus illud eis grauissimum intulit supplicium, vt largiter concederet iratus, quod strictè denegabat propitius. Ergo *ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & immisit in castra, &c. surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero congregauit coturnicum, qui parum, decem coros*, Num. 11. 31. Sed quem tantæ abundantiæ, tantarúmque delitiarum exitum putas? subdit sacer scriptor. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis: vocatúsque est ille locus sepulchra concupiscentiæ.* Nu. 11. 31.
Vides felicitatis, & abundantiæ finem? Audis quem in locum concepta, consecutáque vota desinant? in mortem videlicet, atque sepulchrum; nec aliam felicitatis, ac hederæ naturam esse, quæ quos amplectitur strangulat. Iam hæc à Regio vate ex ventorum similitudine, quam persequimur, explicata accipe, sic enim ille de Deo irato desideratas illis carnes, & concupitas coturnices dante Psalm. 77. 28. *Transtulit Austrum de cælo, & induxit in virtute sua Africum: & pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata*: pulchrè *transtulit Austrum, & induxit Africum*; & si enim sensus sit, *abstulit*, & remouit Austrum, vti legunt Hieronymus, & versio Nebiensis; aptissimè tamen Noster vt altiùs explicaret mutasse Deum assuetum eousque gubernationis modum, & pro salubri seuerioris disciplinæ Austro suauem, blandéque stantem zephyrum, siuę Africum induxisse; dixit, *transtulit*: ac si diceret; commutauit, transposuitque ventos, atque eum, qui illis sub tristi specie opportunissimus, & salubertimus erat, remouit, totóque cælo eiecit; illum verò, qui lenissimè, & blandissimè spirans ipsis maximè exitialis erat futurus, vt infensos sibi grauiter plecteret, *in virtute sua*, siue, vt legit Hieronymus, *in fortitudine sua*; potentiæ scilicet suæ vi, & conatu adhibito loco eius *induxit*, siue pro illo substituit, & pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata, hoc est, pluit super eos ad faciem quidem delitias, votorum assecutionem, felicitatem, reapse verò mortem, sepulchrum, & perditionem: vnde venerab. Drogo serm. de Dominicæ passionis Sacramento spiritualibus; hæc oculis penetrans tota mentis acie ad Deum conuersus sic orat. *Ne pluas super nos coturnices Domine, desideria carnis nostræ, quæ non nisi duobus cubitis leuantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus sancti.* Ne pluas super nos sicut puluerem carnes, *quia caro puluis est, & in puluerem deducit*, & sicut arenam maris volatilia pennata, *quia gaudet edacitas, pennulas mouet, sed mox in arenam maris conuertitur, gaudet luxuria, mod cum volitat, sed mox in arenam maris transit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum leuant infelicem animam, sed mox aggrauant in arenam.* Hæc & alia lectu digna Drogo ibi: quibus adiungas ista ex Seneca felicitatem, florentémque fortunam incusante epist. 36. *Hi quibus inuidetur, non desinent transire, alij eldentur, alij cadent. Res est inquieta felicitas, ipsa se exagitat, mouet cerebrum, non vno genere. Alios in aliud irritat, hos in potentiam, illos inluxuriam: hos inflat, illos mollit, & totos resoluit.* En concupitas coturnices à zephyro aduectas: en felicitatis exitum. Sed hæc sic prouauit Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 212. ex præfatæ plebis successu. *Videtur vt plurimum humana natura in aduersis quidem rebus modestiam colore, in secundis autem petulantem se præbere. Atque hoc ex iis, quæ Hebræis acciderunt, apertissimè liquet. Transierunt enim mare rubrum, nec periculi quidquam subierunt, cùm autem in terram venerunt, naufragium fecerunt.* Sic ille.

Psal. 77. 21.

Drogo.

1.

Seneca.

Isidor. Pelus.

At

9. At enim hic maris rubri transitus Ægyptios hanc in rem non minus premit dicente Vate Psal.65. 5. *Psal.65.5.* *Venite, & videte opera Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Qui conuertit mare in aridam*, siue, *S. Aug.* vt Pagninus vertit, *Venite, & videte opera Dei, terribile opus super filios hominum conuertit mare in aridam*, vbi bene inquirit August. *Quid fecit terrore consilij sui?* Respondet autem. *Conuertit mare in aridam; hoc enim sequitur:* sed quò hæc eunt? Non dubium, quid manifesta sit allusio ad transitum filiorum Israël pel mare rubrum. At cur inde Deus terribilis in consiliis, & non potiùs amabilis suauis, dulcisve dicatur? sinè cur *terribile* illud *opus super filios hominum?* vis nosse? quia *conuertit* Dominus *mare in aridam*; vt tam Israëlitæ, quàm Ægyptij sicco vestigio per mare incederet, sed dissimili euentu: dum Ægyptij felici Hebræorum cursu decepti, eorúmque vestigia prementes in plano illo, & florido itinere miserrimum naufragium fecerunt: *etenim illis* (inquit S. Zeno Veronens. M. *S. Zeno.* serm. 3. de Exodo) *Nulla inerant naues, nulla transfretandi præsidia, cùm subitò diuina prouidentia scinditur mare: aqua dextra, læuáque gelido stupore frænata vitreos diriguntur in muros præstolantes transitum Dei populi, vt persequentibus mare sint.* Ecce Deum terribilem consiliis super filios hominum dum Ægyptiis conuertit mare in aridam: dum sæculi facil cet amatoribus indulget, vt ad ipsorum libitum omnia eueniant. Nam nisi acriùs res considerес, illud prima facie rationi consentaneum videbatur, vt aggrediente Pharaone prosperam illam, & mirabilem viam qua Israëlitæ pergebant inire, Deus mare occluderet: nec non, vt dum peccatores à Deo discedentes humanam felicitatem ambiunt, nihil illis fortunatum, aut iucundum eueniret: sic dixit Xenophon lib. 1. de Cyripædia. *Xenoph.* *Consentaneum est, qui optant quod est nefas, à Deo optata non consequi*, sed *terribilis Deus in consiliis super filios hominum* (siue *terribile opus super filios hominum*) *qui conuertit mare in aridam*, grauiori Pharaonem supplicio plectens dum aquæ dextra, læuaque gelido stupore frænatæ vitreos diriguntur in muros, vt persequentibus mare sint, quia quidquid prosperum, & felix, peccatori contingit, in extremum illius exitium tandem vertitur. Audi Ambrosium lib. 3. de interpellatione cap. 6. ea Psalmi *Psal.72.11.* 72. 11. verba, *& dixerunt quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso: ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias*; sic elucidantem: *Putauit enim non esse in Deo scientiam, quia peccatores abundant prosperis sæcularibus, sed patientia Dei non praiudicat veritati, & præscientia eius, & prouidentia hoc ipso amplius probatur, quòd in peccato positus successu affluit sæcularium prosperitatum, quòd fortior videns dediit, incautus traducitur, & mouetur.* Sic Ambros. preme illud: *præscientia eius, & prouidentia hoc ipso amplius probatur.* Quare? quia illa prosperitas calamitas est, atque supplicium; tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant: vnde Gregor. Magn. in Pastorali 3. part. cap. 27. sic salubriter *Greg. Magn.* monet. *Admonendi sunt igitur qui in hoc mundo prosperantur, vt soletter considerent, quia præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur, vt ad meliorem vitam prouocet; aliquando verò, vt in æternum plenius damnet.* Audi, & caue. Sed iam ad alia.

VERSVS XIII.

Omnia possum in eo, qui me confortat.

I. GRÆCA, & Syriaca addunt, *in Christo*, quod etiam præter Græcos expressit *Græ. lect. & Syr.* Ambrosius, & huc it perpetuus Pauli mos, Christum in ore, & in calamo semper habentis: atque in ipso considerantis, non tantùm rationem causæ meritoriæ, quòd alibi sæpiùs vrget, sed etiam operantis, atque efficientis, ac proinde eamdem ipsi, ac Patri potentiam inesse, & verum Deum esse, omnino adstruentis, quod Græcum verbum, pro quo Noster posuit *confortat*, satis innuit; propriè enim est intus corroborare valentem, & robustum reddere; quòd internas vires menti, atque animæ à diuinæ gratiæ auxiliis aduenientes manifestè significat: ergo quia dixerat, omnia tam prospera, quàm aduersa æquo animo ferre didicisse, ne id ad solam exercitationem & studium suæ voluntatis referre videatur: opportunè negat viribus, suis hoc fore tribuendum: sed diuinæ gratiæ omnino adscribendum: vti omnes PP. adnotarunt, & primum quidem Chrysostom. cùm ad ea verbi, *vbique, &* *Chrysost.* *in omnibus institutus sum*, sub persona Pauli dixisset, *id est in hoc longo tempore omnium rerum experientiam cepi, atque hæc omnia mihi bene processerunt:* subiicit. *Sed quoniam id magni loquentiam redolebat, vide quo pacto primum corrigat.* Omnia, *inquit*, possum in eo, qui me confortat, Christo. *Non hoc inquit meum benefactum est, sed eius, qui vires dat.* Eodem modo Theophylact. *Postquam animaduer-* *Theoph.* *tit magnaquædam de se prædicasse, haudquaquam inquit, mea hæc virtute effeci, sed Christi, qui tantum mihi robur suppeditat.* Remigius. *Ne videretur suis* *Remig.* *viribus tribuere, quòd in penuria patiens esset, & in abundantia temperans, ait:* omnia autem ista in eo possum implere, qui me confortat, idest, in Christo, *qui mihi possibilitatem tribuit.* Bruno, *& licèt di-* *Bruno.* *cam, scio, pati tamen hæc omnia possum non in viribus meis, sed in eo adiuuante, qui me per gratiam suam confortauit.* Primasius. *Dans intelligentiam,* *Primas.* *quare sciat, & humiliari, & abundare; dum dicit,* Omnia possum in eo, qui me confortat, *dum sibi nihil tribuit, sed, & cottidianum adiutorium implorat, vt possit eius implere præcepta.* Appositè tandem Anselmus. *Cùm statim Apostolus subderet,* omnia *Anselm.* possum, *adiunxit*, in eo qui me confortat. *Ecce in altum ramus producitur, sed quia in radice se tenet, in viriditate permansit, in altum enim surgens aresceret, si se à radice diuisisset; sibi enim nihil tribuit, qui omnia se posse non in se, sed in Domino, in se confortat, fatetur.* Pendit hæc etiam satis opportunè Bergardus serm. 85. in Cantica, inquiens. *Quid ni om-* *Bernard.* *nia possibilia sint innitenti super eum, qui omnia potest? Quanta fiducia vox?* Omnia possum in eo qui me confortat. *Nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant.* *Denique* omnia possibilia sunt credenti. *An non omnipotens, cui omnia possibilia sunt. Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à verbo, poterit vtique dominari sui, vt non dominetur ei omnis iniquitas: ita, inquam verbo innixum, & indutum virtute ex al-*

10

tonulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel flamem deiicere, vel subiicere dominantem. Apta hîc, tam quæ de diuinæ gratiæ vi, atque efficacitate, quàm de arbitrij libertate copiosè à nobis dicta sunt ad cap. 2. versic. 13. adnotat. 1. & 2. & ad id versus 1. huius capitis, *state in Domino.*

VERSUS XIV.

Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ.

1. TRIBULATIONEM suam appellat rerum omnium penuriam, quam in vinculis patiebatur; communicationem verò intelligit eleemosynarum largitionem, qua illius indigentiam Philippenses subleuarant, quasi partem tribulationis ab Apostoli humeris, (vt acutè inquit Cornelius) in proprios deriuantes. Bene autem ob seruant PP. vrbanitatem Pauli, in his verbis: ne ex iis quæ superiùs dixerat, minus gratus videretur discipulorum officiis, ac solicitudini: Chrysostomus:

Chrysost. *Sed quoniam qui benefaciunt, si videant eum, qui accipit non valde affici, sed despicere ea, quæ dantur, negligentiores fiunt (tunc enim libenter dant, cùm putant se gratum accipienti facere, illúmque recreare) itaque si hoc solatium despicit Paulus, necesse est, & hos negligentiores fieri, igitur ne hoc accidat, vide, quomodo rursus huic rei medeatur. Nam ex iis, quæ dixerat, ipsorum spiritum compresserat, insequentibus verò alacritatem ipsorum incitat, atque inflammat, dicens:* verum tamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ. *Vides, quomodo se ipsum segregauerit, & quomodo rursus coniunxerit? hoc germana, & spiritalis amicitia est.* Similiter S. Thomas: *Sed numquid*

S. Thom. *superfluit quod misimus, cùm scias egere? Non, quia licet sciam* penuriam pati, *quod est virtus: tamen non debet mihi subuentio subtrahi. Roman. 12.* Necessitatibus sanctorum communicantes. *Hebr. 10.* Nam, & vinctis compassi estis. Remigius. *Quamuis ego*

Remig. *nullo indigeam bene fecistis vos charitatis officium in me adimplentes, compatiendo passionibus meis, & mittendo mihi quæ erant necessaria.* Eadem habet Anselmus: optimè verò Bruno, *& licèt dixerim, me non*

Anselm. Bruno. *propter penuriam gauisum esse*, verumtamen *non sum ingratus beneficiis, sed* bene fecistis communicantes tribulationi meæ, *id est, mihi tribulato*; subdit Primasius. *Non debuit mea æquanimitas vestram impedire mercedem.*

Primas.

2. Hic quidem germanus huius loci sensus esse videtur, vt, & contextus indicat, & similes Pauli locutiones quas attulit S. Thom. apertè conuincunt. Non tamen ideo omnino reiicienda fuerit, Chrysost. & Græcorum explicatio, quæ vehementer placuit Iustiniano, phrasim communicandi eò referentium, quasi ex eleemosynarum largitione, Philippenses tum tribulationis, tum præmij quo ob illam Paulus erat remunerandus, participes redderentur: iuxta nomen à Christo Domino traditam

Matth. 10. 41 Matthæi 10. 41. *Qui recipit iustum, mercedem iusti accipiet, & qui recipit Prophetam, in nomine Prophetæ,* mercedem prophetæ accipiet: sic namque Chrysost. *Non enim, quoniam (inquit) necessitate minimè*

Chrysost. *premebar, ideo puteris, me rebus vestris non eguisse: egeo propter vos: quomodo igitur ærumnarum ipsius participes fuerant per hoc officium, quod etiam de vinculis, in quibus erat dicebat:* socios gratiæ meæ omnes vos esse: *gratia enim est pati pro Christo.* Similiter

Theophyl. Theophyl. *Aduerte prudenter rem ipsam, vt extollat, cùm inquit.* Tribulationi meæ communicantes. *Nam, & pares sibi hos facit, tamquam inquiat, Ipse equidem spatior, verùm cùm mei sit per vos cura suscepta, nequaquam vos impares mihi in meo certamine deputaturus est Deus; subiicit: ex superioribus autem dictis illorum in se pellexit beneuolentiam, ex iis verò præsentibus eorumdem incendit in largiendo voluntatem, & roborat promptitudinem.*

Confutat hinc opportunè Guillielmus Estius duos sectariorum errores, qui & pertinaciùs negant, posse alios aliorum meritis apud Deum iuuari, & stultissimè affirmant, omnia fidelium opera; quamtumuis iustitia sint præditi, esse peccata: vtrique enim hæresi hæc Pauli verba manifestè repugnant; cùm de hac Philippensium largitione dicat Apostolus, *Benefecistis*, minimè quidem dicturus, si id peccatum foret, & ex præfata Chrysostomi explicatione adstruat Philippenses per charitatis opera sese ipsius meritorum participes reddidisse iuxta prædicta Christi verba. *Qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet:* ac proinde apud Deum eius meritis leuiter adiuuandos. 3. Estius.

VERSUS XV. XVI.

Scitis autem & vos Philippenses, quòd in principio Euangelij, quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli.

Quia & Thessalonicam semel, & bis in vsum mihi misistis.

CHRYSOSTOMUS *En quantum encomium: quando quidem Corinthij, itémque Romani, eo quòd is hæc ab ipso audissent, inuitantur: hi verò cùm nulla adhuc Ecclesia capisset: inquit enim,* in principio Euangelij: *tantam erga sanctum nunc ostenderunt animi propensionem, ac studium, vt cùm nullum exemplum propositum haberent, ipsi primi huic ferendo fructu initium darent. Neque dicendum est, hæc illos fecisse, quòd Paulus apud se maneret, atque beneficiorum causa quæ ab ipso acciperent, inquit enim:* Quando profectus sum à Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicauit in ratione dati, & accepti nisi vos soli. Hæc Chrysost. similiter Theophylactus, *Ingens (inquit) sanè hæc laus. Et quia in Euangelij ipsius primordiis, & cùm non modò apud vos permanenti necessaria mihi subministratis, sed etiam ex Macedonia abeunti, hoc est, vbi vestræ regionis excessi confinia.* Apparet verò Paulum modò agere de primo discessu è Macedonia, de quo Actuum 17. & 18. Nam rursum in Macedonia ipsum fuisse, satis liquet ex Actuum 20. 1. Chrysost.

Chrysost. Theophy.

***

In

In ratione dati, & accepti.

2. Remig. PEculiaris locutio,quã Remig. sic capit,ac si dicatur,nihil accepi ex omnibus quę clari accipive possunt: Ait enim. *Quidquid accipitur,& datur,ratio inde potest esse, ratio dati est,quia scit dator quid dat, aut quantũ dat,& cui dat, vtrũ aurum, aut vestimentũ dat,vel etiam librã auri,aut equum:ratio accepti est, quia scit ille, qui accipit metallum aliquod, aut vestimentum, & scit quantum accipit, & à quo accipit, & est sensus; ex omnibus, de quibus esse potest ratio dati, & accepti, non ministrauerunt mihi, quia ipsi nihil dederunt, & ego nihil accepi.* Sed hic dicendi modus, potius artificiosè compositus ad voces has accommodandas, quàm Pauli instituto opportunus esse videtur. Quare omnes alij PP. & interpretes de mutua communicatione spiritualium, & temporalium dum Apostolus verbum Dei seminans, & prædicationi incumbens alimenta, & vitæ sustentationem à fidelibus recipiebat, capiunt. Ita in primis Chrysost.inquiens. *Cur non dixit nullam sibi Ecclesiam dedisse, sed* communicauit in ratione dati, & accepti, *Res enim hæc communicatio quædam est.* Nam si nos, *inquit*, vobis spiritualia seminauimus, quid magnum, si nos carnalia vestra metamus? ad Corinth.6.&c.*Vides quomodo cõmunicauerint* in ratione dati *dando carnalia, & in ratione* accepti *accipiendo spiritualia*? Sic Chrysost. ad cuius gustum reliqui loquuntur.

Chrysost. 1.ad Cor.6.

3. At enim denuo ambigas cur non dixit; nulla Ecclesia cõmunicauit mihi dando; & accipiendo,sed potiùs *in ratione dati, & accepti*, quæ illa datio est? Referunt Anselmus, & Bruno ad æquam considerationem; sic enim prior: *id est, vt rationabiliter consideraret, quòd deberet dare carnalia, quæ accipiebat spiritualia*; similiter Bruno, *vt consideraret me sibi dare spiritualia, & me debere ab iis accipere carnalia: vel è conuerso, quod acciperet à me spiritualia, & deberet dare temporalia.* Verum meliùs recentiores Cornelius, Estius, & alij ad pecuniarias rationes siue ad codicem œconomi,aut mercatoris duas paginas accepti, & expensi habentem allusum esse existimant, vt dixerit Apostolus, cum solis Philippensibus pares sibi rationes esse, quòd aliæ Ecclesiæ multa ab illo accepissent; nihil verò in rationibus dati conscriptum haberent. Forsan, & hac locutione Paulus eleemosynæ naturam expressit,quæ tam largitio, quàm acceptio est, vt ad sequentis versus verba, *requiro fructum in ratione vestra* dicemus.

Anselm. Bruno. Cornel.

Thessalonicam.

4. Remig. GRæca ἐν Θεσσαλονίκῃ in Thessalonica: siue Thessalonicæ cùm essem Remig. *Thessalonica ciuitas est, vel regio à Thessalo Rege dicta. In hoc ergo, quòd laudat Philippenses, qui ei necessaria miserunt, vituperat alios, qui nullum ei obsequium præbuerunt.* Chrysost. *Rursus magnum encomium; quandoquidem cùm in Metropoli esset, ab exigua tamen ciuitate alebatur.* Theodoretus. *Digna viri laus, quoniam non solùm præsentem reuerebantur, sed etiam absentis curam gerebant,& cùm in Metropoli ageret,& ad aliam gentem proficisceretur, quæ ei opus erant, liberaliter mittebant.* Sed cur Paulus à Philippensibus, non verò à Thessalonicensibus, qui opulentiores erant, nolebat accipere? Respondet Pauli nomine Primasius. *Quia vos solos, à quibus necessaria acciperemus, eligimus: fideliores vos omnibus iudicantes.* Aliter Anselmus, inquiens. *Qui ab eis hæc non reputabat, quia non idcirco dabant, vt vellent eum vitiis suis parcere. A cæteris verò non accipiebat,ne auctoritatem sibi correctionis minueret, & ne fortè illis esset graue cibum ei corporalem impendere.* Ita ille Luculentius S.Thomas. *A quibusdam nihil accipiebat; scilicet Corinthiis, & Thessalonicensibus, & quia Corinthij erant auari, & cum turbatione ministrassent, & quia Thessalonicenses erant otio dediti, laborabat dans eis exemplum laborandi. Isti verò erant boni in absentia, & præsentia. Vnde dicit 2. ad Corinth. 11.* Alias Ecclesias expoliaui, accipiens stipendium ad ministerium vestrum: ex vtroque autem testimonio infert statim Angelicus Doctor,posse Pontificem Maximum iusta de causa ab vna Ecclesia in alterius subsidium sumere.

Chrysost. Theodor. Primas. Anselm. S. Thomas.

Semel, & bis.

ID est, semel, & iterum. Sed interpres Latinus retinuit phrasim Græcam. 5.

In vsum.

THeophylactus: *Necessarias dicit impensas: non enim delitias deposcebat, & luxum.* Bruno. *Non tamen in congregandum thesaurum, sed* in vsum, *id est, quod vsui meo sufficeret.* Aliter capit hæc Chrysostomus,aiens. *Ne perpetuò se ex necessitate eximens, ipsos, quod antea dicebam, negligentiores redderet,cùm tot modis ostendisset, se non egere, nunc ex hoc solo id manifestum fecit, ita nimirum dicens,* in vsus; *non enim dixit, meos, sed tantùm,* in vsus: *grauitatis scilicet,& decori rationem habens.* 6. Theoph. Bruno. Chrysost.

VERSVS XVII.

Non quia quæro datum; sed requiro fructum abundantem in ratione vestra.

Quæro datum.

LECTIO Syriaca Græcæ hærens. *Non quod munus requiram,* pro *datum* enim Græcè est τὸ δόμα, quod Erasmus etiam vertit *munus*, & propriè quidem est *donum*, in qua significatione Noster interpres accipit *datum*;tamquam nominatiuum,non participium: Hispanè omnino expresseris: *No pido cosa dada.* Ac si dicat. Nec hæc dixerim, quòd adhuc requiram noua munera, siue quòd donis gratuitis inhiem; vt videris quàm opportunè his verbis vsus sit Bernardus lib.4.de considerat. ad Eugenium eos Pontifici ad Ecclesiasticas dignitates assumendos proponens. *Qui legatione pro Christo fungi quotiens opus fuerit, nec iussi renuãt, nec non iussi affectent. Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur, qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant* datum, sed fructum. *Qui regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moysem, fornicantibus Phineem, Heliam idololatris, Helisæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum.* 1. Lect.Syr. Lect. Græca. Bernard.

Sed requiro fructum abundantem.

2. Anselm. ANselmus. *Datum est res ipsa, quæ impenditur, veluti nummus, cibus, vestis. Fructus verò dati est, si benigna mente futura mercedis studio aliquid impendatur. Ergo datum in re accipimus, fructum in corde.* Similiter Remig. *Fructum, id est, beneuolentiam, & benignitatem animi.* At enim ex sequentibus manifestè apparet, fructum, ad eleemosynarum meritum, æternámque illi respondentem mercedem fore referendum; vnde Syrus optimè vertit, *requiro vt fructus multiplicentur vobis.*

In ratione vestra.

3. Remig. REmigius: *id est, ad vtilitatem vestram.* Subdit statim nonnulla exemplaria Latina habere, *in ratione vestra.* Quod sic explicat: *Oratio Apostoli, oratio Philippensium erat, quia pro illis orat, & quando quilibet orat pro aliquo, si vita illius munda fuerit, pro quo oratur, sublevat orationem deprecantis, vt citius exaudiatur, si munda non fuerit, impedit orationem illius, qui pro ipso orat, vnde Dominus dicit Hieremiæ.*
Ierem. 7. 16. Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. *Ergo B. atı Pauli oratio, quam pro illis fundebat, bona vita illorum subleuabatur. Vnde dicit*, non requiro tantummodo datum, *sed requiro beneuolentiam, & benignitatem* abundantem in oratione vestra, *id est, vt vestra voluntate subleuetur oratio, quam pro vobis fundo.* Hæc Remigius: *Bona, sed* (si Græcos, & Latinos codices, quos præ manibus habemus inspicias) *quorsum?* Iam Anselmus bifariam id interpretatur, inquiens: *fructus* in ratione, *id est, in cordis lumine debet abundare*, vel in ratione *eorum debet abundare, vt cùm rationem de suis actibus Deo reddiderint, abundet eis fructibus iustitiæ*, subiicit. *Quia igitur discipulorum horum Apostolus mercede potius, quàm munere pascebatur, nequaquam datum, sed fructum se quærere fatetur.* Aliter Bruno inquiens; in ratione, *id est, in administratione* vestra, *ex ratione facta.*

4. Estius. Sed si contextus, vel leuiter expendatur, in eadem imagine rationis pecuniariæ siue codicis mercatorum, Paulus persistit; vt Estius, & Cornelius admonent sub hoc sensu; sed requiro fructum accrescentem rationibus vestris; vt tota sententia sit, cùm aliquid à vobis accipio, non tam meum, quàm vestrum negotium ago: vestrũ siquidem id lucrum est, vestrum commodum, vester enim fructus augetur, in rationes acceptorum vobis optimo merito referendus, manifestè significans Apostolus egregium sibi fructum spiritualem, maximúmque apud Deum lucrum tam præsenti, quàm futuræ vitæ comparere, qui eleemosynas faciunt, præsertim cùm euangelij ministris necessaria subministrant, ita optimè B. Bruno, inquiens: *Quasi diceret, Non ex amore accipiendi quæro à vobis, sed vt exhibeam me capacem materiam vestra benignitati vt sic fructificare possit. Ideo non quæro datum.* Quo omninò facit Græca Lect. εἰς λόγον, *in ratione vestra*: id est, in gratiã rationis vestræ, siue paginæ vestræ; in qua quid accipere debetis appingitur. Nam vt piè, & luculẽter inquit Faustus Rhegiensis Episc. hom. de muliere illa, quæ misit duo æra in gazophylaciũ. *Tu dabis eleemosynas, & misericordias, quæ capere præmium possunt: ille reddet quæ pretium habere non possunt. Fregisti in terra esurienti panem tuum; in cælo vitæ pane, qui est Christus, satiaberis. Hic peregrinis domus tua patuit, in domo Dei Angelorum ciuis efficieris. Tu hic trementia rigore membra vestisti: illic liberaberis ab illo frigore, in quo* erit fletus & stridor dentium, *de quo dicit Propheta:* Ante faciem frigoris eius quis subsistit? *Vestisti tu hic (inquam) nudum, tu illic immortalitatis gloria vestieris, tu hic consolatus es miseriam inopum, & gemitum pauperum, introduceris in illam consolationem, de qua fugiet dolor, & gemitus, de qua absentabit omnis miseria, de qua omnis exsulabit angustia: in qua iactata retrò morte, quidquid accesserit, vita erit; in qua sicut Auctoris tui perennitas initium non habet, ita tua terminum non habebit.* Sic Faustus vtramque codicis paginam sibi mutuò respondentes facit. Qua forsan de causa hac rationis pecuniariæ similitudine, siue ea phrasi *dati, & accepti* vsus est Apostolus, vt adstrueret, eum qui eleemosynas dat, dando quidem accipere, esséque apud Deum rationum codicem vtramque habentem paginam, vt Dei eleemosyna, hominis largitioni respondeat. Ita quidem ad Hebræos cap. 13. 16. eleemosynam quæsito vocabulo appellauit cõmunionem idẽ Apostolus, inquiens: *beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci*, quasi mutua donorum communicatio, & peculiaris remuneraratio largitionis sit, ad hunc modum inibi adnotante Theodoreto. *Communicatio ergo est, & remuneratio: hic enim dat pecunias, ille vero reddit benedictionem, & eius, qui indiget, sunt ea, quæ sunt potiora.* Applaudit Chrysostomus sermone *de eleemosyna, & collatione in Sanctos*, non tam in egenorum, qui accipiunt, quàm in diuitum largientium gratiam eleemosynarum vsum à Deo institutum, & commendatum, sic admonens. *Deus eleemosynam non ob hoc solùm instituit, vt pascantur indigi, sed etiam vt dantibus accrescant beneficia atque adeò magis propter dantes, quàm propter accipientes, & propterea vera est eleemosyna, sic dare, vt gaudeas te dare, putésque te magis accipere, quàm dare.* ad Heb. 13. 16. Theodor. Chrysost.

5. Hinc notanter Vates Psalm. 133. 3. fideles ad eleemosynas faciendas adhortatus dixit. *Extollite manus vestras in sancta*: hoc est, vt interpretatur ibi Hieronymus, sanctè, & pura animi intentione pauperibus succurrite: sic enim premit ille id *in sancta*, his verbis: *& hæretici videntur leuare manus, & Gentiles videntur leuare manus, & Iudæi videntur leuare manus. Faciunt enim, & ipsi eleemosynas, & si viderint pauperem, manum porrigunt. Quando Iudæus dederit eleemosynam, nónne tibi videtur leuare manum? Leuat quidem manum, sed non leuat in sancta, quia Christum non confitetur. Vos autem qui estis in domo Domini, qui statis in atriis domus* Dei nostri: *sic leuate manus, vt in sancto leuetis: hoc est, vt confiteamini Christum, & quidquid facitis, pro Christo faciatis.* At, quæ hæc locutio fuerit ad eleemosynæ largitionem exprimendam? *extollite manus, siue leuate*: cùm is qui eleemosynam erogat, non leuare, aut extollere, sed demittere, siue porrigere manum soleat: certè habitus extollentis, & leuantis manum non tam dantis, quàm accipientis est, cur ergo dixit, *extollite*: Sanè eamet de causa, quòd dare sit accipere, & qui erogat, simul extollat manum ad Dei benedictionem, & munera recipienda: ita postmodum monente Hieronymo. *Nos damus carnalia, ille dat spiritualia: plus dat pauper, quàm accipit. Nos damus panem, qui in ipsa die consumitur; ille pro pane reddet nobis regna cælorum.* Sic Hieronymus. Psal. 133. 3. Hieronym.

6. Sic sanè dixit Sapiens: *Eleemosynas viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit.* Ecclesiastici 17. 18. Notetur ille dicendi modus, *sacculus cũ ipso*: in quo forsan dixeris potiùs dicendum fuisse, sacculus ab ipso, cùm ab ipso, siue ab illius sacculo exeat eleemosyna: Subsistit tamen Sapientis locutio, *sacculus cum ipso*, quasi eleemosynam facere, sacculum parare, & implere, Eccl. 17. 18.

non

non ipsum exinanire sit; nimirum *plus dat pauper, quam accipit*, Pulchrè Ambros. serm. 10. in Psalm. 118. *Misericordia suadet, quia quod alteri contuleris, tibi soluis: quidquid à te procedit, in te recurrit.* Non latebat id quidem Zachæum, dum gaudens excepit Christum ad prandium in domum suam, Lucæ 19. 6. quippe gaudet (inquit Chrysologus serm. 54.) *quia suscepit susceptorem suum, quia pastorem suum pascit, quia reus iudicem suffragio humanitatis inclinat, quia cibi, & potus fœnore debitorem suū sibi facit, & acquirit*: vnde bene infert: *& sic fit, vt quæstum non perdat publicanus iste, sed mutet.* Vt hinc noueris, eos qui eleemosynas non faciunt, ne diuitias imminuant; omnino nescire diuites esse: atque ideo de illis signatè dixisse Paulum *volunt diuites fieri.* 1. ad Timoth. 6. 9. non autem diuites euadere, quia verum quæstum ignorantes, velle quidem diuites fieri adiacet illis, perficere autem non inueniunt: vti hunc in modum excogitauit venerab. Galfridus ad ea verba Isaiæ 8. 6. *Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloë*, in allegoriis Gotfridi Tilmani. Qui volunt *ait, non qui fiunt. Rarus hodie est, qui Dominicum illud verbum opere prædicet. Quia beatius est magis dare, quàm accipere*, ac si diceret, ideo non ditescunt, quia dare, & eleemosynas facere nolunt: diuites omnino euasuri, & sacculum plenum habituri, si sua pauperibus communicarent.

7. Inter omnia Iobi bona, quæ ipsi periisse refert sacer textus, de ouibus tantummodo notanter dicitur, igne cælitus emisso absumptas fuisse, sic enim Iob 1. 16. *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque consumpsit*: Planè quasi ingratissimū à Deo sacrificium susceptæ; (id enim *ignis Dei* indicat) ac proinde ipsi Iob non amittendæ, sed duplicandæ, atque multiplicandæ fuerint; sed quare? Quia nimirum ex ipsarum velleribus pia Iobi manu dispensante pauperum humeri calefiebant, vti aperuit ipse cùm ait. *Si despexi pereuntem, eò quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est*, Iob 31. 20. & Chrysost. in hæc verba adnotauit hom. 31 de patientia Iob tomo 1. sub eius persona sic locutus. *Si ego solus indutus essem, iustè dolerem: si autem pauperes induebantur, numquid poterit Deus pauperes despicere? noui quoniam sacrificium suscepit, reddet centuplum, non enim ex iniquitate parta sunt iumenta, neque enim per auaritiam oues acquisiui.* Ex velleribus ouium mearum calefacti sunt humeri pauperum, os viduæ benedixit mihi. *Noui quid faciet Dominus, nunc veluti sacrificium meam accipit substantiam, eamdem mihi augebit cum additamento virtutis.* Hactenus Chrys. Cui certè rationi omnino innitebatur is, cui, quòd media nocte repentinus hospes aduenisset, ad amici fores panem petens constanter pulsabat, nimirum pecuniarias rationes siue dati, & accepti codicem relegens amicum, (ipsum videlicet Deum, qui homini maximè amicus, & proximus est) ex datis pauperi eleemosynis ad referendam gratiam, & reddenda munera conueniebat: sic id obseruante Chrysologo ad ea Christi verba, *& si ille perseuerauerit pulsans*, Lucæ 11. 7. *Verùm non potuit non impetrare quod voluit, qui vt acciperet hospitem, & reficeret, totam sibi requiem denegauit: aut quomodo sic petenti, sic pulsanti non responderit ille, qui in hospite confitetur suscipi, dicens*: Hospes fui, & collegistis me: *existimo hoc dixisse pulsantem, aut fortè taliter conuenisse: feci quod iussisti, redde quod promisisti.* Sic Chrysolog. ex qua quidem ratione omnino subsistit egregium Nazianzeni monitum orat. 16. vbi cùm ad eleemosynam faciendam sic adhortetur. *Deo quoque partem da, non mundo tantum, ex ventre aliquid subtrahe, & spiritui consecra: ex igne aliquid eripe, ac procul à depascente flamma recondé, à tyranno eripe, ac Domino committe; da exiguum ei à quo multum habes.* subiicit. *Hoc quoque accipere, est, nempe Deo donare.* Nimirum ipse quæ accipit, cùm ingenti fœnore, & vberrimo fructu reddit; ideo cùm das illi, potiùs accepisse dicendum est.

8. Vt hinc obiter discamus, quare annorum sterilitas, & rerum omnium imminutio, immò miserabilis inopia nos premat: nimirum in codice siue rationibus dati, & accepti, nostra dati erga Deum pagina vacua, siue minus habens inuenitur; ideo abundans fructus non respondet *in ratione* nostra: Audi hac de re Magnum Basilium occasione extremæ famis, qua ob nimiam siccitatem vrbs Cæsariensis affligebatur, sic ratiocinantem, & commonentem hom. 8. ex variis. *Hyems solitum humorem cum sicco non retinuit, sed in glaciem tota abiit, niuis imbris penitus expers. Vernum tempus alteram quidem sui officij partem ostendit, caliditatem dico: humiditatem verò nullam illi coniunxit. Æstus verò immensus; & frigora naturæ leges prætereuntia, ac in nos dānúmque nostrum coniurata mortales ad victus, vitæque simul trahunt discrimina. Quæ igitur, fratres huius tantæ confusionis, contrarietatisque causa? Vnde talis rerum, temporúmque nouatio. Illæ sunt causæ, cur nobis consueta gubernatio sublata sit, quòd cùm ex Deo accipiamus aliis non damus, conseruos non misereamur, egentibus desumus: esurientes non nutrimus, inopibus alimenta negamus. Cùm deficientem thesaurarium Deum habeamus, erga pauperes tenaces sumus. Ouium gregem fœtura implet, ouibus verò nudos plures esse sinimus. Graues rerum apothecas, & cellas habemus, his autem carentes nequaquam respicimus. Hac de causa, & Deus omnipotens manum non aperit, quoniam fraternitatis charitatem occlusimus. Ob hoc & campi steriles, quoniam charitas friguit, supplicantium vox frustrà clamat, & in aëra euanescit, ac dissipatur, nam & nos rogantes minimè audimus.* Hæc Basilius. Ad cuius gustum Cyprianus lib. siue epistola ad Demetrianū Africæ Proconsulem, ei aliisque Ethnicis, famem, pestem bellum Christianis imputantibus, sic obuiam ibat: *Hostem quæreris exurgere, quasi non & si externa de barbaris arma, & pericula comprimantur, ferociùs intus, & grauiùs de calumniis, & iniuriis potentium ciuium domestica impugnationis tela grassantur. De sterilitate, aut fame quereris, quasi famem maiorem siccitas, quam rapacitas faciat, queraris cludi imbribus cælum, cùm sic horrea cludantur in terris.* Vides quàm axactè vtriusque paginæ rationes constent, sibique respondeant, Deumque nos ita tractare, prout à nobis tractatus est. Arripe ergo vt tuis rationibus consulas, quæ indidem subiicit Basilius hunc in modum. *Imitare viduam Sareptanam, quæ Eliæ egenti panem porrigens à miseria leuata est. Si eges, Deo diuiti fac feneres, crede, inquam, illi, qui quod afflicto datur, perpetuo quasi sua personæ datum amplectitur, & de suo reddit dignus vbique fideiussor, terra, marique apertos habens thesauros. Magnificus est Deus in dando fœnore.*

Hæc ille.

VER

Marginalia: Ambros. — Luc 19.6. — Chrysolo. — 1. Timot. 6. 9. — Galfrid. — Iob. 1. 16. — Iob. 31. 20. — Chrysost. — Chrysolo. — Luc. 11. 7. — Nazian. — Basilius. — Cyprian. — Basilius.

VERSVS XVIII.

Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis; odorem suauitatis hostiam acceptam placentem Deum.

Autem.

1. EFFICIT ea particula hunc sensum. Quamuis dixerim, me à vobis requirere fructum abundantem in rationem vestram, id tamen nullatenus mei causa me requirere inde mihi, & aliis facile persuadere possum, quoniam *habeo omnia*; id est, quòd ea quæ à vobis recepi, adeò mihi sufficiant, vt omnia mihi habere videar. Ita pænè Anselm, dum ait, *Quasi dicens.* Non quæro datum, *sed* habeo omnia, *quia Deum habeo, in quo omnia possideo, &* abundo *non in vno, vt in alio egeã, sed* repletus sum, *quoniam* nihil deest timentibus Deum. Sic Anselm. & eodem modo Remigius. *Ille omnia habet, qui nullo indiget, qui præter necessaria nihil requirit.* Paulo aliter hæc nectit, atque explicat Theophylact. inquiens: *Quoniam dixerat nihil quæro, ne hos rursum ad id officij faciat segniores (nam qui* beneficia conferunt, quanto magis sapientiæ student, tanto etiam acriùs ab his, & gratias exigunt, *qui illa exceperint)* habeo, *inquit,* & abundo: *hoc est, ex his vestris in me recentibus beneficiis non modò quæ per vos antea desita sunt, suppleuistis, sed abunde nimis largiti iam estis.* Ita ille premit statim vim Græci verbi ἀπέχω, pro quo noster posuit *habeo* quod propriè significat recipere velut mercedem ex labore, siue censum, & fructus ex agro, vt inquit Chrysostomus in hunc modum *porrò cùm* habeo, *dicit, quasi debitum esse in aliquod arguit, quod habere se asserit, ne illi gloria ducerent, quia se beneficio affecissent:* vbi bene etiam adnotauit Estius, quod quamuis verbum sit præsentis temporis, significatio tamen effertur per præteritum, *recepi*: id est, recepta iam habeo: subiicit dictis Theophil. *Contrà vero, & hos consolatur, & lætitiam affert; cùm adstruit, longè hos plura quàm tenerentur dedisse, quippe qui ad abundantiam munera, non ad necessitatem sibi transmiserint.*

Anselm. Remig. Theoph. Græca Lect. Estius.

Acceptis.

2. GRæcè δεξάμενος: quod facile commonstrat non coniungendum cum verbo *repletus sum*, sed absolutè poni: sicque esse efferendum, postquam accepi ab Epaphrodito, &c.

Græca Lect.

Odorem suauitatis.

3. REmigius peculiares, vt assolet, Latinos codices sequutus, legit, *in odorem suauitatis*; sed Græcè non habetur ea propositio *in*; nec vllus è Patribus eam expressit, neque Cyprianus libro de oratione Dominica, aliter reposuit: sic enim vertit. *Saturatus sum recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis missa sunt, odorem suauitatis.* Vnde apparet hæc non pendere à verbo *misistis*, sed à participio *acceptis*, & per appositionem cum illo esse coniungenda, vt omnes interpretes adnotarunt: vocat autem Paulus Philippensium dona, siue eleemosynam odorem suauitatis, siue, vt Græca alij vertunt, *odorem bonæ fragrantiæ*, hoc est, suauissimum, siue fragrantissimum, vt ostendat maximè Deo gratam, & acceptam fuisse: hæc omnino Apostoli mens est, à Patribus variè expensa, & hac, illac eleganter ducta: sic namque primum Chrysost. *En quo illorum munus euexit: non ego, inquit, accepi, sed Deus per me: quamobrem tametsi non, hoc tamen spectate; nam neque Deus egebat, ac tamen accepit, adeò vt diuina Scriptura non reformidarit dicere*, odoratus est Dominus odorem suauitatis: *quod sanè lætantis est: nostis enim, nostis, quantum ex odoris suauitate afficiatur anima nostra, quantum iucunditatis & voluptatis capiat: non ergo recusauit Scriptura verbum adeò humanum, & humile Deo tribuere, vt hominibus ostenderet accepta ipsarum dona fuisse, non enim nidor, neque fumus accepta faciebat, sed animus, qui offerebat, alioqui (sine etiam dona fuissent accepta.* Hæc Chrys. cuius vestigia ita premit Remigius; *Odor suauitatis est apud Deum intentio bona, & voluntas promptissima offerentis, de qua legimus in Genesi, quia* odoratus est Dominus odorem suauitatis, *quando Noë obtulit sacrificium Deo egressus ab arca: non enim est putandum quòd Deus omnipotens sacrificio victimarum, & fumo carnium, atque nidore pinguedinis delectetur, sed intentione bona, & voluntate promptissima offerentis, si enim fumo & nidore carnium delectaretur, nequaquam diceret per Prophetam*, sacrificia vestra odiuit anima mea, similiter Primas. *Odor suauitatis non in re oblata, sed in mentis deuotione consistit, sicut sacrificium Noë gratè Deus describitur odoratus, cùm ipse postmodum dicit se nec carnibus, nec sanguine animalium delectari*, nec aliter S. Thomas inquiens, *est enim oder Deo suauis* deuotio offerentium: vt velint hi PP. ex recta dantium intentione, & animo prompto, & liberali suauissimum Deo odorem efflari: quam sanè ad rem omnino appositè hæc scripsit Seneca lib. 4. de beneficiis c. 25. *Propositum est nobis secundum rerum naturam viuere, & Deorum exemplum sequi. Dij autem quodcumque faciunt in eo nihil præter ipsam faciendi rationem sequuntur, nisi fortè existimes, illos fructum operum suorum ex fumo extortum, & thures odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quàm opportunis & in omnes oras ferentibus ventis maria permoueant, quantis imbribus repentè deiectis solum molliant, venásque fontium arentes reintegrent, & infuso per occulta nutrimento renouent omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsos perueniente commodo faciunt: hæc quoque nostra ratio, si exemplari à suo non aberrat, seruit, ne ad res honestas conducta veniat, pudeat vllum venale esse beneficium.* Hæc & alibi Seneca.

Cyprian. Chrysost. Primas. S. Thom. Seneca.

Aliter quidem Anselm. & Bruno, qui ex orationis similitudine, quæ in Scriptura suauissimum Deo odorem afferre dicitur, Paulum non modò quàm fuerint Deo gratæ Philippensium munera sibi missa explicare affirmant: sic namque Anselm. *Id est, quæ placeret Deo, vt suauissimus odor puræ orationis, quod enim odor sit oratio, testatur Ioannes Apocalyps. 5. vbi se vidisse refert* seniores habentes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. *Sed & iustorum munera dicuntur modò odor suauitatis, qui erant pro eis sicut scriptum est*, conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Ita Ansel. Bruno verò: *Per incensum (qui dicitur odor suauis Deo) significatur oratio: hæc autem eleemosyna non minus grata fuit Deo, quàm deuota oratio.* 4.

Anselm. Bruno.

Hostiam

Hostiam acceptam, & placentem Deo.

5. ALlusio est ad sacrificia veteris legis; quasi eleemosyna quamdam mystici sacrificij rationem habeat, vti dilucidè ad Hebræos etiam dixit
ad Hebr. 13. 16. cap. 13. 16 *Beneficentia, & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* Non quidem ea solùm de causa, quod (vt dixit Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei, cap. 6. alibi à nobis adductus) omne opus bonum factum eo fine, vt sancta societate inhæreamus Deo, sacrificium sit, sed quod peculiari ratione hostiæ, ac sacrificij vim
August. habere videatur, idemmet Augustin. eodem libro 10. de ciuitate Dei, cap. 5. premens tum ea verba
Osee 6.6. ba ad Hebræos, tum etiam id Osee 6. 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium*; scitè ait, non postponi sacrificium misericordiæ; sed sacrificium sacrificio præponi. Audi illum *Ac per hoc vbi scriptum est*, Misericordiam magis volo, quàm sacrificium, *nihil aliud quàm sacrificium sacrificio prælatum oportet intelligi, quoniam illud quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificij. Porrò autem misericordia verum sacrificium est, vnde dictum est, quod paulo antè commemoraui*. Talibus enim sacrificiis placatur Deus Sic Augustinus Ad cuius sanctum Thomam hic allatis iis verbis ad Hebræos
S.Thom. ait. *Inter omnes hostias maximè valent eleemosynæ.*
Anselmus. Iam Anselmus proprietati vocis *hostia* adhærens ea ratione Philippensium eleemosynas *hostiam* à Paulo dici ait; *quia data sunt ante eis, vt vincerent hostes suos, vel quia vicerant.* Luculentiùs Bruno, inquiens:
Bruno. *Hostia vocabatur, quod pro deuictis, vel deuincendis hostibus offerebatur. Hi autem si se vel verberibus, vel ieiuniis mactarunt, vt inuisibilis hostis tentationes superarent, non magis placerent, Deo, quàm hac administratio.* Ita Brunus.

VERSVS XIX.

Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum secundùm diuitias suas in gloria in Christo Iesu.

1. Anselm. ANSELMVS. *Vos me repleuistis vestris bonis, sed* Deus meus *repleat vos suis.* Addit: *proprio exemplo declarat Apostolus, quia pro his orare debemus, à quibus temporalia bona percepimus.*

Deus autem meus.

2. PRopria Pauli locutio, *Deus meus*, ex magnitudine affectus; vide data à nobis plena manu ad cap. 1. vers. 2. tam in expositione litteræ, quàm adnotat. 1. 2. 3. & 4. & adde hic sanctum
S.Thom. Thomam dicentem. *Vnus est Deus omnium per creationem, & potentiam, sed* meus, *quia singulariter ei seruio*; necnon Ambrosium sic capientem hanc phrasim: vt Paulus, qui Dei totus erat inde Deum animosè suum vocet, quasi pro ipso fideiubentem, & contracta ab eo debita persoluentem: ait enim.
Ambros. *Ideo dicit enim, dicens:* Deus meus, *vt secundùm ea, quæ præstabat meritis eius, auxilia adessent, & desideriis eorum in copia magnitudinis bonitatis suæ, &c.*

Impleat.

GRæci, quos nunc habemus codices habent πληρώσει, *implebit*, siue *supplebit*, vt legit Eras- 3. Græc. Lect.
Erasm. mus; sed Chrysostomus, & Theophylactus eodem modo ac Noster legunt, & in commentario similiter exponunt, vt optantis & precantis.

Omne desiderium.

QVid est, *omne desiderium?* Anselmus, *Largiendo bona omnia, quæ desideratis, vt nihil vo-* 4. Anselmus.
bis desit ex iis, quæ optatis. Sed tantæ ne vtilitatis fuerit omnia humana desideria impleri? Respondet Primasius, *Quia vt perfecti malum desiderare non* Primasius.
credebantur. Addit Remigius: *Tale desiderium ha-* Remigius.
beant Philippenses vt socij, & comparticipes mererentur fieri remunerationis Beati Apostoli, & est sensus: concedat, præstétque Deus meus, vt sicut estis participes passionis meæ, & condoletis tribulationibus meis, ita sitis participes præmiorum meorum & congaudeatis lætitiæ meæ. At enim verò Græca aliter hæc efferunt; alij enim codices, & ipsemet Chrysostomus obseruauit, reponunt χαρὰν, id est, *gaudium*: alij χάριν *gra-* Chrysost.
tiam, quod ipse sic explicat: *Ac si quidem legatur* omnem gratiam, *hoc significat non hanc solam eleemosynam, quæ in terra, sed omne benefactum.* Plures verò quos tam ipsemet Chrysostomus, Theophylactus, & Græci, quam Syrus, Erasmus, & alij sequuntur, habent χρείαν, id est, *necessitatem, indigentiam, ino-* Lectio Græca.
piam, & usum; & inde, *quod opus est*; siue, *quod ad vsum est necessarium.* vnde sic reddit Lectio Syriaca: *Deus autem meus impleat omnem indigentiam vestram secundum opulentiam suam*: quod hunc in modum explicat Chrysostomus, *sin, quod magis puto*, om- Chrysost.
nem necessitatem: *hoc est, quod significare vult, quoniam dixerat*; occupati eratis, *subiungit hic quod etiam facit in epistola ad Corinthios, inquiens*, qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstet. & multiplicet semen vestrum, & augeat germina frugum iustitiæ vestræ. *Nam & his hoc precatur. vt abundent, & habeant vnde seminent.* Similiter Theophylactus, *Cum dixisset supe-* Theophylact.
rius, occupati eratis: *hoc est, & si vobis res familiaris esset angustior, opto tamen, & precor, vt quæ satis sint, habeatis; si enim hi Philosophorum vitam duxissent, haudquaquam iis corporea precaretur, sed cùm homines essent præsenti huic vitæ addicti, tenerentúrque, & præsentium rerum cupiditate, desiderat iis non abundantiam, & nimium luxum, sed necessariarum copiam rerum*, impleat, *inquiens*, omnem necessitatem vestram, *hoc est, vt nulla re egeatis, quam vita hæc exigit.*

Sed cur, inquis, vulgatus, in quamlibet ex Græ- 5.
cis vocibus inciderit, vertit; *desiderium?* respondet Cornelius, nostrum legisse *gaudium*, & meto- Cornel.
nymicè per gaudium intellexisse *desiderium*, quòd non aliter gaudium nostrum impleatur, quàm dum impletur nostrum desiderium: bene quidem, ego verò potiùs crediderim vulgatum puriores codices nactum legisse inopiam, indigentiam, & necessitatem, & vt significaret eam inopiam, non parcè, & stricta manu, sed largè, & liberaliter à Deo fore supplendam, dixisse Philippensium desiderium implendum, id est, inopiam iuxta eorum desiderium, ac si dicat, quantum vos desiderare potestis, & non quantum egetis, quàm sanè explicationem sequentia omnino firmant.

Secun

Secundùm diuitias suas.

6. Remigius. REmigius, & Anselmus statim afferendus ad cœlestis remunerationis thesaurum referunt: *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ sunt illæ diuitiæ?* (ait Remigius) *id est, gaudia sempiterna, & præmia sine fine mansura.* At Chrysostomus, & cum eo tam Græci, & Latini PP. quam recentiores omnes interpretes de larga, & liberali temporalium beneficiorum gratia in hac vita illis referenda malunt accipere, vt sensus sit: impleat Dominus desiderium vestrum non parca manu, sed abundè, & liberaliter pro sua ingenti opulentia, & liberalitate, siue in ope vestræ indigentiæ ferenda non spectabit, quanta sit inopia, siue necessitas vestrûm qui accipitis, sed quantæ ipsius diuitiæ, & magnitudo sit, ne ipsius liberalitatis diuitiæ, & magnitudo minor ea esse videatur, qua Alexander ille cuidam admiranti quòd tam multa sibi pauperi daret, respondisse fertur: si non tanta tua exigebat paupertas, tanta omnino mea exigebat liberalitas, atque potentia; ita Chrysostomus, inquiens: Chrysost. *Nam si Paulo similes omnino fuissent, adeò Philosophi, adeò crucifixi, non hoc sanè fecisset; sed quoniam homines erant opifices, pauperes, vxores habebant, filios alebant, patres familias erant, atque extenuitate sua tamen hæc dederant, quadamque rerum præsentiam cupiditate minimè carebant, ita precatur, vt ad illorum captum demittat: ijs enim, qui hoc modo vterentur, nihil absurdè tantum precari, quantum illis satis sit, atque vt abundent.* Cui dicendi modo Iustin. Cornelius & Estius adhærent. Iustin. Cornel. Estius.

7. Sed Paulum Paulo, & Chrysostomo Chrysostomum opponas. Dixit quidem paulo antè Apostolus, *impleat,* (siue *implebit*) *omnem indigentiam, siue necessitatem vestram*: hoc est, ea, quibus egetis, quæque vobis ad vitam necessaria sunt, suppleat, quod sic premit Chrysostomus. Chrysost. *Vide igitur, quid precetur; non dixit, faciat diuites, ac valde opulentos, sed quid?* impleat omnem necessitatem vestram. *vt ne egeatis, sed habeatis ea, quæ vobis sunt, quoniam & Christus formulam nobis precandi tradens, hoc precationi adiecit, docens ita dicere,* Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. sic ille: cui sententiæ, siue voto contraria esse videntur tam Pauli, quàm Chrysostomi verba, in quibus sumus, cùm Paulus prædiuitis Dei remunerationem exoptet: Chrysostomúsque affirmet nihil absurdi esse precari Paulum, quantum illis satis sit, atque vt abundent. Respondeo tamen Paulum, qui sibimet inopiam, & egestatem volebat atque ea, & contentus & sibi sufficiens erat; discipulis qui (vt aiebat Chrysostomus,) non adeò Philosophi, nec adeo crucifici erant: *mediocritatem,* quam ille *auream* scitè appellauit; sapientissimè optasse, ad eum modum quo sapiens Salomon sibi deprecabatur, inquiens: Prou 30.8. *Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm tribue victui meo necessaria,* Prouerb. 30. 8. vbi LXX. reposuerunt, LXX. *constitue mihi quæ necessaria, & sufficientia,* mediocritatem explicantes, quæ nonnihil supra ea, quæ omnino necessaria sunt, addit. Vnde Ambrosius citatus à P. Salazar ibi legit, Ambros. *Ordina mihi, quæ opus sunt, & quæ abundent*: id est, quæ, vt non superflua; ita non omnimodo stricta, & angusta sint: ita quidem videtur hæc conciliasse Theophylactus, inquiens: Theophyl. *Deinde, ne videatur hos nimium ad rerum angustias cogere, secundùm diuitias suas subiecit, hoc est, qui æquè vobis, & abundè potest necessaria impartiri*; sic ille: nec negauerim priorem Remigij, & Anselmi expositionem valde probabilem: nec mediocriter in eam animum inclinare.

In gloria.

FAuet id præfato Remigij sensui; quasi non tam in hac vita, quàm in futura gloria reddendam Philippensium eleemosynis mercedem optet, siue speret Paulus; quare hæc sic explicat, & cum præcedentibus coniungit Anselmus, *Et hoc faciat secundum diuitias suas; id est, secundùm quod ipse est diues, & plus dare potest quàm quis mereatur*; impleat *dico* vestrum desiderium, *non in terrenis,* sed in gloria, *supernæ felicitatis*; similiter Bruno, & S. Thomas, quorum prior sic ait: *Non secundùm hoc quod meruistis, sed secundùm diuitias suas,* impleat, *dico,* in gloria, &c. S. verò Thomas cùm dixisset, *impleat vestrum desiderium, quia implestis meum,* subiicit, *& hoc verum in gloria: scilicet sua, quia ibi implebitur totum desiderium; Psalm.* 16. 13. satiabor cum apparuerit gloria tua; *Psalm.* 102. 5. qui replet in bonis desiderium tuum. sic S. Thomas. At interpretes, qui præcedentia verba de retributione temporalium bonorum accipiebant, ei sententiæ hærentes sic primùm hoc capiunt, vt idem sit ac id ipsius gloriam: ita Chrysostomus, *vt ad ipsius Dei gloriam omnia faciant, vel vt ad ipsius gloriam copijs vtantur.* Alij verò perinde hæc dici existimant; ac si velit Paulus; gloriosos vos, & admirabiles inter alios efficiat, addit his duas explicationes Gullielmus Estius minimè contemnendas, quarum prior ea est, vt à compensatione temporali, de qua egerat Apostolus, illis verbis: *repleat indigentiam vestram,* transeat ad supernæ beatitudinis retributionem, & illuc discipulorum cogitationes transferre satagat; quasi dicat, ita precor vobis à Deo rerum huius vitæ sufficientiam, vt ea vobis cedat ad gloriam vitæ æternæ per Christum; sicque transeatis per bona temporalia, vt non amittatis æterna: posterior verò; vt hæc verba *in gloria* iungantur cum præcedentibus *secundùm diuitias suas,* ad hunc modum; prout diues est gloriæ largiter retribuendæ, quod phrasi Hebræa diues *in gloria,* sit diues gloriæ, vt Genel. 13. 2 iuxta Hebræam lectionem, Abraham diues dicitur in pecore, & in argento, id est, pecorum, & argenti diues. 8. Anselm. Bruno. S. Thom. Psal. 16. 13. Psal. 102. 5. Chrysost. Genes. 13. 2.

9. Subiicio, & ego alias duas expositiones: alteram vt posteriori huic Estij valde affinem, ita etiam ex Hebraicis phrasibus petitam, vt *secundùm diuitias suas in gloria,* idem sit, ac quas habet in maxima abundantia, in magno pondere, secundùm diuitias suas magni ponderis. Nam Hebræi gloriam appellanti *cabat,* grauitatem, pondus: id est, *secundùm diuitias suas,* quas habet in magna gloria in magno pondere. hoc est, immensas: alteram, vt *in gloria* sit cum gloria, scilicet ipsius Dei; hoc est, consecuta eius gloria: glorificatur enim Deus ab omnibus, cùm vident viros misericordes, suáque liberaliter distribuentes, abundare semper.

In Christo IESV.

10. Theophyl. THeophylactus, *Sic potest intelligi, videlicet, hæc Pater in Christo IESV facturus est, id est, illius intercessu, vel etiam eam ad gloriam, quæ Christo defertur, adduci*: cape etiam hoc modo in Christo IESV. quasi dicat ex illo tanquam ex thesauro suo depromendas, & propter illum diffundendas, vt hinc intelligamus Christum nobis promeruisse bona etiam temporalia, maximè quatenus ad spiritualia conducunt.

VER

VERSVS XX.

Deo autem, & Patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

1. EN Pauli animum totum in Dei laude, & gloria: quam ille vnam semper spectabat, & quam in initio, & in fine epistolæ præ oculis habebat: & quidem S. Thomas, & B. Bruno hæc ad superiora referunt, quasi caueat Apostolus, ne sibi de bonis operibus, ac eleemosynis glorientur Philippenses, sed vni Deo omnium rectè factorum laudem, & gloriam referant: sic enim
S. Thom. Angelicus Doctor, *& de omnibus his sit Deo, Trinitati, & Patri nostro gloria*, 1. *ad Timoth.* 1. *soli Deo honor, & gloria in sæcula sæculorum*. Similiter Bruno,
Bruno. Deo autem, & Patri nostro, *pro his, & pro omnibus, quæ bene gerimus, sit gloria in sæcula sæculorum consequenda*: vbi duo etiam obserua, alterum ex Am-
Ambros. brosio; non dixisse hîc Apostolum, *Deo meo*, vt paulo antè, sed generaliter Deum, cúmque subinde Patrem nostrum appellasse, vt ostenderet ipsum, & timendum, & reuerendum à nobis esse, *Hic* (inquit) *non discreuit, sed generaliter ait*, Deo & Patri nostro. *Deus propter timorem, pater autem honoris causa, & quia ab ipso est omnis origo. ipse enim dixit in Malachia propheta*, Si Deus ego sum, vbi est timor meus? &, si Pater ego sum, vbi est honor
Chrysost. Theophyl. meus? Sic ille. Alterum ex Chrysostomo, & Theophylacto, opportunè à Paulo facta mentione gloriæ Christi, Deo Patri gloriam dari, vt eadem Patris, & Filij gloria; eadem natura, atque diuinitas esse credatur: iam verò cur summus Parens, noster etiam Pater dicatur, vide cap. 1. vers. 2. tam in expositione literæ, quàm in adnotationibus.

VERSVS XXI.

Salutate omnem sanctum in Christo IESV.

1. *Chrysost.* CHRYSOSTOMVS: *Non leue, & hoc: magnæ enim beneuolentiæ est, per literas etiam ipsos salutare*. Ambrosius autem, & Primasius nimis scrupulosè ad solos iustos, & perfectos
Ambros. hæc referunt: dum prior ait. *Hunc salutate in Christo IESV, qui se sanctificat, vt Christo dignus habeatur. qui dixit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,*
Primas. *Dominus Deus vester*. Primasius verò. *Erant ergo sancti quos solos vult salutari præ cæteris, quos etiam in omnibus epistolis nominauit; capitalia non habuisse peccata intelligendi sunt*. est enim multo probabilius, sanctos in Christo, à Paulo fideles indiscri-
S. Thom. minatim appellari; ita S. Thomas hîc aiens, *id est, fideles in Christo, quia per Christum sanctificati. Hebr.*
ad Heb. 13. 13. *vt sanctificaret populum extra portam passus est*. Quod quidem etiam placuit Primasio qui statim
Primas. subjicit: *sed, & scriptura baptizatum frequenter appellat sanctum*: nimirum fideles, qui Christo nomen dederint, optimo merito vocantur sancti; quòd Ecclesiæ sanctæ membra sint, nec aliter de vnoquoque eorum existimari debeat, quàm sanctum, & iustum esse, nisi contrarium appareat, vt inquit Estius. ergo *sanctum in Christo IESV* sic *Estius.*
cape, ac si dicatur: qui quòd sanctus sit habet ex meritis Christi IESV, vel sanctitate Christiana, & ex fide Christi, & non sanctitate ex lege, aut eius operibus: sed hac de re vide, quæ nos copiosè diximus ad similia verba cap. 1. vers. 1. *omnibus sanctis*, num. 17.

VERSVS XXII.

Salutant vos qui mecum sunt fratres: salutant vos omnes sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt.

QVID fratris nomen ex Pauli sensu significet, dictum à nobis est ad c. 1.
2. vers. 25. à n. 4. modò inquit Apostolus, eos qui illi vincto peculiari cura assistebant, atq; ministrabant, fraterna charitate Philippenses salutare: quippe *salutatio fratrum* (ait Ambros.) solarium inuicem *Ambros.*
præstat, quasi imaginem enim exhibet diuulsorum. Opportunè verò argumentatur, dubióque opportuniùs satisfacit Chrysost. hunc in modum: *Attamen dicebas*, Neminem habeo vnanimem, qui *Chrysost.*
sincera affectione pro vobis solicitus sit; *quomodo igitur nunc dicis?* qui mecum sunt fratres: *Hos qui cum ipso sunt fratres vocat, ostendens, vel quod antea dixerat*, neminem habeo vnanimem, *non ad eos pertinere, qui in vrbe erant (quæ enim illis necessitas imposita erat, vt Apostolica negotia susciperent? vel, neque etiam recusare, quin hos fratres vocet*. Atenim cùm charitas laxum sinum habeat; addit Paulus omnes etiam fideles, qui Romæ erant, Philippensibus salutem plurimam dicere.

De Cæsaris domo.

RIdiculi sunt, qui Cæsaris nomine vnum è 2.
septuaginta Christi discipulis intelligunt, cùm omnis antiquitas Romanum Cæsarem Neronem à Paulo indicari constanter affirmet: de quo vide Baronium tom. 1. annalium, & Estium *Baron.*
hic: cur verò signatè aulicorum Cæsaris meminerit, hanc reddit rationem Chrysost. *Erexit ipsos,* *Chrysost.*
& confirmauit, ostendens ad regiam etiam domum peruenisse prædicationem. nam si qui in regijs, omnia propter cælorum regem despexerant, multo magis id faciendum ipsis erat. Audit statim. *Atque hoc etiam indicium erat Pauli charitatis, tam multa, & magna de ipsis narrare, vt hinc, qui in regia erant, ad eos salutandos amore adducerentur, quos nunquam viderant*. Similiter Primas. *vt eos confortaret, & illi libe-* *Primas.*
rius, & in fide persisterent, vel fiducialius prædicarent, quando audiebant etiam de officio Cæsaris multos fuisse conuersos: pendit hæc luculenter Remigius ad hunc modum: *Addidit* maximè qui de Cæsaris *Remig.*
domo sunt, *vt Philippenses acueret, & instigaret ad fidem seruandam, & bonis operibus laborandum: quasi diceret, O Philippenses attendite: si illi, qui apparitores Imperatoris sunt, & ei semper assistere debent in pala-*

tio illius, veniunt ad fidem, pro nihilo deputantes iram Imperatoris, & viriliter in fide, & doctrina laborant; quanto magis vos debetis feruenti animo fidem seruare, bonisque operibus insistere, qui longè ab aula remoti, regali non estis aula, neque terremini iussu malignorum principum. Nam manente Apostolo in carcere in domo Imperatoris, multi ex domo Cæsaris veniebant ad eum, & docti ab illo baptizabantur, in tantum, vt sicut iam diximus, domum persecutoris facerent Ecclesiam Redemptoris; his addit Anselm. *Nec vltrà debere Philippenses tribulationes metuere, quasi graues, & diu permansuras, cùm iam consiliarij, & amici Imperatoris sint Christiani.* Anselm.

3. Occaſione verò huius ſententiæ, quam S.Thomæ commentario appingit. *Quamuis autem Matthei 11. dicatur*, qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt, *tamen ad promouendum bonos, & impediendum malos, videtur licitum sanctis in curijs regum commorari, sed non propter delitias & concupiscentiam voluptatum*; diſponat Iuſtinian. num deceat viros pios aulas Principum frequentare? in eámque partem valde inclinat, quæ plus inde periculi timet quàm vtilitatis ſperat, quod frequentiùs ſit, bonos, aulas Principum ingreſſos, aliorum contagione corrumpi, quàm vt ipſi aulicis virtutem, ſiue virtutis vmbram appingant: ſed hac re, quàm multa diximus ad cap. 1. verſ. 13. adnot. 2. inde pete. S.Thom. Matth. 11. Iuſtin.

VERSVS XXIII.

Gratia Domini noſtri IESV Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.

GRÆCA, & Syriaca ſimpliciter habent, *cum omnibus vobis*. Nec diſcrepat ſententia, cùm ſenſus ſit, Deus per Chriſtum gratiæ ſuæ dona indeſinenter conferat, atque multiplicet; 1.
ita Remigius: Gratia Dei, *id est, fides, vel salus, & redemptio, atque remissio peccatorum maneat*, cum ſpiritu veſtro: *id est, in corde vestro, & mente manebit, & in corpore*; & verò Theophylactus, & Anſelmus admonitionem in his verbis contineri exiſtimant; qua Paulus pro more ſuo Dei gratiam extollat ne Philippenſes de egregiis operibus efferantur; ſic nam Theophylactus. *Pro sua consuetudine Paulus in comprecatione concludit epistolam, commonefacitque Philippenses, quidquid in se inesset virtutis, Christi gratia assecutos se fuisse existiment, ne ob id inani gloria efferantur, futurumque vt perpetuò Christi cum eis maneat gratia, si minus superbiant. Velim itaque omne virtutum genus in vobis succrescere, & ea præcipuè virtus, quam vestra impartiendo exercetis magis, vt Christi munere augescat; sitque largitio vestra hæc vobis profectui, & nobis egentibus, vel potiùs Christi gratia mala tolerantibus suæ bonitatis liceat diuitijs frui.* Hæc Theophylactus. Anſelmus verò vulgati lectioni hærens ſic ait. Gratia Chriſti IESV Domini noſtri *sit* cum ſpiritu veſtro, *vt quod spiritus per liberum arbitrium bene voluerit adiuuante gratia possit implere*; *ne sitis* generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. *Cum Deo enim credi debet spiritus noster, quia nisi crediderimus, quod spiritus nostræ voluntatis per se ipsum nihil potest sine adiutorio gratiæ Dei, nihil vnquam boni facere poterimus.* Sic ille. Tandem pulchrè Ambroſius. *Quoniam de Saluatoris persona quæstiones oriuntur, hic vt soliditatem in eo diuinitatis approbet, tuitionem gloriæ eius spiritui nostro exoptat.* O vtinam ſic viuamus, ſic agamus, vt tanto cuſtode, & patrone digni ſimus. Remig. Theophyl. Anſelm. Ambroſ.

Omnipotenti Deo, puriſſimæ Deiparæ, ſanctiſſimis Paulo, & Ignatio honor, & gloria, nobis autem confuſio faciei.

INDEX

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ, qui in hoc volumine elucidantur.

Prior numerus paginam, secundus numerum in margine appositum designat.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

24. Qui

Ex lib. 4. Regum.

Ex lib. 1. Paralipomenon.

Ex lib. 2. Paralipomenon.

Ex lib. 2. Esdræ.

Ex libro Tobiæ.

Ex libro Esther.

Ex libro Iudith.

Ex libro Iob.

Ex lib. Psalmorum.

Ex Prouerbijs.

13. Ri

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis.

Ex libro Sapientiæ.

Ex libro Ecclesiastici.

Ex Prophetia Isaiæ.

14. Vlu

Ex Prophetia Ieremiæ.

Ex Marco.

31 Fili

Ex Ioanne.

35. Lacri

Ex actibus Apostolorum.

Ex Paulo ad Romanos.

Ex 1. ad Corinth.

An

Ex 2. ad Corinthios.

P. Ant. Velasq. in epist. ad Philip. tom. 2.

Ex ad Galatas.

10. Iuſerue

INDEX

INDEX

Rerum quæ in hoc tomo continentur.

Prior numerus paginam, secundus numerum indicat in margine adiectum.

B

In pra

Rosis

C.

Cain.

Vt

Suo

Columba

In

Quo

Auaro

Doctor

Doctrina.

Dæmon.

Quos

Olei

Quod

 Fides

In

Qui

Iulius

M.

Marcus

Momus

Bona

Ex

Suo

FINIS.